PAM 8.1
Item 6.6

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA
M 8
43 C
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49.1.20
49
B
29

Digitized by Google

8-43-C-5

itized by Google

Digitized by Google

JOHANNES LAUNOYUS

Theologus & Sorboniſta Pariſienſis

TESTIS ET CONFESSOR

Veritatis Euangelico-Catholicæ

in potioribus Fidei Capitibus controverſis.

Adverſus

ROBERTUM BELLARMINUM,

Et alios quoſdam Sedis Romanæ Defenſores
Egregius & luculentus,

Nunc poſt obitum contra CHRISTIANUM LUPUM *Lovanienſem,*
IMMANUELEM à SCHELSTRATE *Antverpienſem,*
NATALEM ALEXANDRUM *Pariſienſem,*
DOMINICUM GALESIUM & FRANCISCUM
MARCHESIUM *Romanos.*

VINDICATUS

Opera & Studio

ANTONII REISERI, *Auguſtani*

S.S. Theol. Doctoris, atque Hamburgi, in Templo S. Jacobi Paſtoris.

AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, 1685.

8 43 (c) 5

Digitized by Google

Auguſt. Epiſt. 28. *ad Hieron.*

A quocunque verum dicitur, illo donante dicitur, qui eſt Veritas.

Idem Quæſt. 68. *in Exod.*

Scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur conſilium Veritatis, non debere contemni.

Idem in I. 75.

Communis eſt omnibus Veritas.

Digitized by Google

Sereniſſimo ac Celſiſſimo

PRINCIPI

& DOMINO,

D°. RUDOLPHO AUGUSTO,

Duci Brunſvicenſium ac Luneburgenſium &c.

POTENTISSIMO,

Principi pie Literatorum Amantiſſimo,

A Ω!

Ondum immemor ſum illius pii adfectus, quo antehac me complecti viſus es PRINCEPS SERENISSIME, quando ad tempus aliquod hic degens non ſemel in Æde Sancta, cui Paſtorem me voluit præ-

Digitized by Google

eſſe Supremus ovilis Dominici Cuſtos & cœleſtis Eccleſiarcha, inter eos te ſtitiſti præſentem, qui verba Vitæ & viam Æternitatis beatæ ex ore meo audire & percipere conſueverunt, & ea quidem mentis adtenta devotione, prout ex omni corporis geſtu licuit non in vanum conjectare, qua teſtatum feciſti, non diſplicuiſſe Tibi, quæ non quidem μετὰ πολλῶς φαντασίας & cum adparatu quodam Rhetorico ac oſtentatione inanis Eloquentiæ, quæ prurientibus Athenienſium auribus verba ſolet dare non facere, multo minus inanium fabularum & ridicularum è quovis angulo narrationum, uti Oratores ſolent inepti, æque omni vera Pietate vacui, ſed potius μετὰ πολλῶς παρρησίας, ductu zeli hominem DEI decentis, ad debitam Chriſtianiſmi à Sinceritate priſti- [illegible] dolor, plurimum deficientis reſtau-

ſtaurationem, intentione non niſi optima, quod Is novit, qui omnia, auditoribus fidei meæ concreditis è fontibus Iſraëlis propoſui. Multum me hac Pietate Tua Viro Principe Chriſtiano & Evangelico, atque ſic etiam laude digniſſima commotum eſſe, quin publice id profiterer, intermittere non potui. Dum vero mecum ipſe deliberavi, qua ratione id fieri poſſet omnium commodiſſima, factum eſt, ut ſpes adfulgeret producendi in Lucem publicam illius novi *Confeſſoris & Teſtis*, qui ab aliquo tempore inter ea, quæ partim ſunt confecta, partim vero etiam adfecta, occultus latuit, quæ hujus Seculi labes eſt, donec ii poſt aliorum opem fruſtra imploratam ſuum darent Nomen, quorum ſumtibus & typis orbi jam ſiſtitur Chriſtiano, dignus omnino viſus, qui inſtar Supplementi *Ca-*

talogo Teſtium Veritatis & *Confeſſioni Catholicæ* jungeretur, ut exinde conſtaret, neque huic Seculo in medio Papatu deeſſe, qui non obſcure latentem in eo labem Antichriſtianiſmi, Scripturæ & Antiquitati orthodoxæ contranitentis obſervarunt, ac inſuper publice, quæ vis eſt Veritatis, abſtergere pro viribus ſunt conati. Hinc non omnino præter rem credidi futurum, ſi novo huic & egregio Veritatis Evangelicæ in pluribus Fidei controverſiis adverſus proprios Sectæ & Religionis ſocios Teſti & Confeſſori lux aliqua & ſplendor adcederet à præpoſito Nomine TUO CELSISSIMO & SERENISSIMO. Auxit hanc ſpem meam non parum, quod SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ Bibliothecarius, D^n^. *Michael Ritthalerius*, Amicus ex Hungaria candidiſſimus & certiſſimus, quem meæ erga SERE-

NI-

Digitized by Google

NITATEM TUAM debitæ obſervationis interpretem hic nomino, jam antehac me certum fecit, Libros Evangelicorum pro S. Alethea vindice ac ſemper victrice & triumphatrice militantium ac Bella Domini fortiter gerentium in ſummo à TE haberi pretio ac æſtimio. Inde id auſus ſum, quod vides, nec dubito, Tibi meam hanc temeritatem, ſi talis quibuſdam videbitur, non omnino fore inacceptam, ſpe fretus certa, Te locum huic Confeſſioni, per me contra non unos poſt obitum Antimachos, qui mortuo Leoni inſultarunt, in gratiam Veritatis defenſo & vindicato, in Bibliotheca vero *Auguſta*, quam Pater nunc inter cœlites triumphans Princeps, cujus Memoria, quamdiu ſtabit orbis Chriſtianus, non intercidet, Tuo ſingulari ſtudio plurimum locupletatà conceſſurum, quod ubi

CO-

cognovero, operam in hoc genere laboris positam à me credam non fuisse fruſtraneam; ſecurus plane ac minime adtenturus, quidquid alii ex animo impotenti & hinc malevolo contra ſunt muſſitaturi. Vale, PRINCEPS SERENISSIME, in Familiæ Ducalis, quin & totius Germaniæ, ac Eccleſiæ in ea orthodoxæ decus & columen, ac certus eſto, me ſemper fore.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Interceſſorem apud Divinam Majeſtatem.

ex debito indefeſſum atque devotum.

Hamburgi, M. Aug.
MDCLXXXIV.

A. R. A. D.

Le-

Digitized by Google

Lectori Veritatis Evangelicæ

Studioso Sectatori.

INtegra prope Annorum heptas decurrit, ex quo Auguſtinum *Fidei orthodoxæ, quam Confeſſioni Auguſtanæ addicti inter non paucas hic & ibi adverſitates è Verbo DEI revelato conſtanter defendunt, Teſtem luculentiſſimum contra Romana Sedis adſeclas, ejus authoritate turpiter ad errorum incruſtationem abutentes, Viri cujuſdam illuſtris monitu & hortatu, orbi Chriſtiano poſt triſta ex Regno Hungariæ exilium ſtiti, teſtem inſuper ejus Doctrinæ, quam per quatuor Luſtra ibidem ore calamoque per vires cœlitus conceſſas publice ſum profeſſus, & cujus Reſpectu cum pluribus Fidei Sociis ſolum vertere ſum coactus, relicta in manibus eorum Bibliotheca multis ſumtibus collecta, qui eam per vim injuſtiſſimam retinuerunt. Credidi fore, ut qui hactenus plurimam ſpem in Auguſtino poſuerunt, atque Auguſtinum in omnibus & ſingulis Fidei capitibus Romano-Catholicum fuiſſe jactitarunt, publiciſque Scriptis id demonſtrare, ſed in vanum, conati ſunt, ex eorum numero aliquis in publicam prodeat aciem, qui Doctorem hunc auguſtiſſimum ſuis iterum partibus auderet vindicare. At, qui id laboris in ſe ſuſciperet, inventus eſt nemo; laboris, inquam, qui omnino hic requirebatur non parvus, ob loca & teſtimonia ex Auguſtini Scriptis numero ſatis magno & copioſo ibidem producta, quæ omnia & ſingula ad Examen vocare, ac legitimum eorundem ſenſum è toto corpore operum eruere, non cujuſvis eſt Monachi vel Miſſifici, qui longe facilius mille decantant Miſſas, quam ut ſtudium aliquod impendant in Religionis, quam profitentur veritatem. Non ignotum adverſariis parti hactenus fuiſſe opus hoc Auguſtinianum, ex pluribus mihi cognitum eſt documentis, inter quæ præſertim publica imprimis refero, quod Inquiſitores Romani illud Indici prohibitorum non ita pridem inſeruerint. His adeeſſit nuper* Hackius *quidam, ordinis Lojolæ Socius, qui poſt* Scrutinium Veritatis *infeliciter valde tentatum atque ſuſceptum, novo quodam conatu* Chryſoſtomum *ad ſuas & Eccleſiæ Romanenſis, nimirum hodiernæ partes pertrahere laboravit, in Præfatione monens, me eodem cum Centuriatoribus Madeburgicis &* Chemnitio *Tridentinæ Synodi Examinatore actum Spiritu* actum egiſſe in ampli fico, aut verius ampullato opere, *quo me anguſtam Auguſtini mentem* ad proprii capitis anguſtias *cogere dicit præſumſiſſe. Verum, ſi hoc ſufficit ad operis alicujus plenariam refutationem, res brevi compendio poſthac expedietur, nec opus erit amplius librorum multis voluminibus. Sciat autem, Lector optime, me integro ante Auguſtini novas haſce vindicias, quales antehac ſimili ſtudio nullus tentaverat, decennio è media à Chriſti morte ſeculorum ætate, ad imitationem aliorum, ejuſdem Fidei & Veritatis Evangelicæ Teſtem ac quoad potiores inter utramque partem controverſias ingenuum Confeſſorem exhibuiſſe* Thomam Aquinatem, *Scholaſticorum hactenus principem & anteſignanum, adverſus* Leonardum *quendam, Theologum Lovanienſem, &* Albertum Zennerum, *utrumque ordinis Dominici Scriptorem* Anti-Dorſcheanum, *quorum vero neuter ab illo tempore contra mutire eſt auſus, utut non neſciam, illos nuper adhuc fuiſſe in vivis, quod quoad*

priorem constat ex Triumpho Ecclesiæ Anti-Babylonico, quem anno demum praterito Doctor quidam Batavus eidem oppositit. Ita nimirum solent aliqui ex eorum numero se in acie publica ad pugnam sistere, ac supercilioſe alios more Goliathico provocare, ubi vero res agitur serio, ac arma armis conferantur, ex conscientia imbecillitatis se iterum subducere, arma, quibus rite uti non bene sunt docti, abjicere, causam non adeo bonam, quam ausu temerario susceperunt defendendam, ob rem infeliciter gestam deserere, ac turpi fuga salutem quærere, consultius facturi, si nunquam in publicum prodiissent, sed perpetuis se continuissent in tenebris, quod ipsum Christophorus Otto, Loiolita, jam à duobus annis & viginti expertus, meo quippe calamo non semel per DEI gratiam ita repressus, ut post Romam mininime gloriosam orbi Christiano exhibitam adversus me in aciem publicam redire amplius non audeat. Nunc post Augustinum è seculis prioribus, & Thomam Aquinatem è mediis vel posterioribus, tertium sisto Testem & Confessorem Veritatis Evangelico-Catholica in non paucis Fidei capitibus ex ultimo hoc & præsenti quo vivimus Seculo, Johannem Launojum, Theologum ante paucos adhuc annos Parisiensem & Sorboniſtam inter suos jure ac merito celeberrimum, Curiæ Romanensis & eorum, qua ibi adversus Scripturam & Antiquitatem orthodoxam publice docentur & absque ullo rubore aguntur, hostem juratum & irreconciliabilem, qui inter alios Bellarminum, pupuratum illius Sedis Vindicem & defensorem elegit, cujus methodum disputandi, censura & examini rigoroso in iis exponeret potissimum controversiis, qua Gallicanam à multo tempore separavit Ecclesiam, quo minus Romanensium suspectis novitatibus præberet adsensum. Constabit inde num effigies huius Cardinalis ex vero hoc Lectori & spectatori sistat elogium, eum nullius sibi vita omni Mendacii conscium fuisse. Dignus autem est visus hic Sorboniſta, ut quia ejus opuscula inter eruditos sunt rariora, pluribus etiam omnino incognita, in omnium eorum ob masculam Veritatis defensionem veniret notitiam, quibus omnis in re Fidei no. i as ex debito est suspecta, ac simul ab eorum contraditionibus vindicaretur, qui hinc inde telo ejus sed impari studio se opposuerunt. Animus quidem fuit, aliqua ex recentioribus quibusdam Scriptis non impertinentia subjungere & interserere, quibus una & altera quæstio potuisset egregie illustrari. Sed dum labori huic manum ad movere cœpi, ea, ex improviso alius quidam Antimachus, per integrum fere quadriennium Silentiarius, è tenebris prodiit, calamum ab hoc opere revocans, cui per cœlestem gratiam proxime satis ex asse faciendum erit, ne super mora prolixiori habeat, quod conqueratur. Quod superest, Lector candide, rogatum te volo peramice, velis typotheta manui meæ minus adsueti in prioribus foliis errata in mitiorem interpretari partem, & correctiora post hac à me, si DEO visum fuerit, quin & ampliora expectare. Ut autem scias, quo ordine capita pertractata sequantur, eum Index operi subjunctus indicabit.

JOHAN-

JOHANNIS LAUNOII
Theologi Pariſienſis,
ANTI-BELLARMINUS.

Bellarminus *lib.* I. *de Romano Pontifice c.* 10, 10.

EX loco Matth. 16 *Monarchiam Petri probaturus, hanc propoſuit quæſtionem*, an Petrus illa ſit Petra, ſuper quam fundatur Eccleſia, *& inter diverſa quatuor Sententias illam dixit eſſe primam Catholicorum communem, videlicet*, illam Petram eſſe Petrum, *id eſt*, illam perſonam, cui dicebatur *Petrus*, non tamen ut perſona erat particularis, ſed ut Paſtor & Caput Eccleſiæ *Hanc ut demonſtret, præter alia ex Patribus Eccleſiæ teſtimonia adduxit verba ex Athanaſii epiſtola ad Felicem, quam dixit tum ſcripſiſſe ſuo & Synodi Alexandrinæ nomine, ſequentia* : Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi ſunt confirmati. *Bellarminus addit loco Gloſſæ*, Athanaſius eleganter Petrum facit fundamentum, quo nituntur Epiſcopi, ſuper quos, ut columnæ, totum collocatur fundamentum.

Launojus *Tom.* V. *Epiſt.* VII. *pag.* 9. *& ſeq.*

COntra hoc teſtimonium ſic ſcribit : Epiſtola manifeſtè ſubjecta eſt Athanaſio. Imperitus malleator epiſtolæ neſciit. Athanaſium pro legitimo Pontifice non habuiſſe Felicem hunc ut in ſuis, ad Solitarios literis declarat : *Hoc Miniſtro* (Epicteto, homine neophyto) *utens* (Conſtantius) *incredibile ſcelus deſignavit, & quod verè refert imaginem Antichriſti, ut qui in locum Eccleſiæ Palatium ſuum ſuccedere voluerit, & pro conventu populi & jure comitiorum tres eunuchos præfectos eſſe voluerit, treſque itidem manu ſuæ adjutores, ut* id eſt, malis artibus imbutos exploratores, (*non enim eos dixeris Epiſcopos*) *ut ipſi Felicem quendam Epiſcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus ſuffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognitâ Hæreticorum pravitate non permiſere eos Eccleſiam intrare, proculque ab iis receſſerunt. Quid igitur hic, quod Antichriſti non ſit, obſit?* Athanaſii quoque vita per incertum authorem edita, & Codex ducenteſimus, quinquageſimus & octavus Bibliothecæ Photii, conſtitutum ab hæreticis Felicem Epiſcopum, & morte miſerandâ periiſſe, tradunt. Quis autem, niſi fortè Bellarminus, crederet, voluiſſe Athanaſium cum Pontifice tali communicare? *Baronius* ad Annum trecenteſimum quinquageſimum & ſeptimum hanc Epiſtolam ut ſubditiam ita repudiat : *Quæ fertur Athanaſii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ſcripta ex Synodo Alexandrina : ab Epiſcopis Ægypti, Thebaidis & Libyæ, haud æquè probatur, quippe, quod qualis fuerit ſtatus Eccleſiæ Alexandrinæ ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix ſedere cæpit, jam ſatis ſuperius eſt demonſtratum, ut nullus plane locus vel tempus cogendæ Synodi pro eo eſſe, Athanaſio fugâ elapſo & in eremo latitante, atque aliis Epiſcopis pariter exturbatis;*

Sunt præter hæc alia multa, quæ ibi poſita minus arrident, ut cùm de ipſius Felicis ordinatione Athanaſius eundem Felicem facit certiorem. At ipſe ſuas merces Mercator emat, de reliquis autem judicent alii. Et quia Launojus alibi ſe hujus Epiſtolæ ſuppoſitionem eſſe perſecutum dicit, nominatim partis quartæ Epiſtolâ numero quartâ, indè huc non impertinenter adducantur, quæ ibidem ad inſtitutum præſens pertinentia leguntur p. 56. & ſeq. Non Athanaſius modo, ſed etiam plures alii, Felicem eſſe legitimum Pontificem haud credidere. *Optatus Milevitanus Epiſcopus* Felicem hunc in Romanorum Pontificum recenſione prætermittit, ſic enim eos recenſet lib. II. *Ergo in Cathedrâ unicâ, quæ eſt prima de Dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens* Et quibuſdam interpoſitis, *Silveſtro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodiè, qui noſter eſt Socius.* Æqualis erat Liberio & Felici *Optatus*; ac proinde cum omittit Felicem, ſciens & prudens omittit.

Optatum ſequitur *Auguſtinus*, & in Epiſtolâ centeſima ſexageſima & quinta Romanos Pontifices recenſens Felicem præteriit, ſic enim ſcripſit: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certius & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait,* Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. *Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Et quibuſdam interjectis, *Silveſtro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius.* Sunt quidem alii, qui de Felice mentionem, ſed parùm honorificam, faciunt. Marcellinus & Fauſtinus in præfatione libelli precum ad Imperatores: *Sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiſcebatur, Clerus omnis, id eſt, Presbyteri & Archidiaconus Felix, & ipſe Damaſus Diaconus, & cuncta Eccleſiæ officia, & omnes pariter populo præſente Romano ſub jurejurando firmaverunt, ſe vivente Liberio, Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed Clerus, contra fas, quod minimè decebat, cum ſummo perjurii ſcelere, Felicem Archidiaconum ordinatum in locum Liberii ſuſceperunt, quod factum univerſo populo diſplicuit, & ſe ab ejus proceſſione ſuſpendit.* Hieronymus in Chronico; *Liberio in exilium ob fidem truſo, omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium ſuſciperent. Verum, cum Felix ab Arianis fuiſſet in ſacerdotium ſubſtitutus, plurimi perjuraverunt, & poſt annum cum Felice ejecti ſunt.* Hoc Authores illi æquales, & penè teſtes oculati, qui Felicem pro Pontifice intruſo habuerunt; ad quem, quis Athanaſium & Synodum Alexandrinam affirmaret Epiſtolam ſcripſiſſe ſic inſcriptam: *Domino Beatiſſimo & honorabili, Sancto Patri Felici, Sanctæ ſedis Apoſtolicæ urbis Romæ, Athanaſii & universi Ægyptiorum, Thebaidorum & Libyorum Epiſcopi, in ſanctâ Synodo Alexandrinæ Dei gratia congregati?* Deinde, Liberio exulante, & occupante ſedem Romanam Felice, Athanaſius non erat Alexandriæ, ſed in fugam converſus; quomodò igitur potuit Alexandriæ Synodum cogere, atque ad Felicem ſcribere? *Tum*, ubinam hujus Synodi mentio vel apud Athanaſium, qui tot Synodorum meminit, vel apud Hilarium, qui librum de Synodis fidei Catholicæ adverſus Arianos compoſuit, vel apud Luciferum Calaritanum Epiſcopum, qui libros ingentes duos ſcripſit pro Athanaſio, vel apud Hieronymum, qui Chronicon uſque ad Imperatorem Gratianum perduxit, vel apud Socratem, Theodoretum, Soſomenum, qui de vexatione Athanaſii, & de rebus temporis illius tam multa tradiderunt memoriæ, vel tandem apud Proſperum, qui Chronicon ab ortu rerum ad mortem Valentis cum annotatione Conſulum edidit? *Poſtremò*, ubinam ſunt Græcæ Synodi Alexandrinæ & Epiſtolæ, de quâ agitur, exemplaria, quis illa vidit unquam, quis latinitate donavit? Hæc ibi *Launojus*, qui in loco primùm citato addit: Cùm Bellarminus teſtimonio tam evidenter ſuppoſito utitur, Pontificiæ dignitati non mediocrem facit injuriam, ſignificat enim, illam mendacio hominum egere ad ſui probationem. Scio quidem, vetuſtiores eſſe Bellarmino ſcriptores, qui Epiſtolam Athanaſii ut veram evexerint; ſed Bellarminus eos habet culpæ Socios, non Vindices ac Liberatores.

Addi-

by Google

Additio.

QUia hæc prima eſt obſervatio ſpecialis contra priorum Pontificum Epiſtolas, quæ vel ab illis, vel ad illos ſcriptæ dicuntur aut potius ſupponuntur, quales poſthac occurrent plures, *Launojo* ſæpius fruſtraneam *Bellarmini* & aliorum in earum commendatione operam caſtiganti, lubet hic in anteceſſum præmittere, quæ poſt aliorum, *Baronius* præſertim, & ipſius quoque *Bellarmini*, ſibimet hic, uti & alias non ſemel contradicentis cenſuras, quas cum pluribus aliis contra *Pighium*, *Genebrardum*, *Gretſerum*, *Valentiam*, *Juſtinianum*, & imprimis *Turrianum* collegit *Blondelus* in Pſeudo-Iſidoro, in genere de iis notavit par Scriptorum è Recentioribus, quorum Prior eſt *Petrus de Marcâ*, Archi Epiſcopus non ita pridem Pariſienſis, cujus in libri tertii de *Concordia Sacerdotii & Imperii* capite quinto hæc leguntur verba: *Epiſtolæ illæ apud eruditos viros gravi ſuſpicione laborant, tum ob verborum ſordes, a ſecundi ſeculi, quo datæ leguntur, elegantia & nitore alienas, tum ob ſtyli ſimilitudinem & eundem ſcribendi Characterem, qui in omnibus Epiſtolis obcurrit, ita ut ab uno authore, non autem diverſis Pontificibus, videantur eſſe conſcriptæ. Accedit uſus frequentiſſimus vulgatæ Scripturarum verſionis, unde fit, ut poſt Hieronymi ætatem confectam eſſe neceſſum ſit; deinde & Hieronymo, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum texuit Catalogum, & Innocentio, Leoni, cæteriſque Pontificibus, quorum Epiſtolæ germanæ ad nos pervenerunt, omnino fuerunt incognitæ.* Et libri ſeptimi capite viceſimo: *Certum eſt & omnino indubitatum ex Sententia omnium Virorum Eruditorum, eas veterum Pontificum Epiſtolas in univerſum omnes, quæ tempora Siricii & Innocentii antecedunt, fabricatas fuiſſe ab Iſidoro, (ut non Hiſpalenſi,) quod colligitur non ſolum ex barbarie ſermonis aut inſcientia antiquitatis, ſed etiam ex magno diſcrimine, quod intercedit inter Diſciplinam veteris Eccleſiæ, & eam, quæ in his Epiſtolis continetur: Accedit Dionyſii Exigui authoritas, qui cum in ſua collectione Canonum addiderit Epiſtolas Decretales Romanorum Pontificum, nullam tamen facit mentionem earum, quæ in illa Iſidoriana continentur; ac tametſi Leo & Gelaſius frequenter laudent Epiſtolas ſuorum prædeceſſorum, nullam Iſidorianarum faciunt mentionem.* Alter contra eaſdem teſtis eſt, Chriſtianus Lupus, Doctor Lovanienſis, acerrimus Majeſtatis Pontificiæ defenſor, qui in parte quartâ Notarum ad Synodorum generalium ac provincialium Canones & decreta, cui Deitatis Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi cum Scholiis inſeruit, p. 362. de ſeculi poſt Chriſti aſcenſionem octavi ſtatu in Eccleſia agens, ita de iis ſenſit: *Tunc in Gallia & Germania per Francos, in Hiſpania per Saracenos, in Italia & Illyrico per Longobardos & Græcos admodum vexata ac depreſſa erat Apoſtolicæ ſedis Majeſtas & omnis Eccleſiaſtica jurisdictio, ideoque ad ipſas ſublevandas neſcio quis pius fidelis finxit ſub antiquorum Pontificum Romanorum nomine illas Decretales Epiſtolas, quas paſſim vocamus Collectionem Iſidori Mercatoris; Hic enim ipſas cum aliis mercibus deportavit ex Hiſpania in Gallias; Riculphus (verò) poſt Bonifacium tertius Archi epiſcopus Moguntinus lectas & probatas ſparſit per omnem Franciam; adm, ſitque etiam Eccleſia Romana; ex iis enim plura deſumſit capitula Adrianus primus, eaſdem acerrime defendit ac in praxim redegit Nicolaus primus &c.* Hæc & ſimilia, quæ alii etiam antehâc dudum obſervarunt, ſi accuratius ponderaſſet *Ludovicus Jacobus a S. Carolo*, Carmelitici ordinis ſcriptor, in Bibliothecâ, quam vocari voluit Pontificiam, non tam liberalis fuiſſet circa has Epiſtolas ex authoritate *Turriani* illis attribuendas Pontificibus, quorum nomina præ ſe ferunt, nunquam fortè lectas a ſe, ſed titulo-tenùs ſaltem ſibi cognitas; quam ſuam imperitiam ſatis craſſam hoc præſertim indicio luculenter, ſi ſic loqui licitum eſt, prodidit, dum in ſubjuncto Hæreticorum Elencho, qui adverſùs Pontificem Romanum ſcripſerunt, ſub primâ ſtatim literâ recenſuit *Articulum Alsmacaldum, Germanum, Lutheranum*, qui ediderit librum *de poteſtate & primatu Papæ*. Riſum teneatis amici & inimici.

Vix hæc in chartam erant conjecta, aliud par teſtium in manus venit contra Epiſtolas haſce Decretales Sententiam aperte & cordate ſatis dicentium, hâc occaſione in gratiam lectoris ſtudioſi, vel potius veritatis Hiſtoricæ, cum prioribus producendorum. Prior eorum eſt *Labbeus*, author noviſſimus maximæ collectionis Conciliorum, in quâ dum ob exemplum anteceſſorum, qui ante ipſum ediderant Concilia non auſus eſt prætermittere Decretales, videlicet, ne quid operis pretio & magnitudini decederet, quâ tamen fuit præ aliis pluribus ingenuitate, noluit eas ſine Cenſurâ ſincerior: nudas lectoribus ſiſtere, ſed eis ſimul indicare, quid ſibi & aliis judicio valentibus videatur de iiſdem. Hinc primo ſtatim collectionis Tomo antequàm eas recenſuit, poſt Binii notam generalem, quâ eas contra Magdeburgenſes & Cocum, ſed in vanum, defendere fategit ſequentem ſtricturam vel obſervationem appoſuit: Mirum eſt, viris doctiſſimis, Turriano, Binio & aliis quibuſdam in tantâ eruditionis Eccleſiaſticæ luce probari potuiſſe illas Epiſtolas decretales a quocunque ſeu Mercatore ſeu Peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ urbis Pontificibus circiter annum Epochæ Chriſtianæ octingenteſimum ſuppoſitas. Adeò enim perſpicacibus viris deformes videntur hoc ſaltem tempore, ut nulla arte, nullâ ceruſsâ aut purpuriſſo poſſint fucari. Eas omnes, ſaltem pleraſque earum repudiarunt eruditiſſimi quique tractatores Catholici, Baronius, Bellarminus, Perronius, Contius, Antonius Auguſtinus, Lorinus, Sirmondus, Ducæus, Petavius, Marca, Boſquetus, ut alios modò, ſive antiquiores, ſive recentiores involvam ſilentio. Addit, ſe probare non poſſe ſimplicitatem ἀκάκου novelli cujuſdam hyperaſpiſtæ, qui malâ avi, ex zelo quidem, ſed minus prudenti & conſiderato, certè non ſecundum ſcientiam, eaſdem ab omnibus eruditione præſtantibus abjectas ac penitus repudiatas defendere eſt aggreſſus. Poſt ſubjunctam Baronii authoritatem lectori etiam exhibuit integrum caput quintum libri tertii Petri de Marcâ, quem de Concordia Sacerdotii & imperii ſcripſit, unde teſtimonium huc pertinens ſupra fuit adſcriptum. Hæc autem quia *Immanuel Schelſtratenſis*, Doctor Antverpianus, in antiquitate illuſtrata nuper editâ fecit omninò ſua, ipſa nimirum verba Baronii, Bellarmini, Antonii Auguſtini, Marcæ, quin & Lupi Lovanienſis contra has Decretales adducens, poſſet numero teſtium accenſeri, ſi quantitatis hic quidem major, quam qualitatis crederetur efficacia. Accedat ergo teſtis alter, qui propriis videri voluit rationibus authoritatem harum Decretalium impugnaſſe, Scriptor itidem novitius, *Natalis Alexander*, ordinis Prædicatorum, in ſelectis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam diſſertationibus nuper editis, primo ſtatim ſeculo peculiarem inſerens digreſſionem de hoc argumento, unde præcipua quædam capita hic legi merentur. Statuit autem cum antecedentibus, Epiſtolas haſce ſuppoſititias eſſe, idque his rationibus: Primò, quia Scripturam ſacram frequenter uſurpant ſecundum vulgatam Verſionem à S. Hieronymo (ex communi opinione) adornatam. Secundò, quia nullus author Eccleſiaſticus ante ſeculum nonum illas vel nominavit quidem, certe, non Hieronymus in Catalogo ſcriptorum, non Siricius, non Innocentius, non Leo M. non alii Pontifices, nec ullum ex octo prioribus Conciliis univerſalibus, nec etiam Photius, vir immenſæ lectionis in Bibliothecâ. Tertiò, quia argumentum earum non convenit primis Eccleſiæ Seculis, quibus vixerunt Siricii anteceſſores; non enim impugnant hæreticos illorum temporum, imò, ne nominant quidem, nec ullum habent verbum de perſecutionibus contra Eccleſiam excitatis, de Confeſſorum conſolatione & Exhortatione ad Martyrium, uti etiam delapſis. Certè, ſi conferatur harum Epiſtolarum materia cum argumentis, de quibus agunt aliorum Epiſcoporum Epiſtolæ, opera Sanctorum Patrum, Decreta Conciliorum, quæ ſuperſunt ex quatuor primis Eccleſiæ ſeculis ad uſque Siricium, nemo non intelliget, quam parùm conveniat Eccleſiæ naſcentis ætati harum Epiſtolarum materia. Quartò, quia compilatæ ſunt ex Epiſtolis, operibus & Decretis Pontificum poſteriorum, uti & Patrum atque Conciliorum ſequentium, quod dicit accuratè Blondellum

dellum in Pſeudo-Iſidoro demonſtraſſe, atque Vindicias Turriani pro hiſce Epiſtolis funditus evertiſſe, quod teſtimonium auro clarius venit æſtimandum. Addit, nullius eſſe momenti Pſeudo-Criticorum quorundam exceptionem, reſpondentium, Patres, Pontificis, Concilia temporum ſequentium plurima ex fontibus harum Epiſtolarum hauſiſſe, adeòque mirum non eſſe, quod eædem plerumquè Sententiæ legantur in Monumentis illorum, ac in hiſce Epiſtolis.

Nam, inquit, ſi Patres &c. Dictas deflorâſſent Epiſtolas, Authores earum nominaſſent interdùm honoris cauſâ, ſicut alios nominârunt quorum uſurparunt dicta, ac teſtimoniis eorum & authoritate hæreticos obruiſſent, nunquam denique revocaſſent in dubium id, quod tot Decretalibus ab Apoſtolorum ætate fuiſſet conſtitutum. Igitur longè probabilius eſt, harum Epiſtolarum conſarcinatorem eſſe plagii turpiſſimi reum, quod Patrum &c. Poſteriorum dicta exſcripſerit & alienis vulgaverit nominibus. Præterea, quæ exinde leguntur in hiſce Epiſtolis, cum cæteris partibus non cohærent, nec illarum ſtylo conveniunt, quod indicium eſt maniteſtiſſimum, illa priſcis Decretalibus malè adſuta fuiſſe. Quintò, quia omnes fere Decretales falſis temporum Conſulatuumque notis ſunt conſignatæ, ut nemo non videt, Tatianus verò in oratione adverſus Græcos præclarè ſcripſit, ubi temporum ratio non cohæret, ibi ne quidem Hiſtoriam eſſe veram poſſe. Sextò, quia in his Epiſtolis idem ſtylus, idemque ſcribendi character occurrit, quod evidens eſt argumentum, eas ab uno Authore, non a diverſis Pontificibus eſſe ſcriptas. Quâ enim ratione fieri potuiſſet, ut tot Pontifices diverſis temporibus eoſdem dictionis characteres ſervaſſent, eundemque ſtylum affectaſſent. Septimò, quia inſuper ſermone Barbaro & ſordido ſunt conſcriptæ, & à priorum Seculorum elegantia & latinitate purâ prorſus alienæ. Quis enim ſibi perſuadeat, priſcos Pontifices latinius & elegantius non eſſe locutos, quam homines ex imâ plebis fæce, quam agaſones, coquos & hortulanos, cùm ipſi & plerumque inſignes Nobilitate, & ſemper ſtudiis doctrinaque non vulgari exculti univerſæ præficerentur Eccleſiæ? Verùm hæc ſufficiant: plura legantur in loco, ubi ad varias objectiones reſpondetur prolixiſſimè. *Conf. le Comte Annal. Eccleſ. T.* VI. *p.* 265. Ubi Cardinalis Bonæ teſtimonium ex liturgicis commendatur.

Bellarminus, *ibid.*

EX *eodem Matthæi loco, de eodem quoque argumento adhuc agens ſic ſcribit: Eraſmus in hunc locum miratur aliquos fuiſſe, qui eum ad Pontificem Romanum detorſerint, nititurque excuſare* Cyprianum *&* Hieronymum, *quod dixerint, ſuper Petrum fundatam eſſe Eccleſiam, quaſi hoc ſit paradoxum inauditum, cùm tamen omnes Patres id doceant.*

Launojus, *ibid. p.* 54. *& ſeq.*

HÆc Bellarmini verba citans, obſervat, *Eum fuiſſe fucum, cum ſic ſcripſit*, addens: *Niſi Author iſte mentiatur ἐυτρεπιστως ἐνδελεχῶς nemo mentietur unquam.* Provocat inſuper ad ſuam in laudatâ ſuperius Epiſtolâ Deductionem, quam contra *Bellarminum* eodem Dicto libri quarti de Pontifice Romano capite tertio abutentem ſuſcepit, quatuor colligens antiquorum hujus Dicti expoſitiones, & quidem in ſecundâ multorum Patrum, *qui fundatam eſſe ſuper Apoſtolos, non ſuper unum tantummodo Petrum, tradiderunt Eccleſiam*, in tertia Patrum adhuc longè plurium, *qui ſupra fidem, quam confeſſus eſt Petrus, Eccleſiam eſſe ædificatam affirmarunt*, in quartâ egregiorum itidem Patrum, *a quibus memoriæ proditum eſt, ædificatam eſſe Eccleſiam ſuper Chriſtum*, quæ omnia ſuo tempore & lòco exhibebuntur. Subjungit Launojus, *Bellarminum hanc expoſitionem quartam*,

Digitized by Google

rus, generalem præmittit querelam contra Launojum, quod octo libris Epiſtolarum, quamvis *Viri Eruditi* Elogium ei denegare non audeat, Tractatus Bellarmini de *Pontifice & Conciliis* refellat, hoc autem in labore ponat non nulla, quæ & ſummos Eccleſiæ Pontifices, & complures Catholicos Doctores graviter offenderunt, inter alia attingens cuncta S. Scripturæ loca, ex quibus cum Bellarmino omnes Catholici privatum Petri Succeſſorumque Pontificum Romanorum huculque deduxerunt, id quod mirum exiſtimat poſſe videri & acerbiori reſponſo dignum, videlicet à Doctore Catholico impugnari fundamentum primatus Pontificii è locis Scripturæ, quæ à ſuis incunabulis uſurpare, & contra impugnantes urgere conſuevit Eccleſia, addito hoc promiſſo, ſe ſtylo non contentioſo, ſed familiari pro Veritatis elucidatione contra Launojum velle procedere. Hiſce præmiſſis poſtquam ex laudata Launoji Epiſtola obſervavit, tum ultra Bellarmini ad locum Matthæi de Petrâ ſuper quam ædificata dicitur Eccleſia, Sententiam de Petro, ſuper quem unice Eccleſiam putavit ædificatam, tres alias adduxiſſe interpretationes, quarum mentio jam facta fuit, ac Bellarminum ſimul inſimulaſſe, quod non ſolummodò primam & ſecundam Patrum expoſitionem hæreticis, ſed tertiam quoque Luthero & Centuriatoribus adſcribat, cùm tamen pro eâ faciat unanimis Patrum conſenſus, ita porrò ſcribit: Videri poſſet, hanc Doctoris Pariſienſis incuſationem non carere nodis, neque careret, ſi Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus ita ſimpliciter expoſitiones illas hæreticis adſcripſiſſet, *ut nullo ſenſu Catholicis attribui profeſſus eſſet*. Verùm, cum iidem Patres nunc unam, nunc alias expoſitiones admittant, & ſic eas ſe invicem compati luce clarius demonſtrarint, hæretici verò ita particularem loci interpretationem urgeant, ut omnes alias excludant, *potuit* Bellarminus expoſitiones ab hæreticis admiſſas eatenus rejicere, quatenus per illas conati fuerunt noſtram & communem Catholicorum de ædificatâ ſuper Petrum Eccleſia abjudicare. Actum de cætero putat Doctor Antverpienſis ſe acturum, ſi, quod ſæpius à Doctoribus Catholicis æſtimat eſſe præſtitum, exhibitas à Launojo Patrum expoſitiones ſine præjudicio ejus, quam communem vocat Catholicorum, demonſtrare vellet intelligendas. In ſpecie autem, ne plane nihil videatur agere, ad duo teſtimonia ex numero plus quam quadraginta aliquid reponere conatur: & quidem primò ad teſtimonium *Innocentii* Pontificis hoc nomine tertii, cui alia fatetur ſimilia, Eccleſiam ſupra Chriſtum eſſe ædificatam ſtatuentis, quod neminem unquam fidelium negaſſe, profitentium ultrò, Chriſtum eſſe *primarium* Eccleſiæ fundamentum, & cum eodem Innocentio Petrum agnoſcere ſecundarium ab artifice Chriſto ſuperſtructum; ad *Hieronymi* autem, qui ex Scripturis deduxerat, omnes Apoſtolos eſſe fundamenta Eccleſiæ, eundem fateri quoque, Petrum eſſe fundamentum *principale*, quia conſtitutus fuerit *caput* Eccleſiæ & ordinarius Chriſti in terris Vicarius, quia & alibi conſtanter aſſerere, Eccleſiam ſuper Petrum eſſe ædificatam, quam expoſitionem utpote Chriſti intento & Eccleſiæ menti conformiorem eſſe eâ, quæ docet, ſupra Petri fidem eſſe fundatam, ubi è Textu Syriaco, teſtimoniis Patrum & quorundam Conciliorum, exiſtimavit ſe ſufficienter demonſtraſſe, ſolam monuit difficultatem videri poſſe, qualiter poſſent conciliari Patres illi, qui ſupra fidem Petri fundatam interpretantur Eccleſiam, quos ſano ſenſu admitti poſſe jam ante largitus eſt, atque laudata Cardinalis *Perronii* Sententia ſtatuit dici poſſe, Fidem & Confeſſionem Petri eſſe fundamentum Eccleſiæ *eſſentialiter*, Petrum verò *formaliter*, adeò, ut una interpretatio aliam non excludat, ſed potius ſupponat & compatiatur, ſicut neceſſario dicendum ſit de mente Patrum, qui utramque diverſis in locis tradant & exhibeant, quod nunquam facturi fuiſſent, ſi unam cum alterius excluſione tradere voluiſſent. Pergit Antverpienſis Doctor, quod ſi ulterius quæras, cur Patres Eccleſiam ſuper Fidem Petri toties ſcripſerint ædificatam, in promtu rationem addere *Perronium* ex ortu hæreſis Arianæ, quæ dum negabat Filii Divinitatem, inquit, ubi Confeſſio Petri eam ita lucide prædicavit, Patres poſt Concilium Nicenum cœpiſſe hunc locum urgere contra Arianos, dicendo, iſtam Petri Confeſſionem eſſe

funda-

fundamentum Ecclesiæ. Atque sic patere putat rationem, cur ante Concilium Nicenum & Arii hæresin Patres unanimiter tradiderunt, fundatam supra Petrum esse Ecclesiam, post ortam verò hæresin Arii nunc supra Petrum, nunc super Petri fidem exposuerint fundatam, quod scilicet posteriorem de fide Petri urgerent contra Arianos, & priorem de ipso Petro sese tanquam indubitatam retinere ostenderent cum antiquioribus Ecclesiæ Patribus.

Breves pro Launoii Sententia Vindiciæ.

IN genere & quasi in antecessum facile credi potest, eos, qui hactenus coacta fide primatum Romani Pontificis sunt amplexi, ac pro ejus authoritate tanquam non modò pro Aris, sed Focis etiam pertinaciter pugnarunt, aulæ nimirum Romanæ sectatores, & quicunque ad ejus ignem incaluerunt, non nisi ægrius ferre in *Launojo* stylí libertatem potuisse, ns in Gallia contra Majestatem Pontificiam hypothesibus noviter resuscitatis, quæ antehac non parum negotii fecerant Gnathonicus. Verùm plurimæ debentur gratiæ Launojo, quod sepolto omni respectu humano eam in publicam reproduxit lucem, quæ ex antiquis & recentioribus Ecclesiæ documentis multo sudore collecta Veritati existimavit esse consentanea applaudentibus non paucis in Gallia Celebrioribus Viris, quorum nomina Epistolis præfixit, id minimè passuris, nisi Sententiam ejus fuissent amplexi, pleriique ansam ad hoc genus Scriptionis Authori celeberrimo præbentibus. Majores autem debentur Deo gratiæ, quod his etiam temporibus tam illustrem Veritatis Evangelico-Catholicæ Testem & Confessorem ingenuum vivere voluerit, qui eundem è Scriptura errorem Papa tui liberiore penna exprobraret, ob quam debito castigatum Elencho Lutherus antehac à Pontifice anathemati fuit subjectus, ac hodiernum cuncti vestigia ejusdem prementes per Bullam Cœnæ non Dominicæ sed tyrannicæ, quotannis excommunicantur, fulmine tamen per Dei gratiam non nisi bruto, atque ad ipsos ejaculatores redeunte. Benè est autem, quod Doctor hic Antverpiensis Launojo *Viri Eruditi* Elogium adscripsit, id non facturus, nisi veritatis amor ei in conscientia victo etsi forsitan invito, hoc expressisset. Non vero tantum in octo libris Epistolarum varios Romani Papatus errores liberè perstrinxit, sed etiam aliis quoq; tractatibus & opusculis eodem animi libertate hoc negotium graviter ursit. Præ cæteris tamen eminent Epistolæ, in quibus ut plurimum se opposuit Bellarmino, & quidem vexatissimas de Pontifice, Ecclesia & Conciliis quæstiones ostendens, quam malè causam in se pessimam defenderit omnium Polemicorum condus & promus, qui à plerisque suorum fuit habitus, ac si omnes controversias deduxisset ad liquidum, ita, ut Papatus post illius Panoplian nullo amplius indigere videatur Promacho. Quamvis autem non pauci Evangelicorum arma ejus potiora valde reddiderunt obtusa, Doctoribus etiam, qui nomen Reformatorum ambiunt, non parum conterentibus, efficacius tamen impeti se, qui partes ejus tuentur, agnoscunt, ab iis, quos communia alia principia secum habere, eusdemque cœtus membra se esse putant. Si quis alius, certè *Gerhardus* noster in Confessione, quam inscripsit non immeriti *Catholicam*, adeò visus fuit exarmasse Bellarminum ut non nisi Sceleton Corporis remanserit; qui vero suppetias ferret post *Gerhardum* Bellarmino, fuit nemo & nullus, nisi quod *Erbermannus* Amesium enervaturus non ita pridem arrodere quidem cœpit Gerhardum, sed dentibus statim ad firmam operis soliditatem obstupescentibus, ut nullum exinde corpori Confessionis laudatæ damnum fuerit illatum. Videlicet potissimum operæ pretium in eo ponunt curiæ Romanensis defensores, cum suis scripta Antagonistarum manibus excutiunt, & lege severissima instar alicujus veneni prohibent, victoriam sibi hac ratione indubiam promittentes. Equidem neque iis inter suos parcunt, quos aliquanto liberius suæ mentis sensa in publicum producere cognoscunt. Hinc ipse Launojus quoque pati debuit, ut nomen suum Indici expurgatorio Romæ insereretur. Verum is adeò

hanc

Digitized by Google

hanc illatam ſibi injuriam impedimento eſſe noluit, ut longè contra audentior & plus ultra in cæpto veritatem defendendi ſtudio pergeret, nihil eorum intermittens, quæ ulla ratione ad ulteriorem ejus illuſtrationem videbantur pertinere. Atque hinc ille Antimachorum lacrymæ & gravamina, quibus commodum ex privata ſtatus ſui ratione videtur, ſedem Pontificiam quocunque etiam modo ſuffulcire, ne omni modo caſui obnoxia reddatur. Hos inter poſt *Lupum* Lovanienſem nuper in aciem prodiit Doctor hic Antverpienſis, tentaturus, numquid obtinere liceat contra Launojum, quem alii plures quidem antehac diverſis in argumentis ſunt hoſtiliter aggreſſi, ſed ut plurimum ſic ab eò excepti, ut acie cedentes redire fuerint obliti. Nunc cum ultimo ceſſit in his fato, permittendum non eſt, ut mortuo Leoni, qui quoad vixit contra quoscunque adverſarios victor manſit vel lupi vel lepores inſultent, obtentamque tanto ſudore gloriam eripiant. Etſi autem videri potuit mirum, quod Bellarmino Pancratiaſtæ Romanenſi opponere ſe fuit auſus, & iis quidem in quæſtionibus controverſis, quæ ipſum Papatus attingunt fundamentum, ea eripiens Bellarmino Scripturæ loca, quibus ſuperædificare primatum ejus laboravit, ne cœco quodam impetu & mera libidine contradicendi id ſuſcepiſſe poſſit accuſari, teſtimoniis & antiquorum & recentiorum Eccleſiæ Doctorum & ſcriptorum pluribus & magna cum copia ſemper ſe munivit, contra eum videl. diſputans, qui ad conſenſum eorum in pleriſque provocavit. Dignus erat labor Viro hoc erudito, & quod rei caput eſt candidæ mentis ingenuo, quantum cadere potuit in hominem extra græmium Eccleſiæ, quam Deus ante hoc ſeſqui ſeculum Lutheri miniſterio è tenebris Papalibus per ſingularem Miſericordiam eduxerat, conſtituto. Quamvis autem non potuerit non iniquioribus intueri oculis hos Viri labores, qui more veſpertilionum in luce meridiana cœci ſunt, nondum tamen illis licuit huic ſplendori tale velamen obducere, ut radii Veritatis non ubique per noctis etiam obſcuritatem tranſlucerent. Doctor certè hic Antverpienſis quidquid conatus eſt, id minime præſtitit, quod minatus videbatur. Præſentem eamque primam in hoc opere quod attinet controverſiam, de Petra, ſuper quam ædificata dicitur Eccleſia, omninò diſſimulare non potuit, videri poſſe, Launoji incuſationem, quam contra Bellarminum inſtituit, *nodis non carere*. Si unum dixiſſet nodum, ſufficere potuiſſet, modo Alexandri gladio fuiſſet ſimul inſtructus. At dum plures poſuit, non parum auxiſſe videtur difficultatem. Verum opera facili eam ſuperavit, dum omnes unico ictu ſolvit nodos, ſtatuens, Bellarminum non ita ſimpliciter diverſas expoſitiones de Petra, prout vel ipſe Chriſtus, vel Fides de Chriſto, vel omnes Apoſtoli ſimul ſubintelliguntur hæreticis adſcripſiſſe, ut nullo ſenſu Catholicis adtribui profeſſus eſſet, ſed cum iidem Patres nunc unam nunc alias admittant expoſitiones, hæretici v. ita particularem loci interpretationem urgeant, ut omnes alias excludant, potuiſſe Bellarminum, expoſitiones ab hæreticis admiſſas eatenus rejicere, quatenus per illas conati fuerunt communem Catholicorum de ædificata ſuper Petrum Eccleſia abjudicare. Num hoc ſit ſolvere an ſecare nodum, an verò implicatum & innexum relinquere judicium eſto penes lectorem. Id interim probe notandum, non ſufficere, ut dicatur, quid potuerit facere Bellarminus, ſed quid debuerit ſecundum leges diſputandi. Sufficit tamen Bellarminum tres laudatas expoſitiones non tantum hæreticis, inter quos Eraſmus primum occupat locum, adſcripſiſſe, ſed ſimul etiam eas rejeciſſe, additis ubique rationibus, ne id fruſtra fuiſſe videatur, & inſuper, quod accedit, eam, quæ Petrum vult eſſe Petram, pro veriſſima habuiſſe, quam pluribus defendere argumentis, & utriuſque Eccleſiæ pariter & Latinæ Doctorum & Patrum teſtimoniis confirmare laboravit; de quibus id porrò venit obſervandum, quod etſi juxta deductionem Launoji videantur eſſe ſenſus diverſiſſimi, non tamen ita ſibimet invicem debeant opponi, tanquam contrarii, ac ſi una expoſitione præpoſitâ cæteræ neceſſariò excludantur, inprimis cum aliqui per Petram intellexerunt Petrum, eo ſenſu dicatur Petrus Eccleſiæ Petra, per quam Chriſtus non modo ſemet ipſum, & fidei de ſua perſona confeſſionem, uti & cæteros Petri Collegas ejuſdem Fidei

Digitized by Google

& confeſſionis per univerſum orbem præcones excluſerit, ſed potius incluſerit, & ſimul ſubintellexerit, quæ Sententia quoque eſt Euangelicorum, ut potiſſimum in explicatione hujus dicti ſoleant reſpicere ipſam Fidei de Perſona Chriſti Confeſſionem per Petrum nomine Apoſtolorum factam, utpote, quæ cæteras includit manifeſtè, quod de ſententia Bellarmini ſolam Petri perſonam reſpicientis dici non poteſt, eo videlicet ſenſu, per quem primatus ſedis Romanæ ſtabilitur, quem tum Chriſto, cum hæc verba locutus eſt ad Petrum planè in mentem non veniſſe certum eſt atque indubium. Mirum de cætero videri poteſt, Doctorem Antverpianum non obſervaſſe contradictionem, quam Lectori propoſuit ubi ex ordine & numero Doctorum Eccleſiæ, quos larga liberalitate ſub diverſis partibus adduxerat Launojus, duos Sententiæ Bellarmini ſtuduit adoptare videlicet Innocentium Pontificem hoc nomine III. & Hieronymum, quorum hic novem ferè ſeculis ante illum vixit, adeoque ob antiquitatem majore gaudet authoritate, niſi Pontificia ſublimitas hic prævalere videatur. Videat autem, quomodo hæc inter ſe velit vel poſſit conciliare, quod dum Innocentius Eccleſiam ſupra Chriſtum dixit ædificatam, cui alios plures agnoſcit conſenſiſſe hocque à neminè fidelium putat negari, ultro profitentium Chriſtum eſſe primarium Eccleſiæ fundamentum & cum eodem Innocentio Petrum agnoſcere ſecundarium ab Artifice Chriſto ſuperſtructum, de Hieronymo autem ſubjungit, quod ex Scripturis deduxerit quidem, omnes Apoſtolos eſſe fundamentum Eccleſiæ, ſed eundem fateri quoque Petrum eſſe fundamentum principale, quia conſtitutus fuerit caput Eccleſiæ & ordinarius Chriſti in terris Vicarius; præterquam quod in Hieronymi verbis, quæ ex primo contra Jovinianum libro adducuntur, id non contineatur facta quidem mentione capitis, verum non eo ſenſu, quaſi Petrus Eccleſiæ caput ſit vel dici poſſit, quem honorem Hieronymus non neſcivit ſoli Chriſto ad monitum Pauli proprium eſſe, ſed quia putavit, Petrum in Collegio Apoſtolorum fuiſſe inſtar capitis, quod nunc quidem in medio relinquimus. Id nunc ſupereſt breviter expediendum, quod Doctor Antverpianus è pharetra Perronii mutuò accepit, ex una nimirum parte diſcrimen illud Scholaſticum, per quod ſtatuit dici poſſe, fidem & Confeſſionem Petri eſſe fundamentum Eccleſiæ cauſaliter, Petrum verò formaliter, quod Logicorum pueris riſum poteſt movere & largiorem cachinnum; ex altera autem parte cauſam, quæ Patres poſt Concilium Nicænum urgere viſa eſt, ut divinitatem Chriſti contra impietatem Arii defendentes ad hanc Petri confeſſionem tanquam Eccleſiæ fundamentum provocarint, quod ſi bene factum debet cenſeri, atque hoc argumento feliciter contra Arium Chriſti hoſtem fuit pugnatum, non video, quâ ratione potuerit Bellarminus hanc de Petri fide & Confeſſione Sententiam, quæ in Patribus Eccleſiæ probatur, in Lutheranis ægrius ferre & rejicere, quod dum notanter monuit Launojus & obſervavit publicè, fecit, quod bonum decuit virum ac ſingulare candoris & ingenuitatis edidit documentum. Eſſent quidem alia, quæ merentur aliquam caſtigationem, ſed quia idem fermè argumentum recurret infra, cætera eo uſque manent dilata, tum uberius diſcutienda.

Bellarminus, *l. cod. c.* 12.

EX *eodem loco acturus de perſonâ, cui à Chriſto claves ſunt datæ, ſtatim ſub initium hæc habet: Tametſi Doctoribus Catholicis ſenſus horum verborum apertiſſimus videatur, tamen adverſarii ita hæc ipſa verba depravant, ut videantur jam eſſe obſcuriſſima. Quis quæſo, ſimpliciter legens,* Beatus es Simon Bar Jona, *& ſtatim,* Tibi dabo claves, *non diceret, Iona filio a Chriſto claves eſſe promiſſas. At nihilominus Lutherus in libro de Poteſtate Papæ, Calvinus, Magdeburgenſes, liber Smalcaldicus* (non, articulus Alſmalcaldus, Germanus, Lutheranus) *de Primatu Papæ, & alii omnes hujus temporis hæretici, nihil peculiare*

cubiare Petro Iona filio volunt esse promissum, sed quidquid hic dicitur, ad totam pertinere Ecclesiam, cujus personam Petrus eo tempore gerebat.

Launojus, *T.* II. *Epist.* V. *p.* 77. *& seq.*

POstquam de subjecto clavium ex antiquis Doctoribus egit prolixissime, ostendens, id non esse personam Petri, sed ipsammet sub personâ Petri Ecclesiam, hanc traditionem *à parum sinceris Bellarmini impetitionibus* susecpit defendendam, in antecessum de hoc suo labore observans, *eo nihil esse facilius*, hoc insuper addito, *Authoris verba simpliciter* (tantùm) *referre*, *(idem esse) ac simpliciter confutare, usque adeo Veritati & æquitati ea adversari.* Hæc autem ubi adduxit, referens ex eodem Synodi, ut vocat, Smalcaldicæ sententiam, statuentis, *Claves principaliter & immediatè Ecclesiæ datas esse*, subjuxit, *hanc esse Parisiensium Sententiam, per traditionem à Sanctis Patribus*, quos in antecedentibus longâ serie recensuit, *derivatam, & illorum articulis definitam*, cùm Lutherus in Germania furere per mortem desierat, (NB. condonandum est aliquid Authori suis hypothesibus innixo) & Calvinus in Gallia furebat, Magdeburgenses bacchabantur, cùm *Martinus Navarrus* in cap. Novit. de Judic. not. III. num. LXXXIV. ait: *Non est consilium, in præsentia definire, cui principaliter Ecclesia potestas fuerit à Christo collata, an toti Ecclesiæ, an verò ipse Petro, per illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium.* Monuimus alibi, sic porrò Launojus, Romanorum nomine Sedem Apostolicam intelligi, sed Sedis Apostolicæ Doctores non nullos, similes iis, quibus fidem non semper habendam esse Pius II. (Æneas Sylvius) ad Carolum VII. Galliæ regem Epist. CCCLXXIV. scripsit: *Unum à te petimus, charissime Fili, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ non semper credas*, (sed) *multa illorum passionibus tribuas.* Hac in parte Sedes Apostolica est nostra. Sed Bellarminus, ut suæ Doctrinæ novitatem multet, & Parisiensium Sententiam tacitus infamet, Gorgoneique capitis adspectu horribiliorem efficiat, illam adscribit hominibus, qui seorsim à nobis per Religionem sentiunt. Heu prisca Christianorum integritas & simplicitas, *apud quos ex fide persona, non ex persona fides probatur*, ut ait Tertullianus in libri de Præscript. hæret. cap. 3. Bellarminus hoc pacto exciperet Stephanum Pontificem Romanum, qui collatum ab hæreticis Baptismum & hac ratione admittebat apud Cyprianum: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi* (fortè, in id) *quod traditum est, ut manus illis imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientis non baptizent, sed communicent tantum.* Bellarminus hoc pacto exciperet Hieronymum & Theodoretum, qui in interpretandis scripturis Theodotionem, Symmachum & Aquilam subinde laudant & sequuntur. Bellarminus hoc pacto exciperet sextam Synodum, quæ consentientes Catholicis Tractatoribus hæreticos in medium prius adducit, quam fidei definitionem conscribat. An Vetus Testamentum repudiabimus, quia Judæi illud recipiunt, & novum abjiciunt? An Matthæi vel Johannis Evangelium procul amandabimus, quia Lutherus, Calvinus, Magdeburgenses illud amplectuntur? Cùm igitur Smalcaldica Synodus id de clavibus Ecclesiæ, quod Bellarminus refert, tradit, Catholice sentit omninò, sed extra Catholicam (Romanam debuit scribere) Ecclesiam, quod improbandum & dolendum est. Si autem, ex quo certum quoddam Dogma Catholicorum per hæreticorum codices & os pervasit, illud hæreticum fieri Bellarminus credit, perperam credit, & Catholicam offendit Ecclesiam, quæ hodieque collatum ab hæreticis baptismum recipit. *Deinde*, Bellarminus dissimulat illa omnia P. Augustini testimonia, quæ suo recensuimus loco, ut eo prioribus Ecclesiæ Tractatoribus intelligendis facem præferemus. Non nulla tamen Doctoris Sancti refert testimonia, & hæc minus expressa, & sæpius truncata, quò hæc facilius excogitatas in velatica *Turrecremata & Cajetani* Academia distinctiones admittant. Cùm omnia

Auguſtini loca diligenter leguntur & conferuntur inter ſeſe, ſuâ ſponte modus obcurrit, quo Pater ſanctiſſimus intelligit, Petrum geſtâſſe perſonam Eccleſiæ, cum à Chriſto claves accepit. Sed Bellarminus collatorum inter ſeſe locorum ſplendorem ferre non poteſt, tenebras quærit in duobus adverbiis, *Hiſtorice Parabolice*, quibus á Petro tantum Eccleſiæ perſona geſtaretur, & à Petro hiſtoricè perſonam Eccleſiæ geſtatam eſſe recipit; quo nihil eſt à B. Auguſtini & cæterorum Patrum mente alienius. Non negamus, Lutherum abuſum eſſe & potuiſſe (NB. ultimum hoc juxta Germanorum largiamur Proverbium) abuti teſtimoniis Auguſtini; ſed error iſte alio errore corrigendus non eſt, ſic (enim) multiplicaretur, non tolleretur. *Chriſtophorus Marcellus*, (Coregrenſis Archi Epiſcopus, qui ante Bellarminum claruit, abutenti quibuſdam Auguſtini locis Luthero (uti quidem videbatur) ita reſtitit, ut Catholicorum Dogma reliquerit intactum. Verba è lib. I. de authoritate Summi Pontificis contra Lutherum cap. 7. Sect. I. ſunt ſequentia: *Eodem etiam modo ipſemet Auguſtinus in libello de Doctrina Chriſtiana eſt exponendus, ubi quo pacto claves Eccleſiæ, quæ corpus Chriſti myſticum adpellatur & ſponſa, ſunt traditæ, nequaquam exprimit, ſed de ipſâ in ſe, ut ſolvendi ligandique authoritatem habuerit, loquitur, tum vero claves, ſi debeant exercere, non ab Eccleſia in ſe, ſed à ſpecialibus habeantur hominibus oporteat.* Bellarminus contra Lutheri errorem (ſi quis eſt) non corrigit, ſed Auguſtini Doctrinam, quâ Lutherus abutitur (imò utitur non niſi optime) in ejuſdem Lutheri & Calvini os intrudit, ut indè quod eat virulenta, & de hæreticorum nomine ac origine cenſeatur *ô Conſilium perverſum!* Profectò mihi nunquam perſuadebit, hoc Artificii genere defenſum iri Eccleſiam, vel Auguſtinum tractari liberaliter, cum ſtrina illius invidioſa redditur, quod eâ hæretici vel utantur vel abutantur. Tum Bellar- Dominus non parum impingit in Fidei Tridentinæ regulam ſeu Profeſſionem, quâ tenetur quisque Scripturam S. juxta Patrum unanimem conſenſum accipere & interpretari: *Item Scripturam S. juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta Patrum unanimem conſenſum accipiam & interpretabor.* Sacramentum hoc inſuper habet Bellarminus, nec Matthæi locum, *Tibi dabo claves*, accipit & interpretatur, ſicut plerique Patres à nobis recenſiti accipiunt & interpretantur; quin etiam è tantâ nube Patrum ne duos quidem adfert, qui locum accipiant, ut in illius opinione accipiendus eſt. Tum demum, ſi quando certa quædam edit teſtimonia Patrum, hæc ad Sacrorum Canonum normam & ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Solem expoſita diffugiunt, & Authori ſuo vehementer incommodant.

Adpendix.

HUc poteſt referri tertia quarte, Partis Epiſtola, inquâ Launojus agit contra Alexandrum Pontificem hujus nominis ſeptimum, qui ante hos viginti, & quod excedit Annos ad Henricum Andegavenſem Epiſcopum miſit Decretum Congregationis Inquiſitorum à ſe probatum, quod inter alia hæc etiam habet verba: *Ad Sedem Apoſtolicam duntaxat pertinere, Controverſias Fidei & Morum Eccleſiæ univerſalis definire.* Novitio huic lemmati, ſcribit Launojus reſiſtit Eccleſiæ Romanæ traditio, quæ ab ipſomet primo illius Antiſtite (ſecundum vulgarem opinionem ſcilicet) derivatur. Inquiſitores namque non negabunt, Petrum fuiſſe primum Eccleſiæ Romanæ Antiſtitem, qui in Actuum Apoſtolicorum capite poſt decimum quinto ſibi non ſumſit, quod alii ſucceſſoribus Petri & ſedi Apoſtolicæ in hoc adſcribunt Decreto. Locum ex Actibus Apoſtolicis citatum fortè nunquam legerunt Inquiſitores, aut, ſi legerunt, ad Fidei Tridentinæ Regulam non expenderunt. Tum ubi ex laudato capite integrum deſcripſit Launojus, hæc porrò ſubjunxit: Ecce primum Eccleſiæ Concilium, in quo de rebus ad mores Chriſtianorum ſpectan-

Anti-Reformation, die Gegen-Reformation, Bezeichnung für die Bestrebungen der katholischen Kirche, durch Wiederherstellung ihrer Einheit und Macht den Fortschritten der Reformation Einhalt zu thun. Diese Bestrebungen gingen von Spanien aus, wo sie durch Ximenes, Ferdinand den Katholischen und Karl V. ins Leben gerufen wurden, und wurden in Deutschland durch Ferdinand I. und Maximilian II. fortgesetzt. Sie bestanden in der Errichtung neuer Bisthümer, in der Wiederherstellung der Klöster, in der Gründung neuer Orden, besonders der Jesuiten, in der Einführung der Inquisition, in der Abhaltung des Concils von Trient, in der Herausgabe des Index librorum prohibitorum, in der Verfolgung der Ketzer und in der Unterdrückung der Reformation in den Ländern, wo sie bereits Eingang gefunden hatte. Die Anti-Reformation hatte in Spanien, Italien, Polen, Ungarn, Böhmen, Mähren, Tirol, Steiermark, Kärnthen, Krain, Baiern, Oesterreich, Salzburg, Fulda, Paderborn, Münster, Köln, Trier, Mainz, Würzburg, Bamberg, Speier, Augsburg, Eichstädt, Passau, Regensburg, Freising, Brixen, Trient, Chur, Konstanz, Basel, Lüttich, Cambrai, Utrecht, Mecheln, Arras, Tournay, Ypern, Brügge, Gent und einem Theile von Brabant, Limburg, Luxemburg, Namur, Hennegau, Artois, Flandern, Elsaß, Lothringen, Franche-Comté, Savoyen, Piemont, Nizza, Genua, Lucca, Toscana, Modena, Parma, Piacenza, Bologna, Ferrara, Romagna, Umbrien, Marken, Neapel, Sicilien, Malta, Sardinien, Corsika, Portugal, Algarve, Madeira, Azoren, Canarien, Cap Verde, Spanisch-Amerika, Portugiesisch-Amerika, Spanisch-Asien, Portugiesisch-Asien, Spanisch-Afrika, Portugiesisch-Afrika, Spanisch-Australien, Portugiesisch-Australien, Irland, Schottland, Frankreich

geſimam ſecundâ ad Stephanum ſcriptâ, ſi illud ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertineret? An non Stephanus acceptis Cypriani literis eum inculaſſet arrogantiæ, quod in Sedis Apoſtolicæ prærogativam involaret? Sed Stephanus nuſquam id fecit, etiam, cum vel maximè videretur faciendum, nempè cum illa Quæſtio, de quâ Cyprianus ſcripſit ad Stephanum, illos inter ſe acerrimè commiſſos diu tenuerit. Sequitur Julius Pontifex hoc nomine primus in Epiſtolâ ad orientales ſcripta, in qua de aliorum Epiſcoporum ſententia perinde loquitur atque de ſua, & eam omnium communem eſſe ſcribit, quo nihil & Inquiſitorum adſertioni magis contrarium. Porro liberius, poſtquam ſuis ad Conſtantium Imperatorem literis hanc adhibuit præmunitionem, teſtatus, ſecutum ſe morem ordinemque Majorum nihil addidiſſe Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſum eſſe, rogavit Imperatorem, ut Synodum Epiſcoporum fieri permitteret. At paſſus eſſet minui Epiſcopatum urbis Romæ, ſi controverſiam à Concilio dirimi curaſſet, cujus deciſio Inquiſitoribus hiſce indicibus ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertineret. Quis enim unquam vidit ullum Pontificem Romanum Epiſcopos aliarum Sedium in juris partem vocare, quod maximè Sedi Apoſtolicæ proprium eſſet? Sic Damaſus quoque hanc Inquiſitorum adſertionem illuſtri perculit Exemplo. Cum enim Synodus Cæſarauguſtana damnavit Priſcillianum, hic autem confugit ad Damaſum, Damaſus eum rejecit, tantum abeſt, ut admitteret vel conquereretur de Synodo, quod Sedis Apoſtolicæ Juriſdictionem invaſiſſet. Memorat hoc Sulpitius Severus in ſecundo Hiſtoriæ Sacræ libro. Inſuper circa finem ſeculi poſt Chriſtum quarti in Synodo Capuenſi de Bonoſo Macedoniæ Epiſcopo, qui Beatam Virginem Mariam poſt partum non fuiſſe Virginem docuerat. Bonoſus ad Capuenſem defertur Synodum, quæ hujus in judicium Anyſio Theſſalonicenſi & quibuſdam aliis Macedoniæ Epiſcopis committit. Hi judices à Synodo delegati ſcribunt ad Siricium Pontificem, ejuſve de negotio hoc gravi rogant Sententiam, quâ ſcilicet præmuniti opus injunctum perficiant & facilius & ſecurius. Pontifex ad illos reſcribit ac reſpondet, formam indicandi competere ſibi non poſſe, quod jam Synodus Capuenſis illis dirimendæ hujus controverſiæ dediſſet provinciam. Hanc autem reſcripſiſſet Siricius Pontifex, ſi ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertineret, controverſias Fidei & Morum Eccleſiæ univerſalis definire? Si vero Inquiſitores Siricinæ erraſſe ferant præ ſe, quid fiet de illorum propoſitione? Nam ſi errare poterit is, qui Sedi Apoſtolicæ præſidet, errare poterit etiam ipſa Sedes Apoſtolica, ſi eadem ſit eum illius præſide, uti quidam Adſentatores ignoranter exiſtimant. Sic Inquiſitores conſtringuntur, qui nullo poſſunt conſtringi negotio, quia ad vulgus pertinent imperitorum. Plus ultra, Innocentius hoc nomine primus in ſuis ad clerum Conſtantinopolitanum literis apud Soſomenum ea ſcribit, quæ Inquiſitoribus elidunt fauces. Agitur in eâ de Johannis Chryſoſtomi vexatione, contra quam Innocentius neceſſariam eſſe putavit cognitionem Synodicam, id non ſcripturus, ſi eum Schola Inquiſitorum aluiſſet, ſed potius contrarium, ipſe adhibiturus remedium. Sed ne ſint iſta, idem Pontifex in Synodo Carthaginenſi & Milevitana jus decidendarum Fidei controverſiarum agnoſcit, quod poteſt ex literis, quas ad Synodi Milevitanæ Patres reſcripſit, Inquiſitoribus aut non viſas, aut contemtas, dignis ob id ipſum, qui contemnantur. Accedit lex primus, qui multis in locis & eventibus ab his Inquiſitoribus mirum, quantum diſſidet. Duo ſufficiant loca omni luce ſplendidiora. Prior & Epiſtola ejus nona ad Theodoſium Imperatorem, in qua non conqueritur de Flaviano Conſtantinopolitano, quod in damnanda Eutychetis hæreſi anthoritatem Sedis Apoſtolicæ uſurpaverit, ac ſe neſcio Concilium congregarit, in quo hæreſis illa fuit damnata. Quis vero dicet, niſi demens, Leonem non conquerendo errare. Et quamvis Flavianus Leoni perſuadere fuit conatus, non aliud Concilium eſſe habendum præter id, quod jam habuerat, ac ſufficere, ſi Leonis ad ea, quæ ſunt geſta, conſenſus adcedat, Leo autem perſuadere non potuit, minimè tamen id negotium ad ſolius Apoſtolicæ Sedis judicium pertrahere labo-

laboravit, quod Inquiſitores requirunt, ſed Concilium generale cenſuit eſſe neceſſarium, atque ut illud celebraretur, Imperatori ſubmiſſè ſupplicavit. Quorſum verò hæc omnia, ſi ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertinet controverſias Fidei & morum Eccleſiæ univerſalis definire? Dicentne Inquiſitores, Leonem, quod ſuum eſt, non defendere, ſed juri Sedis Apoſtolicæ prævaricari? Si dicant, nulli ſunt; ſi non dicant, capti. Quidquid autem id eſt, Inquiſitores publicæ Epiſcoporum cauſæ ſunt prævaricatores. Poſterior locus eſt ex Epiſtola poſt viceſimam quinta, quam Leo & ſuo & Romanæ Synodi nomine ſcripſit ad eundem Theodoſium. Sanè, niſi adſertio Inquiſitorum, de qua hactenus, putidum eſſet mendacium, non abs re crederetur Leo Pontifex Sedis Apoſtolicæ jura minuiſſe, qui ea auxiſſe & minus benè in eam Sedem adfectis creditur. Nam ad mentem Inquiſitorum (ſi tamen mens illis eſt) Leo Sedis Romanæ jura minuit; cum omni ope ac ſtudio conniſus eſt, ut Synodus cogeretur Epheſina, id eſt, ut, quod Sedi huic proprium eſt maximè, cum Epiſcopis Sedium aliarum communicaretur. Poſteà cum Synodus hæc evaſit in prædatorium, illa adhuc magis minuit jura, poſtulans ab Imperatore, ut omnia in eo ſtatu jubeat manere, in quo ante judicium omne faciunt, donec major ex orbe toto numerus Sacerdotum congregaretur. Scilicet, quod Inquiſitores turpiter ignorant, probè noverat Leo, nempè, deciſionem controverſiarum Fidei & Morum Eccleſiæ univerſalis non uni tantum Romano Pontifici, ſed etiam cæteris omnibus Epiſcopis convenire. Legant autem Inquiſitores quoque Epiſtolam ejus decimam & quintam ad ipſam Synodum Epheſinam, percurrant Epiſtolam ejus quinquageſimam ad Marcianum Imperatorem, conjiciant oculos denique in Epiſtolam ejus ſexageſimam & tertiam, quam ad Theodoretum miſit poſt Synodum Calchedonenſem, & videant Leonem in Domino gloriantem, quod illud Concilium confirmaverit ſuam Definitionem. Apage hinc peſtilentem Inquiſitorum adſertionem, qua Leonis Sanctitas polluitur, & Sedis, quæ verè eſt Apoſtolica, traditio labefactatur. Succedat Vigilius, qui Synodo quintæ, quam judicaverat eſſe neceſſariam, ideò noluit intereſſe, quia Epiſcoporum occidentalium numerus numero Orientalium non adæquaretur, quod ipſe tradit in Conſtituto, ac de eo refertur in Synodi collatione ſecundâ. At Vigilius quæſtionem, de qua inter ipſum & Iuſtinianum agebatur, ad Synodum generalem remittere non debuit, ſi vera eſt adſertio Inquiſitorum; & futilis inſuper ac vana eſſet ratio Vigilii, ob quam huic Synodo noluit intereſſe, ſi hæc valeret adſertio. Solus quippè poterat controverſiam dirimere juxta eam. Sed ita confundimus Vigilium cum Sede Apoſtolica, inquit Launojus, quia philoſophamur ad mentem Inquiſitorum & hodiernorum Curiæ adulatricis Magiſtrorum, qui Pontificem Romanum & Sedem Apoſtolicam dici ἀσυνήθως inſcitè nugantur. Ita Gregorius III. libri quarti Epiſtola poſt triceſimam octava Eccleſiam, non Sedem Apoſtolicam pro ultimo in Controverſiis remedio commendat, in libri quoque ſecundi Epiſtola poſt viceſimam nona ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Mediolanenſis ſcribit: *Sicut ab aliis noſtra exigimus, ita ſingulis ſua ſervamus jura.* Martinus quoque Pontifex hoc nomine primus in Epiſtola quadam hortatur Amandum Trajectenſem Epiſcopum, ut Synodum Romanam adverſus hæreticos celebratam confirment Antiſtites Gallicani. Nicolaus etiam primus rem hanc contra Inquiſitores decidit in Epiſtola poſt viceſimam ſeptima ad Ludovicum & Carolum Calvum ſcripta, monens neceſſarium eſſe Concilium, quod intenderat tum congregare, & ſe quæ decernenda forent, conſenſu Epiſcoporum Concilii decreturum eſſe. Eadem ſcribunt Johannes octavus in Epiſtola poſt ducenteſimam viceſima ad Romanum Archi Epiſcopum Ravenhatenſem, Gregorius ſeptimus libri primi Epiſtola poſt quadrageſimam ſecunda ad Sichardum Aquilegienſem Epiſcopum, Urbanus ſecundus in Epiſtolâ ad Benedictum Abbatem, quam exhibet quartus Galliæ Chriſtianæ Tomus; Gelaſius prætereà ſecundus in primâ ad Archi Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Clericos & Principes Galliæ, Innocentius ſecundus in Epiſtolâ ad Concilium

Seno-

geſimam ſecundâ ad Stephanum ſcriptâ, ſi illud ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertineret? An non Stephanus acceptis Cypriani literis eum inculâſſet arrogantiæ, quod in Sedis Apoſtolicæ prærogativam involaret? Sed Stephanus nuſquam id fecit, etiam, cum vel maximè videretur faciendum, nempè cum illa Quæſtio, de quâ Cyprianus ſcripſit ad Stephanum, illos inter ſe acerrimè commiſſos diu tenuerit. Sequitur Julius Pontifex hoc nomine primus in Epiſtolâ ad orientales ſcripta, in qua de aliorum Epiſcoporum ſententia perinde loquitur atque de ſua, & eam omnium communem eſſe ſcribit, quo nihil & Inquiſitorum adſertioni magis contrarium. Porro liberius, poſtquam ſuis ad Conſtantium Imperatorem literis hanc adhibuit præmunitionem, teſtatus, ſecutum ſe morem ordinemque Majorum nihil addidiſſe Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſum eſſe, rogavit Imperatorem, ut Synodum Epiſcoporum fieri permitteret. At paſſus eſſet minui Epiſcopatum urbis Romæ, ſi controverſiam à Concilio dirimi curaſſet, cujus deciſio Inquiſitoribus hiſce indicibus ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertineret. Quis enim unquam vidit ullum Pontificem Romanum Epiſcopos aliarum Sedium in juris partem vocare, quod maximè Sedi Apoſtolicæ proprium eſſet? Sic Damaſus quoque hanc Inquiſitorum adſertionem illuſtri perculit Exemplo. Cum enim Synodus Cæſarauguſtana damnavit Priſcillianum, hic autem confugit ad Damaſum, Damaſus eum rejecit, tantum abeſt, ut admitteret vel conquereretur de Synodo, quod Sedis Apoſtolicæ Juriſdictionem invaſiſſet. Memorat hoc Sulpitius Severus in ſecundo Hiſtoriæ Sacræ libro. Inſuper circa finem ſeculi poſt Chriſtum quarti in Synodo Capuenſi de Bonoſo Macedoniæ Epiſcopo, qui Beatam Virginem Mariam poſt partum non fuiſſe Virginem docuerat. Bonoſus ad Capuenſem defertur Synodum, quæ hujus in judicium Anyſio Theſſalonicenſi & quibuſdam aliis Macedoniæ Epiſcopis committit. Hi judices à Synodo delegati ſcribunt ad Siricium Pontificem, ejuſve de negotio hoc gravi rogant Sententiam, quâ ſcilicet præmuniti opus injunctum perficiant & facilius & ſecurius. Pontifex ad illos reſcribit ac reſpondet, formam indicandi competere ſibi non poſſe, quod jam Synodus Capuenſis illis dirimendæ hujus controverſiæ dediſſet provinciam. Hanc autem reſcripſiſſet Siricius Pontifex, ſi ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertineret, controverſias Fidei & Morum Eccleſiæ univerſalis definire? Si vero Inquiſitores Siricinæ erraſſe ferant præ ſe, quid fiet de illorum propoſitione? Nam ſi errare poterit is, qui Sedi Apoſtolicæ præſidet, errare poterit etiam ipſa Sedes Apoſtolica, ſi eadem ſit eum illius præſide, uti quidam Adſentatores ignoranter exiſtimant. Sic Inquiſitores conſtringuntur, qui nullo poſſunt conſtringi negotio, quia ad vulgus pertinent imperitorum. Plus ultra, Innocentius hoc nomine primus in ſuis ad clerum Conſtantinopolitanum literis apud Soſomenum ea ſcribit, quæ Inquiſitoribus elidunt fauces. Agitur in eâ de Johannis Chryſoſtomi vexatione, contra quam Innocentius neceſſariam eſſe putavit cognitionem Synodicam, id noſt ſcripturus, ſi eum Schola Inquiſitorum aluiſſet, ſed potius contrarium, ipſe adhibiturus remedium. Sed ne ſint iſta, idem Pontifex in Synodo Carthaginenſi & Milevitana jus decidendarum Fidei controverſiarum agnoſcit, quod poteſt ex literis, quas ad Synodi Milevitanæ Patres reſcripſit, Inquiſitoribus aut non viſas, aut contemtas, dignis ob id ipſum, qui contemnantur. Accedit lex primus, qui multis in locis & eventibus ab his Inquiſitoribus mirum, quantum diſſidet. Duo ſufficiant loca omni luce ſplendidiora. Prior & Epiſtola ejus nona ad Theodoſium Imperatorem, in qua non conqueritur de Flaviano Conſtantinopolitano, quod in damnanda Eutychetis hæreſi anthoritatem Sedis Apoſtolicæ uſurpaverit, ac ſe neſcio Concilium congregarit, in quo hæreſis illa fuit damnata. Quis vero dicet, niſi demens, Leonem non conquerendo errare. Et quamvis Flavianus Leoni perſuadere fuit conatus, non aliud Concilium eſſe habendum præter id, quod jam habuerat, ac ſufficere, ſi Leonis ad ea, quæ ſunt geſta, conſenſus adcedat, Leo autem perſuadere non potuit, minimè tamen id negotium ad ſolius Apoſtolicæ Sedis judicium pertrahere labo-

laboravit, quod Inquiſitores requirunt, ſed Concilium generale cenſuit eſſe neceſſarium, atque ut illud celebraretur, Imperatori ſubmiſſè ſupplicavit. Quorſum verò hæc omnia, ſi ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertinet controverſias Fidei & morum Eccleſiæ univerſalis definire? Dicentne Inquiſitores, Leonem, quod ſuum eſt, non defendere, ſed juri Sedis Apoſtolicæ prævaricari? Si dicant, nulli ſunt; ſi non dicant, capti. Quidquid autem id eſt, Inquiſitores publicæ Epiſcoporum cauſæ ſunt prævaricatores. Poſterior locus eſt ex Epiſtola poſt viceſimam quinta, quam Leo & ſuo & Romanæ Synodi nomine ſcripſit ad eundem Theodoſium. Sanè, niſi adſertio Inquiſitorum, de qua hactenus, putidum eſſet mendacium, non abs re crederetur Leo Pontifex Sedis Apoſtolicæ jura minuiſſe, qui ea auxiſſe & minus benè in eam Sedem adfectis creditur. Nam ad mentem Inquiſitorum (ſi tamen mens illis eſt) Leo Sedis Romanæ jura minuit; cum omni ope ac ſtudio conniſus eſt, ut Synodus cogeretur Epheſina, id eſt, ut, quod Sedi huic proprium eſt maximè, cum Epiſcopis Sedium aliarum communicaretur. Poſteà cum Synodus hæc evaſit in prædatorium, illa adhuc magis minuit jura, poſtulans ab Imperatore, ut omnia in eo ſtatu jubeat manere, in quo ante judicium omne faciunt, donec major ex orbe toto numerus Sacerdotum congregaretur. Scilicet, quod Inquiſitores turpiter ignorant, probè noverat Leo, nempè, deciſionem controverſiarum Fidei & Morum Eccleſiæ univerſalis non uni tantum Romano Pontifici, ſed etiam cæteris omnibus Epiſcopis convenire. Legant autem Inquiſitores quoque Epiſtolam ejus decimam & quintam ad ipſam Synodum Epheſinam, percurrant Epiſtolam ejus quinquageſimam ad Marcianum Imperatorem, conjiciant oculos denique in Epiſtolam ejus ſexageſimam & tertiam, quam ad Theodoretum miſit poſt Synodum Calchedonenſem, & videant Leonem in Domino gloriantem, quod illud Concilium confirmaverit ſuam Definitionem. Apage hinc peſtilentem Inquiſitorum adſertionem, qua Leonis Sanctitas polluitur, & Sedis, quæ verè eſt Apoſtolica, traditio labefactatur. Succedat Vigilius, qui Synodo quintæ, quam judicaverat eſſe neceſſariam, ideò noluit intereſſe, quia Epiſcoporum occidentalium numerus numero Orientalium non adæquaretur, quod ipſe tradit in Conſtituto, ac de eo refertur in Synodi collatione ſecundâ. At Vigilius quæſtionem, de qua inter ipſum & Juſtinianum agebatur, ad Synodum generalem remittere non debuit, ſi vera eſt adſertio Inquiſitorum; & futilis inſuper ac vana eſſet ratio Vigilii, ob quam huic Synodo noluit intereſſe, ſi hæc valeret adſertio. Solus quippè poterat controverſiam dirimere juxta eam. Sed ita confundimus Vigilium cum Sede Apoſtolica, inquit Launojus, quia philoſophamur ad mentem Inquiſitorum & hodiernorum Curiæ adulatricis Magiſtrorum, qui Pontificem Romanum & Sedem Apoſtolicam dici ἐυνυμῶς inſcitè nugantur. Ita Gregorius III. libri quarti Epiſtola poſt triceſimam octava Eccleſiam, non Sedem Apoſtolicam pro ultimo in Controverſiis remedio commendat, in libri quoque ſecundi Epiſtola poſt viceſimam nona ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Mediolanenſis ſcribit: *Sicut ab aliis noſtra exigimus, ita ſingulis ſua ſervamus jura.* Martinus quoque Pontifex hoc nomine primus in Epiſtola quadam hortatur Amandum Trajectenſem Epiſcopum, ut Synodum Romanam adverſus hæreticos celebratam confirment Antiſtites Gallicani. Nicolaus etiam primus rem hanc contra Inquiſitores decidit in Epiſtola poſt viceſimam ſeptima ad Ludovicum & Carolum Calvum ſcripta, monens neceſſarium eſſe Concilium, quod intenderat tum congregare, & ſe quæ decernenda forent, conſenſu Epiſcoporum Concilii decreturum eſſe. Eadem ſcribunt Johannes octavus in Epiſtola poſt ducenteſimam viceſima ad Romanum Archi Epiſcopum Ravenhatenſem, Gregorius ſeptimus libri primi Epiſtola poſt quadrageſimam ſecunda ad Sichardum Aquilegienſem Epiſcopum, Urbanus ſecundus in Epiſtolâ ad Benedictum Abbatem, quam exhibet quartus Galliæ Chriſtianæ Tomus; Gelaſius præterea ſecundus in primâ ad Archi Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Clericos & Principes Galliæ, Innocentius ſecundus in Epiſtolâ ad Concilium

Seno-

Senonenſe ſub Bernhardo contra Abaclardum ac ejus errores habitum, Eugenius tertius apud Othonem Friſingenſem in primo de geſtis Friderici libro negotium Gilberti Porretani remittens ad Concilium Remenſe, Alexander tertius in literis ad Epiſcopos Thuſciæ de generalis Concilii Lateranenſis convocatione, Innocentius tertius libri tertii Epiſtola poſt centeſimam quartâ ad Philippum Regem Francorum, Gregorius decimus in literis, quibus Concilium Lugdunenſe indixit, Clemens quintus itidem in literis, quibus Concilium Viennenſe indixit, uti & in Conſtitutione de SS. Trinitate & Fide Catholicâ, Martinus quintus in Decreto Concilii Conſtantienſis, Eugenjus quartus in Bullâ tertia, quæ in Seſſione decima & ſextâ Concilii Baſileenſis refertur, Julius ſecundus ſtatim poſt electionem promittens cum juramento, generale Concilium ſe convocaturum, atque Eccleſiam in capite & membris reformaturum; Hadrianus inſuper ſextus commentario in librum quartum Sententiarum de Miniſtro Confirmationis, uti & in Mandatis, quæ dedit Cheregato in Germaniam eunti; Clemens ſeptimus in Epiſtolâ ad Franciſcum primum Regem Galliarum de Concilio generali celebrando, Paulus tertius in Indictione Concilii Tridentini, Pius tandem quartus in forma juramenti &c. Hæc eſt ratio ſecunda, quæ, poſtquam Sedis Apoſtolicæ traditionem per ipſiuſmet Sedis Antiſtites explicuit, de roboris authoritate certat cum prima, nec minus fortiter quam prima refellit adſertionem Inquiſitorum, & omni execratione dignam oſtendit. Tertia nunc quærenda eſt ex Concilii, quæ cæteris æque Epiſcopis ac Romanis jus dirimendi controverſias Fidei & morum adtribuunt. Nimirum, quo tempore Conſtantinus tenebat Imperium, antiqua jam opinio mentes Chriſtianorum occupaverat, Epiſcoporum Concilia, in quibus de Fide & moribus Eccleſiæ tractaretur, ſic eſſe neceſſaria, ut, qui tolleret ea, latiſſimam evertendæ Religioni Sanctæ viam patefaceret. Id conſtat aperte ex libri primi de vita Conſtantini capite quadrageſimo & quarto. Sic Concilium Arelatenſe primum, quod circa tempus illud eſt habitum, rem hanc adverſus Inquiſitores decernit in Epiſtola ad Silveſtrum Pontificem miſſa. Neque diſſentit Nicenum in Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripta, Concilium quoque Romanum ſub Damaſo Pontifice habitum in Epiſtola ad fratres per Illyricum ſcripta apud Theodoretum libri Hiſtoriarum ſecundi capite decimo & ſeptimo; Concilium inſuper Italiæ ſub Ambroſio Mediolanenſium Epiſcopo celebratum in Epiſtola quinta ad Imperatorem Theodoſium, Concilium porrò Conſtantinopolitanum primum in Epiſtola ad Damaſum & cæteros Epiſcopos Romæ tum congregatos apud Theodoretum libri quinti capite octavo; Concilium præterea Lateranenſe primum contra Monothelitas habitum in Secretario primo, uti & ſecundum ſub Paſchali ſecundo, quod privilegium Henrico Imperatori conceſſum reſcidit, Florentinum in Decreto, quod poſt habitas ultrò citroque Concertationes editum eſt. Succedant his legati, quas Sedes Apoſtolica miſit ad Synodum Tridentinam, intercedentes, ne in Actis vocaretur Concilium vel Synodus univerſalem repræſentans Eccleſiam; ideò, quia hæc formula neque in Conciliis, neque in Canonibus antiquis reperiatur, inque hâc ratione firmiter perſiſtentes, etiamſi Præſules quidam exigerent, ut ea adhiberetur, quam Concilia quatuor, nempè, Piſanum, Conſtantienſe, Senenſe & Baſileenſe, Pontifices itidem numero tres, nominatim, Martinus quintus, Eugenius quartus & Leo decimus authoritate & uſu ſuo conſecraverint, Legatis tamen obtinentibus. Adcedat denique Profeſſio Fidei, quam Pius quartus ad Synodi Tridentinæ mentem curavit &c. Tertia hæc eſt ratio. Verum, quia ut ſine amatore fœditas eſt nulla, ſic & ſine Patrono nulla eſt fatuitas, Inquiſitores facti hujus ſui Patronum habent Johannem Monteſorum, qui circa finem Seculi poſt decimum quarti vixit, & ſtudiis Theologicis operam dedit Lutetiæ. Hic in Actu quodam Veſperiarum, uti vocatur, certas quaſdam de B. Virginis Conceptione theſes poſuit, quas ab eo Facultas Theologica voluit revocari. Sed ille noluit, Romanum appellans Pontificem, qui tunc ſedebat Avenione, atque à Gallis uti legitimus Succeſſor Petri agnoſcebatur, nomine Clemens ſeptimus. Cauſabatur

tur autem Monteſonus, judicari ſe nec à Facultate Theologica, neque ab Epiſcopo Pariſienſi, qui judicio interveneraat, potuiſſe, ſed illud ad Sedem duntaxat Apoſtolicam pertinere. Sic in appellationis Inſtrumento fuiſſe colligitur ex conjectione cauſæ ſeu Tractatu, quem adverſus hunc Monteſonum nomine Facultatis Theologicæ compoſuit Petrus, Alliacus, tunc Collegii Navarici Magiſter, cenſens, manifeſtam hoc continere hæreſin. Atque hæc eſt nota, quam Facultas Theologica Pariſienſis abhinc Annis prope trecentis Inquiſitorum adſertioni per anteceſſum inuſſit, & juſte inuſtam certis rationibus demonſtravit, & quod obſervatu dignum eſt, Facultas communem Monteſono & Inquiſitoribus adſertionem multò damnavit ante, quam Inquiſitionis Romanæ congregatio inſtitueretur. Quocirca Inquiſitores confixum antehac errorem revocant & inſtaurant. Nec mirum deinceps debet eſſe, quod homines tali errore imbuti in Indicem ſuum aliquando relegent Scriptorum Catholicorum commentarios, quibus fundatiſſima Conciliorum authoritas commendatur, ſacra Epiſcoporum poteſtas aſſeritur, & Sedis Apoſtolicæ traditio explicatur. Veritas hæc probationem aliunde non quærit, nam graviſſima hæc rerum momenta, quæ jam ſunt obſervata, in una Inquiſitorum adſertione cum profligentur, profligari quoque ab illis neceſſum eſt libros, quibus comprehenduntur. Exindè factum eſt, ut à piis eruditiſque Viris credatur, librorum illiuſmodi damnationem non tranſire Tyberim, nec aliis præterquam Bibliopolis, qui forſan libros vendunt carius, utilem eſſe, quod illa damnatio manifeſtum ſit ſanæ ac veteris doctrinæ indicium.

Vindiciæ Launoji contra Chriſtianum lupum.

DOctor hic Lovanienſis in quarta parte Notarum ad Canones & Decreta Conciliorum, quibus etiam Deitatus Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi cum Scholiis inſervit, hinc indè præſentem Launoji contra Romanos Inquiſitores diſputationem adlatravit, quædam pauca excerpens ad cenſuram, potioribus triſti Silentio prætermiſſis. Et quidem primò ad Canonem viceſimum & primum, *quod cauſæ majores Eccleſiæ cujuſcunque ad Sedem Apoſtolicam debeant referri*, poſtquam hoc pluribus documentis ſtuduit confirmare, loco Corollarii hanc Launoji Epiſtolam adgreditur, putans omnia ſurſum ac deorſum cadere per ea, quæ prolixius more ſuo ex variis compilavit. Equidem Auguſtinum Cypriani contra Stephanum Pontificem dicteria nec memorantem, nec refutantem, ſed ſilentio ſempiterno ſepelientem volens imitari lupus, præcipitata Launoji in Eminentiſſimos, uti vocat, Sancti Inquiſitionis officii præfectos Cardinales verba conatur non circumducere, ſed radere ex omnium lectorum memoria, errorem tantummodo refutaturus. Putat nimirum Doctor Lovanienſis, durè inſectatum eſſe Launojum verba Inquiſitorum, exiſtimantem videlicet, ab illis ſubverti omnem & Provincialium & generalium Synodorum utilitatem & authoritatem, imò omnem Eccleſiæ Hierarchiam. Verùm ſine fundamento, inquit Lupus, aliqua in contrarium producens exempla, è quorum numero primum hic habeat locum, quia ab aliis etiam æſtimatur magni. Exhibet illud aliquam Epiſtolæ partem, quam Petrus quondam Chryſologus, Ravennatenſis Archi Epiſcopus, ad Eutychetem Hæreſiarcham legitur ſcripſiſſe, inter alia hortatus eum, ut his, quæ à Papa Civitatis Romanæ ſunt ſcripta, obedienter attendat, hac addita ratione, quod Petrus in propria Sede vivens & præſidens præſtet quærentibus Fidei veritatem, ſubjungens ſuo & aliorum Eccleſiæ Antiſtitum nomine *nos pro ſtudio Pacis & Fidei extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi cauſas Fidei audire non poſſumus.* Lupus hanc ſubnectit gloſſam: Chryſologus hic nequaquam erat Theologus curialis, ſed Metropolitanus Synodi numeroſæ tunc Epiſcopus; & tamen profitetur, cauſas Fidei à ſe nec audiri poſſe, ſed *privative* id ad Epiſcopum pertinere Romanum;

manum, eademque *videtur* ratio fuiſſe omnium Metropolitarum ſpectantium ad Patriarchatum Romanum. *Secundo*, dum Launojus inter Pontifices ad exemplum Eugenii quoque tertii provocat, qui negotium Gilberti Porcetani ad Remenſe Concilium remiſit, Lupus ad eundem Gregorii Canonem, poſt plura antiquam Eccleſiæ Gallicanæ ſenſum circa hanc quæſtionem expoſiturus & Launojo oppoſiturus, audenter nimis ſcripſit, quod nullus unquam Epiſcopus, nullus Patriarcha, Dioceſis nulla, nulla etiam Synodus œcumenica ſine Pontificis Romani de Eccleſiæ Romanæ authoritate, poſſit quidquam definire de quæſtionibus dogmaticis, atque id Gallicanam antehac Eccleſiam conſtantiſſimè (ſemper) tenuiſſe, & hinc rem novam à Launojo prædicari, uſus ad demonſtrationem hujus effati dicto Gilberti Porcetani exemplo, quod ſequentibus exponit verbis: *Hic Porcetanus, Pictavienſis Epiſcopus, quatuor circa Divinæ Majeſtatis ſubſtantiam docuerat errores, atque ſic à ſuis Archidiaconis, quod publice monitus in Eccleſia nollet adquieſcere, appellatus erat ad Tribunal Apoſtolicum Eugenii tertii. Regio evocationis Romanæ obices tunc ignorabat Gallia, atque ſic utraque pars acceſſit ſtatim. Verum vexatus à turbulenta Arnoldi Brixienſis factione Eugenius deſcendebat in Gallias, & cum accuſatoribus Archidiaconis Epiſcopum excepit apud Senas, quem remiſit domum ipſe ſecuturus, & iſtic cauſam cogniturus. Gilbertus erat Doctor Scholaſticus, Artium & S. Theologiæ in variis Galliæ Gymnaſiis Profeſſor veteranus, acrimoniæ Paleſtricæ magnus amator, atque ſic ex malè intellectis Patrum Sanctorum, Hilarii præſertim & Auguſtini libris in novas potius & ſcandaloſas voces, quam in mentis errores eſt lapſus. At vero iſtas tunc in Eccleſia graſſari incipientes Scholæ ſubtilitates peſſimè, nec ſine fundamentis oderat Sanctus Bernhardus. Hinc Archidiaconi illum ſibi Patronum obtinuerunt. Epiſcopo durum & conſtantem adverſarium; omnibus enim Epiſcopis Gallicanis mens erat atque lingua Bernhardus. Porro, Gilbertus erat, ac ſemper fuerat immaculatæ & Vitæ & famæ; hinc ejus licet non erroribus, tamen perſonæ favebant quidam Cardinales, aut potius de hoc favore ſuſpecti erant apud Bernhardum. Eugenius ipſe Pontifex æſtimabat Gilbertum, hinc ipſum invitavit ad Concilium Remenſe, non ut Reum, ſed uti integrum & Canonicum Epiſcopum, atque ut talem fecit aſſidere, ejuſque cauſam diſcuſſit poſt Synodum dimiſſam, & Articulos adcuſatos, ipſorumque fundamenta apologetica curavit ſibi in ſcriptum redigi, ac ipſum cum S. Bernhardo diſputantem non patienter tantum, ſed etiam delectabiliter audivit atque attendit.* Poſt hæc refert ex Gaufrido Ciſtertienſi Monacho, ejuſque ad Epiſcopum Albanenſem literis, poſt diſputationem Bernhardi & Gilberti dixiſſe Cardinales, ſe deinceps judicaturos, qualiter debeat res definiri. Hoc autem eatenus moviſſe multorum corda, ut die ſequenti apud Sanctum Bernhardum convenirent Archi Epiſcopi decem, Epiſcoporum quoque & Abbatum ac Magiſtrorum multitudo plurima; & quia judicium ſibi videbantur reſervaſſe, quos noverant omnes ferè potius errantis, quam erroris fautores, duxiſſe conſultum, oportere cum Capitulis Gilberti etiam ſuæ Fidei Symbolum, quod dictante Viro DEI Bernhardo novis ejuſdem Dogmatibus, fuerat oppoſitum, mitti, ut ſcirent melius Cardinales, unde judicarent. Factum id eſſe per tres ex eorum numero, hac cum inſtructione orali, qua ſic Papam & Cardinales leguntur adlocuti: *Pro veſtra reverentia ſuſtinuimus Sermones minus dignos acceptione, donec tandem audivimus, quod de eis velitis judicare. Obferimus ergo & nos Confeſſionem noſtram, ut non de parte, ſed partibus judicetis. Tenetis confeſſionem ſcriptam hominis illius, convenit ut teneatis & noſtram. Verùm tamen, ille vobis ſuam ſub hoc tradidit tenore, ut paratus eſſet corrigere, ſi quid vobis aliud videretur. Nos hujuſmodi conditionem penitus excludentes ſic vobis obferimus noſtram, ut noveritis, quod in hoc ſumus, in hoc perſeverabimus, nihil penitus immutaturi.* Sed hæc verborum fiducia, ſcribit porrò Lupus, offendit Cardinales, ac viſa eſt anterioribus non cohærere, nec inſtructionem continere, ſed definitionem, dum & charta ab eis oblata titulum Symboli præ ſe ferebat, ſeu Decreto Fidei, & in ſimilis Decreti formam ab omnibus erat ſubſcripta.

Digitized by Google

ſcripta. His expoſitis porro commemorat Lupus ex Ottone Friſingenſi, ad cujus authoritatem Launojus provocaverat, quàm vehementi Sermone Cardinales Papam adloculi ſint, proteſtantes contra Præſulum Gallicanorum libertatem, nec illos tantummodò arguentes, ſed ipſummet quoque Eugenium, idque ideò, quia aliquando lenius ipſorum judicio legatis reſponderat, dicens, quod à confeſſione eorum Eccleſia Romana in nullo prorſus diſſentiat, & ſi ſtare viſi fuerint aliqui pro perſonâ Gilberti, non tamen eos ſtare pro Doctrinæ. Hinc exiſtimabant Cardinales, inquit Lupus, peſſimam Gallorum audaciam fuiſſe admiſſam & probatam ab Eugenio, ideoque & ipſum de Cathedræ Romanæ & Privilegii, Apoſtolici *prævaricatione* arguerunt. Iterum poſt aliqua agnoſcit Lupus, orthodoxum fuiſſe ac erroribus Gilberti retundendis aptiſſimum illud Symbolum, atque ut tale agnitum ab ipſomet Eugenio, & tamen penitus illud aboleri Cardinales voluiſſe, ex iſtâ duntaxat cauſâ, quod ſine Cathedræ Romanæ interventu eſſet, vel potius putaretur, adtentatum, cui omnis Gallicana adſenſuit Eccleſia, atque hinc illud aboleviſſe Pontificem, & aliò quodam Symbolo hanc quæſtionem definiviſſe. Actaque hoc non modò Gilbertum, neque ſolam tunc Synodum Gallicanam, ſed omnem ſub Cælo Eccleſiam uſque huc probare & venerari, Gaufredo vel Goffredo ſuprà laudato ſcribente, Apoſtolico demùm judicio & Eccleſiæ univerſalis authoritate errorem illum fuiſſe damnatum. *Tertiò*, dum Launojus ex authoritate Conciliorum contra ſententiam Inquiſitorum diſputat, adduxit inter alia Concilium aliquod Italiæ, cui profuerat Ambroſius, qui ſuo & cæterorum in Concilio præſentium Epiſcoporum nomine ad Theodoſium Imperatorum & negotio, quod tum tractabatur, peculiarem ſcripſit Epiſtolam, è cujus tenore Launojus obſervavit varia Inquiſitorum ſententiæ contraria, ex. gr. quod Concilium de Maximo, Epiſcopo Conſtantinopolitano habet, ejuſdem adverſarios cognoviſſe, cum ad hoc partium veniſſe, *ut cauſam ſuam ageret in Synodo*, qui plurium ſcilicet Epiſcoporum eſt, non ſede duntaxat Apoſtolica; poruò, quod Athanaſius & Petrus, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi ad Eccleſiæ Romanæ, ſed non ſolius verum Italiæ etiam ac totius Occidentis confugiſſe judicium; præteream, quod prærogativam examinis ſibi non vindicat, uti nec ſedi tantùm Apoſtolicæ, ſed agnoſcit, conſortium eſſe debere arbitri communis, inſuper, quod monet, conſtare prius opportuiſſe, utrum huic, quàm alii conferendum videretur Sacerdotium, ab his præſertim, à quibus ſe Maximus vel deſtitutum vel adpetitum injuria querebatur; adhuc, quod neget, ut ſuper duorum ordinatione ſit in urbe Româ noſtrum, uti loquuntur Epiſcopi, id eſt, Occidentalium Orientaliumque Conciliorum, non apud ſedem duntaxat Apoſtolicam; ulterius, quod ſcribit, non indignum videri, ut illi Eccleſiæ Romanæ Antiſtitis finitimorumque & Italorum Epiſcoporum debeant ſubire tractatum, non Eccleſiæ tantum Romanæ; denique, quod Epiſtolam his obſignant verbis, *Poſtulamus, ut, ubi una communio eſt, commune velit* (Imperator) *eſſe judicium*. Addit Launojus, quot periodi, tot fulmina, quibus inquiſitorum, id eſt, Novatorum aſſertio percellitur. At lupus his non motus varia regerit, quibus juvare cauſam per ſe peſſimam & deſperatam conatur. Opponit nimirum ex eâdem Epiſtolâ, quam Damaſo quaſi in Synodo Romanâ ſcriptam adtribuit, quod mentio fiat in eâdem concilii jure & more Majorum indicendi, id eſt, generalis, ad quod Maximus cauſam ſperaverit devolvendam, & quando dicitur de Athanaſio & Petro, quod ad totius evidentis judicium confugerint, id vult intelligendum ex ſequentibus de Synodo Patriarchali, Primatiali aut Metropolitanâ. Ita quod dicitur de conſortio communis arbitrii, explicat per relationem, quaſi degradatio Maximi ipſa fuerit nulla, quia Romam non fuerit relata, dum ſolus relationis Romanæ defectus quævis alioquin legitima Synodorum quoque generalium Acta ſuſpendat. Sic etiam verba, quibus aliqua negotii præcipitatio Conſtantinopolitanis imputatur, putat eſſe referenda ad authoritatem Pontificis Romani, ad quem Maximus adpellaverit. Et quando Patres Concilii ad Sy-

Digitized by Google

nodum Romæ ex Orientalibus pariter & Occidentalibus Episcopis congregandam provocant, sic explicat, quasi Orientales fuissent convocandi, non uti Judices, sed ut rei vel adcusatores qui coram Episcopo Romano ac ejus Provinciali, aut certe primatiali Synodo darent actorum suorum rationes. Tandem ultima prætermittens verba de communione judicis, quam Patres Concilii inprimis in negotio communi postulabant, plurimum in eâ situm esse putantes, sic finit hanc Crisin contra Launoii observationes: Damasus Maximi adpellationem admisit, ac suspensionem ei detulit effectum, factam nempè Nectorii ordinationem cassavit, partes evocavit Romam, primores etiam Judices transmutavit in adcusatores aut reos, & sanxit causam in plenâ Synodo Italiæ retractandam, quam ipse tamen posteà obrationes cum solis Episcopis finitimis retractavit. Addit, Maximum non ad Synodum totius Occidentis, sed ad solam sedem Apostolicam provocâsse, & ab ipsâ solâ fuisse indicatum. *Quarto*, Launojus provocavit etiam ad Synodum Constantinopolitanam generalem numero & ordine inter eas, quæ ibi habebantur primam, in quâ discutiebatur controversia inter Gregorium ab Ecclesia Nasiantenâ ad Constantinopolitanam nuper translatum & Maximum ejusdem Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præsulem ab aliis creatum, Timotheo Episcopo Alexandrino hunc ordinante, Meselio autem Episcopo Antiocheno illius translationem confirmante; & quia Gregorius translationi renuntiavit, indè Synodus amovit Maximum, atque in locum hujus suffecit Nectarium: Maximus autem confugit ad Occidentales, qui eum receperunt in communionem suam. Post exhibita quædam ex Epistolâ Synodali ad Damasum Pontificem & cæteros Romæ congregatos tum Episcopos scripta, prout eam Theodoretus capiti octavo quinti Historiarum libri inseruit, sic porrò Launojus: Hæc omnia, in quibus inscio Pontifice Romano & hæreses damnantur & Fidei Symbolum editur, Inquisitores nostri penitus ignorant; &, nisi fateantur, omnia hæc ignorare se penitus, ab errore intolerando nunquam eximentur, si tamen possunt eximi. Crassa hæc & pinguis est ignorantia, quæ in pueris non tantum verbis, sed etiam verberibus castigaretur. Hoc unum est metuendum, ne, quæ ex Synodica hujus Concilii Epistola sunt adducta, fabulosis adscribant narrationibus, quo minus videantur ignorare, quod ignorant. At si illud audeant, continuo damnabantur de Synodo Ephesina, quæ hujus Concilii Symbolum refert atque confirmat, uti & Calchedonensi, quæ idem quoque exequitur. *Lupus* Agnum simulans hoc non nisi tulit ægerrime, scribens, malle se hæc in supremos Ecclesiæ Antistites dicteria erubescere, quam refutare, optans, ut supprimere ea potuerit & radere ex Epistolâ Launoii, addita hâc tantùm observatione, Symbolum Constantinopolitanum à Synodo Ephesina nec relatum, nec confirmatum fuisse, Episcopis plerisque in Suffragio Nicenum Symbolum laudantibus, dum prima additamentorum Constantinopolitanorum confirmatio videtur esse facta à Leone Magno Fidei Calchedonensis Decretum confirmante. Sed, *videtur*, inquit Lupus multa cum observatione, quoniam illi, qui laudata additamenta volunt probata & confirmata à Damaso non destituuntur fundamento. Maximus etenim contra degradationem suam ac Nectorii promotionem adpellavit sedem Apostolicam, Damaso cum admittente, atque ex Synodo Romana ad Synodi Constantinopolitanæ defensorem Theodosium rescribente in Epistola, quam Sirmondus exhibet in Adpendice Codicis Theodosiani; qui tamen posteà in literis ad Acholium Thessalonicensem Episcopum scriptis, quas Holstenius in Collectione bipartita cum aliis pluribus publicavit ejusdem Maximi ordinationem amplissimò exsufflavit & damnavit variis ex causis, præsertim, quod impensa fuisset homini indigno habere communionem non tantùm Episcopi, sed Laici etiam Christiani, ordinationem Nectarii Ecclesia Romana omnino tunc adprobante, atque hinc Damaso plura etiam hujus Synodi Constantinopolitanæ acta probante & confirmante. Et quia omnium Synodorum acta præcedit Decretum Fidei, videtur ipsum ante omnia etiam prædicasse Theodosius apud Damasum,

ſum, ac ejus confirmationem obtinuiſſe. Quidquid ſit, Decretum iſtud, hoc eſt, Conſtantinopolitanum cum ſuis additamentis Symbolum Leo Magnus confirmavit. Sic *Lupus* contra prolixam Launoji Epiſtolam, è qua non niſi hæc pauca habuit, quæ ſuo ſubjiceret examini, cætera ipſomet Silentio & præteritione adprobans. Erit autem operæ non planè nullius pretium, ut videamus, jure, an injuria Lupus ſe hic oppoſuerit Launojo, & nunc hic ab hoſtili illius inſultu poſſit defendi. Primum quod adtinet, dum ad exemplum Auguſtini dicteria Cypriani contra Stephanum nec memoranteis, nec refutanteis, ſed ſilentio ſepelienteis provocat, optarem ei lubenter mentem manſuetam, ſed inſuper quoque accuratam eruditionem & pro orthodoxa Religione telum Auguſtini, ſi intra terminos Voti res hæc conſiſteret. At non cujuſvis eſt, auguſtiſſimi hujus Doctoris premere veſtigia, qui ab Apoſtolorum tempore, & poſtmodum quoque per plura, quæ ſecuta ſunt, Secula in Veritate adverſus non unius generis hoſtes defendenda vix darem, multo minus ſuperiorem habuit. Quamvis autem in quæſtione controverſa de hæreticorum Baptiſmo non ſteterit à partibus Cypriani, ea tamen modeſtia fuit uſus, quæ genio Lupi planè eſt contraria. Dabitur infrà locus, ut Launoji ſuper ea re mentem percipiamus. Id inter obſervari meretur, an lupus prudenter objecerit Launojo authoritatem Petri Chryſologi, Archi Epiſcopi Ravennatenſis? Launojus quippè diſputavit contra Inquiſitores Romanos è teſtimoniis ipſorum Pontificum Romanorum, propriis ipſorum verbis oſtendens, eos ſibimet id non ad ſcripſiſſe, quod ab Inquiſitoribus factum. Lupi erat docere, Launojum non ritè uſum eſſe laudatis Pontificum teſtimoniis, eaque aut non intellexiſſe, aut vim eis intuliſſe; vel ſi hoc non potuit, aliorum Pontificum contraria producere teſtimonia, è quorum collatione lector judicio qualicunque præditus potuiſſet conjicere, quæ nam vel Antiquitate, vel rationum pondere prævalerent. Verùm, Lupus hic domi non fuit, neque potuit Launojum è proprio refellere principio, ſed converſus ad alia, cum nihil aliud fuit in promtu, tot Pontificum Romanorum teſtimoniis non niſi unius Archi Epiſcopi, Patriarchæ Romanum ſupra ſe agnoſcentis, teſtimonium potuit opponere, & quidem ex Epiſtola, quam ſolius Trithemii indicio cognitam Gerhardus tandem Voſſius, Curiæ Romanenſis mancipium, e Manuſcripto quodam Vaticano, de cujus authentia nemini licet dubitare, cum Notis & variis lectionibus publicavit, maximæ nuper Patrum Bibliothecæ inſertam, quam ubi noſter Gerhardus, Jenenſis Theologus in Patrologia erroris adcuſavit, Labbeus tantum non acherunta movit in ſuis ad Bellarminum Diſſertationibus, d præſertim urgens, quod hæc Epiſtola in Tomis Conciliorum præmittatur Epiſtolæ Leonis ad Flavianum, cui ut certiſſimæ Fidei normæ frequentiſſimus Patrum Chalcedonenſium Senatus ſubſcripſerit, & Gelaſius anathemate ferierit omnes, qui eidem vel ad unum iſtæ non ſubſcriberent, quaſi Editores novitii Conciliorum eomet ipſo, quod hanc Epiſtolæ Leonis præpoſuerunt, quod in ultima etiam Collectione Conciliorum fuit obſervatum, tantam ei conciliare potuerint authoritatem, ut paris poſthac ſit æſtimii, cum Epiſtola Leonis, quam Synodus Calchedonenſis ſuo approbavit calculo, cum Leo ipſe ſibi id non adſcripſerit, quod Chryſologus ei adſcripſiſſe legitur, & Inquiſitores hodierni Succeſſoribus ejuſdem adſcribunt. En Lupum pauperum & hinc miſerum diſputatorem! Neque melius ſuccedit *ſecundum* contradictionis caput, quod exhibet Eugenium Pontificem hoc nomine tertium, cujus etiam teſtimonio Launojus contra Romanos Inquiſitores fuerate uſus inter alia, & quidem plura, è quorum numero hoc unum Launojo conatus fuit eriper Lupus, ſed fruſtra. Dum enim prolixe totius rei ſeriem commemorat, ex ore Cardinalium *prævaricationis* arguit Eugenium Pontificem, atque ſic eum non Launojo opponit, tanquam aliud ſentientem, ſed potius Cardinales ipſimet Eugenio præponit, impudentior longè Romanis Inquiſitoribus, qui per Sedem Apoſtolicam juxta receptas hodiè hypotheſes ipſummet videntur intelligere Pontificem, dum ipſe non obſcurè Cardinalibus hunc adſcribit honorem, non attenta proteſtatione Bern-

 hardi.



hardi & cæterorum in Gallia præſulum, in eo etiam ſibi quam maximè contrarius, ſcribens, quod Regios evocationis Romànæ obices Gallia tunc ignoraverit, & tamen fateri coactus fuit, Eugenium ipſummet in Gallias, ac Remis Concilium celebraſſe, id minimè facturum, ſi Sententia Inquiſitorum illa jam tempore obtinuiſſet, cum breviori methodo res Romæ in loco vere proprio potuiſſet componi. In vanum hinc laboravit Lupus, Eugenium numero teſtium à Launojo adverſus Inquiſitores adductorum eximere conatus, quem Cardinalibus Inquiſitorum anteceſſoribus contrarium exhibuit. Sequitur *tertium*, in quo valde turpiter ſe dedit Lupus, multoties lapſus, Launojum refutaturus. Provocavit is in tertia adverſus Inquiſitores Romanos ratione, quæ Conciliorum authoritate nititur, ad Concilium aliquod Italiæ, ſub Ambroſio ac Io præſide celebratum, ejuſve Epiſtolam ad Theodoſium Imperatorem ſcriptam, in qua non pauca occurrunt Inquiſitorum Sententiam evertentia. Lupus hic minime ſibi conſtans, atque neſcius, ubi locorum verſetur, hoc Italiæ Concilium vocat Romanum, quaſi in Italia nullus eſſet locus, ubi Concilia poſſent celebrari; atque ut locus Concilii cum præſide ejuſdem conveniat, Epiſtolam, quæ in appendice Sirmondi ad codicem Theodoſianum expreſſe adſcribitur Ambroſio & cæteris Italiæ Epiſcopis, quod Lupo ignotum eſſe non potuit, hujus Appendicis non ſemel in hac contra Launojum diſputatione mentionem facienti, hoc tamen non obſtante, contra meliorem ſcientiam & Conſcientiam adſcribit Damaſo, Synodi Romanæ præſidi, aliter omnino ſcripturus, ſi Epiſtolam debita cum attentione legiſſet, aut ultimam collectionem Conciliorum proxime laudatam evolviſſet, quæ hoc Concilium Italiæ in Gloſſa marginali vel Aquilegiæ, vel Mediolani, vel alia in Urbe celebratum fuiſſe monet, ac inſuper Epiſtolam ejus Synodicam expreſſe poſt Sirmondum adſcribit Ambroſio. Peſſimæ hoc eſt cauſæ indicium, locum & authorem Scriptionis auſu temerario mutare adverſus teſtimonia eorum qui a ſuis fide habentur digniſſimi, quorumve Lupus ipſe cogitur uti teſtimonio. Neque vero in hoc conſiſtit audacia Lupi, verum plus ultra graſſatur, ac ipſa Epiſtolæ verba, quæ per ſe ſatis ſunt perſpicua, in tranſverſam & alienum plane ſenſum rapere conatur, ut cauſam Inquiſitorum Romanenſium non niſi peſſimam aliquatenus ſuffulciat Advocatus, neſcio, quonam pretio conductus, quamvis non raro etiam imprudenter & neſcius ea ſcribens, quæ cauſam Launoji non parum juvare ſunt idonea. Ea inter referri debet, quod, dum Epiſtola Concilii Italiæ meminit juris & moris Majorum, agnoſcere cogitur ei Veritatis, intelligi Synodum OEcumenicam orbis totus Epiſcoporum. Id vero quamvis in proximè ſequentibus ſtudet imitare, ſcribens, Epiſcopos orientales non comparuiſſe, nihil tamen ad rem facere patet exinde, quia jus & mos Majorum per hoc exemplum exoleviſſe dici non poteſt vel debet. Utut etiam verba Epiſtolæ de totius Occidentis judicio, per ſenſum disjunctivum putat limitari poſſe, non tamen tollit obſervationem Launoji, exinde argumentantis, ad ſolius Sedis Apoſtolicæ, id eſt, Romanæ judicium non pertinere, Controverſias Fidei & Morom definire, quod Inquiſitores volunt, quòd ſi eſſet, neque Italorum vel aliorum in Viennia Epiſcoporum opus eſſet judicio. Vanum eſt præterea, cum Ambroſius & cæteri Italiæ Epiſcopi ad conſortium arbitrii communis provocant, quod Lupus aliam ſubſtituens Synodum aliolve Præſules, ad relationem Romano Pontifici faciendam refert, ſine qua Maximi degradatio fuerit irrita, præterquam quod ultima Controverſiarum definitio ab Actorum Synodalium relatione communicativa differat plurimum. Idem quia urget in ſequenti notatione, verba Ambroſii & Synodi Aquilegienſis vel Mediolanenſis, Damaſo & Synodo Romanæ attribuens, in eundem impingit ignorationis lapidem, pede non abſque præſenti vulnere retrahendo. Tandem fruſtra comminiſcitur, ex eodem ſcilicet principio, nimirum falſiſſimo, Damaſum & Synodum Romanam, quibus immeritò & præter debitum adſcribitur hæc Epiſtola, in gratiam Gregorii Nazianzeni & eorum, qui ab ejus fuerant partibus: hoc negotium in pleniori Synodo voluiſſe tractari, præſentibus nempe orientalibus etiam Epiſcopis, verum non ut judicibus, ſed ut reis vel accuſatoribus, lupi

hic

hic eſt ululatus, non Damaſi poſtulatum, cui aliam fuiſſe mentem, exemplo Priſcillianiſtarum à Synodo Cæſarauguſtana rejectorum, neque à Damaſo admiſſorum è Sulpitii Severi teſtimonio docuit ſupra Launojus. Atque hoc idem nunc confirmabit *quartum*, quod Lupus oppoſuit demonſtrationi Launojanæ, ubi id tantum adhuc obſervabitur audacter & ſine omni teſtimonio Lupum affirmare, Maximum à ſola Sede Apoſtolica fuiſſe indicatum, dum è contrario Valeſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica præ multis verſatiſſimus, ad librum Sotomeni ſeptimum, ejuſve caput nonum, ubi de hac ipſa re agit, circa finem monet, obſcurum eſſe, utrum Maximus in communionem à Damaſo ſit receptus. Sed Lupus ſeipſum proprio jugulabit gladio. Dum enim Launojus contra Romanos Inquiſitores authoritate Synodi etiam Conſtantinopolitanæ uſus eſt, Epiſtolam ejus ad Damaſum & congregatos tum Romæ Epiſcopos referens è Theodoreto, cum egregia adverſus Inquiſitores Romanos obſervatione, nihil aliud repoſuit, quàm Synodi Conſtantinopolitanæ Symbolum à Symbolo Epheſina nec relatum, nec confirmatum fuiſſe, idque demum eſſe factum, vel potius videri factum à Læone, Decretum Fidei Calchedonenſis confirmante. Bene autem ſubjunxit, videri tantum, agnoſcens, non deſtitui fundamento, qui additamenta Symboli, ut vocet Conſtantinopolitana ſtatuunt probata & confirmata à Damaſo, qui etiam diſſimulare non potuit, varia quondam apud Eccleſias fuiſſe Symbola, quod inprimis patet exinde, quæ Teſſerius in peculiari Diatribe de Eccleſiæ Romanæ Symbolo Apoſtolico vetere, aliiſque Fidei formulis, tum ab Occidentalibus, tum ab Orientalibus in prima Catecheſi & Baptiſmo proponi ſolitis, uti & Voſſius in ejuſdem argumento ſcripto è documentis antiquiſſimis & fide digniſſimis annotarunt. Accedit, quod Montacutii in Notis ad ſecundam Photii Epiſtolam obſervavit, eſſe, qui additionem, quam Lupus vocat Conſtantinopolitanam, à Damaſo volunt adjectam, quod ipſum contra Bellarmini objectiones ibidem defendit. Utut ſit, ſive Damaſus ipſe ſit author dictæ additionis, ſive eam probarit & confirmarit in Symbolo Fidei Conſtantinopolitanæ, quod Lupus fatetur non diu ſine fundamento, Launojus præter vel contra Veritatem nihil ſcripſit, quando teſtatus eſt, hoc Symbolum Fidei Conſtantinopolitanæ à Synodo Epheſina fuiſſe confirmatum, quia præter ſolam additionem, cujus mentionem facit Montacutius, non verò additamenta in numero plurali, prout Lupo per imprudentiam excidit, de cætero cum Symbolo Fidei Nicenæ convenit ex aſſe. Interim videat Lupus, quomodo ſecum ipſo conveniat, quando in ſequentibus agnoſcit, Damaſum Maximi ordinationem antehac à Sede Romana approbatam poſtea exſufflaſſe omnino & variis ex cauſis damnaſſe, calculum addentibus Bonifacio Primo & Ambroſio, quia & Imperatorem Theodoſium uti & cæterorum Synodi Conſtantinopolitanæ Actorum, ſic etiam Symboli in eadem editi confirmationem à Damaſo obtinuiſſe, quod itidem Leo poſtmodum in confirmatione Symboli Calchedonenſis approbarit.

Bellarminus, *ibid.*

Sibimet ipſi ex Luthero & Calvino objiciens quædam loca Patrum, poſt alia etiam ſequentia adducit Leonis Magni verba è Sermone tertio de anniverſario die Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum deſumpta: Tranſivit in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ Principes Decreti hujus Conſtitutio commeavit. *Ad hæc itaque reſpondet Bellarminus, tranſiviſſe quidem in alios multos eam authoritatem ſoluendi & ligandi, ſed tamen Petro principaliter datam; nam eundem Leonem ibidem dicere:* Si quid commune cum eo cæteris Chriſtus voluit eſſe principium, *nunquam niſi per ipſum Petrum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et in Epiſt. 89. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis: *Petro præ cæteris ſolvendi & ligandi tradita eſt poteſtas.*

Lau-

Launojus *Epiſt. ead. p. 27. & ſeq.*

UBi tria prolixioribus verbis adduxit Leonis Magni teſtimonia Inſtituto præſenti inſervientia, & quidem primùm quod Bellarminus è Luthero & Calvino, ſed omiſſis potioribus verbis recenſuit: tertium, quod Bellarminus ex Epiſtola ad Epiſcopos Viennenſes, ſed fruſtra oppoſuit, ſecundum verò è Sermone ſecundo de Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, quod primò ex aſſe parallelum eſt, è Bellarmino autem planè omiſſum, ſic Petro commentatur: Ut res ex ſeipſa penſetur, locus tertius, quem Bellarminus objecit, fronte prima pugnare cum duobus aliis videtur; at ſi penitus pernoſcatur, conſentire judicabitur. Nam in tribus locis idem agitur, quod in duobus maximè conſiſtit. Unum eſt, ligandi ac ſolvendi poteſtatem & nuntiandi Euangeli authoritatem Apoſtolis omnibus à Chriſto fuiſſe conceſſam; alterum verò, Poteſtatem utramque iis in Petri perſona conceſſam fuiſſe, ut commendaretur unitas Eccleſiæ, quæ à Petro tanquam Apoſtolorum omnium Summo proficiſceretur. Dum autem tali modo commendatur unitas Eccleſiæ, non mediocris eſt perſuaſio, claves datas eſſe Eccleſiæ. Adſertæ veritatis nunc intereſt oſtendere, nonnullos tertium Leonis locum in alia atque alia trahere placita, cùm ab antiquæ ſimplicitatis traditione deflectunt. Res apud eos ſic ſe habet: *Johannes Turrecremata* & *Dominicus Jacobatius* teſtimonio Leonis utuntur, ut Apoſtolos non à Chriſto, ſed à Petro, & Epiſcopos non à Chriſto, ſed à Petri Succeſſore, juriſdictionem accepere, confirment. Bellarminus (autem) qui docet Apoſtolos omnem à Chriſto juriſdictionem accepiſſe, & Epiſcopos non à Chriſto, ſed à Petri Succeſſore accipere, idem Leonis adhibet teſtimonium, quo poſterius Plautum oſtentetur. Quaſi verò tam prudens Pontifex ſic ſcribat, ut flectatur, quam volueris, in partem, aut verſatilis Artemon habeatur. Id demum ita ſit, dum Cardinales illi tres ſuis ſerviunt ſtudiis, non Veritati, quam & alia Leonis ſcripta, & veteſtiorum Leone Patrum, vel æqualium doctrina objiciunt. In hac diſcordia *Turrecremata & Jacobatius* multo falſius, ſed conſequentius diſputant, quam Bellarminus; Bellarminus verò non tam falſò philoſophatur, ſed minus conſequenter, quam *Turrecremata & Iacobatius*. Concordant tamen in eo omnes, quod Leonis teſtimonium non repreſentent integrum; nec ſuis illud momentis expendant.

Idem Launojus *ibid. p. 14. & ſeq.*

VIginti & ſex teſtimonia ex Auguſtini ſcriptis ad eundem Matthæi de clavibus Petro traditis locum uberius illuſtrandum collegit, hæc ſubjungens: hactenus Eccleſiarum Magiſter Auguſtinus, apertè, frequenter, perſeveranter; & eam ob cauſam, quæ retulimus omnia, per ſeipſa intelliguntur. In quibuſdam locis Eccleſiaſticæ poteſtatis proximum deſignat ſubjectum, cùm claves à Chriſto datas fuiſſe dicit Eccleſiæ; in aliis ejuſdem poteſtatis remotum ſignificat ſubjectum, cùm claves & Petro & cæteris Apoſtolis à Chriſto datas fuiſſe ſcribit, hoc eſt, cùm illam poteſtatem per actus & uſus ſuos definit. De utroque modo cùm Auguſtinus diſputat, Pariſienſium, imo & Catholicæ Eccleſiæ Sententiam adeo confirmat, nihil ut ſupra poſſit eſſe. Faceſſant ergo, *Johannis Turrecrematæ*, *Dominici Jacobatii*, *Thomæ Cajetani*, *Roberti Bellarmini* & Sectatorum præſtigiæ, quibus quod ſole clarius eſt, inobſcurare conantur. Auguſtini libros non evolverunt; nec loca cum locis contulerunt, ut veram ſancti Doctoris ſententiam expiſcarentur, inquirerent, agnoſcerent. Unum aut alterum locum è reliquo contextu avulſum legerunt, & examinandum ſibi ſumpſerunt, ut B. Auguſtino de ſua, non

Digitized by Google

non ut sibi de B. Augustini sententia accommodarent. In summa, B. Augustinum pro Discipulo, non pro Magistro habuerunt. Hoc vitium in *Turrecremata*, *Jacobatio*, *Cajetano*, *Bellarmino* & sectatoribus notasse, illos confutasse est; si tamen, cùm ita se ergà B. Augustinum gesserint, digni sunt, qui confutentur. In præteritis relinqui debeat.

Idem iterùm Launojus *ibid. p. 52 & seq.*

POst plura aliorum loca provocavit etiam ad testimonium *Thomæ Waldensis*, Scriptoris ante plus quam duo secula Carmelitici, qui eandem Augustini sententiam de clavibus Ecclesiæ fecit suam, ac operi de Sacramentis inservit, quod Martinus Papa hujus nominis Quintus scriptis ad eum literis approbavit, atque hanc observationem addidit: Ex hac approbatione constat, Augustini doctrinam de clavibus à Christo datis Ecclesiæ gratissimam Romæ (tum) fuisse, non quomodo Bellarminus illam postea exposuit, sed quomodo Waldensis exposuit, & in Waldensi omnes Theologi Parisienses, qui Concilio Constantiensi & Basileensi æquales vel suppares fuerunt. Bellarminus sibi canit, non Augustino, cujus loca non refert integra, ne vis Doctori sancto allata deprehendatur. Sed quod adhuc indignius est & insignius, Augustini doctrinam ex Lutheri & Calvini ore prodeuntem inducit, ut illius minuatur authoritas, & velut suspecta reddatur, aut certè cavenda proponatur. Hac in re Augustini doctrina Commentariis non indiget, ut intelligatur; hæc ipsa lux est, quæ injectas à quocunque tenebras dispellat.

Christianus Lupus *l. cit. p. 620.*

EXponens palmare, uti vocat fundamentum, ex quo aliquos Pontificem Romanum credere scribit Concilio generali subjectum, adauctis eam in rem Synodi Basileensis & Gersonis ex opusculo de Potestate Ecclesiastica verbis, subdit, eandem sententiam probare & multis Patrum testimoniis firmare *Johannem Launojum* & in Epistola Partis primæ penultima, & secundæ antepenultima, ex qua posterior non pauca in antecedentibus contra Bellarminum sunt in medium producta, hac addita Epicrisi: Verùm an toti sparsim Ecclesiæ, an potius ipsam repræsentanti Concilio generali velit proximè datas regni cœlestis claves, non possim certus affirmare. Sensum suum lucidè non exposuit. Ne sit frater Cadmæus, suo consonare debet Cancellario. Et certè adductum ejus à nobis locum ipse etiam laudat & adducit, verba tamen quæ claves non toti sparsim Ecclesiæ, sed soli Synodo generali volunt immediatè datas, prætermisit. Quidquid sit, proximum Potestatis Ecclesiasticæ subjectum vult Ecclesiam, Petrum Apostolum & successores ejus esse subjectum duntaxat mediatum, qui ipsam exerceant Ecclesiæ nomine, tanquam Ministri Vicarii, ideoque & huic jure pleno subjiciantur. Congloneratis S. Patrum, Deum Patrem & Ecclesiam Matrem laudantium, testimoniis fatigat Lectorem, pleraque enim ad rem non faciunt. Duntaxat quædam Tertulliani, Optati, & S. Augustini loca elucidabo. Et quidem Tertulliani loca ipsi palàm adversantur. *Primus* est in Scorpiaci c. 10. Verba hæc sunt: *Memento claves Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Lupus addit, quis non videat claves immediatè Petro, Ecclesiæ duntaxat mediatè adscribi. *Secundus* est ex libro de Pudicitia, ubi generalem quorumvis peccatorum remittendorum potestatem impugnat Tertullianus ad Montanum lapsus, ac prosequitur adversus Catholicos, c. 21. sic scribens: *Super te*, inquit Christus ad Petrum, *ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves, non Ecclesiæ, & quæcunque*

cumque ſolveris vel alligaveris, non quæcumque ſolverint vel alligaverint, ſic enim & exitus docuit. In ipſo Eccleſia eſt exſtructa, id eſt, per ipſum; ipſe clavem imbuit. Audi Johannis Launoji Commentarium: Tertullianus ſententiam priorem revocat, ut incommodet Epiſcopo Romano, qui Mæchis veniam eſſe concedendam edixerat. *Lupus reſpondet*, omnino revocari priorem ſententiam, verum non illam, quæ claves non aſſerit immediatè datas Eccleſiæ. Quod ipſas Petrus immediatè accepiſſet, & Catholica Eccleſia palam profitebatur, ac etiam Montani factio. Omnis quæſtio erat de Traduce, Catholica communio aſſerebat datas cum jure traducis in omnem Petro propinquam Eccleſiam, ſeu in omnes orthodoxos ſub Cœlo Epiſcopos, Montani factio Johanni Calvino conſentiens ipſas ligabat ad ſolam Petri perſonam, hinc blaterabat ipſi datas ſoli, non Eccleſiæ. Quin ergo Petrus foret proximum clavium ſubjectum, nemo tunc dubitabat hæreticus aut orthodoxus. *Tertius* eſt ex libro ad Caſtitatem exhortatorio, ubi inter alia hæc leguntur: *Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit authoritas Eccleſiæ & honor per ordinis conſeſſam ſanctificatus.* Lupus primo reſpondet, Teſtimonium iſtud eſſe inſigniter firmum & orthodoxum. Deinde ubi prolixum ſuper eo formavit diſcurſum, concludit: Quidquid ſit, licet præſentem locum eſſe indignum, qui à Doctore Catholico adducatur. Hinc intercedente alio iterùm prolixiori diſcurſu pergit ad Optati teſtimonia à *Launojo* adducta, inter quæ hoc eminet, dum ſcripſit: *Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Miniſtros & turbam fidelium.* Launojus hunc addidit Commentarium: Si Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Miniſtri certa quædam ſunt Eccleſiæ membra, profectò Eccleſia corpus eſt, quod per illa membra ſuos exercet actus. *Lupus reſpondet*, hoc eſſe manifeſtum. Verum, uti viſus vel auditus non toti corpori, ſed propter totum corpus ſolis auribus & oculis; ita claves non toti Eccleſiæ, ſed propter totam Eccleſiam datæ ſunt ſoli cum ſuis ſucceſſoribus Apoſtolo Petro. Lucidè hoc tradit in alio quodam adducto per Launojum loco Optatus. Donatiſtæ hanc habuerunt regulam: *Si traditores ſumus, quare nos quæritis & recipitis?* Locarunt (docentes) Eccleſiam in præſenti etiam ſeculo eſſe ſine macula & ruga, ideoque traditores non poſſe ſine totius communionis contagio & Eccleſiæ interitu intromitti. Nec de ſola traditione, ſed de quovis crimine graviori videntur idem ſenſiſſe. *Poſt aliqua*: Eſt Montaniſtarum ac Novatianenſium error, & ipſum ex facto ipſius Domini, qui non Sacrorum Codicum aut Vaſorum traditori, ſed ſui Magiſtri DEI negatori Petro non ſolùm Communionem credidit ac Apoſtolorum, ſed integer cœleſtis regni claves tradidit, revincit Optatus, ſcribens: *Gravius eſt negare eum, qui locutus ſit, quàm tradidiſſe verba, quæ locutus ſit. Et cùm hæc ita ſint ſcripta, tamen bono unitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi, poſtquam negavit, ſolam conſequeretur veniam, & præferri cæteris meruit Apoſtolis, & claves regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Et iterùm: *Cæteris Apoſtolis nec ſemel negantibus Petrus ter ſolus negavit, & tamen bono unitatis de numero Apoſtolorum ſeparari non meruit. Unde intelligitur, omnia Salvatoris providentia eſſe ordinata, ut ipſe claves acciperet. Stant tot Innocentes, & peccator accipit claves.* De Donatiſtis itidem ad Optatum in Carthaginenſi Collatione provocantibus ſcribit in libro poſt eandem S. Auguſtinus: *Quæ lectio cùm magis contra eos recitaretur, nemo riſum potuit continere.* Hoc ipſum eveniſſe video *Johanni Launojo*. Etenim ſacras regni cœleſtis claves non Eccleſiæ toti; ſed ſoli Petro datas adeò profitetur Optatus, ut lucidè pronuntiet: *Communicandas cæteris accepit ſolus.* Affirmat, ne aliis quidem, licet fundamentalibus Eccleſiæ membris, Apoſtolis, ſed ſoli Petro datas, & iſtis & ipſorum uſque ad ſeculi finem Succeſſoribus per illum communicandas. Poſt adductum *Leonis Magni* teſtimonium, de quo contra Bellarminum proximè *Launojus* diſputabat, ſic pergit Lupus: Quocirca claves non Petrus per Eccleſiam aut generalem Synodum, ſed Eccleſia & Synodi acceperunt uſque huc, ac ſemper accipient per Petrum, quod ipſum Optatus tradit, ſcribens: *Hæretici non habent claves, quas ſolus accepit Petrus.* Et iterum

itérùm Romanam Petri Cathedram laudans: *In hac una Cathedra unitas ab omnibus ſervatur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam Schiſmaticus & peccator ſit, qui contra ſingularem Cathedram collocat alteram.* Lupus ſubnectit: Eſt ſingularis & una, non quod unica ſit, ſed quod ab ipſa pendeant omnes, & in ipſa unantur, ut in radice rami, in fonte livi, & in ſole radii; quod ipſa ſit per Chriſtum in Petro plantata radix totius Eccleſiaſticæ Poteſtatis. Et hinc Concilium Baſileenſe ac *Johannes Gerſon* pro errore ſuo non Tertullianum, Optatum, aut alium Eccleſiæ Patrem, ſed ſanctum duntaxat Auguſtinum *meritò* adduxerunt, ex hoc enim ſolo extrahi poſſit quis illius erroris *fucus*. Hujus octo teſtimonia è diverſis operibus poſtquam in medium produxit *Lupus*, ac obſervavit, eum eadem tradere ac repetere pluribus in locis, ſic breviter ejus mentem exhibuit: Tradere videtur ſacras regni cœleſtis claves non immediate Petro, ſed toti Eccleſiæ datas, & illum hujus duntaxat eſſe Vicarium & executorem. In reſponſione ad nauſeam uſque prolixiſſima mox ſub initium provocat inter alia ac pauca hæc, ſed emphatica valde Auguſtini verba, quæ notatu digna non immeritò exiſtimat: *Eccleſia, quæ fundatur in Chriſto, claves regni cœlorum accepit in Petro.* Omitto plura, ne itidem lectori faſtidium exſcriptione prolixiori velle videar errare, cum hoc unum poſſit ſufficere ad Auguſtini mentem ritè percipiendam, ne Lupus porrò nobis etiam poſſit objicere, quod Gerſoni & conſequenter Launojo, hujus authoritate utenti, *eum non habuiſſe clavem ſcientiæ Auguſtinianæ, nec mentem Auguſtini intellexiſſe.*

Breves pro Launoji Sententia Vindicia.

Lupus putat quidem ſe Launojum auribus tenere, verùm ſi Palæſtram hanc ingrediamur ſpectatores non cœci, *Lupum* à Launojo teneri obſervabimus. A principio ſtatim cenſuræ rigidioris dubitat, an toti ſparſim Eccleſiæ, an potius ipſam repræſentanti Concilio generali velit proximè datas regni cœleſtis claves, an conqueritur *Lupus*, quod ſenſum non lucidè exponat. Verùm ſi ex ipſa lectione id non potuit addiſcere, præfixum lemma potuit docere, quod totius Epiſtolæ argumentum breviter quidem, ſed nervoſè exhibuit. Id verbis conſtat ſequentibus: *Pariſienſis de proximo & immediato Poteſtatis Eccleſiaſticæ ſubjecto Articulo confirmatur traditione, quæ ab origine ad Concilium uſque Tridentinum per Patres, Concilia & Pontifices deducitur. Ex quæſtione ha Eccleſia & Concilii ſupra Pontificem authoritas pendet quàm maxim.* Hæc Launoji verba ſi non intellexit *Lupus*, nec eorundem ſenſum ritè percepit, cur refutare aggreſſus eſt eum, ſi non videri voluit pugnare cum larvis? Sed ſalva res eſt. Non ita brutus fuit hic *Lupus*, ut quid de hac quæſtione ſentiret Launojus, nec perciperet, ſed brutum putavit fore lectorem, qui hanc non animadverteret fraudem, qua eum à ſententia Launoji, cujus contrariam in ſe ſuſcepit defendendam, conatus eſt abducere. Neque ſubſtitit in hoc accuſatio *Lupi*, ſed porrò Launojum committere ſtudet cum *Gerſone*, Cancellario quondam Univerſitatis Pariſinæ, quaſi pro Fratribus Cadmæis ſint habendi, qui ſe invicem mutuis conficerent vulneribus. At bene res habet, dum optimè Launojo convexit cum *Gerſone*, quem inter teſtes Veritatis, quam tuitus eſt fortiter, poſt quinquaginta alios, quos per ſeriem temporum produxit in aciem, ordine ſic exigente primum non ſine *Franciſci Fabarellæ* Cardinalis Elogio ſingulari lectoribus commendavit, ea adducens verba, quæ ad Inſtitutum videbantur ſufficere, ita ut inanis planè ſit objectio *Lupi*, quod ea prætermiſerit, quæ claves non toti ſparſim Eccleſiæ, ſed ſoli Synodo generali volunt immediatè datas. Non enim ideò id factum, quaſi Launojus diſſentiret à *Gerſone*, ſed quia, uti dictum, ea, quæ breviter adduxit, quæſtioni, quam ſumpſit enucleandam, ſatis ex aſſe vidit facere, quod circa aliorum quoque teſtimonia duxit obſervandum, breviori non rarò contentus citatione, ne moles authoritatum limites Epiſtolicos excederet.

deret. Addo, Lupum *Gerſonis* verba non rite per omnia intellexiſſe, utpotè quæ non directè & abſolutè negant, toti ſparſim Eccleſiæ claves immediatè datas eſſe. Imnimirum ſcripſit Cancellarius, prout ipſe Lupus eum, introduxit loquentem: *Concluditur, quod, ſi poteſtas data eſt Eccleſiæ, Concilium generale repræſentans Eccleſiam habeat illam. Imò videtur, quod Eccleſia ut ſparſim conſiderata non habet illam poteſtatem, niſi in quodammateriali ſuo potentiali; ſed congregatio ſua & unitio, qua fit in Concilio generali, dat ei formam, ſicut in aliis Communitatibus exemplum dari poteſt.* Duplici modo Cancellarius ſuam de hâc quæſtione proponit & exponit Sententiam, uno quidem, quo ex præmiſſis format Concluſionem, quæ idem exhibet, quod Launojus in Lemmate Epiſtolico habet; altero autem, quo ex abundanti plus ultra ſe progredi poſſe oſtendit, dubitative tamen locutus, utut ſi adfertive etiam verba poſuiſſet, ea pro illius, & alias quoque certi temporis ratione venirent juxta Scriptoris mentem intelligenda, nimirum ita, ut quæ poteſtas Eccleſiæ per traditionem clavium data dicitur, eam imprimis poſſidere dicatur Concilium, eo nimirum tempore, quo legitimè congregatum eſt, extra quod tempus, dum non ſemper Concilia celebrantur, & integra non rarò ſecula fuerunt abſque Conciliis, quin poteſtas hæc ſit atque maneat penes Eccleſiam in toto orbe diſperſam, apud *Gerſonem* fuit extra omnem dubitationis aleam. Hoc ne Viro celebri videar adfingere, oſtendit illa Comparatio, quam ipſe præbet ultrò, dum à Communitatibus aliis jubet Exemplum capere. Videlicet, nemo facilè tam peregrinus & hoſpes eſt in publicis rebus, qui neſciat, quod, etſi poteſtas univerſi directrix pro diverſa quidem ſtatus ratione reſideat vel penes unum, qui dicitur Monarcha, vel penes optimates, quod fieri ſolet in regimine Ariſtocratico, vel penes Plebem, quamvis non ſemel hæc regiminis formæ inter ſe *miſceantur*, & modo quodam, ſi mitiſſime loquendum, *temperantur*, ne dicam, omninò *confundantur*, atque ad aliquam reducantur *irregularitatem*, quæ ut plurimum monſtri quid ſolet alere ac poſt ſe trahere; nihilo tamen minus hæc poteſtas ab univerſitate, vel iis, qui nomine Univerſitatis eâ utuntur, ad eos transferatur ad tempus, qui ad publicæ rei & totius Syſtematis commodum, *ne quidquam capiat detrimenti*, in Comitiis conveniunt, de communi Salute conſultantes, &, quæcumque proficua videntur, unanimi conſenſu decernentes. Conveniunt hæc ex aſſe cum Sententia Launoii, quam *Lupus* expreſſit non impertinenter, videlicet, *proximum Poteſtatis Eccleſiaſticæ ſubjectum eſſe Eccleſiam*, ſive prout per univerſum orbem diſperſa conſideratur, ſive prout in Concilio generali congregata adſpicitur, *Petrum vero Apoſtolum* cum cæteris Apoſtolis & ejus eorumque Succeſſoribus *eſſe ſubjectum duntaxat mediatum, qui ipſam exerceant nomine Eccleſiæ tanquam Miniſtri vicarii, ideoque & huic pleno jure ſubjiciantur*, utpotè quam poſterior pars Lemmatis Epiſtolici continet expreſſiſſime. Dum verò *Lupus* porrò Launoium adcuſat, quod conglomeratis S. Patrum teſtimoniis, *quæ DEUM Patrem & Eccleſiam Matrem laudant*, Lectorem fatigaverit, addens cauſam, *quod pleraque ad rem non faciant*, comet ipſo ſatis clare Sorex ſe prodidit, quod ægrius ferat, Veritatem hujus Sententiæ tot tantiſque Teſtibus circumvallatam, ita Luci publicæ expoſitam, ut, qui Veſpertiliomum non habent naturam, non poſſint non ejus radios tam lucide ſplendentes ultrò admittere, atque oculos ad eoſdem adtollere, agnoſcentes mente gratiſſimâ hoc medium, per quod à tenebris pluſquam Ægyptiacis, quibus hodiernum ſuperſtitioſus & idololatricus, addo, à Veritate Apoſtolica apoſtaticus, & ſecundum omnes circumſtantias antichriſtianus immergitur Papatus, & qui ſervilem in modum ejus admittunt jugum, conceſſum fuit emergere. Id non ſine aliquâ obſervatione prætermittendum, quod *Lupus* de teſtimoniis à Launojo ex Antiquitate Eccleſiaſtica in rem præſentis Controverſiæ collectis non judicavit, planè nulla ad rem facere, ſed *pleraque* ſaltem non facere ad rem; hoc enim ipſo judicavit, eſſe ex eorum numero quædam, quæ faciant ad rem,

id

id est, demonstrent Sententiæ veritatem, quam Launojus suscepit defendendam, quod ad minimum ostendit, eam non omni carere ex Antiquitate suffragio, adeoque non esse novam eoquem & ipso suspectam & planè rejiciendam. Operæ autem fecisset *Lupus* non planè nullius pretium, si, quæ ex numero testimoniorum à Launojo copiosissime adductorum ipse censuit, vel ad rem, vel non ad rem facere, speciem eus indicasse, ut Lector Veritatis studiosus haberet, in quo pedem figere posset, & à quo abstinendum esset. Hoc dum intermisit, in dubio & ancipiti eos versari opus est, qui ab ejus ore pendent; an nimirum scit, quæ ad rem non faciunt, vel facere ipsi videntur, quorum examen & *Tertulliani*, *Optati Milevitani* & *Augustini* scriptis in se suscepit, an verò ea, quibus respondere omninò dedignatus est. Nimirum, ex serie Testium *septuaginta*, inter quos aliqua comparent Concilia & Synodi, quin & diversi Pontifices Romani, tres tantum elegit *Lupus*, quibus aliquam impendere placuit operam, cæteris omnibus tristi Silentio prætermissis, ideò forsitan, quod non obscure videtur insinuare, *quia non nisi DEUM Patrem & Ecclesiam Matrem laudant*, quod nimis generaliter dici putat, ac Instituto præsenti minus inservire. At, præter id, quod Elogium Ecclesiæ Maternum satis amplum est, ac plurimæ significationis debet videri, multumque ad scopum hic præfixum conducere, dum hæc Ecclesiæ Maternitas omninò laudatam requirit Potestatem, quia in quâvis familia secundum antiquissimam consuetudinem uxor non immerito dicitur *corruscare radiis Mariti*, ac longè plus, quàm omnes liberi & servi, habere potestatis; si laudata Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum non modò numerentur, sed insuper etiam ponderentur ex debito testimonia, manifestum erit adtento Lectori, ea non occupari tantum circa hoc Elogium Ecclesiæ Maternum, sed aliquid amplius exhibere, eaque argumenta suppeditare, quæ rem hanc possint sistere confectam. Non licet vitandæ prolixitatis causâ in rem ire præsentem, sufficit interea, manere hæc testimonia tam diu valida, usque dum à parte adversaria contrarium probetur, ac eorum inidoneitas & insufficientia ad oculum ostendatur, quod ad Græcos differetur Calendas, scio. Atque, ne quis putet, esse Testes & Launojo productos, contra quos aliqua valere possit exceptio, sciat Lector Veritatis studiosus, esse eos secundum plerorumque Sententiam fide dignissimos ac omni exceptione majores, qui simul juncti & pariter incedentes ab iis vix possunt rejici vel contemni, quos ad Patres & antiquos Doctores in rebus Fidei controversis provocare notum est. Leguntur nimirum hic suo ordine testimonia *Cypriani*, *Hilarii*, *Basilii*, *Ambrosii*, *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Cyrilli Alexandrini*, *Leonis Magni*, *Theodoreti*, *Fulgentii*, *Symmachi Papæ*, *Johannis Episcopi Hierosolymitani*, *Facundi Hermianensis*, *Ecberti Lugdunensis*, *Gregorii Magni*, *Isidori Hispalensis*, *Venerabilis Bedæ*, *Bonifacii Moguntinensis*, *Ambrosii Ansberti*, *Rabani Mauri*, *Paschasii Radberti*, *Hincmari Remensis*, *Hadriani Papæ secundi*, *Petri Damiani*, *Gottfridi Vindocinensis*, *Calixti Papæ secundi*, *Lombardi*, *Alani*, *Alexandri Papæ tertii*, *Johannis Sarisberiensis*, *Petri Blesensis*, *Guilielmi Parisiensis*, *Thomæ Aquinatis*, *Martini Papæ quinti*, *Testati*, *Eugenii Papæ quarti*, *Æneæ Sylvii*, *Dionysii Carthusiensis*, *Jacobi Almaini*, *Leonis Papæ decimi*, *Hadriani Papæ sexti*, *Jodoci Clichtorei*, & *tandem Guilielmi Occami*, quorum omnium & singulorum nomina Bellarminus in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis, ac post eum nuper *Labbeus* in Dissertationibus & Notis ad eum non sine Elogio singulari commendarunt, quorumve testimonia simul conjuncta si Bellarminus in una tantum Controversia potuisset contra hæreticos in aciem producere, toto corpore Regni se existimasset pugnare, ac indubiam sibi promisisset victoriam. Sed labor nimius absterruit *Lupum*, timentem, sibi rem fore cum canibus non mutis nec edentulis, sed talibus, qui vel solo latratu possent hostes à grege, cui fuerunt præpositi, abstinere, vel si hâc non succederent via, atque proprius adcedere conarentur, dentibus acuminatis metum injicere & in turpem fugam conjicere. Ex tot Testium graviſſimorum numero quia

Lupus pro plenaria ſuæ Voluntatis libertate tres tantum ſelegit, quibuſcum in publicam progrederetur aciem contra Launojum, poſſet id omnino haberi pro ſingulari Veritatis, quam Launojus defendit, præjudicio, utpotè cui Teſtes cæteri omnes conceduntur ultro, niſi hæc quoque trias per vim more lupino ab aliorum ſocietate abſtraheretur. Et quidem circa Auguſtinum ſuo ordini & loco reſtituendum non opus eſt prolixiori labore, cum id non ita dudum in *Vindiciis* pro Authore hoc Auguſtiſſimo ſcriptis ſufficienter ſit præſtitum, quas num adlatrare vel adrodere quis ſit auſurus ex eorum Societate, qui ſuum eſſe Auguſtinum vanè ſunt gloriati, docebit tempus. Nunc id tantum ex *Lupi* confeſſione notandum venit, quod apertè largitus eſt, Concilium Baſileenſe ac *Gerſonem* pro Errore ſuo, quem ſub Elogio Veritatis defendit Launojus, Auguſtinum *merito* adduxiſſe, quod verò Meritum quâ ratione cum eo conveniat, quod in ſequentibus immediatè ſubjunxit, *ex hoc ſolo extrahi poſſe hujus erroris fucum*, divinare non audeo, & ſcio, aliis quoque Lectoribus hæc conciliare nitentibus hærebit aqua. Ad Tertulliani authoritatem, quam contra Launoii Sententiam ſibi vindicare ſtuduit *Lupus*, ſed fruſtrà, hoc obſervandum, à numero ſeptem teſtimoniorum, quæ ex diverſis ejus Scriptis collegit Launojus, tria tantum ſibi adoptaſſe *Lupum*, verùm & ea alio ordine, quam à Launojo fuere producta, utrumque non ſine aliqua fraude, per quam Lectori voluit perſuaſum, quaſi nihil amplius in Tertulliano ad rem hanc pertinens inveniretur, methodum quoque demonſtrandi pervertens, quam Launojus in ſerie teſtimoniorum adtendit, neglectis etiam ejuſdem potioribus ad loca quædam Adnotationibus, quæ cauſam non parum juvant & illuſtrant. Ex. gr. ad loca duo priora ex libro de oratione atque ad Martyres deſumta in quibus Eccleſia vocatur *Domina & Mater*, hanc Launojus adpoſuit Gloſſam: *Matrem & Dominam, intelligit Eccleſiam, quam Spiritus S. congregavit, de quâ ideo nobis conſtat Patris & Filii nomen, quia per eam nos DEUS fecit Chriſtianos. Sed cum Matris & Dominæ adpellatio ſit Pietatis & Poteſtatis adpellatio, Tertullianus Pariſienſem Articulum firmiter ſuſtentat.* Poſt alia duo loca ex libro de Baptiſmo deſumta, quæ *Lupo* itidem inviſa fuere, atque ſic neglecta, ſequitur quintus ex libro de Exhortatione Caſtitatis, vel ad Caſtitatem, quem *Lupus* primum agnovit inſigniter firmum ac orthodoxum, poſtmodum verò hic & ante ſcriptorum planè oblitus indicavit *indignum, qui à Doctore Catholico adferatur*, quæ iterum quomodo inter ſe concordent, ipſe *Lupus* videat, vel alius, qui cum ex hoc contradictionis Labyrintho conabitur extricare. Ad ſextum à *Scorpiaco*, quem cæteris antepoſuit *Lupus*, hæc notavit Launojus, quæ ad antecedentium quoque uberiorem ſenſum poſſunt inſervire: *Locus hic, in quo per Petrum a Chriſto claves accepit Eccleſia, ſuperioribus lucem non modicam præbet; ſed in omnibus Pariſienſium Sententia delineatur & conſpicitur.* NIMIRUM, Tertullianus in toto corpore Eccleſiæ Sacerdotium reſidere dicit, atque ad Eccleſiæ authoritatem revocat diſcrimen, quod inter ordinem & plebem conſtituitur, cum ſcilicet à toto corpore Eccleſiæ nonnulli eliguntur, quibus ritu quodam ſacro vel Diaconatus, vel Presbyteratus officium dicatur, uno verbo, qui Sacris & Miniſterio fidelium præponuntur. *Deinde*, diſcrimen illud, quod apud Authorem inter ordinem & plebem conſtituitur, ita Sanctum & Divinum eſt, ut non niſi contiato Schiſmate poſſit violari. In ſummâ, Tertullianus adſerit, Dominum claves Eccleſiæ per Petrum reliquiſſe. *Hæc Launojus optime*, quibus omninò diſſimulatis, quaſi nunquam fuiſſent lecta, *Lupus* aliam adſcripſit gloſſam, ſed nihil planè facientem ad rem, ut ejus utar phraſi. Diſcrimen certè inter collationem clavium *mediatam & immediatam*, dum hanc Petro, illam Eccleſiæ adſcribit, hanc non dirimit litem quia non ignotus eſſe debuit Lupo Canon Philoſophicus, per quem id, propter quod unumquodque tale eſt vel eſſe dicitur magis tale habendum ſtatuitur. Dudum nempè id obſervarunt rerum Politicarum Scriptores, qui Monarchicam Principum poteſtatem & regimen in ſubditos abſolutum, quod habere viden-

videntur, quove non pauci cum graviſſimo ſubditorum onere contra Divinam Inſtitutionem abuntur, ita debere temperari conſultum duxerunt, ut iis ſæpius ponatur ob oculos, atque ad animum vocetur, accepiſſe ſe characterem Majeſtatis non ſui, ſed ub ditorum cauſa, adeoque non ſubditos eſſe propter Principem, ut is Dominum exerceat in eos, ſed potius principem eſſe propter ſubditos, ut eorum habeat curam, eoſque ab omni injuria defendat. Locum id habere in publica re chriſtiana quoque & in Eccleſiaſtico regimine, *Lupus* forte non negabit, niſi lupinam planè induerit naturam, ac oves propter lupum, paſtorem videlicet crudeliſſimum eſſe ſtatuerit. Per hujus Canonis obſervationem atque ad Inſtitutum præſens adplicationem capit quoque obſervatio *Lupi*, quam Launojo oppoſuit ad ultimum Tertulliani è libro de *Pudicitia* locum, quem poſt Apoſtaſiam & lapſum ad Montani factionem ſcripſiſſe notavit. Equidem aliquid Gloſſæ Launojanæ adduxit *Lupus*, ſed aliquid tantùm, non omnia, pleriſque & potioribus, quæ partim antecedunt, partim ſequuntur, & utramque Tertulliani ſententiam ante & poſt lapſum egregiè illuſtrant, non ſine manifeſta fraude prætermiſſis, hic neceſſariò reponendis. *Sic autem Launojus*: Præterea Tertullianus in ea ſe fuiſſe ſententia declarat amplius, cùm Chriſtianæ veritatis & disciplinæ metas exceſſit, ſeque ab Eccleſiæ Romanæ communione ſegregavit. *Et poſtquam ipſa citavit Tertulliani verba, iis breviter ſubjunctis, quæ Lupus excerpſit, hæc porro addidit*: Ex quo inſuper apparet, Romæ tunc eſſe creditum, quod in perſona Petri claves datæ eſſent Eccleſiæ, id eſt, ligandi atque ſolvendi poteſtas Tertullianus igitur Romanæ conjunctus Eccleſiæ, Pariſienſium ſententiæ fundamenta poſt Scripturam poſuit; à Romana ſejunctus Eccleſia ad nos Romanam adducit Eccleſiam, quæ poſita confirmet fundamenta. *Hæc Launojus*, quæ tanquam non ſcripta prætermiſit *Lupus*, aliam de Traduce poteſtatis Eccleſiaſticæ huc omnino impertinentem ex ſuomet Ingenio ſubſtituens, repetitio inſuper diſcrimine inter collationem clavium *mediatam & immediatam*, cujus vanitas ex Canone Ariſtotelis jam fuit oſtenſa, iis ſimul in fumum euntibus, quæ dè Montani factione Calvini conſenſu adtulit, dum illi Launojus receptam tunc Eccleſiæ Romanæ Sententiam oppoſuit, huic vero Sententiam planè aliam à Bellarmino adſcriptam ſupra vidimus, ut adeo hic fratres Cadmæi inter ſe poſſint jure optimo committi. In vindicandis à perverſo Lupi ſenſu teſtimoniis *Optati Milevitani* id inprimis iteratò obſervandum, eum identidem aliqua omiſiſſe, quæ adcuratius obſervata potuiſſent Lectorem magis informare, ac Launoji Sententiam confirmare. Omiſſa nimirum ſunt quædam ex ipſis Optati verbis, uti etiam ex ſubjunctis Launoji Gloſſis. Ex Optati verbis ea præſertim, quæ in perſona Petri, cui claves à Domino ſunt commiſſæ, *Unitatem retinendam vel faciendam* commendarunt. E Gloſſis autem Launoji ea, quæ citatis à Lupo proximè ſubnectuntur: *Optatus ſimile quid non ſcriberet*, nimirum, corpus Eccleſiam, *niſi poteſtatem principalem à Chriſti toti Eccleſiæ collatam fuiſſe ſupponeret, quæ poſtea per Eccleſiæ Miniſtros exerceretur.* Notanter iterum in ipſo Optati textu, poſt verba, *ſtant tot Innocentes, & peccator accipit claves*: omiſit upus proximè ſequentia notatu digniſſima & ipſam finalem collationis cauſam apertiſſime indicantia, *ut unitatis negotium formaretur*, quibus hæc addidit Launojus: *quæ omnia mirifice probant, Eccleſiam in perſona Petri claves accepiſſe.* His tamen non obſtantibus, utut fraudulenter diſſimulatis, Lupus novam uti vult videri, ſimilitudinem de viſu & auditu in corpore humano ad illuſtrationem Sententiæ, quam defendit, contrariæ opponit, dicens, utrumque ſenſum non toti corpori, ſed ſolis auribus & oculis concedi. Verum, quæ vis orthodoxæ Veritatis eſt, quod Lupus ſiniſtra manu Launojo & per tum *optato* videtur more ferino auferre, multum mutatus à ſeipſo, utut coactus & invitus, vel ſi magis proprie velimus rem hanc exprimere, inſcius & non attendens contra mentem propriam reſtituit & ultro largitur, agnoſcens, ſenſum viſus & auditus non toti quidem corpori, ſed ſolis auribus & oculis, attamen *propter totum corpus* dari, atque ſic etiam claves non quidem toti Eccleſiæ, ſed ſoli Petro

cum

cum ſuis Succeſſoribus datas eſſe, attamen *propter Eccleſiam totam*, quod ad laudatum ſupra Canonem pertinet, quamvis in eo iterum impingat Lupus, dum *ſoli Petro cum ſuis Succeſſoribus* datas eſſe claves cominiſcitur, cæteris omnibus Apoſtolis cum ſuis in univerſo orbe Succeſſoribus ab hac collatione excluſis, quos tamen *optatus* eomet ipſo inclusit, quando unitatis negotium exinde formavit atque confirmavit, quod obſervaſſe ad intelligendam rite Sententiam *Optati* ſufficit, nobis nunc à Lupo ad alium Sententiæ Launojanæ invalorem pergentibus, ab ovili Dominico vel tribus verbis abigendum.

Immanuel à Schelſtrate *l cit. p.* 20. *& ſeq.*

LOcum Mathæi de clavibus Regni Cœlorum expenſurus, agnoſcens, *majorem eſſe difficultatem* circa illius ſenſum, quam prioris de Petra, ſuper qua Chriſtus ædificaturum ſe dixit Eccleſiam, Launojum iterata vice adgreditur, hoc poſt Lupum obſervato, quod multis conglomeratis S. Patrum teſtimoniis exponat de clavibus pœnitentiæ, ſeu poteſtate ligandi & ſolvendi, omnibus Apoſtolis & Epiſcopis communi, quamque allatis viginti & ſex Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimoniis tueatur, videlicet non perſonæ Petri, ſed Petro duntaxat, ut repræſentanti perſonam Eccleſiæ, promiſſam, ſicque immediate potius Eccleſiæ, quam Petro claves eſſe datas, quidquid etiam dicat Bellarminus, hanc Sententiam ad ſcribens Synodo Smalcaldicæ, (*non Articulo Aſſmalcaldo, Germano, Lutherano*) in libro de primatu Papæ docenti, *principaliter & immediate claves Eccleſiæ datas eſſe*; quam dum idem Bellarminus ait quoque Lutheri, Calvini, aliorumque hæreticorum eſſe, conqueratur Launojus, per latus hæreticorum odioſam Pariſienſium Sententiam eſſe redditam, utpote quæ docet, poteſtatem excommunicandi à Chriſto immediate Eccleſiæ datam eſſe. Hoc antequam diſcutiatur, primo inquirendum putat & decidendum, an hoc Matthæi loco per claves promiſſus fuerit primatus Eccleſiæ Petro ejuſque Succeſſoribus. Et poſtquam adduxit verba Bellarmini, ſcribentis; *Nos & omnes Catholici per claves Petro datas ſummam intelligimus poteſtatem in omnem Eccleſiam*, non neſciens, explodi hæc à Launojo, objicente, Bellarminum ne quidem duo Patrum loca ad hujus Sententiæ confirmationem adferre, quamvis proteſtetur, non ſe Bellarmini agere Apologum, putat tamen, plura adferri potuiſſe, defectum Bellarmini ſupplens productis in medium pro hac Sententia teſtibus antiquis & recentioribus, quos idem cenſet de clavibus Petro datis cum Bellarmino ſtatuiſſe. Deinde, ubi ad reſolutionem præcipuæ, uti exiſtimat, difficultatis progreditur Antverpienſis Doctor, an ſcilicet immediate Petro, an potius Eccleſiæ in Petro fuerint immediate per Chriſtum primò promiſſæ & poſtmodum datæ, agnoſcit, eos, qui Concilii ſupra Pontificem ſtudent ſuperioritati, jam dudum tenuiſſe cum Concilio Baſileenſi, quod locutum ſit cum *Johanne Gerſonio*, adcedente *Teſtato Abulenſi*, cujus fundamenta Launojus habeat pro indubitatis ad ſtatuendam authoritatem Concilii ſupra Pontificem, utpote quod repræſentet Eccleſiam, per quam (vel cujus nomine) Petrus ſuſceperit poteſtatem clavium & juriſdictionem Eccleſiaſticam. Verùm an hæc omnia ſubſiſtant, aliam putat eſſe quæſtionem Doctor Antverpienſis, addens, inprimis Scripturam demonſtrare, quod Superioribus Concilii in clavium conceſſione immediata Eccleſiæ facta non poſſit fundari, utpote quæ non Eccleſiæ, ſed Petri perſonæ promiſſam exhibeat à Chriſto clavium poteſtatem, adducta hanc in rem *Saleſii* Gebennenſium Epiſcopi authoritate, cum conſenſu itidem antiquiorum & recentiorum Eccleſiæ Doctorum & Scriptorum, hac cenſura tandem ſubjuncta: etiamſi admittamus, Patres dixiſſe, Petrum Eccleſiæ nomine, aut ipſam in Petro Eccleſiam claves accepiſſe, ad ſummum intelligi *poſſunt*, Epiſcopos & Presbyteros non quidem in Poteſtatis plenitudinem,

Digitized by Google

nem, ſed in ſollicitudinis partem vocatos; neque Auguſtinum alioſque Patres Eccleſiæ, dicendo, claves Eccleſiæ datas, tractaſſe unquam de clavibus *Monarchicis*, ſed juriſdictione clavium per omnem Eccleſiam Petro propinquam pro parte ſollicitudinis diſtributa. Hanc enim, ſcribit porro, etiamſi concedamus à Chriſto immediate relictam Eccleſiæ, ſeu potius Eccleſiæ Miniſtris, nondum rejicitur tamen Superioritas Concilii, adeoque alia fundamenta ſunt præferenda, ut triumphum canat Launojus de Superioritate Concilii, quam ex clavibus per Chriſtum præmiſſis ſtabiliri nullatenus, proclamant & ſufficienter oſtendunt hactenus dicta.

Continuatio Vindiciarum pro Launoji Sententia.

SCipionem vere arundinem fundamenti loco ſuppoſuit Doctoris Lovanienſis Sententiæ Doctor Antverpienſis, agnoſcens ipſe, majoris ſe difficultatis opus moliri, quam in Controverſia antecedente, prudentar facturus, ſi prius tentaſſet vires, an ferre poſſint hanc molem, quam id negotium difficile adgreſſus fuit imprudenter, ſub cujus onere ſe ſuccubiturum prævidere potuiſſet, niſi vanæ oſtentationis tentigine fuiſſet correptus. Quamvis vero noluit videri Hyperaſpiſtes Bellarmini, quem defendendum ſuſcepit Lupus, nihil tamen aliud adductis Patrum teſtimoniis agit, quam ut ſuffulciat eam, ac Bellarmini vices ſuppleat, qui hiſce documentis deſtitutam & plane nudam Lectori eam commendavit. Duplicem verò in hoc teſtimoniorum cumulo commiſit errorem Doctor Antverpienſis, unum, quod pleroſque Authores, quos pro Bellarmini Sententia adduxit, mutuo accepit à Launojo, diſſimulans, eos in Doctoris Pariſini Sententiam iviſſe, quod non ſine aliqua fraude factum credi debet, ut nimirum Lector, qui hujus Sorboniſtæ libris deſtituitur, tot nomina Doctorum videns laudari, teſtimoniis non ita adcurate perpenſis cogitet, Bellarmini Sententiam ex horum authoritate primas tenere, quod non niſi in graviſſimum Veritatis à Launojo defenſæ præjudicium cedere manifeſtum eſt. Alter autem error in eo latet atque conſiſtit, quod etſi alios plane pro ſe citaſſet atque adduxiſſet Authores Doctor Antverpienſis, quam Pariſinus, nondum per omnia tamen hoc negotium eſſet confectum, quia id adhuc diſcutiendum reſtaret, quis ab utraque diſcutantium parte vel numero vel robore Teſtium prævaleat, ad quam rem examine prolixiſſimo opus eſt; hoc tantum nunc obſervato, quod extra dubium videtur poſitum, & ipſa pars adverſaria negare non poteſt, Launojum ex ſolius Auguſtini ſcriptis plura ad ſuæ Sententiæ confirmationem laudaſſe teſtimonia, quam Bellarmini & Lupi Vindex ex omnium à Chriſto Seculorum documentis omni ſtudio & labore potuit impetrare, quæ inſuper ſi ex intentione & ſcopo Authorum intelligantur, contrariam potius ſtabiliunt Sententiam, exceptis tantum recentioribus quibuſdam, videlicet *Turrecrematæ*, *Janſenii*, *Ephir*, & qui plures Aulæ Romanenſi his temporibus palpum obtrudere laborarunt, quorum vero authoritatem hic minimè in cenſum venire conſtat, & quidem multo minus, quo magis hic Doctor Antverpienſis ſtuduit omnem Concilio Baſileenſi cum *Gerſone & Toſtato*, & antiquioribus & gravioribus in præſenti Controverſia Teſtibus authoritatem abrogare, deſperatæ omnino cauſæ in hac diſputatione indicium, ad ipſam provocans Scripturam, de cujus tamen vero ſenſu ex authoritate Doctorum Eccleſiæ pro Sententia Bellarmini agere habuit in animo, quamvis hic quoque in ſubſidium vocare coactus fuerit præter *Saleſium*, Epiſcopum Gebennenſium, ob ſingularia in Eccleſiam præſentem Romanam Merita Sanctorum Catalogo antehac adſcriptum, ex antiquis *Tertullianum & Optatum*, de quibus contra Lupum fuit dictum, *Leonem quoque Magnum*, de quo proximè, ex mediis *Thomam Aquinatem*, cujus Sententia in *Vindiciis Euangelico-Thomiſticis* uberius eodem Launojo præeunte fuit expoſita & defenſa, ut taceam *Nicolaum Cœffæteum*, Epiſcopum nuper Maſſilienſium & *Perronium*

Digitized by Google

Cardinalem, cum Conciliis in Gallia recentioribus *Senonenſi & Aquenſi*, Provincialibus nempe, & quæ ji convocarunt Epiſcopi; quos conſtat ſuam authoritatem à Pontifice Romano accepiſſe ea cum conditione, ne quidquam permittant ſub inſpectione ſua doceri publice, quod ulla ratione videri poſſit præjudicium creare Sedi, quam ſemel Matrem omnium Eccleſiarum fide cœca agnoverunt, Launojo cum Sorbona Pariſienſi longe liberiori auræ adſueto, quam ut unquam ad has redigi ſe paſſus fuerit erroris manibus palpandi anguſtias, etſi ex illa Schola non plane fuerint nulli, qui Sententiam aſperiorum mollioribus verbis temperare conati ſunt, quos inter merito refertur *Duvallius*, hic quoque in medium productus. Poſt omnia autem in vanum tentata, ubi Doctor hic Antverpienſis vidit, nihil ſe coactis Authoritatibus proficere, ut non aliæ numero & robore præponderent, quas ſuo ordine in aciem deduxit Launojus, tandem diſtinctiuncula quadam Scholaſtica negotium hoc omne conficere ſe poſſe exiſtimavit, largitus ultro, cæteros cum Petro Apoſtolos, omneſque eorum in Eccleſia Succeſſores Epiſcopos nimirum & Presbyteros eſſe vocatos quidem per traditionem clavium Petro factam *in partem Sollicitudinis*, non vero *in plenitudinem poteſtatis*. Inventum laurea dignum Corona, ſi quo gauderet in Sripturis fundamento, ad quam ſupra provocavit, negans, Superiorem Concilii in clavium conceſſione immediata Eccleſiæ facta fundari. Verum, quia hoc caret fundamento, quin imo contrarium plane ex eadem perſpicue deducitur, dum quas Chriſtus Petro ante reſurrectionem ſuam commendavit claves Regni Cœlorum, eaſdem ſub poteſtate remittendi & retinendi peccata poſt reſurrectionem cæteris quoque tradidit Apoſtolis, & quod inſuper adcedit, paulo ante toti Eccleſiæ, quæ obſervatio ſimplicioribus etiam inter Euangelicos cognita inſtar Commentarii & loco plurimum interpretationum aliunde adcerſitarum & Diſtinctionum à præoccupatis mentibus excogitarum poteſt inſervire, modo ne quis in manifeſtis velit cœcutire, & inter denſiſſimas noctis tenebras ab ignibus fatuis lucem mutuari. Agnoſcimus de cætero grate & ambabus amplectimur ulnis, quod idem Doctor Antverpienſis concedit, Auguſtinum alioſque Patres dicendo claves Eccleſiæ datas *non egiſſe de clavibus Monarchicis*, ſed de Juriſdictione clavium per omnem Eccleſiam Petro, id eſt, Fidei, quam Petrus eſt coram Chriſto confeſſus, propinquam pro parte Sollicitudinis diſtributa, utpote qua Confeſſione id iterum conjunxit, *juriſdictionem videlicet atque ſolicitudinem*, quod paulo ante per diſtructionem impertinentiſſimam ſe junxerat. Num vero poſt *Gerſonem* & Concilium Baſileenſe Launojus ex hac conceſſione poteſtatis clavium Eccleſiæ, ſeu potius Eccleſiæ Miniſtris à Chriſto facta evincatur Superioritas Concilii ſupra Pontificem, poſthac DEO volente ex ejuſdem deductione oſtendetur uberius, ubi contra Bellarmini adſertum diſputabitur, per quod defendere ſuſcepit, Pontificem eſſe ſupra Concilium, & quidem univerſale.

Bellarminus *l. eod. c.* 14.

ACturus porrò de perſonâ & authoritate Petri, cujus Sedem occupare putat Pontificem Romanum, adducit etiam è Joh. 21. verba Chriſti, quibus poſt glorioſam Reſurrectionem, Petro oves commendavit paſcendas, poſt alia, quæ ad Inſtitutum exiſtimabat inſervire, provocans ad Patres idem unà ſecum in hujus Dicti Explicatione ſentientes, ſicque ſcribens: Præter Chryſoſtomum, Cyrillum, Auguſtinum, qui dicunt, ei dictum, *Paſce*, qui ter negaverat, qui ſine dubio ſolus erat Petrus, *Idem habet Ambroſius in caput ultimum Lucæ, ipſa hoc exponens verba*, Ideò, inquit, quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. *Item Maximo Serm. deſ. Petro & Paulo*, jam neceſſarium inquit, reor, ut proprias eorum ſpecialeſque Virtutes proſequamur. Hic eſt Petrus, cui Chriſtus ad Patrem adſcenſurus oviculos oveſque ſuas commendavit paſcendas.

Bel-

Bellarminus addit, Ergo proprium & ſpeciale hoc fuit Petro. Item Leo, Epiſt. 89. *ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis*, Cui, cum præ cæteris ſolvendi & ligandi poteſtas ſit tradita, paſcendarum tamen ovium cura ſpecialis eſt mandata.

Launojus *Tom. V. Epiſt. VIII. p.* 19. *& ſeq.*

POſtquam prolixum Examen contra Diſputationem Bellarmini pro Pontificis Romani authoritate Supra-Conciliari ex hoc etiam Dicto militantis inſtituit, ſuo infrà loco producendum, ad hunc quoque pervenit locum, quia Bellarminus ipſe Lectorem ſuum huc remiſerat, ita Bellarminum ex authoritate Patrum ab ipſo adductorum oppugnans: *Ergone ſequitur, quod Bellarminus infert hoc modo, Ergo tota Eccleſia Romanum Pontificem audire & ſequi tenetur. Ergo, ſi erret, tota Eccleſia errabit.* ô Paralogiſmum incredibilem. *Ambroſium* quod attinet, ſic ille verba, *Paſce oves meas*, explicat in libri de Dignitate Sacerdotali, cap. 2. *Sic certè à Domino ad B. Petrum dicitur*, Petre amas me? *Et ille*, Tu ſcis, qui amo Te. *Et cum tertio fuiſſet interrogatus, & trinâ Reſponſione fuiſſet ſubſecutus, tertio repetitum eſt à Domino*, Paſce oves meas. *Quas & quem gregem non ſolum tunc B. Petrus ſuſcepit, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo nos omnes ſuſcepimus eas.* Launojus addit, Eccleſiæ Doctor ſine ullâ hæſitatione loquitur, & perinde loquitur, ac ſi Dictum illius in ſenſu & ore verſaretur omnium. Hoc Bellarminus vel neſcivit, vel quia ſuis incommodat placitis, diſſimulandum eſſe cenſuit, ratus, aut nullos aut paucos fore, qui, quâ ratione Ambroſius hæc verba, Paſce oves meas, explicarit, diſquirerent. Bellarminus integritate & candore pari cum aliis Patribus ſe gerit. *Chryſoſtomus* quidem Homilia in Johannem poſt octogeſimam ſeptima ſcribit: *Quod Amorem Divinum maxime conciliat, eſt proximi dilectio, quam à Petro Chriſtus exigit. Nam cùm finem tibi feciſſent, dixit Simoni Petro Chriſtus*, Simon, Simon, diligis me plus his? *Dicit ei, Domine*, Tu ſcis, quod amo Te. *Dicit ei*, Paſce agnos meos. *Quid tandem aliis omiſſis de his duntaxat Petrum adfatur? Os erat Apoſtolorum, Princeps & Vertex Apoſtolici Chori. Propterea & Petrus eum præter alios viſurus adſcendit, ſimul ut ei oſtenderet, jam ſibi fiduciam eſſe habendam. Tanquam enim negationis oblivi ſceretur, fratrum ei committit curam, neque negationis meminit, nec eam exprobrat. Tantum dicit*, ſi amas me, *fratrum curam ſuſcipias, & quam in omnibus dilectionem audiviſto, & quâ delector, nunc oſtende, & animam, quam pro me poſiturum dixiſti, pro ovibus meis trade.* Et poſt alia, *Cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam commendavit.* Et iterum poſt alia: *Noli arbitrari; inquit, eodem modo me de vobis diſpoſuiſſe. Hoc autem dixit, ut intempeſtivum adfectum & conſuetudinis deſiderium tolleret. Cùm enim Apoſtoli orbis terrarum curam eſſent ſuſcepturi, ſimul amplius eos eſſe non oportebat, magnum enim fuiſſet Mundo detrimentum. Idcirco, inquit, opus ſuſcepiſti; id conſidera, profice, labora, & te certaminibus expone.* Launojus addit, His autem omnibus inter ſe collatis adparet, Chryſoſtomum ut Petro, ſic & aliis Apoſtolis nomen Paſtoris dediſſe. Poſtquam enim dixit, Chriſtum Petro orbis terrarum curam demandaſſe, paulò poſt ſubjicit, *Apoſtolis orbis terrarum curam ſuſcepturos eſſe.* Ex quo factum eſt, ut Homilia poſt ſeptuageſimam nona in Matthæi cap. 24. hæc verba, *Paſce oves meas*, ad omnes primi & ſecundi ordinis Sacerdotes extendat. *Amas me Petre*, inquit, *Paſce oves meas*, cum tertio ipſum interrogaſſet, hoc Amoris argumentum confirmavit, quod ad Sacerdotes (majores non) ſolummodò dictum eſt, verum etiam ad ſingulas noſtrum, quibus vel minimus Grex videtur eſſe commiſſus; nec enim, quia minimus eſt, negligi debet, Pater namque complacuit in ipſis. Habet unuſquiſque ovem, ad pinguia eam ducat paſcua. *Deindè* in libro ſecundo de Sacerdotio, interloquenti cuidam Baſilio perſuadere volens, ut Epiſcopatum ſuſci-

piat, huic de Johannis loco verba, ***Pasce oves meas***, sic adcommodat : ostensurum ait illum suam dilectionem in Christum, se pascat ejus gregem, cum scriptum sit, si diligis me, Pasce oves meas. ***Denique***, cum Homiliam de S. Philogenio habuit, id à Christo dictum, quod Christus Petro dixerat, in se recipit : ***Quantum, inquit, sit Pietatis argumentum, quod DEUS illum tanto Magistratis dignum judicarit, audi, quid Christus à mortuis excitatus dicat Petro***, Petre amas me, isque respondisse, Tu Domine scis, quod amo Te, (subjunxit,) si diligis me, pasce oves meas. ***Cyrillus***, videlicet Alexandrinus, in cap. 21. Joh. ad illud, ***Pasce oves meas***, sic scribit : „ Advenientem „ Petrum Christus urget acrius, utrum se plus aliis diligeret, idque tertiò. Adnuit verò „ Petrus, & diligere se fatetur, Christum sui amoris testem citans. In singulis autem „ Confessionibus multifariam audit, rationales sibi curæ esse debere oves. Ego arbitror, „ (nam abstrusum horum verborum sensum investigandum quoque ajo) frustrà hæc „ scripta non esse, sed arcani quiddam ac reconditi in se omninò habere. Num quid „ enim (non) meritò quærat aliquis, quam ob causam duntaxat Simonem interroget, „ aut quid sibi velit illud, ***Pasce oves meas***, & similia ? Respondemus igitur, Divinum „ Petrum unà cum aliis Discipulis jam electum fuisse ad Divinum Apostolatum, ipse „ quippè Dominus noster Jesus Christus eos nominavit Apostolos, uti scriptum est. „ Sed quia interea, dum procederet Judæorum facinus, non nihil lapsus est, (ingenti „ quippè captus formidine Divinus ille Petrus ter Dominum negaverat,) ægrum nunc „ sanat, & ternam confessionem loco negationis ternæ flagitat, hanc illi quodammodo „ opponens, & delicta correctione compensans. ***Et quibusdam interpositis*** : Quapropter per triplicem B. Petri confessionem peccatum triplici abnegatione contractum abrogatur. Ex eo autem, quod Dominus dicit, Pasce agnos meos, traditi jam ei Apostolatus Renovatio quædam esse censetur, quæ delictorum subindè solvit infamiam, „ & infirmitatis humanæ debet angustias. Augustinus in Tractatu post quæragesimum septimo super Johannis Euangelium ita commentatur : „ Quomodo Christus ipse animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus ad ædificandam plebem, ad adserendam Fidem animas pro fratribus ponere. Idcircà Petro, quem facere volebat Pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait, ***Petre, amas me ? Pasce oves meas***. Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio, usque ad ejus tristitiam. Et cum tantum „ interrogasset Dominus, quantum interrogandum esse judicavit, ut ter confiteretur, „ qui ter negaverat, & ei suas oves pascendas tertiò commendasset, ait illi, ***Cum junior „ esses, cingebas te & ambulabas, ubi volebas ; cum autem senueris, extendes manus tuas, „ & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis***, & exposuit Evangelista, quid Dominus „ dixerit, ***Hoc autem dixit significans, quâ Morte glorificaturus esset DEUM***. Ad hoc „ ergò pertinet, ***Pasce oves meas***, ut ponas animam tuam pro ovibus meis. ***Et post alia*** : „ Tenete ergò, quomodò Dominus Jesus Christus & ostium sit & Pastor : ostium pandendo se, Pastor intrando per se. Et quidem quod Pastor est, dedit & membris suis ; „ nam & Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi Pastores. ***Launojus*** observat, Revera Bellarminus non evolvit locum hunc, quem laudat, & quidem confidentissime. Quis ingenuitatem hominis ac modestiam non miretur ? Idem verò Magister Ecclesiarum in libri de ***Agone Christiano*** cap. 30. rem paucis omnium ob oculos posuit, scribens : ***Cum Petro dicitur***, amas me, Pasce omnes meas, ***ad omnes dicitur***. Sed in Psalmum centes & octavum intelligendæ Scripturæ, quæ ad Petrum pertinet, legem figit hoc modo : „ Sicut quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figurâ gestasse personam propter Primatum, quem habuit in Discipulis, sicut est, ***Tibi dabo claves Regni Cælorum***, & si quæ sunt hujusmodi ; ita Judas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum, qui & tunc oderant Christum, & nunc per successionem

per-

Digitized by Google

„perſeverante genere ipſius impietatis oderunt. Ut ergò Petrus, quando dictum ei, „*Tibi dabo claves*, in figura perſonam geſtabat Eccleſiæ, ſic & quando ei dictum eſt, „*Paſce oves meas*, Eccleſiæ quoque perſonam in figura geſtabat. *Launojus* porrò ſubjungit, ex Johannis autem loco, *Paſce oves meas*, per Chryſoſtomum, Cyrillum & Auguſtinum ſic explicato, quis, quæſo, præter Bellarminum alius id inferret, quod ille ſic infert: *Ergo tota Eccleſia Petrum & Succeſſorem Petri Romanum Pontificem audire & ſequi tenetur. Ergo ſi ille erret, tota errabit Eccleſia?* Quid lucraturum ſe ſperabat, cum Chryſoſtomum, Cyrillum & Auguſtinum nomine tenus citavit? Fortaſſe ſperabat, ſuæ in citandis Patribus fidei diffiſurum eſſe neminem, & ei tanquam Attico teſti & ex Jovis tabulâ Recitanti credituros omnes. At ſua Bellarminum ſpes fefellit vehementiſſimè. Quam exiguæ ſit fidei in laudandis Authoribus, ſatis ſuperque perſpectum & animadverſum eſt. Nunc pergit Bellarminus, & *Maximum* adducit. At quæ ſunt apud Maximum diviſa, Bellarminus conjungit. Nam periodus hæc, *Neceſſarium reor, ut proprias eorum ſpecialeſque Virtutes proſequamur*, multis verſibus ſejuncta eſt à periodo ſequenti, *Hic eſt Petrus, cui Chriſtus ad Patrem adſcenſuens oviculas ſuas agnoſque commendat*. Diviſas igitur conjungit periodos, quò facilius inferat. *Ergo proprium & ſpeciale hoc fuit Petro.* Quis quæſo ex illis *Maximi* verbis deducet unquam, Petrum ita Doctorem & Paſtorem Eccleſiæ totius fuiſſe, ut tota erratura Eccleſia, ſi Petrus aut Petri Succeſſor Pontificus Romanus ſemel erret, præſertim ſi alia Maximi hæc verba adjungantur: *Nos Eccleſiarum omnium Reverendiſſimos Patres, Petrum dico & Paulum piiſſimis honoremus Studiis.* Item, *Hic eſt Paulus, qui pro ſuarum Virtutum Remuneratione ultra Merita humana tertium raptus ad Cœlum cœleſtia cognovit Secreta, ut Eccleſiarum futurus Doctor inter Angelos diſceret, quod inter homines prædicaret.* „Item, Hic ſunt Beatiſſimi, Petrus & Paulus, qui Sacramentum cœleſtis regni uno Spiritu prædicantes, „ſub unius diei paſſione ſuam pro ſanguine & morte fortiſſimâ conſecrarunt Doctrinam, qui etiam tanquam omnium Eccleſiarum Principes facta Diſpenſatione cæleſti „Romam petentes ſua corpora ſacratiſſima in illius urbis arce reconderent, quæ totius „orbis obtinuerat principatum, quatenus potentiam Virtutis ſuæ Chriſtus oſtendens, „ubi mundus caput habebat Imperii, ibi Principes Regni ſui collocaret. Item in Homil. 4. de iiſdem, *Beatiſſimorum Apoſtolorum paſſio, quorum natalem & ſolemniter celebramus, cunctis eſt honoranda credentibus, quos pro Juſtitiæ Pietatis quæ plenitudine Salvator Mundi humano generi & Patres eſſe dedit, & Judices.* Item ſub finem, *Hic itaque ſunt Eccleſiarum columnæ, Petrus & Paulus.* Launojus addit, Nunc eâ Bellarminus ex his omnibus deductum de Paulo & Pauli ſucceſſoribus, quod jam de Petro & Petri Succeſſoribus deduxit, & poſtquam deduxerit, concordet ipſe ſecum, aut *Maximum* in opus ſuum malè aſſumſiſſe. Sed pergit ad *Leonem* Magnum Bellarminus, qui dum pauca tantum Leonis verba citavit, Launojus integram refert periodum, quæ ſic ſe habet: „Quam ſollicitudo poſtea, (ut Canones ſerventur) non ſua quærens, ſed quæ ſunt „Chriſti, dignitatem Divinitus datam nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum Sacerdotibus „abrogabat, ſed hunc tramitem ſemper inter Majores noſtros & benè & ſalubriter conſtitutum Hilarius, Eccleſiarum ſtatum & concordiam Sacerdotum novis præſumtionibus turbaturus exceſſit, ita vos ſuæ cupiens ſubdere poteſtati, ut ſe B. Petro Apoſtolo non patiatur eſſe ſubjectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum „vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in ſuum jus transferens dignitatem, ipſius quoque Beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, „cui cum ſpæ cæteris ſolvendi & ligandi traditi ſit poteſtas, paſcendarum tamen ovium „cura ſpecialius demandata eſt. Launojus addit, quot & quantis opus eſt fallaciis, ut ex hoc *Leonis* teſtimonio Bellarminus id colligat, quod colligere intendit, ſcilicet, Pontificem Romanum ſic eſſe Doctorem & Paſtorem totiſis Eccleſiæ, ut tota Eccleſia illum audire & ſequi tenatur, ut ſi Pontifex erret, totam continuò neceſſe ſit Eccleſiam

errare. Quis complexiones iſtas non rideat, aut non deploret? Uſque eò progreſſa eſt argumentantis cœcitas. *Launojus* pergit & porrò obſervat, Bellarminum in hoc capite, cujus aliqua pars nunc examini fuit ſubjecta, quod ad argumenti ſui probationem appignoret, nihil adducere, quod ad rem pertinet, philoſophicis tantùm & Grammaticis animadverſionibus verbum *Paſce* in varias partes circumagere, & in c. ſeq 16 rurſus laudare Chryſoſtomum & Ambroſium, quorum mens jam ſit patefacta & conſilio ejus perſpicuè oppoſita. item citare Theophylactum & Bernhardum, quos ab hac quæſtione alienos eſſe oſtenſum ſit in ſecunda quinti hujus Tomi Epiſtola, ex qua poſthac ad tertium libri de Romano Pontifice quarti caput bono cum Deo plura adducentur.

Appendix.

LAunojus in Epiſtola Partis tertiæ tertia Pontificis duo & ſexaginta pluribus cum teſtimoniis adduxit, quibus non quidem expreſſè & nominatim contra Bellarminum, ſed contra Curiæ Romanenſis adulatores hodiernos in univerſum demonſtravit, uti Lemma præſcriptum docet, *Canone, non abſoluta authoritate vel motu proprio regendam eſſe Eccleſiam.* Sunt autem juxta ſeriem ſequentes, Cornelius, Julius, Liberius, Damaſus, Siricius, Innocentius Primus, Foſimus, Bonifacius Primus, Cœleſtinus, Sixtus Tertius, Leo Magnus, Hilarius, Simplicius, Felix Tertius, Gelaſius primus, Anaſtaſius Secundus, Symmachus, Hormiſda, Felix Quartus, Bonifacius Secundus, Johannes Secundus, Agapetus Primus, Silverius, Vigilius, Pelagius Primus, Gregorius Magnus, Martinus Primus, Vitalianus, Gregorius Secundus, Gregorius Tertius, Zacharias, Hadrianus Primus, Paſchalis Primus, Eugenius Secundus, Leo Quartus, Benedictus Tertius, Nicolaus Primus, Hadrianus Secundus, Johannes Octavus, Silveſter Secundus, Johannes Decimus & Octavus, Clemens Secundus, Leo Nonus, Nicolaus Secundus, Gregorius Septimus, Urbanus Secundus, Paſchalis Secundus, Calixtus Secundus, Honorius Secundus, Innocentius Secundus, Eugenius Tertius, Anaſtaſius Quartus, Hadrianus Quartus, Alexander Tertius, Lucius Tertius, Urbanus Tertius, Clemens Tertius, Innocentius Tertius, Gregorius Nonus, Gregorius Decimus, Bonifacius Octavus, Pius denique Secundus. Horum teſtimoniis prolixè adductis ſubjunxit Launojus: Nec eſt idonea, locuples & certa Eccleſiæ Romanæ traditio, cui in cumulum adcedunt tria, quorum unum quodque per ſeipſum ſufficeret. *Primum* eſt Pontificis Romani noviter electi Profeſſio Fidei, quam ille quondam emittebat, cùm inauguraretur, & quam etiamnum, ſive dum inauguratur, ſive dum ab alia Sede tranſit ad Romanam emittere cenſetur. Tranſcripſit eam ex veteri Eccleſiæ Romanæ Diurno Launojus ibidem, quod inquit, Romæ annis ſuperioribus eſt editum, ſed captivum ibi detinetur à Magiſtris Inquiſitoribus. Nimirum Veritatis antiquæ lucem ferre non poſſunt Viri in Sedem Apoſtolicam contumelioſi. In hac autem Fidei Profeſſione authoritati & proprio motui, quo ſanis Canonibus derogatur, nihil relinquitur, cùm omnia in Canones ſacros & ſedis Apoſtolicæ Decreta ex iiſdem Canonibus promulgata tranſcribantur. Pontificis igitur novi, cùm Eccleſiam Romanam jure, non authoritate, Canone, non motu proprio regendam accipiunt, tanquam forma gregis cæteras quoque Eccleſias pari modo regendas eſſe ſignificant. *Secundum* eſt Synodi Florentinæ Decretum, quod circa Pontificis Romani dignitatem & munus in ea eſt editum, in quo inter alia legitur, *Pontifici Romano in Petro paſcendi, regendi ac gubernandi Eccleſiam univerſalem à Chriſto plenam poteſtatem eſſe traditam, quemadmodum & in Geſtis Conciliorum Oecumenicorum & in ſacris Canonibus continetur.* Sic enim legendum, ſcribit Launojus, non verò, *quemadmodum etiam*, uti vertit Abraham Cretenſis, & Juſtinianus ſubdolè retinuit, contra quam exhibuit Blondus, qui Eugenii Quarti fuit Amanuenſis,

nuenſis, atque ex ejus libri tertii deinde decima Vigericus Cardinalis in Decachordo Johannes Eckius in libri ſecundi de primatu Petri capite poſt viceſimum quinto, Johannes Roffenſis contra Adſertiones Lutheranas articulo ibidem viceſimo & quinto, Albertus quoque Pighius in libri quarti de Hierarchia Eccleſiaſtica capite ultimo; atque conſentit Editioni Latinæ Græca. Mutatio autem particulæ & in *etiam*, paſcendæ, regendæ & gubernandæ Eccleſiæ formam & rationem pervertit, & habitas à Patribus pro aſſerendo primatu diſputationes ut invalidas procul amandat. Nam particula *etiam* regendæ Eccleſiæ modum ultra Canones ſacros & Acta Conciliorum Oecumenicorum, de quibus inſtituitur ſermo, protendit; ac geminata particula &, &, Eccleſiæ regendæ modum intra Canones ſacros & Acta Conciliorum Oecumenicorum coercet. Nec eò pertinet, ut perſpiciatur, Synodum Florentinam quam maximè eò ſpectaſſe, ut jure non authoritate, Canone, non *motu proprio* gubernetur Eccleſia; ſiquidem nec in ſacris Canonibus, neque in Actis Conciliorum Oecumenicorum, ad quæ Synodus habet reſpectum, authoritati & motui proprio quidquam attribuitur, ſed potius omnia ei denegantur. *Tertium* ſuper adhuc eſt, ſcilicet ſedis Apoſtolicæ Legatorum interceſſio, ne in Actis Synodi Tridentinæ hæc formula, *Synodus Tridentina univerſalem repræſentans Eccleſiam*, adhiberetur. Interceſſionis cauſa fuit, quod genus illud formulæ in antiquis Canonibus & Conciliis reperiretur nuſquam, uti Paulus Suavis & Cardinalis Pallavicinus referunt in Hiſtoria Concilii. Atque ſic etiam in antiquis Canonibus & Conciliis reperitur nuſquam, authoritate & *proprio motu* Eccleſiam regi vel poſſe vel debere. Scilicet, jure Eccleſia ubique regitur & Canone, eamque Pontificis Romani, qui tunc claruerunt, regendam eſſe docuerunt verbo & exemplo. Nunc reliquum eſt, ſcribit Launojus porrò, ut unam in Synodum cogamus Pontifices ſexaginta duos, omnes item eos, qui laudatam Fidei profeſſionem ſubſcripſerunt, Patres quoque Græcos pariter & Latinos Synodi Florentinæ, cui Eugenius Pontifex hoc nomine Quartus præfuit & conſenſit, ſedis inſuper Apoſtolicæ Legatos, qui Synodo interfuerunt & præſederunt; atque conſideremus, qualis & quanta Synodus ſit hæc futura. Nempe, nuſquam viſa eſt talis, nuſquam major videbitur. Unicuique antehac Synodi Oecumenicæ, cui Pontifex Romanus vel per ſe, vel per Legatos interfuit, unus duntaxat ſimul & ſemel interfuit. Huic autem interſunt ſexaginta duo. Exinde, quæ Synodus conflatur ex tot Pontificibus, ex iis conflatur, quorum alii profuerunt Conciliis univerſalibus, alii autem præeſſe potuerunt. Et inter Synodi hujus Pontifices eminent ſanctitate, doctrina & fortitudine Chriſtiana Leo Magnus, Gelaſius & Agapetus Primi, Gregorius Magnus, Martinus, Hadrianus, Nicolaus Primi. His præterea adgregant ſeſe magno alii numero, per Canones ſacros & ſedis Apoſtolicæ Decreta ex iiſdem Canonibus promulgata ſervaturas ſe teſtantur & juramento confirmant. Ibidem Synodus Florentina, & ſedis Apoſtolicæ Legati, Tridentinæ Synodi Præſides junguntur Pontificibus memoratis, & ſtupendæ magnitudinis Synodum efficiunt. Id etiam obſervandum eſt, unumquemque Pontificem Romanum tali & tantæ Synodo non poſſe non ſubjici. Nam ſi unuſquiſque Pontifex Romanus Conciliis Epiſcoporum univerſalibus, Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Calchedonenſi & cæteris ſubjicitur, longè magis ſubjicietur Concilio, quod pæne ex innumerabilibus Romanis Pontificibus, Synodi Florentinæ Patribus & Legatis Synodi Tridentinæ Præſidibus coaleſcit. Quamobrem in hac Synodo de unoquoque Romano Pontifice locuti non poſſunt non intelligi Athanaſius & Auguſtinus, qui in generalibus Epiſcoporum Conciliis de eodem Pontifice locuti convenientiſſimè intelliguntur, Athanaſius quidem in Epiſtola ad Africanos: *Si quis numerum cum numero comparet, tanto major eſt Synodus Nicena Conciliis particularibus, quantum eſt totum ſui aliqua parte.* Auguſtinus verò in libri de Baptiſmo ſecundi capite quarto: *Si Concilium Cypriani attenditur, huic eſt Eccleſiæ univerſæ Concilium poſterius præponendum, cujus ſe membrum eſſe gaudebat. Nam & Concilia poſteriora prioribus apud poſteros præponuntur & univerſum partibus ſemper optimo jure*

præpo-

præponitur. Unuſquiſque igitur Pontifex Romanus, cùm ſit magis, ut ita dicatur, pars generalis Pontificum Romanorum, Patrum Synodi Florentinæ & Legatorum Synodi Tridentinæ, quam generalis tantum Concilii Epiſcoporum, illi magis adhuc ſubjicitur, quàm huic, quia totum majus eſt qualibet parte ſui, ut Athanaſius ait, vel, uti Auguſtinus ſcribit, univerſum partibus ſuis ſemper optimo jure præponitur, quod non modo Virorum tantorum authoritas, ſed etiam communis hominum ſenſus & intelligentia perſuadet. Hoc tamen non impedit, quo minus Magiſtri Curiales ac Cenſores authoritatem & *Motum proprium* tueantur, ſed aliter atque aliter. Sunt enim, qui tuentur ita, ut ſuis ſe dictis illaqueent, & nobiſcum reipſa conſentiant. Sunt verò, qui tuentur ita, ut à certa atque explorata ſedis Apoſtolicæ traditione, quam per Pontifices Romanos ſexaginta duos, perque eos omnes, qui laudatam Fidei profeſſionem emiſerunt, atque in Canonum ſacrorum cuſtodiam jurarunt, per Synodum quoque Florentinam & Legatos Synodi Tridentinæ ſcimus expoſitam, diſſentiant ac perfidioſè deficiant, eamque ob cauſam minime nobiſcum concordent. Prioris generis Magiſtri ac Cenſores dicunt, Pontificem Romanum non poſſe Canones ſacros vel ſedis Apoſtolicæ Decreta ex iiſdem Canonibus promulgata ſine evidenti utilitate & neceſſitate urgenti relaxare, aut ſi relaxet, graviter eum peccare, relaxationem verò ipſam prodeſſe tamen iis, quibus conceditur; ſed negant inde ſequi, Concilium eſſe ſupra Pontificem Romanum. At, ſi caperent, omnino ſequitur. Quid enim eſt, Concilium eſſe ſupra Pontificem Romanum, niſi, Pontificem Romanum ſubjici Concilio & ejuſdem legibus teneri? Deinde, qua ratione probant, Concilium non eſſe ſupra Pontificem, eadem & probant, Eccleſiam non eſſe ſupra Epiſcopos & generales Epiſcoporum Vicarios, quia hi Diœceſanos Eccleſiæ legibus aliquando ſolvunt, ſcilicet cum illis ægrotantibus permittunt in Quadrageſima carnem & ova manducare; imo ſic etiam probant, Decalogum vel illius authorem non eſſe ſupra homines privatos, quia nonnunquam licet illis aliquod Decalogi præceptum tranſilire, cùm, ut propriam ab aggreſſoribus vitam defendant, hos interficiant impunè. Cùm verò par ſit omnium horum ratio, quis non miretur abſurdas complexiones illas, quibus noſtri Curiales involvunt ſeſe, & quis non rideat miſeras eorum tergiverſationes, quibus hic utuntur, ut fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter committant, atque ſic Pontificem Romanum in gratiam aliorum inducant peccantem? Hæc eſt ultima inſulſitatis linea. Poſterioris autem generis Magiſtri ac Cenſores audacter pronuntiant, Pontificis Romani voluntatem, qualiſcumque etiam fuerit, eſſe regulam, qua ejus operationes & actiones diriguntur, quod tradit Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum de Eccleſia emendanda Pauli Tertii juſſu celebratum, unde quædam *Romæ non glorioſæ* nuper fuerunt inſerta, ibi, ut & alibi hinc inde legenda. Faceſſant ergo Magiſtri Curiales ac Cenſores, qui ſeorſim ab antiqua ſedis Apoſtolicæ traditione ſentiunt ac rejiciunt Concilium, quod Paulus Tertius fieri juſſit, & Paulus Quartus adprobavit. Porrò ſemper ante oculos debet conſtitui, quod Pius Secundus in Epiſtola ad trecenteſimam & Septuageſimam quarta ad Carolum Septimum Galliæ Regem ſcripſit de ſede Apoſtolica: *Multa illam oportet circumſpicere, multa metiri, ac ita ſemper ſuas actiones dirigere, ut illarum rationem Deo & hominibus poſſit reddere.* His enim verbis configuntur hodierni Curiæ Romanæ Inquiſitores, qui ſe ſupra ſedem Apoſtolicam extollunt. Hæc nimirum Sedes (ſcilicet quoadusque eſt Apoſtolica) ſic agit, ut actionum ſuarum rationes reddere poſſit hominibus, ac proinde velit; quia fruſtra poſſet, ſi nollet. Inquiſitores verò ſic agunt in cenſura librorum, ut actionum ſuarum rationes hominibus nolint reddere, ac proinde aliquando non poſſint, *imparati ad ſatisfactionem omnis rationes poſcentis*, ad Petri Monitum. Quo in eventu cùm Petro parcant minimè, nec ſedis Apoſtolicæ morem ſequantur, nihil eſt admodum, cur notæ eorum cenſoriæ reformidentur, quibus Placita vel libros Pariſienſium afficiunt, quia ſedis Apoſtolicæ traditionem exhibent, atque adverſa ſunt Romano in pectore vulnera,

quæ

Digitized by Google

quæ honeſtant, non deturpant. Atque hoc eſt amuletum & antidotum, quo contra indicem prohibitorium oportet uti.

Bellarminus, *l.* 1. *c.* 25.

PEtri primatum *teſtimoniis Patrum confirmaturus, inter alia provocat quoque ad aliqua è Cyrillo Alexandrino depromta. Et quidem poſtquam pauca quædam verba è Commentariis in Johannem adduxit, ſic pergit*: Et in Theſauro, (*ſi B. Thomæ credimus in opuſculo contra Græcos*) ſicut Chriſtus, *inquit*, accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, Dux ex Iſraël egrediens ſuper omnem Principatum & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, ut ei cuncta curventur; ſic & Petro & ejus ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & alii nulli, quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.

Idem *l.* 11. *c.* 11.

PRobaturus, *Romanum Pontificem in Eccleſiaſtica Monarchia ſuccedere Petro, inter alia Patrum Gregorium teſtimonia ex* Cyrillo *hoc Alexandrino iterum aliqua collegit, nominatim è tribus Ejuſdem Epiſtolis, ita ſubjungens*: Et in libro Theſauri: *Petro, inquit, Omnes jure Divino caput inclinant, & primates Mundi tanquam ipſi Domino JESU obediunt.* Item: *Debemus nos, ut qui membra ſumus, capiti noſtro Pontifici Romano & Apoſtolicæ Sedi adhærere, &c.* Bellarminus addit, *Quæ verba non habentur in libris Theſauri, qui nunc extant, ſed citantur à B.* Thoma *in opuſculo contra Græcos, & à Gennadio Authore Græco in libro de primatu Pontificis Romani. Conſtat autem, multos Theſauri libros periiſſe; nam citatur in Synodo ſexta, Actione decima, liber trigeſimus & ſecundus Theſauri, cum hoc tempore non extent niſi quatuordecim. Præterea Andreas Epiſcopus Coloſſenſis in Concilio Florentino, Seſſione ſeptima adfirmavit, in Theſauris Cyrilli mirificè prædicari Pontificis Romani authoritatem, nec ullus Græcorum contradixit.*

Idem *lib.* 4. *cap.* 3.

AGens *de infallibili judicio Summi Pontificis, dum id probare nititur ex Matth.* 16. *de Petra, iterùm adducit* Cyrillum *ex Catena D. Thomæ h.l. ita ſcribentem*: Secundùm hanc promiſſionem Eccleſia Petri Apoſtolica ab omni ſeductione & hæretica circumventione manet immaculata, &c.

Launojus, *T.* I. *Epiſt.* I. & II.

PRoliximè de his & aliis ſimilibus *Cyrilli* teſtimoniis, quibus Thomas non ſolùm in opuſculo contra Græcos, ſed etiam in ſuis ad libros Sententiarum Commentariis, uti & in libro contra impugnantes religionem fuerat uſus, diſputat ex cujus diſcurſu quædam breviter ſunt excerpenda, ſic autem ille, poſtquam ipſa adſcripſit verba, quæ tanquam *Cyrilli* Thomas commendavit: *B. Thomas* ætatis annum agens viceſimum & quintum Magiſtri ſententias interpretari cœpit & Commentariis illuſtrare, hinc ſub Alexandro IV. librum contra impugnantes religionem compoſuit. Tunc in Academia Pariſienſi exarſit ingens illa contentio, quæ uti Thomam, ita & *Bonaventuram* impulit ad ſcribendum. Mox ſub Urbano IV. confutandos Græcorum errores adgreſſus eſt, &

ſuum Tractatum huic Pontifici nuncupavit. Sic Doctor ſanctus, cùm eſſet junior Theologus, imponi ſibi paſſus eſt ab eo, qui relata teſtimonia *Cyrillo* Alexandrino ſuppoſuit. Verùm enim verò, cùm ad maturiorem pervenit ætatem, factus doctior & cautior hæc teſtimonia habuit pro derelictis & ſilentio, deprehenſæ vel ſaltem olfactæ falſitatis indice ſuppreſſit. Inter omnes convenit, *Theologiæ ſummam* Doctoris ſancti opus eſſe ultimum & cæterorum perfectiſſimum, quod tamen prius, quam demigraret ab hominibus, abſolvere non potuit. In *ſecunda ſecundæ* ſunt loca maximè tria, quæ nec minus utiliter, nec minus opportunè, quàm Commentarii in libros ſententiarum & opuſcula contra impugnantes religionem & errores Græcorum, videntur authoritates illas omnes, vel certè aliquas poſtulare, ſi qua veritate inferentur. Et poſtquam ipſa indicavit loca *Launoji*, quibus teſtimonia hæc potuiſſet inſerere Thomas, *ſi tum adhuc ex cenſuiſſet genuinæ*, addito quodam non minoris momenti ſcrupulo circa ipſam eius ſummam, an videlicet Thomam agnoſcat authorem, quæ conſideratio alius eſt loci, ſubjungens inſuper locum ex *Quodlibetis* quartum, ejuſdem cum antecedentibus argumenti, ſic porrò ſcripſit: *Ecce, loca quatuor*, in quibus firmamenti ac roboris non parum attuliſſent relata Cyrilli teſtimonia. Hæc rem ſtylo decretorio conficere quis negaret? prætermiſſionis quæ cauſa, niſi quod Thomas factus conſultior ſuboluit falſitatem, quam minus olim conſultus ſubolere nòn potuit? Iterùm poſt aliquem Chryſoſtomi locum, quo itidem Thomas in opuſculo contra Græcos utitur, cenſuere ſubjectum, de quo ex Epiſtola ſequente tertia aliquid obſervabitur, item poſt vindicatum aliquod Thomæ ex eadem Summa teſtimonium, de relatis ex Cyrillo obſervat porrò *Launojus*, ea tam non eſſe, nec eſſe poſſe apud Cyrillum, quam non ſint, nec eſſe poſſint apud Virgilium vel Heſiodum. Et primo quidem, ſcribit, teſtimonium illud, quod ter aut quater apud Thomam repetitur, Theſaurorum liber ſecundus non habet, uti habere dicitur in opuſculo Thomæ contra impugnantes religionem. Bellarminus hic tenetur, qui ſecundum hunc librum habuit. *Præterea* ſecum pugnat, dum uno in loco certa vult eſſe Cyrilli apud Thomam teſtimonia, alibi ea ſibi eſſe ſignificat incerta. *Inſuper*, ſi verba hæc non extant in ſecundo Theſaurorum libro, nec deinde poſſunt extare, monet Launojus, quod libri hujus argumentum, quod hoc eſt, *Ingenitum non eſſe ſubſtantiam, ſed ſubſtantiæ ſignificativum*; Cyrilli autem proprius tractandi modus, quia operi ſuo ſemper inſiſtit, nec unquam à propoſito digreditur, vel rebus indulget amplificandis. Tunc totus Theſaurorum liber, qui aſſertationibus triginta quinque conſtat, nullam poteſt objicere paginam, in qua, quæ Thomas *Cyrillo* tribuit, locum habeant, ſiquidem de *ſancta & conſubſtantiali Trinitate* totus eſt, & in eo toto proponuntur & varie diluuntur objectiones, quibus Ariani, Eunomiani, & alii id genus hæretici impetunt Trinitatem. His adductus cauſis facile credo, ſcribit porrò Launojus, nec Bellarminum, nec alios, qui relata *Cyrilli* apud Thomam teſtimonia vindicant, legiſſe unquam codicem Theſaurorum, quem laudarunt. Hunc Codicem putarunt eſſe veluti Arcam quandam maximam, quæ rebus cujuſcunque generis repleretur. Denique *Gennadius*, qui Florentinæ Synodo interfuit, à quibuſdam Latinis deceptus eſt, & forſan decipi voluit. Quidquid id eſt, Gennadius efficere non valet, ut Cyrillus in libro Theſaurorum ſcripſerit, quod non ſcripſit. Non moror Synodum ſextam, quæ Bellarmini conſilio non prodeſt, ſed nocet. Nam quæ in Actione decima de libro Theſaurorum citantur, nec ipſa prorſus apud Cyrillum occurrunt. Ergo inter Synodum & Thomam hoc diſcrimen eſt, quod Synodus vere, Thomas falſò laudaverit Cyrillum: Quid ex eo Bellarminus & ejus ſectatores lucrantur? *Præterea* quæ geſta ſunt in Synodo Florentina, teſtimoniorum ſuppoſitionem validiſſime confirmant. In Seſſione ſeptima fuit, qui palam dixerat: *Habemus, Patres optimi, multas alias hac de re ſententias, ſed longe ante omnes Cyrilli in Theſauris; elucet enim præcipue Romani Pontificis authoritas in Scriptis Cyrilli.* Sed homo iſte in Seſſione vigeſima & quinta obmutuit, cùm loqui debuit etiam cantore clamoſior. Cyrilli theſau-

Digitized by Google

theſauros non aperuit, cùm aperiendi occaſio ſeſe obtulit. Nonne tunc vehemens & pugnax concertatio Romanos & Græcos diu tenuit, cùm faciendum fuit Fidei decretum circa Pontificis Romani dignitatem) Cur, quæſo, Græcis Romani non objecerunt Cyrillum, ſummæ apud eos authoritatis Epiſcopum, qui plura Petro, & in Petro ſucceſſoribus Petri, quam Romani peterent, concedit? Cur Romani Græcis relata non objecerunt teſtimonia, quæ Græcis ad moram & tergiverſationem intercluderent omnem aditum? Cur in præſtandis illis teſtimoniis non oppignerarunt Thomæ fidem? oppignerare non ſunt auſi. Et primùm Græci quidem Græca poſtulaſſent Cyrilli exemplaria. Quis dediſſet, & quis etiamnum ea daret, in quibus, quæ Thomas habent, reperirentur? Integrum opus Theſaurorum in lucem prodiit, ubi nec vola, nec veſtigium eſt teſtimonium, quæ exhibuimus. Græci à Latinis eſſent ſciſcitati, quis relata è Græco vertiſſet in Latinum teſtimonia, an Thomas, vel alius? Nemo affirmaſſet, Thomam vertiſſe, qui Græcè non intelligebat. Si alius, quæſiiſſent, quo tempore claruerit, an totum opus Theſauri verterit, an eas tantùm partes, quas B. Thomas in ſuos jecit Commentarios; item, cur vertendo periodum imperfectam & mutilam reddiderit: *ut membra maneamus, &c.* Certa quædam verba præcedentia cum inſequentibus jungenda utique fuerunt, ne Cyrillus vaſtè & hiulcè loqui videretur. Quæſiiſſent quoque, quoſnam Cyrillus adloquatur per illud, *Ut membra maneamus in capite noſtro, Apoſtolico Throno Romanorum Pontificum &c.* vel per illud, *Itaque, fratres, ſi Chriſtum imitamur, ut ipſius oves vocem ejus audiamus, manentes in Eccleſia Petri*, &c. An adloquatur Ægypti, Orientis vel Occidentis Epiſcopos, quare ſic adloquatur, quare in Theſaurorum opere res tam alienas tractet, quare Thomas non omnia, quæ ex Theſauris acceſſit, unicuique Theſaurorum ſeu libro, ſeu capite, ſeu aſſertioni aſſignet, quare in hac part Synodum ſextam non imitetur, quare in Theſauris extent, quæ Synodus ſexta laudat, non vero extent, quæ Thomas laudat? Hæc omnia egregie adducit contra Bellarminum *Launoji*, qui in ſequentibus etiam prolixè è genuinis Cyrilli ſcriptis colligit teſtimonia, per quæ manifeſtum facit, quid is de Petro, de Apoſtolis, de Petro & Apoſtolorum ſucceſſoribus tradiderit, tot nimirum argumenta, quibus relata Cyrilli apud Thomam teſtimonia penitus abjudicantur, & illorum vindicationi fortiter interceditur. Neque his contentus, poſt Chryſoſtomi, proximè Cyrillum antecedentis, etiam quorundam Pontificum Romanorum, nominatim, *Cœleſtini, Leonis Magni, Siricii* teſtimonia his, quæ Thomas Cyrillo attribuit, contraria exhibet lectori, & poſtmodum haud inuliter quæri cenſet, quo tempore relata teſtimonia Cyrillo fuerint ſubjecta, ſuam de his mentem ſequentibus exponens: poſt Nicolaum Primum & Leonem Nonum ſubjecta fuiſſe mihi facile perſuadeo. Nicolaus & Leo Græcis, quibuſcum pugnarunt acriter, non objecerunt hæc teſtimonia, & quod eorum eſt ingenium, objeciſſent, ſeu, quia non licuiſſet in teſtimoniorum veritatem inquirere, ſeu, quia ſibi ab incertis narrationibus non cavebant. Leo ſedis ſuæ authoritatem Conſtantini donatione confirmat, Nicolaus abdicatione Polychronii Hieroſolymorum Antiſtitis, quem fuiſſe nunquam, norunt, qui de Eccleſiaſtica non nihil deguſtarunt Hiſtoria. Horum vero teſtimoniorum ſuppoſtor & malleator non Græcus, ſed Latinus fuit, & recentibus linguæ ſuæ idiotiſmis ſe prodidit: *In omni capitulo & ſynagoga, in omni electione & adfirmatione, jure divino caput inclinant, primates mundi* Petro *tanquam ipſi Domino* JESU *obediunt*, quæ locutiones novitiolam apud Latinos paraturam ſapiunt, & antiquitate Græca, Latina nulla ſe defendunt. Deinde, quid ſibi vult, *Petrus Chriſti humanitas eſt, ipſe ſcilicet homo, cui tota æternitas pleniſſimam dedit poteſtatem?* Theologi veteres non ita loquuntur. Tunc verba hæc. *Ut membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico Throno Pontificum Romanorum*, atque id genus alia, Suppoſitoris tempus & propoſitum important. Tempus quidem, quo Græci à Latinis ſeceſſerant; propoſitum vero, ut per Græcorum illuſorium authoritatem tollendo ſchiſmati conſuleretur. Sed ſtrophas & hujuſmodi fucos chriſtiana non

agnoſcit religio, quæ in veritate ſumma & in eminentiſſima ſimplicitate conſiſtit. Id, opinor, crediderunt plerique, qui ſuppoſitis Cyrillo teſtimoniis ſunt uſi, & continuo decepti. Poſt pauca obſervat porrò *Launojus*: Thomam omnium primum his uſum teſtimoniis reperio. Mox quod ille uni tribuit Cyrillo, *Urbanus Quartus* in Græcorum Authorum plurium ſenſum deputat in Epiſtola, quam ad Palæologum Imperatorem ſcribit anno M.CC.LXIII. verba ſunt: *Manentes ſicut membra in eodem capite, Apoſtolico ſcilicet Throno Romanorum Pontificum, à quo quærendum eſt, quid tenendum ſit, quidque quærendum, cum ejus ſit reprehendere, ſtatuere, ordinare, diſponere, præcipere, ſolvere, & loco illius ligare, qui illum ædificavit, & quod aliis nullis, ſed ipſi ſoli, quod plenum eſt, tradidit & conceſſit. Huic etiam Throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & primates mundi veram confitentes Fidem tanquam ipſi Domino JESU obediunt, prout nonnullorum Sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm aliorum Scripturæ veridicæ aſſeverant.* Launojus hanc apponit Gloſſam. Hæc non tam ſunt *Urbani*, quàm illius Scribæ, qui relato Cyrilli apud Thomam teſtimonio, in quo multa aliena & peregrina videbat, detraxit quædam & addidit alia, ut quæ utantur à Græcis Patribus, in manſuetiorem & tolerabiliorum crudirentur authoritatem. Et tamen adornata illa verborum, ſe habet complexio apud Græcos Patres reperitur nuſquam Poſtquam vero Launojus oſtendit, his iisdem teſtimoniis uſum eſſe antehac ſub finem ſeculi poſt decimum quarti quendam *Johannem Monteſonum*, contra quem *Petrus Alliacus*, tunc Collegii Navarrici Magiſter nomine Facultatis Theologicæ peculiarem ediderit Tractatum, utpote qui ab Epiſcopo & Theologis Pariſienſibus, ut à Judicibus non legitimis appellaverit ad Clementem VII. loco fundamenti appellationis hæc ipſa ponens teſtimonia Cyrilli, quæ effecerint, ut homo reus Epiſcopi & Theologorum Pariſienſium Juriſdictionem declinaverit, perindè ac ſi Epiſcopus & Theologi Pariſienſes authoritate caruiſſent omni; poſtquam itidem adduxit Scriptorum quendam novitium, qui ſe *Iacobum Vernantium* appellavit, quem is vero nominavit *Naureum Carmelitam*, (contra quem ante hæc quinque luſtra ſub nomine Facultatis Theologicæ Pariſienſis edita eſt cenſura, proximo videlicet Anno poſt ſcriptam hanc utramque à Launojo Epiſtolam, quam ſuo adprobarunt calculo Authores *Ephemeridum eruditarum*, ſimul rejicientes librum, qui eidem paulo poſt fuit oppoſitus) qui iiſdem Cyrilli teſtimoniis confiſus Eccleſiaſticam atrociter invaſerit Hierarchiam, primi & ſecundi ordinis Sacerdotum dignitatem, munera, & jura peſſum dederit; & veteres illos inſtauraverit errores, quos Facultas Pariſienſis ſæpius confixerit, quos etiam Gallicana prædamnaverit Eccleſia, adducto Caroli Cardinalis Lotharingi commonitorio, in quo hæc expreſſe leguntur, *in Academia Pariſienſi teneri, Pontificem Romanum ſub eſſe Concilio, & qui doceant ibi contrarium, tanquam hæreticos notari*, & iterum, *Privilegia ſeu libertates Regni in hac Veritate poſitas eſſe univerſas*, & ſequentur, tandem priori finem imponit Epiſtolæ verbis ſequentibus: Hic gradum ſiſto, nec alia perſequar mala, quæ ſuppoſita hæc teſtimonia in ſacræ Doctrinæ Scholas invexerunt. Sufficit malorum indicaſſe fontes, & una ſtatuiſſe, quæcunque his ſuperſtruuntur teſtimoniis, ruinoſo & male materiato ſuperſtrui fundamento, ac ea Apoſtolicæ Sedis dignitati obeſſe quidem, prodeſſe autem non poſſe. Adit, *Baronium*, quem nemo neſciat opportunitatem hujus Sedis adſertorem eſſe cupidiſſimum, & ubicunque & quomodocunque, quæ illius amplitudini, commodis, honori inſerviunt, corrogare, ſilere de relatis teſtimoniis omnibus, ac contemſiſſe potius illa, quam non vidiſſe, atque putat, hanc obſervationem ſolam, ſi alia adcederet nulla, videri teſtimoniorum vanitatem ſufficienter demonſtrare; inſuper Jacobo Cardinali *Perronio* in reſponſione ad Regem Brittanniæ occaſionem non defuiſſe faciendi, quod Baronius non fecerat, ſed Virum prudentem & attentum facere itidem neglexiſſe, cum de retinenda & ornanda Pontificis Summi dignitate vel maxime cogitaret.

Hæc ex priori Epiſtola Launoji contra Cyrilli teſtimonia, quæ Bellarminus in duobus

bus primis de Pontifice Romano libris è Thoma in ſuos tranſtullerat uſus. Nunc in ſecunda progreditur ad illud, cujus aliquam partem Bellarminus quarto de eodem inſeruerat libro, aliquam dico partem, quod integrum Launojus è Thoma his exhibet verbis ad Matth. c. 16. ac in eo verba Chriſti de Petra: „ Secundum hanc Domini promiſ„ ſionem Eccleſia Petri Apoſtolica ab omni ſeductione hæreticaque circumventione ma„ net immaculata ſuper omnes Præpoſitos & Epiſcopos, & ſuper omnes Primates Ec„ cleſiarum & populorum in ſuis Pontificibus, in fide pleniſſima & authoritate Petri. Et „ cum aliæ Eccleſiæ quorundam errore ſint verecundatæ, ſtabilita inquaſſabiliter ipſa re„ gnat ſola, ſilentium imponens & omnium obturans ora hæreticorum, & nos neceſſario „ ſalutis non decepti ſuperbia, nec vino ſuperbiæ inebriati, typum Veritatis & ſanctæ „ traditionis Apoſtolicæ una cum ipſa profitemur & prædicamus. Launojus plurima ad hæc obſervat, hic minime prætermittenda. *Primo*, ſcribit, Bellarminus in citatione quorundam ex hoc teſtimonio verborum per adpoſitum &c. Supprimit ejus reſiduum, quod ipſum ſenſu & legitima caret conſtructione, quod autem à vero in tantum abhorret, inquantum abhorrere poteſt. Bellarminus falſitatem ſubolfecit, ſed ne alii quoque ſubolfacerent, vi adlata teſtimonio cavendum eſſe cenſuit. Indigebat prima parte teſtimonii, ut, quod lemma ſibi ſumſerat, confirmaret. Hoc obſervaſſe, repetitum è S. Thomæ Catena teſtimonium Cyrilli cum fide Bellarmini profligaſſe eſt. *Secundo*, qui hunc locum B. Cyrillo ſuppoſuit, quo facilius ſupponeret, & S. Thomæ abuteretur credulitate, & cæterorum per Thomam, relatum Theſauri libris tranſcripſit locum. Suppoſtor libros Theſauri putavit eum eſſe fundum, cui excellentiſſima & pretioſiſſima quæque tranſcribi poſſint impune. Quotus enim hominum ſimplicium quiſque eſt, qui, cum laudatum in libris Theſauri Cyrillum adſpicit, non ſtatim in rem laudatam conſentiat; & maxime quidem, ſi res laudata, ut hic accidit, præjudicatæ ſerviat opinioni. Nam animus jam aliqua opinione occupatus omnia ſibi concinere, uti optat, ita etiam retur. *Tertio* editi ſunt à Cyrillo eruditi & ingentes in multos V.T. libros & Johannis Euangelium Commentarii, qui non habuerunt fata hæc, ut eos Suppoſtor vultu meliore reſpiceret, his enim Commentariis de authoritate falſa non accommodavit. Fatorum genus hoc reſervabatur libris Theſaurorum, ut in eos falſa inferrentur teſtimonia. Illata ſunt, ut conſtat ex B. Thomæ Commentariis in libros Sententiarum, ex libro contra impugnantes Religionem, è Catena Patrum, atque ex opuſculo contra Græcorum errores. *Quarto*, indiſtincti ac promiſcue ſunt illata, quo fraus agnoſcatur difficilius. Semel quidem citatur Cyrillus in libris Theſauri, ut in Catena, iterata autem vice in libro Theſaurorum, ut in opuſculo contra Græcos. Librum contra impugnantes religionem prætereo, quia Bellarminus videtur eum legendo non percurriſſe. Phraſis prior ſignificat, Theſauri libros fuiſſe complures; poſterior autem, Theſaurorum librum fuiſſe unum. Bellarminus hoc tacitum tanquam Myſterium tenuit, & diſſimulanter priorem recepit phraſin in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cum opera Cyrilli recenſet, & recenſione facta per certas quaſdam obſervationes notat, quid de unoquoque opere ſibi videatur. Ad propoſitum eſt obſervatio ſexta hæc: *Theſaurus creditur eſſe imperfectus, multa enim citantur a* S. *Thoma in opuſculo de erroribus Græcorum ex Theſauro Cyrilli, quæ in his libris inveniuntur*, videlicet, quatuordecim, totidem namque numeraverat ante. Hoc judicium eſt hominis, qui in aqua, ut ajunt, turbida piſcatur, & lucrum undeunque captat, & revera non tam Veritati conſulit, quam citatis à ſe teſtimoniis, quæ Cyrillo tribuit, & ſimul ea interpolat, quæ Thomas eidem adſcribit. Sic autem Thomas tribus in locis, *ut membra maneamus in capite noſtro, Apoſtolico Throno Romanorum Pontificum*. Bellarminus vero, *debemus nos, ut qui membra ſumus, capiti, Pontifici Romano & Apoſtolicæ Sedi adhærere*. Ubique ſponſorum ſibi vindicat Thomam, qui in libri contra, impugnantes Religionem cap. 3. cum laudet Cyrillum in libro Theſaurorum ſecundo, & ſuum & Bellarmini collum in laqueum inſerit, nam quæ ibi Tho-

Digitized by Google

mas è libro Theſauri ſecundo refert & Bellarminus ex Opuſculo Thomæ contra Græcos nec in eodem libro, nec in libris quatuordecim, qui Bellarmini ætate tantum exſtabant, nec in libris triginta quinque, qui noſtra extant Græcè & Latinè, reperiuntur. Ἀντίθεσις & Oppoſitio hæc eſt quæ nunquam diluetur, quæ adverſus Thomam, Bellarminum & ejus Sectatores cuncta decernit, quæ ſubjectas Cyrillo authoritates in oculis conſpectuque omnium exponit. *Quinto* Cyrillus opinor non diceret res à ſuo Tempore tam alienas, quam quæ poſſunt eſſe alieniſſimæ. Diceretne *quod Apoſtolica Petri Eccleſia in fide pleniſſima & authoritate Petri ſtabilita inquaſſabiliter ipſa regnet ſola?* Hoc ſi diceret pugna ſecum. Alexandrina enim Cyrilli Eccleſia quid fieret, ſi tota regnabat Eccleſia Romana? jam Alexandrina perierat, & eò periiſſet certius, quod id Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus teſtaretur. Falluntur ergò Imperatores, Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, cum Anno CCCLXXX. Conſtantinopolitanis edicunt, eam Religionem eſſe amplectendam, *quam Damaſus Romanus & Petrus Alexandrinus prædicant & ſequuntur*, in Codice Theod. Lib. XVI tit. II. Falluntur iterum Imperatores iidem, & gravius quam antea, cum anno inſequenti Catholicos ab hæreticis ſecernunt, nulla mentione facta Eccleſiæ Romanæ, in Reſcripto ad Auxonium Aſiæ Proconſulem, ibid. tit. 3. Fallitur B. Hieronymus æqualis Cyrillo, qui Fidem *ut in Romana, ſic & in Alexandrina Eccleſia Regnantium* adpellat, & ſe ab hæreticis hoc pacto diſtinguit in Epiſtola, quam ad Marcum Celedenſem Epiſcopum ſcripſit. Fallitur Cœleſtinus, Pontifex Romanus, æqualis itidem Cyrillo, cum Neſtorio præſcribit, eam eſſe Fidem tenendam, quam Romana & Alexandrina & univerſalis Eccleſia prædicat, in Epiſtola ad Cyrillum. *Sexto*, nunc Cœleſtinum ab aliis ſeparo, & præ me fero, illum unicum ad demonſtrandam teſtimonii Cyrillo adſcripti ſuppoſitionem non ſatis modo, ſed abunde etiam eſſe, ac ſufficere pluſquam. Aqua enim & ignis inter ſe conjungerentur facilius, quam ſuppoſitum Cyrillo teſtimonium, & edenda à Neſtorio Fidei confeſſio, quam Cœleſtinus præſcribit. Nam, aut ſuppoſitum eſt teſtimonium, quod Cyrillo apud Thomam adpingitur, aut ſuppoſita eſt Epiſtola, quam Cœleſtinus ſcribit ad Cyrillum. Inter utrumque nihil eſt vel eſſe poteſt intermedium. At ſuppoſita non eſt Cœleſtini Epiſtola ad Cyrillum, quæ Actis Epheſinæ Synodi illigatur, quæ Græce & Latine extat tum in iiſdem Actis, tum inter Epiſtolas Cyrilli. *Septimo*, Ad Bellarminum redeo propter eos, qui cauſarentur, illum per unum *&c.* ideo ſuppreſſit, quod ſuppreſſit reſiduum teſtimonii, quia eo ad probandam adſertionem ſuam minime indigebat. At illi non tam cauſarentur, quam calumniarentur. Hæc enim verba, *Super omnes Præpoſitos & Epiſcopos, & ſuper omnes primates Eccleſiarum & populorum in ſuis Pontificibus, in fide pleniſſima & authoritate Petri, & eam alia Eccleſiæ quorundam errore ſint verecundata, ſtabilita inquaſſabiliter illa regnat ſola, ſilentium imponens & omnium obturans ora hæreticorum*, quæ conſequuntur proxime illuſtriorem reddunt Adſertionem, qua Bellarminus Pontificem Romanum errare definiendo non poſſe propoſuerat. Deinde his verbis non utiturin libri de Conciliis ſecundi ep. 15. 16. 17. ut eundem Pontificem extollat ſupra Eccleſiam & Concilia, & ſi quis adferret, ex iis rationem ſatis firmam colligi non poſſe. Id quidem verum eſſe reſponderem, ſed omnino contenderem, futuram eſſe firmiorem argumentis omnibus, quæ ex Concilii Sinveſſani, Romani ſub Silveſtro, Synodi Calchedonenſis, Concilii Lateranenſis ſub Alexandro ex Leonis primi, Gelaſii primi, Gregorii primi, Nicola primi, Paſchalis ſecundi, Innocentii tertii authoritatibus depromit. Itaque cum Bellarminus reſiduo teſtimonii non utitur, cum uti debuit, &, quia noverat, potuit, illud ſiccus & prudens rejecit, verituſque eſt, ne ſi illam moveret Camarinam, detegendæ fraudis ad unius cujuſque pectus advolantis occaſionem præberet. *Octavo*, Verba hæc, *primates Eccleſiarum & populorum*, ad Cyrilli ſtylum quid pertinent? In uſu non ſunt apud Cyrillum, nec apud Romanos Pontifices, Cœleſtinum, Bonifacium, Foſimum, Innocentium, Anaſtaſium, Siricium, Damaſum, Liberium, Julium. In uſu ſunt apud Iſidorum Merca-

Digitized by Google

Mercatorem, qui primis Pontificibus Romanis Epiſtolas ſubjicit. Hoc notum & iis, qui adulterina hæc legerunt Monumenta. *Nono*. Quid ſibi volunt opicæ & barbaræ locutiones iſtæ, *cum aliæ Eccleſiæ quorundam errore ſint verecundatæ*, item, *& nos neceſſario ſalutis non decepti ſuperbia, nec Vino Superbiæ inebriati?* Quis quæſo res tam abſurde ſcriptas abſque injuria tribuat Cyrillo-Impoſtor neſciebat, enucleatum prorſus & limatum dicendi genus eſſe, quo Cyrillus utitur. Mitto ἐπίμμα illud *inquaſſabiliter*, quo velut Herculis clava Monſtrum quamlibet immane perimeretur. *Decimo*, Joh. Nicolajus, Ordinis Dominicani & Theologiæ Profeſſor, qui Thomæ Catenam A. MDCLVII. Pariſiis curavit imprimi, cum videret hæc omnia, in margine notavit: *Verecundatæ*, ſeu deturpatæ ac infamatæ. Sed, quid, quod ſequitur, *& nos neceſſario ſalutis non decepti ſuperbia* &c. Divinare non licet. An *decepti ſuperbia Salutis*, id eſt præſumtione; *an Salutis neceſſario*, id eſt, neceſſitate confitemur? An mutata ſunt quædam, quæ ſenſum turbant? Nec recurri ad fontem poteſt, cum in libris Theſauri, qui nunc extant, nihil tale reperiatur, ſeu Latine, ſeu Græce, adeòque aliquos excidiſſe conjectura ſit, *uti Bellarminus in Tractatu de Scriptoribus notat.* Ut omittatur Gloſſa, quæ niſi Textu pejor ſit, certè melior non eſt, ad fontem recurri facile dico poſſe. Nunc integer Cyrilli Theſaurus habetur, que τῶν λόγων triginta quinque conſtat. Varii varie interpretantur τοὺς λόγους Leo ſecundus in Synodi ſexta ubi Theſaurus non ſemel allegatur, Verſione nunc capitula, nunc libros, *Georgius Trapetuntius*, Interpres Cyrilli vetus, librum primum, ſecundum, tertium &c. *Johannes Aubertus*, Interpres noviſſimus, Aſſertiones vocat. Quidquid id eſt, de Archetypo, quod ſuppetit, cenſetur. Bellarminus notare potuit, quod notavit; *Nicolaus* non potuit. Bellarmini tempore publicati tantum erant libri quatuordecim Theſauri, Nicolai verò triginta quinque. Sed cum Nicolaus in libris Theſauri, qui ſuo extant tempore, nil tale reperiri ſeu Græcè, ſeu Latinè dicit, rectè dicit; dixiſſet adhuc rectius, ſi nil tale reperiri poſſe addidiſſet, ſic inſuper, quæ Cyrillus de Petro, ejuſdemque Succeſſoribus, item de Apoſtolis & eorum Succeſſoribus Epiſcopis docuit, inſpexiſſet vel leviter, ſi tandem Eccleſiæ ſtatum, qui tunc erat, contemplari dignatus eſſet. Nempè, & S. Thomæ liberare, & temerè adamatum B. Cyrillo teſtimonium aſſerere voluit. Sed neutrum fieri poteſt, ſi potiora eſſe Veritatis jura, quàm hominis cujuſcunque intelligat. *Undecimo*, Quâ ætate floruit Cyrillus, affirmari non potuit. *Eccleſiam Petri ab omni ſeductione & hæretica circumventione immaculatam manere in ſuis Pontificibus, in Fide pleniſſimâ*, ut ex iis, quæ de Liberio poſſunt obſervari, perſpicuum eſt. Adjicio Hilarium Liberio æqualem, qui in fragmentis à *Pithœo* editis anathema denuntiat Liberio, & verè ſe denuntiare in libro, quem adverſus Conſtantium Imperatorem ſcripſit, confirmat. Adjicio Athanaſium in Epiſtola ad Solitarios, quin & *Philoſtorgius* non aliter de Liberio, quam Hilarius & Athanaſius. Hæc autem ratio, cum ſe totam in unum conglobavit, quis ei reſiſteret, & relatum à B. Thomâ teſtimonium propugnaret? *Duodecimò*, Eccleſia Romana in Felice Pontifice, qui in Liberii Exulis locum ſuffectus eſt *immaculata non manſit in Fide pleniſſima, nec ſilentium impoſuit, nec omnium obturavit ora hæreticorum*, ut Athanaſius Cyrilli Deceſſor in memoratâ jam Epiſtolâ teſtatur; cui adjungi poteſt Socrates, uti & Theodoretus ac Sozomenus, qui duo poſteriores, quanquam aliter rem narrant, inſtituto tamen noſtro ſatis convenienter. Romanâ certè Eccleſia ſecundum narrationem illorum *in Felice immaculata non manſit.* Auguſtinus quoque poſt *Optatum Milevitanum* in Epiſtolâ poſt centeſimam & ſexageſimam quinta ad Generoſum texit Pontificum Romanorum ſeriem, & ab eâ hunc rejicit Felicem, ob id forſan, quod de eo ſcripſit Athanaſius: poſt eorum ſeriem verò ſic ſcribens: *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam Traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ & innocentibus*

Chri-

Christianis, quibus providens Dominus ait de Præpositis malis : Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite ; dicunt enim, & non faciunt. *Ut certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in DEO collocata nunquam tempestate Schismatis sacrilegi dissipatur.* Hic dubitari vix potest, quin Augustinus, nisi ad casum Liberii, ad aliquid profectò simile respiciat. Ex quo rursus intelligitur, in relato suprà testimonio Doctrinam exprimi, quæ ad Augustini & Cyrilli tempus, non pertinet. *Decimo & tertio*, Hæc inter se non concordant, *Ecclesia stabilita inquassabiliter ipsa regnat sola*, &, *nos: Typum Veritatis & Sanctæ traditionis Apostolicæ unà ipsa profitemur & prædicamus.* Nam si sola regnat Ecclesia Petri, quomodo Ecclesia Marci per Cyrillum Alexandrinum unà cum Ecclesia Petri Typum Veritatis & Apostolicæ traditionis profitetur & prædicat ? Vel contrà si Ecclesia Marci Veritatis & Apostolicæ traditionis typum unà cum Ecclesia Petri profitetur & prædicat, quo pacto sola Petri regnat Ecclesia ? Cyrillus pugnantia hæc nunquam locutus fuisset. Impostor ita locutus est, non Cyrillus. *Decimo & quarto*, Verba hæc, *Ecclesia Petri sola regnat silentium imponens & omnium obturans ora hæreticorum*, Cyrillum quid adtinent? Nonne Cyrillus Nestorio silentium imposuit, nonne obturavit illorum ora, qui stabant & partibus Nestorii, Nonne Scriptis suis hæresin Nestorii perculit & adfixit ? Nonne in Actione secundâ Concilii Ephesini, uti Cœlestino, ita & Cyrillo adclamatur ab universis Episcopis, *Novo Paulo Cœlestino, novo Paulo Cyrillo ; unus Cyrillus, una Fides Synodi !* Nonne post habitam à Paulo Episcopo Emisseno in Ecclesia Alexandrina Concionem de Christi Nativitate & Virgine Deiparâ populus adclamavit : *Hoc DEI donum est*, Cyrille, *omnes reddidisti similes tui?* Adcedunt, Elogia, quæ Leo Magnus in diversis de Cyrillo Epistolis scripsit, nominatim trigesima & tertia ad Theodosium Imperatorem, vigesima & quinta ad Pulcheriam Imperatricem, quadragesima & septima ad Synodum Calchedonensem. *Decimo & quinto*, Credibile non est, Cyrillum id Pontificibus Romanis tribuere, quod ante Cyrilli tempus Pontifices Romani sibimet ipsis non tribuunt. Experiamur de Liberio, cujus & Constantii Dialogum *Theodoretus* refert, in quo Liberius Imperatori fortiter & constanter respondet, & tamen quod in relato Cyrilli apud Thomam testimonio respicimus, non respondet, etiamsi præ manibus respondendi fuerit occasio. Nimirum, ubi Constantius interrogat, *Quota pars orbis es, Liberi ?* Liberius non respondet, *Ego sum super omnes Præpositos & Episcopos & Primates aliarum Ecclesiarum & populorum, Ego sum illius Ecclesiæ Episcopus, quæ in Fide plenissima & authoritate Petri stabilita inquassabiliter ipsa regnat sola, silentium imponens & omnium obturans ora hæreticorum.* Liberius hæc non respondit, sed alia. Nonne hæc observatio rationem continet, qua hujus testimonii falsitas demonstratur ? *Tandem*, huc pertinent, quocunque ad abjudicanda Cyrillo testimonia, quæ Thomas alibi habet, suprà differuimus, Epistola nimirum priore; quibus enim momentis rationum illa abjudicavimus, iisdem & istud, quod est in Catena, potest abjudicari. Concludit hoc volo *Launojus*, utinam pronuntiare mihi liceret, subjectum, de quo agimus, Cyrillo testimonium ab alio, quam à S. Thomæ Catenæ Patrum fuisse inditum; at sine manuscripti Codicis ope, in quo non haberetur, pronuntiare non licet.

Appendix.

DUabus hisce Epscopis *Launojus*, subjungit tertiam, in quâ expenduntur Testimonia duodecim, quæ in opusculo B. Thomæ contra Græcorum errores adtribuuntur Conciliis Constantinopolitano & Calchedonensi, Chrysostomo item & aliis quibusdam Patribus Græcis. Hæc ad Institutum præsens non impertinenter referri posse existimo, consultum ducens, ea & hic Lectori sinceræ Veritatis studioso exhibere,

Digitized by Google

bere. *Primum ſic habet* : Quod Pontifex Romanus Petri Succeſſor & Chriſti Vicarius ſit primus & maximus omnium Epiſcoporum, Canon Concilii Conſtantinopolitani expreſſè reſpondet, ſic dicens, *Veneramur ſecundum Scripturas & Canonum definitionem Sanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum eſſe primum & maximum omnium Epiſcoporum.* Thomas hunc Canonem aliter paulò refert in l. IIII. Sentent. Diſtinct. XXIIII. Quæſt. 3. artic. 2. ubi quærit, *Utrum ſupra Epiſcopos poſſit eſſe ſuperior aliquis in Eccleſia*, & in reſponſione huic Canoni ſubjungit, & *poſt ipſum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum.* At Canon hic neque hoc modo, nec illo editus eſt in Synodo Conſtantinopolitana, ſic verò editus eſt in Codice Canonum Eccleſiæ Romana : *Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat honoris primatum poſt Epiſcopum Romanum, propterea quod Urbs ipſa ſit junior Roma.* Integer Conſtantinopolitanæ Synodi Canon, quia cauſæ non poterat ſervire, miſerè depravatus & corruptus eſt, ut ſerviret; atque hoc, ut quod omnibus notum eſt, nihil neceſſe eſt pluribus exponere verbis, nam ſufficit, Canonem, quem B. Thomas refert, cum eo, quem refero, contendere. Porrò autem facilè mihi perſuadeo Canonem hunc, uti & illum, quem paulò poſt Calchedonenſi Concilio adfictum videbimus, non à B. Thoma, ſed ab alio corruptum eſſe. Mendoſo Codice uſum eſſe Thomam, quis non crederet? Quidquid ſit, ſi error eſt, pietatis error eſt. *Alterum* oſtenditur etiam, quod prædictus Chriſti Vicarius in totam Chriſti Eccleſiam obtineat prælationem univerſalem, legitur enim in Calchedonenſi Concilio, quod tota Synodus adclamavit Leoni Papæ : *Leo ſanctiſſimus Apoſtolicus & Icumenicos, id eſt, univerſalis Patriarcha per multos vivat annos!* Atqui adclamatio hæc nec in Græcis, nec Latinis Exemplaribus legitur, adeòque ſubditititium eſt teſtimonium. Deinde, *Icumenicos* neque Latinum, neque Græcum, ſed opicum & barbarum eſt nomen. *Tertium*, oſtenditur etiam, quod Petrus ſit Chriſti Vicarius & Pontifex Romanus Succeſſor Petri, in eadem poteſtate ei à Chriſto collata, dicit enim Canon Concilii Calchedonenſis : *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat adpellandi ſententiam ad Beatiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum, quia habemus Petrum refugii Patrem, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi Epiſcopi criminati infamiam, ſecundum claves à Domino ſibi datas.* Infra, *Omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Throni Apoſtolici.* Fictitius eſt omnino Canon, qui Concilio Calchedonenſi adtribuitur : oculis tantum eſt opus, ut Canonis hujus ſuppoſitio deprehendatur. Antiqui Patres Græci non ita loquuntur, neque vetus ferebat diſciplina, ut ita loquerentur. Synodus Calchedonenſis aliter multò loquitur Canone Nono : *Si quis Clericus adverſus Clericum habet negotium, non deſerat Epiſcopum proprium, atque ad ſecularia percurrat judicia, ſed prius actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certe conſilio ejuſdem Epiſcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium conſtituebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, Canonicis correptionibus ſubjacebit. Quod ſi Clericus habet cauſam adverſus Epiſcopum, vel adverſus alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quod ſi adverſus ejuſdem Provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceſeos, aut Sedem Urbis Regiæ Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum judicetur.* Qui relatum à B. Thoma Canonem Calchedonenſem Concilio ſuppoſuit, tum ex certis quibuſdam Sardicenſium Canonum verbis, & factis pluribus aliis commentariiſque conflavit, ſed eo conflavit modo, qui Sardicenſis diſciplinæ nihil exprimat. Ne mihi credatur, ſcribit Launojus, perlegantur Synodi Sardicenſis Canones duo, tertius nimirum & quartus, & cum hoc fictitio Canone componantur. Canon tertius hic eſt : *Quod ſi aliquis Epiſcopus fuerit judicatus in aliqua cauſa, & probat ſe bonam habere cauſam, ut iterum renovetur Concilium, ſi vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſam examinârunt, Julio Epiſcopo Romano, & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, atque det judices; ſi autem probaverit, talem eſſe cauſam, ut non reſcindantur ea, quæ geſta ſunt, quæ decreverit, erunt confirmata, ſi hoc omnibus placet. Synodus reſpondit, placet.* Canon quartus : *Gaudentius Epiſcopus*

dixit, Addendum, ſi placet huic ſententiæ, quam ſanctitate plenam protuliſti, (N.B. adloquitur Oſium) *ut, cùm aliquis Epiſcopus fuerit depoſitus eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamaverit, agendumſibi negotium in Urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.* Nunc facile perſpicitur, in ſubditito Canone ne adumbrari quidem diſciplinæ imaginem, quæ duobus Synodi Sardicenſis Canonibus ſancitur *Quartum*, Item Cyrillus Hieroſolymitanus Patriarcha dicit ex perſona Chriſti loquens ad Petrum: *Tu cum ſine, & ego ſine ſine cum omnibus, quos loco tui ponam, plene & perfecte, Sacramento & authoritate cum eis ero, ſicut ſum & tecum.* Et primum quidem non dicitur, quo in opere, qua in Catecheſi hæc legantur. *Hieronymus* in libro de Viris illuſtribus teſtatur, Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſes ſcripſiſſe. Extant, inquit, κατηχήσεις *quas in adoleſcentia compoſuit.* Deinde in his Catecheſibus nihil ſimile habet. Tum ſimile nihil haberi poteſt, ſi hinc catecheſetor argumenta, inde temporis illius doctrina ſpectetur. Denique in relatis verbis nimia eſt aſſertatio, quæ dolus æſtimatur. Cyrilli teſtis inſtructus & ſubornatus ſiſtitur. Silentio prætermitto, Cyrillum Hieroſolymitanum dici Patriarcham, qui non erat Patriarcha, idque certo certius. *Quintum*, Item Maximus in Epiſtola Orientalibus directa dicit: *Omnes orbis fines, qui Deum ſincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram confitentes Fidem, in Eccleſiam Romanorum, tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei recipiunt.* Sextum. Idem ibidem, *Coadunatam & fundatam ſuper petram confeſſionis univerſalem dicimus Eccleſiam, ſecundum definitionem Salvatoris, in qua neceſſario ſalutis animarum noſtrarum eſt remanere & ei obedire, ſuam ſervantes Fidem & confeſſionem.* Hæc duo teſtimonia ſunt unius & ejuſdem Authoris, quem S. Thomas *Maximum* appellat. Fuerunt olim plures apud Græcos Epiſcopi nomine *Maximi*, nec eorum ullum ad Orientales ſcripſiſſe literas memoriæ proditum eſt. Uti Conſtantinopolitanæ & Calchedonenſis Synodi Canones, ſic & hæc teſtimonia ex eadem officina videntur exiiſſe. Sunt autem è recentioribus, qui teſtimonium prius *Maximiano* Epiſcopo Conſtantinopolitano adſcribant, ii tamen non proferunt, quo in loco Epiſtola, quam laudant, reperiatur. *Maximianus* ſcripſit Epiſtolam ad Cyrillum Alexandrinum, quæ & Græce & Latine extat. Cur non ſimiliter extaret ad Orientales Epiſtola, ſi aliquam ſcripſiſſet? cur ab annis quadringentis periiſſet Epiſtolæ Græca vel Latina editio? Deinde, quæ extat Epiſtola, brevis eſt, nec multum habet ſucci. Socrates, Liberatus & Nicephorus hanc reddunt rationem, quod fuerit ignarus literarum & idiota, ac alienam à rebus agendis vitam delegerit. Præterea *Baronius*, qui nullam prætermittit occaſionem amplificandæ & ornandæ dignitatis Romani Pontificis, Maximiano non aſſerit Epiſtolam ad Orientales miſſam, in qua Sedis Apoſtolicæ authoritas commendetur tantopere. Quod obſervamus de Maximiano, videri poſſet ſuperfluum, quia Thomas *Maximum*, non Maximianum citat. *Melchior Canus* in libri de locis ſexti c. 5. & ante Canum *Thomas Cajetanus* in opuſculi de divina Pontificatus Inſtitutione, c. 14. *Maximum* apud Thomam legunt. Porrò autem, ſive Maximianus, ſive Maximus legatur, inſigne capiendum eſt ex eo falſitatis indicium, quod Bellarminus Maximiani vel Maximi teſtimonio non utatur, utendi enim ſemel atque iterum ſeſe obtulit occaſio. Adlegat Græcos Patres, nec inter eos Maximus aut Maximianus comparet. Comparuiſſet ſine dubio, ſi verè potuiſſet comparere, quia loquitur omnium diſertiſſimè. *Septimum*, oſtenditur etiam, quod prædictus Chriſti Vicarius in totam Chriſti Eccleſiam habeat prolationem univerſalem. *Chryſoſtomus* ſuper Matthæum: *Filii, quæ Patris eſt & ipſius Filii, poteſtatem Petro ubique terrarum conceſſit, & homini mortali omnium, quæ in Cœlo ſunt, dedit authoritatem, dando ei claves ad hoc, ut Eccleſiam ubique terrarum amplificet.* Hic ſubornatur Chryſoſtomus, verba illis recitanda ſunt ex Homilia poſt quinquageſimam quinta in Matth. c. 16. *Quid igitur Petrus omnium Apoſtolorum os & vertex totius conſortii? Cùm omnes eſſent interrogati ſolus*

ſolus ille reſpondet, & quandoquidem de ſententia vulgi petebat, omnes reſponderunt, eum vero de ſua eos rogaret, Petrus confeſtim proſiliit, & præveniens ait, Tu es Chriſtus Filius DEI vivi. Infra, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, id eſt, *Fidem atque confeſſionem.* Infra, *ſublimia ſupere ipſum facit, & Paſtorem conſtituit, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam. Si vero adverſus Eccleſiam non prævalebunt, multo minus prævalebunt adverſus me. Non enim turbari te convenit, cùm audieris, quia tradar & crucifigar. Alium deinde honorem et præbet*, Ego autem tibi dabo claves regni cœlorum. *Quid vero eſt*, Ego autem tibi dabo? *Quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognoſceres, ſic & ego tibi dabo. Et non dixit, rogabo Patrem, ut tibi det, ſed, quamvis magna poteſtas erat & ineffabilis magnitudo dom. Ego tamen tibi dabo, inquit. Quid das, quæſo? claves inquit regni cœlorum*, & quæcumque ligaveris, &c. *Quomodo enim non eſt ejus, qui dicit, ego tibi dabo? Animadvertis, quo ipſe pacto etiam ad altiorem de ſe opinionem adducit Petrum, & ſeipſum his duabus pollicitationibus Filium eſſe DEI revelat & oſtendit. Nam quæ Deus concedere poteſt ſolus, peccatorum ſcilicet remiſſionem, atque ut Eccleſia tot tantiſque fluctibus impetu irruentibus maneat immobilis, cujus Paſtor & piſcator homo & ignobilis orbe terrarum reluctante Adamantis naturam firmitate ſuperat. Hæc inquam omnia, quæ ſolius DEI ſunt, ſe pollicetur daturum* Hæc eſt ſimplicitas ſermonis, quem Chryſoſtomus inſtituit de Petro, & quem Bellarminus cum aliis ad confirmandum Epiſcopi Romani Primatum non aſſumunt, nec prudenter poſſent aſſumere. Exponit duo, quæ ſolius DEI ſunt, & quæ Chriſtus daturum ſe Petro promittit, Remiſſionem peccatorum, & ſtatum Eccleſiæ immobilem. Quod autem criminum remittendorum jus Petro non ſoli dederit, ſic exponit lib. 3. de Sacerdotio: *Iis, qui terram incolunt, & in ea verſantur, commiſſum eſt, ut ea, quæ ſunt in cœlis, diſpenſent; iis datum eſt, ut hanc habeant poteſtatem. quam Deus Optimus nec Angelis, nec Archangelis datam eſſe voluit. Atque neque ad illos dictum eſt*, Quæcumque alligaveris, &c. *Habent quidem Principes terreſtres vinculi poteſtatem, verum corporum tantum; id autem, quod dico, Sacerdotum ipſam quoque animam attingit, atque ad cœlos pervadit, adeo, ut quæcumque Sacerdotes confecerint inferius, illa eadem Deus habeat rata ſuperius, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quodnam hoc aliud eſſe dicis, omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam eſſe?* Quæcumque enim peccata remiſeritis, &c. *Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? Pater omnium Filio dedit judicium, cæterum, video judicium à Dei Filio illis traditum. Illis, inquit, nimirum Sacerdotibus, non uni tantum Petro.* Ex his ergo duobus locis apparet, ſubornatum & corruptum eſſe teſtimonium, quod Chryſoſtomo apud B. Thomam affingitur. *Octavum*, Idem ſuper Johannem Homil. 85. *Jacobum localiter in loco terminat, Petrum vero totius orbis ordinat Magiſtrum & Doctorem.* Avulſus à loco ſuo & in alium ſenſum abductus hic locus ſic ſe habet, ſed non Homil. 85. verum Homil. 86. *Quod maxime divinum conciliat amorem, eſt proximi dilectio, quam à Petro Chriſtus exigit. Nam, cùm cibis feciſſent finem, dicit JESUS Simoni Petro*, Simon Johannis diligis me plus quam hi? *Dicit ei*, Paſce agnos meos. *Quid aliis omiſſis de his Petrum dunt axat affatur? os erat Apoſtolorum & princeps & vertex ipſius Cœtus; propterea & Paulus eum præter alios viſurus adſcendit. Simul ut ei oſtenderet Chriſtus, jam ſibi fiduciam eſſe habendam; quaſi enim negationis oblivioſceretur, fratrum ei committit curam.* Infra, *Quod ſi quis percontaretur, quomodo igitur Jacobus Sedem Hieroſolymis acceperit, reſponderem, hunc totius orbis Magiſtrum præpoſuiſſe, &c. In iis, quæ paſtoralem attinent curam, Chriſtus aliis diſcipulis omiſſis affatur Petrum, ſcilicet quia quod Petro dicit, cæteris in Petro dictum intelligitur facile, ut eſſet una fides omnium, una conſenſio animorum.* Cur autem Chriſtus Petrum aliis diſcipulis omiſſis affatur, hæc eſt ratio, os erat Apoſtolorum. Interrogatur pro cæteris. *Nonum*, Idem ſupra Actus Apoſtolorum: *Petrus à Filio ſuper omnes qui ſunt filii, accepit poteſtatem, non ut Moſes in una gente, ſed in orbe univerſo.* Suppoſitus eſt

hic locus, neque in Homiliis Chryſoſtomi ſuper Actus Apoſtolorum, neque in aliis invenitur Commentariis. *Decimum*, Idem ad conſulta Bulgarorum de perſona Chriſti loquens ſcribit: *Ter interrogo te, an ames me, quia ter me trepidus & timidus abnegaſti. Nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam & clavium authoritatem amiſiſſe, quia me amas coram ipſis, id tibi jam confirmo, quod meum eſt plenum.* Launojus monet, ſe alio in loco notaſſe, citationem hanc mirum quantum à vero abhorrere. Hic addit, obſervans, *Chryſoſtomum* annos quadringentos & triginta octo prius obiiſſe, quàm Bulgari amplecterentur religionem Chriſtianam. Ad conſulta Bulgarorum verò circa annum 806 reſpondiſſe Nicolaum Papam primum, qui & reſponſionem tertiam Chryſoſtomi confirmet authoritate. *Undecimum*, Chryſoſtomus iterum de Perſona Filii loquens, *Paſce oves meas*, id eſt, *loco mei præpoſitus eſto Fratrum.* At non eſt apud Chryſoſtomum, ἀντί μου *loco mei.* Sic verò legitur, *Si amas me*, περίσσευε τὴν ἀδελφὴν. Quod B. Thomas Petro per Chryſoſtomum adtribuit ut ſingulare Privilegium, hoc ipſe de Epiſcopis dicit in lib. 4. Sentent. diſtinct. 24. quæſt. 3. artic. 3. agens de Miniſtrorum Eccleſiæ veſtibus, atque ſic ſcribens: *Per Annulum ſignificantur Sacramenta Fidei, qua Chriſto deſponſatur Eccleſia; Epiſcopi enim ſunt in Eccleſia loco Chriſti.* DUODECIMUM. Idem iterùm ſuper Actus Apoſtolorum ſcribit, *quod Petrus eſt Vertex ſanctiſſimus Beati Apoſtolici Throni, Paſtor bonus.* At verba hæc non reperiuntur in operibus Chryſoſtomi, nedum in Homiliis, quas in Actus Apoſtolorum elucubravit. Præterea, nullus author Græcus Chryſoſtomo vetuſtior, æqualis, vel tempore proximus, locutione hac, *Vertex beati Throni Apoſtolici*, uſus eſt unquam, quod eſt argumentum falſitatis manifeſtiſſimum. Atque hæc ſunt *Duodecim* teſtimonia, quæ aliquis homo inſincerus Thomæ ſuppeditavit; non enim credimus, Doctorem ſanctum mala fide quæſtionem tractaſſe, quam ſuſciperet tractandam.

Appendix Appendicis.

HUjus tribus Launoji Epiſtolis oppoſuerat Apologiam *Vincentius Baro*, Ordinis Prædicatorum Scriptor, Thomam ab hac adcuſatione ſatis gravi liberaturus. At Launojus, qui hactenus non facilè à quoquam ſibi paſſus eſt imponi ſilentium cauſæ fretus bonitate ſub finem partis quintæ Epiſtolam ſcripſit Antapologeticam, prolixiſſimè defendens ea, quæ contra Thomæ in citandis antiquorum Eccleſiæ Doctorum authoritatibus facilitatem cautionis ergo produxerat. Quia verò hic Apologeta ſingulari uſus eſt pro Thoma defendendo ratione, qua conatus eſt evincere, ea quæ apud Thomam leguntur ex aliis Scriptoribus deſumpta, nec hodie in eorum libris extant, omnino cum ipſismet ſcriptis periiſſe, uti conſtat de libris, quos Ciceronem de Republica ſcripſiſſe conſtat, & de nonnullis Livii Decadibus, quas interiiſſe apud eruditos ſit extra dubium; hinc Launojus ad hominem contra hunc Thomiſtam diſputans *tredecim* loca ex ejuſdem Thomæ ſcriptis collegit, quibus hoc reſponſi genus applicat, oſtenſurus lectori judicio non carenti, in vanum hoc modo Thomam excuſari. Juvat ea breviter adponere, non parum iis inſervitura, qui nimiam fidem citationibus authorum adhibent, atque hac facilitate non rarò ſeducti in graviſſimos incidunt errores. *Primò*, Thomas in l. 4 Sentent. diſtinct. 24. quæſt. 3. art. 2. ſic habet, legitur in Concilio Conſtantinopolitano: *Venerantur ſecundùm Scripturas & ſecundùm ſtatuta Canonum & deſtinationes, ſanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum & primum eſſe & maximum eſſe Epiſcopum, & poſt ipſum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum.* Baro hoc inſtructus loco communi dicet, maximam eſſe in enumerandis hujus Concilii Canonibus diſſenſionem, alios numerare tres, alios verò ſeptem, alios novem. Quis niſi temerè certum adſerat, ex Conſtantinopolitani Concilii Canonibus amiſſos eſſe nullos? Amiſſus eſt ille Canon, qui à B. Thoma refer-

refertur. Ecquis est tam hebes in plebecula, qui ignoret, amissum esse librum, quem Tullius de republica composuit, ac deperditas esse nonnullas Livii Decades? *Secundo*, Thomas in opusculo contra Græcorum errores dicit: *Legitur in Concilio Calchedonensi, quod tota Synodus clamavit Leoni Papæ, Leo sanctissimus, Apostolicus & Ecumenicus, id est, universalis Patriarcha per multos vivat annos.* Legebatur hoc quidem in Concilio olim, cùm S. Doctor scribebat opusculum contra errores Græcorum, sed nunc dierum minime legitur, cùm Acta, in quibus legit Thomas, interciderint, ut nonnulla Cyrilli Commentaria in Johannem, & Tullii liber de Republica &c. *Tertio*, Thomas in eodem opusculo adducit Concilii Calchedonensis hunc Canonem: *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi Beatissimum antiquæ Romæ Episcopum, quia habemus Petrum refugii Patrem, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi infamiam Episcopi criminalis secundum claves à Domino sibi datas.* Infra, *& omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Throni Apostolici.* Et primò quidem de numero Canonum Concilii Calchedonensis non conveniunt authores. Sunt, qui numerent viginti septem; sunt etiam qui numerent viginti & octo. Quidni adhuc fuere plures, quam tot, quorum in ordine laudatus à Thoma Canon minimè legitur? Sed legebatur forte inter eos, qui hunc excedebant numerum. Et hoc ita necessariò dicendum est, quia Thomas, quintus Ecclesiæ Doctor decipi non potuit. Deinde, uti thesaurus Cyrilli in duos dividitur libros, quorum unus continet adsertiones triginta quinque, alter verò ea continebat Cyrilli testimonia, quæ apud Thomam extant; sic & Calchedonensium Canonum libri erant duo, quorum primus habet Canones viginti septem vel octo, alter verò Canonem, qui laudatur à Thoma. Hic autem liber secundus Canonum Calchedonensium periit, ut thesauri liber secundus, & Tullii liber de Republica &c. *Quarto*, Thomas sub finem opusculi ejusdem contra Græcorum errores, ut usum asseret atymorum, hanc Gregorii Papæ authoritatem adsumit: Dicit Gregorius Papa in Registro, *Romana Ecclesia offert panes atymos, propterea quod Dominus sine ulla commixione suscepit carnem; sed cæteræ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, atque est verus Deus & verus homo.* Si de Registro (melius *Regesto* diceretur) Gregorii Papæ primi agitur, illa Epistola, uti tam illustre testimonium exarabatur, periit, & quidem certò periit, quia in Epistolarum Gregorii Papæ primi Registro, quod editum est Romæ, non habetur. Nec mirari quis debet, unam Registri hujus Epistolam periisse, postquam Cyrilli liber secundus Thesaurorum totus, & Tullii opus egregium de Republica, & multæ Livii Decades miserabiliter perierunt. Cæterum ut quis falsi convincat Gregorii Papæ testimonium, probandum est illi, ex opere Gregorii, quod Registrum dicitur Epistolarum, nullam desiderari, quod hactenus nemo quidem tentavit, nec illi contigisse, quod Cyrilli Commentariis in Johannem, quæ quatuordecim libris quondam continebantur, & octo nunc supersunt. Si autem de Registro Gregorii Papæ septimi agitur dicendum est, videlicet juxta methodum disputandi Baronianam, Epistolam, in qua scriptum erat relatum supra testimonium, ibi non extare, sed extare cum secundo Cyrilli libro Thesaurorum, qui post B. Thomæ ætatem, cum Alexandria in Regiones transmarinas exportabatur, naufragium passus est. Hoc ita dicendum est, cùm exemplaria, quæ Thomas Lutetiæ & in Italia viderat, jam interciderant, & sic fieri tempore, ut æqualis nemo potuerit videre. Non vidit Albertus Magnus Thoma vetustior & illius superstes, non Alexander Alensis, non Bonaventura, non æquales cæteri. Dubium igitur nullum est, quin Gregorii Epistola Sittybæ, qua Cyrilli liber secundus Thesaurorum regebatur, esset agglutinata, & nisi hoc etiam apud Sagram adfirmaveris, expedies te nunquam ex libri octavi Epistola secunda, ad Archiepiscopum Syracusanum, ubi Gregorius septimus de Atymo tradit, quod relato supra testimonio neutiquam consentit. *Quinto*, Thomas in Partis III. quæst. 74. artic. 4. quærit, utrum in Eucharistia permistio aquæ sit de necessitate Sacramenti, & in responso f

quentia Cypriani verba adducit: ***Si quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter, vel ſimpliciter non obſervavit, ut ſolli et aquam vino miſceret in Sacramento poteſt ejus ſimplicitati venia concedi.*** Verum Cyprianus aliter ſcribit in Epiſtola poſt Sexageſimam tertia ad Cœcilium, utpote in quo loco poſteriori loquitur de vino, quod aquæ miſceatur in Sacrificio contra eos, qui ſolam conſecrent & conſecrarent Aquam: in priore autem apud Thomam loquitur de Aqua, quæ Vino miſceatur. Priorem igitur locum oportet periiſſe, cum apud Cyprianum non habeatur. Quidni verò Epiſtola Cypriani, ex qua Thomas illam excerpſit authoritatem, perire potuerit, cum Cyrilli liber ſecundus Theſaurorum perierit &c. ***Sexto***, Thomas in Supplem. Quæſt. 2. artic. 4. ſcribit, Peccatum adgravatur ex conſequenti effectu. Unde Hieronymus dicit, ***quod pœna citra nondum eſt determinata quia eſt poſſibile, aliquos per ejus hæreſin detineri, quibus detinentibus augetur pœna.*** Et cum ad ſecundum reſpondet ſub finem Reſponſionem ait, ***& ſic loquitur Hieronymus***, in libris utique, qui jacturam ſunt paſſi, non in libris, qui adhuc extant. Cur quæſo non potuiſſent quidam Codices Hieronymi jacturam pati, cum plures Cyrilli codices, & inprimis ſecundus codex Theſauri, & multæ Livii Decades eandem paſſæ ſint jacturam? ***Septimo***, Thomas ibid. Quæſt. 4. artic. 2. citat Auguſtinum (in libro de verâ & falſâ Pœnitentia) c. 13. ſcribentem, ***ſemper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.*** Sed liber ille Auguſtini non eſt ſed alterius, qui ab Auguſtino nominatim diſſentit c. 17. Quis modo crederet, Thomam, quem Baro eminentiſſimum Doctorem nominat, nec Ego diffiteor, ut adparet, ſub Auguſtini nomine illum citaſſe librum, qui tamen manifeſtè Auguſtini non eſt? Verba hæc, ***ſemper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat***, extabant in alio Auguſtini libro de verâ & falſâ Pœnitentia, qui ab ætate S. Doctoris periit. ***Octavo***, Thomas ibid. quæſt. 15. artic. 2. in corp. ***Unum peccatum adgravatur ex alterius adjunctione & illud, quod eſſet uni peccato conveniens Medicina, alteri incentivum præſtat, cum quandoque aliquis infectus ſit peccatis contrariis, uti Gregorius docet in Paſtorali.*** Scilicet in eo, quod deperditum eſt à Doctoris S. tempore, non in eo extat adjunctum. Nam uti Cyrillus compoſuit duos Theſaurorum libros, quorum primus extat, ſecundus autem, in quo laudata à S. Doctore Cyrilli teſtimonia perfectè deſcribuntur, ab Annis plus minus quadringentis extare deſiit; ſic & Gregorius duo compoſuit Paſtoralia, unum, quo fruimur, alterum verò citatam à Thomâ authoritatem continens, quo frui non poſſumus. Quid quæſo prohibet? Nonne hac in materia valet argumentum, quod ex tali ducitur comparatione. ***Nono***, Thomas ibid. Quæſt. 15. artic. 3. laudat Hieronymum ſic ſcribentem: ***Jejunio ſanantur peſtes corporis, oratione autem peſtes animæ.*** Hoc non comparet in edilis Hieronymi libris, ſed in aliis, qui vel nondum ſunt editi, vel certè manuerunt ab eo tempore, quo Thomas ſcribebat in Magiſtri Sententias. ***Decimo***, Thomas ibid. Quæſt. XL. artic. 7. ad octavum, Dicendum, ***quod Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus miſit eum ad ſuſcitandum quendam Diſcipulum, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Trevirenſis, & ideo in Dioceſi Trevienſi Papa baculum portat, & non aliis in locis.*** Hoc tam præclarum Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum erat conjunctum ſecundo Cyrilli libro Theſaurorum, qui jam dudum periit. Utendum eſt fragmentis, quæ ſuperſunt, quemadmodum utimur Livii decadibus quæ naufragium effugerunt. Quidquid id eſt, in ***Ordine Romano*** Paſtoralis baculi Benedicto præferatur & benedictus ita porrigitur, ***Accipe baculum Sanctæ Reginiuis &c.*** Porro, an Monumentum illud, quod Thomas ſortitus eſt, ordinem Romanum præverterit, nec ne, Baro explicabit. ***Undecimo***, Thomas ibid. Quæſt. LXVI. artic. 3. introducit Gregorium ita ſcribentem, ***Præcipimus, ne unquam illicitas ordinationes factas, ne bigamum, aut qui Virginem non eſt ſortitus uxorem, aut ignorantem literas, aut habentem quamlibet partem corporis vitiatam, vel Pœnitentiæ, vel Curiæ, aut cuilibet obnoxium conditioni, ad ordines ſacros permittas adcedere.*** Hæc quamvis non reperiantur apud Gregorium, Gregorii tamen eſſe non deſinunt. Nam uti non habemus omnes

Cyril-

Cyrilli, ſic non habemus omnes Gregorii libros, & eos cumprimis, ex quibus, quæ relata ſunt, Thomas decerpſit. **Duodecimo**, Thomas in Secundâ, ſecundæ. Quæſt. 1. artic. 9. in reſp. ad quintum ſcribit, Dicendum, *quod ſi dicatur in ſanctam Eccleſiam Catholicam, hoc intelligendum eſt, ſecundum quod Fides noſtra refertur ad Spiritum Sanctum, que ſanctificat Eccleſiam, ut ſit Senſus, Credo in Spiritum Sanctum, ſanctificantem Eccleſiam. Sed melius eſt, & ſecundum communiorem uſum, ut non peccatur*, in, *ſed ſimpliciter dicatur, ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſicut etiam Leo Papa dicit.* At Leo tribus in locis Symboli Apoſtolorum meminit, nimirum, in Sermone undecimo de Paſſione, in Tractatu contra hæreſin Eutychetis, & in Epiſtola poſt decimam tertia ad Pulcheriam, ſed nullibi iſtam adtingit Quæſtionem. Quare neceſſum eſt, ut dicatur, videlicet ad mentem Baronis, periiſſe Sermonem, Tractatum ſeu Epiſtolam, in qua S. Thomas vidi, quod vidiſſe ſe ſcribit. ***Decimo & tertio***, Thomas in eadem ſecunda ſecundæ, Quæſt. 25. artic. 9. ſcribit, Gregorium dicere in Homilia Pentecoſtes, *quod Amor DEI non poſſit eſſe otioſus; & magna eum operari ſi adſit, ſi vero deſinat operari, non eſſe Amorem.* At revera hæc verba non leguntur in hac Homilia, ſed alia, & quidem ſequentia: *Otioſus eſt Sermo Doctoris, ſi præbere non valet incentivum Amoris.* Sed difficile non eſt, Thomæ fidem in adlegatione hac liberare. Excidit Homilia, in qua, quæ Thomas refert, ad verbum extabant. Quid dictu facilius? *Atque* hæc pauca ſunt de pluribus ad ſpecimen, ut adpareat, ſubtilem & ingenioſam Baronis Criſticen adſerendæ Veritati mirum quantum inſervire, & tum aliis Authoribus, tum maximè B. Thomæ perutilem eſſe; nam illius in citandis Authoribus fides vacillaret non nihil, niſi exquiſita & facili Baronis arte ſuſtentaretur.

Idem Launojus in eadem Antapologetica contra *Vincentium Baronium* Epiſtola, dum Scriptor hic Dominicanus inter alias etiam *Cajetani* ex eodem ordine vindicias in ſe ſuſcepit, anſam arripuit, in hujus quoque fidem quoad Authores, quorum teſtimonia citavit, adcuratius inquirere, in capite poſt decimum quarto & ultimo opuſculi de *Divina Papatus inſtitutione*, octo diverſa obſervans loca, ad quæ ſequentes ſubjecit animadverſiones, dignas, quæ hac occaſione Lectori curioſo exhibeantur. *Primus hic eſt*; Chryſoſtomus Homilia poſt quinquageſimam quinta ſuper Matthæum, exponens, illud, ſuper hanc Petram, dicit, *quod Chriſtus Petrum Eccleſiæ futuræ Paſtorem conſtituerit.* At Chryſoſtomus hoc non dicit, Cajetanus de ſuo prodit. Chryſoſtomus dicit tantum, *Paſtorem facit*, ſuper hanc Petram, id eſt, Fidem atque Confeſſionem. *Secundus*, Theophilus quoque Luc. 22. tractans illud, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos, ait, *Poſtquam me negato ploraveris atque pœnituerit, corrobora cæteros, cum te principem Apoſtolorum deputaverim; hoc enim decet te, qui mecum robur es, & Petra Eccleſiæ.* Atqui non ibi eſt, *mecum*, ſed, *poſt me*, quæ duo inter ſe quam maximè diſcrepant. Cajetanus de cætero *Theophylactum* dicere debuit, non Theophilum, qui nullos in Scripturam edidit Commentarios. Deindè, Cajetanus continuo adjicit: Et infra, *Cum eſſet Apoſtolus denegavit, ac iterum per Pœnitentiam obtinuit prærogativam, ut eſſet antiſtes Mundi*, quæ non habentur in Theophylacti Commentariis. *Tertius*, Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus ſcribit in lib. Theſ. *Sicut Chriſtus accepit à Patre Sceptrum Eccleſiæ gentium Dux ex Iſrael egredieus ſuper omnem Principatum & poteſtatem, & ſuper omne, quodcunque eſt, ut ei cuncta curventur, ſic & Petro & Ejus Succeſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alii, quam Petro, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi dedit ſoli.* Et rurſus, *Petrus Chriſti Humanitas eſt, ſcilicet ipſe Homo, cui Trinitas tota pleniſſimam dedit poteſtatem.* At ſi locus iſte conferatur cum loco eodem, quem B. Thomas in opuſculo contra Græcorum errores retulit conſtabit, Cajetanum in eo referendo ſemel, iterum ac tertio peccaſſe. Hic Cajetani fides liberari non poteſt, niſi Baro recipiat & demonſtret, uti demonſtrare par eſt, Cajetanum aliud exemplar Cyrilli quam Thomam eſſe nactum; ſed uſque dunc hoc fecerit, Cajetani fides in citandis

Autho-

Authoribus vacillabit. Porro, hic de teſtimonii veritate nulla Quæſtio inſtituitur, nam in priori Epiſtola ex diverſis Cyrilli operibus diverſa excerpſimus teſtimonia, ex quibus redditur manifeſtum, relata apud Thomam & Cajetanum teſtimonia Cyrilli ab ejuidem Cyrilli ſtylo & ſcribendi ratione plurimum abhorrere. *Quartus*, Cyrillus Patriarcha Hieroſolymitanus de perſona Chriſti loquens dicit Petro, *Tu cum ſine, & ego ſine ſine, cum omnibus, quos loco tui ponam, planè & perfectè, Sacramento & authoritate ero, ſicut ſum & tecum.* Atqui hoc non legitur in operibus Cyrilli Hieroſolymitani. Dicere vero & probare, hoc in operibus Cyrilli lectum eſſe, quo tempore vivebat Cajetanus, fide Cajetani vindicaretur; ſed dicere, & non probare, fides Cajetani minimè liberaretur. *Quintus*, Concilium Chalchedonenſe, ut in ejus geſtis legitur, tempore Marciani Imperatoris adclamavit Leoni Papæ, *Leo ſanctiſſimus, Apoſtolicus & Univerſalis.* Verum Adclamatio hæc in Calchedonenſis Concilii geſtis non legitur. *Sextus*, Auguſtinus in ſecundo de Doctrina Chriſtiana libro, non longè verſus principium in Epiſtolas Decretales Sedis Apoſtolicæ inter Scripturas Canonicas recenſet, *In Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium, Divinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator authoritatem ſequatur, inter quas ſanè ſunt illæ, aquas Apoſtolica Sedes habere, & ab aliis meruerunt Epiſtolas accipere.* Sed Auguſtinus hoc non dicit, ita vero ſcribit, *In Canonicis Scripturis Eccleſiarum authoritatem quamplurimum ſequatur, inter quas ſanè ſunt illæ, quæ Apoſtolicas ſedes & Epiſtolas accipere meruerunt.* Quæ autem & qualis apud Cajetanum Textus Auguſtiniani corruptio & interpolatio? Si Baro adferat, Cajetanum ab incorrecto Gratiani Decreto fuiſſe deceptum, ille divinabit; ſed Cajetanus ſequi te Gratianum minimè ſignificat. *Septimus*, in geſtis Concilii Conſtantienſis inter damnatos Wiclefi & Huſſi articulos hi duo reperiuntur, Scilicet, *Petrus non eſt, nec fuit ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ caput, Et non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Et ſubditur, *Error eſt, pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* Verum ſupprimit Cajetanus, quæ ad rem pertinent maximè. Res igitur eſt hujusmodi: Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. *Octavus*, In Concilio quoque univerſali Florentiæ celebrato ſub Eugenio quarto hæc habentur verba, *Diffinimus* &c. *quemadmodum etiam in Geſtis Conciliorum Oecumenicorum & in S. Canonibus continetur.* Cajetanus, *etiam*, contra Græci & Latini Exemplaris fidem poſuit. Nam in Latino Exemplari, quod Flavius Blondus, Eugenii Papæ amanuenſis exaravit, & refert in Decadis tertiæ libro decimo, ſic legitur, *quemadmodum & in geſtis Conciliorum &c.* atque ſic laudatur ab authoribus Cajetano vetuſtioribus & æqualibus, à Marco Vigerio, Cardinali in Decachordo, chorda decima, à Joh. Roſſenſi in articulo poſt vigeſimum quinto contra Adfertiones Lutheranas, à Joh. Eccio in libri ſecundi de primatu Petri capite vigeſimo & quinto, ab Alberto Pighio in libri quarti de Hierarchia cap. ult. Deindè, in Græco etiam Examplari legitur particula καὶ. Corruptio hæc magni eſt ponderis. Nam particula *etiam* uſum authoritatis Pontificiæ ultra Canones Sacros & geſta Synodorum œcumenicarum dilatat & extendit; particula vero, &, καὶ, repetita uſum authoritatis Pontificiæ intra, Sacros Canones & Synodorum œcumenicarum geſta circumſcribit & coercet. Non ſum neſcius, Cajetanum potuiſſe Lectionem hanc à S. Antonio & Cardinali Turrecremata accipere. Sed ſuper ea re duo nunc dico. Primum eſt idque certum, lectionem illam Synodi Florentinæ Græcis & Latinis Exemplaribus non reſpondere, uti jam oſtenſum eſt. Alterum, idque mihi dubium & incertum, an Synodi Decretum, quod referunt, ſit rei faciendæ vel factæ ſpecies, nec ne? Si ſit, Ego quidem credo, rei faciendæ ſpecies, poſſunt excuſari. Si vero ſit rei jam geſtæ ſpecies, excuſari non poſſunt, quia res ſic non eſt geſta, ut ille referunt. Imo, rei geſtæ, nimirum Definitioni, vis infertur, cum particula &

in

Digitized by Google

in *etiam* mutetur. Hæc omnia cum ita ſint, à Barone fides Cajetani eſt liberanda.

Ibidem quia *Vincentius Baro* exprobravit Launojo, quod Bellarminum in Epiſtolis hinc indè durius exceperit, Launojus ſeptem in medium profert rationes, quas hic etiam legiſſe non planè nullius operæ erit pretium. *Prima hæc eſt*, Bellarminus Theologos Pariſienſes violenter adgreſſus eſt inopinantes, ut eos de antiqua Doctrinæ ſuæ poſſeſſione per Concilia tria, Piſanum, Conſtantienſe & Baſileenſe, & totidem Pontifices Romanos, Alexandrum quintum, Martinum quintum, Eugenium qnartum confirmata tentaret deturbare. Ut autem avita & paterna teneretur poſſeſſio, conſerenda cum hoſte manus fuit, qui & forſan vulnus potuit accipere. Et hæc eſt certaminum infelicitas. Quis præterea neſcit, prælio commiſſo vacare Dignitatum nomina, ut ait Hieronymus. Tros Rutuluſue fuat &c. *Secunda*, Bellarminus Doctrinam Pariſienſium notis ſeverioribus adtecit. Nam in libri quarti de Romano Pontifice, capite ſecundo, poſtquam de Quæſtione hac, Utrum Papæ judicium ſit certum, tres retulit Sententias, ſubjungit. *Sententia, quæ dicit, Pontificem, etiam ut Pontificem eſſe poſſe hæreticum & docere hæreſin, ſi abſque Concilio generali definiat, non eſt quidem hæretica, ſed eſt omnino erronea & hæreſi proxima.* Hæc autem eſt Sententia Pariſienſium, & eam Bellarminus tribuit illis, & verè tribuit. In eo tamen fallitur, quod paucis Parienſibus Theologis tribuit, quod omnibus, quod Facultati Theologicæ, quod antiquiſſimæ tribuendum fuit Academiæ. Deindè idem Bellarminus in libri ſecundi de Conciliis capite decimo & ſextimo proponit, Pontificem ſummum ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Concilium generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat. *Hæc Propoſitio eſt fere de Fide.* Atque ita Parienſis Academia & Galli, qui contrariam tuentur Sententiam, ſunt ferè hæretici. Ad propulſandam utramque injuriam initum eſt à me certamen, in quo ad Tridentinæ Synodi legem de Scripturis interpretandis exactæ ſunt probationes, quas è Scriptura repetit, & continuo adparuit, Bellarminum nec legem illam, nec Fidei profeſſionem ſervaſſe, ſed omnino neglexiſſe. Adde, quod nullum producat Privilegium, quo & Tridentinæ legi & profeſſioni Fidei potuerit derogare. Non eo inficias, quin hæc omnia Bellarmino multum importent dedecoris. Sed quare ſic feciſti? *Tertia*, Quæſtionis prioris, quæ ad Papæ ſpectat judicium, non proponit ſtatum ſincerè, ut qui Romano Pontifici privilegium non errandi adjudicant, reddantur odioſiores. Tunc neceſſum fuit Bellarmino malæ fidei dicam ſcribere, & quod negotioſum non erat, oſtendere. Innumerabiles & Theologos & Juriſconſultos in ea verſari ſententia, quam Theologis duntaxat quinque, videlicet, Nilo Theſſalonicenſi Epiſcopo, Joh. Gerſoni, Jacobo Almaino, Hadriano ſexto & Alphonſo Caſtrenſi tribuit. In numerandis igitur opinionis hujuſce Adſertoribus errat, ut qui maxime poteſt errare. Hoc non ante perpenditur & examinatur, quam de fide Bellarmini detrahatur quam plurimum. Inventum eſt enim, opinionem, quam communiſſimam eſſe omnium ferè Catholicorum adfirmat, unius eſſe tantum vel alterius, qui & ſolidâ ratione nulla ducitur; & multis imponi Sententiam, quam minime docuerant. *Quarta*, Bellarminus opiniones novas ac proinde ſuſpectas antiquis & benè fundatis opinionibus, cujuſmodi ſunt Pariſienſem, opponit; qua in re ſecum pugnat, ubi Doctrinæ antiquitatem in Notis Eccleſiæ conſtituit, l. IIII. de Notis Eccleſiæ, cap. 5. Sic inconſequenter locutus ſuis ipſe Scriptis fidem detrahit & authoritatem. Quia etiam ἀναπολόγητον ille diſputandi modus eò proceſſit, ut ex Bellarmini principiis ſemel atque iterum demonſtraverim, Pariſienſium placita, de quibus nunc agitur, fide Divina credi poſſe, tantum abeſt, ut condemnentur. Hoc quanquam Bellarmino probroſum, omitti tamen non potuit, niſi Pariſienſium, Majorum noſtrorum defenſio negligeretur. *Quinta*, Bellarminus Eccleſiæ Romanæ & Sedis Apoſtolicæ traditionem, qua Pariſienſium dogmata ſuſtentantur, vel diſſimulat, vel ignorat. In uno, κρύπτει, in altero ἀνεπιστασίαν ad-

adcuſatur & convincitur. At neutrum ſilentio potuit involvi, niſi Pariſienſium cauſa & ipſa Veritas proderetur. Atque hæc Pariſienſium noſtrorum laus eſt præcipua, quod illorum adverſus Bellarminum defenſio in adſerta per noſtras literas Eccleſiæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis traditione conſiſtat tota. *Sexta*, Bellarminus Pariſienſium placita cum refellit, ut magis populariter refellat, atque ab iis Lectores ſuos deterreat, hæreticis adſcribit, quaſi illorum error in eo tantum conſiſteret. Factioſum hoc eſſe, gravi honeſtoque Viro indignum genus diſputandi, dum ſe tulit occaſio, demonſtravi. Sed Divina factum eſt aliquando Providentia, ut in Sententiam tranſierit, quam hæreticis adtribuerat. In libri primi de Pontifice Romano, cap. 12. ſtatuit, claves eſſe datas Petro, non toti Eccleſiæ, ut Pariſienſes, & alii penè omnes, qui Pontificem Concilio ſubjiciunt, adfirmant. Sed in libri de Conciliis, cap. 2. Pariſienſium & aliorum, de quibus proximè meminimus, Sententiam uti certiſſimam ita ſupponit: *Concilium generale repræſentat, Eccleſiam univerſalem, ac proinde conſenſum habet univerſalis Eccleſiæ. Quare, ſi Eccleſia non poteſt errare, neque Concilium œcumenicum legitimum & adprobatum poteſt errare.* Sic non errandi in Fide & Moribus privilegium prius datum eſt toti Eccleſiæ, quam Concilio totam repræſentanti Eccleſiam, ſiquidem illud privilegium ab Eccleſia ad Concilium derivatur. Hoc autem nihil eſt aliud, quam claves prius eſſe datas toti Eccleſiæ in ſenſu Pariſienſium, quam Petro. Atqui Pariſienſes loquuntur in ſenſu Patrum, & ſancti præcipue Auguſtini, qui, quæ Bellarminus in loco priori ſimpliciter Petro tribuit, Petro ut Eccleſiæ perſonam gerenti ſine ulla hæſitatione tribuit. Hoc prætermitti non potuit, quia Bellarminus pugnantia locutus ſuam deſtruit Sententiam & Sententiam adverſariorum adſtruit. *Septimâ*, Bellarminus illam de poteſtate ſummi Pontificis doctrinam tradidit, qua imbutus frater Jacobus Clemens, ejuſdem cum Barone & ordinis & Diſciplinæ id ferit, quod ignorat nemo, & quod referre horreſco. At Pariſienſe Senatusconſultum, quo perculſa fuit hæc Doctrina, me vehementer ad pugnam adcendit. Et hoc ipſum eſſe, quod Baronem maximè pupugit, contendam ſemper, donec ille Senatusconſultum à Romanæ Inquiſitionis cenſura defenderit. His ſeptem rationibus, quæ ſeptemplicis clypei ſunt inſtar, adcedit, quod defenſioni plura, quam adgreſſori legibus permittantur. Bellarminus Theologos Pariſienſes, imò, & Eccleſiam Gallicanam injurioſe adgreſſus eſt. Ego & Theologos Pariſienſes & Eccleſiam Gallicanam defendi &c.

Quia autem his à Launojo contra Thomam, *Cajetanum* & Bellarminum animadverſis Vincentius Baro iterata vice ſe oppoſuit, Launojus cauſam ſemel ſuſceptam non deſerturus ſextæ Epiſtolarum parti ultimam adjunxit, prolixiſſimè à ſe ſcripta defendens, undecauca quædam adhuc referre videtur non inconſultum. Prætermiſſis autem, quæ Thomam adtinent, de quo pluſquam ſatis jam dictum fuit, de Bellarmino tantum & *Cajetano*, quod notatu dignum obcurrit, adtendemus. Et quidem de illo, nimirum Bellarmino Baronem, poſtquam eum à gravitate, modeſtia, ſinceritate & bona fide laudavit, hæc habere obſervat Launojus: „Quæ Mariales ſcribit de Bellar„mino, licet non ſint aliena à moroſorum opinione, quod cauſam juverit hæretico„rum, & à Miniſtro ore excepi, Bellarminum de ſuis Eccleſiis reformatis optimè me„ritum, quod illarum Theologiam miro ordine digeſſerit, quod fortiora proferat argu„menta, quam apud Authores extent, & addebat, ſe audiviſſe, Bellarminum in Hiſ„pania prohibitum, quod ab ejus lectione aliquid mali timerent Catholicis, quia ar„gumentis validiſſimis infirmiores dabat. Et hunc etiam fuiſſe ſenſum doctiſſimi Car„dinalis Baronii refert Cardinalis Bentivolus in libro, quem inſcripſit, Memoriæ, „p. 100. ubi dicit, ſe hæc eadem propriis auribus à Perronio excepiſſe. Hæc Baro, in quibus difficile poteſt agnoſci, utra fuerit in eo major, ſimulatio, an ἀφέλεια. Hinc Bellarminum in ſpeciem commendat, indè communi & hæreticorum, & Catholicorum ſententia vituperat, relatis, quæ non modò ſcripta ſunt, ſed etiam quæ ſcripta non

non ſunt, ſi tamen pro more ſuo non imponit, cum, quæ in familiari Colloquio ex ore Paſtoris hæretici exceperit narrat. Quid enim opus erat, ſparſa hinc indè ad authoritatem Bellarmini elevandam tot Elogia in unum conferre, ſic animo ſincero & ſenſu veraci crederet, Bellarminum ita laudandum eſſe, ut laudat? In ſumma, ſi Baro ſibi Bellarminum laudanti fidem vult majorem haberi, quam Paſtori heterodoxo, Hiſpanis Bellarmini librorum lectionem vetantibus, & Cardinali Perronio, neceſſe non erat admodum, Paſtoris heterodoxi, Hiſpanorum & Perronii judicium proferre, niſi fortè, ut judicio tali ſuum, quia verius eſt, anteponeret, & me non nunquam ab amplectenda Perronii Sententia exemplo tam illuſtri vellet deterrere. Si verò Paſtori heterodoxo, Hiſpanis & Perronio Bellarminum vituperantibus fidem vult haberi majorem, quam ſibi Bellarminum laudanti, non erat quoque admodum neceſſe, Bellarminum laudare, niſi fortè, ut doceret, eum ſe eſſe, qui ſimulatione, inani oſtentatione, ficto non tantum ſermone, ſed etiam vultu invictum, ut loquitur, fidei Catholicæ pugilem laudaret. Hic dolus, ſed ubique ἀκεσία. Ad hunc, videlicet *Cajetanum* progrediens Launojus, ſcribit, Nollem eum à me tractatum, quemadmodum Dominicani duo Scriptores tractarunt, Ambroſius Catharinus & Melchiori Canus. ille quidem juſtæ magnitudinis librum de erroribus Cajetani lucubratus eſt, hic autem temeritatis eum in Expoſitione Scripturarum adcuſat, l. VII. de Locis, cap. 3. ſcribens. „ Id dici poteſt, Cajetanum ſummis ædificatoribus Eccleſiæ parem eſſe potuiſſe, „ niſi quibuſdam erroribus Doctrinam ſuam, quaſi Lepræ cujuſdam admixtione fœdaſſet, atque vel unctionis libidine affectus, vel certè ingenii dexteritate confiſus, Litteras demum ſacras ſuo arbitratu expoſuiſſet, feliciſſimè quidem ferè, ſed in paucis „ quibuſdam locis acutius ſanè multo, quam felicius. Nam & vetuſtæ traditionis parum „ tenax, & in Sanctorum lectione parum quoque verſatus, libri ſignati Myſteria ab his „ noluit addiſcere, qui illa non ſuo ſenſu, ſed Majorum traditione, vera ſcilicèt clave „ aperuerunt. Ita cum plurima ſcripſiſſet egregiè, vertit ad extremum omnia, & novis „ quibuſdam Scripturæ Expoſitionibus aliorum, quæ vel graviſſimè dixerant, aut elevavit, aut certè imminuit authoritatem.

Bellarminus *l. II.* de Pont. *Rom. c.* 13.

Probaturus, Pontificem Romanum ſuccedere Petro in Monarchia Eccleſiaſtica provocat etiam ad Concilia, nominatim ad Nicenum, ejuſque Canonem ſextum, quem ex Tomis Conciliorum ita refert: Mos antiquus perducet in Ægypto, vel Lybia & Pentapoli, ut Epiſcopus Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano paribus mos eſt. *Circa hunc Canonem tria ſtatuit, notanda Bellarminus, Primum ex Nicolai Pontificis hoc nomine primi Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, Concilium nihil ſtatuiſſe circa Eccleſiam Romanam, quoniam poteſtas ejus non ab hominibus ſit, ſed à* DEO; *ſed tantum ex forma Eccleſiæ Romanæ ſtatum aliarum conſtituiſſe. Non enim dicere Concilium, Epiſcopum Romanum habere hujus vel illius Regionis adminiſtrationem, ſed, ut habeat Epiſcopus Alexandrinus curam Ægypti & Lybiæ, quoniam Epiſcopus Romanus ita conſueverit. Ubi aperte, inquit Bellarminus, Eccleſia Romana ſit regula aliarum, & nihil eam proprie ſtatuitur. Itaque errant qui dicunt, Epiſcopo Romano rectos fines eſſe adſignatos à Concilio Niceno, ut nimirum gerat curam Eccleſiarum ſolummodo ſuburbanarum. Secundum, in libris vulgatis deeſſe initium hujus Canonis, quod tale ſit:* Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, Mos autem &c. *Sic enim ſcribit Bellarminus, Canon iſte citatur in Concilii Calchedonenſis Actione poſt decimam ſexta ab Epiſcopo Paſchaſio; ſic etiam vertit ex Græco ante Annos circiter mille Dionyſius quidam Abbas, uti adnotavit Alanus Copus in primo Dialogorum. Quocirca in ejuſdem Concilii, eadem Actione poſt Canonem hunc ſertum dixerunt Judices:* Perpendimus omnem primatum & honorem præci-

puum juxta Canones antiquæ Romæ DEO amantissimo Archiepiscopo conservari. *Tertium, verba, quoniam consuetudo talis est Episcopo Romano, quatuor modis exponi solere.* Prima *Expositio est Rufini, in libri Historiæ Ecclesiasticæ decimi capite sexto, statuentis, decretum esse à Concilio, ut Episcopus Alexandrinus curam habeat Ægypti, sicut Episcopus Romanus curam habet Ecclesiarum suburbanarum. At, falsa est hac Expositio, scribit Bellarminus. Nam, si Episcopus Romanus est primus & præcipuus Patriarcha, quomodo credibile est, illi adsignatam Regionem angustissimam, aliis autem minoribus Patriarchis latissimam? Antiochenus namque habuit totum Orientem, Alexandrinus Provincias tres amplissimas, Romanus autem suburbanas tantum Ecclesias, id est, seu Episcopatus Romæ vicinissimos. Deinde, hac particula,* quoniam *&c est particula rationalis. Non est autem bona ratio, ut Episcopus Alexandrinus trium Provinciarum gerat curam, quia Episcopus Romanus curam gerit Ecclesiarum suburbanarum. Igitur aut ratio Concilii valet nihil, aut Rufinus Sententiam Concilii non recte exposuit. Denique Concilium Nicenum, neque citatur in Concilio Carthaginensi sexto, neque ut legitur in Concilio Calchedonensi, neque ut habetur in Tomis Conciliorum, neque ut est apud Dionysium Abbatem, meminit Ecclesiarum suburbanarum. Itaque mera divinatio fuit Rufini.* Secunda *& Theodori Balsamonis & Nili, qui putant, Concilium decrevisse, ut Episcopus Alexandrinus curam habeat totius Ægypti, sicut Romanus habet curam totius Occidentis. Hac quidem Sententia, inquit Bellarminus, est liberalior, sed falsa tamen Concilium enim, cum ait,* quoniam talis est *&c. Reddit causam, ut diximus, cur debeat permanere mos antiquus in Ægypto &c. ut eorum locorum curam habeat Episcopus Alexandrinus. Non est autem hujus rei causa, quia Episcopus Romanus habet curam Occidentis. Quomodo namque sequitur, Episcopus Romanus habet curam Occidentis, igitur Alexandrinus debet gerere curam Ægypti &c.? cur non potius Africæ totius, aut cur non Ægypti tantum? Aut, cur Alexandrinus, & non Carthaginensis, aut aliquis alius istam habeat curam? Adde, quod Concilium non meminit neque Orientis, neque Occidentis.* Tertia, *est Authoris Summæ Conciliorum, qui ex quodam Codice vetusto putat restituendum & legendum, quoniam Metropolitano talis est consuetudo. At neque hæc Expositio est solida, scribit Bellarminus. Exemplaria enim Concilii Niceni nusquam extabant pleniora & emendatiora, quàm in scriniis antiquorum Pontificum Romanorum; nam quæ in Græcia erant, concremata fuerunt ab Arianis teste Athanasio in Epistolâ ad omnes orthodoxos. Et ideo mirum non est, si, quæ citantur à Græcis, & Rufino, mutila sunt & corrupta. Porrò, ex Ecclesia Romana scriniis tulit hunc Canonem Paschasius Leonis M. Legatus ad Concilium Calchedonense, in quo Legimus;* quoniam talis est *&c. Adde, quod non est bona ratio, cur debeat Alexandrinus tantam habere ditionem, quia sic consueverant Metropolitanus, nam Metropolitani non nisi unam regunt provinciam, Alexandrino autem multæ Provinciæ, & hinc multi Metropolitæ subjiciuntur.* Quarta *igitur & vera est Expositio, Alexandrinum illas debere Provincias gubernare, quia Romanus Episcopus ita consuevit, id est, quia consuevit ante omnium Conciliorum definitionem Alexandrino permittere Regimen Ægypti &c sive consuevit per Alexandrinum illas gubernare Provincias. Sic intellexit hunc Canonem Nicolaus Papa hoc nomine prius in Epistola ad Michaelem, nec adparet ulla alia probabilis Expositio.*

Launojus.

DE recta hujus Canonis intelligentia Dissertationem edidit iteratâ vice, è quâ nunc potiora notatu digna in gratiam Lectoris studiosi excerpentur. Et caute quidem primo agit de causis, ob quas hic Canon fuerit statutus. Earum priorum dicit fuisse Schisma, quod sub Petro Alexandrino conflavit Meletius Lycopolis Episcopus, conflatumque sub Alexandro Petri Successore ad tempus Synodi Nicenæ perduxit. Athanasius & Epiphanius excitatum à Meletio fuisse Schisma tradunt, sed, cur fuerit excitatum, inter se non conveniunt, inquit Launojus. Athanasius excitatum ait, quia Petrus Mele-

Digitized by Google

letium in Concilio quodam multis & præſertim Idololatriæ criminibus convictum abdicaverat; Epiphanius, quia lapſos in carcere ad Pœnitentiam eſſe recipiendos ante conſtitutam Pacem contradicente Petro negaverat Meletius. Verum, quidquid in cauſa fuerit, hoc certiſſimum eſt, Meletium Præſulis Alexandrini Diœceſin turbâſſe eâ ratione, quæ Patres Nicenos ad condendum hunc Canonem induxit. Hoc diſcimus tum ex Epiphanio, qui admiſſum in turbandâ Diœceſi crimen commemorat, tum ex Synodo Nicena, quæ crimini Supplicium decernit. Epiphanius id commemorat in hæreſi poſt ſexageſimam octava, Synodus autem Nicena in Epiſtola ad Alexandrinos, quam Theodoretus libri Hiſtoricorum primi capite nono deſcribit. Ex utroque teſtimonio facilè colligitur edendi huius Canonis occaſio. Nimirum erat Alexandrinæ Majorum inſtituto receptum, ut illius Civitatis Antiſtes per ſingulas Provincias & Eccleſias inſtitueret Epiſcopos, Presbyteros ac Miniſtros, vel certè inſtitui permitteret. Orta autem inter Meletium & Petrum Alexandrinum contentione, Meletius hanc conſuetudinem turbare auſus eſt, ac per ſingulas Regiones & Provincias ordinare Epiſcopos Miniſtroſque alios repugnante Petro. Hinc ſub Alexandro Petri Succeſſore nacta eſt Synodus Nicena cauſam edendi Canonis, quo netariam Meletii tyrannidem condemnavit, Meletianorumque ordinationes caſtigavit eaſque certis quibuſdam legibus permiſit, ac demum veterem Præſulum Alexandrinorum morem atque poſſeſſionem vindicavit. Poſterior vero cauſa fuit Canon quartus Synodi hujus Nicenæ, quo inſtituitur adminiſtrandæ uniuſcujuſque Provinciæ diſciplina, & ordinandorum in ea Præſulum modus, qui, antiquas illuſtrium quarundam Eccleſiarum, Romanæ cumprimis, Alexandrinæ & Antiochenæ conſuetudines videbatur abrogare, nec propter Sedium eminentiſſimarum authoritatem ſine gravi diſſenſione abrogaſſet. Quocirca ut Pax in omni ſanciretur Eccleſia, condendus fuit Canon ſextus, quo antiquæ conſuetudines illæ unanimiter adſererentur, retinerentur & confirmarentur. Atque ſic qui Canonem hunc ſextum diceret eſſe quandam Canonis quarti exceptionem, minimè falleretur: Siquidem Romæ & Alexandriæ Epiſcoporum & Miniſtrorum ordinationes à Metropolitano non fiunt, qua ratione Canon quartus eos edixit faciendas. Hanc exceptionem confirmat Canon ſeptimus, qui & aliud genus exceptionis continet. *Capite ſecundo* jus priſcum Præſulis Alexandrini in ordinatione Epiſcoporum, Presbyterorum & Miniſtrorum per Ægyptum, Libyum & Pentapolim aſſerit Launojus, idque, quia deſunt Canones & Monumenta Synodum Nicenam antecedentia, teſtimoniis Scriptorum, qui eam proxime ſunt ſecuti, aut uno tantum poſt eam Seculo floruerunt, nominatim Athanaſii ex opuſculo de Sententia Dionyſii Alexandrini contra Arianos; Sotomeni ex libri Hiſtoriarum primi capite vicesimo & tertio, Socratis ex libri ſexto capite ſeptimo, Syneſi Cyrenenſis Epiſcopi ex Epiſtola poſt ſexageſimam & poſt ſeptuageſimam ſexta, Iſidori Peluſiotæ ex libri ſecundi Epiſtola poſt centeſimam & veciſimam ſeptima, Palladii ex Hiſtoriæ Lauſiacæ capite duodecimo, Theodoreti ex quarti fabularum hæreticarum capite ſeptimo, quibus addi poteſt Johannes Moſchus in Prati Spiritualis capite poſt centeſimum & viceſimum quarto & poſt nonageſimum quinto; è quibus, quæ & qualis fuerit Præſulis Alexandrini per univerſam Diœceſin conſuetudo inſtituendum Antiſtitum & Miniſtrorum, nullus eſt, inquit Launojus, qui non agnoſcat facilè & judicet, illam poteſtatem, quæ alibi ad ſingularum Provinciarum Metropolitas & Epiſcopos pertineret, uni Alexandrino propriam fuiſſe ſautam, quo & inter cætera potiſſimum ſpectat Epiphanius loco ſuperius citato. *Capite tertio* oſtendit Launojus, in hoc Canone Synodi Nicenæ ſexto certam inſtitui comparationem inter Epiſcopum Romanum & Alexandrinum. In hujus deductione obſervat, duos eſſe hujus Canonis Editiones Latinas, in quarum unus Epiſcopus Alexandrinus componitur cum Romano, in aliis autem non componitur. Hujus generis Editionem dicit haberi in in Codice Manuſcripto Chriſtophori Inſtelli, ac perſimilem è Bibliotheca Vaticana prodiiſſe ſtudio & curâ Jacobi Sirmondi capite quarto

Cenſuræ de Eccleſiis ſuburbicariis. Illius dicit eſſe Editionem Rufini, Dionyſii, ac Iſidori Mercatoris. Hæc autem, ſcribit Launojus porro, cum ita ſint, videndum eſt, quodnam ex his duobus Editionum Latinarum generibus præſtet altero. Et ſane, quod, quæ referunt, comparationem, præſtent, extra omnem controverſiam videtur poſitum. Quæ enim Editio ſeu Verſio foret Dionyſiana aut Rufiniana vetuſtior; ad quam tempore Synodi ſextæ Carthaginenſis Græci perinde ac Latini habuerunt receptum ſcilicet non uno adhuc integro poſt Synodum Nicenam Seculo? Tum etiam, quod Græci Synodi Nicenæ & Calchedonenſis, in cujus Actione decima & ſexta Canon Nicenus refertur, Exemplaria eadem adhibeant comparationem. *Capite quarto* docet, comparationem inter Epiſcopum Romanum & Alexandrinum inſtitui in iis, quæ ad ordinationem Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum pertinent. Hoc momentum, ſcribit, quod alias pleriſque vitium fuit differe, facile redditur, ſi tria diligenter advertantur. Primum eſt, quod ordinatio Epiſcoporum in unaquaque Provincia deputetur Metropolitano ea ratione, quam Canon antecedens quartus præſcribit, atque talis ordinatio appelletur jus commune. Secundum, quod Presbyterorum & Diaconorum ordinatio ad Epiſcopum pari modo ſpectet in ſua Dioceſi aut Parochia; quo fit, ut Presbyteri & Diaconi, qui nec ab Epiſcopo ſuo, nec eo conſentiente inſtituuntur, perperam inſtituantur. Tertium, quod Patres Niceni Canone ſexto nihil novi decreverint ſed Priſcos duntaxat perſpicue contextus Canonis & ipſius Synodi ad Alexandrinos Epiſtola ac inſuper confirmat Synodus octava in Actione decimæ capite decimo & ſeptimo. His ita conſtitutis nemo non videt, comparationem, quæ inter Epiſcopum Romanum & Alexandrinum inſtituitur, conſiſtere præſertim in ordinandis Antiſtitibus, Presbyteris & Diaconis; Ita ut, quæ ordinandorum hujuſmodi Miniſtrorum fuerat conſuetudo ante, quam Meletius conflaſſet Schiſma, incolumis deinceps & ſarta tecta ab omni detrimento retineretur quemadmodum Romæ retinebatur. *Brevius, ut nihil magis in Alexandrina, quam Romana conſuetudine mutaretur. Certè, in argumento.* Canonis quæ par invenitur ratio, eadem & ſancitur firmaturque amoto Schiſmate, quod per Ægyptum Meletius invexerat. Nunc modò reliquum eſt, ut indagetur, quæ fuerit conſuetudo Alexandriæ Miniſtros ordinandi, & qualis facta inter Epiſcopum Romanum & Alexandrinum comparatio agnoſcatur. De conſuetudine Eccleſiæ Alexandrinæ teſtimonia capite ſecundo ſunt laudata. Utinam verò, ſic ſuum exponit votum Launojus, tam certa ſuppeterent Monumenta, quibus vel antecedens Synodum Nicenam, vel proximè ſubſequens conſuetudo Eccleſiæ etiam Romanæ in Miniſtris exponeretur. Tantum liber Pontificialis, qui Damaſo adſcribitur, & Paulus Diaconus ſe obiciunt, in quibus, quoad fieri licet, priſcum morem illum deprehendimus Et quidem in Pontificiali hic duodecim Presbyteros, octo Diaconos, tredecim Epiſcopos per diverſa inſtituit loca; ille ſeptendecim Presbyteros, quatuor Diaconos, novem Epiſcopos; iſte totidem plures vel pauciores pro ratione Pontificialis brevioris aut longioris, ubi inprimis notari debet locus in Vigilio. Et hunc Pontificum Romanorum morem in exemplis adducit Paulus in libro de Metenſibus Epiſcopis, cum de Chrodegango facit ſermonem. Diverſa vero loca, quorum Pontificialis liber meminit, Romanam ſignificant Provinciam, quæ longè lateque patuit, uti tum ex aliis, tum ex Concilis ſub Symmacho habitis conſtat. Vetus autem illa Provincia nunc in variis eſt diverſis Provinciis, quibus Metropolitani plures præſident. Sed tempore Synodi Nicenæ conſuetudo non erat, ut Epiſcopus Romanus extra Provinciam Romanam Epiſcopos, Presbyteros atque Diaconos erraret, quo pacto errabat in ea. Nominatim, non errabat in Provincia Italiæ, cujus caput erat Mediolanum; non in Gallis, non in Hiſpania, non in Reliquo occidente, ubi jam admiſſa & propagata erat Religio, ac inſtitutæ Eccleſiæ earumque Præſides. Ubique ad Canonem quartum componebantur omnia, atque ut componerentur, ipſe Pontifex Romanus curabat, hac ratione Primatus ſui jura vindicans, quod teſtatum reliquit Leo Magnus in Epiſtolæ

piſtolæ poſt octuageſimam nonæ ad Provinciæ Viennenſis Epiſcopos ſcriptæ capite octavo. Huc omnino ſpectat Stephanus Papa hoc nomine ſextus ad Fulconem Archi-Epiſcopum Remenſem ſcribens apud Flodoardum libri Hiſtoriæ Remenſis capite primo, qui etſi à Synodo Nicena remotus valdè, illius tamen ſic vindicavit diſciplinam, ut ſtudio majori nullo poſſit vindicari. Nempè, integritatem & ſeveritatem Canonum, quanta eſt, ſpirat, & una docet manifeſtè, ſextum Canonem Nicenum ſeſe non extendere, quo Canon quartus ſe extendit. Stephanus igitur, uti adparet, neceſſitate Muneris ſui, quo Vindex atque Aſſertor Canonum fuit, coactus egit Metropolitam Lugdunenſem, quia Aurelius, ipſe Metropolita Lugdunenſis, niſi regalis Eccleſiaſticis ſpretis, agere noluit. Scilicet probè noverat, neceſſitatem Canonibus ſacris vim nullam inferre. Et tamen, quod mireris, hic Sedis Apoſtolicæ Antiſtes, ut ſe Diſciplinæ convenientiſſimæ virum præſtaret, atque ut, quæ Chriſti, non quæ ſua ſunt, ſe quærere oſtenderet, Archi-Epiſcopis & Epiſcopis Gallicanis facti ſui rationem ſibi reddendam eſſe cenſuit. Quem de cætero morem in ordinandis per loca diverſa Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis tenuit Eccleſia, is quidem potuit ævi progreſſione augeri, non autem minui; & tamen, cum Gregorius M. Sedi Romanæ præruit, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos extra Provinciam Romanam inſtituere non ſolebat, ſi eæ excipiantur gentes, quibus miſit Apoſtolos & primos Fidei Evangelicæ Satores. Quæ enim fiunt extraordinariè, neque trahuntur in conſequentiam, neque jus ordinarium Canonibus adſertum lædunt. Et quidem leguntur in Epiſtolis Gregorii paſſim ordinationes Miniſtrorum Eccleſiæ, quibus obeundis vacavit in Provincia Romana, non autem, quibus extra eam vacaverit de more. Neque prætermittendum eſt, extra hanc Provinciam fuiſſe Civitates nonnullas, Theſſalonicam puto & Salonam, ubi Pontifex Romanus vel vicariam haberet præfecturam, vel Epiſcopus erraret. Hinc Leo primus in Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum eo jure ſibi vindicat Macedoniam, cujus caput eſt Theſſalonica. Sic Gregorius quoque primus inſtituit Epiſcopum Salonæ, quemadmodum Deceſſores inſtituerant. Quidquid eſt illud, ex veteri manavit conſuetudine, quæ hoc Canone ſexto adſeritur, ſi Synodum Nicenam præceſſerit. Cæterum hæc comparatio, nec adcurata, neque perfecta eſt. Deſumitur enim ex rebus, non, quæ de novo inſtituantur, ſed quæ ex rebus jam in more Majorum poſitis reperiantur, & ſine ulla mutatione confirmentur. Epiſcopus certè Alexandrinus in pluribus Provinciis inſtituit Epiſcopos Presbyteros & Diaconos; Romanus autem eo Munere defungitur in unaſtantum Provincia, quæ tamen plures habet Æpiſcopos, quam Ægyptus, Lybia & Pentapolis. Præterea & Civitatibus nonnullis quæ extra illam Provinciam conſiſtunt. Deindè, Alexandrinus ſubditos ſibi habet Metropolitanos, ſeu qui Metropolitani non ſunt veri nominis, quia inconſulto Præſule Alexandrino conſecrare non poſſunt Epiſcopos, Alexandrinus vero inconſultis Metropolitanis Epiſcopos, & inconſultis Epiſcopis Presbyteros & Diaconos poteſt conſecrare & inſtituere. Romanus è contrario Metropolitanos habet nullos, quibus inconſultis Epiſcopos in ſua conſtituat Provincia, ſed plures habet Epiſcopos, quibus inconſultis Presbyteros & Diaconos in illorum Civitatibus inſtituat; & extra Provinciam Romanam Antiſtites nonnullos, cumprimis Salonitanum Epiſcopum conſtituit. Atque ſic Theophilus Præſul Alexandrinus agit Metropolitanum, quando Synefium Cyrenenſem Epiſcopum inſtituit, & Cyrenenſem agit Epiſcopum, quando in oppido Cyrenenſi Presbyteros & Diaconos conſecrat. Sic Romanus Antiſtitem agit Eugubinum, quando Eugubii Presbyteros & Diaconos inſtituit, vel Romæ inſtitutos mittit Eugubium. Sic agit quoque Metropolitanum, quando Salonæ creat Epiſcopum, uti & Eugubi. Verum hoc ſpectat ad commune jus, quod quarto Canone decernitur, at nunc eſt quæſtio de antiquis conſuetudinibus ac veluti Privilegiis, quæ ſexto Canone vindicantur. Privilegia dico, quia Dionyſius & alii hoc utuntur nomine, & τὰ κρατοῦντα ſic interpretantur; & quia in antiquis Conſuetudinibus ſexti Canonis non nulla ſunt, quæ, ſi

cum

cum diſciplina quarti Canonis conferantur, certam Privilegiorum induunt rationem. Undè & apud Dionyſium Canonis ſexti titulus eſt, *de Privilegiis, quæ quibuſdam conveniunt Civitatibus*, nempè illuſtrioribus, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ. Uti ergo hæ Civitates, ita & earum Epiſcopi ſunt illuſtriores Metropolitani, quorum antiquæ conſuetudines, jura & privilegia in ordinandis Eccleſiæ Miniſtris Canone ſexto vindicantur, & velut à Canone quarto excipiuntur. Quod autem Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ Epiſcopi fuerint habiti hoc in Canone pro Metropolitis illuſtrioribus, docet Ferrandus in Breviatione Canonum, hunc præfigens titulum: *Ut Epiſcopus ordinetur tribus aliis conſentientibus per Scripta cum confirmatione Metropolitani vel Primatis*, adlegato Canone quarto & ſexto; item Iſidorus in ſua collectione, Canoni ſexto hunc titulum imponens, *de Primatibus Epiſcoporum Metropolitarum*, uti & vetuſtus ille codex, quo Bartholomæus Caranta in ſumma Conciliorum putat reſtituendum eſſe, *quoniam Metropolitano talis eſt conſuetudo*, attingens quidem Canonis ſcopum, etiamſi eum non reddiderit ad verbum, cùm in exemplaribus veris habeatur, *quoniam & Epiſcopo Romano talis, ſeu paritis eſt conſuetudo*. Huc ſpectat, quod Thomas Campegius, Feltrenſis Epiſcopus in libri de Poteſtate Pontificis Romani capite poſt viceſimum tertio ad objectionem viceſimam & quintam ſcripſit: Magis placet, quod aſſeruit Marcellus illè Cervinus, Cardinalis S. Crucis, qui unus eſt ex præſidentibus Concilii Tridentini, Canonem Nicenum non de Pontifice Romano, ſed de Metropolitano locutum eſſe, verioremque fortitan eſſe tranſlationem juxta codicem antiquiſſimum, quem ſe aſſeverabat habere. Launojus ſubjungit, qui Canonem ſic vertit, de Metropolitis quibuſdam agi ſine dubio eſt arbitratus, ſed Epiſcopi Romani loco Metropolitanum poſuit ideo, quod Canonem ad ſui temporis diſciplinam aptare fortitan non potuerit. Hieronymus hunc Canonem de jure ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, quod nunc ad Epiſcopum, nunc ad Metropolitam pertinet, in Epiſtola ad Pammachium adverſus errores Johannis Hieroſolymitani intellexit, quod factum quoque à Synodi Epheſinæ actione ſeptima. Leo etiam Magnus eundem flectit ad Metropolitanos in Epiſtolæ poſt quinquageſimam tertiæ ad Anatolium ſcriptæ, capite ſecundo; quem ſequitur Hincmarus Remenſis Epiſcopus in Tractatu ſeu opuſculo poſt quadrageſimum quarto de jure Metropolitarum, mox ab initio. Præter hanc in ordinandis Eccleſiæ Miniſtris conſuetudinem, ſi quæ aliæ Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ & aliis in locis ante Synodum Nicenam obtinuerat eodem Canone ſexto confirmatur; nam Patres Synodi, quidquid erat petitum in more inſtitutoque Majorum, eo comprehendunt. Capite quinto Rufinianam Canonis hujus Verſionem refert & defendit Launojus: *Ut apud Alexandriam & in Urbe Romæ ſequetur conſuetudo vetuſta, ut vel illa Ægypti, vel hic Eccleſiarum ſuburbicariarum gerat ſollicitudinem.* Hic ante omnia duo ſunt notanda de Rufino. Primum eſt, quod Canonem ad verbum non reddiderit. Secundum, quod ſenſum Canonis reddere ſtuduerit ex recepta ſui temporis apud Romanos diſciplina. Hoc alterum ſi rectè fuit executus, vacat culpa, atque admittenda eſt illius Verſio, quippè quæ Canonem illuſtrat & loca proponit, in quibus ὁμοίως τῷ κατὰ Ῥώμην τύπῳ id faciat Romanus, quod Alexandrinus per Ægyptum &c. facere conſueverat. Id verò Rufinum verſione ſua executum eſſe fideliter, conſtat *primo*, quia non fuit cauſa, cur aliter ageret vel decreviſſet agere. Quæſtio eſt de re, quæ non verſatur in conditione Juris, ſed facti, ac proindè, etiamſi voluiſſet, receptam illo tempore Diſciplinam aliter repræſentare auſus non eſſet. *Secundo*, Rufinus graviſſimis non caruit Reprehenſoribus, neque caruiſſet in re tanta, ſi ullam feciſſet fraudem. At nullus ei dicam erroris ſcripſit, quod Canonem hunc malè verterit, & malè vertendo vel de ejus veritate, vel de Pontificis Romani authoritate quidquam detraxerit. His ſubjungit, quæ Hieronymus Alcander, junior, in Diſſertationis ſecundæ de Regionibus Suburbicariis capite tertio ſcripſit: Ego minimè illorum adcedo Sententiæ, qui Rufino aut conſultum tribuunt mendacium, aut hallucinationem. Cur enim

lapſus

Digitized by Google

lapſus in re eo tempore apertiſſima, aut quæ frons homini fuiſſet, ut adverſus perſpicuam Veritatem deridiculo vellet eſſe? Si pro verbis, Eccleſiarum ſuburbicariarum, ſcriptum eſſet, Regionem ſuburbicariarum, vel Eccleſiarum, quæ ſunt in regionibus ſuburbicariis, nihil me remoraretur, quominus cum illis ſentirem. *Tertio*, Canonum Nicenorum Verſio Rufiniana in authoritatem eſt admiſſa, cum Exemplaria illorum Synodi Carthaginenſis ſextæ fuerunt diſquiſita. Agitata tunc de tranſmarinis Adpellationibus Quæſtio tangebat Pontificem Romanum, cujus defenſores verſionem Rufini ut mancam & imperfectam rejeciſſent, ſi Rufinus mala fide hunc Canonem tranſtuliſſet. At, non rejecerunt, imo, fuit nemo, qui rejecit, quamvis Rufini ſilentium cauſæ Pontificis Romani faveret minus; quos enim Canones de Adpellationibus ipſi Pontifices Romani Innocentius, Foſcinus, Bonifacius & Cœleſtinus tribuerunt, Rufinus non tribuit. *Quarto*, iidem Pontifices in Eccleſiis ſuburbicariis, Diaconos & Epiſcopos inſtituebant, qua ratione eos inſtituiſſe ſupra fuit demonſtratum. Rufinus Eccleſias intelligit ſuburbicarias, quæ regionibus reſpondebant ſuburbicariis. Neque ſolus ille ſic intelligit, ſunt & alii, qui modo pari verterunt hunc Canonem: *Antiqui moris eſt, ut Urbis Romæ Epiſcopus habeat principatum, ut loca ſuburbicaria & omnem Provinciam ſollicitudine ſua gubernet.* Scilicet, inſtituendo per ea loca Epiſcopos &c. uti Alexandrinus per Ægyptum &c. Sic nimirum illa verba generalia, Eccleſias ſuburbicarias, loca ſuburbicaria, Regiones ſuburbicarias & Provinciam gubernare, ex argumento Canonis reſtringi neceſſum eſt. Qua enim ratione Pontifex Romanus Eccleſias ſuburbicarias, loca, regiones & Provincian ſuam tunc gubernabat, reliquum Occidentem aut orbem totum neutiquam regebat. *Quinto*, Valentinianus, Valens & Gratianus, Imperatores, relegato in Gallias Urſicino, qui ab hominibus factioſis multa cæde fuerat electus contra Damaſum in Pontificem Romanum, ad Italiam redire permiſerunt, dummodo urbe & regionibus ſuburbicariis abſtineret. Quorſum vero iſta ſic ab Imperatoribus temperata ex Galliis in Italiam redeundi conceſſio? quorſum vetitus in Urbem & Regiones ſuburbicarias ingreſſus, niſi quia & Urbs & Regiones ſuburbicariæ Provinciam conſtituerant Romanam, quam Urſicinus eo potuiſſet modo turbare, quo Meletius Ægyptum &c.? Urſicinus enim, quia Romanum ſe venditabat Epiſcopum, potuiſſet vel in Urbe, vel in regionibus ſuburbicariis Epiſcopis &c. inſtituere, atque ſic extinctum ſchiſma readcendere; quod non obſcurè ſignificant Imperatores in ſuis reſcriptis, quibus aſſerunt, ſe concordiæ populi chriſtiani favere, urbis ſanctiſſimæ quieti providere, & ſuam ſic temperare indulgentiam, ne vicinitate Urſicini & ſociorum ejus ad clamores & tumultus religioſi populi ſtudia provocentur, quæ tamen non minus in Galliis, aut in Italia, cujus caput eſt Mediolanum, quam in Urbe & Regionibus ſuburbicariis provocarentur, ſi tunc ibidem & utrobique Antiſtes Romanus pro more nunc Epiſcopum, nunc Metropolitam egiſſet. Epiſcopum, ſi Presbyteros & Diaconos, Metropolitam, ſi Epiſcopos creaſſet. Hoc momentum, ſcribit Launojus, rem conficere mihi videtur. *Sexto*, Regiones ſuburbicariæ, ad quas reſpectum habuit Rufinus, decem numero fuerunt, quas Imperii notitia repræſentat. Utrum omnes intra centeſimum ponerentur lapidem, an ipſum lapidem centeſimum continerent, ad intelligentiam Rufini parum refert; nam Rufinus ſuburbicarias dixit Eccleſias, quæ regiones ſuburbicarias coæquarent. Hæ porro regiones ſeu Provinciæ dictæ ſunt urbicariæ ſeu ſuburbicariæ, quia in Vicarii Urbis erant poteſtate. Sed in iis plures erant Epiſcopi, quam in omnibus Provinciis, quæ Epiſcopo Alexandrino ſubjacebant; quod non adverterunt, qui de regionibus ſeu Eccleſiis ſuburbicariis ingentes ediderunt commentarios. Provincia namque Romana tempore Gregorii Magni habuit Epiſcopos centum ſeptuaginta & octo, plus minus; Ægypti autem omnes Provinciæ habuerunt tantum Epiſcopos centum & duodecim. *Septimo*, Inſtitutæ inter Epiſcopum Romanum &

Digitized by Google

Alexandrinum comparationis materia, quæ ſupra fuit expoſita, & Verſio Canonis Ruſiniana ſe mutuo juvant atque illuſtrant; ita ut neque Canon, neque Verſio ejuſdem aliter flecti intelligique queant, ſi ex propriis veri invenienti regulis, exauthoribus Synodi Nicenæ æqualibus vel tempore proximis res hæc tractigatur. Quapropter attendendi ſunt minime, qui Canonem & ejus verſionem in Academia volatica interpretantur, antiqua recentibus æſtimant inſtitutis, & Canonis ac Verſionis argumentum ſcopumque non attendant, atque ſic mirum aberrant. *Capite ſexto*, ex dictis hactenus ad lucem Canonis & Hiſtorica veritatis majorem nonnulla deducuntur Corollaria, & aſſerta Canonis explicatio ab imminentibus quibuſdam difficultatibus defenditur. *Primum* docet, in vetuſta Alexandrinorum conſuetudine aliter eſſe intelligendam Epiſcoporum, aliter vero Presbyterorum & Diaconorum ordinationem. Scilicet, Præſul Alexandrinus omnes Ægypti &c. Epiſcopos inſtituit, nec ullus eo inſcio poteſt inſtitui. Ex antiqua autem conſuetudine etiam Diaconos & Presbyteros Miniſtros. Verùm Alexandrinus habet jus occupandi, ita ut ſine Præſulum aliorum conſenſu Presbyteros & Diaconos in privata illorum Diœceſi inſtituat. Utrumque cùm feciſſet Meletius, id eſt, cum Epiſcopos &c. ubique inſtituiſſet, invito cumprimis & repugnante Petro, Epiſcopo tum Alexandrino, ſchiſma conflavit; nam uti eſt apud Sotomenum, ordinationes Miniſtrorum ad ſolum Petrum pertinentes arripuit ſibi. Alexandrinus præterea ſervandam ab Epiſcopis in Presbyterorum ordinatione diſciplinam & ordinem præſcribit, quod docet Epiſtola Cyrilli Alexandrini ad Epiſcopos in Libya & Pentapoli &c. *Secundum* oſtendit, conſuetudinem hanc antiquam Canone Niceno confirmatam effeciſſe, ut Epiſcopi in Ægypto &c. ponderoſum nihil agerent ſine Alexandrino. Hujus rei præclarum extat teſtimonium in Synodi Calchedonenſis Actione quarta, in qua Præſules Ægyptii latæ contra Dioſcorum Alexandrinum ſententiæ prius noluerunt ſubſcribere, quam in locum Dioſcori alius crearetur Epiſcopus. Et poſtquam diu ac vehementer fuit diſceptatum ultro citroque, Synodus Oecumenica habuit rationem priſcæ conſuetudinis, quam Præſules Ægyptii decem ſexto Canone Niceno confirmatam aſſeruerunt. Porrò, quænam fuerit illa conſuetudo, ſatis expoſuerunt Ægyptii, ſed ejus cauſam non expoſuerunt. Scilicet, utrum ordinatio, an aliud extiterit caput. Unde nota eſt quidem conſuetudo, cauſa ejus vero eſt incognita; jure autem quia hoc Canone fuit roborata, à ratione autem non poteſt abhorrere. *Tertium* obſervat, aliam fuiſſe Epiſcoporum Provinciæ Romanæ conſuetudinem veterem, quæ itidem Canone hoc Niceno debuerit confirmari. Synodus nimirum Nicena uti Eccleſiæ Alexandrinæ, ita etiam Romanæ aſſeruit & confirmavit. In Romana vetus mos fuit, ut Antiſtites Provinciæ coirent, atque de rebus decernerent Eccleſiaſticis, etiamſi nullus eſſet Epiſcopus in Urbe conſtitutus. Id cognoſcitur ex ſecunda Cleri Romani ad Cyprianum Epiſtola, in qua agitur de cauſa lapſorum atque de tempore, quo pax eis erat reſtituenda. Hinc apparet, in Urbe Roma factam eſſe Epiſcoporum Provinciæ Synodum, quamvis vacaret Romana Sedes; atque in ea Synodo decretum eſſe, qua ratione cum lapſis ageretur. Hoc autem Sede vacante nuſquam factum eſſet Alexandriæ, ſi quod Præſules Ægyptii in Synodo Calchedonenſi dixerunt, veritate nitatur, uti Synodus ipſa niti conſenſit. Alia igitur fuit hac in parte Eccleſiæ Romanæ, alia Alexandrinæ conſuetudo, ſed utraque vindicata tamen à Synodo Nicena. *Quartum* notat, ad priſcas Eccleſiæ Romanæ conſuetudines, poſſe revocari commiſſum à Pontifice munus Vicarii Epiſcopo Theſſalonicenſi, idque non abſque ſpecie probabilitatis. Hiſtoriam narrat Leo Magnus in Epiſtola ſuperius laudata ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcripta, quæ in ordine eſt poſt octogeſimam quarta, ex qua Launojus tria proponit advertenda, Juris ipſius antiquitatem, originem & formam rectionis, quam præſcripſit Leo. Et quidem de jure ipſo ſeu privilegio, quo Majores illius Epiſcopo Theſſalonicenſi vicariam tribuere conſuevérant præfecturam, ita loquitur Leo, ut fere non poſſit Synodi Nicenæ tempus non antecediſſe. Nam inter Leonem & Synodum anni tantum intercedunt

Digitized by Google

dunt centum & viginti. Atqui res per horum annorum curriculum obſervari cœpta non diceretur obſervata tempore immenſo, uti in oratione Leonis videtur dici. Quare vix dubitandum, quin id antiquis adſcribatur moribus, quos Canon hic ſtatuit eſſe retinendos, quamvis origo ſit incerta. Equidem Agapetus Papa de conſecrato à ſe Menna, Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſcripſit Epiſtolam, quæ in actione prima Synodi generalis quintæ fuit lecta, in qua ſic habetur: Quod à temporibus Apoſtoli Petri nullum unquam Epiſcopum Orientalis Eccleſia ſuſcepit, Apoſtolo Petro refert acceptam. At Baronii conjecturam non ſatis probabilem facit Agapetus. Formam quod attinet, Leo diſciplinam Synodi Nicenæ in Provinciis Epiſcopo Theſſalonicenſi ſubjectis præcipit ſervari; atque ſic ejus Epiſtola ex ſacris Canonibus promulgata merito poteſt dici. Hæc tria ſi diſtinguantur & conſiderentur attentius, omnia, quæ hoc in negotio ſunt obnoxia controverſiæ, non difficile componentur. Cæterum ex hiſce tribus, quæ in Epiſtola Leonis ſunt obſervata, apparet, qua ratione ſint æſtimanda, quæ Hincmarus de jure Metropolitarum ſcripſit ad Epiſcopos capite quarto: quia ſancta Eccleſia Romana, cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum in Beato Petro Apoſtolorum Principe eſt commiſſa, plures Metropolitanos in ſpeciali ſua Diœceſi habet, ſicut Leo (in Epiſtola) ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum monſtrat, ſimiliter & Eccleſia Alexandrina in Diœceſi ſua Hincmarus non ſignificat, vel profectò non debuit ſignificare, Epiſcopum Romanum & Alexandrinum ſimiliter rexiſſe Metropolitas: de quibus loquitur. Nam Alexandrinus Metropolitas, Ægypti &c. & ſimul ſubjectos eis Epiſcopos ordinabat, ſed tantum qua ratione ordinarentur, præſtituit, atque ex ſacris Canonibus promulgavit, ordinans Epiſcopos in Provincia Romana, ubi antiquitus Metropolitæ erant nulli. Verum non ſatis conſtat, cur Hincmarus ex Epiſtola Leonis ſpecialem Pontificis Romani faciat Diœceſin, tum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod eam Diœceſin cum Diœceſi Eccleſiæ Alexandrinæ componat. Qui enim de regionibus & Eccleſiis ſuburbicariis ſcripſerunt, hunc locum Hincmari ultro citroque agitarunt, ſurſum deorſum verſantes, nec tamen ea in re, quæ hic notatur, curam & cogitationem defixerunt. Utrique ſuum venditarunt Hincmarum, ac proinde negotium Diœceſios accuratè minus eum tractaſſe non ſunt veriti dicere, ne ſcilicet perderent, quod ex eo volebant lucrari. Sed dicendum eſt ſemper, quod exigit ſimplex ratio Veritatis. Hincmarus igitur, cùm aliud ageret, quid Leo tradiderit in Epiſtola, & quò reſpexerit non ſatis videtur conſideraſſe. Porrò, Florus, qui claruit ante Hincmarum, ad hujus Niceni Canonis diſciplinam habuit reſpectum inter Collecta ex Sententiis Patrum, ubi ſic loquitur: In Eccleſia Romana uſque ad diem præſentem cernimus abſque Provinciæ interrogatione, ſolo diſpoſitionis judicio ac fidelium ſuffragio Pontifices legitimè creari, qui etiam omnium Regionum & Civitatum, quæ illi ſubjectæ ſunt, juxta morem antiquum, eadem libertate ordinant atque conſtituunt Sacerdotes. Nimirum, quod authores vetuſtiores regionum ſuburbicariarum nomine intelligebant, hoc ipſum Florus per Regiones & Civitates Pontifici Romano ſubjectas intelligit. *Quintum* de cauſa & origine diverſarum Romæ & Alexandriæ conſuetudinum diſquirit. Duæ autem poſſunt eſſe, ſcribit Launojus. Una, Eccleſias, quæ conſuetudinibus hujuſmodi tenebantur, in adminiſtratione ſua ſecutas eſſe formam rerum civilium; altera, eaſdem Eccleſias inſuper habita rerum civilium forma privatos mores illos & conſuetudines induxiſſe. Quænam verò ex his duabus certa & indubitata ſit, pronuntiare non eſt facile. In ea dubitatione autem prior poſteriori videtur anteferenda. Conjecturam ejus capere licet inprimis è Canone ſecundo Concilii Tacrinenſis, quod anno ſeculi poſt Chriſtum quarti nonageſimo & ſeptimo eſt celebratum, qui docet, excitatam de primatu Provinciæ difficultatem, quæ commiſſos habuit inter ſe duos Antiſtites, Viennenſem & Arelatenſem; ſic eſſe finitam, ut, qui ſuam Civitatem probaret eſſe Metropolim, ea primatu quoque gauderet Eccleſiaſtico, & hujus Civitatis Epiſcopus foret Metropolita. Addatur Hincmarus Remenſis ante laudatus in epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem, ac ejuldem capite poſt decimum quinto; item Gregorius Pa-

pa hoc nomine Septimus libri sexti epistola post tricesimam quinta. Latinis consentiunt Græci. Sic Concilio Taurinensi præivit Antiochenum Canone nono, quo Metropolis Ecclesiastica superstruitur civili, & quare superstruatur, ratio utrique communis esse docetur, rerum nempe ac negotiorum tractandorum & absolvendorum opportunitas. Explicatius adhuc loquitur Synodus Calchedonensis actione superius citata, qua testatur, dignitatem Imperii fuisse in causa, cur, ut Romæ veteri, sic etiam novæ Patres τὰ πρεσβεῖα id est, Privilegia Ecclesiastica concesserunt. Postremo, si quis notitiam Urbium & Civitatum Imperii cum notitia Episcopatuum componat, hanc illi respondentem ita inveniet, ut Episcopi in Urbibus, & Metropolitæ constituantur in Metropolibus. *Sextum* exhibet consuetudinem creandi Episcopum Alexandrinum, quam suppeditant Hieronymus in epistola ad Euagrium, & Epiphanius loco supra citato, & quidem consuetudo, cujus meminit Hieronymus, annos duravit ducentos plus minus quadraginta; cujus verò facit mentionem Epiphanius, ab illo tempore ad annum seculi post Christum quarti vicesimum, & quintum. *Septimum* exponit, quomodo Carthaginensis Episcopus hoc Canone Niceno videatur comprehendi, quod duobus comprobatur testimoniis. Primum desumitur è Canonis clausula generali: *Similiter apud Antiochiam cæteraque Provincias Ecclesiis serventur privilegia.* Secundum è Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, in quo sic statuitur Canone post quinquagesimum quinto, *ut Episcopo Carthaginensi, undè voluerit, clericum liceat ordinare.* Atque sic Episcopus Carthaginensis videtur per diversas Africæ Provincias id habuisse privilegii, quod Alexandrinus habet in Ægypto &c. *Octavum* verba quoniam Novellæ Valentiniani Imperatoris hoc nomine tertii explicat. Causam huic Novellæ præbuit Hilarius Arelatensis, qui extra Provinciam suam ordinationes Episcoporum adsciverat sibi, adspernarique quartum Canonem Nicenum videbatur. Leo Pontifex Romanus tanquam custos & vindex Canonum redarguit Hilarium, atque in ordinem voluit redigere quidem; at Hilarius restitit Leoni, & concessum quoddam Patroclo Antecessori suo privilegium opposuit. Hinc Leo apud Valentinianum Imperatorem ab Hilarii usurpatione conqueritur, agitque, ut illius contumaciam reprimeret. Imperator Leonis petitioni justæ cedens ea super re ad Actium militiæ in Gallia Ministrum rescripsit, in quo Rescripto sunt aliqua, quæ merentur observari. Primum est, quod Synodus sacra, cujus in eo fit mentio, non designetur, sed conjecturis designanda relinquatur. Verisimilius est autem, Constantinopolitanam magis designari, quàm Nicenam; illa enim, dum Canone tertio novæ Romæ primatum instituit, veteris primatum simul sanxit & confirmavit. Synodus namque Nicena primatus Romani in Canone sexto nullam fecit mentionem, neque ut faceret, ratio condendi Canonis requisivit. Hoc si suis libretur ponderibus, ad Stylum adcedit decretorium. Secundum est, quod cum in Synodo Calchedonensi & alibi primatus Ecclesiæ Romanæ adscribitur, Canoni Niceno, ut Titulus tantum, non uti pars Canonis adscribatur, sola lectione id demonstrante. Tertium est denique, quod adscriptus huic Canoni primatus differat ab eo, cujus in Novella meminit Valentinianus. Nam in Canone Niceno agitur de primatu illustrium quorundam Metropolitarum, inter quos primus est Romanus. Inde Leo M. in Epistola in quinquagesimam tertiæ ad Anatolium capite quinto scripsit: Non convellantur Primatuum provincialium jura, neque Privilegiis antiquitus institutis fraudentur Antistites Metropolitani. Dionysius quoque hunc sexto Canoni Niceno præfixit titulum, *de privilegiis, quæ Civitatibus quibusdam competunt.* Imperator vero illum adseruit primatum, quo Pontifex Romanus custodit Canones, eorum violatores ulciscitur, & leges pro iis ubique exequendis constituit. Quare subit mirari, cur Viri graves & eruditi hanc Imperatoris Novellam ad illustrandum Canonem Nicenum inclinaverint, cum ejus causa & scopus alio spectent. *Novum* refert hunc Canonem Nicenum ex Arabico & simul rejicit. Franciscus nempè Turcianus codicem nactus, est Arabicum, in quo Synodi Nicenæ

Digitized by Google

næ Canones octoginta continebantur, quos in Latinum convertit, ac inter eos est post tricesimum nonus, quem sexto Editionis vulgatæ putat respondere. At primo is non est idem cum hoc sexto Editionis Græcæ & Latinæ : nam in eo nihil habetur de antiquis consuetudinibus servandis, quas in Ægypto Meletius violaverat, nihil etiam de Episcopo Alexandrino, nihil de Antiocheno, nihil de cæteris, quæ sexto Canone decernuntur, & hoc ex capite Canon hic Arabicus cum cæteris de Suppositione damnatur. Deindè, non est illius Paraphrasis vel interpretatio, uti mutua docet contentio. Tum, in plerisque non consentit disciplinæ, quæ tum vigebat per Ecclesias, cum videlicet celebrata est Synodus Nicena ; quæ enim in hoc Canone Arabico traduntur de Patriarchis & Archi Episcopis, nondum in Ecclesia obtinebant. Denique, de Principibus Christianis omnibus perindè instituitur sermo in eodem, ac si, quotquot tunc erant in orbe toto Principes, dudum fuissent amplexi Regionem Christianam, cum tamen nullus præter Constantinum fuerint amplexus, quod manifestum est falsitatis judicium. Furtivus hinc est Canon ille, longo tempore post Synodum Nicenam editus, mores sui temporis, quo conditus est, repræsentans, à quo sumenda non est Niceni Canonis intelligentia ; atque mirum & hoc debet videri, quod viri docti, cum egerunt de Ecclesiis suburbicariis, illum producere ausi sunt in medium. *Decimum* expendit Nicolai Papæ locum ex Epistola ejus octava ad Michaelem Imperatorem scripta, quæ sic habet : Si instituta Synodi Nicenæ diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quod Ecclesiæ Romanæ nullum ea Synodus contulit incrementum, sed potius ex ejus forma, quod Ecclesiæ Alexandrinæ tribueret particulariter, sumsit exemplum. In quibus verbis tria iterum sunt notanda. Primum, quod Synodus Nicena Ecclesiæ Romanæ nullum contulerit incrementum. Secundum, quod aliquid Ecclesiæ Alexandrinæ particulariter tribuerit. Tertium, quod exemplum tribuendi ex Ecclesiæ Romæ forma sumserit. Primum quidem ex his certa nititur veritate, quia Synodus adseruit tantum antiquos Ecclesiæ Romanæ mores, qui tum in aliis, tum maxime in Episcopis & reliquis Sacrorum Ministris ordinandis constitunt. Secundum vero non respondet primo, quia Synodus Ecclesiæ Alexandrinæ nihil quidquam adtribuit, quod antea non habuerit, confirmans saltem antiquas consuetudines, quas violaverat Meletius. Tertium autem ut stet, secundum debet ruere ; si vero stet secundum, necessario ruit tertium. Nam si Patres Synodi nullum ejus novum Ecclesiæ dederunt Alexandrinæ, dandi juris exemplum à Romana sumserunt nullum. Hinc Papa Nicolaus comparationis, quæ inter Ecclesiam utramque instituitur, causam, scopum, conditiones singulas profecto non videtur adsecutus. Præterea, si, quæ privilegia Synodus Ecclesiæ Alexandrinæ vindicat, jam tum primum vindicaret, ex forma Romanæ non ea vindicaret omnia, quæ vindicasse supra fuit ostensum. Denique, secundum veteres receptos mores, quos adserit Synodus, Episcopo Alexandrino ampliora erant jura, quam Romano in ordinandis Ecclesiarum Antistitibus & Ministris. *Undecimum* ponderat Balsamonis & Gonaræ in Canonem hunc Nicenum Commentarios, de quibus observat Launojus, quod eos sin temporis mores deceperint, & Synodi Niceni Canones institutis recentioribus fuerint admensi ; quod, inquit, iis adcidere solet, qui à rerum gestarum origine pluribus sunt remoti, nam inter Concilium Nicenum & duos hosce Scriptores Græcos intercedunt Anni plus minus octingenti. Hi nempè occupati privilegiis Patriarcharum, quæ post Nicenam Synodum fuerunt sancita, huic Synodo retulerunt accepta. Exemplo sit Episcopus Hierosolymorum, cui Synodus Nicena provincias Palæstrinæ, Arabiæ & Phœniciæ neutiquam subjecit, quæ Diœceses illi demum à Synodo Calchedonensi fuit decreta. Hinc mirum, Balsamonem & Gonaram eò deveniisse ἀμαθίας ut, quid Patres Niceni de Æliæ Episcopo statuerant, neuter adtenderit. Quia consuetudo, inquiunt, obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropoli dignitate

nitate propria. Quid enim, eſtne Patriarcha Epiſcopus, qui Metropoli ſuæ ſubjicitur? Nimirum in Canone utroque nullum jus novum conditur, ſed antiquæ tantum vindicantur conſuetudines, quæ in Eccleſiis illuſtrioribus, Romana cum primis, Alexandrina & Antiochena dudum obtinuerant. Hæ autem conſuetudines quid pertinent ad Patriarchas, quorum nomen nondum pererebuerat? Ordinatio Epiſcoporum & Miniſtrorum Eccleſiæ, & ſi qui mores alii, includuntur quidem in Diœceſi Patriarchica, ſed eam per ſe non conſtituunt, neque Patriarcha idem eſt quod Metropolitanus, nam ſic tot eſſent Patriarchæ, quot ſunt Metropolitani. Rectè quidem dicitur, Patriarcham Romanum Eccleſiis Occidentalibus præſidere, (ita Launojus ſcribit ſecundum hypotheſes receptas) ſed illud factum eſſe Canonis Niceni authoritate, non recte dicitur. Itaque cum Authores illi, Balſamon & Gonaras, Canonem Nicenum ſic exponunt, ut dicant, in eo deſignatum fuiſſe Occidentem, non veritati Canonis, ſed rebus ſuis & votis homines non incallidi conſulunt. Ut enim ſibi, id eſt, Græcis retineant Orientem, Latinis Occidentem facile & liberaliter concedunt; quod Græcæ calliditatis genus ab hominibus eruditis non fuiſſe deprehenſum, non immerito iterum videri poteſt mirum. Igitur duo hic Scriptores Græci eos in errorem induxerunt, qui memoratas à Rufino Eccleſias ſuburbicarias acceperunt pro Occidentalibus. Hoc qui obſervat, fundamentum interpretationis illorum everſit penè totum. *Duodecimum* Luthero ex Chriſtophori Marcelli, Archiepiſcopi Coreyrenſis libro de Summi Pontificis authoritate oppoſitum hic omittitur, quia ab Inſtituto præſenti eſt alienum, nobis videlicet nunc minimè follicitis, quid Launojus ſcripſerit contra Lutherum, præjudiciis non parum occupatus, ſed quid ſcripſerit contra Bellarminum vi Veritatis in Conſcientia adactus, cui hic etiam non deſunt, quod in Deductione Marcelli Anti-Lutheranâ caſtigaret, utut momenti non adeo magni. *Decimum* igitur & *tertium* ſequitur, quod expreſſe directum eſt contra Bellarminum ac ejus Expoſitionem, quæ tanquam aliena rejicitur. Monet nimirum Launojus, cum de hoc Canone multa tradere, quæ indigeant retractatione. Et quidem in Notatione primâ dicit duo Bellarminus, ex quibus unum eſt verum, alterum verò falſum, ita cenſente Launojo. Verum eſt, Synodum Nicenam nihil ſtatuiſſe novi circa Eccleſiam Romanam; falſum autem, ex forma Eccleſiæ Romanæ conſtituiſſe ſtatum aliarum Eccleſiarum. Nam de cæteris Eccleſiis non loquitur Synodus, ſed tantum de illuſtrioribus quibuſdam; &, quod rei caput eſt, nullius Eccleſiæ ſtatum conſtituit, ſed ex occaſione Schiſmatis Meletiani conſuetudines antiquas confirmat, quæ tum alias in locis, tum Alexandriæ potiſſimum vigerent. In Notatione ſecunda ſcribit Bellarminus, in libris vulgatis deeſſe initium hujus Canonis, quod tale ſit, *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum* &c. At hoc initium, cohærere debet cum verbis proximè ſequentibus, & tamen minimè cohæret, uti manifeſtum eſt. Nimirum verba hæc, *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum* &c. tituli ſpeciem præ ſe ferunt, quem Tabularius aliquis Romanus poſt Synodi Nicenæ tempus adſcripſit Canoni. Et certè dubitari merito nequit, quin ante Innocentii, Foſini, Bonifacii, Cœleſtini & Leonis tempora quædam confuſio & perturbatio Codici canonum Eccleſiæ Romanæ adciderit. Id enim conſtat ex Foſcino, qui ſcribens ad Epiſcopos Africanos miſit Canones Sardicenſes pro Nicenis, eoſque in authoritatem juſſit recipi, quod Bellarminus ipſe libri hujus capite poſt viceſimum quinto non diffitetur. Sed ſublata eſt poſtmodum illa confuſio, quando Dionyſius cognomento Exiguus Codicem canonum imperante Juſtiniano Romæ confecit, teſte Caſſiodoro Lectionum Divinarum capite poſt viceſimum tertio, in quo Codice hæc verba non comparent, quia ſcilicet in Exemplaribus Græcis, quæ adhibuit, non comparebant, &, ſi comparuiſſent, Dionyſium ea ſuſtuliſſe dictu nefas eſt. Quin & vetus Codex canonum Eccleſiæ Romanæ, quem Hadrianus Papa comparaſſe & in Galliam miſiſſe dicitur, illum neutiquam repræſentat titulum. Hadrianus autem is non fuit, qui de privilegiis

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ Sedis, quidquam detraheret. Sic etiam Nicolaus ſuprà laudatus hunc Canonem citavit ſine ulla mentione hujus tituli, non omiſſurus, ſi de eo fuiſſet certus. Porro, in Notatione tertia Bellarminus quatuor hujus Canonis refert expoſitiones. Prima eſt Rufini, quam à Calvino corruptam eſſe dicit. Calvinus autem & Bellarminus Eccleſias dicunt ſuburbanas, cum Rufinus dixerit ſuburbicarias; Dum aliud eſt ſuburbanum, aliud vero ſuburbicarium. Thuſcia ſcilicet dicitur ſuburbicaria, non ſuburbana; Picenum quoque dicitur ſuburbicarium, non ſuburbanum. Et quidem Calvinus perperam legit apud Rufinum Eccleſias ſuburbanas, ut indè primatum Pontificis Romani deſtrueret. Bellarminus autem à Calvino perperam lectas apud Rufinum Eccleſias ſuburbanas accepit, quo facilius contra Rufinum argutaretur, & falſe vocat expoſitionem Canonis, quæ non eſt Expoſitio, ſed Verſio tantum, qua, quod Rufinus videbat eſſe in antiquis Eccleſiæ Romanæ moribus poſitum, complexus eſt. Deindè, ſi expoſitio eſt, non verſio, cæterorum quoque Canonum, quos ibi deſcribit, erit Expoſitio, non Verſio; quo quid eſſet abſurdius? Nam tempore Synodi Carthaginenſis ſextæ, cùm undique diſquiſiti ſunt Canones Niceni, & tandem Orientales ſimul & Occidentales recurrerunt ad Rufinum, ad expoſitionem Canonum, non ad ipſos Canones recurriſſent. Præterea, neque de Primatu, neque de Patriarchatu Romani Præſulis agitur in hoc Canone, cujus verſionem à Rufino factam Calvinus & Bellarminus aliter atque aliter, uterque autem malè acceperunt; quod ſine ullo adſecuti fuiſſent negotio, ſi, quo tempore & qua de cauſa Canon hic fuit editus, expendiſſent. Verum adſecuti id non ſunt, quia Rufinum viderunt per caliginem, ejus verſionem in ſtrepitu audiverunt, ac utrumque ad calculos Ratiocinationis volaticæ exegerunt. Sed unuſquiſque ſibi canit intus, & falſa jam, interpretatione præventus omnia ſibi quadrare capit & arbitratur. Cæterum Bellarminus Eccleſiarum ſuburbicariarum Antiſtites ſummo cum errore ſubduxit; quod ſi rectè ſubduxiſſet, omnino abſtinuiſſet ab illa comparatione, quam inſtituit, uti conſtat ex capite quinto. Secunda Expoſitio eſt Theodoci Balſamonis, Johannis Gionaræ & Nidi, de qua actum eſt Corollario poſt decimum primo. Equidem Bellarminus quoque rejicit eam, ſed volatica quadam diſputatione, non vero quæſitis ex condendi Canonis argumento rationibus; atque ſic perverſè ſecutus de Canonis intelligentia Herculem ſibi fingit, quem debellet. Tertia Expoſitio Authoris Summæ Conciliorum judicio Bellarmini non eſt reipſa Expoſitio, ſed loci, ut Author Summæ Conciliorum putat, depravati correctio, quæ quanti ſit facienda, docetur ſupra, uti &, quid de reſponſo Bellarmini ſit ſentiendum. Quarta denique Bellarmini eſt, ad authoritatem Nicolai Papæ prævocantis. At Bellarminum Nicolao impoſuiſſe, ex verbis ejus itidem ſupra relatis adparet liquido. Deindè, neque fingi neque excogitari poteſt ulla Expoſitio, quæ Canoni Niceno conveniat minus, & quæ Conſtitutionibus Eccleſiaſticis Synodum Nicenam antecedentibus & proximè conſequentibus adverſetur magis. Quocirca æquè credibiliter, hoc eſt, omnino incredibiliter ſic diceretur: Epiſcopus Alexandrinus ante omnem Conciliorum definitionem conſuevit Epiſcopo Romano permittere, ut Provincias ſibi ſubjectas regeret, ſive conſuevit eas per Epiſcopum Romanum gubernare. Nam uti Epiſcopum Romanum Alexandrini vicarium eſſe, ita & Alexandrinum Romani vicarium eſſe, comprobare per æquè difficile eſt, imo ἀδύνατον. Tum denique adſerta ex optimo genere interpretandi Canonis notitia, cætera, quæ non quadrant, ſua ſponte diffiliunt, & veluti motu neceſſari labe factatata concidunt, inprimis autem expoſitio Bellarmini, quæ uea omnium maxime abhorret à Veritate. *Decimum quartum* reſpicit Tirum quendam eruditum, cujus nomen non adponit quidem Launojus, ut eruditis notum ſatis eſt, Petri nimirum de Marca, Archi-Epiſcopi Pariſienſis, qui in primi libri de Concordia Sacerdotii & Imperii capite tertio hujus quoque Canonis illuſtrationem poſt alios in ſe ſuſcepit, de quo monet Launojus in hoc Corollario, quod duo ſcripſerit in hac materia, ex quibus unum ſit verum, alterum non item, niſi fortaſſis

...ulli, effluunt sanguis. Dum vi maiori, quam, ubi primum, pulsus fit, ...ntinuata, impellitur sanguis, arteriae, a fluido impulsae, in spatium ...ulsum, ubi ...ulsus, ...ulsus, ...ulsus,

Frater chariſſime, ut, ſicut Metropolitanus (N. B. Innocentius ſcribit ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum) authoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteres non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas procreari Epiſcopos, in quibus hunc modum rectè ſervabis, ut longè poſitos literis datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu. Vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire, quorum enim te maxima expectat cura, *præcipuè tuum debent mereri judicium.* De Sacerdotalis, ut liquet, ordinationis jure ſolo, id eſt, Metropolitico, quod ex Canone Niceno repetitur, non de Patriarchico tractat, ſi jus Patriarchicum Metropolitano quidquam addat, uti Vir doctus addere contendit. Hinc Innocentius Alexandrum non Patriarcham, ſed Metropolitam adpellat. Aliud eſt autem eſſe Patriarcham, aliud vero eſſe Metropolitam. Patriarcha ſi diſtinctus eſt atque diverſus à Metropolitano, non id præciſè ſpectat, quod Metropolita, ſicut etiam verſa vice non id præciſe ſpectat Metropolita, quod Epiſcopus Provincialis. Itaque cum è Synodo Nicena Metropolitanus ordinationem Sacerdotalem uti jus proprium ſpectet quam maximè, hoc ipſum Patriarcha non poteſt ſpectare, alioquin à Metropolitano non diſtingueretur. Vir doctus rectè cenſet, quidem, Pontificem Romanum Occidentis totius eſſe Patriarcham, ſed recte non poteſt cenſere, eum in ſenſu Synodi Nicenæ totius Occidentis eſſe Metropolitam. Et hoc ipſum eſt, in quo vertitur rei cardo. Nam & ſi tunc totius Occidentis Patriarcha fuerit vel eſſe potuerit, non tamen totius Occidentis extitit Metropolita, id eſt, totius Occidentis Epiſcopos ordinavit, uti ſupra in capite quarto fuit probatum. Porro, Nicena Synodus circa Eccleſiæ Antiochenæ Dioceſin nihil ſtatuit novi, ſed tantum confirmavit illius jura in Sacris ordinationibus, quæ ex antiqua manabant conſuetudine, ac erant hujusmodi, qualia explicantur ab Innocentio. Eccleſia nimirum Romana & Antiochena in ordinandi prærogativa conveniunt & componuntur, quod vetuſtis utriuſque Eccleſiæ moribus à Synodo Nicena confirmatis eſt tribuendum, non legibus, quas Philoſophi de Synonymis condiderunt, niſi quis velit vetuſtos mores illos, qui erant diverſi, pervertere & in unum confundere. Hoc autem Innocentii decretum ad genus illud Decretorum pertinet, de quibus Leo M. in Epiſtolæ primæ ad Epiſcopos per Campaniam, Picenum vel Thuſciam & univerſas Provincias conſtitutos capite quinto ſic loquitur: *Ne quid vero ſit*, quod prætermiſſum à nobis forte credatur, omnia Decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium noſtrorum Prædeceſſorum, quæ de ordinibus Eccleſiaſticis & Canonum diſciplinis ſunt ordinata, ita veſtram Dilectionem cuſtodire debere mandamus, ut, ſi quis illa contemſerit, *veniam ſibi deinceps noverit denegari.* Innocentius quippe vetuſtos Eccleſiæ Antiochenæ mores è Canonis Niceni diſciplina promulgavit, nec aliquid circa illam inſtituit novi, quemadmodum nec Synodus inſtituerat. Quo fit, ut rectè dici nequeat, ad Epiſcoporum Romæ & Alexandriæ exemplum in Synodo Nicena Eccleſiæ Antiochenæ jura conſtitui. Sed Vir doctus placiti ſui confirmationem adhuc repetit ex Theodoreto, cui Codex manuſcriptus Bibliothecæ Regiæ tribuit collectionem Canonum, ubi pro aſſerendis Patriarcharum juribus Canon Nicenus adducitur. At vir clariſſimus & eruditiſſimus, Chriſtophorus Juſtellus, & ſpuriam eſſe Codicis Regii inſcriptionem, & collectionem illam non eſſe Theodoreti, ſed Johannis Presbyteri Antiocheni, qui Juſtiniano imperante claruit, luculenter demonſtrat, cui taciturnitate ſua Jacobus Sirmondus, alter veteris Monetæ hujus ſpectator oculatiſſimus ſuffragatur. Is quippe ſciens & prudens collectionem hanc, quam viderat, prætermiſit, cum opera Theodoreti omnia in quatuor Tomos edidit diſtributa, indignum videlicet Theodoreto & aliunde populariter ſcriptum opus exiſtimabat, quod & mihi ſæpius, inquit Launojus, cum eadere, Sermo incidit, confirmavit. Ad hoc probandum ſufficit ipſe Johannes Presbyter Antiochenus, qui pro honore Patriarchæ ex Canonibus decreto laudat primo ſeptimum Canonem Nicenum. Qui enim tam imbecillis eſt ingenii, ut pro Jure Patriar-

triarcharum adferendo hunc Canonem non dubitat proponere, non eſt mirum, ſi pro eodem jure adferendo Canonem quoque ſextum adducit. Deinde, qui pro honore Metropolitanis ex Canonibus decreto non adducit Canonem quartum, eum fuiſſe indiligentiſſimum & neceſſum, quod à Johanne Antiochena factum in hac collectione. Denique in Nono Canone peccavit gravius, utpote in quo pro honore Patriarchis adferendo ex Canonibus, primæ Synodi Conſtantinopolitanæ Canonem adfert tertium. Quis vero riſum contineat, videns, hunc Canonem pro honore Patriarchis vindicando adferri? Cùm igitur Johannis Antiocheni nulla vel certe parva ſit authoritas, hac teneri nos poſſe credimus minime, quandoquidem ipſe fidem ſibi detrahit, perſuaſus male, Canonem Nicenum jura Patriarcharum decernere. Aurea nimirum putavit omnia, quæ reſplendent, quamvis perparcè. ***Decimum & quintum*** pergit evincere, in antiquis Eccleſiæ Romanæ 'Alexandrinæ & 'Antiochenæ conſuetudinibus, quos Synodus Nicena adſeruit & confirmavit, nihil proprium Patriarchis poſſe inveniri, & Patriarchæ nomen Epiſcopis Romano, Alexandrino & Antiocheno tributum poſt Synodum hinc demum uſurpari cœpiſſe. In hac facti quæſtione ſcribit Launojus, quæ Annos à Chriſto trecentos viginti quinque continet, hinc noſtra adhuc confirmatur, indè adverſariorum labefactatur Sententia. Sed ante omnia præſtari debent tria. Primò, diligenter eſt attendendum, quæ ſint propria Presbyteri, Epiſcopi, Metropolitani; deindè, quæ ſint vera & privata Patriarcharum munia, quæ doctorum nemo neſcit ex iis facile colligi, quæ in Eccleſia imperante Juſtiniano ſunt geſta, quia tunc Patriarcharum dignitas duxit maximè. Denique cavendum eſt, ne, quæ partes Presbyteris, Epiſcopis, Metropolitis conveniunt, tribuantur Patriarchis. His ſincere & ſine fuco conſideratis certum eſt, antiquas Eccleſiæ Romanæ, Alexandriæ & Antiochenæ conſuetudines, quas Synodus Nicena adſeruit & confirmavit, nihil quidquam objicere, quod Patriarchis ἀνεπιτ & proprie conveniat. Quin etiam nec vetuſtiora huc Synodo Monumenta, quæ omnia tacitem confirmavit illuſtres Viri atque in paucis nominatiſſimi, qui contendut, jura Patriarcharum Canone Niceno vindicari, ſe quidem ex Eccleſiarum Monumentis hac Synodo antiquioribus nihil adferunt, quo Germana Patriarcharum jura repræſentent. At, ſi nihil hujuſmodi repræſentant, quonam pacto probabunt, Germana Patriarcharum jura in hac Synodo eſſe Sancta, quæ tamen nihil inſtituit novi, ſed antiquas tantum conſuetudines Sedium illuſtriorum confirmavit? Potuiſſent Clementis Epiſtolam ad Jacobum Domini Fratrem adferre, verum non attulerunt, quia Viri ſagaces intelligebant, non eſſe illam Clementis Epiſtolam, quæ ad Jacobum Martyrio abſumtum ſcripta dicitur. Quod autem Rufinus Epiſtolam hanc Græcæ ſcriptam Latinè legitur tranſtuliſſe, non ſequitur, eam eſſe veram Clementis Epiſtolam, ſed tantum, ante Rufini tempus ſuppoſitam fuiſſe, uti & ſuppoſitum fuit ſub nomine Clementis Euangelium. Deindè intelligebant, Petrum Comeſtorem, Pariſienſium ſui temporis Magiſtrorum principem, Gobelinum Perſonam, Johannem Turrecrematam, Nicolaum Cœſanum, Johannem Diredonem, Claudium Eſpencæum, Baronium, Bellarminum, Perronium & alios Epiſtolam hanc pro Apocrypha & ſuppoſititia habuiſſe. Potuiſſent etiam adducere tres Anacleti Epiſtolas, mentionem facientes Patriarcharum; verum non adtulerunt, noverant quippe, ſubjectam Clementi Epiſtolam ordine & numero primam in eis laudari, vulgatam Bibliorum Verſionem in medium adduci, varia poſteriorum Anacleto Pontificum & Conciliorum Decreta ac leges Principum ſuppreſſis eorum nominibus adhiberi, cauſas & lites Eccleſiaſticas, prout illæ tractari cœperunt poſthac, omnino hic etiam tractari, dum ipſum nomen Chriſtianum habebatur pro crimine, dum Epiſcopi, Presbyteri, cunctique fideles latitabant in Cryptis, dum Nero & Diocletianus naſcentem depopulabantur Eccleſiam, dum Chriſtianus vix ullus erat cognitus, qui ad vera Religionis vulnera non perveniret, quæ omnia ſunt certiſſima Epiſtolarum Anacleto ſuppoſitarum indicia. Non dubitabant hinc Viri prudentes, quin Epiſtolæ

Digitized by Google

piſtolæ hæ ponendæ eſſent in numero mercium fucoſarum & fallacium, quæ regnante Pipino ex officina, neſcio cujus, impoſtoris adſpexerunt lucem, qua in gratiam Veritatis mendacio non egentis privari ſemper debuerunt. Et ſane, ut cætera præmittantur, ipſa Epiſtolarum fragmenta fraudem aperte demonſtrant, & Anacleto has abjudicant Epiſtolas, quia nomen Patriarchæ demum poſt Synodum Nicenam cœpit uſurpari, neque invenitur apud Euſebium, Athanaſium, Baſilium, utrumque Gregorium & Epiphanium, ſed primum uti videtur apud Socratem libri quinti Hiſtoriarum capite octavo, ubi agit de centum quinquaginta Epiſcopis, qui Synodum Conſtantinopolitanam celebrarunt. Notatu id quoque dignum eſt, Græcos prius, quam Latinos hac voce uſos eſſe. In Synodo namque Calchedonenſi vix illa ſæpius reperitur uſurpata, in Epiſtolis vero Leonis M. nunquam, tametſi de ſecundæ & tertiæ Sedis dignitate ac privilegiis multum habeat Sermonem; quamvis Taurinenſis Leoni æqualis Laurentium in Homilia prima de ejus Natali adpellat glorioſiſſimi Patriarchæ Diaconum. Reliqua quod attinet, ſi locus Socratis benè conſideretur, non parum juvat eam rationem & intelligentiam, quam Canon exhibet Nicenus. Nam ſi Synodus Conſtantinopolitana demum conſtituit Patriarchas, antea certe non erant conſtituti. Quid clarius? Sed quis antiquior Socrate vel id negavit, quod Socrates adſeruit, vel ea protulit, ex quibus id, quod Socrates adſeruit, negetur? Univerſi tacent, & tacendo Socrati nobiſque conſentiunt. *Decimum & ſextum* non nihil adſignat cauſæ, cur in ſpeciem Johannes Presbyter Antiochenus & quidam alii eum ſecuti Canonem hunc Nicenum pro Patriarchis laudarint. Synodus quippe Nicena, ut jam ſæpe infixum eſt, circa Eccleſiam Romanam Alexandrinam & Antiochenam Canone ſexto nihil inſtituit novi, ſed antiquas confirmavit conſuetudines, quæ Sedibus hiſce illuſtroribus convenerant. In his autem conſuetudinibus antiquis tenebat Primas ordinatio Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum; ordinatione enim tali propagatur Eccleſia, & ſine illa dici ſtare non poſſet. Synodus igitur Conſtantinopolitana etiam veteres illas conſuetudines confirmat, & & præterea deſignat provincias, quæ Alexandrino, Antiocheno & aliis quibuſdam ſubjacebant Epiſcopis, uti & modum, quo gubernarentur, quod factum Canone ſecundo. Socrates verò, qui pleroſque hujus Synodi Patres videre & cum iis poterat conferre, rem totam hanc explicat loco ſupra citato, de Occidentalibus Provinciis nullam faciens mentionem, quia nulli Occidentales Epiſcopi huic Synodo interfuerunt, neque Eccleſiaſticas ad eam literas miſerunt, quibus ſuam de rebus ad deliberandum propoſitis ſententiam exponerent. Johannes igitur Antiochenus Presbyter, & quidam alii eo poſteriores, cum Synodi Nicenæ Canones ac diſciplinam à Patribus Conſtantinopolitanis confirmari, atque in authoritatem admitti cernerent, ex eo ſaltem facto ſpecietenus non planè nihil habuerunt cauſæ, cur pro honore Patriarchis ex Canonibus decreto Synodum Nicenam laudaverint. In ſpeciem, ſeu ſpecietenus, inquam, quia re ipſa in hoc Canone nihil hujuſmodi ſancitur, quod ſupra oſtenſum, & ipſa Synodus Conſtantinopolitana confirmat in Synodica ad Damaſum, Ambroſium & alios quoſdam Epiſcopos Romæ congregatos Epiſtola. Cæterum hæc notare operæ pretium eſt, ne multa, quæ Synodum Nicenam ſunt ſubſecuta, aut accepta, atque ab eadem confirmata fuiſſe perperam credantur. *Decimum & ſeptimum* deducit, nomina ArchiEpiſcopi & Patriarchæ poſt Synodum Nicenam uſurpari cœpta eſſe nunc eodem modo, nunc diverſo; & Epiſcopum Romanum ſe neque Archiepiſcopum nec Patriarcham nomine, tametſi ab aliis ſic nominetur. Nimirum, quia Archiepiſcopus & Patriarcha ſunt nomina Græca, eorum uſus primum apud Græcos eſt quærendus. Et quidem in veris Græcorum Patrum monumentis, qui Synodum Nicenam præceſſerunt, quæri poteſt, non autem inveniri. In illorum vero ſcriptis, quæ Synodum hanc ſecuti ſunt, dum quæritur, invenitur non difficile, nominatim apud Athanaſium in Apologia ſecunda, qua parte datum Alexandro Epiſcopo Breviarium Meletii recenſet; apud Epiphanium in

Hæresi post sexagesimam sexta, Cyrillum in Homilia de Encomio Deiparæ, ubi occurrit nomen Archiepiscopi, sicut apud Socratem loco supra citato nomen Patriarchæ. Plura referre non opus est, quia qui nomen illud, scilicet Archiepiscopi, usurpant, Athanasio, Epiphanio, & fortasis Cyrillo supervixerunt. Quod autem utrumque nomen rem tunc eandem significaverit, ex actis Synodi Calchedonensis discimus, & quidem ex actione tertia, in qua Leoni Papæ & Synodo plures libelli porriguntur hoc modo inscripti: *Leoni Archiepiscopo & Patriarchæ &c.* Idem observarunt Patchatius & alii Sedis Apostolicæ Legati in sua adversus Dioscorum sententia, item Metropolitanus Myrensis. Sic Marcellinus & Faustus Presbyteri in libello precum ad Imperatores ante Synodum oblato Damasum vocant Archiepiscopum. Et Maximus Taurinensis non multo post Synodum loco ante laudato Episcopum Romanum appellavit Patriarcham. Atque sic quod Marcellino & Fausto est Archiepiscopus, id Maximo est Patriarcha. In summa unum sonant voces duæ, quæ inter se videntur discrepare. Prætermittuntur hic nonnullæ Pontificum Romanorum Synodo Nicena vetustiorum epistolæ, cum non minores suppositionis cautas præ se ferant, quam Anacleti epistolæ, quæ supra cum ratione a viris gravibus atque eruditis sunt rejectæ. Pontifices nempe hi in furtivis hisce epistolis sese & alios vocant Archiepiscopos, quod insigne falsitatis est argumentum. Nam si tot Pontifices ante Synodum Nicenam se appellarunt & inscripserunt Archiepiscopos, cur illorum successores post eandem pari modo se non inscriberent, Majorum videlicet erubescentes traditionem? Procedente autem tempore vocum harum non idem fuit usus, & varie conversa est earum significatio. Idem igitur esse cœpit, ut modo est, Archiepiscopus & Metropolita, quod constat è Concilio Matisconensi primo, ac ejusdem Canone sexto. Gregorius vero Turonensis libri quinti Historiarum capite post vicesimum primo Nicetium Lugdunensem Episcopum appellat Patriarcham, quo in loco Patriarch idem qui Metropolitanus, præterquam quod Florianus eundem Nicetium in epistola ad ipsum scripta vocat Archiepiscopum. Et seculis posterioribus fuerunt, qui Pontificem Romanum aliter ac antiqui vocarunt Patriarcham, videlicet Rabanus Mogontinensis Episcopus in libro de laudibus Crucis. Ratherius Leodiensis Episcopus in sua ad Johannem Papam epistola, quam habet Tomus primus de Gestis Pontificum Leodiensium; Bernardus Abbas Montis calidi in libri contra Valdenses capite secundo. Quamvis vero Episcopus Romanus nusquam se nominat Patriarcham, Leo tamen tertius in actione Synodi Romanæ, quem contra Felicem Urgelitanum celebravit, Patriarchium habet Alexandrinus autem, Antiochenus, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus vocant se Patriarchas, atque ab aliis vocantur Patriarchæ, & à prima nominis significatione vix deflexerunt; quod certum est, si Anastasius Bibliothecarius verum dicit in præfatione Synodi septimæ ad Johannem octavum. Corollarium denique *decimum & octavum* quia tantum aliquas ex Concilii Aquilegiensis prima ad Imperatorem Gratianum epistola Synodi Constantinopolitanæ ad Damasum & alios Occidentales Episcopos scripta, ac aliis similibus documentis loca exhibet, quæ aliquem Romani Pontificis primatum videntur adstruere, non vero eum, quem Bellarminus studuit adstruere, hic prætermittuntur, quia ad Canonem Nicenum proprie non pertinent, de quo hic interius agitur. Atque hæc Launoji in laudata Dissertatione, cui præfixit epistolam pro more solemni dedicatoriam, in qua summam dictorum breviter his comprehendit: Patres Niceni in Canone condendo, & Rufinus in vertendo usi sunt eo sermone, quem, nisi omnes, certe plerique & intelligebant, & debebant intelligere. Id postulat cujuscumque legis natura & conditio; id quoque expectandum est ab illorum bonitate vel prudentia, qui legem vel ferunt vel latam interpretantur publicæ utilitatis gratia. De affectata phrasi obscura & inusitata nemo supra centum abhinc annos & conquestus aut conqueri potuit sine injuria Synodi Carthaginensis sextæ Patrum & Pontificum Romanorum, qui traductos à Rufino Canones Nicenos olim sunt amplexi, eosdemque in authoritatem

Digitized by Google

tem admiſerunt. Profectò noverant viri ſapientes, Eccleſias dici ſuburbicarias, quæ regionibus ſuburbicariis plus minuſve reſponderent, quia hæc perpendiculo & linea dirigi æſtimarique non debent. Ipſa intuebantur loca, ubi Pontifex Romanus Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos jure antiquo & ordinario conſecrabat; nec ullus præterea fuit, qui de juriſdictionis Pontificiæ finibus moveret controverſiam. Id ſeculorum poſteriorum reſervabatur ignorantiæ vel malitiæ, in quibus per Canones Niceni latus principatus Sydis Apoſtolicæ peteretur. Sed plagam & cicatricem nullam excepit, quia fuit petitio incepta. (N B. Condonandum eſt aliquid Launojo, talia ſcribenti, ne nimiam ſibi crearet à Romanis invidiam) & ſane principatus ille uti non poteſt oppugnari hoc Canone, ita nec propugnari. (Hoc quidem largimur, non item illud.) Neceſſaria prorſus videtur complexio, qua victi Pontifices, Julius & Gelaſius, uterque primus hoc nomine, Canonem hunc Nicenum non adhibent, cùm, quanta poſſunt, diligentia tuentur dignitatem quiſque ſuam; ille in epiſtola ad Orientales, hic multis in epiſtolis, & maxime in quarta, quæ Fauſti Legati appellatur Commonitorium. Et quidem Julius Nicenæ Synodi æqualis fuit & ſuperſtes. Gelaſius autem diſtabat annis à Synodo centum & ſexaginta ſex tantum. Atque ſic Canon hic neutrum latuit, ac uterque melius longe calluit, cuinam rei ſerviat vel non, quam Nicolaus Pontifex hoc nomine itidem primus, qui annis ab hac Synodo quadringentis triginta quinque Canonem hunc ad probandum Sedis ſuæ principatum aſſumpſit, id faciens maximis diſtentus negotiis, longam exarando epiſtolam, in qua non potuit omnia & ſingula abſolvere. Teſtantur de eo incerta Silveſtri Papæ Geſta, quæ pro certis prædicat monumentis. Teſtantur etiam Acta Synodi Romanæ ſuppoſita, quibus ſuam aſſerit poteſtatem. Sixtus nempe tertius in ea fictum Hieroſolymorum Epiſcopum nomine Polychronium deponit, quod Hieronymus Sedem eſſe primam, & ſe Sacerdotem eſſe ſummum auſus eſſet dicere. Baronius quidem ut Synodum hanc Romanam ad aliquam veritatis umbram reduceret, quamplurimum ſudavit & alſit; ſed omnem ſuum laborem periiſſe doluit. *Hæc in Dedicatione.*

De hoc Canone Niceno ante Launojum contra vulgatam Romanorum explicationem egit etiam prolixè Edmundus Richerius, Doctor Sorbonicus, in Hiſtoria Conciliorum generalium, unde in gratiam veritatis adverſus ejuſdem incruſtatores ſequentia lubet excerpere: Tres ſunt, inquit, partes Canonis hujus, quarum prima verſatur in explicandis Primatiarum ſive Patriarchatuum privilegiis, quod quidem Patriarchatus & Patriarchæ nomen aliquanto poſt hanc Synodum fuit inventum, & primùm, quantum conſtat, in Synodo Calchedonenſi uſurpatum. Secunda agit iterùm, ſcilicet poſt Canonem quartum de electionibus & confirmationibus Epiſcoporum per Metropolitanos Provinciæ. Tertia pertinet ad privilegia Epiſcopi Æliæ ſeu Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Ut de prima prius dicatur, ſtatuitur hic, unicuique Eccleſiæ ſuam dignitatem, authoritatem & privilegia ſervari oportere juxta locorum conſuetudinem, quo etiam reſpicit Canon poſt viceſimum primus & ſecundus Synodi Antiochenæ, uti & Canon octavus primæ Synodi Epheſinæ, quibus adnectenda eſt Gloſſa ex jure Canonico, quæ in diſtinctione poſt ſexageſimam quinta ſic habet: *Dicitur in hoc Canone, quod ſecundum antiquam conſuetudinem honor proprius reſervatur per ſuas Provincias Alexandrino Patriarchæ, qui ſimilis eſt Romano.* Addatur aliâ in cauſæ novæ, ejuſdemque Quæſtionis tertiæ Canone octavo, ubi ad hunc Canonem Nicenum fit remiſſio. Eſt vero inprimis animadverſione dignum, Patres Nicenos, Antiochenos & Epheſinos loqui de conſuetudine per temporis decurſum introducta, non de jure divino aut Monarchia Papæ. Rectè id quidem, quia diſtributio orbis Chriſtiani in certos tractus aut Diœceſes, quas deinceps vocitarunt Patriarchatus, juris eſt mere poſitivi-humani. Cæterum, ſi Canones Arabici, quos Franciſcus Turrianus & Alphonſus Piſanus ex Arabica lingua in Latinam converſos venditant, non alii ſunt uſui, ſaltem genuinam explicationem Canonis

nonis hujus ſexti declarant nobis, atque Monarchiam Papæ abſolutam Canone octavo profligant. Senſus eſt ergo: Quo jure Epiſcopus Romanus Eccleſias ſibi ſubjectas gubernabat, eodem & Alexandrinum Eccleſias ſibi ſubjectas moderari, & ſimiliter quoque Antiochenum. Hic enim Patres Niceni ex noto ignotum quaſi, atque ex minime controverſo incerti controverſum. Cum namque Meletius tyrannidem illi contra primatum Alexandrinum vendicaret, atque ordinationes per totam Thebaïdem & Ægyptum faceret contra conſuetudinem. Nicæni Patres uſurpationem illam definiunt & circumſcribunt, tum ex antiqua conſuetudine, tum ex more aliarum Eccleſiæ Romanæ, cui nemo litem movebat de ſuo jure; hicque regula generalis ponitur omnibus Metropolitanis, quando decernitur, ut cunctis Eccleſiis Metropolitanis ſua dignitas & autoritas ſervetur juxta conſuetudinem, quæ Canoni æquipollet. Atque hinc daret, quod ſimili dictum ſit a Nicolao primo in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, *Synodum Nicenam Ecclæſiæ Romanæ nullum dediſſe incrementum, ſed potius ex ejus forma ſumpſiſſe, quod particulariter tribueret Alexandrinæ.* Porro Rufinus, quando Canones Nicenos explicat, abſolutæ Monarchiæ fautoribus litem indixit irreconciliabilem, unde permulti captant occaſionem, Epiſcopi Romani potentiam cogendi in anguſtum, quaſi ſcilicet nullam haberet aliam Diœceſin præter Eccleſias ſuburbicarias, urgendo, Rufinum loqui de his, quæ viderat, quæque fiebant ordinarie. Ab hoc nodo Gordiano ut expliceat ſe Baronius, item Bellarminus, communiſcuntur fabulas. Hic certe contendit inter alia, *ſenſum hujus Canonis eſſe, Epiſcopum Alexandrinum debere gubernare illas Provincias, ſcilicet, Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, quia Romanus ita conſuevit, id eſt, quia ante omnem Canonum definitionem conſuevit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybiæ & Pentapolios, ſive conſuevit per eum has gubernare Provincias, ſicque hunc Canonem intellexiſſe Nicolaum Pontificem hujus nominis primum in laudata ad Michaelem Imperatorem Epiſtola, ne apparere expoſitionem aliam probabilem*, magis certe ridendus, quam confutandus, quoniam tota hæc ejus narratio id aſſumit pro certo, quod controverſum eſt, ſcilicet, Papam jure Divino eſſe Monarcham abſolutum Eccleſiæ, & Nicolaum Pontificem ita Canonem hunc in ſua interpretari cauſa. Bellarminum quoque ſecutus eſt Cotonus libro Inſtitutionis Catholicæ ſecundo; qui verò, dum accepit, magnum rumorem de ſe tanquam violatore Canonis ſpargi, in Editione ſecunda Canonis hujus verba & ſenſum reſtituit. Baronius verò & Bellarminus perhibent, hunc Canonem eſſe mutilatum, eoque modo legendum, quo à Paſchaſino & Lucentio, Leonis M. Legatis profertur Actione poſt decimam ſexta Synodi Chalcedonenſis. Ad Rufinum ut redeam, ſcribit porrò Doctor Sorbonicus, rejecta Juriſconſultis ac Philologis diſputatione de Regionibus ſuburbicariis, contendo, prochive eſſe ex Conciliorum & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitia videre, quidnam Rufinus per Eccleſias ſuburbicarias voluerit deſignare, nec puto, id ſtrictè ad Regiones ſuburbicarias oportere reduci. Certè, Theodoſius Imperator in literis, quibus ſecundam Synodum Epheſinam convocavit, Dioſcoro, Patriarchæ Alexandrino nominatim præcepit, ut ex ſua Diœceſi, nimirum Ægypto, Lybia & Pentapoli habeat decem Metropolitas & totidem Epiſcopos, qui Epheſum ſe conferant; conſtatque ex Actis Synodi Chalcedonenſis, Leonem M. literas ejuſdem tenoris & argumenti accepiſſe à Theodoſio, ac proindè decem debuiſſe Metropolitas & Epiſcopos mittere ex ſua Diœceſi. Similiter Conſtantinus Pogonatus in Epiſtola ad Donum Pontificem, quæ legitur ſub initium ſexti Concilii generalis, eidem ſextum hoc indicit Concilium, mandatque, ut ex Eccleſia Romana privatas tres mittat perſonas, ex Concilio autem Pontificis duodecim Metropolitas & Epiſcopos. Hæc verba declarant, ex Eccleſiæ praxi Papam duobus modis poſſe conſiderari, ſcil. ut Epiſcopum urbis, quam gubernat privatim; deinde, uti præeſt Concilio, ad quod plures conſluunt Metropolitani. Verùm, quando certum eſt, Papam tali Concilio non præeſſe, indè relinquitur exploca-

exploratum, Papam, uti Primas & Patriarcha eſt, non modo ſuburbicariis, ſed aliis etiam Dono Anteceſſore mortuo reſcripſit Imperatori, ſe ex Eccleſia ſua Romana privatim mittere duos Presbyteros, unum Diaconum, unum quoque Subdiaconum, deinde tres Epiſcopos ex proxima Synodo ſedis Apoſtolicæ, inſuper excuſans ſe, quod de Provinciis longinquioribus ſui familiaris Concilii propter temporis anguſtias & valetudinem adverſam mittere non potuerit Metropolitas. Quæ indubitatam Eccleſiæ primitivæ praxin à temporibus Synodi Nicenæ uſitatam demonſtrant, ac præterea Papam tribus conſiderari modis, ſcil. ut Epiſcopum Urbis Romæ privatum, deinde ut Metropolitam & Archi-Epiſcopum, tertio ut Primatem & Patriarcham, atque hoc nomine & titulo pro Diœceſi habuiſſe occidentem, id eſt, Italiam, Gallias, Africam, Hiſpanias, Septentrionem &c. Cæterum, dum hic Canon Nicenus Epiſcopo Alexandrino Ægyptum, Lybiam & Pentapolim ſubditas fuiſſe docuerit, atque Rufinus unius tantum Ægypti meminerit, nominatim adferens, Epiſcopum Alexandrinum eo modo regere Ægyptum, quo Romanus gubernat Eccleſias ſuburbicarias; id argumento eſt, Rufinum loqui duntaxat de Epiſcopo Alexandrino & Romano, velut Metropolitis & Archi-Epiſcopis, non autem velut Primatibus & Patriarchis. Magna quidem pugnatur contentione inter Recentiores de Sedium Patriarchalium inſtitutione, & cur ex dicantur Apoſtolicæ. Tertullianus in libro de Præſcriptionibus paſſim, & præſertim capite ejus poſt viceſimum primo Eccleſias Apoſtolicas & Matrices vocat, quas Apoſtoli fundarunt. Sic Auguſtinus in libri de Doctrina chriſtiana ſecundi capite octavo oſtendit, Sedes Patriarchales dici Apoſtolicas, cujus textum Gratianus in Diſtinctione poſt decimam nona interpolavit quidem, ut ſolam Sedem Romanam probaret vocari Apoſtolicam, qui autem juſſu Gregorii Pontificis hoc nomine poſt decimum tertii ſuo nitori ex Authoris ſenſu genuino reſtitutus eſt. Antiquitus certe omnes Patriarchales Sedes nuncupabantur Apoſtolicæ, & Romana ad diſtinctionem aliarum dicebatur Sedes Apoſtolica Urbis Romæ aut Eccleſiæ Romanæ, vel etiam Sedes Apoſtolica per excellentiam. Equidem recentiores moti authoritate Leonis & Gregorii M. nec non Epiſtolarum Anacleti & aliorum ejuſmodi Scriptorum oſtendunt, Sedes Apoſtolicas à ſolo Petro fundatas eſſe. Sed Nicolaus Cuſanus, Cardinalis, doctiſſimus vir, atque in cognitione Hiſtorialium & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitatiſſimus, cauſam hanc ſuis circumſcripſit finibus libri de Concordia Catholica ſecundi capite poſt triceſimum ſecundo. Profecto, cùm ex actibus Apoſtolicis pateat, nec Petrum, nec alios Apoſtolorum regulariter & ordinarie aliquid unquam ſeorſim & ſeparatim in Eccleſiæ regimine abſque Eccleſiæ & ſeniorum præſertim conſenſu & conſilio egiſſe, abſurdum eſt, è ſcriptis nonnullis apocryphis & fidei dubitatæ, quales ſunt epiſtolæ Clementis aut Anacleti, vel etiam è Pontificum Romanorum in ſua cauſa Decretalibus, ut Leonis & Gregorii Magni velle perſuadere, ſedes Patriarchales ab uno & ſolo Petro inſtitutas fuiſſe. Canon certe Nicenus procul dubio illas potius aliqua conſuetudine inſenſibili, quam aliquo meditato & conferto ſtudio primitus indicat erectas, ac ejuſmodi conſuetudinem tacitam à typo & forma Diœceſium ac Metropolium Imperii Romani ortam Canon Antiochenæ Synodi nonus indicat, cujus hic ſenſus eſt: Quemadmodum præfecti Diœceſibus ac Metropolibus Imperii authoritate Imperatorum conſtituebantur, ut omnes Provinciæ urbes Metropolibus ſubjectas gubernarent, eiſque in æquabile diſpartirentur; ita in rebus etiam Eccleſiaſticis omnes Epiſcopos urbium ſubditarum Metropolibus Imperii pariter Epiſcopo urbis Metropolitanæ ſubditos fuiſſe. Hoc ſenſu arbitror Irenæum libri tertii capite tertio ſcripſiſſe, ***Neceſſe eſſe, omnem Eccleſiam convenire ad Romanam propter potentiorem Principalitatem***, id eſt, quia Roma erat caput Mundi, Princeps omnium Metropolium (in Occidente) & Sedes Imperii Romani. Quapropter Canone hoc Niceno nominatim cavetur, ut omnibus Eccleſiis Metropolitanis ſua jura & dignitates ſerventur juxta conſuetudinem. Unde etiam colligitur, Canonem Antiochenum fuiſſe editum pro Canonis Niceni intelli-

telligentia, cùm decrevit, ut Epiſcopus Metropolitanus honore præcedat alios ; honore inquam, non juriſdictione abſoluta & Monarchica. Siquidem excepta facultate indicendi Synodos Metropolitanas & mittendi Canones in rem judicatam aut exequendi regimen Ariſtocraticum, (quod ſingulis proportionatim Epiſcopis, & cuique vi ſuæ Diœceſi reſpectivè competebat) poteſtas Eccleſiam gubernandi & condendi Canones tunc temporis habitabat penes Synodum, quæ regimen conſtituebat Ariſtocraticum. Regulæ autem huic Antiochenæ Canon poſt decimum ſecundus & ſeptimus Chalcedonenſis ſuffragantur, quibus ſtatuitur, Parochias aut Diœceſes Eccleſiaſticas conſequi typos civiles & publicas regiminis urbium formas, quas de novo condebant Imperatores. Huc quoque adcurrit Canon poſt triceſimum octavus Synodi Trullanæ, quem Gratianus etiam ſuæ inſeruit collectioni. Sane, Leo Pontifex hoc nomine Nonus in Epiſtola quarta nominatim adſerit, ***Epiſcopos aliis aliis præferri, eo, quod primas Civitates & magis nominatas ſecundum potentiam & leges Sæculi retineant***, quæ genuina eſt Metropolis deſcriptio. His quoque Gregorius hoc nomine ſeptimus, utut magnus abſolutæ Monarchiæ adſertor, libri quarti Epiſtola poſt triceſimam quinta adſentitur. Cauſa rei hujus inde eſt petenda, quod Eccleſia Chriſti poſt Imperii diviſionem ab Auguſto & aliis Imperatoribus factam nata & propagata ſit. Igitur cum Roma caput totius Occidentis eſſet, Alexandria Ægypti, Lybiæ & Pentapoleos, Antiochia autem Orientis, quod mirabile, ad formam Diœceſium atque Metropolium Imperii ſecularis Sedes quoque Patriarchales ibidem ſunt collocatæ. Itaque ſicut Romanus jure Patriarchali totum Occidentem cum Africa (quæ tamen ſæpius obſtitit) extraordinarie moderabatur, & jure Archiepiſcopali Eccleſias, quas Rufinus vocat ſuburbicarias, ordinarie bis annuatim cogebat in Synodum, jure vero Epiſcopali urbem aut privatam Paroeciam Romanam gubernabat ; ſic pariter etiam alii Patriarchæ ſub triplici hac notione ſuas adminiſtrabant Eccleſias. Alexandrinus quidem totam Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, Antiochenus Syriam, Coeleſyriam & Meſopotamiam, cum utraque Cilicia, jure Patriarchali ; deinde tanquam Archiepiſcopi aut Metropolitæ ex præſcripto quinti Canonis Niceni Eccleſias ſibi propinquiores ; & demum jure Epiſcopali ſuas privatas Parœcias, vel, ut hodiè vocamus, Diœceſes moderabantur. Et ita liquet, ſub unoquoque Patriarcha plures fuiſſe Metropoles, & rurſum ſub ſingulis Archiepiſcopis aut Metropolitis Epiſcopos plures ſuffraganeos, quod certiſſima demonſtrat Eccleſiæ praxis. Cæterum, Athanaſius in Epiſtola ad vitam ſolitariam agentes, paulo ante medium, cum opprobrio dat Conſtantio Imperatori, quod ſervierit in liberium Pontificem, ***nulla ductus Reverentia vel quod Roma Sedes eſſet Apoſtolica, vel quod Metropolis eſſet dictionis Romanæ, vel quod eos Apoſtolicos viros in ſuis adpellaſſet literis*** ; nomine Metropoleos utitur juxta diſtinctionem Sedium Patriarchalium factam Canone hoc Niceno, ita ut Metropolis ibi ſignificet, quod poſteà adpellarunt Patriarchatum. Super adhuc eſt tertia pars Canonis de Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Privilegiis, quam Patres hi vocarunt Æliam, quia Ælius Adrianus Imperator eam juſſit reſtaurari, poſtquam à Tito fuit everſa. De cætero, hoc Synodi Nicenæ tempore Eccleſia hæc Hieroſolymitana nondum erat Patriarchalis, imo ſubdita Cæſareæ Palæſtinæ tanquam Metropoli. Quocirca Hieronymus in Epiſtola poſt ſexageſimam prima Johannem Epiſcopum Hieroſolymitanum reprehendit, quod, cum eſſet ſubditus Primati Antiocheno, cui Cæſarea Palæſtina erat ſubjecta, tamen Theophylo Patriarchæ Alexandrino de ſuborta quadam Controverſia ſcriberet, cum potius debuiſſet convenire Archiepiſcopum Cæſareæ Palæſtinæ Metropolitam ſuum, aut Patriarcham Antiochenum. Hoc nimirum Canone cavetur, ***ut Æliæ, id eſt, Hieroſolymorum Epiſcopus habeat honoris conſequentiam, propriâ dignitate ſervatâ Metropoli***, quam Hieronymus oſtendit eſſe Cæſaream Palæſtinæ, & ita magnam huic Canoni adfert lucem. Sed aliquanto poſt Synodum hanc Nicenam

Digitized by Google

nam in Synodo Conſtantinopolitanâ Epiſcopus quoque Conſtantinopolitanus Patriarcha creatus eſt, eique ſecundus honoris locus fuit delatus poſt Romanum ; & tum demum Eccleſia etiam Hieroſolymitana hunc adepta eſt honorem, propter Religionis Chriſtianæ incunabula, unde etiam Patres Conſtantinopolitani eam meritò *omnium Eccleſiarum Matrem* vocarunt, & Patres Chalcedonenſes ſub finem Actionis ſeptimæ tres eidem adſcripſerunt Palæſtinas. Atque ſic ex conſuetudine regiminis Metropolium Imperii totus orbis Chriſtianus in quinque Patriarchatus fuit diſtributus, unoquoque illorum ſuas regente Eccleſias, ſicut Romanus ſuam moderabatur ; fitque ex hoc Canone clarius ipſo Sole, Eccleſiam Romanam à Patribus Nicenis ſumni pro ſingulari & particulari, non autem pro univerſali & Catholica, ut hodiè fieri conſuetum eſt poſt abſolutam conditam Monarchiam. Profecto, in Canone hoc Romanum & Catholicum opponuntur tanquam univerſale & particulare ; adeo ut Eccleſia Romana ſit pars & membrum Eccleſiæ univerſalis, ſicut Alexandrina & Antiochena. Hinc etiam patet, illos frontem amiſiſſe, qui negant ; Epiſcopum Romanum habere ullam Diœceſin privatam ſibi adſcriptam, quam regat, quaſi totus orbis Chriſtianus eſſet peculiaris & privata ejus Diœceſis ; quæ commenta ſunt adulatorum atque hominum obnoxiorum, privilegia & immunitatis contra jus commune & regimen Ariſtocraticum tueri volentium, ut efficiant, ſolum Papam eſſe ordinarium & maximè proprium Sacerdotem. Et quidem Anaſtaſius, cognomento Bibliothecarius, qui tempore Nicolai primi & Adriani ſecundi florebat, in præfatione Synodi octavæ, Conciliorum Romæ editorum, Sedes has quinque Patriarchales comparavit quinque ſenſibus corporis humani, & Romanam in ſpecie Viſui ob præcellentiam. Sed meo, ſcribit Doctor Sorbonicus, judicio melius, atque ad ſenſum Eccleſiæ Catholica adcommodatius eam comparaſſet Tactui, quoniam hic Senſus neceſſitatis eſt abſolutæ & Senſuum aliorum fundamentum, quo videlicet ſublato omnes oportet perire, ut docent Medici. Dignoſcitur etiam ex Actis Conciliorum & Praxi Eccleſiæ, Munia atque officia Sedium Patriarchalium, qualia aureis Eccleſiæ primitivæ Seculis exercebantur, poſſe adcuratius explicari ſimilitudine Parlamentorum Galliæ. Nam ſicut unumquodque in ſuo tractu & Diœceſi aliquam juxta leges regni & conſuetudines municipales ſub rege gubernat & provinciam ; ſic Eccleſia univerſalis à quinque Sedibus Patriarchalibus ſub Chriſto ſecundum jus Divinum, Naturale & Canonicum regebatur olim, & Eccleſia Romana ob Sedis & Primatus prærogativam ante alias quidem obtinebat primatum, nec tamen cæteris Sedibus Patriarchalibus aliquid tum temporis poterat præſcribere extra Synodum, exceptâ obſervatione & executione Juris Divini, Naturalis & Canonici, quandoquidem omnes ex æquo Sedes moderabantur ſubjectas ſibi Eccleſias ſecundum jus commune & mores gentium diverſarum Synodicè aut Regimine Ariſtocratico, atque ſic omnes vocabantur Apoſtolicæ, & annuatim bis ad Synodum confluere tenebantur. Et quoties generalia celebrabantur Concilia, cuncti Patriarchæ ſicut Præſides actionibus Parlamenti, præſidebant, ac primo abſente ſecundus, primo autem & ſecundo abſentibus tertius Sedis prærogativam occupabat, neque Romanus præter Sedis eminentiam & facultatem Canonum exequendorum quidquam habebat ſuper alios. Quo factum Victoris Papæ debet referri, qui, cum propter celebrationem Feſti Paſchatis Eccleſias Aſiæ privare voluiſſet communione Catholicâ omnes aliæ etiam occidentis Eccleſiæ, quæ ejus Patriarchatui ſuberant, acriter illi obſtiterunt, ac inter alios Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, quod certè nunquam fuiſſet auſus, ſi tenuiſſet, Papam aut S. Petrum, cui ſucceſſit Papa, inſtitutum fuiſſe à Chriſto Monarcham Eccleſiæ. Huc etiam pertinet, quod poſtmodum eveniſſe legitur, nempè, Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quanquam operâ & beneficio Sedis Romanæ redinteè gratum in Eccleſiam Conſtantinopolitanam, nihilo tamen minus ſtrenuè & intrepidè oppoſuiſſe Johanni hujus nominis octavo, cum is Archiepiſcopatum Bulgariæ con-

Digitized by Google

tra conſuetudinem niteretur invadere, cujus etiam cenſuras nihili fecit Ignatius, & tamen vivus atque mortuus claruit miraculis, teſte Baronio. Quæ indicant planè, antiquis non fuiſſe perſuaſum, Papam eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham. Et, DEUS bone, quâ id ratione poſſet fieri, ut unus & ſolus tot Provinciis abſoluta regendis Monarchia ſufficeret, cum experiamur quotidie, unumquemque Prælatum aut Parochum, ſi rectè velit ſuo Munere fungi, valde implicari in illo ritè & ſecundum Canones obeundo? Imo, ſi Moſes, Dux unius tantum gentis & populi imparem ſe ſolum ille gubernando agnovit, quanto minus Papa ſolus evolvendis ac explicandis totius Chriſtianitatis controverſiis poteſt ſufficere. Legatur Bernhardus in libri de Conſideratione ad Eugenium tertii capite octavo & nono, item Cancellarius Pariſienſis in Conſideratione ſextâ operis de Poteſtate Eccleſiaſtica. Equidem, nomen ac definitio Monarchiæ vel Regni in eâ ſaltem notione, quam venditant recentiores, eſt à quingentis circiter Annis, hoc eſt, ab eo tolum tempore adtributa Eccleſiæ Romanæ, quo Eccleſia ſenſim ad pauciores redacta fuit nationes, & Juri Divino ſeu Poteſtati Eccleſiæ miniſteriali & ſpirituali adverſatur omnino; quique obtendunt, Regimen Monarchicum eſſe omnium optimum, fallunt aut falluntur, minime adtendentes, diverſam eſſe rationem regiminis ſpiritualis atque temporalis vel civilis, quoniam in gubernatione temporali cum omnia gerantur poteſtate abſoluta, hoc melius ſub regimine Monarchico, quam ullo alio propter hominum malitiam perficitur. Secus autem res habet in regimine ſpirituali Eccleſia, ubi communio Sanctorum inter gentes tot diverſas totius orbis terrarum non cogi aut imperari poteſt Monarchicè, ſed duntaxat ſuaviter per actus hierarchicos ſuaderi & ſtabiliri debet. Quam ob rem hic obſervandum, non quid hominibus obnoxiis expediens aut bonum videatur, ſed quid nam Chriſtus lege Evangelica effici præceperit. Eum verò dominatum purè Monarchicum interdixiſſe hoc oraculo, *reges gentium dominantur, vos autem non ſic*, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Neque id quidem bonus abnegat Gerſon, quanquam Seculo vixerit Barbaro, quo libri & Acta Conciliorum minimè ſic patebant, ut hodiè; qui Conſideratione quartâ operis laudati de Poteſtate Eccleſiaſtica oſtendit, Pontificem Romanum non poſſe ſuis legibus aut univerſalem aut aliquam particularem Eccleſiam obligare, niſi hæ nominatim præbeant conſenſum; idque Regimen Ariſtocraticum quoad ſubſtantiam, quale etiam Canonibus Nicenis conſecratur, roborat, ac Fidei & Sacramentorum unitatem ſolo conſenſu Catholico & communione Sanctorum ſuaviter ſtabiliri, non autem Monarchicè imperari convincit. Ipſemet quoque Andreas du Vallius in libri de Papæ poteſtate ſuprêmâ parte primâ ac ejuſdem Quæſtione ſecundâ ait, Monarchiam eſſe quidem omnium optimum Regimen, ita tamen, ut, ne in tyrannidem degeneret, Ariſtocratia temperari conveniat. Certè, ſi doctrina recentiorum de Monarchia abſoluta eſſet vera, ſequeretur, cunctos Eccleſiæ Patres, qui ſub octo primis univerſalibus Conciliis vixerunt, hæreticos & Schiſmaticos fuiſſe, utpotè, qui iſtam infallibilem & abſolutam Monarchiam ne quidem inter dormiendum agnoverunt unquam, ſed jam jam gliſcentem ſæpe damnarunt, ac ſemper decreverunt, *Eccleſias jure communi debere gubernari*. Hæc ibi Doctor Sorbonicus ante hæc duodecim propter Luſtra, quæ num ante oculos habuerit Launojus, non conſtat; id vero ex adcurata utriuſque Tractationis collatione manifeſtum evadit, ubi ille aliquanto fuit liberalior, hunc eo fuiſſe tenaciorem, nec quidquam conceſſiſſe Aulæ Romano-Pontificiæ adulatoribus, quod ulla ratione videri potuit huic Niceno Canoni ac legitimo ejus ſenſui contrarium.

Breves

Digitized by Google

Breves pro Launoji Sententia Vindiciæ contra Emmanuelem Scelſtratenſem & Natalem Alexandrum.

EQuidem viventi adhuc Launojo Diſſertationem oppoſuit *Henricus Valeſius*, Hiſtoriographus Regius, quam Editioni novæ Socratis & Sotomeni, Notiſque in utrumque ſubjunxit, ita tamen, ut Launojus ipſe ſui vindex prolixam ſuæ diſſertationis & ſententiæ ediderit Propugnationem de qua in vita Valeſii Frater Hadrianus, itidem Hiſtoriographus Regius teſtatur, quod eam ſibi utpote oculis laboranti noluerit prælegi, adfirmans, conſumptam eſſe materiam, ac perſuaſiſſimum habens, ſua à Launojo nulla ratione poſſe convelli ſcripta. Mirum id poſſet videri, & inſignis ſuperbiæ ſpecimen in Viro literis ſeverioribus culto, niſi Frater idem ibidem de eodem teſtaretur, cum de operibus alienis liberè ferret judicium, in ſuis aliqua reprehendi haud æquo paſſum animo. Præſentis Inſtituti ratio non permittit, ut Diſſertationes has inter ſe committamus, quod prolixioris foret operæ, inprimis quia non ita pridem *Guilelmus Bevereggius* in Pandectis Valeſii rationes Launojo oppoſitas novo ſubjecit Examini, eiſdemque ſatis ex aſſe fecit. Dum vero nuper *Immanuel Schelſtratenſis* eodemque uno ferè & *Natalis Alexander* tempore in gratiam non Veritatis, ſed Sedis Romanæ Sententiam Launoji novis quibuſdam arietibus impugnaſſe voluerunt videri, id nunc breviter oſtendiſſe ſufficiat, hos ipſos impugnatores cauſam Launoii contra Bellarminum, cui primum directè oppoſita fuit Diſſertatio, non parum fulcire & confirmare. E. Schelſtratenſis quidem, Doctor Antverpianus, nondum Canonicus, in *Antiquitate illuſtrata*, uti vocat, ejuſdemque Partis primæ ſecunda Diſſertatione agit de jure Patriarchatus Romani, capite primo proponens Sirmondi ſententiam Salmaſio Canonem Nicenum de Regionibus ſuburbicariis juxta Rufinam intelligenti oppoſitam, provocans inſuper ad antiquam Vaticani Notitiam à Baronio publicatam & *Petro de Marca* adprobatam. Antequam pergamus, occaſione laudati Codicis Vaticani, qui antiquam Epiſcopatuum Notitiam dicitur exhibere, non poſſumus, quin huc adponam nominati paulo ante *Bevereggii* obſervationem, quam in Adnotatione ad Canonem triceſimum & ſextum Synodi Trullanæ lectoribus de opere *Caroli à S. Paulo*, Abbatis Fulienſis in hoc argumento poſt Aubertum Miræum occupatiſſimi commendavit, ſcribens, tum in hoc negotio multum laboris impendiſſe quidem, & non nullas etiam antiquas Epiſcopatuum notitias edidiſſe, quæ tamen omnes admodum mutilæ ſint & imperfectæ. Præcipua, inquit, earum & præſtantiſſima eſt, quam ex regia eruit Bibliotheca; in qua nihilo minus, uti ab ipſo eſt edita, non modo Palæſtina prima & ſecunda, ac conſequenter maxima pars Epiſcopatuum ad Hieroſolymitanum Patriarcham pertinentium omittitur, verum etiam omnes Epiſcopatus in Diœceſi Romana conſtituti deſiderantur, & cum pergrata à Diœceſi Conſtantinopolitana deventum eſt ad Romanam, nihil ibi loco Notitiæ occurrit, præter hæc ipſius verba: *Hic in Manuſcripto regio recenſentur urbes Epiſcopales Italiæ & Provinciarum Romanarum Africæ, ſed adeo corrupte, ut vix aliquot verba remanſerint integra; unde harum notitiam, quaſi inutilem, conſulto omiſimus.* Bevereggius ſubjungit, Verum enim vero, ſatis mirari nequeo, quo pacto urbes Epiſcopales Romanæ ſolius Diœceſeos adeo corruptè ibi extarent, cum aliæ omnes integræ & intactæ remanſerint. Sanè, ſi huic Scriptori fides habeatur, quæ tamen merito veniat in ſuſpicionem, Manuſcriptis ſaltem Papiſtarum codicibus jure denegetur, cum, quæ ipſis ipſorumque cauſæ non favent, obliterantur protinus & corrumpuntur, hoc enim ſtudio & opera dedita factum fuiſſe nemo inficias eat. Nimirum, in illa Notitia longè plures Epiſcopatus Conſtantinopolitano quam Romano Patriarchæ ſubjecti enumerantur, & fines illi præſcribuntur, qui dominium & poteſtatem in

Digitized by Google

totum orbem Christianum sibi vendicat arroganter. Hæc ut aliis innotescerent, non æquum fuit, vel saltem non conveniens; ac proinde hæc Episcopi Romani territoria ab alio forsitan deleta sunt, sed à Carolo Abbate omissa certissimè, ne quid Sedi Romanæ proderet ingratum. Verum, hæc Artificia sunt inania, atque in cassum prorsus excogitata. Nam eadem hæc Notitia, quam Carolus Abbas edidit corruptè, in Bibliothecâ Bodlicanâ extat incorrupta & integra, idque in Codice Manuscripto admodum vetusto, quam ubi Græcè & Latinè per plures paginas Lectori Antiquitatis, Veritatis & rei canonicæ perito exhibuit Bevereggius, sequentia monet notanda. Primo, inquit, omnes quinque Patriarchatus cum Metropolibus & Episcopatibus suis in hac Notitia distinctè recensentur, quod de Notitia Caroli Abbatis dici non potest, quippè quæ tota Diœcesi Romana & plus-quam dimidia parte Hierosolymitanæ mutilatur; neque etiam in eâ Diœcesis Orientalis Patriarchæ Antiocheno subjecta, ab Ægyptiaca Alexandrino subdita discernitur, quin & insuper tres Patriarchatus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus pessimè confunduntur, cum è contrario in hac Editione Anglicana clarissimè à se invicem distinguantur, in qua etiam nomina locorum plerumque rectius exprimuntur. Deindè, in priori ista ac mutila Editione perhibetur facta hæc Notitia sub Imperio Leonis cognomento Sapientis & Photii Patriarchæ, quæ verba in Editione Anglicana omittuntur, sed tantum intra Diœcesin Orientalem in Provincia Armeniæ alterius quidam Basilius hunc librum Episcopatuum perhibetur elaborasse, qui nam verò hic Basilius fuerit, non constat. Certè nullus Imperator nomine Basilius Armenia fuit oriundus, nec idem potuit esse, qui Leonis Philosophi Pater fuit, Macedo quippè. Basilius igitur hic commemoratus non Imperator, sed doctus quidam Vir fuit, qui Imperatoris, forsitan Leonis jussu hanc Notitiam collegit; isto enim imperante hujusmodi Notitiam fuisse compositam, convenit inter omnes. Quæ autem sub ejus nomine circumfertur hodie, quantum ad Patriarchatum Constantinopolitanum, ab hac nostra discrepat quamplurimum; nam in ea longè plures sunt Metropoles dicto Throno subjectæ, quam quæ hic recensentur, sed pleræque earum tales sunt, quæ etiam post ejus tempora ad dignitatem Metropoliticam sunt evectæ, undè ejus quoque Notitiam patet interpolatam esse, uti pluribus Exemplis potest ostendi, præsentem verò Notitiam, à quocunque demum fuerit collecta, multis ab hinc Seculis editam esse certissimum est. Sanè Manuscriptus Codex Anglicanus valde vetustus est, uti ex ejus charactere, tantum non quadrato, & elegantissime exarato constat, patet que insuper, eum ex antiquiori descriptum esse, quod etiam ex antiquis locorum nominibus & divisionibus manifestum est. Ubi id quoque observetur, in Patriarchatu Romano longe pauciores hic numerari Provincias, quam quas Episcopus Sedis Romanæ per multa retro Secula usurpavit sibi. Ut aliæ enim nunc prætermittantur, nec Anglia, nec Scotia, nec Hibernia hic Throno Romano adnumerantur. Nam Bretannia, quæ ei commemoratur subjecta, à nostra, inquit ***Bevereggius***, sive magna Brittannia distat quam longissime, utpote in Provincia Campaniæ sita, quæ propterea videtur eadem, cujus tanquam inter Italiæ fines positæ meminit Polybius libro Historiarum secundo, ex quo constat, aliquam in Italia regionem antiquitus dictam fuisse Bretannicam, & cum Campania Italiæ sit Provincia, eadem videtur esse Bretannia, quæ à Polybio & in hac Notitia commemoratur. Ut alia autem omnia, quæ speciali observatione in hac Notitia passim occurrunt digniſſima, prætermittantur in præsenti, hoc tantum in genere addi meretur, quod ex eadem habetur pro comperto, quæ olim Provinciæ & Episcopatus singulis Patriarchis, qui in citato Canone Trullano nominantur, olim subjicerentur. Recensentur enim primo Metropoles & Episcopatus Patriarchæ Constantinopolitani, deinde Reulani, tertio Alexandrini, quarto Antiocheni, & ultimo Hierosolymitani. Addit tandem ***Bevereggius***, de Patriarchatu Alexandrino aliam in Bibliotheca Bodleiana Notitiam manu exaratam haberi, brevem

equi-

equidem, ſed principaliores ejuſdem Sedes earumque ordinem inter ſe continentem, à Joſepho quodam Ægyptio ſub initium Arabicæ in Canones paraphraſeos ex Eutychii Patriarchæ Alexandrini Scriptis collectam, quam itidem cum Verſione & Notis adpoſuit. Poſſent hæc forſitan uberius illuſtrari, ſi ad manus nunc eſſent *Lucæ Holſtenii* Adnotationes ad Notitiam Caroli Abbatis, quas vero cum pluribus Bibliothecæ quondam inſtructiſſimæ rarioribus Scriptis Perſecutorum abſtulit iniquitas, ab Exilii tempore poſt diligentiſſimam inquiſitionem nullo reimpetrandas pretio. Sufficiant hæc interea, eo nimirum inſervitura, ut inde cognoſcat Lector, quid de Codice Vaticano tantoperè commendato ſit ſtatuendum, ne ad ſolam ejus mentionem à ſtatu ſuo quiſquam movere ſe patiatur. Nunc videamus, quid porro Doctor Antverpianus in Limmatibus primi Capitis propinaverit vel promiſerit Lectori, arans vitula *Petri de Marci*, Archiepiſcopi Pariſienſis, utut nomine ejus laudato. Ut nempè probaret, inquit, licet Suburbicariæ latius ſe extendant, tamen de iis rectè Canonem Nicenum à Rufino expoſitum, eum ſupponere, Canonem Nicenum de Jure Patriarchico egiſſe. Agnoſcimus ingenuam confeſſionem, quod judicio *Petri de Marcæ*, Viri inter ſuos magni nominis, & non ſemel Styli liberioris, Rufinus rectè Canonem Nicenum de Suburbicariis regionibus, atque hinc Eccleſiis intellexerit. Quidquid autem ſit vel de latiori Regionum ſuburbicariarum extenſione, vel de Jure Patriarchico, quamvis utrumque adhuc indigeat teſtimonio fide digno, & inprimis nomen Patriarchæ illo tempore, quo Synodus Nicena celebrabatur, fuerit in Oriente & Occidente incognitum, quod Launojus diligenter obſervavit, tamen, ſi utrumque largiamur ultro, ad quod nullatenus quidem tenemur, Sedis Romanæ paraſiti exinde nihil aliud pro univerſali Pontificis ſui primatu exſculpent, quam latiorem aliquanto in orbe Romano Diœceſin, & eum Patriarchatus honorem, quo cæteri etiam in Orientali Eccleſia Patriarchæ, quibus in ſua gaudebant & utebantur Diœceſi, ut adeò Launoii contra Bellarminum pro Papæ primatu ex hoc Canone argumentantem diſputatio nihil exinde patiatur detrimenti. In ultimo Capitis primi paragrapho expreſſe meminit Launoji Antverpianus Doctor, hac tamen cum declaratione *Petri de Marca*, Rufini mentem à Launojo defenſam nullatenus primatum Pontificis, quod mirum viro eruditioni prædito potuiſſe ſine aliqua limitatione addita excidere. Nunc capite ſecundo rem ita aggreditur, ut mox Valeſii partes tueatur, mox iterùm Launoji, de mente Rufini non idem ſentiens. De Launojo ſcribit, eum in ſenſu Rufini inveſtigando multum ſudaſſe, qui ſcilicet ita verbis ejuſdem aptaretur, ut menti Nicenæ Synodi non repugnaret. Sed quis dicet, inquit, ſenſum labore tanto inveſtigatum fuiſſe Rufini? Eat in rem præſentem, & non ſuper amplius erit dubium, quo minus agnoſcat, Launojum Rufini mentem fuiſſe adſcentum. Quod ſi dicat cum Valeſio, homines doctiſſimos, qui de Eccleſiis ac Regionibus ſuburbicariis acrius inter ſe contenderunt, quos inter Launojus ſuo recenſeri meretur jure, non Canonis Niceni verba, ſed potius interpretationem Rufini expoſuiſſe; neque ſic quidquam obtinebit contra Launojum, cujus inſtitutum in diſſertatione non aliud fuiſſe patet, quam oſtendere, Rufinum Canonis Niceni mentem ex ſententia Patrum expreſſiſſe, neque eum inaniter laboraſſe manifeſtum erit, ſi conferantur hujus Canonis verba, prout ea tam Græca, quam Latina exhibet ex variis Editionibus & Codicibus novantiquis Bibliothecæ Juris Canonici à *Juſtello & Voello* edita, adcedentibus non unius Idiomatis paraphraſibus, quas *Beveregius* ante laudatus poſt alios collegit. Inde, fit etiam Rufini potius paraphraſis, quàm Verſio, rei ipſemet idcirco nihil decedit; dum Paraphraſeos æque ac Verſionis præcipua virtus eſt, ſententiam Canonis ex mente authorum lectoribus exhibere. Argumenta hinc *Leonis Allatii*, quo ex opere æjus de conſenſu (rectius, diſſenſu) perpetuo Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis utitur Antverpianus Doctor, quod nullum in verbis De-

creti veſtigium Eccleſiarum vel Regionum ſuburbicariarum deprehendatur, nullius plane eſt momenti, cùm ſufficere poſſit, rem ipſam in Canone contineri, quod ex comparatione Epiſcopi Romani cum Alexandrino & Antiocheno licet videre. Grata de cætero ſuſcipimus mente, quod admitti poſſe cenſet Launoji obſervationem de Meletio, ejus temeritatem huic Canoni Niceno cauſam præbuiſſe, quidquid Valeſius videatur repugnare. Hoc enim ſi fuerit conceſſum, lis erit perorata, & Valeſius nihil plane contra Launojum obtinebit, Marca & Sirmondo eidem applaudentibus. Dum namque Meletius Epiſcopi Alexandrini jura per inordinatas Epiſcoporum ordinationes involavit, Synodus de eo tuit ſollicitus & occupatus, ut ordo bonus conſervetur, ac cuivis Epiſcopo ſuum jus maneat illibatum in Provinciis, ſcilicet Metropolitanum, uti Sirmondus benè mentem Synodi expreſſit; ſi cum Marca Patriarchicum quoque ſtatuamus, jam facit obſervatum, comparationem à Synodo inſtitutam non permittere, ut Romano aliquis in omnes Epiſcopos & Metropolitas concedatur primatus, quod Bellarminus noluit cum ſuis ſectatoribus. Verum, quod ante monui, non tenemur concedere, Canonem de jure Patriarchico egiſſe, ex ipſis Antverpiani Doctoris hypothetibus. Si enim is, præeunte *Allatio*, Rufini verſionem vel paraphraſin de regionibus ſuburbicariis ideo rejecit, quia earum nulla mentio expreſſa legitur in Canone, utut ſenſus ipſe verborum ſatis aperte requirat; multo meliori & rectiori jure licebit ex eodem rejicere jus Patriarchicum, quia expreſſam facit mentionem Metropolitani tantum, nullam vero Patriarchici, niſi, quod Launojus etiam monuit, tum credatur fuiſſe jus idem utriuſque, quod hodiernis temporibus eſt longe diverſum. Rufini fidem quod attinet, quam prævio Maſſilienſi Epiſcopo in opere, quod Marco Antonio de Dominis oppoſuit, dubiam & ſuſpectam fuit, cum in aliis defendendam non ſuſcipimus, ob ea, quæ poſt alios contra ejus originem animadvertit *Johannes Dallejus* in adpendice Scripti, quo libros Dionyſio Areopagitæ & Ignatio adſcriptos examini ſubjecit; at, quamvis alias qui ſemel malus deprehenditur, ſemper talis vulgo ſoleat haberi, dubito tamen, an hic etiam poſſit jure aliquem habere locum, inprimis, quia Verſio vel Paraphraſis Niceni hujus Canonis Rufiniana, quod jam dictum, cum ipſo Textu & verſionibus antiquis, cum ſcopo & cauſa ejuſdem, ipſoque ſenſu convenit egregie, ut adeo hic non quis, ſed quid dixerit vel ſcripſerit, veniat ante omnia attendendum. Poſſumus & hoc largiri, quod ulterius & iterato ex *Chriſtiani Lupi* Profeſſoris Lovanienſis obſervatione urget, quamvis neceſſum non ſit, ut ſimus tam liberales, Pontificem Romanum hoc Canone agnitum fuiſſe Patriarcham totius Occidentis, quod tamen Launojus Balſamoni & Jonaræ noluit concedere; quia nihilo minus nondum obtinebit Bellarminus, quod voluit, urgens primatum Occidentis & Orientis Oecumenicum & univerſalem. *Leonis Allatii* vero ingenioſam, uti Doctor Antverpianus vocat, obſervationem & prolixam de Patriarchatu Occidentis diſputationem antehac exercitatione bipartita diſcuſſit *Fridericus Spanhemius*, Profeſſor Heidelbergenſis, quam nuper edidit auctiorem factus interea Profeſſor Leidenſis apud Batavos, ut repetitione opus non ſit) præſertim quia Doctor Antverpianus in demonſtratione exercitii Juris Patriarchici utitur teſtimoniis ut plurimum recentioribus, atque à tempore Synodi Nicenæ remotioribus, adeoque ad hujus negotii explicationem minime pertinentibus, dum nemo in antiquitate Eccleſiaſtica parumper verſatus poſſit ignorare, quantum ratio Status & Regiminis Eccleſiaſtici ſeculis ſequentibus per mutationem Ariſtocratiæ in Monarchiam fuerit mutata, ut adeo fuerit abſurdiſſimum, leges antiquas ex moribus hodiernis metiri ac explicare, Patribus Nicenis, ſi daretur eis reſurgere ex mortuis, minime agnituris hanc in Canone præſentes fuiſſe mentem ſuam, quam contra omnem ſenſum novitii Sedis Romanæ defenſores è ſeculorum recentium praxi tanto conatu orbi Chriſtiano obtrudunt. Id adhuc aliquam mereretur diſcuſ-

Digitized by Google

cuſſionem, quod idem Doctor Antverpianus capite quinto protulit in medium problema, vel quæſtionem ultro citroque ventilandum, num præter Epiſcopum Romanum in Occidente alius poſſit creari Patriarcha, & quid hic ſentiat Gallia, occaſioni videlicet libri ante hæc octo luſtra ibidem editi ſub nomine *Optati Galli*, contra quem Petrus de Marca opus de Concordiæ Sacerdotii & Imperii edidit; Sedi tamen Romanæ non ſatisfecit, quia id in Indicem expurgatorium referre juſſit, niſi ab inſtituto quamvis non tempore præſenti eſſet aliquanto alienus, atque ad alia nunc progrediendum, ea præſertim, quæ ſuper adhuc ſunt vel tribus verbis examinanda, quæ Doctor idem ultimo capite *Antiquitatis illuſtratæ* de Titulo vel initio Canonis Niceni habet, primatum Eccleſiæ Romanæ verbis, uti putat, quam maximè perſpicuis exhibente, de quo præter id quod Launojus poſt alios bene monuit, hunc titulum Canoni non quadrare, nec rubrum convenire cum nigro, imò, Editiones antiquiſſimas eo carere, quidquid ſit de recentioribus & novitiis, quæ non poſſunt cæteris præſcribere, hoc ex liberalitate indebita iterum largimur, poſſe nos facile hunc titulum & inſcriptionem tolerare, ſed eo ſenſu, quem Canon ipſe præbet, quia non Canon ex titulo, ſed titulus ex Canone potius debeat explicari & intelligi. At Canon nihil aliud largitur Romano, quod non etiam concedat Alexandrino & Antiocheno Epiſcopis. Quem igitur primatum Patres Niceni adſcripſerunt Romano, ſi hujus tituli aliqua ratio eſt habenda, eundem quoque largiti ſunt Alexandrino & Antiocheno; illi quidem in Diœceſi Romana, vel, ſi liberalitas porro venit extendenda in toto Occidente, his autem in ſuis Diœceſibus, quibus ex antiqua conſuetudine fuerunt præpoſiti. Inde adhuc Bellarminus, contra quem diſputavit potiſſimum Launojus, pro Pontificis Romani primatu Oecumenico vel univerſali nihil obtinebit, quidquid etiam obtendant, qui partes ejus ſtrenue hactenus & operoſiſſime defenderunt. Atque ſic hactenus Doctor Antverpienſis, ſequitur Pariſienſis, videlicet *Natalis Alexander*, qui in ſelectis ad Hiſtoriam ſeculi quarti Eccleſiaſticam diſſertationibus aliquam huic quoque Canoni vel illuſtrando vel obſcurando operam voluit impendere, Launoii, ut alias ſæpe, ita hic etiam non immemor, quem hinc inde, prout viſum, quia diſſertationem integram, refutare non potuit, per excerpta & partes tantum lancinavit, mortuo Leoni impudenter inſultans. Hinc ex jure talionis non injuſtæ, nec ejus diſſertationi exhibebitur honor; ut in ejus refutationem ullus impendatur labor, utpote qui nihil aliud eſſet, ſinon actum agere, Lectore, quod de eo credere & ſperare par eſt, contento, ſi ex prolixiſſima ejus tractatione teſtimonium veritatis in gratiam Launoji contra Bellarminum exhibeatur, quod præſens negotium poteſt conficere. Legitur id in altera ejus parte, quo teſtatur clare, atque ex antecedentibus colligit, Baronium minus adpoſitè Canonem hunc Nicenum exponere, cum hunc ejus ſenſum eſſe contendit, ut ratam firmamque jubet eſſe Epiſcopi Alexandrini in omnes Ægypti Provincias authoritatem ex Eccleſiæ Romanæ primatu, à qua hæc omnia Præſul Alexandrinus acceperit. Falſam enim eſſe, inquit Alexander Pariſienſis, & contortam interpretationem illam, perſpicuum eſt ex ipſis verbis Canonis, qui hanc adſignat cauſam juriſdictionis in omnes Ægypti Provincias Epiſcopo Alexandrino competentis, *quia & Urbis Romæ Epiſcopo paritis mos eſt*. Non ait, quia id ab Epiſcopo Romano accepit. Deinde, Nicolaus Pontifex hoc nomine primus adſerit, ex forma Eccleſiæ Romanæ Synodum Nicenam ſumpſiſſe, quod tribueret Alexandrinæ. At iſte loquendi modus, *ex forma*, potius imitationem dicit, quam cauſationem, ut ipſis notum eſt Grammaticis. Non ergo ſenſus eſt Canonis, Epiſcopum Alexandriæ horum omnium habuiſſe poteſtatem, quoniam ſic moris fuit Epiſcopo Romano illi concedere, ſive quod Epiſcopus Romanus conſuevit per Epiſcopum Alexandrinum illas gubernare Provincias, uti perperam explicat Spondanus abbreviator Baronii; alioquin ſequeretur, cæteros Patriarchas Epiſcopi Romani Vicarios duntaxat

exti-

extitiſſe, quod tam à veritate, quam à mente Patrum Nicenorum eſt alienum, qui comparationem Epiſcopi Romani cum Alexandrino inſtituere voluerunt. Hoc teſtimonium tam eſt egregium, ut luculentius ipſe Launojus non potuerit deſiderare, dum in perſona Baronii & Epitomatoris Spondani rejecit quoque Bellarminum, ejuſdem ſententiæ cum Baronio, & qui eorum ſecuti ſunt veſtigia, *Binum*, *Corollarium*, *Bailium*, & qui novas ad Carantæ ſummam ſcripſit animadverſiones, *Franciſcum Sylvium*, Profeſſorem Duacenum, ut alios taceam, qui in libris Controverſiarum ſic explicarunt hunc Canonem, ut Epiſcopo vel Pontifici Romano univerſalem in omnes Orientis & Occidentis Eccleſias primatum adfingerent. His ante, poſt & præter alios loco ſuperponi poteſt etiam opponi *Johannes d'Artis*, anteceſſor antehac & Profeſſor Regius, uti & Decanus Facultatis Juris Canonici in Academia Pariſienſi, qui in operis de Divinitatibus & Ordinibus Eccleſiaſticis Salmaſio oppoſiti libro tertio hunc Canonem prolixiſſime diſcutit quidem, in ſubjunctis vero Notis & obſervationibus tandem fatetur ingenue, nullo modo pertinere hunc Canonem ad Pontificem Summum, neque in verbis, *quia & hæc urbis Romæ conſuetudo eſt*, ullam poteſtatem novam dari Romano Pontifici, ſed argui veterem, quo modo Juſtinianus Imperator Novellâ poſt centeſimam nona ſtatuit, ut Archiepiſcopus Juſtinianæ primæ eadem jura habeat ſuper Apoſtolos, quæ Pontifex Romanus habebat tum in ſuos. Nec enim, inquit, Novella hæc facta eſt pro Epiſcopo Romano, ſed pro Epiſcopo Juſtinianæ primæ, cui Juſtinianus Imperator voluit tantum jura tribui ad exemplum Romani. Atque ſic interpretatur etiam verba hujus Canonis Nicolaus Pontifex hoc nomine Primus, in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem, ita ſcribens: *Si inſtituta Synodi Nicenæ diligenter inſpiciantur, invenietur profecto, quia Eccleſiæ Romanæ nullum ea Synodus contulit incrementum, ſed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ tribueret particulariter, ſumpſit exemplum.* Nec obſtat, ſic porro ſcribit Anteceſſor Pariſinus, quod in veteri libro Canonum Bibliothecæ Vaticanæ Canon iſte dicitur pertinere ad primatum Papæ, & quod Paſchaſius Papæ in Synodo Chalcedonenſi Legatus, eo legitur uſus ad probandum Papæ primatum; nam reſponderi poteſt, inde non ſequi, Canonem hunc conceptum eſſe primo & per ſe pro Papæ primatu, ſed per interpretationem tantum poſſe ad eum referri, quatenus jura Epiſcopi Alexandrini conformantur juribus Romani Pontificis. En confeſſionem ex ore vel penna teſtis Domeſtici ſatis ingenuam & apertam.

Bellarminus *l.* II. *de Rom. Pont.* 15.

ROmanum Pontificem Petro ſuccedere in Monarchia Eccleſiaſtica, probaturus etiam ex Patribus, & quidem Græcis, inter alios quoque adducit Chryſoſtomum, in prima ad Innocentium Papam Epiſtola ſic ſcribentem: Obſecro, ut ſcribas, quod hæc tam inique facta non habeant Robur, illi autem, qui egerunt inique, pœnæ Legum Eccleſiaſticarum ſubjaceant &c. *Bellarminus loco Gloſſæ de ſuo ſubjungit, depoſuerat Chryſoſtomum ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano Theophibus, Epiſcopus Alexandrinus, in Concilio multorum Epiſcoporum. Chryſoſtomus ad Romanum Pontificem ſcribit, ut ipſe ſua decernat autoritate, irritam eſſe Theophili Sententiam & ipſum puniat Theophilum. Agnoſcit ergo Chryſoſtomus Innocentium Papam, ut ſummum Judicem, etiam Græcorum.*

Lau-

Digitized by Google

Launojus *Tom. I. Epiſt. III. p. 67. & ſeq.*

HÆc Chryſoſtomi ad Innocentium verba ſuo reſtituturus ſenſus contextu pleniori adducit, ſic nimirum : *Congruum non eſt ; ut hi , qui ſunt in Ægypto , judicent eos , qui ſunt in Thracia , & ille præſertim , qui reus eſt ipſe , hoſtis & inimicus. At ille nihil horum reveritus , magno ankelabat ſtudio , ut ea perficeret , quæ conceperat mente. Cum autem conteſtaremur , paratos eſſe nos ad diluendum crimina , atque ad Innocentiam , ſicut & innocentes ſumus , declarandum , coram Epiſcopis centum vel mille , non adſenſit , ſed licet abſentes eſſemus , atque ad Synodum adpellaremus , & judicium requireremus , tamen ſuſcepit adcuſatores , & excommunicatos à me abſolvit , & ab aliis , qui ſe nondum de criminibus ſuis purgaverant , libellos collegit , & acta perſcribi juſſit , quæ omnia legibus & Canonibus erant prohibita.* Et poſt alia : *Tractus igitur & abductus à Magiſtratu Civitatis in media Civitate , & in Navim conjectus per Noctem navigari , eo quod ad Synodum & juſtum provocaveram Judicium.* Iterum poſt alia : *Igitur , Domini mei maxime venerandi & pii , cum hæc ita ſe habere didiceritis , ſtudium veſtrum & magnam adhibete diligentiam , quo retundatur hæc , quæ in Eccleſias irrupit , iniquitas ; quippe , ſi mos hic invaluerit , & fas fuerit cuivis in alienam irrumpere Parochiam , idque tantis ex intervallis , & ejicere , quos voluerit , & authoritate propria quæque pro libidine ſua facere , ſcitote , quod brevi tranſilierit omnia , & totus orbis premetur Bello non indicto , omnibus ejectis & omnes ejicientibus. Quapropter ne confuſio hæc omnem , quæ ſub Cælo eſt , invadat nationem , obſecro , ut ſcribas , ut hæc tam inique facta , & abſentibus nobis & Judicium declinantibus , robur non habeant , ſicut nec ſua habent natura illi autem , qui adeo inique deprehenſi ſunt egiſſe , pœnæ Legum Eccleſiaſticarum ſubjaceant ; nobis vero , qui nec conjuncti , nec redarguti , nec habiti ſumus ut rei , literis veſtris & charitate veſtra , aliorumque omnium , quorum ſcilicet antea fruebamur ſocietate , frui concedite.* Launojus hæc addit, Chryſoſtomus eandem Epiſtolam Inſcriptione mutata ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquilegienſem Epiſcopos miſit, ſiquidem apud Palladium in Dialogo de Vita illius, cap. 2. poſt Epiſtolæ finem ſubnectit : *Scripſimus & ipſa ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquilegienſem Epiſcopos.* Sic ſcribitur, cum ad plures ſcribitur, & à pari vel à paribus ſcribi dicitur. Hinc ut chartæ, ita & Epiſtolæ cur non dicerentur particulæ? Bellarminus id notare oblitus eſt, ubi pro Epiſcopi Romanenſis primatu laudat hanc Chryſoſtomi Epiſtolam. Oblivio hæc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non parum importat detrimenti. Quibus enim Epiſtolæ verbis Epiſcopi Romanenſis erigit primatum, iiſdem & Venerii Mediolanenſis & Chromatii Aquilegienſis Epiſcoporum erexiſſet primatum, ſingulari in tractando Religione, adcuratione magna, æquali judicio. Pura puta eſt diſſimulatio. In Relatis autem Chryſoſtomi verbis tria ſunt, quæ curioſe ac diligenter conſiderentur. Primo, quod Chryſoſtomus ad Innocentium non provocet, ſed ad Synodum, uti ſemel atque iterum dicit. Deinde, quod ad opem Innocentii confugiat, eumque roget, ut, quæ contra Leges & Canones in ſua cauſa ſunt geſta, ſtatuat nihil habere Roboris, quemadmodum reipſa nihil habere contendit. Denique, quod ſub Innocentii nomini, ad cujus opem confugit, omnes Epiſcopos Occidentales, qui ſubſunt Romano Pontifici, comprehendat. Huc illa pertinent, *Literis veſtris & charitate veſtra, aliorumque omnium, quorum ſcilicet antea fruebamur ſocietate, frui concedite.* Hæc eſt illius & ſuperioris temporis diſciplina, cui fidem faciat rulius Papa ad Orientales ita ſcribens apud Anaſtaſium: *Tametſi ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius Sententiam, ſed omnium Italorum & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi. Ego autem omnes nolui ſcribere, ne à multis onerarentur. Certe ad conſtitutum tempus convenere Epiſcopi, & Sententiæ fuerunt,*

runt, quam vobis iterum ſignifico. Quapropter, dilectiſſimi, etiam ſi ſolus ſcribo, ſcribere me tamen communem omnium Sententiam vos ſcire volo. Innocentius autem Chryſoſtomo apud Sotomenum L. VIII. c. 26. ſic reſpondet: *Quamquam inſontem omnia expectare bona & a DEO petere Miſericordiam conveniat, ſunt tamen & à nobis, qui Patientiam ſuademus, competentes literæ per Diaconum Cyriacum miſſæ, ut contumelia plus poſſe non debeat in bona Conſcientia protegenda, quam Spes in eadem erigenda. Neque enim Tu docendus es, tot populorum Doctor & Paſtor, optimos quoſque ſemper & continuo probari, velintne in vigore Tolerantiæ perſiſtere, ac nullis moleſtiæ adflictionis ſuccumbere. Bona etenim Conſcientia firmum revera munimentum eſt adverſus omnes caſus immeritos quos quidem qui Tolerantia non ſuperat, is vero ſiniſtræ ſuſpicionis argumentum ipſe præbet de ſe. Omnia enim debet ſufferre, quiſquis primum DEO, deinde ſuæ nititur Conſcientiæ; ſiquidem ad Patientiam exerceri poteſt ut quam maxime Vir bonus & honeſtus, vinci autem non poteſt, quandoquidem ejus animum conſervant Scripturæ Divinæ, & Exemplis eundem communiunt Lectiones Sacræ, quas populo proponimus, quæ quidem univerſos pene Sanctos variis modis & continenter exercitatos, ac velut in Examine quodam exploratos fuiſſe, atque ſic ad Patientiæ coronam perveniſſe docent. Hæc igitur in ipſa Conſcientia tuam conſolentur Charitatem, honorandiſſime Frater, quo facto intribulationibus ex Virtute conſolationem habebis, ſpectante enim Domino noſtro Chriſto in portum Tranquillitatis mundata ſiſtetur Conſcientia.* Idem in Epiſtola ad clericos Conſtantinopolitanos: *Innocentius Epiſcopus Presbyteris et Diaconis, univerſoque Clero ac populo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui ſunt ſubditi Epiſcopo Johanni, dilectis fratribus ſalutem. Ex literis veſtræ Charitatis, quas per Germanum Presbyterum & Caſianum Diaconum miſiſtis tragœdiam malorum, quam ob oculos poſuiſſis, anxia ſollicitudine cognovi, quantiſque miſeriis atque difficultatibus iſtius laboret Fides, lectione ſæpius repetita perſpexi, quam quidem rem unica Patientiæ conſolatio ſanat; dabit enim brevi DEUS noſter tantis tribulationibus finem, atque hæc olim meminiſſe juvabit. At vero, nos quidem uti neceſſariam conſolationem iſtam, quam in Exordio veſtræ Epiſtolæ proponitis, adprobamus, ita & Intelligentiam veſtræ Charitatis agnovimus, quæ multa Patientiæ teſtimonia complectitur. Etenim noſtram Conſolationem, quam noſtris literis adferre vobis debebamus, veſtris vos ipſi præveniſtis. Hanc Tolerantiam Dominus noſter laborantibus ſolet præſtare, ut etiam conſtituti in ipſis tribulationibus Servi Chriſti ſe ipſos conſolentur, reputantes ſecum, & antea Sanctis eadem acciditſe, quæ nunc patiuntur ipſi. Itaque nos jam vel ex literis veſtris depromere Conſolationem poſſumus. Neque enim tam alieni ſumus à vobis, ut non condoleamus, cum & nos in vobis emicemur. Et enim, quis ferre poterit eorum delicta, quos vel præcipuos eſſe fautores tranquillitatis ac Pacis & Concordiæ decebat? Atqui nunc modo præpoſtero de primatu Eccleſiarum ſuarum inſontes deturbantur Sacerdotes, quo quidem primus Frater noſter & in Eccleſiaſtico munere Socius Johannes Epiſcopus veſter injuſtè oppreſſus eſt, cui ne id quidem contigit, ut ſe defenſurus audiretur. Nullum obiicitur crimen, nullum auditur. Quod igitur hoc commentum eſt tam deploratum, ut ne vel ſuppetat vel quæratur occaſio Judicii, atque in locum viventium Sacerdotum alii ſubſtituantur; quaſi illi, qui per hujuſmodi perverſitatem irrepant, vel habere ipſi, vel agere quidquam recti à quoquam poſſint judicari? Nec enim unquam à Patribus noſtris talia fuiſſe patrata cognovimus, ſed interdictum potius decreto, quo cavebatur, ne cui fieret copia, qua in viventis locum in auctoraretur; nec enim reproba ordinatio Sacerdotis dignitatem poteſt auferre, quomodo nec Epiſcopus quidem eſſe poteſt ille, qui ſurrogatur injuſte. Nos enim, quantum adtinet obſervationem Canonum, illis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt determinati, quibus ſolis obtemperare & ſuum addere ſuffragium Catholica debet Eccleſia. Siqui vero & alii à quibuſdam proferuntur, qui à Canonibus Nicænis diſcrepant, & à hæreticis compoſiti deprehenduntur, hi à Catholicis*

Digitized by Google

tholicis rejiciuntur Epiſcopis ; hæreticorum commenta enim Canonibus Catholicis adſuere non licet, ſemper namque vel per contraria, vel per illicita ſtudent labefactare Voluntatem Concilii Nicæni. Non ſolum igitur his non obtemperandum eſſe dicimus, ſed ipſa potius una cum hæreticis ac ſchiſmaticis dogmatibus eſſe condemnanda, quomodo & antea in Synodo Sardicenſi ab Epiſcopis Prædeceſſoribus noſtris factum eſt : Nam ſane præſtiterit longe, vel ea condemnari, Fratres clariſſimi, quæ facta ſunt recte, quam ea robur ullum ſortiri, quæ adverſus iſtos Canones ſunt acta. Sed, quodnam remedium hiſce rebus in præſenti adferemus ? Neceſſaria erit cognitio Synodalis, *quam etiam paulo ante jam diximus congregandam*, ea quippe eſt ſola, *quæ hujusmodi procellarum impetus poteſt retundere; quam quidem donec conſequamur, expedit modelam hujus calamitatis committere voluntati Magni DEI ac Chriſto ejus Domini noſtri. Illa univerſis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium ſunt perturbata, dabit tranquillitatem. Nihil autem deſperare debemus freti noſtra in Deum fide. Atque nos quidem deliberamus multum, quonam modo* Synodus Oecumenica *poſſit congregari, per quam Divina voluntate iſti motus turbulenti poſſint conſopiri. Expectemus itaque tantiſper, ac vado Patientiæ communicti ſperemus, auxilio DEI cuncta nobis eſſe reſtituenda. Univerſa vero, quæ vos ibi ſufferre dixiſtis, antea jam à Coepiſcopis veſtris, qui Romam, diverſis licet temporibus, convenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco, Evlyſio & Palladio, qui nobiſcum ſunt, diligenti habita inquiſitione cognovimus.* Sotomenus aliarum non meminit Epiſtolarum, quas Innocentius ad Theophilum Alexandrinum dederit, Palladius vero in memorati Dialogi cap. 3. meminit : Ad hæc, inquit; reſcripſit Beatiſſimus Papa Innocentius, communione partis utriuſque admiſſa, judicium Theophili caſſum atque irritum eſſe decrevit, oportere dicens aliam irreprehenſibilem *Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum* conflare cedentibus Concilio amicis] primum, deinde inimicis etiam; neutrarum quippe partium, utplurimum rectum eſſe Judicium. Et interpoſitis quibuſdam ſubiicitur Innocentii ad Theophilum Epiſtola hæc : *Frater Theophile, Nos & te & Fratrem noſtrum Johannem noſtræ communionis eſſe decrevimus, ſicut & in literis prioribus ſatis expreſſimus, & nunc in Sententia & Voluntate noſtra perdurantes rurſus eadem ſcribimus, & quotieſcunque ſcripſeris, niſi debitum ſequatur convenienſque Judicium, propter ea, quæ magno cum dedecore geſta ſunt, poſſibile non eſt, nos à communione Johannis diſcedere. Itaque, ſi Conſcientiæ confidis, tu quoque adcurre ad* Synodum proxime in Chriſto celebrandam, *& illic juxta Concilii Nicæni Canones contende, alios quippe Canones Romana non admittit Eccleſia. Quod ſi obtinueris, evidens & irrefragabilis erit Oratio tua.* Datæ ad Theophilum literæ priores. quarum meminit Innocentius, ad poſteros non pervenerunt; ſed ex his poſterioribus colligitur, priores & poſteriores ejuſdem fuiſſe argumenti, poſteriores autem, ut adparet, prioribus explicatiores tantum fuerunt. Palladius vero ſubjungit continuo, quæ ſequantur : Modicum temporis fluxerat, cum Theoternus, Presbyter Conſtantinopolitanus venit, literas Concilii Johannis viginti quinque Epiſcoporum aut paulo plurium ferens, quibus docebant, Johannem auxilio Militum Urbe depulſum, & Cucuſſum in Exilium eſſe miſſum, Eccleſiamque incenſam fuiſſe; cui & ipſi Communionis literas & ad Epiſcopum Johannem, & ad omnes communicantes ei Epiſcopos tradens (Innocentius) orabat cum lacrymis, ut patienter tolerarent, *cum ipſe opem ferre non poſſet*, eo quod nonnulli obſiſterent potentes adverſarii Eccleſiaſticæque Pacis inimici. Idem Palladius cap. 4. mentionem injicit Epiſtolarum, quas Venerius Mediolanenſis & Chromatius Aquilegienſis Epiſcopi ſcripſerant ad Chryſoſtomum, ſed illas non refert, nec referendas eſſe cenſuit. Honerius autem & Chromatius fecerunt idem, quod facit Innocentius. Ii gemitu & mœſtitia declararunt, quantum haberent odium rerum à Theophilo contra Johannem inique geſtarum; quid enim feciſſent aliud? Secuti ſunt exemplum Innocentii. Nunc, quod Innocentius Chryſoſtomo & Clericis Conſtantinopolitanis reſpon-

dit, atque ad Theophilum ſcripſit, in pauca conferendum eſt. *Primo*, Innocentius Chryſoſtomo reſpondet, patienter ferendam eſſe calamitatem illam omnem, quam ab inimicis accipiebat. *Secundo*, quod Chryſoſtomus petebat, Innocentius exequitur, caſſa decernens ac irrita, quæ Theophilus contra illum nullo Juris ordine ſervato geſſerat, ſed interim Theophili communionem non abjicit, verum utriuſque Johannis & Theophili communionem retinet. *Tertio*, Innocentius præterea ſignificat, habendam eſſe Synodum aliam, cui nec inimici interſint, & in qua Nicænis tantum Canonibus dirimatur controverſia. Noverat Pontifex Romanus, Eccleſiam non authoritate abſoluta, ſed Canone regendam eſſe. Theophilo ſcribit, *Si Conſcientiæ confidis, tu quoque adcurre ad Synodum maxime in Chriſto celebrandam, & illic juxta Concilii Nicæni canones & Decreta contende.* Sic quoque clericis Conſtantinopolitanis, *Nos, quantum adtinet obſervationem Canonum, iis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicenæ ſunt determinati, quibus ſolis obtemperare & ſuum addere ſuffragium debet Eccleſia Catholica*; ac multo magis Epiſcopus Romanus, qui in Regula Fidei & Liturgicis non ponitur ante Eccleſiam, quia & ipſe pertinet ad Eccleſiam, ut pars illius, quæ in terris eſt, ſine dubio judicanda, ſi vel in Fide, vel in Moribus aberraret quemadmodum ex eo neceſſaria prorſus conſecutione deducitur, nec apud eruditos homines prius deduci, quam à fonte rivus manare deſinet. *Quarto*, Innocentius non dicit, Chryſoſtomum Sedis primæ dignitatem læſiſſe, quod ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquilegienſem Epiſcopos non aliter, quam ad ſe ſcripſerit. quodue literas ad eos in eandem exaraverit Sententiam, in quibus hæc inter alia leguntur verba: *Obſecro, ut ſcribas ut hæc facta tam iniqua, & nobis abſentibus & judicium declinantibus, non habeant robur, ſicut nec ſua habent natura; illi autem, qui inique adeo deprehenſi ſunt egiſſe, pœnæ legum Eccleſiaſticarum ſubjaceant &c.* Hoc unicum Chryſoſtomi factum omnino demonſtrat, eum non ſcripſiſſe, quæ apud Thomam ſcripſiſſe dicitur. *Quinto*, Innocentius non conqueritur, quod Chryſoſtomus ad Synodum potius, quam ad Sedem Apoſtolicam provocaverit. Quid ita? Pontifex rerum Eccleſiaſticarum peritus noverat, Chryſoſtomum nihil feciſſe, quod æquitati & rationi conſentiret. Imo, tantum abeſt, ut ea de re ſit conqueſtus, ut iis, quæ à Theophilo contra Johannem fuerant acta, & à ſe, Venerio & Chromatio reſciſſis neceſſariam adhuc Synodum, eamque judicaverit eſſe ſuam, quæ excitatæ inter Chryſoſtomum & Theophilum, inter Thraces & Ægyptios controverſiæ finem imponeret. Sed expectandum eſſe monet eo uſque, dum illa poſſit congregari. Scilicet, ac certo & cum ἀπλανεία pronuntiandi Privilegium ſibi non ſoli convenire, ſed Eccleſiæ & Synodo, in qua nominis chriſtiani repræſentatio celebratur. *Sexto*, cur Chryſoſtomus uti ad Innocentium Epiſcopum Romanum, ſic etiam ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquilegienſem Epiſcopos iiſdem confugerit literis, ne mireris; nam & antehac non unus tantum Julius, ſed & alii Italiæ vicinarumque Regionum Epiſcopi Athanaſium abſolverunt atque in Communionem receperunt, quod Julium ad Orientales ſcripſiſſe jam vidimus. Sic tradit Gelaſius, Acacium itidem Conſtantinopolitanum uti à ſe, ſic ab aliis etiam Epiſcopis ſeorſim à Synodo recte damnari potuiſſe. Id ſcribit in Epiſtola, quam ad Fauſtum Conſtantinopoli Legationis officio fungentem dedit. Verba ſunt: *Eupbemium miror, ſi ſuam ipſe ignorantiam non perſpicit, qui dicit, Acacium ab uno non potuiſſe damnari. Itaque non perſpici, ſecundum formam Synodi Chalchedonenſis Acacium fuiſſe damnatum. Nec novit enim, aut ſe noſſe diſſimulat, in qua utique per numeroſam Sacerdotum ſententiam erroris hujus auctores fuiſſe damnatos, ſicut in unaque hæreſi à principio Religionis chriſtianæ & factum fuiſſe, & fieri manifeſta rerum ratione monſtratur, Deceſſoremque meum executorem fuiſſe Veteris conſtituti, non novæ Conſtitutionis authorem; quod non ſolum Præſuli Apoſtolico licet facere, ſed cuicunque Pontifici, ut quoſlibet & quemlibet locum juxta regulam hæreſeos ipſius antea damnatæ à Communione catholica diſcernant. Acacius quippe non fuit novi*

vel

vel proprii erroris inventor, ut in eum nova prædirent Scita, ſed alieno facinori ſua communi ne ſe miſcuit. Ita neceſſum eſt, ut in illum juſta lance recideret Sententia, quam cum ſuis Succeſſoribus per Synodalem convenientiam ſuſceperat auctor erroris. Quemadmodum igitur judicio Gelaſii quilibet Epiſcopus poterat Acacium damnare, quem ipſe damnaverat Gelaſius, ſic etiam Chryſoſtomi judicio Venerius Mediolanenſis & Chromatius Aquilegienſis Epiſcopi, perinde ac Innocentius, poterant latam in Chryſoſtomum abrogare Sententiam, quippè, quæ penitus contra leges & Canones lata fuerat. Nimirum, Gelaſius in Acacii cauſa unumquemque Epiſcopum per Synodi Calchedonenſis executorem, Chryſoſtomus in ſua cauſa Venerium & Chromatium pro Juſtitiæ & Æquitatis vindicibus, atque pro Legum & Canonum, qui erant violati, adſertoribus habuit. In diſpari negotio par agendi ratio conſpicitur, eadem Diſciplinæ convenientiſſimæ propugnatio eſt utrobique. *Septimò*, Innocentius perſpicuè ſignificat, incognitum tunc Romæ placitum tuiſſe illud, quod recentiores quidam volunt à Pontifice Romano de Dogmatibus Eccleſiaſticis jure fiduciario & in rem decerni præſentem; etenim apud Palladium, poſtquam abrogavit Theophili Sententiam, dicit, *oportere irreprehenſibilem, conflare Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primum, deindè etiam inimicis, neutrarum quippè partium utplurimum, rectum eſſe judicium.* Sic in Epiſtola ad Clericos Conſtantinopolitanos ſcribit, *Quam quidem Synodum donec conſequamur, expedit modelam calamitatis hujus committere Voluntati magni DEI ac Chriſti ejus, Domini noſtri. Illa univerſis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium ſunt perturbata, dabit tranquillitatem. Nihil autem deſperare debemus, freti noſtra in DEUM fide.* Atque hæc ſunt rerum momenta ſeptem, quæ tum ex Chryſoſtomi, tum ex Innocentii literis non tam colliguntur, quam in iis planè leguntur. Certè, unicuique vel parum attento obruerunt ad oculos. Has vero Literas exaravit Innocentius non ut privatus Eccleſiæ Romanæ homo, ſed ut Epiſcopus, ad quem B. Johannes Chryſoſtomus & Theophilus ſcripſerant. Quis enim Chryſoſtomus à Theophilo abdicatum, quis Theophilum de Chryſoſtomi abdicatione referentem, ad privatum Eccleſiæ Romanæ hominem ſcripſiſſe ſomniaret, quippe nullum à privato Eccleſiæ Romanæ homine ſperandum erat præſidium? Quis etiam Innocentium ut privatum Eccleſiæ Romanæ hominem ad Chryſoſtomum ſcripſiſſe proderet, niſi eum, quod nefas eſſet, & authoritate ſuæ & Chryſoſtomi miſeriis vellet illudere? Quis tandem Innocentium ut privatum Eccleſiæ Romanæ hominem ad Canones Nicenos ablegare Theophilum adſereret, niſi cum, quod ſceleſtum quoque ad nefarium eſſet facinus, Theophilum ficto vellet compellare? Hic exhauriretur variarum diſtinctionum Theſaurus, quarum auxilio perſpicaces & acuti homines ſibi videntur efficere, ut dictum & factum ſit, quod nec dictum nec factum eſt; atque ut nec dictum nec factum ſit, quod dictum & factum eſt; ut fuerit, quod fuit nunquam, atque ut non fuerit unquam, quod aliquando in orbis luce & in oculis fuit omnium; porro, ut quod non eſt, nec forſan eſſe poteſt, incipiat eſſe, & figmento adplaudatur ab imperita plebe, atque ut quod uno & ſimplici ſenſu enuntiatum eſt, pluribus putetur enuntiatum; inſuper, ut quæ ſunt peregrina & nova Recentium placita, hæc in Veteres Theologos & Patres præpoſtere tranſcribantur. Ex propriis Monumentis, non ex alienis authoritatem Sedis Apoſtolicæ defendimus, & pernitioſis Curiæ Romanæ adſentatoribus veram ac ſimplicem illius Sedis traditionem ut murum aheneum opponimus. Triennio poſt, quam Chryſoſtomus in Exilium deductus eſt, & ſecundam ad Innocentium miſit Epiſtolam, Innocentius, qui *Synodum œcumenicam* tot incommodis, quot ille patiebatur, unicum cenſuerat eſſe Remedium, ad eam congregandam adpulit animum. Id Sotomenus teſtatur lib. VII. cap. 28. ſcribens: „Innocentius Romæ Epiſcopus, prout anteà ſcripſerat, cum „reverti ipſum cuperet, unà cum Epiſcopis Orientalibus, & iis, qui pro ipſo ſupplicabant,

„cabant, miſit Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos quinque, & Presbyteros duos, ad Hono„rium & Arcadium Imperatores, ut & Synodum & ejus definitum tempus impetrarent. „At Johannis hoſtes apud Conſtantinopolim hanc rem, quaſi in contumeliam ejus „Imperii fieret, calumniati ſunt; & ut illi tranſmarini Imperii turbatores ablega„rentur, efficerunt, tum etiam ut ipſe Johannes ulterius, Pityuntem ſcilicet, exula„tum transferetur, procurarunt, quod quidem perquam celeriter advenientes Milites „perfecerunt. Ajunt vero, illum, dum ab his duceretur, in Itinere diem prævidiſſe, „qua moriturus eſſet, adparente ipſi Martyre Baſiliſco in Comanis Armeniæ; quo in „loco cum ad iter ulterius non ſufficeret, (laborabat enim dolore capitis, & Solis „radios perferre non poterat) morbo finivit vitam. Igitur interveniente Chryſoſtomi morte Synodus non fuit congregata, quæ, uti eſt apud Palladium, Theſſalonicæ in loco utriſque partibus commodo erat congreganda, ſi modo Innocentius conſilii & voti ſui compos eſſet factus. Atque hinc Chryſoſtomus conſequi non potuit Synodum, quam adpellaverat; & inde Innocentius videtur feciſſe, quod potuit, ut ille Synodum conſequeretur. In hac autem rerum & perſonarum conditione uterque fuit perſuaſus, majorem & graviorem in Oecumenica Synodo, quam in Romana vel alia Sede qualibet authoritatem reſidere. Poſt Fidei Regulam tunc nihil fuit in Eccleſia DEI, de quo ubique, & potiſſimum Romæ, magis conſtaret, ubi non inveniebatur Curia ſimilis hodiernæ &c.

Chriſtianus Lupus *l. cit. p. 564.*

AD Canonem decimum & octavum inter Dictatus Gregorio Pontifici hujus Nominis ſeptimo communiter adſcriptos hæc Launoii de adpellatione Chryſoſtomi obſervata prolixiori ſubjecit Cenſuræ, unde pauca quædam ad rem ipſam pertinentia excerpentur, brevi addita Epicriſi, ne telus Sorboniſtæ maneat indefenſus. Ante omnia & in genere monet, *tempora eſſe diſtinguenda*, quia Chryſoſtomus bis fuerit damnatus, primò in Conventu ad Quercum, & quidem abſentem, ac eam Synodum excepiſſe contra Theophilum, eum eſſe Ægyptium, ideoque à Nicenis Canonibus non permitti eum judicare in Thracia; Chryſoſtomum vero & illum, & alium Conventiculi Principem, Acacium, Berchoenſem in Syria Epiſcopum, ſuos adſeruiſſe hoſtes, comparere noluiſſe, aliam inſuper meliorem & majorem poſtulaſſe Synodum, quam ob cauſam ipſum damnaverint in contumaciam. Verum quod adverſus patenter iniquam tanti Epiſcopi ejectionem populus Conſtantinopolitanus tumultuaretur, & Theophilum minaretur in Pontum demergere, completam non fuiſſe executionem, Johannem manſiſſe Epiſcopum, atque ſic quieviſſe ejus adpellationem. Secundam poſtmodum damnationem Conſtantinopoli fuiſſe factam, *ipſum vero Theophilum non fuiſſe*, tres tantum Epiſcopos miſiſſe, & una Canones quoſdam Antiochenos ab Arianis contra Athanaſium factos, quibus utentes Chryſoſtomo ſtruerent calumnias, quod poſt Depoſitionem ſuam ſine Decreto Epiſcopali auſus eſſet redire: quæ tamen regula in Concilio Sardicenſi à Romanis, Italis, Illyriis, Macedonibus & Græcis fuerit eliminata, quando Liberius aut Julius ſub Imperio Conſtantis Athanaſium & Marcellum Galatam ad Communionem admiſit, quorum gratia tamen iſte Canon fuerat editus, atque hoc ipſum de iſto Canone Antiocheno cenſuiſſe, & pluribus ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum in hac cauſa ſcripſiſſe Innocentium Pontificem. Hæc ubi Lupus ex Palladio adduxit, porro ex Sotomeni & Socratis authoritate advertit: Magni Athanaſii & ejus in damnatione Collegarum factam à Julio Pontifice reparationem ex ſufflatura aut ſaltem moratura in Antiocheno Encœniorum Conventu Euſebiana Arianorum factio Divina Apoſtolicæ Sedis privilegia *directè non præſumſit*

Digitized by Google

ſit tangere Noverat, Montem iſtum, ſi tangeretur, fumigaturum. Sanxit, degradatum à quavis Synodo Epiſcopum non niſi à Synodo majori poſſe reparari, & omnem aliter ad Eccleſiam & Cathedram redire auſum excidere omni ſpe reparationis, atque deinceps nec audiendum. *Ita Romanas adpellationes & reparationes conati ſunt, per doloſos evertere gyros.* Antiochiæ tentarunt, clancularie ac indirecte, quod revelata poſtmodum facie compleverunt in Conventu Philispopolitano. Porro, inflicta Chryſoſtomo apud Quercum damnatio non per majorem Synodum, ſed duntaxat per populi Conſtantinopolitani tumultum fuerat exſufflata, atque ſic ille revocatus & repoſitus in Sedem. Hinc memorato Euſebianæ factionis Canone ipſum adgreſſa eſt factio Theophili, & tunc denuo adpellavit. Omnino fateor, *non ad Sedem Apoſtolicam, ſed ad majorem Synodum provocaſſe.* Cedendum iniquo tempori, & Canones adductos jam non impugnandos, ſed diſpenſatorie duxit admittendos, atque *ex ipſorum præſcripto majorem Synodum invocandam.* Verum apud hoſce Canones ſera erat invocatio iſta, utpotè, quæ admiſſa non fuit, nec auditus ipſe Chryſoſtomus; ſed tanquam turbidus Antiochenæ Synodi prævaricator conjectus in Navim & in Exilium deportatus. Atque tunc primum adpellavit Innocentium Pontificem, ac *non per Synodum*, ſed per ipſum ſupplicavit injecta ſibi per factionem vincula ſolvi ac reponi in Epiſcopatum. Dum vero Launojus obſervavit, Chryſoſtomum eadem, quæ ad Innocentium, ad Venerium quoque & Chromatium ſcripſiſſe, reſpondet *Lupus*, nullo authentico probari teſtimonio, quod omnes tres Chryſoſtomi Epiſtolæ fuerint *à paribus* & laudata continuerint verba, ac nullo id modo ipſum adfirmare Chryſoſtomum. Et ſane, ſcribit porro, quomodo à Mediolanenſi aut Aquilegienſi Epiſcopo poſtulaſſet reſciſſi iniquum Theophili judicium, ipſum pœnis ſubdi Eccleſiaſticis, & ſe ſuæ reddi Eccleſiæ? Quæ enim illis Epiſcopis authoritas in Patriarcham Alexandrinum aut Epiſcopatum Conſtantinopolitanum? Quocirca certum eſt, *alio verborum tenore & ſenſu iſtas conſtitiſſe Literas.* Habebant quidem exordia eadem, exponebant eadem Theophili facinora, verum aliter concludebant. Nempè ſcripſit ad Venerium & Chromatium Chryſoſtomus, quomodo clericorum inopiam patiens Eccleſia Africana Epiſcopum legavit ad tranſmarinas Italiæ partes, ut Sanctis Fratribus & Conſacerdotibus, tam Venerabili ſancto Fratri Anaſtaſio, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, quam etiam ſancto Fratri Venerio, Sacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ, neceſſitatem ipſam ac dolorem & inopiam intimaret. Et alia ibidem Synodus ſtatuit: *De Donatiſtis placuit, ut conſulamus Fratres & Conſacerdotes noſtros*, Siricium & Simplicianum, *de ſolis infantibus, qui baptizantur apud ipſos.* Quod Epiſcopo Romano non æquaverint Mediolanenſem, lucet ex hoc Decreto: *Placuit, ut literæ mittantur ad Fratres noſtros & Coepiſcopos, & maximè ad Sedem Apoſtolicam, in qua præſidet venerabilis Frater noſter Anaſtaſius.* Lupus ſubjungit, tres duntaxat Metropolitas habebat tunc Italia, Romanum, Mediolanenſem & Aquilegienſem; & hi duo in Synodis Italicis ſolebant adſidere Pontifici, & graviores cum illo tractare cauſas, nam & ita Damaſo in Romana, & Siricio in Capuana Synodo adſederant Ambroſius Venerii & Auguſtinus Chromatii Anteceſſores, & cum ipſis retractaverant Adpellationem Maximi Cynici, uti etiam Evagrii & Flaviani de Cathedra Antiochena quæſtionem, aliaſque cauſas graviſſimas. Laudatarum, Metropoleon Epiſcopi in Provinciali Synodo Italiæ bina erant Pontificis Romani latera. Hinc illis ſuam cauſam *huic* commendandam commendavit etiam Chryſoſtomus. Et quia Launojus id quoque notavit, Innocentium iniquius non tuliſſe, quod Chryſoſtomus ad Synodum potius, quam ad Sedem Apoſtolicam adpellaverit, reſpondet porrò *Lupus*, Chryſoſtomum nullatenus adpellaſſe ad generalem totius Eccleſiæ Synodum, ſed duntaxat ad quamvis & Conventibus apud Quercum & apud Conſtantinopolim factis majorem in ſuam innocentiam, atque id juxta Canonem Antiochenum, ita ſperando factionem inimiciam circumducere ac evadere, *qua jure omnino*

nino aliquid egerit alicui à Majorum inſtitutis. Etenim ad Apoſtolicam Sedem provocare ſtatim debuerat, juxta Canones Sardicenſes, à quibus damnari Antiochenum ; & Apoſtolicam ad Epiſcopum Romanum adpellandi traditionem firmari, ſuprà à Palladio fuit obſervatum ; atque hunc Chryſoſtomi lapſum lucidè notat in literis ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum Innocentius, adfirmans, hoc in negotio non ſecundum Antiochenos jam proſcriptos, ſed Canones authenticos Sardicenſes fuiſſe procedendum. Rectè tamen Chryſoſtomum non arguit, quia lapſum venia digniſſimum rubida Theophili factio abunde caſtigarat, *Virum juſtum damnans* non ſolum ob alia crimina prætenſa, ſed etiam, quod *contra* Canonem Antiochenum adpellare præſumſiſſet. Atque hinc etiam lucet, Adpellationem hanc non niſi adverſus ſecundam damnationem à reſtituto in Epiſcopatum Chryſoſtomo interjectam fuiſſe ; & non tam à Chryſoſtomo erat lapſus ille, quam ab ipſo Theophilo, qui adductis Canonibus Antiochenis ad ita adpellandum compulerat. *Et quis unquam dixit vel audivit*, temeraria Theophili in Chryſoſtomum judicia fuiſſe non à ſolo Innocentio, ſed etiam à Venerio & & Chromatio circumducta atque quaſſata ? Poſt repetitam Palladii de Innocentii ſtudio Chryſoſtomum pro viribus juvandi commemorationem, cui etiam Literas Innocentii ad Theophilum ſuprà relatas adjunxit, ſic porrò ſcribit Lupus : Ex quibus liquet, Theophilum adverſus impertitam Chryſoſtomo communionem, & pro Canonibus Antiochenis frequenter ac potenter interceſſiſſe apud Pontificem, hunc verò firmum conſtitiſſe in ſua Sententia, & ſemper voluiſſe retractatorium cauſæ judicium fieri, non ſecundum Antiochenos, ſed Sardicenſes, id eſt, Nicænos Canones. Etiam Arſacii ſuperordinationem exſufflavit, ipſum nomine Chriſtiano ſeu Laica etiam communione tanquam Sedis alienæ invaſorem privavit Pontifex, & addidit, de futura Synodo generali, *Non oportere Chryſoſtomum ingredi Judicium ; niſi prius illi Eccleſia communioque redderet.* Voluit ſpoliatum ante omnia reſtitui, atque ita non nudum, ſed veſtitum cum veſtitis Synodaliter luctari. Et hæc omnia non Chromatius aut Venerius ſed ſolus decrevit cum Epiſcoporum finitimorum Concilio Synodali Innocentius. Nullus à Chromatio aut Venerio, ſed omnes ab Eccleſia Romana adfirmant Chryſoſtomo redditam communionem, & acta Theophili circumducta. Quid enim authoritatis habeat Mediolanenſis aut Aquilegienſis Epiſcopus in Synodos Orientis ? Et nullus ex Sanctis Chryſoſtomi communionem tenentibus, ac ejus cauſa perſecutionem paſſis Epiſcopis aut clericis adceſſit Mediolanum aut Aquilegiam, ſed omnes Romam adceſſerunt atque Epiſcopum Romanum, quia noraut, ab hoc unico ſe poſſe reparari. Præter id ex loco Similium adduxit *Launojus* Exempla Julii & Gelaſii Pontificum Romanorum, ubi *Lupus* plures contineri putat errores. De priori ſtatuit, falſum eſſe, quod injecta Athanaſio per factionem Euſebianam vincula non ſolus ſolverit Papa Julius, ſed etiam Italiæ ac vicinarum Regionum Epiſcopi ; fecit enim Julius, inquit, quod ab ipſo fuiſſe, & ab ejus Succeſſoribus faciendum fore probavit & ſanxit Sardicenſes Canon qui à perperam damnatis per ſuas Synodos Epiſcopis diſertè tradit invocandum ſolum Epiſcopum Romanum, & ipſos ab hoc ſolo ſolvendos ac reparandos. Italiæ Epiſcopi ſuo duntaxat *conſilio ſunt cooperati, non Suffragio deciſivo* : & fuit Julio *voluntaria cooperatio, non neceſſaria.* De poſteriori autem, quod Acacius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus potuerit non duntaxat à Romano, ſed à quavis damnari Epiſcopo, verum eſt & manifeſtum, quia Eutycheti per Synodum Calchedonenſem inflicta damnatio erat contagioſa, & quaſi in naturam verſa ſcabies, in omnes & errores & erroris ſequaces atque communicatores ſerpens, ipſo ſtatim facto, atque ita per quemvis Epiſcopum non infligi, ſed per Canonem inflicta poterat declarari, dum hodie etiam quivis Epiſcopus id ipſum valet in quemvis ſequacem & communicatorem Lutherani & Calviniani Dogmatis. Quivis hæreticus juxta Apoſtolum à ſemet ipſo damnatus eſt, atque ſic damnatio illa per omnem, in cujus adparuerit

neceſſitatem per Canones, ac inde concludit, Synodum ipſo majorem eſſe, & multa conglomerat, ſed ſine fundamento. Etenim Pontifex aſſidue profitetur, ſe agere in hac cauſa, & ab aliis agi velle juxta Canones Sardicenſes, qui damnatorum à ſuis Synodis Epiſcoporum cauſas Romam adpellatas ſanciunt eo retractari modo & ordine, quem arbitrio ſuo ſapientiſſimo Romanus præfixerit Epiſcopus. Quod porro cauſa hæc omnem Eccleſiam Orientalem peſſime turbarit, & ipſam ſchiſmate diviſerit à Romana, jam eſt oſtenſum. Etiam inter ſe commiſit Auguſtos Fratres, Arcadium & Honorium. Hinc ipſam nec in ſuæ ſolius Provinciæ, nec in ſolius Italiæ, ſed in totius Eccleſiæ Synodo Pontifex merito duxit retractandam. Johannis adpellationi ſuſpenſivum dedit effectum, ac ipſum ſalvo examine maturiori ab injectis male vinculis ſolvit, & Theophilum rejecit ad locum adcuſatoris, cauſam retractari volens in Oecumenica Synodo, non compulſus per ullum Canonem, ſed ex electione propria & avita poteſtate ſibi facta per Apoſtolicum Canonem, & adverſus ſchiſmaticas Euſebianæ factiones nugas firmata atque innovata per Synodum Sardicenſem. Qua tandem ſerie hæc omnia fuerint compoſita, ad noſtram non ſpectat quæſtionem.

Vindiciæ pro Sententia Launoji.

LUpus lupino more graſſatur, ac obvia quævis ſibi contraria nititur proſternere, ſed impetu vano. Semel defendendos ſuſcepit Dictatus Gregorii Pontificis, non ſolum tanquam genuinos & ab ipſomet profectos, ſed hunc etiam in finem, ut oſtendat, eſſe eos cæteris Canonibus Eccleſiaſticis ex aſſe conformes. Hinc quidquid videtur ulla ratione in eorum cedere præjudicium, ſine acerbiori non demittit Cenſura, bile ut plurimum nimia ſic occupante judicium, ut cœco impetu ruat etiam in innocentes. Exemplum notatu dignum præbet hæc Chryſoſtomianæ perſecutionis & eam ſecutæ Hiſtoria pluribus ex circonſtantiis valde memorabilis. Ea dum Bellarminus ex conſideratione & præcipitantia ad Monarchicum Regimen Pontificis Romani in omnes Epiſcopos & Eccleſias demonſtrandum fuit abuſus, Launojus ex animi candore duxit oſtendendum, quam impertinenter hoc ab eo ſit factum. Ut illud lectori veritatis ſtudioſo poneret ob obulos, non modo literas Chryſoſtomi ad Innocentium Pontificem, ex quibus pauca quædam Bellarminus, quæ ſcopo videbantur inſervire, excerpſit, pleniori contextu exhibere putavit neceſſarium, ſed reſponium quoque Pontificis ad Chryſoſtomum, eum aliis ad Theophilum ejus perſecutorem, atque ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum literis ſubjungere, ex quibus ſeptem contra Bellarminum deduxit documenta, quæ Lupo ſidus in oculis fuerant, & dum omnia non potuit amoliri, aliqua ex iis conatus eſt pro viribus infringere, potioribus tamen adhuc illæſis & in ſalvo manentibus. Adcedit, ipſum non plane nulla huic inſerere Tractationi, quæ ad rem quam defendit, parum vel nihil omnino conducunt, inter quæ id inprimis pertinet, quod tempora putat eſſe diſtinguenda, diſcrimen proponens inter damnationem Chryſoſtomi primam & ſecundam, cum tamen ipſo fatente Lupo, utrobique Chryſoſtomus ad Synodum majorem adpellaverit, & quando tandem ad Innocentium Pontificem, ac ſimul ad Epiſcopos Mediolanenſem & Aquilegienſem confugit, non alia id ratione factum ab eo credi debet, quam ut eorum auxilio & mutuo conſenſu res ad aliquam Synodum deferatur, probe ſciens, ipſorum perſonas ad illud negotium per ſe expediendum non ſufficere, ſed plurium aliorum concurſum hic eſſe quam maxime neceſſarium. Quamvis etiam ſecundæ damnationi Theophilus, Chryſoſtomi præcipuus antagoniſta non adfuerit præſens, ſufficere poteſt, ipſum per alios eam procuraſſe, dum communi proverbio, quod quis per alium fecit, ipſe dicitur ut plurimum feciſſe. Circa id vero, quod de Canonibus Antiochenis, quibus Theophilum contra Chryſoſtomum eſſe uſum ſcribit, & oppoſitis iiſdem ab Innocentio Sardicenſibus obſervat *Lupus*, aliquid hac occaſione

Digitized by Google

caſione neceſſario moneri de utriſque debet. De illis quidem, videlicet Antiochenis notat, quod ab his, nimirum Sardicenſibus quoad hoc argumentum fuerint eliminati, ſequente in hoc ipſomet Innocentio. At videtur Lupus, quod illos adtinet, nimirum Antiochenos, ſibimet contradicere, arguente eum ob id ipſum non ita pridem *Franciſco Macedone* in duplici Commentatione Eccleſiaſtico-Polemica, dum hæc verba in eodem Tomo Notarum, quas ad Canones & Decreta Pontificum ac Conciliorum ſcripſit, ex quo Diſcurſus Launojo oppoſitus eſt deſumtus, non abſque Cenſura judicavit prætermittenda, quibus Commonitorium *Vincentii Lirinenſis* hiſce Canonibus Antiochenis comparavit. Verum, de Sardicenſibus etiam res adeo non eſt liquida, ut ſine omni contradictione pro Nicenis poſſint & debeant agnoſci, quod *Lupo* videtur extra dubium, & quando Innocentius hoc in negotio ad Nicenos provocavit, Sardicenſes Lectoribus ſine judicio obtruſit, quaſi inter utroſque nullum plane eſſet diſcrimen. Idem *Franciſcus Macedo* in laudata Commentatione duplici egit hac de re contra *Lupum* prolixiſſime, verum ad eundem cum *Lupo* impegit lapidem, qui error ſeduxit quoque *Johannem Cabaſſutium*, & quidem poſt alios plures, dum in *Notitia Conciliorum* eandem Sardicenſis & Niceni authoritatem omni modo propugnat, quamvis non habeat, quod ſufficienter poſſit reſpondere ad ea, quæ in Concilio Carthaginenſi per ordinem ſexto, cui elogium *Plenarii* ab aliquibus adſcribitur, Auguſtinus plurium Epiſcoporum nomine Canonibus, quos Sozimus Pontifex Romanus de Appellationibus ad Sedem Romanam tanquam Nicenos per ſuos ad Concilium Legatos juſſit proponere, notanter oppoſuit, *eos id ſervaturos, ſalva diligentiori inquiſitione Concilii ipſius Niceni*, cujus rei gratia Legatos etiam miſerant Synodici ad Epiſcopos Alexandrinum & Conſtantinopolitanum, ut integros & illibatos Concilii Niceni Canones ex authenticis exemplaribus ſibi communicarent, in quibus dum nihil horum fuit inventum, quod jus Appellationum ad Sedem Romanam poſſet ſtabilire, atque Patres Africani id Sozimi in Sede Romana poſt Bonifacium Succeſſori Cœleſtino facerent notum, agnoſcit *Cabaſſutius*, & cum eo plerique, *neſciri adhuc dum, quid ad iſta reſponderit Cœleſtinus*, forte, quia nihil reſpondit, aut reſpondere potuit, cui tamen reſponſum non defuiſſet, ſi Concilii Sardicenſis habuiſſet notitiam, atque credidiſſet, Concilii Sardicenſis & Niceni Canones haberi pro iiſdem. Addo, eundem fateri *Cabaſſutium*, aliis iterum non paucis ſuorum conſentientibus, ipſam hoc Sardicenſe Concilium Patribus Africanis quoque ignotum fuiſſe, atque hanc ſuam ignorantiam his ad Cœleſtinum Pontificem verbis agnoviſſe; *Ut aliqui à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo definitum.* Quæ nullatenus dixiſſent, ſi Concilium Sardicenſe vel legiſſent, aut ex ore Legatorum de eo quidquam audiviſſent. Id quoque non prætermittendum, eoſdem Patres Africanos, eodem referente *Cabaſſutio*, ad Pontificem Cœleſtinum poſt factam de Canonibus Nicenis inquiſitionem ſcribentes hoc etiam monuiſſe, quod Canone quinto in Nicena Synodo fuerit ſtatutum, *ne, qui fuerint ab Epiſcopo proprio ſilentium communione excluſi, ab ullo alio recipiantur Epiſcopo, niſi devoluta appellatione ſecus fuerit à Synodo Provinciæ indicatum*, his utentes verbis: *Quamobrem impendio deprecamur, ne de inceps ad aures veſtras hinc venientes facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos ulterius in communionem velitis accipere, quia hoc à Niceno etiam Concilio definitum facile advertet tua Venerabilitas.* Nunc, ſi à minori ad majus, vel è contrario potius à majori ad minus licet argumentari, multo minus Africani Patres erant permiſſuri adpellationem ad Sedem Romanam in cauſa Epiſcopi, quæ majoris longe erat momenti, dum ex authoritate Synodi Nicenæ eam in cauſa Laicorum ſunt deprecati, deprecati, inquam, *Concordiæ nimirum & Pacis cauſa*, atque ut ſuam teſtarentur humilitatem, non quaſi authoritatem alicujus ſuperioritatis aut ſuprematus in Pontifice Romano agnoviſſent, quod adductus *Macedo* exiſtimat, propter ea etiam verba, quæ in priori epiſtola ante factam inquiſitionem ad Bonifacium Pontificem ſcripta leguntur, omnino digna, quæ hic etiam lectori

veritatis Ecclesiasticæ studioso exhibeantur: *Credimus Misericordiæ DEI nostri, quod tuæ sanctitate Ecclesiæ Romanæ præsidente non simus istum jam typhum passuri, & servabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non differentibus custodiri debent cum fraterna charitate, quæ secundum sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit Altissimus, etiam ipse prospicis, si forte aliter se habent Canones Synodi Nicenæ.* Ego hic talem video labyrinthum, cui se commisit post alios *Lupus*, ut valide dubitem, an ita facile inventurus sit filum aliquod Ariadneum, cujus ministerio possit evadere, ac è laqueis, quibus se ultro induit, sine damno & susceptæ defensionis præjudicio extricare. Hæc accuratius observasse erit medium, per quod pleraque ejus contra Launojum observata incumbunt spongiæ, inque fumum abeunt, atque aërem disperguntur. Certe, quæ de Patribus Antiochenis habet, quod Sedis Apostolicæ privilegia *directe non quidem præsumpserint tange e*, cognoscentes, Montem istum, si tangeretur, fumigaturum, *& tamen Adpellationes & reparationes Romanas conati sint per dolosos evertere gyros*, præterquam, quod dubium videri potest, an hoc ipsum ad laudem, an vero potius ad vituperium Sedis Romanæ debeat referri, id tale est, quod forte Antiochenis in mentem non venit, cum tunc referendum sit quam maxime, quod aliàs non semel ex ore *Æneæ Sylvii*, postmodum Pii hoc nomine Secundi Pontificis Romani inculcatur, *ante Synodum Nicenam*, atque sic etiam proxime post eam, quo tempore Synodus Antiochena celebrabatur, *parvum fuisse ad Sedem Romanam* ex aliis, præsertim in Oriente Regionibus *respectum*, atque sic ante tempus illud nulla plane mentio in omni Ecclesiæ historia fit ullius ad Sedem Romanam ex alia & longiori dissita regione Adpellationis, multo minus scripta cujusdam legis, per quam extra Diœcesin Pontificis vel Episcopi Romani viventes, christiani fuerint obligati, suas ad Sedem Romanam deferre Controversias, ac ibi litis facere contestationem. Frivolum est, quod *Lupus*, dum negare non potuit, Chrysostomum in secunda Persecutione ad Synodum majorem, non vero ad Sedem Romanam provocasse, cessioni temporis id adscripsit, quod disputationi ad hominem debuit adscribere, qua Chrysostomus eum in finem videtur usus esse, ut adversarios iniquitatis convinceret, ostendens, se ob causæ bonitatem esse paratum, ex proprio ipsorum principio id admittere, modo secundum hanc regulam cum ipso velint agere, & non de facto decretam semel damnationem prosequi. Et quando postmodum ad Innocentium Pontificem Romanum scripsit, ejus implorans auxilium, frustra comminiscitur *Lupus*, Chrysostomum desiderasse, ut ipse Pontifex per se, non vero per Synodum hoc negotium tractaret, cum supra jam fuerit observatum, id juris Pontificem Romanum tunc temporis non habuisse, & Chrysostomum inani opera se fatigaturum fuisse, si id ab eo desiderasset, quod ipse antehac in Statu integro non admissuras fuisset, Ecclesia Constantinopolitana nunquam sic Pontifici Romano subjecta, ut ex authoritate propria quidquam in ea mutare potuerit. Id vero fuit, quod ab Innocentio petiit, ut, quia Alexandrinum & Antiochenum, Episcopos expertus est Antagonistas & persecutores, pro viribus laboraret, quo causa, ob quam innocenter fuit Sede sua depulsus, justo exoneretur Judicio in aliqua Synodo, quam non hostes jurati sua pro nutu & lubitu regerent authoritate, sed ab omni studio partium alieni in commune conferrent, quod justum esset æquumque. Et quia Chrysostomus ipse verbis quam maxime perspicuis testatur, quod Launojus non sine gravi causa urgebat, se *ista etiam* ad Venerium & Chromatium, Mediolanensem & Aquilegiensem Episcopos scripsisse, insigne temeritatis specimen præbet *Lupus*, audacter scribens, nullo id authentico probari testimonio. Quid enim? Annon satis testimonii potest debetque videri, quod ipse Chrysostomus aperte monet, se *ista aliis etiam* per literas insinuasse, adeoque id ipsum quoque ab iis petiisse? Atque si putat *Lupus*, Chrysostomum sui restitutionem, videlicet immediatam ab Episcopis hisce non potuisse prudenter expectare, utpote quibus nullum jus fuerit vel authoritas in Ecclesias Orientales, sciat ex ante observatis, idem de Episcopo

Schwarzen Meer, Kaukasien, Persien, Turkestan, Sibirien, Kamtschatka, Japan, Nordamerika, Mexiko, Westindien, Südamerika, Australien, Neuseeland, Tasmanien, Neuguinea, Neubritannien, Neuirland, Neuhannover, Salomonsinseln, Neuhebriden, Neukaledonien, Fidschiinseln, Tonga- oder Freundschaftsinseln, Samoa- oder Schiffergruppe, Gesellschaftsinseln, Tuamotu- oder Niedrige Inseln, Marquesasinseln, Sandwichinseln, Carolinen, Palauinseln, Marianen, Philippinen, Celebes, Molukken, Timor, Java, Sumatra, Borneo, Hinterindien, Ceylon, Vorderindien, Arabien, Nordostafrika, Südostafrika, Südwestafrika, Westafrika, Nordwestafrika, Südeuropa, Mitteleuropa, Nordeuropa, Island, Grönland, Labrador, Neufundland, Neuschottland, Neubraunschweig, Kanada, Alaska, Nordwestterritorium, Britisch-Columbien, Vancouverinsel, Oregon, Kalifornien, Utah, Neumexiko, Texas, Arizona, Kolorado, Nebraska, Kansas, Indianerterritorium, Minnesota, Dakota, Montana, Wyoming, Idaho, Nevada, Oklahoma, Missouri, Arkansas, Louisiana, Mississippi, Alabama, Florida, Georgia, Südkarolina, Nordkarolina, Tennessee, Kentucky, Virginia, Westvirginia, Ohio, Indiana, Illinois, Michigan, Wisconsin, Iowa, Pennsylvania, Maryland, Delaware, Neujersey, Neuyork, Connecticut, Rhodeinsel, Massachusetts, Vermont, Neuhampshire, Maine, Mexiko, Yukatan, Guatemala, Honduras, Salvador, Nicaragua, Costarica, Panama, Westindien, Kolumbien, Venezuela, Guayana, Brasilien, Peru, Bolivia, Paraguay, Uruguay, Argentinien, Chile, Australien, Neuseeland, Tasmanien, Neuguinea, Neubritannien, Neuirland, Neuhannover, Salomonsinseln, Neuhebriden, Neukaledonien, Fidschiinseln, Tonga- oder Freundschaftsinseln, Samoa- oder Schiffergruppe, Gesellschaftsinseln, Tuamotu- oder Niedrige Inseln, Marquesasinseln, Sandwichinseln, Carolinen, Palauinseln, Marianen, Philippinen, Celebes, Molukken, Timor, Java, Sumatra, Borneo, Hinterindien, Ceylon, Vorderindien, Arabien, Nordostafrika, Südostafrika, Südwestafrika, Westafrika, Nordwestafrika, Südeuropa, Mitteleuropa, Nordeuropa, Island, Grönland, Labrador, Neufundland, Neuschottland, Neubraunschweig, Kanada, Alaska, Nordwestterritorium, Britisch-Columbien, Vancouverinsel, Oregon, Kalifornien, Utah, Neumexiko, Texas, Arizona, Kolorado, Nebraska, Kansas, Indianerterritorium, Minnesota, Dakota, Montana, Wyoming, Idaho, Nevada, Oklahoma, Missouri, Arkansas, Louisiana, Mississippi, Alabama, Florida, Georgia, Südkarolina, Nordkarolina, Tennessee, Kentucky, Virginia, Westvirginia, Ohio, Indiana, Illinois, Michigan, Wisconsin, Iowa, Pennsylvania, Maryland, Delaware, Neujersey, Neuyork, Connecticut, Rhodeinsel, Massachusetts, Vermont, Neuhampshire, Maine, Mexiko, Yukatan, Guatemala, Honduras, Salvador, Nicaragua, Costarica, Panama, Westindien, Kolumbien, Venezuela, Guayana, Brasilien, Peru, Bolivia, Paraguay, Uruguay, Argentinien, Chile.

in Vicinia Epiſcopus, vel etiam procul remotus, innocentiam damnati agnoſcens, non pro irrita habeat & nulla, omnemque moveat lapidem pro viribus, ſi ſolus etiam ſit, & nullum habeat in ſancto hoc labore adſtitem, ut injuſtè damnatus & ejectus ſuæ de jure reſtituatur Sedi, priſtinumque recipiat honorem & officium, niſi velit haberi pro tali, qui Chriſtum chaos atque confuſionem in Eccleſiam, non verò Hierarchiam poſuiſſe ſtatuat? Bona quæſo verba, Lupe! Aliter ſcio, ſentient, quibuſcunque Mens eſt ſana & animus ſerenior ab impurioribus Authoritatis humanæ nebulis, ac præillè majoris æſtimii judicabunt cauſæ cujuſvis æquitatis. Sed nondum finis eſt errorum; adhuc plus ultra progreditur *Lupus*, nullos agnoſcens terminos, ſui nimirum juris, quod ſibimet ipſi more Lupino finxit. Paulò ante fatus eſt, rabidam Theophili factionem damnaſſe *Virum juſtum*. Nunc iterum immemor ſui vinculum Chryſoſtomi fuiſſe ſcribit *dubii valoris*, idque putat ex Innocentii Pontificis ad Theophilum literis patere, quibus Pontifex certum reddidit Theophilum, *ſe non modo Chryſoſtomum, ſed illum quoque ſuæ Communionis agnoſcere*, Gloſſâ hâc ſubjunctâ, *Innocentium Pontificem uti abſolverit Chryſoſtomum, ita non damnaſſe Theophilum, ſed utriuſque cauſam in Synodo œcumenica cenſuiſſe retractandam, atque ſic de utriuſque Juſtitia omnino hæſitaſſe*, quod his ad Theophilum verbis porrò ſignificaverit, ſcribens ad eum: *Si Conſcientiæ confidis, tu quoque ad Synodum proximè celebrandam adcurre.* Mutabilis eſt *Lupus* non in horas tantum, ſed ad quaſvis ferè lineas, alias inſuper ejuſdem arguens inconſtantiæ. Supra Chryſoſtomum adcuſavit, impertinenter ad Synodum in cauſâ Remotionis ſuæ provocantem. Nunc præterquam quod ipſi ſibi contradicens Chryſoſtomum vocat *Virum juſtum*, cujus vincula tamen fuiſſe ſcribit *dubii valoris*, ipſum Pontificem Innocentium una ſecum involvit, utpotè qui Chryſoſtomum *abſolverit quidem*, & nihilo minus *de ejus Juſtitia hæſitarit.* Egregium verò ſpecimen Infallibilitatis Pontificiæ! Alia nimirum ſuberat ratio, cur Pontifex non ſtatim à ſua Communione Theophilum voluerit excludere, ac verbis expreſſis damnare, ſed potius cenſuerit cauſam in Synodo œcumenicâ retractandam eſſe: ne videlicet animos hoſtium nimis jam tunc exacerbatos adhuc amplius irritaret, ac vulnus pluſquam ſatis diductum omnino redderet deſperatum, imitatus exemplum prudentis chirurgi, qui non raro plus mediis lenioribus, quam acrioribus efficit. Quod vero cauſam Chryſoſtomi in alia Synodo duxit retractandam, non ideo factum credi debet, quia vinculum ejus putavit eſſe *dubii valoris*, ac de Juſtitia ejus *hæſitavit*, quod ſi fuiſſet, non potuiſſet eum abſolvere; verum ad obturandum ora adverſariorum id inſervire exiſtimavit, ſi innocentia Chryſoſtomi in Synodo œcumenica liquidioribus teſtimoniis comprobaretur. De Theophili quidem proceſſu, an fuerit legitimus, eum dubitaſſe, ipſa ejus ad Theophilum verba teſtantur, nimirum dubitativè & conditionaliter poſita: *Si Conſcientiæ confidis, tu quoque ad Synodum proximè celebrandam adcurre*, utpotè quibus Theophili animam non ita latenter, ſed ſatis acriter pupugit. Cæterum quod Chryſoſtomus fuerit homo, nec omni caruerit nævo, non demum à *Lupo* fuit objiciendum, qua tamen objectione non fuiſſet uſus, ſi ſolius Innocentii Pontificis authoritatem ad cauſæ præſentis compoſitionem ſufficere judicaſſet, Venerio & Chromatio non ſimul ad auxilii communionem invitatis. An primus ac motu auſuque proprio Diœceſes Thraciæ, Aſiæ & Ponti, quos *Lupus* vocat autocephalas, Sedi Conſtantinopolitanæ cœperit ſubjicere, *idque contra ſextum Canonem Synodi Nicenæ*, poſthac DEO volente dabitur occaſio uberis diſquirendi ad Canonem quintum Synodi Conſtantinopolitanæ, ubi Sedes Conſtantinopolitana proximum poſt Romanam accepit locum ante, quam Chryſoſtomus ad Eccleſiæ illius Epiſcopatum pervenit, Innocentio Pontifice id ſilentio minimè prætermiſſuro, ſi Chryſoſtomus authoritate impertinenti quidquam ſibi per vim adtribuere, ac Sedes alienas invadere fuiſſet auſus. *Socratis* de ejus auſteritate & rigore nimio judicium huc referri non poteſt, utpotè quod ex ora aliorum

rum recensuit, & si ipse etiam de eo sic censuisset, obesse Famæ ejus non deberet, cum alia subesse potuerit causa, cur mores & genus vitæ Chrysostomi morosum atque ab aliorum in eodem Statu moribus, alienum *Socrati* & aliis non omnino placuerit. Zelus certe ejus, quem in officio Episcopali contra Imperatricem Exdoxiam, Aulicos, *Sacerdotes inordinatos*, alioſque minus decenter viventes habuit & ostendit, adeo culpæ non debuit esse obnoxius, quidquid etiam delicatioribus ingeniis videatur, ut laudem potius ob id ipsum apud omnes bonos & Sanctioris vitæ cultores meruerit singularem. Quæ porro *Lupus* in sequentibus addit de iis, quæ posthac in causa Chrysostomi ab Episcopis, Clero & populo, quin etiam ab ipsismet Imperatoribus pro & contra sunt gesta, undè manifestum putat, eam habuisse aliquid dubii, suam contra Chrysostomum non juvat causam, cum non quæratur nunc, quid hic vel ille de Chrysostomo ex una, ex altera autem parte de adversariis ejus judicarit, non paucis eorum invidia contra Chrysostomum correptis & corruptis ac nimio partium studio ab ejusdem Innocentia seductis & abductis, sed potius, quid ex æquo & vero consideratis totius causæ circumstantiis de eo sit sentiendum, sepositis omnibus iis respectibus privatis, qui sinceritatem judicii possunt impedire. Certè nisi *Lupus*, quod ante jam fuit observatum, in mente sua nebulis vanæ adulationis erga Sedem, Romanam; undè forsitan aliquod præmium expectat, fuisset obfuscatus, vix talia de Chrysostomo, at, quantò Viro, in chartam conjecisset, parciturus memoriæ ejus, quæ adhuc dum apud æquos Virtutum & Meritorum ejus æstimatores semper est in laude. Ultima, quibus hanc observationem contra *Launojam* obsignavit, agens de causa, ob quam Innocentius hanc Chrysostomo cum Theophilo controversiam voluerit in Synodo Oecumenica retractari, cum vi potestatis Pontificiæ eam sibi soli potuisset tanquam casum aliquem Reservatur vindicare, parum singularis continent momenti, quorum non antea jam obcurrerit mentio; & dum ipse *Launojum* adcusat, quod in ratione reddenda, factum videlicet id ab eo esse ex necessitate propter Canones, concludens indè, Synodum esse majorem Pontifice, multa sine fundamento conglomeret, hujus seipsum criminis reum facit, dum ad Canones eum provocasse Sardicenses scribit, quod ipse Pontifex expresse Nicenos vocat, quos tamen eum pro unis iisdemque habuisse, supra inter dubia & & suspectiora non sine causa fuit relatum. quorsum & illud pertinet, quod Innocentium Adpellationi Chrysostomianæ *suspensivum* dedisse, effectum scribit, addens, quod idem Chrysostomum *ab injectis malè vinculis* solverit, sed *salvo examine maturiori*, jam sufficienter responsum est, quod indè etiam ulterius confirmatur, dum ultro agnoscit, Innocentium *ab injectis malè vinculis solvisse*, Chrysostomum. Sed tædet amplius cum Lupo lupinari, de quo vere dici potest, quod ab antiquo per Proverbium obtinuit, eum mutare quidem pilum, sed non mentem, semper scilicet in dubio vagabundam.

Additio.

MEretur hæc Controversia de Adpellatione Chrysostomi, in qua Bellarminus non planè nullum Monarchici in Ecclesia Regiminis penes Sedem Romanam ex Antiquitate Historica quæsivit præsidium, ac circa quam vidimus *Lupum* contra *Launojum* graviter concertantem, ut tertius super ea judex audiatur, Lupo non incognitus, utpotè quem cum *Launojo* non semel satis duriter habuit, atque post obitum dentibus Lupinis dilaniare conatus est, sed frustra, ut suo infra loco per unum & alterum specimen demonstrabitur. Est is *Petrus de Marca*, Archiepiscopus non ita pridem Parisiensis, in opere illustri de Concordia Sacerdotii & Imperii, cujus liber septimus peculiare caput ordine nonum exhibet huic Quæstioni consecratum, quod, quia opus hoc

Digitized by Google

nemque ſuam ſubtraxit Orientalibus, donec illi ſuæ adcederent Sententiæ. Congruit aliquatenus hæc Hiſtoria cum cauſa Athanaſii, imo validior eſt cauſa Chryſoſtomi ex eo capite, quod ejus Adpellatio ad Concilium futurum ſuſcepta ſit ab imperatore atque à Pontifice Romano. Rurſus altera quoque nullitas proferebatur adverſus ſecundam Depoſitionem, quæ Occidentalium animos irritavit, qui contumeliam hanc ſibi cenſuerunt irrogari. Theophilus enim Epiſcopus Alexandrinus & Johannes Chryſoſtomus ſuos miſerunt Legatos ad Epiſcopos Romæ & Italiæ, ut communi conſenſu huic perturbationi remedium poſſet adhiberi. Et tamen in expectata Reſponſione Epiſcoporum Occidentalium, qui ab utraque parte per legatos fuerant conſulti, præcipitatum fuit in Oriente Chryſoſtomi judicium, poſt quod pulſus eſt in exilium. Interim Synodus Epiſcoporum Romæ & Italiæ cenſuit, terminandas eſſe Controverſias in Concilio generali, nullam verò partium abſtinendam eſſe à Communione ante Judicium ejuſdem Synodi. Ita hæc quidem docet Palladius, ſed præterea extat Honorii Auguſti Epiſtola ad Arcadium Fratrem, quæ id ipſum docet, cujus verba magni ſunt momenti. Sic autem habet: *Erat inter Epiſcopos cauſa, quæ collato tractatoque Concilio deberet abſolvi. Miſſi ad Sacerdotii Urbis æternæ ac Italiæ Legati utraque ex parte. Expectabatur ex omnium, id eſt, Orientalium & Occidentalium authoritate Sententia Regulam Diſciplinæ informatura. Integrum nempè debuerat eſſe, nec quidquam novari, dum Definitio procederet deliberata, cum interea mirum quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non expectatis Sacerdotum literis, qui fuerant mutua partium legatione conſulti, non examinatis rebus in exilium truderentur Antiſtites, animadverſioni prius addicti, quam Judicii Epiſcopalis Sententiam experti. Denique, quam immatura fuerit illa damnatio, res probavit. Namque hi, quorum expetebatur Authoritas, pacifica Johanni Epiſcopo Communione permiſſa faciendam cenſuerunt concordiam, nec quenquam putarunt ante Judicium conſortio repellendum. Quid nunc aliud ſupereſt, quam ut Fidem Catholicam Shiſmata in diverſum diſſociata dilacerent?* Sanè, ita porro ſcribit Archi Epiſcopus Pariſienſis, Schiſma inter Eccleſias duravit, donec Epiſcopi Conſtantinopoleos & Antiochiæ nomen Chryſoſtomi repoſuerunt in Diptychis Eccleſiæ, id eſt, in libris, in quibus nomina Epiſcoporum defunctorum erant deſcripta, quæ in Liturgia recitabantur, & eorum Memoriæ communicaretur, preceſque fierent pro eis. Cyrillus quidem, Epiſcopus Alexandrinus, Theophili Succeſſor, contendit acriter, id fieri non debere, ſcriptâ ad Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum Epiſtola graviſſima, qua ajebat, id eſſe contra Canones & adverſum Authoritati judicii pro Depoſitione lati, neque ea ratione revocandam eſſe Pacem Eccleſiæ, ut interim vulnus atrociſſimum Canonibus infligatur. At tamen rediit Occidentalibus & Orientalibus concordia poſt reſtitutionem nominis Chryſoſtomi. Quare, non ſine cauſa ſcribere hæc potuit Papa Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *Johannem Conſtantinopolitanum Synodus Præſulum etiam Catholicorum certe damnarat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit.* Quæ tamen verba non ita ſunt intelligenda, tametſi ea eſt univerſorum perſuaſio, ut hinc colligi videatur, Synodum non eſſe executoriam abſque ſummi Pontificis confirmatione; nam nihil aliud hinc erui poteſt, quam Sedem Apoſtolicam non conſenſiſſe executioni hujus Judicii adverſus Chryſoſtomum lati, tum quia ipſe adpellaverat, tum etiam, quod irritum prorſus & nullum illud cenſendum eſſet, Orientales verò, cum nihil ex obſtinata ſeveritate Pontifex Romanus remitteret, neceſſitate quadam cunctos ejus voluntati ceſſiſſe, ut Pacem Eccleſiarum ea occaſione interruptam reſtituerent. Hæc ibi *Petrus de Marca*, in quibus & ſi non planè nihil ſit, quod ſub aliquam poſſit vocari animadverſionem, quia tamen pleraque Veritati Hiſtoriæ ſunt conſentanea, nullius, quantum conſtat, cenſuram hactenus experta, ac Lupi Lovanienſis præoccupato oppoſita directe judicio, hic quoque ſuum pro Launoii Sententia merito locum occupant.

Bel-

Digitized by Google

Ich habe Ihnen, mein Herr, nur zu sagen, daß ich
Ihnen nichts zu sagen habe.

Ich habe Ihnen, mein Herr, nur zu sagen, daß ich
Ihnen nichts zu sagen habe.

nemque ſuam ſubtraxit Orientalibus, donec illi ſuæ adcederent Sententiæ. Congruit aliquatenus hæc Hiſtoria cum cauſa Athanaſii, imo validior eſt cauſa Chryſoſtomi ex eo capite, quod ejus Adpellatio ad Concilium futurum ſuſcepta ſit ab imperatore atque à Pontifice Romano. Rurſus altera quoque nullitas proferebatur adverſus ſecundam Depoſitionem, quæ Occidentalium animos irritavit, qui contumeliam hanc ſibi cenſuerunt irrogari. Theophilus enim Epiſcopus Alexandrinus & Johannes Chryſoſtomus ſuos miſerunt Legatos ad Epiſcopos Romæ & Italiæ, ut communi conſenſu huic perturbationi remedium poſſet adhiberi. Et tamen in expectata Reſponſione Epiſcoporum Occidentalium, qui ab utraque parte per legatos fuerant conſulti, præcipitatum fuit in Oriente Chryſoſtomi judicium, poſt quod pulſus eſt in exilium. Interim Synodus Epiſcoporum Romæ & Italiæ cenſuit, terminandas eſſe Controverſias in Concilio generali, nullam verò partium abſtinendam eſſe à Communione ante Judicium ejuſdem Synodi. Ita hæc quidem docet Palladius, ſed præterea extat Honorii Auguſti Epiſtola ad Arcadium Fratrem, quæ id ipſum docet, cujus verba magni ſunt momenti. Sic autem habet: *Erat inter Epiſcopos cauſa, quæ collato tractatoque Concilio deberet abſolvi. Miſſi ad Sacerdotii Urbis æternæ ac Italiæ Legati utraque ex parte. Expectabatur ex omnium, id eſt, Orientalium & Occidentalium authoritate Sententia Regulam Diſciplinæ informatura. Integrum nempè debuerat eſſe, nec quidquam novari, dum Definitio procederet deliberata, cum interea mirum quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non expectatis Sacerdotum literis, qui fuerant mutua partium legatione conſulti, non examinatis rebus in exilium truderentur Antiſtites, animadverſioni prius addicti, quam Judicii Epiſcopali Sententiam experti. Denique, quam immatura fuerit illa damnatio, res probavit. Namque hi, quorum expetebatur Authoritas, pacifica Johanni Epiſcopo Communione permiſſa faciendam cenſuerunt concordiam, nec quenquam putarunt ante Judicium conſortio repellendum. Quid nunc aliud ſupereſt, quam ut Fidem Catholicam Shiſmata in diverſum diſſociata dilacerent?* Sanè, ita porro ſcribit Archi Epiſcopus Pariſienſis, Schiſma inter Eccleſias duravit, donec Epiſcopi Conſtantinopoleos & Antiochiæ nomen Chryſoſtomi repoſuerunt in Diptychis Eccleſiæ, id eſt, in libris, in quibus nomina Epiſcoporum defunctorum erant deſcripta, quæ in Liturgia recitabantur, & eorum Memoriæ communicaretur, preceſque fierent pro eis. Cyrillus quidem, Epiſcopus Alexandrinus, Theophili Succeſſor, contendit acriter, id fieri non debere, ſcriptâ ad Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum Epiſtola graviſſima, qua ajebat, id eſſe contra Canones & adverſum Authoritati judicii pro Depoſitione lati, neque ea ratione revocandam eſſe Pacem Eccleſiæ, ut interim vulnus atrociſſimum Canonibus infligatur. At tamen rediit Occidentalibus & Orientalibus concordia poſt reſtitutionem nominis Chryſoſtomi. Quare, non ſine cauſa ſcribere hæc potuit Papa Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *Johannem Conſtantinopolitanum Synodus Præſulum etiam Catholicorum certe damnarat, quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit.* Quæ tamen verba non ita ſunt intelligenda, tametſi ea eſt univerſorum perſuaſio, ut hinc colligi videatur, Synodum non eſſe executoriam abſque ſummi Pontificis confirmatione; nam nihil aliud hinc erui poteſt, quam Sedem Apoſtolicam non conſenſiſſe executioni hujus Judicii adverſus Chryſoſtomum lati, tum quia ipſe adpellaverat, tum etiam, quod irritum prorſus & nullum illud cenſendum eſſet, Orientales verò, cum nihil ex obſtinata ſeveritate Pontifex Romanus remitteret, neceſſitate quadam cunctos ejus voluntati ceſſiſſe, ut Pacem Eccleſiarum ea occaſione interruptam reſtituerent. Hæc ibi *Petrus de Marca*, in quibus & ſi non planè nihil ſit, quod ſub aliquam poſſit vocari animadverſionem, quia tamen pleraque Veritati Hiſtoriæ ſunt conſentanea, nullius, quantum conſtat, cenſuram hactenus experta, ac Lupi Lovanienſis præoccupato oppoſita directe judicio, hic quoque ſuum pro Launoii Sententia merito locum occupant.

Bel-

Digitized by Google

Wenn du aber ein Kind hast / das du nicht
wilt / das es sterbe / so nim ein Ey / vnd
thu das Dotter heraus / vnd thu an
die stat Bibergeil / vnd Mastix / vnd
Weyrauch / vnd Myrrhen / vnd
Saffran / vnd Opium / vnd
Bilsensamen / vnd Mandragen /
vnd Mandelkern / vnd Mohn /
vnd Lattich / vnd Wegerich /
vnd Portulaca / vnd Rosen /
vnd Violen / vnd Nachtschatten /
vnd Schlafapffel / vnd Schlaf-
kraut / vnd Schlafbeer / vnd
Schlafkörner / vnd Schlaf-
wurtz / vnd Schlafsamen /
vnd Schlafkraut / vnd
Schlafbeer / vnd Schlaf-
körner / vnd Schlaf-
wurtz / vnd Schlaf-
samen / vnd Schlaf-
kraut / vnd Schlaf-
be

quæ dicuntur in Vita, ſibi vindicarint. Atque hoc argumentum eſt peridoneum, quo Annalium loca duo Vitæ Caroli M. loco præterantur. Verum, *Eginhardus* in Vita Caroli adfirmat quidem, juſſu Stephani Papæ depoſitum fuiſſe Childericum, & Pipinum per authoritatem Romani Pontificis Regem eſſe conſtitutum, ſed id *juſſe & legitime* factum eſſe non adfirmat, contra quam Bellarminus ſibi ſumſit demonſtrandum. Nunc expendendi ſunt Annales, in quibus Author Childericum à Zacharia *juſſe & legitime* depoſitum fuiſſe non adfirmat, quod tamen adfirmat Bellarminus ab Authore literis mandatum; atque ſic è duobus, quæ *Eginhardus* debuit adfirmare, ne unum quidem adfirmat, quomodo adfirmandum fuit. Qua vero parte alterum adfirmat *Eginhardus*, Bellarminus non adfirmat; contra id ſilet, in quo rei cardo vertitur. Silet, à Francis Legatos conſultum fuiſſe Zachariam, & quid ad conſilium Zachariæ fuerit propoſitum, meliuſne eſſet, illum vocari Regem, apud quem Poteſtatis Summa conſiſteret, quam illum, qui nomen Regis tantum, nullam vero Regiam haberet poteſtatem. Conſultus Zacharias de jure, Francis reſpondere debuit, uti par erat; ſed pro reſpondentium more in Quæſtione Juris non debuit reſpondere, ut illud, quod reſpondebat, fieri juberet, alioquin metas reſpondentis exceſſiſſet. talis enim eſſe debet reſponſio, qualis eſt interrogatio. Neque dubitandum eſt, quin Pontifex reſponderit, quomodo Vir ſapiens reſpondere debet. Et quamvis *Eginhardus* Reſponſionem Zachariæ magis Dignitati Pontificiæ, quam illi factæ interrogationi adcommodet, non obſcure tamen ſignificat, Zachariæ reſponſionem illi factæ interrogationi magis, quam Dignitati Pontificiæ adcommodandam reipſa fuiſſe. Id Eginhardi verba hæc, *Pipinus more Francorum elevatus in Solium regni*, omnino exigunt. Nam, qui ante Childericum & Pipinum elevabantur in regni Solium, authoritate Francorum, non Romani Pontificis elevabantur. Quare, cum ille ſcribit, *Zacharias data authoritate ſua juſſit Pipinum Regem conſtitui*, non nihil ſibi & populis indulget, & certe cujuſdam ὀικονομίας cauſa potius, quàm circumſpectione & adcurata veritatis conſideratione ſcribit, quo & adhuc pertinet, quod ait, *Hoc anno ſecundum Romani Pontificis Sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt.* Zacharias ita confirmat, quod anno ſuperiori factum fuerat, *celebratam videlicet more Francorum Pipini elevationem in regni Solium.* Utique Zacharias confirmat, quod poſt acceptam illius reſponſionem peregerant Franci. Illa nimirum verba ſunt adprobantis, de facto, non de jure decernentis, quippe qui abſolute in Francorum regnum careret dominio. Adprimè noverat, quod Deceſſor Gregorius junior ſecundum doctrinam Patrum & Sedis Apoſtolicæ traditionem in poſteriori ad Leonem Iſaurum epiſtola profitetur, *Pontificem introſpiciendi in Palatium non habere poteſtatem, nec dignitates regias deferendi.* Regis unctionem quod adtinet, à veteribus Hiſtoricis memoriæ non eſt proditum, de illa Legatos Francorum ulla apud Zachariam feciſſe verba; hæc enim in uſu inſtitutoque Majorum non erat. Quis, quæſo, Childericum tertium, de quo loquitur Eginhardus, Theodoricum ſecundum, Childericum ſecundum, Dagobertum ſecundum, Childebertum ſecundum, Clodovæum tertium, Theodoricum primum, Childericum tertium, Clotarium tertium, Clodoveum ſecundum, Dagobertum primum, & Reges alios ſuperiores unctos fuiſſe certis æqualium aut ſupparium ætate Scriptorum teſtimoniis comprobaret. Igitur Zacharias ungi voluit Pycinum, non ut Rex ille fieret, quia anno jam elapſo à Francis more Majorum in Regni Solium fuerat evectus, ſed ut novus Rex novo apud Francos ritu redderetur auguſtior ac populis venerabilior, quod proſpero non caruit ſucceſſu. Pyrenus enim anno 1254. & 1255. contra Longobardorum Regem Aſtulfum pro Romanæ Eccleſiæ defenſione progreſſus eſt, eumque prælio vicit, & cuncta, quæ Romanæ ademerat Eccleſiæ, bona reſtituere coegit. Zacharias, ut ita dicam, vel ſucceſſor Stephanus anno 749. 751. & 752. ſevit arbores, quæ inſequentibus annis Romanæ profuerunt Eccleſiæ. Sic quidquid eſt à Zacharia vel Stephano geſtum, non tam captata tunc occaſione & opportunitate prævisa, quam re

teſtimonio ſcripſiſſe, quod ſupra etiam fuerit obſervatum. Hæc obſervata hactenus in ſummam contrahens Launojus nunc porrò, quot modis à Bellarmino in hac recenſione Authorum fuerit peccatum, videlicet *Primo*, Bellarminum nullam ſuſcepiſſe cogitationem de conciliando ſecum Eginhardo, quem adſertionis ſuæ principem conſtituerit. *Secundo*, ex reliquis undecim authoribus nullum eſſe, qui diſerte adfirmet, Zachariam depoſuiſſe Childericum Regem, & juſſiſſe, ut Pipinus Rex crearetur; quamvis nonnulli ex iis multa ſcribant, quæ ab antiquorum ſimplicitate degenerent. *Tertio*, ex illorum duodecim Scriptorum numero excludendos eſſe Cerenum & Paulum Diaconum, utpote qui neque de Childerico, neque de Pipino, neque de Zacharia loquantur, hinc invitum ſe cogi exclamare, Heu, priſca fides! *Quarto*, Bellarminum profiteri Græcos omnes, qui hanc deſcribunt Hiſtoriam, adfirmare, Zachariam depoſuiſſe Regem Childericum, & juſſiſſe, ut Pipinus Rex crearetur, & tamen nullum Græcorum antuliſſe præter Cedrenum, quem falſo adlegaverit. *Quinto*, cùm receperit, quod Zacharias juſte & legitime depoſuerit Childericum Regem & creari juſſerit Pipinum, ajendo, id adfirmare omnes, quotquot hanc deſcribunt Hiſtoriam, tam Græcos quam Latinos, citatis à ſe ſcriptoribus impoſuiſſe, utpote qui id tantum, quod factum ſit, & factum eſſe ſibi videatur, enarrent, verum, an jure, vel injuria id factum ſit, non diſputare, quod aperte dicit conſtare ex ipſis Scriptorum verbis, quæ ex parte fuerunt adducta. *Sexto*, ſcribit porro Launojus, ſi, quos Bellarminus laudat Scriptores, adfirmarent, Zachariam juſte & legitime Childericum depoſuiſſe & juſſiſſe, ut Pipinus Rex crearetur, in ſuæ doctrinæ perniciem laudaret, & ſecum turpiter pugnaret. Nam l. 5. de Rom. Pontif. cap. 2. tria ordine ſuſcipit probanda. *Primo*, quidem, ***Papam non eſſe Dominum totius orbis. Secundo, non eſſe Dominum totius orbis Chriſtiani. Tertio, non eſſe Dominum ullius Provinciæ aut oppidi, nullamque Divino jure juriſdictionem mere temporalem habere.*** Scilicet, ad tria hæc capita revocarentur & Childerici depoſitio, & Pipini Regis inſtitutio. Hinc ſi laudati Scriptores quæſtionem Juris tractant, uti Bellarminus proponit, captus eſt, quia ſecum pugnat; ſi vero non tractant, nullus eſt, atque ſic illis imponit. *Septimo*, cùm ait, exceptis Magdeburgenſibus & Calvino, minus agit ſincere. Nam Magdeburgenſes & Calvinum accipit, quo facilius lemma ſuum perſuadeat, & injecta in hæreticos ſtudii partium ſuſpicione confirmet. Nec aliunde ſatis præcavet ſibi, cùm Magdeburgenſes utique, ſi tollatur verborum acerbitas, de re ipſa non tradant aliud, quam quod laudati à Bellarmino Blondus & Ado Viennenſis tradiderant. *Octavo*, Bellarminus confidenter nimis adſerit, Latinos omnes, quotquot hanc deſcribunt Hiſtoriam, adfirmare, Zachariam juſte & legitime Childericum depoſuiſſe & juſſiſſe, ut Pipinus Rex crearetur; ex Latinis enim, quos citat, excipiendi ſunt duo, Blondus & Ado, quibus adjungi poteſt tertius, nimirum Æneas Sylvius, id omnino tradentes, quo res tota probe, uti par eſt, exponitur, & Zacharias à Childerici diſpoſitione & Pipini Regis creatione removetur, & tandem intelligitur, minus proprie locutos eſſe certos quoſdam Hiſtoricos, qui Zachariæ conſilium & interrogationi convenienter datum ab eo Francorum Legatis reſponſum in juſſionem & mandatum ſcribendo converterunt. Id apud illos effecit perſonæ reſpondentis dignitas, ut, quod duntaxat conſilium erat atque congruens interrogationi Reſponſum, juſſu & mandato, nomenclatura ſplendidiore donarent. Vox authoritatis, qua relati ſæpè utuntur Hiſtorici, quid apud Latinæ Linguæ Magiſtros ſignificet, & qua Ratione utendum ſibi duxerint, jam ſupra eſt expoſitum. Porro autem uti preces Potentum vulgo creduntur Mandata, etiamſi preces ſint tantum, neque præ ſe ferant inſignia mandatorum; ſic quoque Conſilia Potentum æſtimantur vulgo mandata, etiamſi naturam Conſiliorum minimine exuerint, & Prudentum reſponſa legum inſtar habentur. Hæc nimirum eſt trutina popularis, quam Bellarminus hac in Quæſtione adhibet, cum adhibenda eſſet Aurificum ſtatera, ſi, dum agitur cauſa Principum, æquitati ſtuderet. Quidquid id eſt, Veritati, quam in-

ri-

quirimus legitime, obſtare non debet factioſa diſputandi ratio. *Nonò*, laudati à Bellarmino Scriptores cæteri, cum de Zacharia, de Childerico, atque de Pipino non adſerunt, quod ille verbis adſerit conceptis, in noſtras, quam Bellarmini partes ducuntur facilius, ſi, quidquid ad unius cujuſque Teſtimonium fuit obſervatum, adtendentur. *Decimo*, Adoni & Blondo ſubnectuntur Authores alii, qui haud diſſimiliter loquuntur, nominatim Fredegarius in Chronico, Adpendicem libri de geſtis Regum Francorum, Antiquum Scriptorem de Majoribus regiæ Domus, Scriptorem anonymum Vitæ S. Lebuini Confeſſoris, Annales Francorum auctiores, Monachum Engoliſmenſem in Vita Caroli M. Guilielmum Nangium in Chronographia Mſcr. Johannem Trithemium in libro de origine Francorum, Robertum Gagvinum in Hiſtoria Francorum, Carolum Sigonium, cujus verba à lib. III. Hiſtor. de Regno Italiæ hæc ſunt: *Magiſtratum, qui Major Domus Regiæ dicebatur, Carolus Martellus geſſerat, tum vero Pipinus Caroli Filius ſumma cum induſtria ac Virtutis commendatione adminiſtrabat, Childerico Rege nullam curæ partem ſibi depoſcente. Quod indignum eſſe Pipinus exiſtimans Zachariam conſulit, uter ei Regio dignior faſtigio videretur, iſne, qui Languens etio nihil ad communem adferret utilitatem, an qui dies noctuſque de Regni ſalute ac cuſtodia cogitaret. Cui Zacharias reſpondit, omnino ſe Regem illum judicare, qui commodis regni & incolumitati ſervivet; rogatuſque ab illo, Decretum pro magnitudine poteſtatis interpoſuit, quo regnum Childerico ut parum idoneo abrogavit, & Francis religione Sacramenti ſolutis, ut Pipinum Regem ſubſtituerent, author fuit. Quo Decreto accepto Franci convenerunt, atque abdicato Childerico Pipinum Regem conſentientibus omnium voluntatibus deſignarunt, eumque per Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum ſeſſione conſecrarunt.* Præclare omnia, ſcribit Launojus, ſed cum ait, *Zacharias à Pipino rogatus Decretum pro magnitudine poteſtatis interpoſuit, quo Regnum Childerico ut parum idoneo abrogavit, & Francos religione Sacramenti ſolvit*, ſunt planè duo, quæ veteribus Hiſtoriis ſubcreverunt. Adinventum quid eſt & inſuſurratum Gregorio Pontifici hujus nominis ſeptimo, cum in Epiſtola ad Hermannum Metenſem Epiſcopum rationes exponit, cui Henricum Imperatorem hoc nomine quartum judicarit eſſe deponendum, unde Gratianus certam decerpſit plagulam, eamque ſuo indidit Decreto, quod poſtea non diſcuſſum, ſed populariter acceptum multos Scriptores abduxit in errorem. Sed erroris originem detexiſſe ſufficiat, ut error caveatur, neque pro Veritate in authoritatem admittatur. *Nicolaus* quoque *Vigverius* in Hiſtoria Eccleſiaſtica ad Annum DCCL. hæc, uti figmenta, valide confutat, monetque legendam eſſe Hincmari Remenſis Archiepiſcopi Epiſtolam, ubi ad ea, quæ Hadrianus Pontifex ſecundus de Regno Lothatii mandaverat, reſpondet, atque in antecellum multa profert, quibus ad figmenta hæc omnis aditus intercluditur. Me quod adtinet, inquit porro Launojus, in ſecunda primæ in hoc ſeptimo Tomo partis Epiſtola, cujus jam ſupra mentio, & ſimul promiſſio quorundam notabilium ex ea proxime excerpendorum facta eſt, de poſteriore adinventione & de Anaſtaſii Bibliothecarii ſilentio adverſus illa rerum momenta duo præſcripſi, atque iterum præſcribo. De Anaſtaſii ſilentio, inquam, quod, ſi circumſpectione & adcurata conſideratione perpendatur, de falſitate rerum iſtarum dubitandi nullum relinquit locum. Quis enim prudens & adtentus crederet, verum Sedis Apoſtolicæ magnitudini & commodis addictum, & in Pontificum Romanorum ſcriniis verſatum, id neglexiſſe commemorare, quod Gregorius VII. Otto Friſingenſis, Abbas Urſpergenſis, Johannes Trithemius & alii recentiores tam cupide commemorant? Quis inquam prudens & adtentus hoc crederet, tum ex aliis, tum ex eo etiam, quod antea nihil ſimile in Romana contigiſſet Eccleſia? Igitur Anaſtaſius non tam ſilet, quam eloquitur, non adcidiſſe, quod ille narrant adcidiſſe.

His ita recenſitis facilè perſpicitur, in quot & quantos errores Bellarminus fuerit

tiem Adſertionum ſuarum adornato. *Deindè*, quamvis rogatus eſſet Zacharias, ut id faceret, quod in argumento ſumitur, facturum non eſſe Zachariam, quippè qui noverat doctrinam Patrum, & Sedis Apoſtolicæ Traditionem, ad quam informatus Deceſſor Gregorius hoc nomine ſecundus in ſecunda ad Leonem Iſaurum Epiſtola, ſcripſerat, *Pontificem nec introſpiciendi in Palatium, nec Dignitates Regias deferendi poteſtatem habere.* Denique, Zachariam à Francorum proceribus rogatum, dixiſſe, quod Vir prudens quilibet atque Adminiſtrationibus politicis eruditus dixiſſet, cum videlicet, qui non vocatur rex, ſed gerit officium regis, digniorem eſſe regis nomine, quam is, qui rex quidem vocatur, ſed officium regis non gerit. Cur autem Franci Zachariam de ſtatu regis & regni conſuluerint, in cauſa fuit illius & Sedis Apoſtolicæ præclara in dandis conſiliis exiſtimatio & authoritas. Sed neque ex Francis Zachariam conſulentibus, neque ex reſpondente Francis Zacharia, antè quidquam poteſt colligi, quod ad ſtabiliendam Bellarmini vel aliorum opinionem inſerviat. Conſultus nimirum à Francis Zacharias id reſpondit, quod Vir prudens & publicis inſtructus negotiis in tali rerum eventu reſpondiſſet. Quid indè? Ergone Pontifex eſt totius Mundi Chriſtiani, Dominus, & Juriſdictionem temporalem jure Divino habet directè? Non ſequitur, nec ſequi Bellarminus ipſe loco ſupra citato, videl lib. V. de Rom. Pontif. cap. 2. & ſeq. docet. Vel, ergone Pontifex in ordine ad Bonum ſpirituale ſummam habet poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum? Neque hoc ſequitur, ac niſi tortuoſo, futili & vitioſo diſputandi genere poteſt ſequi. Hæc omnia ibidem *Launojus*, contra Bellarminum, circa quæ id iterum debet obſervari, ea hic in medium produci ex argumento, quod dicitur ad hominem, cum alias non planè nihil ſit in iis, quod quoad rem ipſam alicui poſſet ſubjici cenſuræ, id inprimis, quod non ſemel obcurrit, Pontificem Zachariam à Francis de regni & regis ſtatu conſultum reſpondiſſe, uti Vir politicè prudens reſpondere potuiſſet, cum potius ad normam Juris regii in Sacro Codice deſcripti debuiſſet reſpondere, quod hic in tranſitu quaſi ſunt breviter obſervandum.

Appendix.

QUia Launojus bina vice in hac contra Bellarminum deductione meminit Gratiani, qui ex Gregorio hanc de Zacharia Childericum deponente Hiſtoriam ſuo operi Concordiæ diſcordis, quod hodiè ſub titulo Juris Canonici commendatur, inſeruit, ac quæ contra illam recentionem obſervavit, Lectori ad animum vocare placuit, non præter rem erit, à ſecunda primæ in Tomo hoc ſeptimo partis Epiſtola quædam repetere, huic argumento ad illuſtrationem inſervitura non parum. Verba Gratiani, Cauſa XV. Quæſt. VI. cap. 3. ſic habent: *Alius item Romanus Pontifex, ſcilicet Zacharias, Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit, & Pipinum Caroli M. Imperatoris Patrem in ejus locum ſubſtituit, omneſque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerant, abſolvit.* In his verbis, inquit Launojus, tria ſunt rerum momenta, quæ uti narrantur, minimè contigerunt, atque à rei geſtæ veritate penitus abhorrent. Videlicet, nullus eſt Hiſtoricus, qui vivente vel Pipino, vel Carolo M. Pipini Filio, vel Ludovico pio prodiderit memoriæ, Zachariam depoſuiſſe à Regno Francorum regem, aut ſubſtituiſſe Pipinum in illius depoſiti regis locum, aut Francigenas omnes à fidelitatis juramento, quod fecerant regi depoſito, abſolviſſe. Hic in rei teſtimonium æquales adpello Authores, vel tempore proximos, utpotè, qui ſoli poſſunt adpellari, quia hi ſoli certo noſſe poſſunt, quid eo in negotio verè fuerit geſtum. Poſtquam vero aliquos ex Authorum ſupra laudatorum numero loquentes & teſtimonium de hac Hiſtoria ferentes adduxit, hæc

porrò ſubjunxit : Anaſtaſius, Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius, quo tempore Ludovici pii Imperatoris filii in diverſis per Occidentem locis regnabant, claruit & Præſulum Romanorum vitas ſcripſit. In Zachariæ vita autem, quæ ſatis longa eſt, Francorum procerum ſuper regni ſtatu conſultationem prætermiſit, ratus opinor, eam non fuiſſe reſponſionem Zachariæ, quæ authoritatem Eccleſiæ Romanæ & Sedis Apoſtolicæ extolleret, aut Pontificis dignitatem eo augeret modo, quem Gratianus repræſentat. Prætermiſit inquam Vir ſciens & prudens conſultationem & reſponſionem, quia Zacharias poterat à Francis proceribus non conſuli, & poterant alii ab iiſdem conſulti reſpondere, quod Zacharias reſpondit, & cum reſpondiſſent, jus ſibi nullum indè vel in deponendo Childerico, vel in creando rege Pipino, vel in Francigenis à fidelitatis juramento liberandis putaſſent quæri. Quod autem Zacharias reſpondit, vel reſpondiſſent alii, dictat communis hominum ſenſus & intelligentia, nec excedit prudentiam naturalem, quæ Regnorum, Rerumpublicarum & omnium ſtatuum eſt regula. Quidquid ſit de cauſa, Authoris hujus, opportunitatem primæ Sedis non immemoris, ſilentium loquitur palam, in Eccleſiæ Romanæ Scriniis nullum fuiſſe Monumentum, quod rebus à Gratiano narratis fidem faceret, nihilque in ejuſdem Eccleſiæ Traditionem fuiſſe deputatum, quod, ne apud homines intercideret, literis mandaretur. In Anaſtaſio figimus Præſcriptionis adverſus Hiſtoricos poſteriores Epocham, quæ omni termino immobilior à cordatis atque eruditis hominibus judicabitur. Et ſi Platina inſtitiſſet veſtigiis Anaſtaſii in vita Zachariæ, de Francorum Proceribus & rege Pipino non prodidiſſet memoriæ, quæ prodidit, antiquis Eccleſiæ Romanæ, cujus res agitur potiſſimum, Monumentis deſtitutus. Poſt aliqua iterum, quorum mentio ſupra jam facta eſt, tandem ſic finit hanc obſervationem Launojus. Nunc ſi convertamus oculos ad Decretum Gratiani, liquebit adhuc magis, pura puta eſſe commenta, quæ recenſentur ibi. Deinde, ſi, quæ ibi recenſentur, aliqua niterentur veritate; Pipinus & Francorum proceres Zachariæ gratias egiſſent Sed nullas egerunt, acturi maximas, ſi tantum ab illo Beneficium accepiſſent. Denique, quæ Zacharias ibi dicitur feciſſe, non feciſſet ſine Synodo, quam res tanti ponderis exigebat. In Decreto Gratiani agitur de abdicando rege inutili, de alio in illius locum ſufficiendo, atque de Francigenis à juramento fidelitatis, quod præſtiterant, abſolvendis ; quæ tria à Pontifice Romano fieri poſſe, nec Divinæ legis authoritas, nec Eccleſiæ traditio, nec ullum præcedens Exemplum ſuadebat. Atqui celebrata non eſt tunc Romæ Synodus, qua jus hujuſmodi vel jam adſertum Pontifici, vel adſerendum comprobaretur. Zacharias conſueverat adfirmare, *Non aliud nobis convenit præ dicare, præter quod à Sanctis Patribus edocti ſumus.* Quin etiam ne una quidem extat Epiſtola, quam Zacharias & Epiſcopos & Francorum proceres ſcripſerit hac de re ; ex quo facile intelligitur, Pontificem conſultationibus & negotiis Francorum non aliter, quam per datum vocetenus conſilium interveniſſe. Dicet aliquis, Gratiani Decretum ex certa quadam Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi Epiſtola depromtum eſſe. Id quidem eſt verum, ſed quæ narrantur ibi, dum Gregorio ſubminiſtrata fuerunt ab iis, qui leges Hiſtoriæ neglexerunt ; atque ſic, ut Cypriani verbis utar, non tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam execrandi, qui fraudulenter obrepſerunt. Poſteriores quidam Authores Gregorio ab eo inducti ſunt in errorem, dum probando fecerunt ſuum, quod eſt in Decreto Gratiani, ad defecerunt ab eo, quod priores tradiderunt.

Ad-

Digitized by Google

Additio.

AUthoribus, quos circa hujus Hiſtoriæ examen Bellarmino Launojus oppoſuit è divite penu, lubet nunc in gratiam curioſi lectoris addere recentiſſimum rerum Francicarum Scriptorem, *Joannem de Buſſicis*, qui totum hoc negotium, de quo hactenus varie diſcurſum, ſtylo ſatis florido ſic exponit: Pipinus inſpectabat ſe florentem ætate, prolè felicem atque ſubnixum, in ore omnium eſſe ac amore, vectigalia regni dignitates, arces & milites ceu corporis nervos, vel automati cujuſdam machinas, ad nutus ſuos verti & agi, ſe tandem regni præter unum nomen eſſe compotem; contra Childericum non modo omni ope, ſed ſuo ipſius animo deſtitutum, adeo eſſe regio indignum titulo, ut ne ad hominem adcederet quidem. Umbram & inanem largam adſpiciebat, ſi pelleretur vel digito, ruiturum in præceps. Jam Proceres, tum qui Sacra regerent, tum qui profana, ab Avo & Patre dignitatibus & beneficiis avitos, & ab ipſo ſe cumulatos unum id cupere, ut nomen Regium & poteſtas penes eum eſſet, qui augeret beneficia, non everteret, nec novis clientibus ſe traderet: eo maximè, quod Martelli induſtria nemo è tot Proceribus eminebat, qui Pipino contenderet Regnum vel invideret. Iis perſpectis, cum ad modos perficiendæ rei ſe vertebat, nihil non promtum & facile deprehendebat, videlicet, evocandum nobilium cœtum, ſeligendos, qui ſibi plurimum addicerentur, proponendam rem, effectum haud dubiè ſecuturum. Quæ videbantur duæ res impedimento fore, amoveri eaſdem poſſe, nempe Francorum in Reges venerationem, atque in Clodovei poſteros ſtudium. Jam ignavia Regem contemtum vertiſſe, religionem præterea & ſanctæ fidei jusjurandum authoritate Pontificis ſolvi poſſe vel ſcindi. Ideo rem adgreditur, multos benefactis, plures pollicitis, omnes comitate devincit, amicos veteres ſpe nova excitat, novos veterum æmulatione incendit, nec pecuniæ paruit, nec ſtudio, ut in Aula & in Provinciis habeat addictos, qui pollerent authoritate. Jam paſſim à familiaribus cœpto ſermone primum in aulicos, mox in vulgus emanaverat, præpudioſam gloriæ Francorum tot Regum ſocordiam eſſe; abjiciendos, qui nec ſibi, nec aliis boni eſſent, eum verò cogitandum, cujus virtutes tam amplo nomini adæquarentur. Verùm non longe arceſſendum, in promtu eſſe Principem Pipinum. Et vero Pipinus parvo in corpore magnas animi dotes obtinebat. Nam ſtatura quidem puſillus, quaternos ſupra dimidium pedes vix implebat, unde brevis illi aut parvi cognomen; at animus in arcta ciſta ampliſſimus, uni Imperio conditus, adeo non capiebatur corpuſculi modo, ut nec Franciæ terminis, qua patebat late, conſcriberetur. Adcedebat mira comitas morum atque facilitas, ingenii atque conſilii incredibilis quædam magnitudo, probitas mentis præter ambitionem à vitiis remotæ, magna liberalitatis & benefaciendi cupiditas, rei militaris peritia cum felicitate, verum etiam ſupra corporis modum robur eximium, religionis ſacrarumque rerum amor & ſtudium; ut jam videretur tot conceſſis dotibus regno præluſiſſe Deus. Ille igitur, ubi ſermones ejuſmodi gratos in vulgus (emanare) & excipi auribus amicis animadvertit, maturum ratus negotium, indicit publicum regni conventum, evocatis Præſulibus ac è Nobilitate præcipuis, quos maxime ſibi comperiſſet ſtudere, curatque in cœtu tentatis jam animis rem ſic proponi: *Turpe Francico eſſe nomini, tam diu tantum ab indigniſſimis omnium Regi Imperium, genti infamiam Regum atque ignominiam adſcribi, jam male apud exteros audire Francum, cui ignaviſſimus imperet. Sane, Francorum quem non pudeat, ſi novos Reges, imo Regum ſordes & quiſquilias cum Clodoveis Clotariiſque componat, ſi cum ignavia militarem audaciam, cum ſtoliditate ingenium, cum infortuniis felicitatem, amplitudinem animi cum abjectione, cum ignominia gloriam, triumphos contendat cum ſeveritate & lacebris? Deberi quidem Regibus reverentiam, quamcum lacte Francus exſugeret, ſed veris patribuſ-*

ribuſque tanto faſtigio, non ſpuriis & à ſtirpe avita deficientibus. An crederent in una corpora tantam adhiberi venerationem, nunc animos potius & animorum dotes eximias reverentiam in Patribus ſummam peperiſſe? Quaſi Clodoveum culta Cæſaries, aut conformatio frontis & narium, non quædam animi vis admirabilis, non Fortitudo, non Pietas venerabilem poſteris Regem effeciſſent. Sane, ſi is, ſi Clotarius, ſi Gunharus iis fuiſſent moribus, quibus nunc vitam ageret Childericus, quid aliud præter contemptum & odium fuiſſent adſecuti? Enimvero, dignum Rege negotium, tota die barbam & crines pectere, nocte Veterno ſternere & otio pinguem anno toto glirium inſtar delitere in rure, & mortalium fugere conſpectum, non arma tractare, non rebus intereſſe civilibus, Francorum victorias ne auditu quidem accipere, & ſuo in regno exterrem agere. An non præſtaret, cum dici Regem, qui foret revera, larvamque tandem amoveri inanem? Nam Pipino quid novi conferent Proceres, cum dixerint Regem? Non certe regiam poteſtatem, quam dudum impetravit à Maritis, non venerationem, quam Avo jam Franci exhibuerunt; non ab hoſtibus exteriſque gentibus metum ac terrorem, quem ipſe ſuis late circumtulit victoriis. Quid darent igitur, præter nomen & titulum, quem abdicaret à Childerico mendacium, atque adſereret Pipino veritas? Neque ſi haberetur ratio ſanguinis, Childerico prole deſtituto, alium eſſe propinquiorem Nec ducendum religioni, quod fidem juraſſent Childerico, quippe is primus ſe exauthoraret ignavia vita, & quod juraverat, ipſe non impleret, nimirum, tueri populos, regere & promovere, nec exigere mutuam poſſe fidem, quæ remiſſa novo vi a genere videretur. Ad ſummum, appellari poſſe Pontificem religionis ſacrarumque legum Antiſtitem, à quo venia juris jurandi conceſſa, ſolutoque Fidei vinculo, liberum Francis eſſet, quem cuperent, regno evoptare. In hanc ſententiam adſenſu omnium eſt itum, miſſique ad Zachariam Pontificem Legati, qui nomine Francorum ſolvi Sacramento ac jusjurandum remitti peterent. Hi Romam at venerunt, Pontifici eadem, quæ in conventu Francorum erant concluſa, ingerunt, virtutum & merita Martelli exaggerantes, dicendo, *Per eum ſtare rempublicam Chriſtianam, repulſam ex Europa luem Mauricam, poſitoſque graſſanti flammæ jam ad ipſam adſpiranti Italiam terminos (& Pipino præter gloriam paternam ſuas etiam laudes eſſe ſummas, quippe penes eum eſſe regni neruos & ſanguinem, quodque majus eſt, amorem Francorum, videlicet eam optari ab omnibus, jamque in ſingulorum animis Regem eſſe. Et quidem Childerico, ſi redigeretur in ordinem, non fieri injuriam, qui nec authoritate, nec opibus, nec Francorum, nec ſuo ſenſu Rex foret, qui ſine liberis jam truncus ſterilis exareſceret, DEO illam propudioſam ſocordiam abdicante.* Addebant, quod pereſficacis erat momenti, *Pontificibus Romanis tutelam & aſylum oportere parari, eos hinc inde ab Imperatore Conſtantinopolitano & Rege Longobardorum tam furioſe, quam cupide peti. Non ignorare Zachariam, quo furore, quave inſania in ſacra ſacroſque homines ſæviret Conſtantinus; callere, qua ambitione, qua cupidita'e inflammaretur Aiſtulphus. Hi duo ſi conjunctas vires in Pontificem Romanum vertant, quis portus ſalutis, quæ foret ſtatio? Sane non aliam illucere ſpem, quam Pipinum, qui beneficium à Sede Romana collatum rependat cum fœnore, impendatque Regiam dignitatem & potentiam, ad Eccleſiæ non modo ſalutem, ſed libertatem quoque, amplitudinem & incrementum.* Iis Zacharias perſuaſus in Legatorum adſenſit votum, atque poſt liberatos Sacramento Francos Bonifacio Viro ſanctiſſimo, Antiſtiti Moguntinenſi munus demandavit ungendi in Regem Pipini, quem ipſi jam ſuis Franci delegiſſent ſuffragiis, perfectaque unctio ſeſſione, magna omnium ordinum celebritate à Bonifacio, moxque Pipinus Rex Francorum dictus, & more gentis clypeo circumlatus ſolioque impoſitus eſt. Ultimus ſupererat ad claudendam nobilem ſcenam actus, videlicet, exauthoratio Childerici, qui à Villa ruſtica, in qua degebat, ductus in Cœnobium, ſciſſa Cæſarie, depoſitiſque veſtibus Monachum induit, nulla graviore, quam crinium jactura; nam regno, quod non obtinuerat, haud ſpoliabatur, & uxorem perdere, forſitan ſit in lucro. Ea ſimiliter in Monaſterio Virginum eſt clauſa, moxque ambo quaſi ſepulti è memoria omnium expuncti ſunt, tragico plane caſu, niſi miſerationem reſtinxiſſet

Digitized by Google

ſet contentus. Quippe, dum hæc agerentur, nec Romæ, nec in Francia repertus eſt unus, qui Regis miſeri cauſam ſuſciperet, aut vel levem rei moram injiceret. Adeo nullum eſt ſupra calamitates faſtigium. Imo, tantum regni converſionem nullus tumultus, nulla turbatio excepit, omnibus novo Regi plaudentibus, nemine in tot Nobilibus vel volente, vel auſo ſibi partem regni adiſcere, in præmium patientiæ. Scilicet unius DEI regnum eſt æternum, cætera vero caduca, quæ largitur ipſe eripitque, cum lubet. *Ita Aſſoricus recentior*, non pauca exhibens, quæ ad præſens Inſtitutum poſſint inſervire, quamvis etiam non plane nulla inſeruerit, de quibus poſſet in utramque partem diſputari, niſi potiora recenſionis capita ad Launoji ſententiam eſſent conformia, ita ut contra Bellarmini mentem poſſint militare.

Bellarminus, *ibid. c.* 21.

Circa idem argumentum adhuc occupatus, ac porro Pontificis Romani regimen in Eccleſia Monarchicum confirmaturus, inter alia etiam ex jure Adpellationis, de quo ſupra jam occaſione depoſitionis Chryſoſtomianæ ad Pontificem Romanum Provocationis ex aliqua parte dictum eſt, adducit quoque exemplum Marcionis hæretici, utpote qui à ſuo excommunicatus Epiſcopo Romam, Pio hujus nominis primo Pontifice, venerit, ut ab Eccleſia Romana abſolveretur, referente Epiphanio.

Launojus *Tom.* I. *Epiſt.* 8.

HOc exemplum cenſuræ ſubjecturus, adducit primo ipſa Epiphanii verba, factum Marcionis, cujus cauſa fuerat excommunicatus, ac iter ejus Romam, uti & quomodo Romæ fuerit exceptus, prolixe deſcribentis. Deinde ex integro Epiphanii textu hæc utpote notatu digniſſima repetiit; *Eo, Romam videlicet, ſtatim ac pervenit Marcion, Seniore adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti ſupererant, ut in Communionem admitteretur, fruſtra ab iis petiit.* Hinc ita concludit: Igitur, qui excommunicato Marcioni communionem denegarunt, cum ab Apoſtolorum diſcipulis fuerint edocti, hos de familiaribus Apoſtolorum Inſtitutionibus & Præceptis edoctos fuiſſe neceſſum eſt, alioqui nunquam ſic abſciſſe dixiſſent Marcioni: *Nos injuſſu venerandi Patris tui facere illud*, quod petis, *non poſſumus, nec contra ſpectatiſſimum Patrem tuum quidquam moliri.* Res erat, in qua Romani Pontificis ſanciebatur authoritas. Hanc autem diſcipulos Apoſtolorum, & eos, qui ab his eruditi fuerant, neglexiſſe ſiccus ac prudens adſeverabit nemo. Sedes Romana, quæ ſua ſunt & Petri, ſummæ ſemper habuit curæ. Inventi ſunt illis temporibus, qui eam de augenda dignitate ſua non nihil adcuſarunt; qui de minuenda querelas inſtituerent, inventi non ſunt. Liberius in epiſtola ad Imperatorem Conſtantium religioſe pronuntiat: *Nunquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita, perfeci, ſecutus morem ordinemque Majorum; nihil addidi Epiſcopatui Urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum.* His adcedunt, quod Seniores ab Apoſtolorum diſcipulis edocti factam Marcioni reſponſionem ſcripturis confirment, dicentes, *Una ſiquidem eſt Fides & animarum una conſenſio.* Hoc ipſum Alexander, Epiſcopus Alexandriæ adſumit ſibi, ſcribens ad omnes Eccleſiæ Miniſtros: *Cum in ſacris Literis ſit unum corpus Eccleſiæ Catholicæ nobis traditum & præceptum, ut firmum Concordiæ ac Pacis vinculum teneamus, conſentaneum eſt, uti per literas colloquamur inter nos, alique alios mutuo de rebus, quæ apud ſingulos geruntur, certiores faciamus, quo, ſive unum ex membris patitur, ſive lætatur, nos inter nos vel patiamur unà, vel unà lætemur.* Socr. lib. 1. cap. 3. Hæc eſt Apoſtolicæ traditionis confirmatio, qua major dari poteſt, nec auguſtior.

Cum

Cum vero Pius & Clerus Romanus Marcioni reſpondent, ſe ſine Parentis Epiſcopi arbitrio communionem illi reſtituere non poſſe, una ſignificant, illam poſſe ſe reſtituere, ſi Parens Epiſcopus adſentiretur. Quocirca, ſi quando Romæ Marcioni reſtituta eſt Communio, Parente Epiſcopo conſentiente reſtituta eſt. Stat igitur vere Apoſtolica traditio, qua ne Romanus quidem Epiſcopus poteſt hominem ab alio Epiſcopo, privatum communione, ſine privantis Epiſcopi adſenſu communioni reſtituere. Poſtquam hoc obſervavit ex Epiphanio *Launojus*, tangit Bellarmini *ἀβελτίαν* ex loco ſupra adſcripto, addens: Si, quod ab Epiphanio narratur de Marcione, Bellarminus propriis uſurpaſſet oculis, ab adlegatione tali ſuperſediſſet; Epiphanii enim narratio Bellarmini conſilio nocere poteſt, non autem prodeſſe. Quia etiam, ſi bene conſideretur, quod apud Epiphanium Romana Marcioni reſpondet Eccleſia, id Bellarmini de Pontifice Romano Lemmata nonpauca funditus evertit. Et quia Bellarminus certum quoque Annum adpoſuit, quo factum hoc eſſe putavit, videlicet Annum Chriſti centeſimum quadrageſimum ſecundum, hunc quoque errorem ejus chonologicum notat, ſcribens: In Euſebii quidem Chronico, ubi Cletus in ordine Pontificum Romanorum non collocatur, Annus Chriſti centeſimus quadrageſimus ſecundus eſt Annus Hygini tertius, & Annus Chriſti centeſimus quadrageſimus quartus eſt Pii primus. In Annalibus autem Baronii Annus Chriſti centeſimus quinquageſimus octavus eſt Pii primus; tantum abeſt, ut Annus Chriſti centeſimus quadrageſimus ſecundus in ullos Pii Annos incidat. Denique, etiamſi Bellarminus Cletum & Anacletum in Serie Pontificum non retineret, uti retinet, atque ex duobus illis unum componeret, uti Veteres plerique fecerunt, nuſquam efficeret tamen, ut Annus Chriſti centeſimus quadrageſimus ſecundus alieni Anno Pii reſpondeat. His obſervatis prolixiſſime recenſet teſtimonia ex Epiſtola Concilii Antiocheni Synodica ad omnes ubique terrarum Epiſcopos & Presbyteros in cauſa Pauli Antiochiæ Epiſcopi ſcripta, Concilio Eliberitano, Arlatenſi, Nicæno, Sardicenſi, Epiſtolis Julii Pontificis primi, Liberii, Damaſi, Siricii, Innocentii itidem primi, Bonifacii & Cœleſtini, etiam utriuſque primi, ſexti tertii, Synodo Epheſinâ, Epiſtolis iterum Leonis & Gregorii, utriuſque primi hoc nomine & Magni, Martini & Nicolai, itidem utriuſque primi, Hadriani ſecundi, Johannis octavi, Fulberti inſuper Carnotenſis Epiſcopi, Johannis quoque Pontificis viceſimi, ſeu Benedicti hoc nomine noni, Gregorii ſeptimi, Leonis noni, Innocentii tertii, Eugenii quarti &c. quæ omnia eum in finem adductis eorum verbis Lectori Veritatis ſtudioſo commendavit, ut juxta præſcriptum Lemma oſtenderet, Eccleſiam Romanam Apoſtolica traditione ac proprio etiam Exemplo cæteras docuiſſe Eccleſias, ne quis ab Epiſcopo ex communicatus ab alio ſine excommunicantis conſenſu admittatur in Communionem, & hunc eſſe totius Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cardinem & nervum.

Immanuel à Schelſtrate *l. cit. p.* 148. *& ſeq.*

LAunoii Sententiam vi magna adgreditur, eam omni modo & Ratione everſurus, in antecceſſum atque in genere ex Andrea Duvallio, Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctore & Profeſſore Regio, ejuſque libro de Poteſtate Eccleſiaſtica obſervans, *Sede vacante, ut jure caveatur, nihil innovari debere, neque Decreta in Fide & Moribus fieri, nec alia quam plurima ſin i'iterperferri.* Idque ut ex antiqua Eccleſiæ praxi confirmetur, illuſtrius deſiderari non poſſe exiſtimat teſtimonium, quam illud ex reſponſo Cleri Romani ad Cyprianum in cauſa Lapſorum ita ſcribentis, *Poſt eceſſum Fabinii, nobiliſſimæ memoriæ viri, nondum eſt Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui iſta omnia moderetur, & eorum, qui ſunt lapſi, poſſet cum authoritate & conſilio habere rationem.* Applicando hæc ad præſens Inſtitutum ſubjungit Doctor Antver-

verpienſis : Poſt obitum Fabiani Papæ ante novi Pontificis dictionem nihil novi ſtatuendum adſumebat Clerus Romanus, quod non ſibi, ſed Pontifici ſupremam Authoritatem gubernandi Eccleſiam adjudicabat. Cui eidem principio innititur Reſponſio Seniorum data Marcioni apud Epiphanium. *Nimirum*, venit Marcion Romam poſt Papæ Hygini obitum, id eſt, Sede vacante, & communionem abſque Epiſcopi ſegregantis conſenſu fruſtra expetiit, quod Pius nondum in Hygini locum Pontifex eſſet electus, qui poſſet cum authoritate & conſilio rationem habere. Igitur rectè Launojus animadvertit, quod Marcion fruſtra Communionem petierit; ſed malè diſſimulat, Marcionem à Senioribus, non à Pontifice Romano id fruſtra petiiſſe. Quin imo tantum abeſt, Marcionis hiſtoriam Launojo favere, ut fundamentum ipſius deſtruat potius & evertat. Et poſtquam ad Lupi Lovanienſis conſenſum provocavit, ut demonſtret porro, Pontifici Romano competere authoritatem abſolvendi alterius Epiſcopi excommunicatos, provocat ad ipſum Marcionis factum, utpote, qui in re Eccleſiaſtica non adeo fuerit ignarus, ut ex Ponto confugeret Romam, communionis reſtitutionem à Sede Apoſtolica poſtulaturus, niſi Pontificem Eccleſiæ Romanæ potuiſſe eandem concedere cum Ponto & toto credidiſſet Mundo, ad dens, Marionem ab electis poſt obitum Hygini Pontificibus Romanis communionem obtinuiſſe, teſte *Tertulliano* inde Preſcriptionibus hæreticorum libro, cujus tamen Teſtimonium fruſtra objici jam monuit Launojus inter allios plures adducit verba Innocentii Pontificis hoc nomine primi, in prima ad Victricium Rothomagenſem Epiſtola ſic ſcribentis, *Juxta Nicenum*, videlicet Concilium, *abjectum ab altero Clericum altera non recipiat Eccleſia*, nihil aliud habet Doctor Antverpienſis, quod objiciat, quam exemplum Chryſoſtomi, quem à Theophilo depoſitum & Communione privatum Innocentius admiſerit. Quia inſuper Launojus iterum poſt alios plures teſtem quoque ſiſtit Gregorium Pontificem hujus nominis ſeptimum, ad canones Conciliorum, qui alterius Epiſcopi excommunicatum vetant recipi, remittentem, hac exceptione ſe evadere putat, dum dicit, id non veritum eſſe Romano etiam Epiſcopo, quem peculiari gaudere exiſtimat Privilegio, Cardinalis quoque Perronii authoritate uſus, canones Conciliorum hac de re tractantes ſic interpretatione ſua limitantis : *Quod nullus Epiſcoporum, videlicet, non ſuperior poſſet in ſuam Communionem illos recipere, qui erant excommunicati per proprios*, hac cum addita obſervatione, Virum in omni Antiquitate verſatiſſimum ſciviſſet, Pontificem Romanum tanquam ſuperiorem alterius Epiſcopi excommunicatos recipere conſuetum, ut merito hoc caſu locum habeat illud Paſchalis ſecundi ad Epiſcopum Panormitanum ſcribentis, *In Conciliorum Statutis patenter excipi Romani Pontificis authoritatem*, ubi ſimul prætermittere non potuit Launoji ad hæc verba Monitum, Qui hoc inſuſurrarint Paſcheli, oppido fuiſſe falſos, quam vero Gloſſam Doctore privato indignam eſſe ſcribit, quaſi nimirum Pontifex ab aliis ſe tam enormiter decipi fuiſſet paſſus.

Vindiciæ pro Sententia Launoji.

MAgno ad eas non opus eſt adparatu, cum facili opera patere poſſint Lectori, quem nondum omne deſtituit Judicium, ſi, quid Launojus in Bellarmino reprehendendum propoſuit, ex debito expendatur. Videlicet, Bellarminum ipſo indefenſum relinquit ſilentio Doctor Antverpienſis, cujus tamen tractandi methodum ante omnia debuit attendere, ejus Antagoniſtam cenſuræ ſubjecturus. Certe, quod ex *Duvallio* de Sede vacante protulit, huc plane non ſpectant, cum Bellarminus expreſſe hanc Marcionis provocationem Romanam ſcribat fuiſſe factam ſub Pio hujus nomini Pontifice primo, addens inſuper Annum, quo ea ſit facta, cujus rei gratia ex collatione Euſebii & Baronii *Launojus* Bellarminum contradictionis Hiſtorico-chronologicæ facit reum,

quo ipſomet hanc exceptionem oſtendit nullam, ad quævis alia Reſpiciens. Atque ſic etiam referri non poteſt hic, quod ex Cleri Romanenſis ad Cyprianum Epiſtola adduxit, præterquam, quod illud teſtimonium de alio plane agit caſu, videlicet de pœnitentia lapſorum vel potius relapſorum, prudenter monentibus Presbyteris atque Diaconis Romæ poſt exceſſum Fabiani Pontificis viventibus, ſe cauſam iſtorum Sede adhuc vacante non ſuſcipere, verum illus diſcuſſionem ad tempus conſtituendi proxime Pontificis differre, ut omnia ordine fiant atque decenter, quamvis ſimul non intermittentibus in genere, quid ſibi videntur hac de re, expreſſiori penna ſignificare, verbis proxime ſequentibus ea, quibus Doctor Antverpienſis ſuam contra Launojum firmare theſin, ſed fruſtra laboravit, ſic nimirum ſcribentibus : *Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & Tu ipſe tractaſti prius, videlicet, Eccleſiæ Pacem ſuſtinendum.* Notatu quoque digna ſunt verba, quæ Clerus hic Romanenſis ſub initium hujus ad Cyprianum Epiſtolæ conceperunt, ſingulari & inuſitata hodie Romanis modeſtia laudantes : *Pro tua Verecundia & induſtria ingenita Conſiliorum tuorum nos non tam Judices voluiſti, quam participes inveniri, ut in tuis rebus geſtis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, & conſiliorum tuorum cohæredes, quin & adfirmatores eſſe poſſimus; idem enim omnes crederemur operari, in quo deprehenderemur eadem omnes Cenſuræ & Diſciplinæ conſenſione ſociati.* Multa & inſignia hæc continent quæ prudens Lector contra Doctorem Antverpianum poterit obſervare, ne Romanum illud Supercilium, quod hodie cunctis prudentibus nauſeam parit atque faſtidium, tunc jam obtinuiſſe videatur. Et quia hos inter Presbyteros & Diaconos ſine dubio Cornelius quoque fuit, qui poſt modum Fabiano ſucceſſit in Epiſcopatu, quia nondum illo tempore Pontificatus ille ſummus, quem Roma hodie ſibi arrogat, fuit cognitus, forte non improbavit, quod idem Cyprianus non ita multo poſt in peculiari ad ipſum Epiſtola ſcripſit contra eos, *qui navigare auſi ſunt ad Petri Cathedam*, notanter monens, *ſtatutum eſſe ab omnibus, & æquum eſſe pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi crimen eſt admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio Gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem actus ſui Domino reddituros*, hoc multa cum obſervatione addito, *oportet utique eos, quibus præſumus, non circumcurſitare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſubdola & fallaci temeritate ſua collidere, ſed illic ſuam agere cauſam, ubi & accuſatores habere poſſit & teſtes ſui criminis.* Bellarminus libri hujus ſecundi de Rom. Pontif. c. 23. hoc illuſtre Teſtimonium Cypriani varie nititur obfuſcare, prætendens, eum non omnes omnino Adpellationes ſuſtuliſſe, idque putat colligi exinde, quia in proxime ſequenti poſt hanc ad Cornelium Epiſtola, ſecundum diviſionem antiquorum de Baſilide damnato, atque ad Arphanum Pontificem Romanum ſe conferente ageus ſic ſcripſit : *Non tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Gloſſam hanc ſubjungit Bellarminus : Si non licuiſſet Stephano ullas admittere Adpellationes, valde fuiſſet culpandus, quod hanc Adpellationem non rejeciſſet, etiamſi juſtam Baſilides habuiſſet cauſam. Cæterum, quando Cyprianus ſcribit *eſſe conſtitutum ab omnibus, ut illic audiatur cauſa, ubi crimen eſt admiſſum*, Reſpondet Bellarminus, hoc Decreto conſtitui, ut cauſa primum judicetur, ubi crimen eſt admiſſum, non tamen prohiberi, quo minus etiam ſecundo judicetur alibi. Addit porro, ſi hoc Decreto prohiberentur Adpellationes, non ſolum prohiberentur ad Pontificem Romanum, ſed etiam ad quemlibet alium Judicem; quam vero legem putat fore abſurdiſſimam & ridiculam, ſi omnem prohiberet adpellationem, cum nulla Reſpublica ſit tam inepta, in qua ejuſmodi lex fuerit tolerata, quæ à nullo Judice permitteret adpellari. Tandem, ubi Cyprianus in verbis proxime ſequentibus id etiam monet, *authoritatem Epiſcoporum in Africa non minorem eſſe*, exiſtimat Bellarminus, illud *Minoris* non referre comparationem ad Pontifices Romanos, ſed ad cauſam, de qua tunc agebatur, ac eſſe Senſum, Epiſcopos Africæ non minoris fuiſſe Authoritatis, quam ſufficeret ad cauſam judicandam. Verum

&

Digitized by Google

& hæc non niſi ſunt folia ficûs, nuditatem Apoſtaſiæ Romanenſis ab antiqua ſimplicitate non ſufficienter, imo, plane non tegentia, ipſomet Bellarmino non obſcure id agnoſcente. Quem namque in finem protulit verba ex Epiſtola ſequenti, quam ut luculenter oſtendat, Cyprianum omnino erroris & culpæ reum ſtitiſſe Pontificem Stephanum, quod à Baſilide jam damnato ſibi fraudulenter obrepi paſſus eſt, quod particulæ *tam* & *quam* evincunt, & antecedentia Cypriani verba planè confirmant, ſcribentis, *quod Baſilides poſt crimina ſua detecta & Conſcientiam propria etiam confeſſione nudatam pergens Romam fefellerit Stephanum longe poſitum & geſtæ rei ac Veritatis ignarum.* Videat hic Bellarminus, quomodo Pontificis Romani infallibilitatem defendat, qui ſibi imponi paſſus eſt ab homine, quem niſi audita parte altera, utpote peregrinum & alieni juris, omnino non debuit admittere, accuſatus ob id ipſum à Cypriano, quamvis leniter & verbis aliquanto temperatioribus, ne *Collegam*, uti vocat, ob errorem hunc juſto durius & vehementius contra fraternum amorem videatur excepiſſe. Quis vero licentiam dedit Bellarmino, ut, dum Cyprianus ad *Conſtitutum* univerſale provocavit, per quod Epiſcopi prohibentur jus aliorum in fratribus judicandis invadere, inter primum diſtinguat judicium & ſecundum, illud Epiſcopis in ſua Diœceſi, hoc etiam aliis extra eam adſcribens; cum, ſi Textum Cypriani, uti par eſt, ritè perpendamus, non poſſimus non agnoſcere, eum per *Conſtitutum* hoc excluſum velle omne aliud judicium, quod latam ſemel ab ordinariis Sententiam inſequitur, ideo videlicet adcuſans, quos *ad Petri Cathedram navigare auſos* ſcripſit, non accuſaturus, ſi ſecundum alibi judicium readſumere fuiſſet licitum, quod Bellarminus ſcire fundamento contendit? Abſurdus eſt præterea, dum aliis objicit abſurditatem, provocans ad morem rerum publicarum, in quibus tam inepta lex non, reperiatur, vi cujus à nullo judice liceat adpellare; quid id non eſt in Quæſtione, an planè nulla adpellatio ſit licita, verum, an à judice ordinario & competente ad alium & incompetentem, cui nullum jus eſt vel Superioritas in illum, liceat provocare, cum de cætero in rebus publicis benè conſtitutis ſint etiam Tribunalia, quæ vocantur Suprema, contra quorum authoritatem nulla datur vel conceditur exceptio. Atque hoc ipſum eſt, quod inprimis urgebat, Cyprianus contra harum adpellationum iniquitatem, *Epiſcoporum in Africa non minorem eſſe ſtatuens authoritatem*, quam alibi, Bellarmino hic etiam ad inanem pro more diſtinctiunculam confugiente, dum hanc comparationem putavit rem ipſam, de qua tunc agebatur, non vero perſonas reſpicere, de quibus & à quibus agebatur, ad quas tamen Cyprianus expreſſè retulit, hæc ſtatim verba ſubjungens: *Qui*, ſcilicet Epiſcopi in Africa, *jam de illis*, quos deſperatos in antecedentibus vocavit, qui ad Petri Cathedram navigare ſint auſi, *judicaverunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam Judicii ſui gravitate damnarunt. Jam*, ita ſcribit porro, *cauſa eorum cognita eſt, jam dicta de eis Sententia, nec Cenſuræ congruit Sacerdotum mobilis atque inconſtantis animi levitate reprehendi.* Talia hæc ſunt verba, quæ omnibus Bellarmini effugiis præcludunt viam, ac præſenti cauſæ ſufficiens ſupponunt fundamentum, ita ut neque Doctoris Antverpiani contra Launojum ex Cypriano obſervata hic poſſint ullum habere locum, ad quem nunc poſt brevem Digreſſiunculam eſt redeundum, ac porro notandum & vice iterata exprobrandum ei, quod Launojum caſtigare præſumſerit, ejus methodo diſputandi plane non aptenta, qua uſus eſt contra Bellarminum hic & alibi, quæ tamen omnino negligi non debuit. Nimirum Bellarminus, ut jus Appellationis ad Pontificem Romanum, atque per illud regimen ejus Monarchicum novo quodam argumento confirmaret, provocavit ad Exemplum Marcionis, qui à ſuo damnatus Epiſcopo Romam venerit tempore Pii Pontificis hoc nomine primi, ut abſolutionem à Sede Romana impetraret, addito inſuper Anno, quod id factum ſit, nominato etiam Authore, qui hanc Adpellationis deſcribat cum circumſtantiis Hiſtoriam, videlicet *Epiphanio*. Launojus, Diſputator accuratiſſimus, ex Epiphanio prolixe deſcripſit ea, quæ ad hujus rei notitiam Lectori Veritatis ſtudioſo videbantur neceſſaria, à quibus

bus etiam Bellarmini argumentum nullitatis posset convincere, id inprimis observans, sive calculum ex antiquioribus Eusebii, sive ex recentioribus Baronii Chronologicum sequamur, Pium illo quidem Anno, quem Bellarminus adnotavit, nondum fuisse vel esse etiam potuisse Pontificem. Et nihilo tamen minus ad hominem disputans Launojus concessit Bellarmino, Pium fuisse illo tempore Pontificem, ut argumenti imbecillitatem eo magis ostenderet. Hinc Doctor Antverpiensis male Launojum dissimulasse scripsit, Marcionem à Senioribus, non à Pontifice Romano Communionem petiisse. Bellarmino id objicere debuit, non Launojo, nisi in gratiam Bellarmini quis velit dicere, tum Marcionis adventum Romanum illo quidem tempore adscripsisse, quo Pius erat Pontifex, sed non eo sensu, quasi Marcion immediate communionem ab ipso petierit Pontifice, sed ab Ecclesia, id est, ejus tum Senioribus, quod vero an ingenio Bellarmini sit adæquatum, atque id potuerit ad probandum inservire, quod Status Quæstionis postulavit, nom immerito dubitatur. Dum vero ad *Lupum* provocavit, Antagonistam Launoii Lovaniensem, Pontifici Romano authoritatem absolvendi alterius Episcopi excommunicatos ex hoc ipso Marcionis exemplo adscribentem, forsan id intermisisset, si posteriores, atque hinc etiam meliores *Lupi* cogitationes advertisset, quas Biennio post editas in Conciliorum & Pontificum Decreta Notas expressit in Scholiis ad Librum Tertulliani de Præscriptionibus hæreticorum, ex quo hæc authoritas videtur posse demonstrari, utpote cum circumstantiis narrante, Marcionem ab electis post Hyzinum Pontificibus obtinuisse Communionem. *Lupus* certe Relationem Tertulliani de receptione Marcionis Romana cum narratione Epiphanii, uti & cum eo, quod Hieronymus hac de re in ad Ctesiphontem Epistola commemorat, studiose & per circumstantias conferens, ingenue fatetur & agnoscit, ea quæ Hieronymus habet, *nec Tertulliano refragare, nec Epiphanio*, & dum horum quoque diversam de Marcione traditionem ex debito ponderat, *hærere se ac respitare, quodque certo dicat, non habere*, ut ab eo Doctor Antverpiensis ad Loxanicensem frustra provocaverit, omnino desertus ab eo, utpote suum hic suspendente judicium. Sit autem ita, loquatur Tertullianus de alio tempore, quo, quem Epiphanio referente antehac clerus Romanensis non recepit, Pontifices Romani postmodum receperint, & quidem, quæ circumstantia narrationis Tertullianæ non plane prætermitti debet, interventu certæ cujusdam summæ pecuniariæ. id nunc expendendum commendatur iis, qui Pontificiam authoritatem exinde conantur stabilire, annon potius Antecessorum veligiis laudabilibus fuisset insistendum, adeoque Marcionem cum pecunia ad Exemplum illud porro repudiandum, ac suo transmittendum Episcopo, quam ausu temerario jus aliorum invadere, ac respectu pecuniæ suam in Messem alienam immittere falcem, cum præsenti eorum præjudicio, à quibus antea justissimas ob causas fuerat excommnnicatus? Prodit autem Doctor hic Antverpiensis apertissime, causam se susœpisse suspectam valde, quæ vix posset commode defendi, dum ex numero Testium viginti & sex, quorum verba ad præsens Institutum pertinentia Launojus prolixissime adduxit, duos tantum eligere potuit, contra quos aliquid exciperet, cæteris omnibus manumissis, quia in promtuario, Eruditionis nihil reperit, quod contra posset objicere, quamvis ea quoque nihili sint habenda, quibus Binarium sibi studuit vindicare. Nam quod attinet priorem, videlicet *Innocentium* ad Canonem Synodi Nicenæ provocantem, ne abjectum ab altero Clericum recipiat Ecclesia, nihil invenit, quod reponat, quam Exemplum Chrysostomi à Theophilo depositi, sed ab Innocentio in Communionem recepti, quod vero quam nihil huc conducet, paulo ante evictum est prolixissime. Ad posteriorem vero, *Gregorium* hoc nomine septimum, itidem ad hunc & similes alios Canones remittentem, dum hos cæteris tantum Episcopis Legem putat fecisse, non item Romano, peculiari Privilegio gaudenti, usus authoritate Paschalis Secundi & Perronii, notandum, patere hunc Bellarmini Vindiciam id, quod dicitur esse principium, ac nondum à parte adversaria

Digitized by Google

versaria concedunt, & insuper negligere Canonem Logicorum *de omni & nullo* ab omnibus Artis Logicæ peritis hactenus receptum, ista ut omni major sit exceptione, atque sic, quæ Lex omnes in universum tangit, ab omnibus debeat observari, & quæ nulli peculiare aliquod largitur privilegium, id à nullo etiam ex suo sensu debeat fingi. testibus plane ad hoc negotium inidoneis, dum *Perronius* plura hinc inde scripserit, quorum causa censoriam à *Petro de Marca*, Archiepiscopo Parisiensi meruit virgulam, Paschalis vero secundus à Launojo aliqua ex parte fuerit excusatus, quod, quæ de exceptione Pontificis Romani scripsit, ei fuerit per aliquos *insusurratum*, illos videlicet Aulæ gnathones, qui à multo jam tempore vanis Eminentiarum Somniis & imaginationibus erant occupati. Manet igitur, quod Launojus sufficienter ostendit, Bellarminum ad demonstrandum jus Adpellationis frustra ad Exemplum Marcionis provocasse, ipsomet Epiphanio, quem adlegavit testem, contra ipsum ferente testimonium.

Bellarminus *l. eod. c.* 10.

IDem adhuc volvens Saxum, inter argumenta, quæ sibi ac Sententiæ, quam suscepit defendendam, de Monarchico Pontificis Romani Regimine in Ecclesia, quod eum imprimis etiam circa Adpellationes putat exercere, opposuit, atque ad ea pro viribus respondere laboravit, secundum esse voluit, quod desumtum est ex Epistola Damasi Pontificis ad Theophilum & Anicetum, quæ inter Epistolas Ambrosii ordine & numero est post septuagesimam nonam, sic scribentis : Cum hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus adcusatoribus Judices tribuerentur, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non potest. *Ad illud sic respondet, primo, Epistolam hanc non esse Damasi, & quamvis Ambrosio in operibus adscribatur, nec tamen ejus esse posse, cum in illa mentio fiat Ambrosii, tanquam alterius cujusdam, itaque incertum esse, cujus sit. Deinde, si Damasi sit, ut multi volunt, eum non dicere, se non posse judicare, sed non convenire, ut judicet, quod rectissime dictum sit. Etsi enim Pontifex sit summus Judex, tamen non convenire, ut, quando Concilium Provinciale aliquid statuit, ipsi sine causa aliter judicet.*

Launojus T. *l. Epist. 6. & 7.*

PRolixissime hoc Testimonium examinat, & quidem hac observatione, qua ostendit, non Lutheranos primum & solum hoc objecisse, sed ante & præter illos præcipue Jacobum Almainum, Theologum Parisiensem, in libro de Authoritate Ecclesiæ, cui respondent Thomas Cajetanus in Apologia libri de comparata Authoritate Papæ & Concilii, cujus responsi argumentum breviter exhibuit Bellarminus in parte altera, quod plenius ex mente & pennâ Cajetani sic habet : *Damasus in illis verbis non negat potentiam, sed formam judicandi competere sibi non posse, & hujus negationis causam reddit non impotentiam aut subjectionem suam, sed indecentiam. Hoc autem familiare est Principibus quin etiam si dixisset, se non posse judicare, verum dixisset, & à consuetudine Principum non recessisset, qui ea se negant posse facere, quæ indecenter facerent, si exaudirent. Constat autem, quod indecens est, determinationes Concilii etiam Provincialis solvere, quanto magis Concilii generalis, quorum Decreta Papam quoque in Foro Conscientiæ ligant non minus, quam propria, undè & secundum Sacros Canones ad Pontificem Romanum præcipue spectat servare Statuta Patrum. Et si eandem notaveris, authoritatem, contra arguentis facit, pro quanto insinuat tantam Excellentiam suam, quod eum quasi ex authoritate Synodi judicare non convenit.* Launojus hæc per partes Censuræ

ſuræ ſubjicit, in genere præmittens : Hæc eſt reſponſio hominis, qui difficultate rei impeditur. Hinc & argumentorum vim ſubterfugit, ac quæſitis hinc indè diverticulis non obſcure ſignificat, cauſam ſuam non in æquitate defenſionis poni, ſed in morâ & tergiverſatione latere. Eſt enim nonnunquam Veritas adeo illuſtris & perſpicua, ut nullis verborum præſtigiis obruî, nullis Dialecticorum captionibus implicari poſſit. Romanus Antiſtes hac in Epiſtola formam judicandi non modo dicit competere ſibi non poſſe, ut leviter dicere poterat, ſed illud etiam exaggeratis rationibus confirmat. Adcidit ſæpè, ut Magiſtratus Conſcientia ducti nolint Juriſdictionem ſibi ſumere contra leges, & diſceptationis alicujus Judices ſe non legitimos agnoſcant. Sed adcidit raro, ut argumenta ſollicite comparent, quibus id probetur. Itaque, cum Romanus Epiſcopus hoc in loco facit, quod factu, rariſſimum eſt, ac juſto ſinceroque dignum homine, teſtatur omnino, quia nec aliter, nec magis teſtari poteſt, ſi Almaino, non Cajetano ad ſentiendum protuliſſe facem. Jam perſpicuum eſt, opinor, Almainum Sedi Apoſtolicæ, cui Damaſus præfuit, concordare, Cajetanum diſcordare; quæ diſcordia eo major eſt ac periculoſior, quod antiquioribus Damaſo monumentis ſuſtentetur nullis. Quidquid enim eſt à Petro uſque ad Damaſum vetuſtatis Sacræ, non Cajetani, ſed Almaini eſt. Hoc premimus, hoc urgemus, in hoc habitamus, uſque quo oſtendatur, quod oſtendi non poſſe credimus. Sed placet ſingula Reſponſionis Cajetani effugia & membra diſpungere, ut Almaini & Sedis Apoſtolicæ Sententia accipiat firmamentum, fidem & authoritatem. Igitur Cajetani Reſponſionem in membra partiemur, ut hinc diſpungendarum rationum vitetur confuſio, inde uniuscujuſvis rationes diſputatio agnoſcatur facilius. *Primò* dicit Cajetanus, Damaſum in his verbis non negare potentiam, ſed formam indicandi competere ſibi non poſſe. At in ſcirpo nodum quærit. Non enim negat Damaſus indicandi potentiam, quia in alia, ut innuit, rerum & temporum conditione judicare poterat, ſed in hac rerum & temporum conditione negat actum potentiæ, quia negare ſe poſſe credebat, quod & pluribus argumentis confirmat. Hoc autem ſufficit Almaino, ut ex authoritate Damaſi conficiat, Synodi Capuanæ quam Damaſi partes in Bonoſo judicando potiores fuiſſe; imo & illorum Antiſtitum, quibus à Synodo facultas indicat fuerat data. Iſta non loquuntur modo, ſed etiam perſonant, Synodum Capuanam Damaſo fuiſſe ſuperiorem. Res hypotheſi fiet adhuc clarior. Si, qui Præſules ſcripſerunt ad Damaſum, ſcripſiſſent ad Epiſcopum puta Capuanum, & ab eo ſciſcitati eſſent Sententiam, ut ſciſcitati ſunt à Damaſo, nonne Epiſcopus Capuanus reſpondiſſet adpoſite, ſi reſpondiſſet, quomodo reſpondit Damaſus ? Atque ſic reſpondens Epiſcopus Capuanus non negaret, judicandi poteſtatem ineſſe ſibi, quæ ex ſe Epiſcopis inſt omnibus, ſed negaret, in tali rerum, temporum & perſonarum conditione formam judicandi competere ſibi non poſſe, quia major illo & potentior Synodus indicandi Provinciam adſumſit, vel aliis demandavit. Hoc ipſum eſt, quod contendit Almainus, & verè contendit, ut Pontificem Romanum ſubjiciat Concilio, ſubjecturus æque Capuanum Antiſtitem, ſi par obcurriſſet occaſio diſputandi. *Secundò* dicit Cajetanus, Damaſum hujus negationis cauſam reddere non impotentiam aut ſubjectionem ſuam, ſed indecentiam. Launojus reponit, Cajetanum Damaſi verbis, quæ perſpicua ſunt, imponere, quæ ubi iterum adduxit, hæc ſubjungit : Quid ad intelligendum facilius, quid ad frangendum pertinacis hujus contentionis funem validius, quid ad removendas Sophiſtarum inſidias explicatius? Pontifex non præciſe quidem negat judicandi potentiam, ſed negat illius actum, qui authoritate majori cohibetur. Hoc autem perinde eſt, ac ſi potentiam negaret, cum alias potentia non, niſi propter actum concedatur. Hinc Philoſophiæ axioma eſt, Fruſtra eſſe potentiam, quæ non perducitur ad actum, quod in Juris quoque axioma tranſivit. Hoc in membro Cajetanus vincitur, Almainus vincit & Damaſus, pro quo hic dimicat. Nec mirum videri debet, ſi Cajetanus vincatur, quia pro Romana potius Curia

Digitized by Google

Curia, quam pro ſede pugnat Apoſtolica. *Tertio* dicit Cajetanus, quin etiam ſi dixiſſet Damaſus, ſe non poſſe judicare, verum dixiſſet. Launojus reponit, Damaſus omnino verum dicit, & quia verum dicit, incommodat Cajetano. & Almaino maxime ſuffragatur. Cur vero Cajetanus cum Almaino litigat, cur tergiverſatur, cur veritatem habere non patitur locum ſuum? ſcilicet ut altercando veritas amittatur. Sed hujus conceſſionis audienda eſt ratio. *Quarto* dicit Cajetanus, Damaſus à conſuetudine Principum non receſſiſſet, qui ea ſe negant poſſe facere, quæ indecenter facerent, ſi exaudirent. Quodnam genus effugii hoc eſt, reponit Launojus, ubinam Principes chriſtiani id fecerunt ante Damaſum, quod eos feciſſe pronuntiat Cajetanus? Hoc, qua facilitate dicitur, eadem & negatur. Deinde, ſi Principes negant, ſe poſſe facere, quod indecenter facerent, quonam pacto veniemus in cognitionem eorum, quæ re ipſa non poſſunt facere, niſi forſitan Cajetanus velit, nihil omnino eſſe, quod Principes abſolute non poſſint facere? unuſquiſque huic diſtinctioni confiſus adfirmabit, Principes, cum negant, ſe poſſe aliquid facere, non ideo negare, quod ſimpliciter facere non poſſint, ſed quod indecenter facerent. Quæ autem rerum in negotiis confuſio & perturbatio hæc eſt? Si vero Cajetanus in ſe recipiat, ex ſubjecta materia diſcretum iri hæc omnia, tunc, quæ Damaſus negat ſe poſſe facere, ponemus in eorum numero, quæ abſolutè non poteſt facere, & quibus, ut illud perſuadeat, rationum momentis utitur, confirmabimus. Tum demum, ſi talis eſſet Principum conſuetudo, qualem adſerit ille, quomodo Damaſum hanc conſuetudinem imitatum eſſe oſtenderet? nam hujus ſeculi Principes multa faciunt, quæ Pontifices facere non debent. Nonne Chriſtus dixit, *Reges Gentium dominantur, non erit ita inter vos*? Nonne Hieronymus, qui Damaſum in Conſultationibus ad Sedem Apoſtolicam mitti ſolitis per aliquot tempus adjuvit; in Epiſtola ad Oceanum ſcribit, *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præſcribit, præcipit*? Nonne Leo primus, Damaſi ætate ſuppar, in epiſtola ad Martianum docet, aliam eſſe rationem rerum ſecularium, aliam diuinarum, nec præter Petram, quam Dominus in Eccleſiæ fundamento poſuit, ſtabilem fore ullam conſtructionem? *Quinto* dicit Cajetanus, Conſtat; quod indecens ſit, Determinationes Concilii etiam Provincialis ſolvere, quanto magis autem generalis, quorum Decreta Papam quoque in foro Conſcientiæ ligant non minus, quam propria. At Cajetanus hoc in loco ſecum pugnat & adverſario favet. Et quidem primo non eſt indecens mortalium cuiquam, illo uti jure, quod à DEO ſibi conceſſum eſt. Nam ſi Pontifex Romanus ſuper omnia ſit Concilia & generalia & Provincialia, uti Cajetanus perperam exiſtimat, legibus eorum non tenetur. Si non tenetur, non eſt illi indecens, leges eorum ſolvere, ſi neglecta verborum proprietate loqui fas eſt. Apud literatos enim homines legem ſolvit, qui legem ſervare tenetur; non ſolvit proprie, qui eidem non eſt obnoxius. Sic ergo Cajetanus ſeipſum illaqueat, & Andabatarum more in tenebris gladium ventilat. Deinde, ſi Provincialis Concilii Decreta Pontificem Romanum ligant in foro Conſcientiæ, Provinciale Concilium Pontifice Romano ſuperius eſt; & niſi ſuperius eſſet, eum non ligaret, uti loquitur Cajetanus. Qui autem ligatur in foro Conſcientiæ, eo eſt inferior, à quo ligatur, & continuo ſubjectus eſt pœnæ, quæ ab eo, qui ligat, imponitur. Tum, ſi Concilium provinciale Pontificum Romanum ligat in foro Conſcientiæ, generale multo magis ligabit; & ſi multo magis ligat, uti non poteſt non ligare, multo magis erit illo ſuperius. Sic autem Pontifex Romanus ab utroque Concilio cogetur in ordinem, ſi legis impoſitæ prævaricator exiſtat. Cajetanus hic non habitat ſecum, Almaino plus tribuens, quàm exigere videtur. Prætereà comparatio hæc, *Provincialis & generalis Concilii Decreta Papam in foro Conſcientiæ ligant non minus quam propria*, difficilis eſt intellectu. Nam Author ſibi ſumit, ut adparet, provinciale & generale Concilium edere ſeorſum à Pontifice Romano Decreta, quæ eum ligent in foro Conſcientiæ. Hoc autem in ſententia Cajetani intellectu eſt difficile, quia paulo poſtquam Concilium, quod ſine Romano Pontifice celebratur,

voca-

vocavit acephalum, ei tamen vim tribuit ferendæ legis, quæ eum liget in foro Conſcientiæ. Hinc, ſi Pontifex Romanus ſeorſum à Concilio ſanciat Decreta, quibus ligetur in foro Conſcientiæ, tunc erit ſibimet ſuperior & inferior. Superior quidem, cum ſuis ſemetipſum Decretis liget; inferior autem, cum ſuis ipſe Decretis ligetur. In ſuperiori major, quàm inferiori poteſtas attenditur, & tamen ſuperior idem eſt, qui inferior, rebus in eodem ſtatu ſemper manentibus. Cajetanus iſta capit facile, ego autem, inquit Launojus, difficile, & forte mecum plures alii. Sed facile capio, nimirum, provinciale Concilium, cui Papa intereſt, atque præſidet, ſuis Decretis Papam ligare in foro Conſcientiæ, quia id rationi congruit, & factum reperio in Synodo Romana, quam Symmachus de Bonis Eccleſiæ non alienandis habuit. Tum confirmatur ex Epiſtola, quam Agapetus hac de re ſcripſit ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, uti & ex Præfatione Concilii Romani ſeculo nono habiti, quam Leo quartus præpoſuit. In ſumma Pontifex Romanus in Fidei Tridentinæ formula non præponitur Eccleſiæ, ſed poſtponitur, uti & in Sacrorum Rituum codicibus, qui veterem ac ſanctam Sedis Apoſtolicæ traditionem retinent omni termino immobiliorem. Ex quibus aperte conſtat, Authorem Cajetanum veritate ſumma coactum Almaino ſuffragari, etiam cum vel minime velit. *Sexto*, dicit porro Cajetanus, ſecundum ſacras Canones ad Pontificem Romanum ſpectat præcipuè, Patrum ſervare ſtatuta. Launojus reponit, eum hic quoque verum dicere, & quia verum dicit, cauſam Almaini adjuvare, & ſuæ quamplurimum nocere, quod autem Cajetanus hic verum dicat, ipſos Pontifices Romanos tradere, videlicet Julium primum in Epiſtola ad Orientales apud Athanaſium, Leonem primum in laudata ſuperius Epiſtola ad Imperatorem Martianum, & Gelaſium primum in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, ac ſententiam Cajetani confirmare, ex qua neceſſario ſequatur, Epiſcopos, qui non ſervant ſtatuta Patrum, peccare, & inter eos maximè Romanum, vel, ſi Romanus non peccat, dum ſtatuta Patrum non ſervat, cæteros multo minus peccare. Quia vero dici non poteſt, ſic infert porro Launojus, cæteros ad ſervanda Patrum ſtatuta non obligari & negligendo haud peccare, dici quoque non poteſt, Romanum ad ea neutiquam & negligendo haud peccare. At ſi omnes ad ea obligantur, Romanus obligatur potiſſimum, & ideo tam ille, quam alii ſubjiciunuur Patrum & Conciliorum ſtatutis. Cajetanus igitur in ſexto hoc membro ſententiam adverſarii ædificat, & ſuam funditus evertit. *Septimo* tandem dicit Cajetanus, ſi eandem notaveris authoritatem, contra arguentes facit, pro quanto tantam inſinuat excellentiam ſuam, quod eum quaſi ex Authoritate Synodi non convenit judicare. Hic Cajetanus mala fide agit, reſpondet Launojus, nervoſam enim Damaſi antitheſin diſſimulat, quia illius unam tantum partem refert, veritus, ne ſi referret alteram, & integra videretur antitheſis, hanc diſtorquere & fallaciter interpretari non poſſet. Damaſi verba hæc ſunt: ***Primum eſt, ut ii indicent, quibus judicandi facultas eſt data, vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quaſi ex Synodi authoritate non convenit judicare.*** Damaſus antitheſi hac Sermonem præcedentem, quo judicandi formam ſibi competere non poſſe dixerat, concludit, non vero deſtruit, uti revera deſtrueret, ſi Cajetanus audiretur. Cum enim Damaſus Synodi Capuenſis authoritatem ſua majorem eſſe ſignificat, Cajetanus contra Damaſum ſuam Synodo Capuenſi eſſe majorem ſignificare, contendit. Quid à Damaſi propoſito alienius & perverſius? Damaſus ſcribit, Vos ex Synodi Capuenſis authoritate decernitis, nimirum, quia ejus vicem impletis; nos vero quaſi ex ejus authoritate non convenit judicare, quia Synodi Capuenſis vicem non implemus, uti vos impletis. Quod autem Pontifices Romanos ex authoritate Synodi conveniat judicare, ipſimet Pontifices Romani docent, nominatim Felix tertius, qui ex Synodi Chalcedonenſis authoritate Acacium excommunicavit, ac Sedes Apoſtolica hoc ipſum ex eadem authoritate fecit, cum ſe hujus Synodi fecit executricem. Pontifices etiam cæteri, quæ ſtatuunt, ex Synodorum authoritate ſe ſtatuere profitentur. Jam perſpicuum eſſe opinor, contradi-

cen-

Digitized by Google

Miscellaneous Notes. Vol. I. 1. Page 1. Line 1. Read Ecclesiastical Polity. Page 2. Line 1. Read Ecclesiastical Polity. Page 3. Line 1. Read Ecclesiastical Polity. Page 4. Line 1. Read Ecclesiastical Polity. Page 5. Line 1. Read Ecclesiastical Polity. Page

ſcribit, rem eo eſſe in ſtatu, ut ſibi forma judicandi competere non poſſit. Simplex fuit & ingenua Siricii confeſſio, qua non Capuenſis modo Synodi, ſed etiam delegatorum ab eâ Judicum authoritas Romani Pontificis authoritate ſuperior exhibetur. *Quinta*, Siricius in hâc cauſâ ſe legitimum non eſſe Judicem probat, ac aperte ſignificat, Concilii poteſtatem quâlibet alia, etiam ſuâ, quæ Sedis eſt Apoſtolicæ, ſuperiorem exiſtere. Poſt obſervationem *ſextam & ſeptimam*, quæ non adeo multum ad rem pertinent præſentem, *octava* hæc eſt: Quamquam Siricius de facto Bonoſi nihil pronuntiat, ideo, quia illi forma pronuntiandi non competebat, nec competere poterat, uti fatetur ingenue, refellit tamen in Epiſtolâ opinionem, quæ Bonoſo tribuebatur, ac eam Scripturis & Rationi contrariam eſſe oſtendit. Quod igitur Siricius ut Judex non potuit facere, fecit, ut Theologus privatus, ne Bonoſo tacitus favere videretur, atque ut aliunde Bonoſum merito reprehenſum fuiſſe demonſtraret. Synodus nimirum Capuenſis impediit, quo minus Pontifex decerneret; non autem impediit, quo minus doceret. Nona & ultima, Siricius in Poſtremâ Epiſtolæ clauſulâ ſignificat, ſe nihil definire, quod ad Eccleſiæ dogmata referatur, ſed expectare, quid Delegati à Synodo Capuanâ Judices ſint definituri, utpote ad quorum ſententiam Siricius & cæteri fidem ſuam ſint directuri. Id quoque *Launojus* inſuper obſervat, hanc Siricii Epiſtolam in citatâ ſuperius collectione Romanâ, ejuſque Inſcriptionem eo apparatu factam & reſtitutam eſſe, ut Epiſtola hæc noſtri temporis poſſit vocari, & quæ in eâdem erga Synodum Capuenſem diſciplina ſancitur, nunc quoque dierum eadem erga quamcunque Synodum aliam æqualem credatur ſancita, cum prodierit è Codicibus Vaticanis cum aliis pluribus monumentis, Alexandri Pontificis ſeptimi nuncupatione & auſpiciis, Franciſci Cardinalis Barberini Vice-Cancellarii commendatione magnâ, Raimundi Capiſuni Magiſtri Palatii approbatione, Romana impreſſione & præſcriptione munita contra Curiam, quæ vindicatas Sedis Apoſtolicæ traditiones cum per ignorantiam ſupprimit, apud pios & eruditos homines patefacit & prohibendo confirmat, quia gratis & inſuper habito B. Petri de Reddenda fidei ſuæ ratione mandato prohibet. Huic obſervationi addit *Launojus*, Chriſtophorum quoque Juſtellum, Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritum, & ſagaci præditum Ingenio, in Notis ad Canonum Eccleſiæ Africanæ Codicem, Anno MDCXV. editum, conjeciſſe, Siricium Epiſtolæ hujus authorem fuiſſe, ac Vaticanos Codices manuſcriptos hanc ejus conjecturam confirmaſſe; de Baronio ſubjungens, eum cenſuiſſe quidem, quod Epiſtola non ſit Ambroſii, etiamſi inter ejus opera extet, ſed, cujus eſſet, quærere ipſum neglexiſſe, ac noluiſſe diligentiam adhibere, quæ ſibi & Annalium ſuorum ſcopo vehementer incommodaret. Nimirum, quod *Launojus* notanter jam repetit, Siricius in Epiſtola hac ſua Eccleſiaſticorum Anualium loca ſexcenta, quibus Author Pontificem Romanum ſuper omnia ſtatuit Concilia, & Sacrorum Canonum derogatorem facit ampliſſimum, evertit funditus, & contra fatetur ultro, ac exquiſitiori Sermone adſeverat, ſe judicare Controverſiam non poſſe, cujus judicandæ provinciam Synodus Capuana Anyæo Theſſalonicenſi & aliis Macedoniæ dederat Epiſcopis, in hoc lemmate concludens antecedentia, & ſubſequentia præcludens, illinc antiquiorem omni memoria Diſciplinam Eccleſiæ adſerendo, hinc vero decurrendam per ætates poſteriores ita conſtringendo, ut, qui contra illam vel fecerit, defixos à primis Patribus terminos convincatur refixiſſe, novumque & de novitate damnandum ſemper erit, quidquid receptæ ante Siricium retro ad Apoſtolos verſus Diſciplinæ adverſabitur, niſi fortaſſis, quæ intervenit mutatio, in melius intervenerit, atque ædificandis in domo DEI populis plus inſervierit. His prolixa ſerie adjunxit parallela quædam teſtimonia, è Concilio Romæ temporibus Gratiani & Valentiniani Imperatorum habito, Epiſtola Julii Pontificis hoc nomine primi ad Orientales, Liberii ad Imperatorem Conſtantium, Innocentii itidem primi ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, Bonifacii primi ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum, Cœleſtini primi ad Epiſcopos Illyrici, Sixti tertii ad

Epiſ-

Digitized by Google

ſtianum tot Seculis non ſine præſenti multorum damno occupavit. *Poſterius*, quod Lupus objicit Launojo, eſt, quod hanc Synodum Capuenſem vult fuiſſe generalem, non particularem. Sed præterquam, quod ex defectu Actorum id probari non poteſt, nulluſque hactenus eorum, qui de Conciliis ſcripſerunt, eam inter generales Synodos retulit vel etiam referre potuit, cum omnes deſtituti fuerint ſufficientibus hanc in rem documentis, & pluribus fidiculis opus ſit, ſi illud ex Ambroſii ad Theophilum Epiſtola debeat exprimi, ſi etiam hoc concedatur, nondum tamen Launoii conſequentia vacillat, id minimum, quod Concilia attinet generalia, Pontificem iis obnexium eſſe, quia Siricius contra Synodi Capuenſis ſtatutum nihil, etiam rogatus ab aliis, auſus eſt ſuſcipere, prudenter ſtatuens, ſibi quoque ad ejus præſcriptum eſſe vivendum.

Digreſſio ex Hiſtoria Conciliorum generalium Edmundi Richerii ad Canones Concilii Sardicenſis de Adpellationibus contra eundem Bellarminum.

EGit de his Canonibus Bellarminus prolixiſſime adverſus Centuriatores Magdeburgicos præſertim libri hujus de Pontifice Romano ſecundi capite poſt viceſimum quinto, quod quia hic Launojus reliquit intactum, lubet ea huc adponere, quæ ante eum Doctor hic Sorbonicus, non in gratiam Centuriatorum, ſed Veritatis Hiſtoricæ eidem oppoſuit, omnino digniſſima notatu, & quidem eo magis, quia à tali Scriptore protecta, cujus calamum Conſcientia ſerenius informata direxit. Conſecravit vero integrum caput tertium Hiſtoriæ hujus Synodi & Vindiciis Canonem, quibus Aulæ Romanenſis Paraſiti utplurimum turpiter ſolent abuti. Poſtquam igitur de cauſa & ipſa indictione Synodi ex Actis illius temporis ſufficienter Lectorem informavit, iſta porro mentem ſuam de dictis Canonibus aperuit, His bene perpenſis facile eſt videre, Canones hos de Adpellationibus ad Pontificem Romanum, atque de facultate mittendi legatos à latere non eſſe abſolutos & œcumenicos, ſed tantum proviſorios, quo nimirum ſaluti & quieti orthodoxorum proviſeretur: ſiquidem nominatim de Julio, non autem de Sede Apoſtolica loquuntur: Aliud vero eſt Papa, aliud Sedes Apoſtolica, ut docent Canoniſtæ. Porro, quam maxime æquitati & Canonibus eſt conſentaneum, deferri Adpellationibus extra Provinciam, quando major pars Epiſcoporum Provinciæ eſt ſuſpecta; uti tunc major pars Orientalium ſuſpecta erat orthodoxis, & præſertim Athanaſio, qui acriter oppugnabat Arianiſmum. Certe, ſicut in Synodo Tridentina quædam ſunt dogmatica ad Fidem ſpectantia, quidem ab omnibus (Romano-) Catholicis recepta & adprobata ante, quam à Patribus Tridentinis ſtatuerentur; alia autem politica ad Diſciplinam conducentia Eccleſiaſticam, quæ de novo ſunt fixa, & teſte Navarro in libro de Conſtitutionibus à Germanis, Polonis, Gallis, aliiſque Catholicis non recipiuntur. Similiter duo rerum genera in Concilio Sardicenſi ſunt pertractata, alia quidem ad Fidem Nicenam ſpectantia, quæ ab omnibus ubique locorum & gentium Catholicis comprobantur, ob Synodi Nicenæ authoritatem & Veritatem Catholicam, quam adſerunt; alia verò ad Politiam & Diſciplinam Eccleſiaſticam, quo fuerunt tantum proviſoria, unde nunquam ab omnibus pro œcumenicis ſunt recepta. Ex quo ulterius facile eſt videre, quam ob cauſam Canones hi Sardicenſes non tantæ ſint authoritatis, quantæ Canones Niceni; atque cur Papa Zoſimus ſub authoritate Nicenorum voluerit Canones obtendere Sardicenſes. Procul dubio, ſi Concilium Sardicenſe habitum fuiſſet pro œcumenico, tempore Zoſimi nihil facilius erat explicatione & deciſione ejus controverſiæ, quam inter Patres Africanos excitavit Zoſimus Cum enim omnes Romano-Catholici teneant, regulas Synodorum generalium habendas eſſe Evangelii inſtar, ſatis erat Fauſtino Epiſcopo, Aſello & aliis Zoſimi Legatis

Digitized by Google

patum Epheſinum ex nonageſimo quinto & ſequenti canone Codicis Eccleſiæ Græcæ definitur; quo in Codice qui principium computandi fecerit à Synodo Nicena, ut apud antiquos ſemper conſuetum erat propter ejus authoritatem & excellentiam, atque ſeriem numerorum diſtinctionis Canonum ad canones Antiochenos uſque deduxerit, compertum habebit, decimum ſextum & ſeptimum Canonem Synodi Antiochenæ efficere regulam nonageſimam quintam & ſextam Codicis Eccleſiæ Græcæ, & conſequenter, tempore Synodi Chalcedonenſis ac Leonis M. Canones hos Sardicenſes nullo in numero habitos ab Eccleſia univerſali in hac Synodo tum congregata. Porro, corpus Canonicum Eccleſiæ Græcæ eundem ordinem & ſeriem conciliorum ſervat, quem Dionyſius Exiguus, idque daret ex Canone primo Synodi in Trullo habitæ. Quando autem ſcribit Exiguus, ſe Canones hos Sardicenſes non vidiſſe Græcos, probabile eſt, circa Seculum octavum factos fuiſſe Græcos, forte à Photio aut alio quopiam. Cæterum, quæ ratio Balſamonem titulo octavo in Nomocanonem Photii impulit, ut Donationem Conſtantini Epiſcopo Romano factam pro vera amplecteretur & defenderet, eadem quoque incentivo fuit ei, ut Concilium hoc Sardicenſe adprobaret pro œcumenico, & Græcum nobis exhiberet. Ut enim poſita hac donatione Balſamo infert, Epiſcopum Romanum magna ex parte à ſplendore & dignitate urbis, atque à largitione Imperatoris traxiſſe authoritatem ſuam; & continuo Imperatores ac Urbem Conſtantinopolim, quæ etiam ſedes erat Imperii, eandem Epiſcopo Conſtantinopolitano indulgere authoritatem potuiſſe. Similiter dato, quod Concilium hoc Sardicenſe ſit œcumenicum, & Epiſcopus Romanus habeat jus cognoſcendi de Appellationibus Epiſcoporum, infert Balſamo, hoc privilegium pariter militare in gratiam Epiſcopi & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ex quo fit, ut non multum fidei habendum ſit Græcis recentioribus hac in parte, utpote quos nihil non moliri compertum eſt, ut ſuum Patriarcham exæquent Romano. Certe Epiſtola Nicolai Papæ ad Photium (in diſtinctione poſt ſexageſimam quinta apud Gratianum) qui Epiſcopatum Conſtantinopolitanum invaſerat, clare docet, Græcos tum Canones hos Sardicenſes Græcæ non habuiſſe. Refertur quidem ea à Baronio quoque in tertio Annalium Tomo, eum in finem, ut probet authoritate Nicolai, Canones hos Sardicenſes Græcæ tum editos fuiſſe. Verum fallitur Baronius, quia Nicolaus non dicit adſerendo, Canones Græce ſcriptos eſſe, ſed eſſe credibile, ea, quæ in hac Synodo ſunt definita, è Patribus Græce & Latine edita fuiſſe; unde hæc ratio eſt conjecturalis, non firma atque indubitata adſertio Nicolai. Quanquam vero Nicolaus id adſeveraret, quod non facit, tamen ex eo non confirmaretur, niſi Authorum probatorum ſententia convinceret. Procul autem dubio, quæ idem Nicolaus in diſtinctione poſt decimam ſexta apud Gratianum narrat Clero Conſtantinopolitano, demonſtrant, Græcos nullo in pretio habuiſſe Canones hos Sardicenſes, quos puto Photium, cum texeret Nomocanonem ſuum, Græcos tandem feciſſe, ac primitus, cum haberetur Concilium Sardicenſe, Græce non editos, quoniam Epiſcopi Orientalis Eccleſiæ cum Occidentalibus minime Sardicam convenerunt. Equidem, ſi Græci, imo etiam ſi Latini Patres pro legitimis habuiſſent Canones hos, nihil erat cauſæ, cur in Synodo generali octava canon ederetur, quo Patres voluerunt Epiſcopos ſoli ſuorum Patriarcharum judicio reſervari, contra quam Nicenis & Africanis Canonibus ſtatutum eſt; qui canon ſuaſu legatorum Adriani Papæ hujus nominis ſecundi factus eſt, & plane abrogat Sardicenſes, quoniam per eum aliis Patriarchis tantum juris adcreſcit intuitu Epiſcoporum ſibi ſuffraganeorum, quam Romano Epiſcoporum ei ſubditorum reſpectu. Et, ſi Concilium hoc Sardicenſe fuiſſet œcumenicum, uti comminiſcuntur homines obnoxii, à nulla parte Eccleſiæ Catholicæ potuiſſet ignorari. At, non modo Patribus Africanis, verum etiam compilatoribus Canonum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, nec non Dionyſio Exiguo, item Gelaſio, Gregorio,

Leoni

Leoni Pontificibus Romanis atque aliis Patribus incognitum plane fuit pro generali Concilio. Igitur etiam non fuit tale, saltem quod effectum & eventum. His in genere præsuppositis adgreditur nunc Doctor Sorbonicus Examen rationum, quibus Author Præfationis Historiæ, quæ in Editione Conciliorum Romana huic Synodo prælucet, eam vult fuisse œcumenicam. Prima est, quia authoritate Julii Papæ est convocata, uti ex Socrate prætexit. Secunda, quia idem Julius eam confirmavit, teste Sotomanno. Tertia, quoniam una fuit Patrum Nicenorum & Sardicensium sententia, una mens, unusque Spiritus; ideoque eam putat à permultis nomine Synodi Nicenæ involvi & comprehendi, quemadmodum Urbs & propugnaculum una res censeri & nominari solet, hancque ob causam contendit Innocentium Pontificem hujus nominis primum in Epistola ad Victricium Rothomagensem Episcopum, & Zosimum in Synodo Carthaginensi sexta Canones Sardicensium adpellasse Nicenos. Quarta, quia eandem ob causam Gregorius M. Isidorus Hispalensis, Beda & alii, cum prima quatuor Concilia enumerant, Sardicense, quamvis revera generale, silentio tamen prætermiserunt, tanquam Niceno inclusum. Quinta, quia Justinianus Imperator in Confessione rectæ Fidei contra tria Capitula pro Synodo quinta generali, quæ in Tomo Conciliorum Editionis Romanæ secundo legitur, Synodum hanc Sardicensem vocat generalem. Sexta, quia Sedes Apostolica huic etiam Synodo hunc adscripsit honorem Distinctione apud Gratianum vicesima, ubi Leo quartus docet, per hujus Synodi Canones dissolvi oportere disceptationes Ecclesiæ. Septima, quia Gratus Carthaginensis Episcopus in Concilio Carthaginensi primo ac ejusdem Canone quinto docet ex Canone decimo & quinto Synodi hujus Sardicensis, neminem debere alterius plebis hominem usurpare sine ejus consensu, cui subjectus est. Octava, quia Nicolaus Papa hoc nomine primus in Epistola post quadragesimam secunda ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum authoritate Synodi hujus Sardicensis causam Rothadi Suessionensis Episcopi definivit. Nona, quia idem Nicolaus in Epistola quadam ad Clerum Constantinopolitanum testatur, Concilium hoc Sardicense ab omni Ecclesia receptum fuisse. Hæc, inquit Doctor Sorbonicus, sunt argumenta omnium validissima, quæ in Conciliis Romæ editis proponuntur a Authoritatem Concilio huic Sardicensi adscribendam. Verumtamen multo plus habent pompæ, quam roboris, ut depulsione singulorum innotescet. Et quidem *primum* fallit æquivocatione vocis, atque authoritatem pro consensu aut sanctione Julii Papæ venditat. Non inficior, Julium suasisse Imperatoribus, ut Concilium hoc Sardicense convocarent; sed ejus authoritate indictam pernego, quia proprie loquendo authoritas est penes eum, qui jus habet imperandi & cogendi. Num enim Episcopi Ariani qui tantopere Julio erant infensi, ejus mandato obtemperassent? Fabulæ! Equidem Socrates laudatus ab Authore Præfationis habet disertè, Synodum hanc Edicto Imperatorum, non Julii Pontificis coactam, ac ostendit clare, Constantem Occidentis Imperatorem fecisse pro hac Synodo edictum, & Constantium Orientis Imperatorem animo alacri & parato Fratris sui literis obtemperasse, de Julio autem ne verbum quidem. Hic cogor iterare, quod alias docetur, atque ex Ecclesiæ praxi confirmatur, nimirum, quando Imperator literis Concilium Patriarchis atque Metropolitanis indixit, hos in suo Patriarchatu & Episcopatu consuevisse Episcopos atque Sacerdotes sibi subditos, adque Synodum habendam idoneos deligere & convocare; hocque juris & nihil amplius Julium Pontificem juxta disciplinam temporum illorum habuisse scio. *Secundum* illudit pariter æquivocatione & ambiguitate vocis confirmare, nec Sotomenus rei hujus, quam Author Præfationis venditat, meminit, quem laudari ad Adversariis ad probandum, Julium confirmasse Concilium hoc Sardicense, mirum est. Supra namque fuit ostensum, tum Synodos proprie dici confirmatas, cum legibus atque Edictis Principum politicorum mittebantur in rem judicatam. Ac constat proinde, Concilium hoc Sardicense à Constante & Constantio Imperatoribus confirmatum, quando Athanasium, Paulum & alios

alios orthodoxos ſuis reſtituerunt Sedibus. Hoc autem potuiſſe à Julio effici, nemo eſt, qui audet dicere, niſi ſe omnibus riſui propinandum dare velit, quia Ariani nunquam Julio paruiſſent, ut modo dictum. Fructus certe præcipuus, qui ex hoc Concilio Sardicenſi redundavit in Eccleſiam, fuit Athanaſii atque aliorum orthodoxorum reſtitutio. Ad *tertium* dico, detur, quod Fides Nicena comprobata & explicata fuerit in Concilio hoc Sardicenſi, ob id non ſequitur, Nicenum & Sardicenſe unum atque idem efficere Concilium; hoc enim perinde eſt, ac ſi quis diceret, Synodum Conſtantienſem & Baſileenſem pro una & eadem haberi, quia Synodi Conſtantienſis Decreta de authoritate Concilii ſupra Papam confirmata & explicata ſunt in Synodo Baſileenſi. Certe adverſarii talem in nobis non ferrent ratiocinationem, & quamvis tolerarent, eſſet tamen omnino ridicula & puerilis; quoniam multa alia ſunt tractata in Concilio Sardicenſi & Baſileenſi, de quibus nulla legitur mentio in Synodo Nicenâ & Conſtantienſi. Profecto, Canonibus Nicenis adſeritur & declaratur jus commune; at Sardicenſibus magna ex parte illud abrogatur, propter neceſſitatem occurrendi factionibus Arianorum adverſus orthodoxos. Quare Patres hi Sardicenſes ſuos Canones proviſorios eſſe duntaxat atque in cauſa neceſſitatis extremæ locum habere voluerunt. Atque hic diſtinguendum eſt inter ea, quæ fiunt jure ordinario & extraordinario, ſicut dum Sacerdos alieni non ſubdito ſibi occurrit in articulo Mortis veriſimiliter exiſtenti, illumque rite abſolvit à peccato quocunque, etiam Papæ reſervato; tunc enim jus commune & ordinarium non habet locum, quia implacabilis & dura neceſſitas nullam agnoſcit legem. At, ubi res agebatur inter Catholicos, Canones hi Sardicenſes non ſervabantur, ſed Niceni tantum, & jus commune retinebatur, uti nos docent Geſta Patrum Africanorum in Synodo ſextâ Carthaginenſi adverſus Zoſimi Papæ Commonitorium, de quo alias. Quod verò attinet Epiſtolam Innocentii Pontificis, adſerit is quidem cauſam Clericorum tam ſuperioris, quàm inferioris ordinis definiri debere Synodis, ſcilicet, juxta Synodi Nicenæ Canonem quintum, idque congruit Epiſtolæ Patrum Africanorum ad Cœleſtinum, inſuper etiam ingerit, ſi cauſæ majores fuerint in medium devolutæ eas ad Sedem Apoſtolicam poſt Judicium Epiſcopale referendas eſſe, ſicuti Synodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit; ex his tamen verbis non poteſt colligi, Innocentium loqui de Synodo Nicenâ, ſed potius de Sardicenſi. Quamobrem Author Præfationis fruſtratur lectorem à diviſis ad conjuncta, dum perſuadere vult, Innocentium pro unâ eâdemque Synodum Nicenam & Sardicenſem habuiſſe. Et dato, quod ita ſe res haberet, hoc quidem nihil juris addiceret Concilio Sardicenſi, ut Canones ejus pro Nicenis aut œcumenicis capi deberent. Valde hinc miror, adverſarios potuiſſe in animum inducere, ut tam levibus uterentur argumentis; quia bonam perdunt cauſam, efficiuntque, ut in pluribus aliis fides eis ab hominibus judicio præditis minime habeantur. *Quartum* id pro certo aſſumit, quod adhuc eſt probandum. Nam ideo Gregorius, Beda, Iſidorus & alii in enumeratione Conciliorum generalium omiſerunt hoc Sardicenſe, quia compertum habebant, nunquam ib habitum fuiſſe pro œcumenico, & Canones in eo factos tantum eſſe proviſorios, atque in ſolo caſu neceſſitatis obtinere, quando videlicet jus commune non poteſt ſervari, uti ſupra fuit probatum. *Quintum* de Juſtiniano Imperatore dicit recte, illos, qui Symbolo Fidei Nicenæ adverſati ſunt, anathemate percuſſos fuiſſe in Concilio Sardicenſi univerſali; ſiquidem uti Synodus Tridentina, ſic etiam Sardicenſi ratione dogmaticorum, non vero politicorum eſt univerſalis, uti ſupra itidem fuit obſervatum, quandoquidem omnes Catholici propter Reverentiam & authoritatem Synodi Nicenæ recipiunt ea, quæ pro explicatione Fidei Nicenæ ſtatuta ſunt in Concilio Sardicenſi, Canones vero admittunt minime. Ad *Sextum* reſpondetur, Leonem quartum non adcenſere Concilium hoc Sardicenſe univerſalibus; & quanquam adcenſeret, hoc tamen eſſet teſtimonium Papæ in cauſâ propria, cui praxis Eccleſiæ univerſalis repugnat, uti liquet ex antedictis. Addo amplius, omnibus ratum

tum & constitutum esse debere, jus ordinarium Ecclesiæ regendæ Synodorum canonibus consecrari, extraordinarium vero sæpius Epistolis atque Rescriptis Pontificum Romanorum contineri, ac proinde videndum, utrum Responsa hujusmodi spectent ad jus ordinarium, an vero extraordinarium propter necessitatem aliquam occurrentem. Sæpius enim contigit, ut aliqui Pontifices Romani, quæ illis jure extraordinario & in casu necessitatis fuerunt permissa, voluerint ad jus ordinarium adtrahere, sicque suam Potentiam contra Canones & jus commune in oppressionem libertatis Ecclesiarum ampliare, quod tamen non licet. *In Septimo* Grati Carthaginensis Episcopi testimonium probat quidem, Concilium hoc Sardicense cognitum fuisse Ecclesiæ Africanæ, minime autem esse œcumenicum ratione Canonum, de quibus agitur; quanquam in eo distingui debeant duo genera Canonum, quorum alii ad jus extraordinarium, ut hi, pro quibus certant Scriptores Romani, alii ad ordinarium & commune sunt referendi, ut ille, de quo Gratus disputat. Qui autem jus commune tuentur, merito probantur ab omnibus, cum non uno, sed pluribus Conciliis fuerint ante definiti, cujus modi est, de quo jam mentio facta, neminem debere hominum alterius plebis usurpare sine ejus consensu, cui subjectus est, quod jam pridem in Synodo Nicenâ & Antiochenâ fuit decretum. *Octavum* desiderat interpretationem aliquanto ampliorem, quam ab Epistolis Hincmari, nec non à Flodoardi Historiâ Rhemensi licebit mutuari, videlicet, Rothadum post multas monitiones in criminibus notoriis obdurescentem, demum velut notorium dilapidatorem Bonorum Ecclesiæ, insignem Canonum violatorem, & Regiæ Dignitatis ac sui Metropolitani contemtorem, Synodo Provinciali exauthoratum fuisse, eumque ad Sedem Apostolicam juxta Canones hos Sardicenses adpellâsse, Nicolaum vero Papam Hincmaro eam ob causam graviter succensuisse, eique interdictionem à Sacris minatum, nisi Rothadum liberum mitteret Romam: Nicolaus inter alia præsertim Epistolâ post vicesimam octavâ & post quardagesimam secundâ causatur, judicia Episcoporum merito inter majora numerari negotia, ac propterea Sedi Apostolicæ reservari, ita ut absque sententia Pontificis Romani nequeant Episcopi ab aliis abdicari; quam in sententiam præter Canones hos Sardicenses in hâc suâ causâ aggerit multas Pontificum Romanorum constitutiones. Adcedebat, quod Episcopi in Gallia Favebant Rothado, atque Hincmaro erant intenti, eo, quod adduci non potuisset, ut illorum Sententiæ in gratiam Waldradæ pellicis Lotharii Regis subscriberet; quare Nicolaum contra Hincmarum exstimulabant. Nicolaus etiam crebris hâc de re literis Carolum quoque Calvum Franciæ Regem atque Hermintrudem Reginam ejus conjugem interpellabat. Cata autem hæc Mulier objecit Nicolao, nil mirum esse, quod in causâ Rothadi tantopere laboraret, eo, quod inde non detrimentum, sed augmentum Ecclesiæ Romanæ privilegiis generaretur. Profecto, hæc Ecclesiæ Romanæ privilegia tandem ex Juris communis atque aliarum Ecclesiarum ruina adcrevêrunt, uti recte docet Hincmarus in responsione ad literas Nicolai, qui pro causæ firmamento defigit primo Jus commune cum canonibus Synodi Nicenæ & Carthaginensis sextæ, Decretis item Innocentii & Gregorii M. quibus edicitur, controversias iis in locis, ubi oriuntur, esse definiendas. Secundo perhibet, quoties aliquod de Episcopis oritur dissidium, quod sacris Conciliorum canonibus nondum est definium, aut Synodo Provinciali facile & Canonice nequit decidi secundum jus commune, tum rationi quidem esse consentaneum, adire ocaculum Divinum, id est, sanctam Sedem Apostolicam, (nempe, si quæ sit, quæ sola ante alias jure hoc gaudeat nomine) sed in rebus liquidis, & jam pridem canonibus Conciliorum definitis illam consulere, esse actum agere, ac commune jus prævertere; quam ad rem facere scribit Præceptum DEI in Deuteronomii capite post decimum septimo, ubi imperat, non in rebus perspicuis & facilibus, sed ambiguis & difficilibus locum esse adeundum, quem ipse elegerit, uti & quæ habentur apud Gratianum in causa post vicesimam

quinta, ac ejus Quæſtione prima. Tertio, quod ſpectat Rothardi adpellationem, neget Hincmarus, æque Pontifici Romano incumbere ex officio, ne Metropolitano irregulariter & contra jus commune ab Epiſcopis ſibi ſuffraganeis deſpiciantur & contemnantur, quam ne inferiores Epiſcopi à ſuis Metropolitanis contra Canones damnentur & opprimantur, atque ſummum & præcipuum Privilegiorum Sedis Apoſtolicæ in eo potiſſimum verſari, *ut* authoritate ſua Sedis ſibi ſubjectæ privilegia ſecundum Canones & jus commune propugnet, terminos à Patribus poſitos non moveat, adpellationes non promiſcue admittat, ſed eatenus auxilium & opem ſuam implorantibus compartiatur, quatenus vigor & nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ id patitur. Quarto monet, id Pontifici Summo cavendum maximopere, ne exemplo ejus plures captent occaſionem labefactandi juris communis, adeo, ut inde oriatur corruptela, unde Medicina deberet promi. Quinto notat, videndum præterea, ne, quibus moderatio Cenſuræ Eccleſiaſticæ in Regionibus à Sede Apoſtolica remotis concredita eſt, cognoſcant, ex hujuſmodi Canonum & Juris communis relaxatione cujuſnam negligentia & culpa nervus & rigor diſciplinæ Apoſtolicæ ſolvatur, ac inde arripiant occaſionem tranſgrediendi terminos, quos poſuerunt Patres. Sexto, ſi verba iniquorum, ut Rothardi jure communi, Canonibus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ prævaleant, fore tandem, ut omnia Concilia Provincialia intermittantur, jus commune & omnis diſciplina extinguatur, atque adeo omnia conturbentur in Eccleſia, & nefarii, qui ſibi & lex & ſpes eſſe conſueverunt, regnent atque triumphent, dum tam longe quæritur ac expectatur remedium. Legi hic meretur Bernhardus libri de Conſideratione ad Eugenium tertii capite quarto & ſequentibus, ubi de adpellationibus ad Curiam Romanam diſſerit. Septimo, adverſus cenſurarum interminationes, opponit Hincmarus, raro & magna cum neceſſitate Pontifices id literis Apoſtolicis tentaſſe, neminique pœnam hanc irrogari poſſe, niſi propter inobedientiam & pertinacem contemtum adverſus Canones ſacros, quos quidem ait ſe accurate ſemper obſervaſſe, nec in contemtum Sedis Apoſtolicæ unquam aliquid egiſſe Hæc autem virtus & conſtantia Hincmari in tuendo jure communi ſicut cauſam præbuit Adriano Pontifici hujus nominis ſecundo in Synodo octava, ut curaret condi Canones, quibus magna ex parte juri communi & Canonibus Nicenis derogaretur; ita grandem ei invidiam conflavit erga Baronium, Binium, Spondanum, Andream du Vallium, & alios Baronii ſimias, qui eum paſſim atque certatim ſchiſmaticum & hoſtem infenſiſſimum ſedis Apoſtolicæ vocant, & alia de cauſa, quàm quod jus commune propugnaret eo tempore, quo fundamenta Monarchiæ abſolutæ jaciebantur à Nicolao. His autem conſiderate perpenſis redditur conſpicuum, nullum extitiſſe ſeculum uſque ad tempora Nicolai, in quo jus commune contra Canones hos Sardicenſes ab Epiſcopis in ſcientia Canonum verſatis non fuerit vindicatum. Quod ſi tandem poteſtas abſoluta ſupra jus commune invaluit, hoc ad quæſtionem & etiam facti, non vero ad ipſum jus pertinet. Atque vel hinc liquet, ſolummodo ſub Nicolao jus adpellandi ad ſedem Apoſtolicam ſecundum Canones hos Sardicenſes tranſiviſſe in jus ordinarium viâ facti; quia Hincmarus, quamdiu vixit, ſemper, quoad licuit, unitate ſervatâ jus commune propugnavit, *Novum* denique argumentum potius nocet, quàm favet adverſariis, quoniam ex Epiſtolâ Nicolai à Gratiano diſtinctioni poſt decimum ſextæ inſertâ colligitur, uti anteà etiam fuit notatum, Græcos nihili prorſus duxiſſe Canones hos Sardicenſes, & ſolummodo commendationem habere à Pontificibus Romanis, quia eorum potentiæ augendæ magno ſunt uſui. Baronius Tomo Annalium tertio & quinto omnem movet lapidem, ut ſe ex hujuſmodi nodis explicet, atque oſtendat Synodum hanc Sardicenſem fuiſſe Oecumenicam. Aliquando enim conjicit, Acta Synodi ſextæ Carthaginenſis integra non eſſe; aliquando dubitat, utrum ſex & triginta Patres Eccleſiæ Africanæ, quos Athanaſius in Apologiâ ſecundâ memorat interfuiſſe Concilio huic Sardicenſi, unà cum actis ejuſdem perierint naufragio, ita ut nomen & memoria Actorum eius in Africâ prorſus fue-

fuerint obliterata; aliàs differit, an Auguſtinus, qui Synodo Carthaginenſi ſextæ interfuit, in accuratam cognitionem Canonum Nicenorum venerit. Demum concludit, Canones Nicenos in toto Oriente vel combuſtos, vel corruptos ab Arianis eſſe, ſolamque Eccleſiam Romanam in Archivis Bibliothecæ Vaticanæ eos conſervâſſe intaminatos, atque Patres Africanos nunquam vertiſſe in dubium, quin Pontifex Romanus jure potuerit in appellationibus & cauſis Eccleſiaſticorum cognoſcere & ſtatuere, ſed tantum diſputaſſe, utrum id per Legatos à latere & invocationem Brachii ſecularis executioni mandare liceret. En, ſumma vaſtiſſimæ & inconditæ collectionis Baronii, quæ tota caret arte & judicio! Poſt hæc progreditur nunc Doctor Sorbonicus ad Bellarminum, qui libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt viceſimum quinto, quem Poſſevinus in apparatu, & Bimius in Notis ad Concilium Sardicenſe ſequuntur, quædam alia in ſpeciem validiora & ſubtiliora protuliſſe fuit viſus, quibus eidem adrogare niſus eſt authoritatem. *Primo* objicit, Patres hos Sardicenſes nihil novi conceſſiſſe Pontifici Romano, ſed tantum jus declaraſſe, idque teſtari illorum exempla, qui ante Nicenum & Sardicenſe Concilium omni ætate ad ſedem Romanam adpellarunt. Atqui hoc argumentum fallit à ſuppoſitione principii, ac ſi Papa abſolutus eſſet Monarcha, atque Felix, Fortunatus ac Baſilides, Epiſcopi Africæ adpellaſſent Romam, quod Patres Africani pernegant, hæc quæ *per fugam improba* nominant, non adpellationes, eo quod fierent contra jus commune inſtitutum à DEO; quandoquidem Athanaſius ſedis ſecundæ Epiſcopus in Synodo Antiochenâ ab Epiſcopis ſibi inferioribus per vim indictâque cauſa exauthoratus, ac teſtimonio Epiſcoporum Orientis orthodoxorum fultus merito ad Julium Papam primæ ſedis Epiſcopum, non per modum adpellationis adcurrit, ſed, ut Julius ei *præſidio & auxilio* eſſet ad Synodi convocationem, in quâ de integro tractaretur cauſa, ac Epiſcopi Ariani ad eam evocarentur in vim quinti Canonis Niceni, quo gravatis permittitur, ut de injuriâ ſibi illatâ in Synodo conquerantur. Hocque firmamento Julius Papa initio Epiſtolæ niti ſe, atque iniquum eſſe demonſtrat, monumenta actorum, ubi una duntaxat pars adfuerit, vim habere, ſeque omnia peregiſſe juxta Canones, quos Ariani habebant contemtui. Hercle, cum Eccleſia tota ſit unum corpus Sanctorum, communione per charitatem, Fidem & Spem coagmentatum, atque unus ſit Epiſcopatus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, uti ex Cypriano legitur apud Cyprianum Gratianum in cauſâ poſt viceſimam quartâ, ac ejus quæſtione prima, omnia quidem membra ſibi invicem compati & ampliori tenentur, partes autem maximè nobiliores, ut Sedes Romana, ad quam Athanaſius cum aliis Epiſcopis orthodoxis ſupra memoratis confugerat, veluti ad vindicem Canonum Eccleſiaſticorum. Huc pertinet Epiſtola Julii ad Orientales, quæ legitur in ſecundâ Athanaſii Apologia, atque Canonibus & Regimini Ariſtocratico congruit penitus, interque alia hoc continet notabile, Eccleſiam Alexandrinam ab ipſiſmet Apoſtolis fundatam eſſe unam ex illuſtrioribus, ac proinde Athanaſium non debuiſſe abſque ſententia Sedis primæ, nimirum Romanæ damnari. Atque hæc Epiſtola Julii convenit iis, quæ Sotomenus libri Hiſtoriarum tertii capite ſeptimo narrat, quaſi Julius quidquam extra Synodum ſtatuiſſet. Equidem in Tomo etiam primo Conciliorum Editionis Romanæ legitur quædam Julii Epiſtola ad Orientales increpatoria, quæ tamen diſciplinæ tum temporis uſitatæ adverſatur omnino, nec etiam congruit Epiſtolæ, quæ legitur in ſecunda Athanaſii apologia, ſtylus inſuper ac ratio ſcribendi à doctiſſimo Julii ſeculo diſſentit. *Secundo*, obtendit Bellarminus, Patres Africanos ex ignorantia deceptos, quippe qui in Epiſtola ad Cœleſtinum Pontificem bis repetant, in nullâ Patrum Synodo ſe inveniſſe Canones illos Joſimi commonitorio contentos; ex quo colligit, illos non habuiſſe Canones hos Sardicenſes, atque, non minorem eſſe Sardicenſis, quam Nicenæ Synodi authoritatem. Hoc argumentum duabus conſtat partibus. De priore, utrum Patres Africani cognitionem habuerint

Digitized By Google

Concilii hujus Sardicensis, proxime videbitur. Posterior, quod Concilium hoc tantæ sit authoritatis, quantæ Nicenum, mera est petitio principii, plus satis confutata in antecedentibus. *Tertio* contendit, non majorem esse errorem, citare Nicenam Synodum pro Sardicensi, quam Matthæum pro Johanne Evangelista, aut Jeremia & Zacharia locutus est; ita nec debuisse Pontifices summos adpellari falsarios, etiamsi Synodum Nicenam pro Sardicensi usurpassent, cùm eadem sit authoritas utriusque. Ad hoc respondetur; illud incommodum adferre, argumentum vero non solvere, uti loquuntur in scholis. Duro enim, quod Matthæus hic laverit Jeremiam pro Zacharia, non tamen inde maneret probatum, Canones hos Sardicenses pro Nicenis legitime substitui potuisse, posito etiam, quod Pontifex Romanus esset Ecclesiarum Monarcha absolutus; uti placet adversariis. Cæterum Maldonatus cum permultis aliis antiquis & recentioribus appositè docet, Matthæum absque ullius Prophetæ nomine scripsisse, debitis vero quempiam, cum illius Evangelium legeret, lapsu memoriæ ad oram libri scripsisse nomen Jeremiæ pro nomine Zachariæ, ac postea hoc Glossema in contextum quasi genuinum culpâ & ignorantia librariorum, qui Evangelia exscripserunt, irrepsisse. Profectò male feriatus erat Bellarminus, dum tempus suum leptologiis ejusmodi scribendis, quibus fucum facere voluit lectoribus, transmittebat. Hoc enim est, ut Scriptura ait, ambulare in circuitu & cavillari, non directè & fide bonâ respondere. Quod autem ait, Pontifices non debuisse falsarios adpellari, eò quòd Canones hos Sardicenses nominârint pro Nicenis, concedo libenter, scribit Doctor Sorbonicus, urgeoque, nihil esse hodie, quod propugnatores Monarchiæ absolutæ queat à peccato liberare hac in parte præter contentum communem Ecclesiarum, quæ tunc demum pallæ sunt jus commune in extraordinarium, & temperamentum Aristocraticum in regimen pure Monarchicum immutari; verum tamen nullam esse temporis præscriptionem, quæ possit Ecclesiam impedire, quo minus illud jus recuperet, atque in integrum restituat, & si qui voluerint esse impedimento, ut in Constantiensi & Basileensi Concilio factum est, graviter peccaturos, & tanquam justi regiminis Ecclesiæ violatores ac oppressores de hac re rationem Christo reddituros, si forsan ab hominibus cogi nequeant in ordinem. *Quarto* proponit conjecturas octo vel incommoda, quibus efficere molitur, Patres Nicenos multo plures, quàm viginti Canones, qui omnium manibus hodie volutantur, constituisse, ac proinde integros non esse. *Prima* ejus conjectura est, quod unum dicit fuisse ex præcipuis Canonibus Nicenis, ut Pascha die Dominico celebretur, uti patere putat ex Epistolâ Constantini apud Eusebium in tertio de vita ejus libro, item Epiphanio in Hæresi post sexagesimam nonâ, uti & Athanasio in epistolâ de Synodis Arimini & Seleuciæ. At Canon iste Paschalis non extat inter illos viginti Canones à Rufino citatos, ait Bellarminus. His autem conjecturis, inquit Doctor Sorbonicus, priusquam singillatim satis faciam, Lectorem volo monitum, ut attendat, quod si demus gratuito adversariis, Patres Nicenos sanciviſse plures quàm viginti Canones, nihil tamen inde lucrifacturos neque habituros Canones hos Sardicenses, quos Josinus Africanis Patribus obtrusit pro Nicenis; idque quanquam pro omni responsione satis esse posset, nihilo tamen minus singula in specie sunt depellenda. Primam igitur quod attinet conjecturam, Rufinus docet aperte; Patres Nicenos de observatione Paschæ Canonem antiquum Ecclesiis tradidisse, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, omnibusque rite dispositis Ecclesiarum pax & fides in Orientis atque Occidentis partibus una atque eadem servaretur. Quid igitur Bellarminus memorat, hunc Canonem non extare apud Rufinum? Verum, sicut Patres Tridentini, dum animadverterent, curam emendandi Breviarii rem esse difficiliorem & implicatiorem, quàm ut paucis diebus posset absolvi, nihil de ea privatim tractarunt, sed eam summo Pontifici curandam permiserunt; ita Patres Niceni, cum observarent, Canonem Paschalem ad normam motus Solis & Lunæ dirigi oportere, quo certe ratio Festorum mobilium indagaretur, cujus rei provinciam

Pa-

Digitized by Google

betur liber Ecclesiasticus & similes. Secundo, hunc librum nihil conducere ad ea roboranda, quæ veniunt in contentionem, id est, ad dogmata Fidei constituenda. Nihilo tamen minus observandum, authore eodem Hieronymo, quædam hagiographa pertinere ad Canonem Hebræorum, uti notat in Prologo galeato. (N B. confundi hic apocryphos & hagiopraphos) Tertiò, computari hunc librum inter Historias sacras. Quarto denique, Synodum Nicenam Scripturis sanctis eum adnumerare; quæ tamen verba non indicant, Canonem de illo factum, aut inter Canones Nicenos inclusum. Certe, si de illo Canon editus esset, numquam dixisset Hieronymus, minus idoneum esse illum ad ea roboranda, quæ veniunt in contentionem; sic enim habuisset authoritatem à Synodo Nicena. Equidem hæc loquendi formula apud Hieronymum, Synodus Nicena in numero Scripturarum sanctarum legitur hunc librum computasse, non de Canonibus Nicenis, sed de actis & suasionibus, neque de libris Scripturæ canonicis, sed tantum de hagiographis (vel apocryphis) debent intelligi. aynodus namque Laodicea, quæ aliquot annis secuta est Nicenam, dirimit hanc controversiam canone ultimo, uti libros Scripturæ canonicos enumerat, omisso hujus Judithæ libro. Atqui hæc Synodus, ut modo dictum, consensu omnium authorum, uno tantum Baronio excepto, celebratum fuit post Nicenam, & Canoni Ecclesiæ universalis, quo Patres quoque Chalcedonenses sunt usi, ejusve actioni undecimæ fuit insertum, idque confirmatur apud Gratianum distinctione vicesima. In codice quidem canonum Dionysii exigui, quo Canones Laodiceni enumerantur, hanc regulam Laodiceam de libris Scripturæ canonicis prætermitti constat. Sed hoc factum certissime credi debet, quoniam Ecclesia Romana tempore Dionysii exigui libros Scripturæ, quos hi Patres Laodiceni tanquam minus canonicos omiserunt, jam habuit pro Canonicis, cujusmodi est hic liber Judithæ, Machabæorum, Apocalypseos & alii, quos Augustinus libri de doctrina Ariana secundi capite octavo Canoni Scripturarum ex Canone post quadragesimam septimo Synodi tertiæ Carthaginensis adnumerat. Verum simul ibidem monet Augustinus, è Scripturis canonicis quosdam à pluribus, quosdam à paucioribus Ecclesiis suscipi, atque hanc reneri regulam oportere, ut illas pluris faciamus, quæ ab Ecclesiis omnibus, & eis præponamus, quæ à paucioribus recipiuntur, uti verba hæc etiam in laudata modo distinctione vicesima leguntur apud Gratianum, ex quibus facile est videre, judicio Augustini tum temporis alienos fuisse libros Scripturæ, qui non ab omnibus adprobarentur Ecclesiis, cujusmodi sunt, quos Canon prætermisit Laodicenus. Cæterum, nulla ratione alia Baronius videtur inductus, ad adserendum, Synodum Laodicenam præcessisse Nicenam, quam ut hac via librum Judith hujus authoritate muniret, idque propter testimonium Hieronymi. *Quarta* sequitur Bellarmini coniectura, scilicet, Augustinum in epistola post centesimam decima de Eradio successore sibi designando perhibere, in Synodo Nicena prohibitum fuisse, ne duo simul Episcopi sedeant in Ecclesia eadem; ac referre dolenter, se imprudentem fecisse contra hunc Canonem. At ita subsumit Bellarminus, Canon ille nusquam apparet inter Canones viginti, qui Synodo Nicenæ extra & citra controversiam adscribuntur. Hæc, reponit Doctor Sorbonicus, opsithalamia laborat Bellarminus. Extat enim Canon octavus in omnibus Conciliorum Editionibus de Catharis aut Novatianis, sic conceptus, ne in una civitate duo sint Episcopi, atque apud Rufinum ordine & numero decimus. *Quinta* est, in Synodo Africana sub Bonifacio Pontifice hujus nominis primo Patres Canonem post decimum quarto adsererе, ex Canone Synodi Nicenæ non licere, nisi jejunis Eucharistiam obferre. At, ubi est iste Canon, quærit Bellarminus. Respondet autem Doctor Sorbonicus, frustrà Bellarminum de hoc esse sollicitum, quia hic Canon de Eucharistia à jejunis solum obferenda non à Nicenis, sed Africanis Patribus sit conditus, sicque conceptum esse in Canone post vicesimum nono tertiæ Synodi Carthaginensis sub Siricio Pontifice, uti & in Canone octavo Synodi Africanæ sub Bonifacio celebratæ. At notare oportere, ex quatuor-

tuordecim primis Canonibus Synodi hujus Africanæ, quos Grigonius Episcopus ex Concilio Hipponensi potissimum collegerat, ut adprobarentur à Patribus, primum Canonem fuisse de celebratione Festi Paschalis, quintum nec Clerici versentur cum Mulieribus, decimum ut pœnitentibus secundum gravitatem peccatorum tempora pœnitendi adscriberentur ab Episcopis; & tres prædictos Canones Nicenis omnino concordare, eamque ob causam Honoratum atque Urbanum, Episcopos Provinciæ Mauritaniæ Legatos hoc Canone post decimum quarto, cum sententiam & suffragium de Canonibus memoratis dicerent, in testimonium consensus sui stylo & phrasi Africana sic respondisse: De Fide Niceni tractatus audivimus, verum & de sacrificiis post prandium inhibendis, ut à jejunis, sicut dignum est, offerantur, tunc & nunc firmatum est. Hæc responsio Legatorum Mauritaniæ tria habet membra. Primum spectat adprobationem Canonum Nicenorum. Illo namque seculo Patres nomine tractatus Acta & Canones Synodorum designabant, uti liquet ex epistola Ambrosii post trigesimam secundâ ad Imperatorem Valentinianum, & post octogesimam secundâ ad Ecclesiam Vercellensem scriptâ, item ex Concilio Aquilegiensi, cum Ambrosius Presbyterum quendam Arianum nomine Attalum adloquitur. Secundum est de adprobatione Canonis octavi, tertium verò ultima spectat verba, ubi nunc Synodum Africanam, tunc Synodum Hipponensem significat. Accedit, controversiam hanc à Bellarmino implicatam Tomo Conciliorum Editionis Romanæ tertio verbis conceptis Canone post vicesimum nono à Patribus Synodi sextæ in Trullo evolvi. Memorant etiam Socrates & Sozomenus, ille libri quinti capite post vicesimum primo, hic libri sexti capite post decimum nono, suo tempore Eucharistiam apud Ægyptios sub vesperam à non jejunis sumi consuevisse, ac unamquamque Provinciam in rebus, quæ Fidem non spectabant, ut plurimum variasse. Atque hoc certissimo est argumento, Patres Nicenos nequaquam edidisse Canonem de Eucharistia à jejunis sumenda, quia aliàs illum stricte servallent Ægyptii. Hinc quoque evadit perspicuum, Bellarminum hæc non ad veritatem, sed ad fallendum scripsisse, quod indignum est homine christiano. Et tamen sæpe ad hunc adlidit scopulum, quia non veritatem, sed sua tueri vult præjudicia. Sexta, in fine Synodi Chalcedonensis Acticum, Episcopum Constantinopolitanum referre, in Synodo Nicena determinatam fuisse rationem scribendarum epistolarum formatarum, de quibus agit Optatus in secundo adversus Parmenianum libro. At, inquit Bellarminus, hoc nusquam adparet in viginti Canonibus Rufini. Doctor Sorbonicus reponit, Patres Nicenos nullum de hac re Canonem edidisse Baronio teste; &, si quid de literis hisce statutum sit, hoc non ad Canones, sed Acta spectare. Porrò, usum hujusmodi formatarum fuisse, ut neque Episcopo, neque Presbytero, aut cuiquam Clerico fines Provinciæ peregrinandi causa liceret credi absque testimonio sui Episcopi, à quo literas accipiebat commendatitias; Episcopus quidem à suo Metropolitano, Presbyter autem à proprio Episcopo. Hæ literæ vocabantur ab Antiquis canonicæ, communicatoriæ, commendatitiæ, formatæ, & pacificæ, de quibus agit Baronius in secundo Tomo Annalium. *Septima*, Lutherum, Calvinum, Centuriatores ac reliquos hæreticos passim objicere è Socrate Canonem Synodi Nicenæ, in quo dicunt permissas fuisse Sacerdotibus conjuges. At, inquit iterum Bellarminus, iste Canon non invenitur inter cæteros viginti. Ergo hæreticorum judicio plures, quàm viginti Canones editi sunt in Synodo Nicena. Doctor Sorbonicus respondet, frustra quæri, quod nusquam extitit. Nam cum suadente Paphnutio eadem libertas, qua ante Synodum Nicenam Sacertes fruebantur, eisdem fuerit permissa, nihil opus fuit, Decretum conflare hanc in rem, sed satis fuit ad veritatem rei gestæ, id in Acta & Historiis referri, uti revera fuit relatum. Quod si verò conjugium Sacerdotibus fuisset interdictum, merito ea de re Canon exigeretur. At postquam meminit Doctor hic Sorbonicus, à Bellarmino & aliis hanc de Paphnutio historiam in dubium vo-

vocari, provocavit inprimis ad Canonem octavum Synodi Neocæſarienſis, è quo demonſtrari putat, eos, qui Matrimonio eſſent juncti ante, quam ſacris initiarentur ordinibus, etiam (poſtea) ſuas retinuiſſe Uxores, ac proinde interventionem Paphnutii à veritate non abhorrere. Addit canonem quartum Concilii Gangrenſis, item Gregorii M. Epiſtolam ex libro primo quadrageſimam & octavam, uti & diſtinctionem triceſimam & primam apud Gratianum. Verum, hoc porro ſubjungit Doctor Sorbonicus, quod aliqui putant, ex Matthæi capite poſt decimum nono, ubi profitentur Apoſtoli, ſe Uxeros, liberos, Patentes, agros, omniaque cætera propter Chriſtum reliquiſſe, neceſſario probari, Diſcipulos Domini non habuiſſe Uxores, meo quidem judicio falluntur valde, quoniam hic locus dogmatice atque ad literam ſtricte captus reſpondet præcepto Chriſti de amando ſuper omnia DEO: quod præceptum impleri etiam à conjugatis poſſe, nemo pertinaciter abſque hæreſi poteſt negare. Præterea dato, quod Apoſtoli habuerint liberos ante Apoſtolatum, negligere curam illarum in Evangelio abſque ſumma impietate non potuerunt. Sotomenus certe refert, Spiridionem Epiſcopum, Virum agreſtem, tametſi Uxorem & liberos haberet, propterea tamen res Divinas non negligentius obiis, multaque patraſſe Miracula. In ante cedentibus id etiam obſervavit Doctor Sorbonicus, huc quam-maxime pertinens, ſe nullo verſari in dubio, quin temporibus Eccleſiæ primitivæ Viri Matrimonio fuerint juncti, cum ad Presbyterium vel Epiſcopatum adſumerentur; ſiquidem neceſſitas id exigebat, inquit, quia alioquin Sacerdotes, nulli potuiſſent reperiri. *Octava* & ultima ducitur è ſeſſione viceſimâ Synodi Florentinæ ſub Eugenio Pontifice hujus nominis quarto, quam Alphonſus quoque Piſanus in ſuam conjecit farraginem. Nam Johannes quidam, Vir doctiſſimus, ſcribit Bellarminus, reſpondens Marco, Epiſcopo Epheſino, aſſeruit, ſe poſſe multis veterum Sanctorum teſtimoniis oſtendere, Patres ſextæ Synodi Carthaginenſis agnoviſſe tandem, corruptos & falſos eſſe Canones Synodi Nicenæ ad ſe ex Alexandria & Conſtantinopoli miſſos. Doctor Sorbonicus opponit, Johannem hunc valde confidentem fuiſſe, & Bellarminum minus prudenter uti opinione ejus, quaſi nimirum ei plus fidei ſit tribuendum, quam Actis publicis omnium chriſtianorum teſtimonio ducentorum & mille Annorum decurſu confirmatis. *Quinto* ratiocinatur Bellarminus, videri admodum probabile, in Synodo Nicena non eſſe quidem expreſſos Canones hos Sardicenſes, de quibus agitur, ſed à Zoſimo & Bonifacio Pontificibus ideo appellari Nicenos, quia Synodus Nicena & Sardicenſis pro una atque eadem ſint habitæ, ac utriuſque Canones ſimul & conjunctim legantur tanquam unius ejuſdemque Synodi in Bibliotheca Romana, & hujus rei ignorationem turbaſſe Patres Africanos. Subjungit, Decretum de appellando ad Pontificem Romanum implicite ac obſcure contineri Canone ſexto Synodi Nicenæ, quo jubetur, ut antiquæ conſuetudines ſerventur, quarum una ſi, de Adpellationibus, uti patere putat ex Leonis M. Epiſtola poſt octogeſimam nona, & Epiſtola Julii in ſecunda Athanaſii Apologia. Urget etiam, Canones hos Sardicenſes legi cum Nicenis conjunctos in ea Verſione, quam Dionyſius exiguus ante Annos mille ex Græco tranſtulit, cujus exemplum ſcribit extare in Monaſterio S. Wedaſti Atrebatenſis. In Reſponſione notat Doctor Sorbonicus, collectionem hanc quinque partibus conſtare. *Prima* eſt, inquit, Synodum Nicenam & Sardicenſem pro una atque eadem haberi, quod falſiſſimum eſſe, ſupra fuit oſtenſum in Analyſi rationum Authoris præfationum hiſtoricarum. *Secunda*, quod Canones Niceni & Sardicenſes conjunctim reperiantur in Bibliotheca Vaticana, tam exigui eſt momenti, ut nullam deſideret reſponſionem. Multò autem plus habiturum erat ponderis, ſi Bellarminus probare potuiſſet, illam Canonum conjunctionem fuiſſe repertam & expromtam ex Eccleſiarum Orientalium chartophylaciis, & miſſam exinde Patribus Africanis; qui verò in Epiſtola ad Cæleſtinum Pontificem diſerte ac ſine ambagibus ullis ſcripſerunt, Canones hos Sardicenſes nihil plane ad Nicenos ſpectare. *Tertia*, quod Decretum de Adpellationibus ad Sedem

Digitized by Google

dem Apoſtolicam obſcure ac implicite contineatur Canone ſexto Synodi Nicenæ, laboat æquivocatione. Si enim de Appellationibus ex toto orbe chriſtiano, imo, de toto Occidente intelligit, hoc negatur, & negatio hæc per analyſin Epiſtolæ Patrum Africanorum ad Cœleſtinum Pontificem comprobatur. Si autem ſetmo eſt de Eccleſiis tantum ſuburbicariis ſecundum Jus commune, fatendum eſt jus illud. Sed idem judicandum eſt de aliis etiam Metropolitanis & Patriarchis reſpectu Eccleſiarum ſibi ſubjectarum. Ex Diſciplina namque per Canones Nicenos præſcripta ſingulis in more poſitum fuit Metropolitanis, controverſias naſcentes Synodis particularibus decidere, nec quidquam motu aut ſpiritu privato & oligarchico ſtatuere. Hancque ob cauſam bis habebantur annatim ſacro Conventus ex præſcripto Canonis quinti, ſicque intelligendus eſt Leo M. in Epiſtola per Bellarminum laudata. Quoc ſi Leo amplius, ut ſæpe facit, jus ſuum extendit, terminos à majoribus poſitos conturbat. Ideò non eſt auſcultrandum ei, ſed Canonibus Nicenis, quos Patres ſextæ Synodi Carthaginenſis interpretantur, nobiſque indubitatam Eccleſiæ primitivæ diſciplinam deliguant. Atque oſtenſum fuit ſupra, quæ hodie contra Ius commune patrantur, non habere vim reſpectu Monarchiæ papalis abſolutæ, ſed ex communi Eccleſiarum conſenſu, quæ ita ſe patiuntur regi, quaſi regiminis Apoſtolorum & conſuetudinis Eccleſiæ primitivæ immemores. Nam deſuetudine Leges abrogantur, ita tamen, ut ſicum ſit in Eccleſiæ poteſtate, à forma Regiminis hodierni ad Apoſtolicum & Jus commune, tanquam ex importuno ac moleſtiſſimo diverſorio ad nativam ac amœniſſimam redire domum; ſi modò id per Bona Eccleſiaſtica temporalia licet quibus ut homines adfluant, omnia ſæpe Jura, Divina & humana violant. *Quarto*, quod Epiſtola Iulii Pontificis nullo plane modo cauſæ Bellarmini patrocinetur, cum doceat diſerte, Julium, quidquid egit in cauſa Athanaſii, Synodice & ſecundum Canones, non autem Potentatu Monarchico peregiſſe, ac minime concedatur, quod Romam adpellaverit Athanaſius, eum ſcilicet in finem, ut ibi tanquam ſub Iudice Supremo cauſa ejus tractaretur & ultimatè decideretur. *Quinto* tandem, quod Codex Dionyſii Erigni Bibliothecæ Monaſterii S. Wedaſti nullâ in re eum Moguntino ſit comparandus, quia ille aprocryphus, hic autem publici juris eſt factus Anno Seculi prioris poſt viceſimum quinto, & Canoni Eccleſiæ univerſalis plane congruit, habetque à Gregorio Pontifice hujus nominis tertio authoritatem in præfatione Juris Canonici juſſu ejuſdem editi. Mirum certe, Bellarminum tam futilibus uti potuiſſe conjecturis ad dogma Fidei, uti communiter prætextant Romanenſes, confirmandum, in quo ſtabiliendo omnes animi vires intendunt, ut perſuadeant, Papam jure Divino Monarcham eſſe abſolutum Eccleſiæ atque ex toto orbe chriſtiano Adpellationes ad Sedem Romanam oportere deferri, ac eſſe hæreticos, qui hoc audeant negare. *Sexto* perhibet Bellarminus, niſi Concilium Sardicenſe habeatur pro appendice Niceni, nullam reddi poſſe rationem, cur inter Synodos generales non referatur, quoniam deberet dici Synodus ſecunda generalis, quia ſic fuit recepta. At non ita vocatur, quia nihil novi quoad Fidem in illâ fuit ſtatutum, ſed Fides Nicena in eâ tantum roborata. Huic argumento dum Doctor Sorbonicus ſupra in analyſi Rationum Authoris Præfationum hiſtoricarum ſatis fecit, hic ad illud reſponſum provocat. *Septimo* ulterius argumentatur Bellarminus, Patres Synodi Carthaginenſis nunquam ſtatuiſſe, ne jus ullum Pontifici Romano tribueretur in Africam, vel, ne liceret ullâ ratione Epiſcopis Africæ ad Pontificem Romanum provocare, cum nullibi tale legatur Decretum; imo, eos in Epiſtolis ad Bonifacium & Cœleſtinum Pontifices concordiam & ſubjectionem ſuam ad Sedem Apoſtolicam apertiſſime teſtatos fuiſſe. Doctor Sorbonicus reponit, Patres Africanos revera primatum Sedis Apoſtolicæ agnoviſſe & reveritos, uti parebat, id eſt, in ordine ad regimen Ariſtocraticum, contra verò abſolutam damnâſſe Monarchiam, tum, ubi prohibent Judicia tranſmarina, tum; ne quis primæ Sedis Epiſcopum nominet principem Sacerdotum aut ſummum Sacerdotem, vel aliquid hujuſmodi; tum denique, ubi decernunt,

Seculi typhum minime intromitti oportere in Ecclesiam. Quorsum faciunt, quæ Balsamo habet in Canonem tricesimum & primum Synodi Carthaginensis, quo ipsomet Judicia prohibentur transmarina, observans, frustra se jactare, qui sunt Ecclesiæ Romanæ, dicentis, eam debere de omnium Ecclesiarum quæstionibus per Appellationem decidere. Si enim, scribit Balsamo, ei non permittitur, Appellationes eorum, qui sunt in Africâ examinare, multò magis hoc jus non habebit in alias Regiones. *Octavo* tandem neget, post dissidium inter Ecclesiam Romanam & Africanam super Apiarii Presbyteri restitutione natum atque sopitum, vivente Cœlestino Pontifice Antonium Fussalensem Episcopum, Augustini discipulum, cum Synodice fuisset abdicatus, ad Sedem Apostolicam appellasse, Authore Baronio in quinto Annalium Ecclesiasticorum Tomo, ac ipsomet Augustino in Epistolâ post ducentesimam & sexagesimam prima Pontificem Cœlestinum ad collaborandum & judicandum invitante: quod Romanenses argumento esse dictitant, Pontifices Romanos non obstante Epistola Synodica, quam ad eundem Cœlestinum in sexta Synodo Carthaginensi scripserant, non destitisse de causis ac Appellationibus transmarinis Africorum cognoscere. Doctor Sorbonicus opponit, hoc exemplum potius silentio obrui, quàm à Bellarmino & Baronio commemorari debuisse, quoniam ad viam facti, non juris quæstionem pertinet, atque demonstrat, per quos & à quibus Iuris communis & Canonum corruptela extiterit. Quæcunque enim Jus commune labefactat, & contra consensum ordinariorum geruntur, pertinent ad viam facti. Res sic habet: Antonius Fussalensis Episcopus, vitæ profligatissimæ, cum in Synodo secundum Canones, relicto ei honore & titulo Episcopatus, à functionibus Ecclesiasticis fuisset prohibitus, Romam adcessit, estque à Cœlestino admissus ad communionem, rumorque pererebuerat in Africa, illum mandato Cœlestini in suam Sedem manu militari restituendum. Hoc cum Augustinus pertimesceret, videretque, nihil loci amplius relictum Iuri communi & Canonibus Nicenis, quoniam via facti perfringerentur, neque se habere, quod in contrarium opponeret, tandem Cœlestinum etiam atque etiam obsecrat, ut illam examinet causam, nec patiatur via facti Antonium restitui. Fuit autem Augustinus, qui Fussalenses ad Fidem Catholicam converterat, eisque hunc Antonium, Discipulum suum, cum eum non bene nosset, Episcopum dederat, cujus facti postea Augustinum valde pœnituit. At vero, cum Pontifices Romani partim ratione primatus Sedis Apostolicæ, partim ob urbis dignitatem, quæ Sedes erat Imperii, sibi propinquos & faventes haberet Imperatores Romanos, facile impetrabant ab eis, ut præfectis Provinciarum scriberent, quatenus via facti mandarent executioni, quæcunque Episcopus Romanus statuisset, siquidem Imperatores hoc etiam ad Imperii Romani majestatem pertinere judicabant. Unde legitur, postquam Paulus Samosatensis Episcopus Antiochiæ judicio Synodali propter hæresin fuit exauthoratus, Imperatorem Aurelianum, quamvis Ethnicum, sententiam Italiæ Episcoporum mitti jussisse in rem judicatam, uti testis est Eusebius. Sic Cæsar Valentinianus imperavit constitutionem Leonis M. adversus Hilarium relatensem exequi, uti videre est ex titulo post vicesimum quarto Codicis Theodosiani. Atque hinc redditur perspicuum permulta Sedi Romanæ privilegia ob Urbis ac Imperii majestatem adcessisse, quæ illi Iure Divino non debebantur. Quod verò Baronius narrat, Antonium pro gravamine Sententiæ à Patribus Africanis contra se latæ objecisse, aut se in Cathedra debuisse sedere, aut Episcopum esse non debuisse, quasi contradictionem involveret, abdicari aliquem, sanctionibus Ecclesiasticis, & honorem Episcopatus retinere, respondet Doctor Sorbonicus, Patres Africanos hac in re Authores habuisse Patres Nicenos adversus Meletium Episcopum Lycopolitanum, quem Muneribus Ecclesiasticis privarunt, & tamen Episcopi dignitatem reliquerunt. Tandem Cardinalis Perronius libro Responsionis ad regem Britanniæ primi post quinquagesimum tertio, quod conceptum est de Concilio Sardicensi, circa medium vult probare, Canones illius æqualiter inferi inter alios Ecclesiæ

Græ-

Digitized by Google

Græcæ Canones, idque confirmat ex Synagoge Canonum Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi, Græce exſtat in Bibliotheca regia. Subjungit, ſtylum & formam ſcribendi omnino congruere ſtylo Theodoreti, indeque infert, Canones hos Sardicenſes in uſu fuiſſe apud Græcos tempore Theodoreti, qui Synodo Epheſinæ & Chalcedonenſi interfuit. Verum, ſic Doctor regerit Sorbonicus, vide ac revolvi diligenter illum Codicem Græcum Bibliothecæ Regiæ, in quo tres continentur Canonum Græcorum collectiones. Prima eſt Authoris anonymi, ſecunda editur ſub nomine Theodoreti, tertia autem ſub nomine Simeonis Magiſtri Logothetæ. Uti enim varias Canonum collectiones Latine à Burchardo, Anſelmo, Ivone, Gratiano & aliis habemus concinnatas; ſic etiam apud Græcos varii Authores Canonum Synagogas ſcripſerunt. Et quemadmodum collectio Gratiani ſuper alias obtinuit apud Latinos, ita etiam Nomocanon Photii & Balſamonis prævaluit aliis Græcorum Synagogis. In prima quidem Synagoge Authoris, anonymi extant Canones Apoſtolorum, Niceni, Ancyrani, Neocæſarienſes & Sardicenſes tanquam Synodi præfecti; ſic enim adpellatur ad diſtinctionem Synodorum œcumenicarum, atque ſic patet, non fuiſſe œcumenicam. Sequuntur Canones porro Gangrenſes, Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſes, item Canones Gregorii Neocæſarienſis, cognomento Thumaturgi, uti & Epiſtolæ Baſilii: denique Canones Africani, qui primam hanc Synagogen claudunt. Deinde occurrit Synagoge, quæ tribuitur Theodoreto, in qua Canones & Concilia hoc recenſentur ordine, ut prima fiat mentio octoginta quinque Canonum, qui vocantur Apoſtolici, inde recenſetur Synodus Nicena in Conſulatu, Paulini & Juliani celebrata; porro Synodus Ancyrana, Neocæſarienſis & Sardicenſis, poſt Synodum Nicenam habita, inſuper Gangrenſis, Antiochena, Laodicenſis, Conſtantinopolitana, Epheſina, Chalcedonenſis, & aliquot Canones ex Baſilio collecti. Hæc Synagoge in quinquaginta titulos eſt redacta. Demum ſuccedunt Tituli aliquot collecti à Synodo Nicena, Conſtantinopolitana & Epheſina, primus de Privilegiis Patriarcharum, ſecundus de privilegiis Metropolitanorum, atque ſic deinceps, ac identidem Author hujus Synagogæ laudat Canones Apoſtolorum, quos conſtat nunquam adnumeratos fuiſſe Codici canonum Eccleſiæ univerſalis, quo Patres Epheſini & Chalcedonenſes, quin etiam Eccleſia Romana tempore Dionyſii exigui fuit uſa. Ex quo inducitur, illos neceſſario veniſſe in notitiam Græcorum poſt Synodum Chalcedonenſem & Theodoretum vita functum, quia jam erat ætate provectior in Synodo Chalcedonenſi. Certe in Epiſtola Zepherini Papæ fit mentio conſtitutorum ab Apoſtolis; quod recentiores interpretantur de Canonibus Apoſtolorum. Sed Epiſtola hæc eſt ſuppoſititia, atque ex earum numero, quæ Synodum Nicenam (non) præceſſerunt; certumque eſt, Canones Apoſtolorum ab aliquo conditos & collectos tempore Gelaſii Papæ, partim ex cunctis generalibus & provincialibus Conciliis, partim ex quibuſdam privatis ritibus Eccleſiarum nonnullarum, vel etiam ex diſciplina Monachorum. Nam primus omnium Authorum indubitatorum Gelaſius meminit horum Canonum Apoſtolicorum Diſtinctione poſt decimam quinta apud Gratianum quos tamen reponit inter apocryphos, neque de illorum numero quidquam ſtatuit. Unde videtur, ab eo tempore illos plane vagos ac erraticos fuiſſe, & uſque ad Synodum quini-ſextam in Trullo per manus hominum decurriſſe abſque ulla authoritate, tandemque à Patribus Trullanis ad hunc numerum octoginta & quinque receptos, uti Canone ſecundo illius Synodi legitur. Ex quo nunc id deducitur, hanc Synagogen poſt Synodum quini-ſextam Trullenſem fuiſſe confectam, id eſt, amplius quam centum Annis poſt Theodoretum vita functum; atque deſcriptorum vitio in titulum hujus Collectionis errorem irrepſiſſe, ita ut pro Theodoreto legendum videatur Theodorus, quia conſtat, Theodorum quendam Lectorem collegiſſe Canones, cujus meminit Cujacius ad Novellam Juſtiniani nonam & ſeptuageſimam. Unde fit, com-

compertum est, Theodoretum Cyri Episcopum non esse Authorem hujus Synagoges, sed alium forte ejusdem nominis. Quod verò Cardinalis Perronius stylum & formam scribendi urget, tanquam Theodoreti Cyrensis stylo similem, levius est, quam ut morari debeat, quia stylus Synagoges hujus valde est interruptus ob titulos frequentes, neque ex Prologo exiguò florentissimus Theodoreto stylus potest dignosci. Et quanquam aliquis eminentem scribendi rationem Theodoreto utitatam fuisset, imitatus, hoc tamen, quod Perronius vult, minime efficeret Chronologia repugnante. Nemo versatus est in lectione Conciliorum, qui non prima fronte videat, Canones, qui tribuuntur Apostolis, quingentis circiter annis post Apostolos fuisse ab aliquo ex eorum numero collectos, quæ in Disciplina Ecclesiæ & ritibus privatis observabantur. Insuper retundi potest Perronius, quia certum est apud æquos judices, tabulas, nisi publicæ, indubitatæ & omnibus notæ ac perspectæ sint, nullam posse fidem facere.

Digressionis Appendix à Petri de Marca libri septimi de Concordia Sacerdotii & Imperii capite tertio & quarto.

POstquam Edmundus hic Rechérius, Doctor Sorbonicus, hæc dudum contra Baronium Bellarminum atque Perronium, omnes & singulos ob Romani Pontificis primatum fortiter & masculè defensum Purpura illustres egregie notavit, in eandem adversus eos hoc ipso in argumento arenam descendit Archiepiscopus hic Parisinus, gravissimum Veritatis historicæ magno cum serio eruditorum adplausa suscipiens patrocinium, dignus omnino, qui unà cum aliis testibus hic producatur, atque in Catalogo eorum non ultimum occupat post hac locum. Uti igitur loco jam citato à documentis fide dignis Historiam Concilii Sardicensis breviter recensuit, provocans ad testimonia Athanasii & Hilarii, tanquam omni exceptione majora, id porrò notavit, valde eam conducere ad decidendam celebrem hanc controversiam, quam Baronius (Bellarminus) & Perronius, laudati ante Cardinales, summa tractaverint cura, an videlicet Concilium Sardicense fuerit œcumenicum. Hac enim, scribit, semel definita facilis esse videtur responsio, an Canones in eo editi ejusdem sint authoritatis ac Niceni? Cui quæstioni ego respondeo, inquit Archiepiscopus Parisiensis, convocationem ejus ea mente factam esse, ut Concilium celebraretur œcumenicum, id est, compositum ex Legatis omnium Diœcesium & Provinciarum Imperii Orientalis & Occidentalis, intra quorum limites Ecclesia Christi coercebatur. Sed quia divortium contigit antè, quam Concilium foret constitutum ex Episcopis Imperii utriusque, rei in eo definitæ spectari non possunt, nisi tanquam à Concilio Occidentali decretæ, quandoquidem decretæ sunt absentibus Episcopis Orientalibus. Hilarius sanè Pictaviensis Episcopus, qui tum vivebat, itemque Epiphanius, Concilium hoc Sardicense vocant Concilium Occidentalium. Nam quod Episcopos trecentos quadraginta quatuor attinet, referri numerus ille non potest ad eos tantum, qui Concilio interfuerint, sed ad eos etiam, qui restitutioni Athanasii subscripserunt post celebrationem Concilii. Huic tamen Concilio, scribit ultra Petrus de Marca debetur origo prima juris summi Pontificis; quanquam si rem propius introspiciamus, neque Canonum verba egrediamur, manifestum sit, nihil ibi statutum esse adversus supremam Synodorum provincialium authoritatem canone Niceno firmatam. Fateor equidem, sic pergit Vir illustris, hactenus persuasum universis fuisse, repertam esse in hoc Concilio legem de Appellationibus adversus judicia Episcoporum, eaque à summo Pontifice judicandas esse ex proscripto hujus Concilii. Verum, ut ab hac persuasione recedam, facit, quod à me observatum est, nempè, jus tantum concedendi Revisionem ab hoc introductum esse in gratiam Sedis Apostolicæ, ac in quoddam velut detrimentum autho-

Digitized by Google

thoritatis Imperatoriæ. Hæc mea eſt interpretatio, quam, cum aliquot viris doctis aperuiſſem, eam illi ſuo adprobaverunt ſuffragio. Diſcrimen quippe eſt inter Adpellationem & Reviſionem. Illa namque integram cauſæ cognitionem transfert ad Judicem ſuperiorem, qui Quæſtionem excutit & definit in Tribunali ſuo. At Reviſio judicium definitivum priori relinquit Juriſdictioni ea ratione, ut prioribus Judicibus novi etiam adjungantur, uti conſtat ex quadam conſtitutione Græca, quam Cujacius reſtituit in ſuis obſervationum Libris. Sed huic, quam dixi ſuprà, perſuaſioni occaſionem dedit ipſum hoc Concilium Sardicenſe, quod vocibus adpellandi & provocandi improprie fuit uſum, quod Retractatio vicem ſubeat Adpellationis. Inde factum eſt, ut ætas, ſequens exiſtimaverit, in his Canonibus agi de Appellatione vera & juxta propriam vocis hujus ſignificationem. At tamen, jus in hac Synodo quæſitum Epiſcopo Romano diverſum prorſus eſt à judicio Appellationis, cum nihil aliud ei fuerit conceſſum, quam ut decernere poſſit cauſæ Retractationem. Synodus quippè ſtatuit, ut, ſi Epiſcopus damnatus ad Pontificem Romanum appellaverit, in poteſtate ejus ſit, reſpuendi appellationem (quo pacto Sententia Epiſcoporum Provinciæ confirmabitur) aut eam admittendi, quo caſu debet Epiſcopus Romanus judicium integrum remittere ad Epiſcopos Provinciæ atque finitimos, ut illi cognitionem cauſæ ſuſcipiant præſente Legato Pontificis, ſi is aliquem eſſe mittendum cenſuerit. Præterea, adpellationis ea vis eſt, ut priore interim Sententia ſit ſuperſedendum, quod aliter obtinet in Reviſione. Nam, confugium illud ad Sedem Apoſtolicam non impediebat, quin Sententia depoſitionis interim mandaretur executioni. Hujus autem juris novam eſſe inſtitutionem probant verba Canonis. Si placet vobis, inquit Hoſius Cordubenſis, qui Synodo præſidebat. *S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus.* Non ait, confirmandam eſſe Traditionem antiquam, quemadmodum fieri conſuevit in negotiis, quæ tantum renovatione aut explicatione Juris antiqui indigent. Porrò, illa Inſtitutio continetur in tribus præſertim Canonibus apud Dionyſium Exiguum & Creſconium, tertio videlicet, quarto & ſeptimo. Tranſpoſiti ſunt tamen haud dubiè hi Canones, removendique ab hoc loco ſunt quintus & ſextus, qui de materia prorſus diverſa tractant, ut tertius, quartus & ſeptimus ſimul collocentur; quod eo fieri poteſt ordine, ut ponantur quintus, ſextus & ſeptimus, quemadmodum utantur in collectione Ferrandi Diaconi, vel, tertius, quartus & quintus, ut habet collectio Græca. Unuſquiſque verò horum Canonum continet ſpeciale quiddam, quod in aliis non habetur. Quippè tertius jubet, ut, ſi quiſpiam Epiſcopus exiſtimet, juſtam ſibi cauſam ſuppetere poſtulandi, ut negotium retractetur, primi Judices ſcribant ad Epiſcopum Romanum, ut, ſi retractandi ſit locus, is donet Judices; ſi verò ſecus ei fuerit viſum, res conſtitutæ ſuum obtineant robur. Itaque hic Canon Epiſcopo Romano tribuit ſupremam authoritatem decernendi Reviſionem, aut eam denegandi, dato inſuper jure novos, delegandi Judices. Canon autem quartus vetat, ne in locum Epiſcopi dejecti alius ſubſtituatur, donec cauſa fuerit in Judicio Epiſcopi Romani determinata, atque ſic continetur hoc Canone vis authoritatis Pontificiæ. Ejus porrò ſenſus hic eſt, ut velit, non ante ordinari poſſe Epiſcopum loco depoſiti, quam apud Sedem Apoſtolicam fuerit determinatum, an Reviſio concedenda ſit dejecto; atque adeo ſuperſedendum eſſe interim quoad hoc executione judicii in Provincia facti. Nihil tamen hujuſmodi vetat quoad depoſitionem damnati, quam nihilo-minus peragebant, quanquam Canon quintus & ſeptimus Concilii Sardicenſis id ſatis manifeſte docent. Septimus ergo Canon præſcribit ordinem judiciorum, poſtquam ab Epiſcopo Romano conceſſa fuerit Reviſio, atque ſic agendum eſſe eo in caſu, ut Pontifex ſummus donet judices ex provincia vicinâ, qui cauſam retractent cum Judicibus prioribus: tum ut Pontifex legatum quoque poſſit mittere Concilio præfuturum, ſi viſum fuerit ipſi, aliquem eſſe mittendum. Reviſio hæc omnino ſimilis eſt Propoſitioni quam vocant, erroris adverſus Decretum Parlamenti, quæ

Principis rescripto instituitur, cui definiendæ debent interesse Judices priores, itemque par numerus judicum novorum ac præterea duo. Illud nunc porro monendum est, sic pergit Petrus de Marcâ, postquam adversus Zonaram & Balsamonem aliqua interserit, non esse me (primum) inventorem hujus interpretationis Canonum Sardicensium, eam quippè hausi ex illustri quodam loco Hincmari Archiepiscopi Remensis, qui in Epistolâ ad Johannem octavum Papam, quæ Caroli Imperatoris cognomine Calvi scripta est, observavit, authoritatem à Synodo Nicena tributam Synodis provincialibus ad Episcopos dijudicandos non esse violatam, sed potius confirmatam in Concilio hoc Sardicensi, utpotè quæ præcepit, ut causa Episcopi depositi terminetur in ejus provincia, nempè, secundum sententiam Episcoporum, qui prius ipsum indicaverant, itemque eorum, qui in finitimâ commorantur Provincia, coram Legato Pontificis. Sanè, vix credi potest, tam promtos ac faciles fuisse Episcopos, ut statim & absque ullâ contradictione consenserint exui se authoritate supremâ, quam possidebant, ut sua simplici submitterent judicia adpellationi. Facilius poterat eis persuaderi, ut adprobarent, tribui Episcopo Romano jus concedendi revisionem adversus eorum judicia, id est, jus quæsitum Imperatoribus communicari cum Pontifice Romano, eâque ratione paulatim ac sensim sine sensu id adimi Imperatoribus. Nec enim Concilium in universum id jus ademit Principibus, uti licet colligere ex verbis septimi Canonis, quibus utpotè conditionalibus damnato datur facultas implorandi auxilium Pontificis Romani. Verum, id non impedit, quin etiam possit adire Imperatorem, cujus authoritatem in hac materia manifeste satis agnoscit Synodica hujus Concilii Sardicensis Epistola. Magnum tamen intercedit discrimen inter jus, quod competebat Imperatoribus, & illud, quod tribuitur Pontifici Romano. Imperatores enim, cum retractari negotia præcipiebant, majus Concilium congregabant, ad quod evocabant Episcopos ex Provinciis diversis, prout eis libuerat. At Canones hi Sardicenses adhibent modum authoritate Pontificis Romani, cui nihil aliud volunt licere, quam ut novos judices donet, nimirum Episcopos è Provincia vicinâ, qui una cum prioribus intersint renovationi Concilii & Judicii. Nam Episcopi Provinciales, qui tulerunt judicium, secundo etiam interesse debent judicio, uti docet Synodus Canone tertio & septimo. Unde non mirum, si Dionysius Exiguus in lemmate hujus Canonis vocabulum retractandi usurpat, quæ vox, uti jam notatum est, competit Revisioni. Hæc capite tertio habet Archiepiscopus Parisiensis. Nunc capite sequenti quarto suscipit examinandum, an Canones hi Sardicenses per universam recepti fuerint Ecclesiam. In antecessum, inquit, observari debet, iniquum omnino visum fuisse Orientalibus, si Episcopi Occidentales in Concilio etiam plenario tentarent retractare judicia in Synodis Orientalibus facta, quia hoc pacto harum Synodorum authoritatem violari esset manifestum. Itaque vix credi potest, eos ita fuisse comparatos, ut solius Romani Pontificis authoritatem sua superiorem esse confiterentur, præsertim, cum recenter Schisma adversum illum fecissent, eumque ob hoc ipsum excommunicassent, quod caput eorum esset, qui leges Ecclesiasticas pessum dederant, utpotè ducem & principem malorum, qui primus januam communionis aperuerit sceleratis atque damnatis, cæterisque ad jura Divina dissolvenda fecerit aditum. Orientales namque per tempestates illas regulam hanc certam & indubitatam Disciplinæ Ecclesiasticæ contendebant esse, res in Oriente judicatas in Occidente retractari non posse, vel è contra. Hic enim adfirmavit Synodus Antiochena in Epistola ad Papam Julium, in qua Episcopi adferunt exemplum damnationis Pauli Samosatensis ab Episcopis Orientalibus decretæ, quam recepit Occidens, suoque consensu adprobavit absque novo examine; sicut etiam Oriens recepit & adprobatione sua confirmavit damnationem à Synodo Occidentali decretam adversus Novatum. At Julius Papa respondens huic Epistolæ Synodi Antiochenæ non contradicit absolutè supremam esse Conciliorum Orientalium

Digitized by Google

talium authoritatem, ſed Athanaſii tantum facto inhæret, ac explicando illi judicio, quod adverſus eum in Synodo Tyria fuerat latum, atque illud eſſe irritum, quod adverſus eum, Presbyterumque ejus Macarium teſtimonia abſentibus illis fuerint recepta à Iudicibus delegatis, apertiſſimis ejuſdem hoſtibus, atque ab eo ejuratis, ideoque judicium illud integrum non fuiſſe, ſed tantum ἐκμαγεῖον ex quo ſequatur, illud executioni mandandum non eſſe; & quia Athanaſium in ſuam ſuſceperit communionem, nihil ſe adverſum Canonibus egiſſe, quoniam ſententia Excommunicationis fuerit nulla. Addidit his momenta ex viſceribus cauſæ petita, falſitatem nempè adcuſationis Auctorum authoritate probatum, notans inſuper, quamplures Orientis Epiſcopos à communione ſua non repulſiſſe Athanaſium, tametſi ſententia damnationis in eum fuerit lata. Tum, nolle Orientales Epiſcopos in unum convenire, quamvis per Legatos conſenſiſſent, ut Papa Iulius univerſos Romam evocaret pro cauſa Athanaſii diſcutienda. Ait poſtremo, nihil adverſus ſtatuta Synodi Nicenæ tentari, ſi, quæ Synodus quæpiam ſtatuit, in poſteriore retractentur; adludens ad Synodum Alexandrinam, cui centum interfuerant Epiſcopi, in qua damnatus fuit Arius, cujus tamen cauſa de integro poſtmodum in Synodo Nicena fuit diſcuſſa. Sed notandum hic venit, Iulium non dicere, redditas à ſe Eccleſias fuiſſe Athanaſio & Epiſcopis reliquis; nam ea erat Quæſtio principalis, quæ reſervata erat cognitioni illius Synodi; quam Iulius convocaverat rogantibus Orientalium Legatis, tametſi deinde negarint Orientales, id ſe Legatis dediſſe in mandatis. Sanè, idem Orientales in Epiſtola ſua Synodica ſub nomine Concilii Sardicenſis edita illud tantum conqueruntur, in communionem à Iulio receptos Athanaſium & reliquos Epiſcopos damnatos. Quocirca, cum legitur apud Sotomenum, Iulium Papam in communionem recepiſſe Athanaſium & cæteros, & eorum unicuique ſuam reddidiſſe Eccleſiam, ob earam videlicet Eccleſiæ univerſalis, quæ incumbat ei propter dignitatem ſedis ſuæ, exiſtimari debet, illam Eccleſiarum reſtitutionem non fuiſſe factam directè, ſed per conſequentiam, eo quod Epiſcopi à Julio in communionem recepti fuerint veluti Epiſcopi hujus & illius Sedis. Neceſſaria autem eſt diſcuſſio hæc præcipuorum hujus Epiſtolæ capitum, quod ea æque ac verba Sotomeni perperam hactenus accepta ſint ab iis, qui ea laudaverunt. Contendunt quippè, factum Julii, quod nihil aliud fuit, quam velut quoddam genus obſequii ad retinendam communionem Orientalium, à ſuprema ejus Juriſdictione profectum eſſe, atque ea authoritate judicia Conciliorum Orientalium caſſaſſe. Orientales certè congregati in Concilio Sardicenſi pertinaciter adhærebant ſententiæ Synodi Antiochenæ, cauſaſque Secceſſionis ſuæ rejecerunt in Occidentales, qui adverſus veterem Eccleſiæ conſuetudinem cognoſcere volebant de cauſis Orientalium, prout videre eſt in Synodica eorum Epiſtola, quæ habetur in fragmentis Hilarii. Et quænam fuerit mens Orientalium, manifeſte docet Epiſtola Imperatoris Conſtantii ad Concilium Ariminenſe, quod ex Occidentalibus Epiſcopis conſtabat, data. Verum, certè negari non poteſt, quin aliter eâ tempeſtate viſum fuerit Occidentalibus. Verum longe aberant ab eorum opinione qui noſtrâ ætate tractarunt de controverſiis Fidei, (NB. in margine nominari Baronium, Bellarminum & Perronium) ac pronuntiant, adpellationes Epiſcoporum Orientalium judicandas eſſe (vel fuiſſe) apud Urbem Romam à Summo Pontifice. Nituntur illi, ut exiſtimant, præjudicio Epiſtolæ Julii Papæ, quæ extat apud Athanaſium, cujus ſenſum detorquent ad mentem ſuam, cum tamen ex eâ conſtat, jura Sedis Apoſtolicæ temperamento quodam prudenter adhibito, per eas tempeſtates explicari ſolita. Nihil enim aliud ab Orientalibus exigebant Julius & Romana Synodus, quàm ut cauſæ Eccleſiarum Apoſtolicarum, inprimis autem Alexandrinæ, quoties de Depoſitione Epiſcoporum Sedium earum ageretur, cum Papâ & Synodo Romanâ communicarentur ante, quam Synodi Orientales cognitionem de iis inſtituerent, ut communi conſenſu componi poſſent Eccleſiæ (ut vocabantur) magnæ. Quod

ſi

ſi poſt judicium Orientalium querela manifeſtæ oppreſſionis deferretur ad Synodum Occidentalem, tunc retractandum eſſe negotium in Concilio Occidentalium & Orientalium. Unde conſtat, in hâc Epiſtolâ non agi de Adpellatione, ſed de primâ tantum cognitione aut reviſione cauſæ, nec excitatam eſſe controverſiam de omnibus Epiſcopis, ſed de iis tantum, qui Apoſtolicis præſiderent Eccleſiis, inprimis autem de Alexandrino; & tamen judicium reddi non debere à ſolo Epiſcopo Romano cum Epiſcopis Occidentalibus, ſed ab Epiſcopis Occidentis & Orientis in unam Sententiam conſpirantibus. Hæc enim colliguntur ex Epiſtolâ Julii, quâ objurgat Orientales in cauſâ Athanaſii Epiſcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani, quos Orientis Concilia damnaverant, Epiſcopo Romano inconſulto. Magna quippè erat per illas tempeſtates dignatio Eccleſiarum, quas Apoſtoli fundaverant, nimirum Alexandrinæ, Antiochenæ, Epheſinæ, Ancyranæ, quæ Metropolis erat Galatiæ, Corinthienſis in Achaicâ, Theſſalonicenſis in Macedonia, inprimis verò etiam Romanæ, quam Principes Apoſtolorum ſuo conſeceraverant Sanguine. Hinc factum, ut, quoties Irenæus, Tertullianus, Optatus & Auguſtinus novitatem objiciunt hæreticis, adducant diſcrimen, quod intercedit inter novam eorum doctrinam & traditionem Eccleſiarum Apoſtolicarum, præcipue autem Romanæ; ac præterea adverſùs eoſdem hæreticos adſerant ſucceſſionem perſonarum & Doctrinæ illarum. Unde fiebat, ut illis Epiſcopis incumberet neceſſitas arctiſſimæ communionis, ſcriptis videlicet ultro citroque Epiſtolis pro Fidei conſervatione communicatoriis. Quam ob rem cum ageretur de cauſâ Athanaſii Epiſcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani in Galatia, quorum Eccleſiæ erant Apoſtolicæ, æquum prorſus videbatur, ut adcuſatio adverſùs eos inſtituta judicaretur ab Epiſcopis Occidentis & Orientis. Sed inprimis cauſam Athanaſii urget Julius, adfertque conſuetudinem jam introductam, à Dionyſio nimirum Epiſcopo Alexandrino, quem cum clerici ejus hæreticum eſſe ſuſpicarentur, atque ob id querelam adverſùs ipſum detuliſſent ad Sedem Apoſtolicam, ipſe adcuſationem hanc purgavit ſcripta ad ſummum Pontificem Epiſtola. Unde concludit Julius, ſe monendum fuiſſe, ſi quid ſuſpicionis eſſet exortum Alexandriæ adverſùs Athanaſium; huc enim tendit oratio Julii, jus verò ſuum arceſſit à facto Dionyſii. Cæterum, cauſam judicari debere ſcribit ab omnibus, non autem à ſe ſolo. Quare, merito reprehendendus eſt Perronius, qui verum Julii ſenſum diſſimulat in *Replica*, locum vero hunc mutilat, omittens de induſtria quædam, quod parum conduceret ad extollendam ſummi Pontificis authoritatem; tum prætextu verſionis obſcuræ à textu Græco inprimis conatur dicere ſenſum Julii deſtinatis contrarium prorſus, his enim ſignificari ſcribit, nihil in cauſâ Athanaſii poſſe definiri, quia prius definitum fuerit ab Eccleſia Romana. At tamen certum eſt, nihil aliud ex iis elici poſſe, quam, eam eſſe Eccleſiæ Alexandrinæ conſuetudinem, ut primum ſcribatur ad ſummum Pontificem, ut deinde poſſit decerni, quod videatur æquum, id eſt, communi omnium ſuffragio, ut ante dixerat. De cætero hic obſervandum eſt, audacter ſatis Julium tribuere conſuetudini Exemplum ſemel tantummodo uſurpatum. Si quis vero velit in dubium vocare interpretationem Epiſtolæ Julii nunc propoſitam, quoad jus, quod Occidentales ſibi vendicabant, is cedere ſaltem debet authoritati Italicæ Synodi, cui interfuit Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis. Scribunt enim hujus Concilii Patres in Synodica ad Imperatorem Theodoſium Epiſtolâ, Maximum, qui Epiſcopus Conſtantinopoleos fuerat ordinatus, cum in Synodo Conſtantinopolitana, quæ fuit ſecunda generalis, depoſitus eſſet, captata occaſione Concilii generalis, quod Imperatores Romam convocaverant, Sedem Apoſtolicam adceſſiſſe, ibique expoſtulaſſe de Depoſitione ſua ac de Nectarii in locum ſuum ordinatione; at tamen Occidentales, tametſi Maximum receperint in communionem ſuam, nihil quoad Epiſcopatum decernere voluiſſe abſentibus Epiſcopis Orientalibus, qui ſubſtiterant Conſtantinopoli pro continuanda Synodo, teſtantes tantum, angi ſe nihi-

nihilo minus, quod ex cauſa hac eſſet interrupta communio Eccleſiarum. Orientalis enim, cum intellexiſſent, Maximum Romam eſſe profectum, ut illic cauſam ſuam refricari procuraret in Synodo, ad quam Epiſcopi orbis univerſi fuerant invitati, adcedere ad eam nolle. Tum adferunt conſuetudinem antiquam ab Athanaſio, Petro Alexandrino, & à pleriſque Orientalium Epiſcopis uſurpatam, qui judicium expetierint non Eccleſiæ ſolum Romanæ, ſed Italiæ etiam atque totius Occidentis; unde concludunt, Orientales cùm Maximus adceſſe rit ad Epiſcopos Occidentis, præſtolari debuiſſe ſententiam eorum in cauſa ejuſdem. Ne quis vero exiſtimet, eos velle ſolos iſtud terminare negotium, declarant, ſe nihil aliud cupere, niſi ut cauſa hæc in Concilio judicetur ab Epiſcopis Occidentalibus & Orientalibus ſimul, ut, ubi una eſt communio, ibi commune etiam ſit judicium. Quod ſi tunc temporis authoritas Concilii Sardicenſis valuiſſet, occaſio opportuniſſima fuiſſet reperta, qua revocaretur in uſum. Nullam vero ejus faciunt mentionem Occidentales Epiſcopi, nihilque aliud contendunt, quam ut una cum Orientalibus cognoſcere poſſint de cauſa Depoſitionis Epiſcopi Conſtantinopolitani, eamque ob cauſam rogant Theodoſium, ut Concilium univerſale apud urbem Romam jubeat celebrari, eamque videri unicam eſſe rationem revocandæ communionis inter Occidentales & Orientales. At tamen Occidentalibus ſatisfactum eſt Epiſtola Orientalium Synodica, quam è Synodo Conſtantinopolitani ſcripſerunt ad Damaſum & Synodum Romanam, qua rogant Italos, non ut confirment ea, quæ in hac Synodo fuerant acta, ſed ut charitate ſpirituali gratulentur ipſis propter ordinationes Eccleſiarum Conſtantinopolitanæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ, quibus fuerant præfecti Nectarius, Ravianus & Cyrillus. Atque hoc Petrus de Marca habet capite quarto, quibus capite ſequenti quinto ſubjungit ea, quæ poſtmodum ulterius eadem Synodo Conſtantinopolitana, uti & Chalcedonenſi circa negotium idem in gratiam libertatis Eccleſiarum Orientalium contra prætenſam Occidentalium Superioritatem acta & decreta fuerunt, hac Epicriſi addita, conſtare ex his, Canones illos Sardicenſes, de quorum agitur authoritate, nondum fuiſſe receptos tum in Oriente. At tamen, inquit, Synodus Trullana in ſua Collectione juſſit illos deſcribi. Verum non ea fuit mens Synodi hujus, ut propterea juriſdictioni Pontificis Romani ſubmittere voluerit adpellationes Epiſcoporum, cum in eadem collectione extent Canones ſecundæ Synodi Oecumenicæ, uti & quartæ, quæ unicuivis Patriarchæ ſupremum cauſarum judicium commiſerunt. Nihil aliud ergo voluit Synodus Trullana, quam oſtendere, quænam authoritas Pontifici Romano competat in ſuo Patriarchatu, cujus limitibus circumſcribunt poteſtatem ei quæſitam in Canonibus hiſce Sardicenſibus; tum etiam ut oſtendant, eam authoritatem illi eſſe tributam à Synodo non Nicena, ſed Sardicenſi, quæ obſervatio eſt Gonaræ ad Canonem quintum. Tandem concludit, licet ea Græcis mens fuerit, ut effectus Canonum Sardicenſium egredi Occidentem non poſſet, Pontifices tamen Romani contendebant, obtinere eos debere in Eccleſia univerſali, uti conſtat ex Epiſtola Leonis Magni ad Flavianum, & commonitorio Papæ Gelaſii ad Fauſtum. In ſequentibus quoque ejuſdem libri capitibus non ſemel egit Archiepiſcopus Pariſienſis de Canonibus hiſce Sardicenſibus, nominatim capite undecimo, ubi inter alia hæc etiam reperiuntur: Canones hi Sardicenſes, qui in ſchiſmate Eccleſiæ conditi fuerant, ſero in Occidente ſunt recepti, quoniam Imperatores reſcriptis ſuis decernebant Synodorum celebrationem ad cauſas Epiſcoporum dijudicandos, tum reſcripta etiam concedebant pro cauſarum retractatione. Eo autem jure Concilium Sardicenſe Principes noluit privare, ſed tantum in Epiſcoporum (à Synodo) depoſitorum arbitrio poſitum eſſe voluit, vel Pontificem Romanum, vel Imperatorem adpellare pro cauſæ obtinenda reviſione. Confuſio autem, quæ in hiſce Synodis occurrebat, atque lentitudo negotiorum, quas invehebat Principum reſcripta, novæ conſtitutioni præbuerunt occaſionem, quæ ab Imperatore Gratiano fuit

Digitized by Google

edita ad poſtulatum Synodi cujuſdam Romanæ, juriſdictionem Eccleſiaſticam ordinante quoad judicia Epiſcoporum de hæreſi ſuſpectorum; qua in lege quidem magna ratio Pontificis Romani fuit habita, ſed alio prorſus modo, quàm eo, qui fuerat præſcriptus in Concilio Sardicenſi. Unde colligitur, Canones hos Sardicenſes nondum fuiſſe receptos in uſum; nam alias aut eundem tenuiſſet Gratianus ordinem, aut ſaltem eorum aliquam feciſſet mentionem. Sic capite ſequenti duodecimo mox ab initio ſcribit, Canones hos Sardicenſes nondum receptos fuiſſe ætate Innocentii Pontificis hoc nomine primi, id eſt, circa annum à Chriſto quadringenteſimum, utpote qui jus, quod in epiſtola ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ſuæ ſedi vindicare ſtuduit, petiit à Canonibus Nicenis, non vero Sardicenſibus. Ut hoc probet, capite iterum ſequenti, videlicet poſt decimum tertio obſervat, Concilium Sardicenſe nihil ſtatuiſſe de relationibus ad ſummum Pontificem in cauſa Fidei mittendis. Capite poſt decimum quarto oſtendit porrò relationes quidem à Conciliis generalibus & nationalibus fieri ſolitas ad ſedem Apoſtolicam, tanquam ad caput omnium Eccleſiarum, ut ejus authoritate ſequeretur executio conſtitutorum, non tamen ut confirmatio eorum petatur, idque docet conſtare ex epiſtola Concilii hujus Sardicenſis ſynodica, in qua Patres fateantur, ſe relationem mittere ad Papam Julium, tanquam ad caput, ſed ita, ut ab eo non petant confirmationem rerum à ſe conſtitutarum, ſed tantum ut certiores de his faciat Epiſcopos Italiæ, Siciliæ, & Sardiniæ. Ibidem notat, Incocentium Pontificem ſupra citatum, cum audaciæ ſubſidium à dignitate ſedis ſuæ petens atrox vulnus inflixit Synodi Macedoniæ authoritati, judicium ejus retractans in cauſa quorundam Epiſcoporum ab ea Synodo damnatorum, ac ægre id tulerunt Epiſcopi per Macedoniam conſtituti, de ea novitate conquerentes apud Innocentium, cum hic locus fuiſſet proferendi authoritatem Canonum Sardicenſium, ſi tunc in uſu fuiſſent, eos non protuliſſe. Adcedit, quod capite poſt decimum quinto ſequitur, primum fuiſſe Zoſimum Papam, qui eoſdem protulit atque contendit, ut in Occidente vim legis obtinerent. Arbitror autem, inquit Petrus de Marca, cum id cepiſſe conſilium, quod Honorius & Arcadius Imperatores paulo ante abjeciſſent jus concedendi reſcripta pro retractando Epiſcoporum (à Synodo) depoſitorum judicio. Exiſtimavit itaque Zoſimus, gratum Epiſcopis futurum, ſi reviſiones non omnino abolerentur, ſed contra decernerentur authoritate ſedis Apoſtolicæ. Tentatum id in ingeniis Africanis voluit Pontifex. Itaque Fauſtinum Epiſcopum Legatum miſit ad Concilia Africæ, qui omni ſtudio in id incumberet, ut Epiſcopi Africani ſinerent ab Epiſcopis damnatis ſedem Romanam adpellari. Datum eſt autem Legato in mandatis, ut hortaretur Epiſcopos Africanos ad obſervationem Canonis ſeptimi Sardicenſis, in quo agitur de adpellationibus ad ſedem Apoſtolicam, ſed ea dignitate, ut Canon ille laudetur, quaſi ad Synodum Nicenam pertineret. Tandem capite poſt decimum ſexto diſquirit, quam ob cauſam Zoſimus Canones hoſce Sardicenſes laudaverit ſub titulo Synodi Nicenæ. Equidem novatoribus (quod Viro præjudiciis occupato condonandum) adſcribit, eos Zoſimum arguere falſitatis & impoſturæ. Contra, inquit, noſtri id ex eo profectum ajunt, quod ea tempeſtate Canones Niceni & Sardicenſes in eodem volumine deſcripti eſſent, nullo diſcrimine adhibito, ſub titulo Canonum Nicenorum. Probabilis quidem conjectura, ſic cenſet Archiepiſcopus Pariſienſis, ni niteretur authoritate codicis vetuſti, qui vero nondum emerſit è tenebris. (In margine notatur, tum Petro de Marca ignotum fuiſſe codicem Juſtelli, cùm hæc ſcriberet. Verum in Bibliotheca juris Canonici ante hos viginti annos edita nullus extat codex Juſtelli; qui utriuſque Synodi Decreta ſub uno eodemque titulo Synodi Nicenæ exhibeat.) Adde, Canones Nicenos ſemper in titulo prænotari ſolitos numero viginti; quo unico argumento potuit prohiberi, ne Canones hos Sardicenſes adnumerarentur Nicenis. Fortaſſis igitur propius ad verum adcedemus, ſi dica-

Digitized by Google

dicamus Zoſimum aliqua neceſſitate adactum fuiſſe, ut Canones hos Sardicenſes ſub nomine Synodi Nicenæ laudaret; quod Innocentius Pontifex hoc nomine primus dixiſſet aperte, Eccleſiam nullis Canonibus aliis uti, præterquam Nicenis, videlicet in judiciis cauſarum Eccleſiaſticarum; tum etiam, quod Africis nullum Sardicenſe Concilium eſſet notum, præter id quod quod ab Arianis fuerat habitum, uti teſtatur Auguſtinus in epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam tertia. Quare neceſſarium erat, ut Zoſimus hos Canones Synodo Nicenæ adſcriberet, ut contradictioni Africanorum occurreret. Nam quod rem ipſam attinet, exiſtimabat haud dubie Zoſimus, nullam Africanis injuriam fieri, qui ſedis Apoſtolicæ authoritati jam tunc ſubcrant, (quod tamen eos nunquam agnoviſſe ex actis conſtat ſufficienter) ſi Canones hi Sardicenſes laudarentur pro Nicenis; Synodus quippe Nicena confirmaverat Eccleſiæ Romanæ privilegia, (quamvis non ſolius) Sardicenſis vero, quæ vere fuit Synodus Occidentalis, eadem Romani primatus privilegia tantum explicaverat, ut-ut ſatis magnifice. Igitur ſic accipienda ſunt Zoſimi verba, ut per Canonem Nicenum intellexerit ejus interpretationem. Atque hunc in modum Canones eoſdem Sardicenſes ac ſi eſſent Niceni, ex fide deceſſoris ſui laudavit Leo primus ad Imperatorem Theodoſium. Et ita pergit author capite poſt decimum ſeptimo, poſt introductos induſtria Zoſimi Papæ Canones hos Sardicenſes, ejus ſucceſſores Bonifacius & Cœleſtinus eorum executionem quaquaverſum tentarunt introducere, & quidem non ſolum in Africa, ſed in reliquis etiam Occidentalibus Provinciis. Ex epiſtola namque Synodi Carthaginenſis ad Bonifacium patet, eos nondum plane receptos alibi fuiſſe, quam in Italia. Id tamen capite poſt decimum octavo addit, Gregorium Magnum, licet ad ſe traxiſſet arbitrium ſupremum judicandi adpellationes in Urbe Roma, aut eas remittendi ad Provincias, cum Africanis tamen aliter ſe geſſiſſe, quam cum cæteris provinciis. Ne autem ſuæ nationis obliviſceretur, poſt alia ſubjungit: Quoad Eccleſiam verò Gallicanam, Gregorius eam haud aliter tractavit, quàm Africanam; juſſit enim, ut cauſæ Gallorum in Conciliis Gallicanis definirentur, quod in ſequentibns confirmatur per exempla.

Perbreves de Marca Vindiciæ.

SCripſerat hæc Archiepiſcopus Pariſienſis, quod credere par eſſe videtur, in gratiam veritatis Hiſtoricæ, quam alii ad ad typhum Romani primatus ampliandum non parum obſcuraverunt, ii præſertim, quos nominibus expreſſit, quos inter Bellarminus quoque noſter ſuum occupavit locum. At, uti veritas ſemper habet, à quibus ſuperciliose premitur cum ſuis cultoribus, ita hic quoque non defuerunt, qui illuſtrem hunc ejus vindicem armis adgrederentur hoſtilibus, in quorum numero ſuum inprimis nomen profeſſus eſt Chriſtianus ille *Lupus*, Profeſſor Lovanienſis, qui Canones ſynodicos non ita pridem ſcholiis illuſtrare, an potius obſcurare adgreſſus eſt, & dum parte eorum quarta Dictatus Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi prolixiſſime tanquam jus omni ex parte legitimum continentes defendit, huic ſuo muneri ſatis ex aſſe feciſſe ſe non putavit, ſi non ſimul mortuo Leoni huic inſultaret, inſignem excitans ululatum, per quem alios quoque ad idem audendum animavit. Hinc ejus veſtigia preſſit Emmanuel Schelſtratenſis, Doctor Antverpianus, dum in antiquitate à ſe illuſtrata, vel, ſi verum dicere aut ſcribere liceat, hinc inde non parum corrupta, ubi hoc quoque argumentum ſuſcepit tractandum, id quod Petrus de Marca ad Canones hos Sardicenſes notanter obſervavit, erroribus ejuſdem adcenſuit, utut nihil potuerit novi adferre, quod non ab illuſtri hoc Viro præoccupatum, inprimis non habens, quo Zoſimum à fraude pia, non impia liberaret, per quam

Africanis Patribus Sardicenſes pro Nicenis Canonibus ſtuduit obtendere, in qua tamen totius controverſiæ præſentis cardo verſatur. Quin etiam in Gallia non defuit, qui eidem ſe hoc in argumento opponeret, Natalis videlicet Alexander, Ordinis Prædicatorum ſcriptor, duplicem huic controverſiæ conſecrans diſſertationem, è qua, dum non plane nulla habet veritati Hiſtoricæ propinqua, lubet paucula quædam excerpere, ut exinde etiam conſtet, veritatem nunquam ita omnino opprimi, ut non aliqui ejus per craſſas contradictionum nubes radii tranſpareant. Et primo quidem prioris diſſertationis articulo adverſus Baronium & Lupum (ita nimirum Fratres Cadmei inter ſe pugnant, ac mutuis ſe invicem conficiunt vulneribus) adſtruit, Concilium Sardicenſe, de cujus hic agitur Canonibus, ab Imperatoribus, non autem Pontifice Romano convocatum fuiſſe, ac illud probat ex epiſtola Concilii ad omnes Epiſcopos ex apologia Athanaſii ſecunda, ejuſdemque epiſtola ad ſolitarios, item ex teſtimonio veterum Hiſtoricorum, Socratis, Theodoreti, Sotomenii, Sulpitii Severi & Nicephori, reſpondens ſimul ad objectiones, quæ in contrarium ab aliis ſolent proferri. Articulo deinde ſecundo proponit, huic Concilio præfuiſſe Hoſium Cordubenſem Epiſcopum, addens, incertum eſſe, quo id factum ſit nomine, quia nullum extet antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum, ex quo poſſit doceri, quo nomine præfuerit. Quamvis enim Petrus de Marca rationes quaſdam adducat, oſtenſurus, eum præfuiſſe ut Julii Pontificis Legatum, eſſe tamen alios authores, qui levioris eas putent eſſe momenti, quam ut iis debeat adſenſus deferri, maxime, cum obeſſe videatur epiſtola Concilii ſynodica, cui Hoſius ſubſcripſiſſe legitur non tanquam Legatus Julii, ſed tanquam Epiſcopus ab Hiſpania. Præterea, Hadrianum Pontificem hoc nomine primum, in epitome Canonum, Canones hos Sardicenſes Hoſio tribuere ut Præſidi. Addit reſponſum quoque ad ea, quæ contrarium videntur perſuadere vel evincere. Quæ tertio habet articulo, ut contra Petrum de Marca probet, Concilium Sardicenſe & convocatione & exitu Oecumenicum fuiſſe, facili opera poſſunt dici, ſi ea attendantur, quæ Bellarminus & alii communiter ſolent requirere, ut Concilium aliquod vere dicatur œcumenicum, hic autem omnino deſiderantur. Quartus ſuccedit articulus, in quo adverſus eundem hunc Archiepiſcopum Pariſienſem Baronii, (Bellarmini) Perronii viam nimis tritam ſequens demonſtrandum ſuſcepit, Canones hos Sardicenſes ante Synodi Trullanæ tempora fuiſſe ab Eccleſia univerſali receptos, nixus inprimis authoritate Palladii; quæ an ſola pluribus aliorum teſtimoniis poſſit aliquod creare præjudicium, videant ii, qnorum eſt, de hiſce talibus prudens ferre judicium. De collectione Theodoreti, vel potius Johannis Scholaſtici, ea ante Petrum de Marca obſervavit Edmundus Richerius, Doctor Sorbonicus, quæ adhucdum firmo ſtant palo. Conjectura autem Natalis Alexandri de Synodo Trullana, ſi mens Canonum Sardicenſium rite attendatur, per contrariam tollitur, optioque datur lectori veritatis ſtudioſo judicare docto, quæ potiorem jure debeat occupare locum. In poſteriori diſſertatione, quamvis tribus diverſis concluſionibus adſtruere ſatagit Anti-Marcanus, jus adpellationum ad ſedem Romanam à Concilio Sardicenſi non eſſe inſtitutum, ſed confirmatum, & Concilium hoc Sardicenſe non ſolum jus concedendi reviſionem, ſed poteſtatem judicandi adpellationes ab Epiſcopis (ſynodaliter) depoſitis ad ſedem Romanam factas adſeruiſſe & confirmaſſe Pontifici Romano; inſuper uſum adpellationum tum in Eccleſia Orientali, tum Occidentali frequentem fuiſſe poſt Concilium hoc Sardicenſe, ejuſve initia vel ad Synodi Trullanæ tempora in Eccleſia Græca, vel ad ſeculum in Latina octavum à Viris eruditis perperam detrudi, ea ut plurimum adducens pro confirmatione earum exempla, quæ ſuo infra loco adverſus Bellarminum à Launojo rectius enucleantur, & contra ciuſdem hyperapiſtas vindicantur; tamen ubi ventum eſt ad illud, quod inſtituto præſenti quàm maxime inſervit, nimirum Zoſimi Pontificis ad Canones hos Sardicenſes tanquam Nicenos provocationem erga Africanos factam, quibus hoc jus adpellationum erat adhuc inco-

Digitized by Google

incognitum, vi veritatis coactus est illorum deferere responsum, quorum partes hactenus egerat industria singulari. Respondent, inquit, Viri eruditi cum eminentissimis doctissimisque Cardinalibus, Baronio, Bellarmino & Perronio, Africanos non improbasse jus adpellationum quoad ipsam rei substantiam, sed tantum quoad modum illas sequendi, sive nimiam facilitatem Pontificum in recipiendis hujusmodi adpellationibus, non Episcoporum duntaxat, sed Presbyterorum quoque, illosque causa plerumque indiscussa restituendi in communionem & dignitatem pristinam. Verum, hæc solutio facile potest everti ac ostendi, Africanos jus adpellationum quoad ipsam rei substantiam denegasse Pontifici Romano. Voluerunt namque Cœlestino Pontifici hujus nominis primo persuadere, illum appellationes Episcoporum aut Presbyterorum Africæ suscipere non debere, primò, quia hæc disciplina repugnat aperte definitionibus Synodi Nicenæ. Secundò, quod nulla proferri possit lex Ecclesiastica, quæ jus eripuerit Ecclesiæ Africanæ causas Episcoporum finiendi. Tertiò, quia causæ Ecclesiasticæ iis in locis debeant finiri, ubinam sint natæ. Quartò, quia Spiritus sancti gratia cuilibet Provinciæ non sit data secundum Christi pollicitationem. Quintò, quia testes Romam navigare non possint. Sextò, quia illis, qui se inique damnatos putaverint, liberum sit vel ad ad Synodos provinciales, vel ad generale totius Africæ Concilium appellare; quæ appelationes, inquit Alexander, non solummodo usum frequentiorem adpellationum, sed jus ipsum disciplinæ istius impugnant, atque sic Ecclesia Africana non de modo tantum, sed de jure etiam ipso adpellationum contendebat cum Pontificibus Romanis. Hoc ille contra suos, qui etsi in sequentibus Africanos accusat tanquam errore facti receptos, qui vero non multo post ab eo liberati jus illud agnoverint, & quæ sunt alia, quibus præantecessoribus rem acu tetigisse se putavit, non desiderabit tamen posthac, quorum censuræ rigorosiori exponentur. Id interea non prætermittendum, paucos ante annos Veronæ Franciscum à S. Augustino, alias Macedonem dictum, Minoris observantiæ scriptorem, aliis etiam operibus clarum, duplicem edidisse commentationem, quarum altera in hoc occupatur argumento, & tota Christiano Lupo supra citato est opposita, decem constans capitibus, in quibus multa observatu digna occurrunt, ubi illud inprimis capite tertio tanquam verisimile in se suscepit demonstrandum, Concilium hoc Sardicense non Catholicorum, prout communis fert sententia, sed hæreticorum fuisse, argumentis inde deductis, quod fuerit ignotum Patribus Africanis, ac idem statuerit Augustinus ipse, adcedente temporis, loci, numeri Episcoporum, subscriptionis & Præsidis diversitate, item scopo & forma Concilii, quæ & his similia non usque adeo quadrare ostendit. Capite autem ultimo defensionem Zosimi Pontificis ausus est contra eundem Lupum & plures alios defendere, Canones, quos Zosimus Africanis commendavit, minime Sardicenses, sed vere Nicenos fuisse, ab hæreticis nimirum mutilatos, atque ob illud ipsum incognitos Africanis. Ego nunc manum meam retraho ab hac tabula, vel potius ulcere, quod corpus Ecclesiæ Romanæ hactenus deformavit non solum, quidquid adhuc etiam ad ejus sanationem, vel qualemcunque rectius dissimulationem à pluribus Medicastris fuit collatum; hoc unum addens, quod ibidem non ita pridem eruditissimus Anglorum Guilielmus Beveregius in Pandectis Canonum ad quartum hujus Concilii Sardicensis observavit, in codice Amerbachiano, cujus tanquam antiquissimi & fide digni authoritate sæpius legitur usus in suis annotationibus, inter Canonem hunc qui medius est eorum, quibus hæc tractatio fuit addita, & interpretationem Gonaræ Græcum haberi scholium, quod is Latine sic expressit: Ex hoc Canone res Romana ad superbiam elata est, ut hunc tanquam à Synodo Nicena constitutum præferentes olim malefici tunc temporis Romanorum Præsides à Synodo Carthaginensi sunt deprehensi, quemad modum ipsum ejus proœmium ostendit. Quin etiam neque hic Canon amplius quid, quàm alii concedit istis, licet illi ita sine ratione opinentur. Nec enim absolute uspiam (Episcopum à Synodo)

depoſitum dicit licentiam habere appellandi ad Epiſcopum Romanum, ſic enim Concilium hoc Sardicenſe adverſaretur plane Conciliis œcumenicis, ſed eum, qui ab Epiſcopis finitimis, & rurſus eum, qui ab ipſius Provinciæ Epiſcopis ſit depoſitus. Neque etiam Metropolitæ conventum, neque exarchi ſive Patriarchæ præſentiam comprehendit, adeo, ut ſi quis eorum adſit ibi, & neque ab Epiſcopis finitimis, neque in viciniis Epiſcopi damnatio conſtituatur, nulla ab Epiſcopo Romano ſit vel fiat retractatio, quemadmodum in Canone hoc traditur; hic enim de iis ſolis, qui ſunt in Occidente, edicitur, quandoquidem Hoſius, & qui cum eo hos Canones exponebant, ex iſtis erant partibus. In Oriente autem uſque ad hunc diem talis conſuetudo neutiquam obtinuit. Hactenus Scholis è Codice manuſcripto, cui ſi addantur, quæ doctiſſimus Editor ſubjunxit, non parum lucis huic materiæ adcedet.

Bellarminus *l. cod.* 31.

Poſtquam c. antec. de propoſita ibidem quæſtione, an Papa hæreticus poſſit deponi, præter alias quatuor opiniones, non ſententias, ſuam quaſi veram & unice amplectendam Lectori commendavit, putans, Papam hæreticum manifeſtum per ſe deſinere eſſe Papam & caput, ſicut per ſe deſinat eſſe Chriſtianus & membrum corporis Eccleſiæ, adeoque poſſe eum ab Eccleſia judicari & puniri, qua de ſententia vel opinione Launojus agit in peculiari Epiſtola ad libri quarti caput ſecundum, uti poſthac ſuo tempore & loco notatu digna exinde depromentur; adgreditur nunc porro nomina, quæ Pontifici Romano à pluribus huic ſolent attribui, ex quibus ultimum, ſed ſimul efficaciſſimum exiſtimat pro dignitate Pontificis Monarchica formari poſſe argumentum, è quorum numero quia unum & alterum examini ſubjicere placuit Launojo, quid ei de his videatur, paucis animadvertendum eſt. De primo quidem, quo Pontifex vocatur Papa, agendum erit ad dictatus Gregorii hoc nomine ſeptimi, quibus excutiendis ſingularem conſervavit Epiſtolam Launojus, nobis nunc poſt & inter alia ſextum *attendentibus, quo Bellarminus Pontificem Romanum dicit vocari Vicarium Chriſti, Bernhardo non tantum hoc titulo utente in libro ſecundo de conſideratione ad Eugenium, ſed Concilio etiam Lugdunenſi ſub Gregorio hujus nominis decimo, &c.*

Launojus Tom. III. *Epiſt.* 2.

LAudat quidem, quod Bellarminus in hac Tractatione varia conquiſiverit dignitatis nomina, quæ Pontifici Romano quondam à Conciliis & Patribus ſubinde tributa ſunt, ſed ſimul miratur addidiſſe, quod unum prætermiſerit titulum, quo nullus ſit apud ipſos Pontifices Romanos uſitatior, & apud Concilia ac Eccleſiæ tractatores familiarior, dum vocatus fuit Vicarius Petri vel Apoſtolorum, qui ſcilicet Romanam fundarint & ſuo ſanguine conſecrarint Eccleſiam, adſcribens teſtimonia Leonis primi & Magni, Felicis tertii, Gelaſii hoc nomine primi, Symmachi, Vigilii, Gregorii itidem primi & Magni, Stephani tertii, Hadriani primi, Nicolai quoque primi, Hadriani ſecundi, Johannis octavi, Johannis decimi & tertii, Leonis noni, Nicolai ſecundi, Gregorii ſeptimi, Paſchalis ſecundi, Alexandri tertii, ex ordine Pontificum, quibus addit Profeſſionem Fidei, quam olim electi & conſecrandi Pontifices edebant, uti & Pontificale Romanum duplex manuſcriptum & typis expreſſum; ex ordine vero Epiſcoporum & Conciliorum Aſcanii & Epiſcoporum Provinciæ Tarraconenſis in epiſtola ad Papam Hilarium, Synodi Romanæ ſub Gelaſio, & aliis ſub Gregorio Synodi ſeptimæ univerſalis, Synodi Turonenſis ſeculo nono habitæ, Pontigonenſis tempore Johannis octavi, Remenſis ſub Leone nono, Concilii apud S. Macram in epiſtola ad Ludo-

Digitized by Google

Acts 1:1 The former treatise have I made, O Theophilus, of all that Jesus began both to do and teach,
2 Until the day in which he was taken up, after that he through the Holy Ghost had given commandments unto the apostles whom he had chosen:
3 To whom also he showed himself alive after his passion by many infallible proofs, being seen of them forty days, and speaking of the things pertaining to the kingdom of God:
4 And, being assembled together with them, commanded them that they should not depart from Jerusalem, but wait for the promise of the Father, which, saith he, ye have heard of me.
5 For John truly baptized with water; but ye shall be baptized with the Holy Ghost not many days hence.
6 When they therefore were come together, they asked of him, saying, Lord, wilt thou at this time restore again the kingdom to Israel?
7 And he said unto them, It is not for you to know the times or the seasons, which the Father hath put in his own power.
8 But ye shall receive power, after that the Holy Ghost is come upon you: and ye shall be witnesses unto me both in Jerusalem, and in all Judaea, and in Samaria, and unto the uttermost part of the earth.
9 And when he had spoken these things, while they beheld, he was taken up; and a cloud received him out of their sight.
10 And while they looked stedfastly toward heaven as he went up, behold, two men stood by them in white apparel;
11 Which also said, Ye men of Galilee, why stand ye gazing up into heaven? this same Jesus, which is taken up from you into heaven, shall so come in like manner as ye have seen him go into heaven.
12 Then returned they unto Jerusalem from the mount called Olivet, which is from Jerusalem a sabbath day's journey.
13 And when they were come in, they went up into an upper room, where abode both Peter, and James, and John, and Andrew, Philip, and Thomas, Bartholomew, and Matthew, James the son of Alphaeus, and Simon Zelotes, and Judas the brother of James.
14 These all continued with one accord in prayer and supplication, with the women, and Mary the mother of Jesus, and with his brethren.
15 And in those days Peter stood up in the midst of the disciples, and said, (the number of names together were about an hundred and twenty,)
16 Men and brethren, this scripture must needs have been fulfilled, which the Holy Ghost by the mouth of David spake before concerning Judas, which was guide to them that took Jesus.
17 For he was numbered with us, and had obtained part of this ministry.
18 Now this man purchased a field with the reward of iniquity; and falling headlong, he burst asunder in the midst, and all his bowels gushed out.
19 And it was known unto all the dwellers at Jerusalem; insomuch as that field is called in their proper tongue, Aceldama, that is to say, The field of blood.
20 For it is written in the book of Psalms, Let his habitation be desolate, and let no man dwell therein: and his bishoprick let another take.
21 Wherefore of these men which have companied with us all the time that the Lord Jesus went in and out among us,
22 Beginning from the baptism of John, unto that same day that he was taken up from us, must one be ordained to be a witness with us of his resurrection.
23 And they appointed two, Joseph called Barsabas, who was surnamed Justus, and Matthias.
24 And they prayed, and said, Thou, Lord, which knowest the hearts of all men, shew whether of these two thou hast chosen,
25 That he may take part of this ministry and apostleship, from which Judas by transgression fell, that he might go to his own place.
26 And they gave forth their lots; and the lot fell upon Matthias; and he was numbered with the eleven apostles.

Acts 2:1 And when the day of Pentecost was fully come, they were all with one accord in one place.
2 And suddenly there came a sound from heaven as of a rushing mighty wind, and it filled all the house where they were sitting.
3 And there appeared unto them cloven tongues like as of fire, and it sat upon each of them.
4 And they were all filled with the Holy Ghost, and began to speak with other tongues, as the Spirit gave them utterance.
5 And there were dwelling at Jerusalem Jews, devout men, out of every nation under heaven.
6 Now when this was noised abroad, the multitude came together, and were confounded, because that every man heard them speak in his own language.
7 And they were all amazed and marvelled, saying one to another, Behold, are not all these which speak Galilaeans?
8 And how hear we every man in our own tongue, wherein we were born?
9 Parthians, and Medes, and Elamites, and the dwellers in Mesopotamia, and in Judaea, and Cappadocia, in Pontus, and Asia,
10 Phrygia, and Pamphylia, in Egypt, and in the parts of Libya about Cyrene, and strangers of Rome, Jews and proselytes,
11 Cretes and Arabians, we do hear them speak in our tongues the wonderful works of God.
12 And they were all amazed, and were in doubt, saying one to another, What meaneth this?
13 Others mocking said, These men are full of new wine.
14 But Peter, standing up with the eleven, lifted up his voice, and said unto them, Ye men of Judaea, and all ye that dwell at Jerusalem, be this known unto you, and hearken to my words:
15 For these are not drunken, as ye suppose, seeing it is but the third hour of the day.
16 But this is that which was spoken by the prophet Joel;
17 And it shall come to pass in the last days, saith God, I will pour out of my Spirit upon all flesh: and your sons and your daughters shall prophesy, and your young men shall see visions, and your old men shall dream dreams:
18 And on my servants and on my handmaidens I will pour out in those days of my Spirit; and they shall prophesy:
19 And I will shew wonders in heaven above, and signs in the earth beneath; blood, and fire, and vapour of smoke:
20 The sun shall be turned into darkness, and the moon into blood, before that great and notable day of the Lord come:
21 And it shall come to pass, that whosoever shall call on the name of the Lord shall be saved.
22 Ye men of Israel, hear these words; Jesus of Nazareth, a man approved of God among you by miracles and wonders and signs, which God did by him in the midst of you, as ye yourselves also know:
23 Him, being delivered by the determinate counsel and foreknowledge of God, ye have taken, and by wicked hands have crucified and slain:
24 Whom God hath raised up, having loosed the pains of death: because it was not possible that he should be holden of it.
25 For David speaketh concerning him, I foresaw the Lord always before my face, for he is on my right hand, that I should not be moved:
26 Therefore did my heart rejoice, and my tongue was glad; moreover also my flesh shall rest in hope:
27 Because thou wilt not leave my soul in hell, neither wilt thou suffer thine Holy One to see corruption.
28 Thou hast made known to me the ways of life; thou shalt make me full of joy with thy countenance.
29 Men and brethren, let me freely speak unto you of the patriarch David, that he is both dead and buried, and his sepulchre is with us unto this day.
30 Therefore being a prophet, and knowing that God had sworn with an oath to him, that of the fruit of his loins, according to the flesh, he would raise up Christ to sit on his throne;
31 He seeing this before spake of the resurrection of Christ, that his soul was not left in hell, neither his flesh did see corruption.
32 This Jesus hath God raised up, whereof we all are witnesses.
33 Therefore being by the right hand of God exalted, and having received of the Father the promise of the Holy Ghost, he hath shed forth this, which ye now see and hear.
34 For David is not ascended into the heavens: but he saith himself, The Lord said unto my Lord, Sit thou on my right hand,
35 Until I make thine enemies thy footstool.
36 Therefore let all the house of Israel know assuredly, that God hath made that same Jesus, whom ye have crucified, both Lord and Christ.
37 Now when they heard this, they were pricked in their heart, and said unto Peter and to the rest of the apostles, Men and brethren, what shall we do?
38 Then Peter said unto them, Repent, and be baptized every one of you in the name of Jesus Christ for the remission of sins, and ye shall receive the gift of the Holy Ghost.
39 For the promise is unto you, and to your children, and to all that are afar off, even as many as the Lord our God shall call.
40 And with many other words did he testify and exhort, saying, Save yourselves from this untoward generation.
41 Then they that gladly received his word were baptized: and the same day there were added unto them about three thousand souls.
42 And they continued stedfastly in the apostles' doctrine and fellowship, and in breaking of bread, and in prayers.
43 And fear came upon every soul: and many wonders and signs were done by the apostles.
44 And all that believed were together, and had all things common;
45 And sold their possessions and goods, and parted them to all men, as every man had need.
46 And they, continuing daily with one accord in the temple, and breaking bread from house to house, did eat their meat with gladness and singleness of heart,
47 Praising God, and having favour with all the people. And the Lord added to the church daily such as should be saved.

Acts 3:1 Now Peter and John went up together into the temple at the hour of prayer, being the ninth hour.
2 And a certain man lame from his mother's womb was carried, whom they laid daily at the gate of the temple which is called Beautiful, to ask alms of them that entered into the temple;
3 Who seeing Peter and John about to go into the temple asked an alms.
4 And Peter, fastening his eyes upon him with John, said, Look on us.
5 And he gave heed unto them, expecting to receive something of them.
6 Then Peter said, Silver and gold have I none; but such as I have give I thee: In the name of Jesus Christ of Nazareth rise up and walk.
7 And he took him by the right hand, and lifted him up: and immediately his feet and ankle bones received strength.
8 And he leaping up stood, and walked, and entered with them into the temple, walking, and leaping, and praising God.
9 And all the people saw him walking and praising God:
10 And they knew that it was he which sat for alms at the Beautiful gate of the temple: and they were filled with wonder and amazement at that which had happened unto him.
11 And as the lame man which was healed held Peter and John, all the people ran together unto them in the porch that is called Solomon's, greatly wondering.
12 And when Peter saw it, he answered unto the people, Ye men of Israel, why marvel ye at this? or why look ye so earnestly on us, as though by our own power or holiness we had made this man to walk?
13 The God of Abraham, and of Isaac, and of Jacob, the God of our fathers, hath glorified his Son Jesus; whom ye delivered up, and denied him in the presence of Pilate, when he was determined to let him go.
14 But ye denied the Holy One and the Just, and desired a murderer to be granted unto you;
15 And killed the Prince of life, whom God hath raised from the dead; whereof we are witnesses.
16 And his name through faith in his name hath made this man strong, whom ye see and know: yea, the faith which is by him hath given him this perfect soundness in the presence of you all.
17 And now, brethren, I wot that through ignorance ye did it, as did also your rulers.
18 But those things, which God before had shewed by the mouth of all his prophets, that Christ should suffer, he hath so fulfilled.
19 Repent ye therefore, and be converted, that your sins may be blotted out, when the times of refreshing shall come from the presence of the Lord.
20 And he shall send Jesus Christ, which before was preached unto you:
21 Whom the heaven must receive until the times of restitution of all things, which God hath spoken by the mouth of all his holy prophets since the world began.
22 For Moses truly said unto the fathers, A prophet shall the Lord your God raise up unto you of your brethren, like unto me; him shall ye hear in all things whatsoever he shall say unto you.
23 And it shall come to pass, that every soul, which will not hear that prophet, shall be destroyed from among the people.
24 Yea, and all the prophets from Samuel and those that follow after, as many as have spoken, have likewise foretold of these days.
25 Ye are the children of the prophets, and of the covenant which God made with our fathers, saying unto Abraham, And in thy seed shall all the kindreds of the earth be blessed.
26 Unto you first God, having raised up his Son Jesus, sent him to bless you, in turning away every one of you from his iniquities.

Acts 4:1 And as they spake unto the people, the priests, and the captain of the temple, and the Sadducees, came upon them,
2 Being grieved that they taught the people, and preached through Jesus the resurrection from the dead.
3 And they laid hands on them, and put them in hold unto the next day: for it was now eventide.
4 Howbeit many of them which heard the word believed; and the number of the men was about five thousand.
5 And it came to pass on the morrow, that their rulers, and elders, and scribes,
6 And Annas the high priest, and Caiaphas, and John, and Alexander, and as many as were of the kindred of the high priest, were gathered together at Jerusalem.
7 And when they had set them in the midst, they asked, By what power, or by what name, have ye done this?
8 Then Peter, filled with the Holy Ghost, said unto them, Ye rulers of the people, and elders of Israel,
9 If we this day be examined of the good deed done to the impotent man, by what means he is made whole;
10 Be it known unto you all, and to all the people of Israel, that by the name of Jesus Christ of Nazareth, whom ye crucified, whom God raised from the dead, even by him doth this man stand here before you whole.
11 This is the stone which was set at nought of you builders, which is become the head of the corner.
12 Neither is there salvation in any other: for there is none other name under heaven given among men, whereby we must be saved.
13 Now when they saw the boldness of Peter and John, and perceived that they were unlearned and ignorant men, they marvelled; and they took knowledge of them, that they had been with Jesus.
14 And beholding the man which was healed standing with them, they could say nothing against it.
15 But when they had commanded them to go aside out of the council, they conferred among themselves,
16 Saying, What shall we do to these men? for that indeed a notable miracle hath been done by them is manifest to all them that dwell in Jerusalem; and we cannot deny it.
17 But that it spread no further among the people, let us straitly threaten them, that they speak henceforth to no man in this name.
18 And they called them, and commanded them not to speak at all nor teach in the name of Jesus.
19 But Peter and John answered and said unto them, Whether it be right in the sight of God to hearken unto you more than unto God, judge ye.
20 For we cannot but speak the things which we have seen and heard.
21 So when they had further threatened them, they let them go, finding nothing how they might punish them, because of the people: for all men glorified God for that which was done.
22 For the man was above forty years old, on whom this miracle of healing was shewed.
23 And being let go, they went to their own company, and reported all that the chief priests and elders had said unto them.
24 And when they heard that, they lifted up their voice to God with one accord, and said, Lord, thou art God, which hast made heaven, and earth, and the sea, and all that in them is:
25 Who by the mouth of thy servant David hast said, Why did the heathen rage, and the people imagine vain things?
26 The kings of the earth stood up, and the rulers were gathered together against the Lord, and against his Christ.
27 For of a truth against thy holy child Jesus, whom thou hast anointed, both Herod, and Pontius Pilate, with the Gentiles, and the people of Israel, were gathered together,
28 For to do whatsoever thy hand and thy counsel determined before to be done.
29 And now, Lord, behold their threatenings: and grant unto thy servants, that with all boldness they may speak thy word,
30 By stretching forth thine hand to heal; and that signs and wonders may be done by the name of thy holy child Jesus.
31 And when they had prayed, the place was shaken where they were assembled together; and they were all filled with the Holy Ghost, and they spake the word of God with boldness.
32 And the multitude of them that believed were of one heart and of one soul: neither said any of them that aught of the things which he possessed was his own; but they had all things common.
33 And with great power gave the apostles witness of the resurrection of the Lord Jesus: and great grace was upon them all.
34 Neither was there any among them that lacked: for as many as were possessors of lands or houses sold them, and brought the prices of the things that were sold,
35 And laid them down at the apostles' feet: and distribution was made unto every man according as he had need.
36 And Joses, who by the apostles was surnamed Barnabas, (which is, being interpreted, The son of consolation,) a Levite, and of the country of Cyprus,
37 Having land, sold it, and brought the money, and laid it at the apostles' feet.

Acts 5:1 But a certain man named Ananias, with Sapphira his wife, sold a possession,
2 And kept back part of the price, his wife also being privy to it, and brought a certain part, and laid it at the apostles' feet.
3 But Peter said, Ananias, why hath Satan filled thine heart to lie to the Holy Ghost, and to keep back part of the price of the land?
4 Whiles it remained, was it not thine own? and after it was sold, was it not in thine own power? why hast thou conceived this thing in thine heart? thou hast not lied unto men, but unto God.
5 And Ananias hearing these words fell down, and gave up the ghost: and great fear came on all them that heard these things.
6 And the young men arose, wound him up, and carried him out, and buried him.
7 And it was about the space of three hours after, when his wife, not knowing what was done, came in.
8 And Peter answered unto her, Tell me whether ye sold the land for so much? And she said, Yea, for so much.
9 Then Peter said unto her, How is it that ye have agreed together to tempt the Spirit of the Lord? behold, the feet of them which have buried thy husband are at the door, and shall carry thee out.
10 Then fell she down straightway at his feet, and yielded up the ghost: and the young men came in, and found her dead, and, carrying her forth, buried her by her husband.
11 And great fear came upon all the church, and upon as many as heard these things.
12 And by the hands of the apostles were many signs and wonders wrought among the people; (and they were all with one accord in Solomon's porch.
13 And of the rest durst no man join himself to them: but the people magnified them.
14 And believers were the more added to the Lord, multitudes both of men and women.)
15 Insomuch that they brought forth the sick into the streets, and laid them on beds and couches, that at the least the shadow of Peter passing by might overshadow some of them.
16 There came also a multitude out of the cities round about unto Jerusalem, bringing sick folks, and them which were vexed with unclean spirits: and they were healed every one.
17 Then the high priest rose up, and all they that were with him, (which is the sect of the Sadducees,) and were filled with indignation,
18 And laid their hands on the apostles, and put them in the common prison.
19 But the angel of the Lord by night opened the prison doors, and brought them forth, and said,
20 Go, stand and speak in the temple to the people all the words of this life.
21 And when they heard that, they entered into the temple early in the morning, and taught. But the high priest came, and they that were with him, and called the council together, and all the senate of the children of Israel, and sent to the prison to have them brought.
22 But when the officers came, and found them not in the prison, they returned, and told,
23 Saying, The prison truly found we shut with all safety, and the keepers standing without before the doors: but when we had opened, we found no man within.
24 Now when the high priest and the captain of the temple and the chief priests heard these things, they doubted of them whereunto this would grow.
25 Then came one and told them, saying, Behold, the men whom ye put in prison are standing in the temple, and teaching the people.
26 Then went the captain with the officers, and brought them without violence: for they feared the people, lest they should have been stoned.
27 And when they had brought them, they set them before the council: and the high priest asked them,
28 Saying, Did not we straitly command you that ye should not teach in this name? and, behold, ye have filled Jerusalem with your doctrine, and intend to bring this man's blood upon us.
29 Then Peter and the other apostles answered and said, We ought to obey God rather than men.
30 The God of our fathers raised up Jesus, whom ye slew and hanged on a tree.
31 Him hath God exalted with his right hand to be a Prince and a Saviour, for to give repentance to Israel, and forgiveness of sins.
32 And we are his witnesses of these things; and so is also the Holy Ghost, whom God hath given to them that obey him.
33 When they heard that, they were cut to the heart, and took counsel to slay them.
34 Then stood there up one in the council, a Pharisee, named Gamaliel, a doctor of the law, had in reputation among all the people, and commanded to put the apostles forth a little space;
35 And said unto them, Ye men of Israel, take heed to yourselves what ye intend to do as touching these men.
36 For before these days rose up Theudas, boasting himself to be somebody; to whom a number of men, about four hundred, joined themselves: who was slain; and all, as many as obeyed him, were scattered, and brought to nought.
37 After this man rose up Judas of Galilee in the days of the taxing, and drew away much people after him: he also perished; and all, even as many as obeyed him, were dispersed.
38 And now I say unto you, Refrain from these men, and let them alone: for if this counsel or this work be of men, it will come to nought:
39 But if it be of God, ye cannot overthrow it; lest haply ye be found even to fight against God.
40 And to him they agreed: and when they had called the apostles, and beaten them, they commanded that they should not speak in the name of Jesus, and let them go.
41 And they departed from the presence of the council, rejoicing that they were counted worthy to suffer shame for his name.
42 And daily in the temple, and in every house, they ceased not to teach and preach Jesus Christ.

Acts 6:1 And in those days, when the number of the disciples was multiplied, there arose a murmuring of the Grecians against the Hebrews, because their widows were neglected in the daily ministration.
2 Then the twelve called the multitude of the disciples unto them, and said, It is not reason that we should leave the word of God, and serve tables.
3 Wherefore, brethren, look ye out among you seven men of honest report, full of the Holy Ghost and wisdom, whom we may appoint over this business.
4 But we will give ourselves continually to prayer, and to the ministry of the word.
5 And the saying pleased the whole multitude: and they chose Stephen, a man full of faith and of the Holy Ghost, and Philip, and Prochorus, and Nicanor, and Timon, and Parmenas, and Nicolas a proselyte of Antioch:
6 Whom they set before the apostles: and when they had prayed, they laid their hands on them.
7 And the word of God increased; and the number of the disciples multiplied in Jerusalem greatly; and a great company of the priests were obedient to the faith.
8 And Stephen, full of faith and power, did great wonders and miracles among the people.
9 Then there arose certain of the synagogue, which is called the synagogue of the Libertines, and Cyrenians, and Alexandrians, and of them of Cilicia and of Asia, disputing with Stephen.
10 And they were not able to resist the wisdom and the spirit by which he spake.
11 Then they suborned men, which said, We have heard him speak blasphemous words against Moses, and against God.
12 And they stirred up the people, and the elders, and the scribes, and came upon him, and caught him, and brought him to the council,
13 And set up false witnesses, which said, This man ceaseth not to speak blasphemous words against this holy place, and the law:
14 For we have heard him say, that this Jesus of Nazareth shall destroy this place, and shall change the customs which Moses delivered us.
15 And all that sat in the council, looking stedfastly on him, saw his face as it had been the face of an angel.

Acts 7:1 Then said the high priest, Are these things so?
2 And he said, Men, brethren, and fathers, hearken; The God of glory appeared unto our father Abraham, when he was in Mesopotamia, before he dwelt in Charran,
3 And said unto him, Get thee out of thy country, and from thy kindred, and come into the land which I shall shew thee.
4 Then came he out of the land of the Chaldaeans, and dwelt in Charran: and from thence, when his father was dead, he removed him into this land, wherein ye now dwell.
5 And he gave him none inheritance in it, no, not so much as to set his foot on: yet he promised that he would give it to him for a possession, and to his seed after him, when as yet he had no child.
6 And God spake on this wise, That his seed should sojourn in a strange land; and that they should bring them into bondage, and entreat them evil four hundred years.
7 And the nation to whom they shall be in bondage will I judge, said God: and after that shall they come forth, and serve me in this place.
8 And he gave him the covenant of circumcision: and so Abraham begat Isaac, and circumcised him the eighth day; and Isaac begat Jacob; and Jacob begat the twelve patriarchs.
9 And the patriarchs, moved with envy, sold Joseph into Egypt: but God was with him,
10 And delivered him out of all his afflictions, and gave him favour and wisdom in the sight of Pharaoh king of Egypt; and he made him governor over Egypt and all his house.
11 Now there came a dearth over all the land of Egypt and Chanaan, and great affliction: and our fathers found no sustenance.
12 But when Jacob heard that there was corn in Egypt, he sent out our fathers first.
13 And at the second time Joseph was made known to his brethren; and Joseph's kindred was made known unto Pharaoh.
14 Then sent Joseph, and called his father Jacob to him, and all his kindred, threescore and fifteen souls.
15 So Jacob went down into Egypt, and died, he, and our fathers,
16 And were carried over into Sychem, and laid in the sepulchre that Abraham bought for a sum of money of the sons of Emmor the father of Sychem.
17 But when the time of the promise drew nigh, which God had sworn to Abraham, the people grew and multiplied in Egypt,
18 Till the time that another king arose, which knew not Joseph.
19 The same dealt subtilly with our kindred, and evil entreated our fathers, so that they cast out their young children, to the end they might not live.
20 In which time Moses was born, and was exceeding fair, and nourished up in his father's house three months:
21 And when he was cast out, Pharaoh's daughter took him up, and nourished him for her own son.
22 And Moses was learned in all the wisdom of the Egyptians, and was mighty in words and in deeds.
23 And when he was full forty years old, it came into his heart to visit his brethren the children of Israel.
24 And seeing one of them suffer wrong, he defended him, and avenged him that was oppressed, and smote the Egyptian:
25 For he supposed his brethren would have understood how that God by his hand would deliver them: but they understood not.
26 And the next day he shewed himself unto them as they strove, and would have set them at one again, saying, Sirs, ye are brethren; why do ye wrong one to another?
27 But he that did his neighbour wrong thrust him away, saying, Who made thee a ruler and a judge over us?
28 Will thou kill me, as thou didst the Egyptian yesterday?
29 Then fled Moses at this saying, and was a stranger in the land of Madian, where he begat two sons.
30 And when forty years were expired, there appeared to him in the wilderness of mount Sina an angel of the Lord in a flame of fire in a bush.
31 When Moses saw it, he wondered at the sight: and as he drew near to behold it, the voice of the Lord came unto him,
32 Saying, I am the God of thy fathers, the God of Abraham, and Isaac, and Jacob. Then Moses trembled, and durst not behold.
33 Then said the Lord to him, Put off thy shoes from thy feet: for the place where thou standest is holy ground.
34 I have seen, I have seen the affliction of my people which is in Egypt, and I have heard their groaning, and am come down to deliver them. And now come, I will send thee into Egypt.
35 This Moses whom they refused, saying, Who made thee a ruler and a judge? the same did God send to be a ruler and a deliverer by the hand of the angel which appeared to him in the bush.
36 He brought them out, after that he had shewed wonders and signs in the land of Egypt, and in the Red sea, and in the wilderness forty years.
37 This is that Moses, which said unto the children of Israel, A prophet shall the Lord your God raise up unto you of your brethren, like unto me; him shall ye hear.
38 This is he, that was in the church in the wilderness with the angel which spake to him in the mount Sina, and with our fathers: who received the lively oracles to give unto us:
39 To whom our fathers would not obey, but thrust him from them, and in their hearts turned back again into Egypt,
40 Saying unto Aaron, Make us gods to go before us: for as for this Moses, which brought us out of the land of Egypt, we wot not what is become of him.
41 And they made a calf in those days, and offered sacrifice unto the idol, and rejoiced in the works of their own hands.
42 Then God turned, and gave them up to worship the host of heaven; as it is written in the book of the prophets, O ye house of Israel, have ye offered to me slain beasts and sacrifices by the space of forty years in the wilderness?
43 Yea, ye took up the tabernacle of Moloch, and the star of your god Remphan, figures which ye made to worship them: and I will carry you away beyond Babylon.
44 Our fathers had the tabernacle of witness in the wilderness, as he had appointed, speaking unto Moses, that he should make it according to the fashion that he had seen.
45 Which also our fathers that came after brought in with Jesus into the possession of the Gentiles, whom God drave out before the face of our fathers, unto the days of David;
46 Who found favour before God, and desired to find a tabernacle for the God of Jacob.
47 But Solomon built him an house.
48 Howbeit the most High dwelleth not in temples made with hands; as saith the prophet,
49 Heaven is my throne, and earth is my footstool: what house will ye build me? saith the Lord: or what is the place of my rest?
50 Hath not my hand made all these things?
51 Ye stiffnecked and uncircumcised in heart and ears, ye do always resist the Holy Ghost: as your fathers did, so do ye.
52 Which of the prophets have not your fathers persecuted? and they have slain them which shewed before of the coming of the Just One; of whom ye have been now the betrayers and murderers:
53 Who have received the law by the disposition of angels, and have not kept it.
54 When they heard these things, they were cut to the heart, and they gnashed on him with their teeth.
55 But he, being full of the Holy Ghost, looked up stedfastly into heaven, and saw the glory of God, and Jesus standing on the right hand of God,
56 And said, Behold, I see the heavens opened, and the Son of man standing on the right hand of God.
57 Then they cried out with a loud voice, and stopped their ears, and ran upon him with one accord,
58 And cast him out of the city, and stoned him: and the witnesses laid down their clothes at a young man's feet, whose name was Saul.
59 And they stoned Stephen, calling upon God, and saying, Lord Jesus, receive my spirit.
60 And he kneeled down, and cried with a loud voice, Lord, lay not this sin to their charge. And when he had said this, he fell asleep.

Acts 8:1 And Saul was consenting unto his death. At that time there was a great persecution against the church which was at Jerusalem; and they were all scattered abroad throughout the regions of Judaea and Samaria, except the apostles.
2 And devout men carried Stephen to his burial, and made great lamentation over him.
3 As for Saul, he made havock of the church, entering into every house, and haling men and women committed them to prison.
4 Therefore they that were scattered abroad went every where preaching the word.
5 Then Philip went down to the city of Samaria, and preached Christ unto them.
6 And the people with one accord gave heed unto those things which Philip spake, hearing and seeing the miracles which he did.
7 For unclean spirits, crying with loud voice, came out of many that were possessed with them: and many taken with palsies, and that were lame, were healed.
8 And there was great joy in that city.
9 But there was certain man, called Simon, which before time in the same city used sorcery, and bewitched the people of Samaria, giving out that himself was some great one:
10 To whom they all gave heed, from the least to the greatest, saying, This man is the great power of God.
11 And to him they had regard, because that of long time he had bewitched them with sorceries.
12 But when they believed Philip preaching the things concerning the kingdom of God, and the name of Jesus Christ, they were baptized, both men and women.
13 Then Simon himself believed also: and when he was baptized, he continued with Philip, and wondered, beholding the miracles and signs which were done.
14 Now when the apostles which were at Jerusalem heard that Samaria had received the word of God, they sent unto them Peter and John:
15 Who, when they were come down, prayed for them, that they might receive the Holy Ghost:
16 (For as yet he was fallen upon none of them: only they were baptized in the name of the Lord Jesus.)
17 Then laid they their hands on them, and they received the Holy Ghost.
18 And when Simon saw that through laying on of the apostles' hands the Holy Ghost was given, he offered them money,
19 Saying, Give me also this power, that on whomsoever I lay hands, he may receive the Holy Ghost.
20 But Peter said unto him, Thy money perish with thee, because thou hast thought that the gift of God may be purchased with money.
21 Thou hast neither part nor lot in this matter: for thy heart is not right in the sight of God.
22 Repent therefore of this thy wickedness, and pray God, if perhaps the thought of thine heart may be forgiven thee.
23 For I perceive that thou art in the gall of bitterness, and in the bond of iniquity.
24 Then answered Simon, and said, Pray ye to the Lord for me, that none of these things which ye have spoken come upon me.
25 And they, when they had testified and preached the word of the Lord, returned to Jerusalem, and preached the gospel in many villages of the Samaritans.
26 And the angel of the Lord spake unto Philip, saying, Arise, and go toward the south unto the way that goeth down from Jerusalem unto Gaza, which is desert.
27 And he arose and went: and, behold, a man of Ethiopia, an eunuch of great authority under Candace queen of the Ethiopians, who had the charge of all her treasure, and had come to Jerusalem for to worship,
28 Was returning, and sitting in his chariot read Esaias the prophet.
29 Then the Spirit said unto Philip, Go near, and join thyself to this chariot.
30 And Philip ran thither to him, and heard him read the prophet Esaias, and said, Understandest thou what thou readest?
31 And he said, How can I, except some man should guide me? And he desired Philip that he would come up and sit with him.
32 The place of the scripture which he read was this, He was led as a sheep to the slaughter; and like a lamb dumb before his shearer, so opened he not his mouth:
33 In his humiliation his judgment was taken away: and who shall declare his generation? for his life is taken from the earth.
34 And the eunuch answered Philip, and said, I pray thee, of whom speaketh the prophet this? of himself, or of some other man?
35 Then Philip opened his mouth, and began at the same scripture, and preached unto him Jesus.
36 And as they went on their way, they came unto a certain water: and the eunuch said, See, here is water; what doth hinder me to be baptized?
37 And Philip said, If thou believest with all thine heart, thou mayest. And he answered and said, I believe that Jesus Christ is the Son of God.
38 And he commanded the chariot to stand still: and they went down both into the water, both Philip and the eunuch; and he baptized him.
39 And when they were come up out of the water, the Spirit of the Lord caught away Philip, that the eunuch saw him no more: and he went on his way rejoicing.
40 But Philip was found at Azotus: and passing through he preached in all the cities, till he came to Caesarea.

Acts 9:1 And Saul, yet breathing out threatenings and slaughter against the disciples of the Lord, went unto the high priest,
2 And desired of him letters to Damascus to the synagogues, that if he found any of this way, whether they were men or women, he might bring them bound unto Jerusalem.
3 And as he journeyed, he came near Damascus: and suddenly there shined round about him a light from heaven:
4 And he fell to the earth, and heard a voice saying unto him, Saul, Saul, why persecutest thou me?
5 And he said, Who art thou, Lord? And the Lord said, I am Jesus whom thou persecutest: it is hard for thee to kick against the pricks.
6 And he trembling and astonished said, Lord, what wilt thou have me to do? And the Lord said unto him, Arise, and go into the city, and it shall be told thee what thou must do.
7 And the men which journeyed with him stood speechless, hearing a voice, but seeing no man.
8 And Saul arose from the earth; and when his eyes were opened, he saw no man: but they led him by the hand, and brought him into Damascus.
9 And he was three days without sight, and neither did eat nor drink.
10 And there was a certain disciple at Damascus, named Ananias; and to him said the Lord in a vision, Ananias. And he said, Behold, I am here, Lord.
11 And the Lord said unto him, Arise, and go into the street which is called Straight, and inquire in the house of Judas for one called Saul of Tarsus: for, behold, he prayeth,
12 And hath seen in a vision a man named Ananias coming in, and putting his hand on him, that he might receive his sight.
13 Then Ananias answered, Lord, I have heard by many of this man, how much evil he hath done to thy saints at Jerusalem:
14 And here he hath authority from the chief priests to bind all that call on thy name.
15 But the Lord said unto him, Go thy way: for he is a chosen vessel unto me, to bear my name before the Gentiles, and kings, and the children of Israel:
16 For I will shew him how great things he must suffer for my name's sake.
17 And Ananias went his way, and entered into the house; and putting his hands on him said, Brother Saul, the Lord, even Jesus, that appeared unto thee in the way as thou camest, hath sent me, that thou mightest receive thy sight, and be filled with the Holy Ghost.
18 And immediately there fell from his eyes as it had been scales: and he received sight forthwith, and arose, and was baptized.
19 And when he had received meat, he was strengthened. Then was Saul certain days with the disciples which were at Damascus.
20 And straightway he preached Christ in the synagogues, that he is the Son of God.
21 But all that heard him were amazed, and said, Is not this he that destroyed them which called on this name in Jerusalem, and came hither for that intent, that he might bring them bound unto the chief priests?
22 But Saul increased the more in strength, and confounded the Jews which dwelt at Damascus, proving that this is very Christ.
23 And after that many days were fulfilled, the Jews took counsel to kill him:
24 But their laying wait was known of Saul. And they watched the gates day and night to kill him.
25 Then the disciples took him by night, and let him down by the wall in a basket.
26 And when Saul was come to Jerusalem, he assayed to join himself to the disciples: but they were all afraid of him, and believed not that he was a disciple.
27 But Barnabas took him, and brought him to the apostles, and declared unto them how he had seen the Lord in the way, and that he had spoken to him, and how he had preached boldly at Damascus in the name of Jesus.
28 And he was with them coming in and going out at Jerusalem.
29 And he spake boldly in the name of the Lord Jesus, and disputed against the Grecians: but they went about to slay him.
30 Which when the brethren knew, they brought him down to Caesarea, and sent him forth to Tarsus.
31 Then had the churches rest throughout all Judaea and Galilee and Samaria, and were edified; and walking in the fear of the Lord, and in the comfort of the Holy Ghost, were multiplied.
32 And it came to pass, as Peter passed throughout all quarters, he came down also to the saints which dwelt at Lydda.
33 And there he found a certain man named Aeneas, which had kept his bed eight years, and was sick of the palsy.
34 And Peter said unto him, Aeneas, Jesus Christ maketh thee whole: arise, and make thy bed. And he arose immediately.
35 And all that dwelt at Lydda and Saron saw him, and turned to the Lord.
36 Now there was at Joppa a certain disciple named Tabitha, which by interpretation is called Dorcas: this woman was full of good works and almsdeeds which she did.
37 And it came to pass in those days, that she was sick, and died: whom when they had washed, they laid her in an upper chamber.
38 And forasmuch as Lydda was nigh to Joppa, and the disciples had heard that Peter was there, they sent unto him two men, desiring him that he would not delay to come to them.
39 Then Peter arose and went with them. When he was come, they brought him into the upper chamber: and all the widows stood by him weeping, and shewing the coats and garments which Dorcas made, while she was with them.
40 But Peter put them all forth, and kneeled down, and prayed; and turning him to the body said, Tabitha, arise. And she opened her eyes: and when she saw Peter, she sat up.
41 And he gave her his hand, and lifted her up, and when he had called the saints and widows, presented her alive.
42 And it was known throughout all Joppa; and many believed in the Lord.
43 And it came to pass, that he tarried many days in Joppa with one Simon a tanner.

Acts 10:1 There was a certain man in Caesarea called Cornelius, a centurion of the band called the Italian band,
2 A devout man, and one that feared God with all his house, which gave much alms to the people, and prayed to God always.
3 He saw in a vision evidently about the ninth hour of the day an angel of God coming in to him, and saying unto him, Cornelius.
4 And when he looked on him, he was afraid, and said, What is it, Lord? And he said unto him, Thy prayers and thine alms are come up for a memorial before God.
5 And now send men to Joppa, and call for one Simon, whose surname is Peter:
6 He lodgeth with one Simon a tanner, whose house is by the sea side: he shall tell thee what thou oughtest to do.
7 And when the angel which spake unto Cornelius was departed, he called two of his household servants, and a devout soldier of them that waited on him continually;
8 And when he had declared all these things unto them, he sent them to Joppa.
9 On the morrow, as they went on their journey, and drew nigh unto the city, Peter went up upon the house top to pray about the sixth hour:
10 And he became very hungry, and would have eaten: but while they made ready, he fell into a trance,
11 And saw heaven opened, and a certain vessel descending unto him, as it had been a great sheet knit at the four corners, and let down to the earth:
12 Wherein were all manner of four footed beasts of the earth, and wild beasts, and creeping things, and fowls of the air.
13 And there came a voice to him, Rise, Peter; kill, and eat.
14 But Peter said, Not so, Lord; for I have never eaten any thing that is common or unclean.
15 And the voice spake unto him again the second time, What God hath cleansed, that call not thou common.
16 This was done thrice: and the vessel was received up again into heaven.
17 Now while Peter doubted in himself what this vision which he had seen should mean, behold, the men which were sent from Cornelius had made inquiry for Simon's house, and stood before the gate,
18 And called, and asked whether Simon, which was surnamed Peter, were lodged there.
19 While Peter thought on the vision, the Spirit said unto him, Behold, three men seek thee.
20 Arise therefore, and get thee down, and go with them, doubting nothing: for I have sent them.
21 Then Peter went down to the men which were sent unto him from Cornelius; and said, Behold, I am he whom ye seek: what is the cause wherefore ye are come?
22 And they said, Cornelius the centurion, a just man, and one that feareth God, and of good report among all the nation of the Jews, was warned from God by a holy angel to send for thee into his house, and to hear words of thee.
23 Then called he them in, and lodged them. And on the morrow Peter went away with them, and certain brethren from Joppa accompanied him.
24 And the morrow after they entered into Caesarea. And Cornelius waited for them, and had called together his kinsmen and near friends.
25 And as Peter was coming in, Cornelius met him, and fell down at his feet, and worshipped him.
26 But Peter took him up, saying, Stand up; I myself also am a man.
27 And as he talked with him, he went in, and found many that were come together.
28 And he said unto them, Ye know how that it is an unlawful thing for a man that is a Jew to keep company, or come unto one of another nation; but God hath shewed me that I should

Sedis Apoſtolicæ placitis addicuntur. Sedem Apoſtolicam quidem, parce, continenter, ſobrieque in hoc vivere & ſapere, non ſic tamen Curiam aut Curiæ Doctores, qui aperam & ſimplicem hujus tituli rationem guſtare non poſſunt, delicati nimirum & mollis palati, qui de rebus generis hujuſmodi non niſi depravate ac corrupte ſoleant judicare. Ad illis Curiæ Doctoribus cavendum eſſe ex Conſilio, quod Pius ſecundus Carolo ſeptimo Galliæ Regi dedit in Epiſtolâ poſt ter centeſimam & ſeptuageſimam quartâ, ſcribens: *Unum à te petimus, chariſſime Fili, ut Doctoris Apoſtolicæ Sedis non ſemper credas, ſed multa illorum piſſicenibus tribuas.* Apoſtolicæ Sedis Doctores illos intelligere, non, qui Sedis Apoſtolicæ Doctrinam tradunt, ſed qui in Apoſtolicâ Sede perperam docent & agunt. Atque hoc etiam modo intelligendum eſſe Hadrianum ſextum, cum in Mandatis Franciſco Cheregato, oratori ſuo in Germaniam eunti Satis adfirmatè ſcripſit: *Scimus, in hac ſancta Sede aliquot jam Annis multa fuiſſe abominanda, abuſus nimirum in Spiritualibus, exceſſus in Mandatis, & omnia denique in perverſum mutata* &c. quæ latius in Odorici Rainaldi Annalibus Eccleſiaſticis ſuo referuntur loco. *Quarto*, alterum huncce Titulum, quo Pontifex Romanus vocatur Chriſti Vicarius, antiquiſſimum eſſe quidem, ſed cum univerſis Sacerdotibus adtribui; quamobrem ſpectata antiquæ traditionis lineâ titulum hunc Pontifici Romano minus eſſe proprium, quam alterum, quo Petri dicitur Vicarius, quod negaturi non ſint, qui noverint. proprium & commune opponi. *Quinto*, certos eſſe quoſdam Authores, qui Pontificem Romanum dixerint eſſe unicum Chriſti vicarium, Albertum videlicet Magnum & Pium ſecundum, ſed hos, & ſi qui alii ſcripſerint ſimilia, eſſe omnino excuſandos, utpotè quos forte latuerit vetus circa hunc titulum Eccleſiæ traditio. Potuiſſe eos quidem Romanum Pontificem dicere Chriſti Vicarium; ſed unicum dicere non potuiſſe, quod manifeſtum ſit. Albertum certè Magnum non impediviſſe, quo minus Thomas de Aquino, Diſcipulus Alberti Epiſcopum Chriſti loco eſſe ſemel atque iterum doceret; Peum quoque ſecundum non impediviſſe, quo minus Cardinalis Lotharingus, Præſules Gallicani & Theologi Pariſienſes, qui Concilio intererant Tridentino, primi & ſecundi ordinis Sacerdotes nuncuparent Chriſti Vicarios. Id Thomam atque Præſules & Theologos feciſſe, quia ab antiquis Pontificibus Romanis, Conciliis & Tractatoribus Eccleſiaſticis factum invenerint. Quidquid ſit; in cauſa, ſi Hormiſda Pontifex & Pius hâc de re inter ſe contenderent, Hormiſdam litem obtenturum, atque tunc auditum iri Antiquitatem, & quod alter alteri veluti ſuſpectus non poſſet, illud venerandam Seculorum inter utrumque Pontificem interjectorum canitiem, Chriſto videlicet propiorem, atque ab hâc controverſia Remotiorem ſuo deciſuram arbitrio; & quidquid tale decerneretur, ſi rectè decernendum eſſet, non niſi convenienter duobus veræ Theologiæ principiis, Scripturæ & Catholicæ Eccleſiæ traditioni decerneretur, atque tunc omnino caveretur uſus Theologiæ illius Scholaſticæ, quam Luther per irriſionem ita definierit, ſcribens, Theologiam Scholaſticam eſſe, quæ à Sorbonâ Pariſienſium mixtione quadam ex Eloquiis Divinis & rationibus Philoſophicis tanquam ex genere Centaurorum biformis Diſciplina ſit conflata, *Sexto*, A tempore Apoſtolorum uſque ad Annum Chriſti milleſimum & eò amplius vix ullum obcurrere Pontificem Romanum, qui ſe Chriſti Vicarium vel dixerit vel inſcripſit, alio nimirum titulo contentum; ſed poſt tempus illud demum cœpiſſe paulatim Pontifices Romanos ſe Chriſti Vicarios adpellare, & tarditatem ſuam ac ὀψιμαθίαν adpellatione hâc frequentiori compenſare, ὀψιμαθεῖς, non; ὀψιμαθίαν quia Pontifices Romani veteres non ignorarint, ſe perinde ac reliquos Antiſtites nuncupari poſſe Chriſti Vicarios, maluiſſe autem Petri Vicarios dici, quo magis diſcernerentur ab aliis, ſiquidem ex illorum numero fuerint, qui cæteros quoque Epiſcopos nuncuparunt Chriſti, non autem Petri Vicarios. *Septimo*, ſtupore mixtum furorem Magiſtros curiales invaſurum, ſi utriuſque Tituli exigeretur uſus ad Legem quæ in Florentinæ fidei definitione lata eſt,

vel

vel ad rationes, quibus Legati ſanctæ Sedis interceſſerunt, ne in Actis Synodi Tridentinæ hæc formula adhiberetur, qua Synodus aut Concilium repræſentans univerſalem Eccleſiam dicatur. Florentinæ fidei definitionem hanc fuiſſe: *Pontifici Romano in B. Petro paſcendi, regendi ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem eſſe traditam, quemadmodum & in geſtis Conciliorum œcumenicorum & in Sacris Canonibus continentur.* Titulum vero hunc, quo Pontifex Romanus dicitur Chriſti Vicarius, nec in Actis Conciliorum œcumenicorum, ad quæ Florentini Patres habuerint reſpectum, nec in S. Canonibus Pontifici Romano adſcriptum legi; à contrario titulum, quo Petri Vicarius vocatur, in Actis œcumenicæ Synodi ſeptimæ eidem legi adſcriptum & adprobatum. Porro, Concilium Lugdunenſe illud, in quo Pontifex Romanus vocatur Chriſti Vicarius, ad memorata in Florentinâ Definitione Concilia œcumenica non pertinere, ut facile colligatur ex primâ Florentinæ Synodi editione, tum ex elementis ſeptimi Privilegio, ubi Synodus hæc octava verbis adpelletur conceptis. Quod vero rationes Legatorum Concilii Tridentini adtineat, cum à Florentinæ Definitionis lege non diſſideant, eundem ferire Scopum, cum adſeruerint, illam, quæ ſuperius eſt relata, formulam nec in S. Canonibus, nec in antiquis reperiri Conciliis. At, ſi oblatis Legatorum rationibus formula hæc diffugeret, nullis omnino machinis titulum hunc iri retardatum, quo Pontifex vocatur Chriſti Vicarius, ac nullam diſparem formulæ & tituli fortunam tunc futuram. *Octavo* tandem, hinc manifeſtum eſſe, eos aberrare à vero, totoque falli judicio, qui, quia Pontifex Romanus dicitur Chriſti Vicarius, illum nec Conciliis & S. Canonibus ſubeſſe, non poſſe definiendo errare contendunt ineptiſſime; ſiquidem pari modo contenderent, reliquos etiam Antiſtites, imo & Abbates, qui Chriſti Vicarii aut Chriſti vicem in Monaſteriis gerere dicuntur, legibus Conciliorum ſolutos, & immunes eſſe ab errore, cum de Dogmatibus Eccleſiaſticis pro Tribunali ſuo judicant. Aberrationis hujus cauſas maxime duas eſſe, unam, quod præjudiciis occupati animum adferunt ad ſcribendum; alteram, quod ad pauca reſpicientes tam facile pronuntiant, non aut aliter pronuntiaturi, ſi ante, quam pronuntiant, in antiquas Traditiones diligentius inquirerent.

Bellarminus, *ibid.*

Ultimum Pontificis Romani pro Regimine ejus monarchico nomen ac titulum producit, quod vocatur Epiſcopus univerſalis.

Launojus.

IN Adſertione Inquiſitionis in Privilegium, quod Gregorius Papa hoc nomine primus Monaſterio S. Medardi dediſſe fertur, prolixiſſime agit de hoc nomine & titulo, unde lubenter notatu digniora in gratiam Lectoris curioſi excerperem, niſi hic unicus ex omnibus Launoii libris & Tractatibus eſſet, quem poſt crudelem, & tyrannicam Bibliothecæ Poſonicenſis inſtructiſſimæ ab hoſtibus Evangelicæ Veritatis rapinam nullo hactenus pretio licaverit redimpetrare. Ne tamen nihil plane hic dicatur, placet huc referre, quæ idem Tomi primi Epiſtolâ quartâ habet de Inſcriptione, quâ poſt Annum Chriſti milleſimum Pontifices quidam uſi leguntur, vocantes ſe Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos, qua nihil aliud ſonare putat, quam, hunc vel illum Pontificem eſſe Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, quæ Fidem ac Religionem Catholicam profitetur, addens, id perſpicue ipſius Eccleſiæ Romanæ traditionem docere, adductis in medium

Digitized by Google

Monumentis ex Actis Synodis Epheſinæ, Leonis primi Epiſtolâ ad Imperatorem Theodoſium Actis Concilii Calchedonenſis inſertâ, Verbis Apoſtolicæ Sedis Legatorum in ejuſdem Concilii Actis, Hilarii Pontificis Inſcriptione in Synodo Romanâ, Felicis item tertii verbis in Epiſtolâ ad Acacium, Gelaſii in aliâ Synodo Romanâ, Symmachi iterum in alia, Vigilii in Epiſtola ad Mennam, Pelagii primi in Epiſtola ad Regem Childebertum, Pelagii ſecundi ad Epiſcopos Iſtriæ, Bonifacii ſecundi in Actis Synodi Romanæ, Gregorii primi in Epiſtola ad Probum Abbatem Monaſterii S. Andreæ, Martini primi ad Johannem Philadelphiæ Epiſcopum, Agathonis in ſextæ Synodi Actis, Gregorii in fine Decretorum, Zachariæ in Actis Synodi Romanæ, Hadriani primi in Concilio Francofordienſi, Leonis quarti iterum in Synodo Romana, Nicolai primi in Epiſtolâ quâdam, Hadriani ſecundi in Actis octavæ Synodi, Johannis octavus in Actis Concilii Tricaſſini, Johannis decimi quinti etiam in Synodo Romanâ, Benedicti noni in Diplomate quodam, quibus adcedit Eccleſiæ Romanæ Diurnum Vetus, Romæ editum quidem, ſed ibidem in captivitate detentum, hâc cum obſervatione, contra Sedis Apoſtolicæ traditionem eos graviter errare, qui hanc Subſcriptionem perinde interpretantur, quaſi Catholica Eccleſia eſſet certa quædam Diœceſis, cujus hic vel ille gereret Epiſcopatum, quâ ratione, inquit Launojus, in Eccleſia Catholica ubique diffuſâ unus tantum eſſet Epiſcopus, & cæteri non eſſent Epiſcopi, præterquam nomine, vicariam illius præfecturam adminiſtrantes, quod eſſet ponere Epiſcopum univerſalem vel œcumenicam, quem Sedes Apoſtolica per Gregorium primum duodecies in Epiſtolis perculit & adflixit, à quibus hæc primum merito locum occupat, quam Libri ſeptimi, Indictionis primæ, numero & ordine triceſimam ſcripſit ad Eulogium Alexandrinum, in quâ leguntur ſequentia. *Judicare quoque veſtra ſtatuit Beatitudo, jam ſe quibuſdam non ſcribere Vocabula ſuperba, quæ ex Vanitatis Radice prodierunt, & mihi loquitur, dicens, ſicut juſſiſtis, quod Verbum juſſionis, peto, removete ab auditu meo, quia ſcio, quis Ego ſum; qui Vos eſtis; loco enim mihi fratres eſtis, moribus Patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia ſunt, indicanda curavi. Non tamen invento, Beatitudinem veſtram hoc ipſum, quod veſtræ intuli memoriæ, perfectè retinere voluiſſe; nam dixi, nec mihi vos, nec alteri cuiquam aliud ſcribere debere. Et in præfatione Epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, adpellationis ſuperbæ Verbum, univerſalem me Papam dicentes, inprimere curaſtis; quod, peto, dulciſſima mihi Sanctitas Veſtra non faciat ultra, quia Vobis ſubtrahitur, quod alteri plus, quam exigit ratio, præbetur, ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus, nec honorem eſſe deputo, in quo Fratres meos honorem ſuum perdere cogneſco, meus namque honor eſt univerſalis Eccleſiæ & fratrum meorum ſolidus vigor, tuncque ego verè honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim univerſalem me Papam veſtra dicit Sanctitas, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum. Recedant verba, quæ Vanitatem inflant, & charitatem vulnerant. Et quidem in Sancta Calchedonenſi Synodo atque poſt à Patribus ſubſequentibus hoc meis, Deceſſoribus oblatum veſtra Sanctitas novit, & tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc Mundo honorem omnium Sacerdotum diligerent, apud omnipotentem DEUM cuſtodirent ſuum.* Hæc, ſcribit porro Launojus, interprete non egent, hæc per ſeipſa uti loquuntur, ita etiam intelliguntur, ac perverſe religioſus foret, qui aliter, ac Sedes Apoſtolica per Gregorium, ſentiret ac ſcriberet. Præterea, Hadrianus primus Gregorii factum exequitur in ſuâ ad Conſtantinum & Irenen Epiſtola, quæ in Actis Synodi ſeptimæ recepta & confirmata eſt, Nicolaus itidem primus in Epiſtola ad Hincmarum & alios Galliæ Epiſcopos. Leo inſuper nonus in Epiſtola ad Michaelem, qui omnes adprime noverant, Symmachum deceſſorem, antiquæ traditionis retinentiſſimum, cum ad Æonium, Arlatenſem Epiſcopum ſcriberet, inter alia dixiſſe. *Ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum eſſe per Antiſtites diverſos Sacerdotium.* Verba

ba hæc comparationem exhibent, ſubjungit Launojus, qua major nulla vel auguſtior vel explicandæ rei aptior eſt, quæ ſincerum Sedis Apoſtolicæ animum prædicat & bonis omnibus commendat, ac ſimul nefarias Adſentatorum Curiæ molitiones patefacit, atque ad indignationem odiumque deſignat. His addit quædam teſtimonia Veterum, in quibus alii etiam præter Romanum Epiſcopi præeſſe Eccleſiæ Catholicæ, ac Epiſcopi Eccleſiæ Catholicæ eſſe dicuntur, nominatim Euſebii, apud quem Polycarpus in Actis Martyrii dicitur Epiſcopus Eccleſiæ apud Smirnenſes Catholicæ, & Cæcilianus ab Imperatore Conſtantino in epiſtola ad Anulium Eccleſiæ Catholicæ ſcribitur præeſſe; Synodi itidem Nicenæ, nono Canone decernentis, *ut qui de Pauliniſtis tempore prætrito fuerint in Clero, ſiquidem immaculati & irreprehenſibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ*, id eſt, quæ Fidem Catholicam profitetur; item in epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam ſcribentes, *Ne quidquam abſque conſenſu Epiſcoporum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, qui ſunt ſub Alexandro omnino tranſigatur*. Huc etiam ſpectare exiſtimat inſcriptionem Epiſtolæ, quam duo antehac Presbyteri dederunt ad Epiphanium, Presbyteros Eccleſiæ Catholicæ ſe vocantes. Quin & in collationibus, quæ habitæ ſunt quondam Carthagine cum Donatiſtis, paſſim obcurrere monet, qui Eccleſiæ Cathplicæ vocentur Epiſcopi, nominatim in collatione prima. Fortunatianus, Aurelius, Auguſtinus, qui eo ſenſu vocentur Epiſcopi Eccleſiæ Catholicæ, quo etiam Pontifices Romani. Sic Felicem tertium obſervat in epiſtola ad Imperatorem Jenonem, ubi de Petro, Antiſtite Alexandrino, Eutychii ſectatore loquitur: *Hic Petrus, ſi receptus eſſet, veniam mereri debuit, non honorem, utpote, qui à damnatis & hæreticis falſum ſacerdotii nomen accipiens, Catholicæ non poterat Eccleſiæ præſidere*. Launojus hic notat, quod Felix Alexandrinam, cui Petrus propter errores ſuos præſidere non poterat, haud dubitaverit Eccleſiam ſimpliciter Catholicam appellare, Catholicæ vero Eccleſiæ præſidere idem eſſe, ac Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum eſſe. Poſt alia duo exempla idem exhibentia iterum duo monet obſervanda Launojus, quibus vel pertinaciſſimi homines contenti poſſint eſſe. Primum hoc eſſe dicit, quod poſterioris ætatis Pontifices Romani loquantur, uti Conſtantinus Imperator, Nicena Synodus, Præſules Africani veteres, & Felix tertius Pontifex, quos reprehendat nemo, quorumve imitationem nullius Concilii canon, nullum ſedis Apoſtolicæ Decretum prohibeat. Alterum vero hoc, quod, cum Romæ hic vel ille Pontifex Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum ſe vel inſcribit, vel ſubſcribit, ex veteri & indubitata ſedis Apoſtolicæ traditione duo hæc verba, *Urbis Romæ*, debeant ſubaudiri, idque tribus de cauſis, primo, ut explicata per authores retineatur traditio, deinde, ut omnia inter ſe conveniant, poſterioraque prioribus reſpondeant; tertio, ut Inſcriptiones aliæ ſimpliciores non rejiciantur, quibus nonnulli Pontifices utuntur, nominatim Liberius, qui inter Hilarii fragmenta *Urbis Romæ* Epiſcopum ſe duntaxat inſcripſit, quem imitatus fuerit Zoſimus in Epiſtola ad Heſychium Epiſcopum Salonitanum, hunc que Bonifacius primus in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum, inprimis & frequenter Leonem primum diverſis in epiſtolis, uti & Gelaſium, Hormiſdam, Johannem primum & ſecundum, Pelagium quoque ſecundum & Julium ſecundum, quæ omnia eo ſpectare dicit, ut quicunque Pontifex ab anno Chriſti milleſimo *Eccleſiæ Catholicæ* Epiſcopum ſe vel inſcripſit vel ſubſcripſit, *ſe Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ*, vel quod idem eſt, *Catholicæ atque Apoſtolicæ Urbis Romæ Epiſcopum* ſe vel inſcripſiſſe vel ſubſcripſiſſe intelligatur, atque ſic recta & plana fore omnia quæ obliqua & aſpera eſſe ſuſpicacis animi homines exiſtimaverint, &, ſi Cajetanus, Bellarminus, ac ſimiles alii curiæ Theologi noviſſent, qua ratione intelligenda ſit hæc inſcriptio vel ſubſcriptio, eam à ſimplici & vero tot Antiſtitum Romanorum ſenſu ad novas & falſas opiniones non deflexuros, nec adeo leviter contra ſedis Apoſtolicæ traditionem dicturos, Epiſcopum Romanum ſupra univerſam eſſe Eccleſiam.

Digitized by Google

[illegible] [illegible] [illegible] [

Ich will nicht, daß er sich mit Gewalt in Gefahren stürze, wie es manche thun, die nur darum Gefahr suchen, weil sie sie lieben, und die sich nicht scheuen, sie zu bestehen, weil sie sie nicht kennen. Ich will nicht, daß er sich in Gefahren stürze, weil er sie liebt, sondern weil er sie kennt, und weil er sie nicht scheut. Ich will nicht, daß er sich in Gefahren stürze, weil er sie kennt, sondern weil er sie nicht scheut. Ich will nicht, daß er sich in Gefahren stürze, weil er sie nicht scheut, sondern weil er sie kennt

Pontifices antiquos, antiquos, inquam, videlicet ante, quam Iniquitatis Antichristianæ Mysterium tam aperte in lucem publicam fuit productum, nunquam sibi adscripsisse, abstinentes ob illud ipsum à titulo Episcopis; quod ad *posterius* quoque observatum debet notare, cum *Lupus* itidem agnoscit, olim Pontifices Romanos nunquam adscribere voluisse titulum Episcopi universalis, quorum modestiam. O! utinam Successores etiam posteris temporibus fuissent imitati, præsertim Gregorii in hoc capite præaliis Magni, oblatum sibi ab aliis hunc titulum omnino recusantis, & iis quidem rationibus, quæ cæteris etiam poterant & jure debebant esse sufficientes, quarum respectu ejus prorsus vestigia & antiquæ Simplicitatis normam semper sibi ponerent ob oculos. Ait vero Lupus est, ac sibi minime constans, dum ad Tertulliani & Cypriani, antiquissimorum ex Latinis Ecclesiæ Doctorum, provocat authoritatem, demonstraturus, Pontifices Romanos illo jam tempore habitos fuisse & dictos Episcopos Episcoporum & Pontifices maximos, in antecedentibus proxime concedens, *Tertullianum* in Libro de Pudicitia Antistitem Romanum vocasse Pontificem Maximum & Episcopum Episcoporum per derisum ac Ironiam, *Cyprianum* quoque in Præfatione ad Synodum à se congregatam dicendo, *Nemo nostrum se Episcopum esse Episcoporum constituit*, Stephanum Pontificem notasse, tanquam tanto titulo & dignitate abusum, utpote quæ satis superque indicant, etiamsi Pontifices Romani his uti titulis essent, non defuisse tamen, a quibus ob hunc abusum gravissime perstringerentur.

Appendix.

Hic non præter rem videntur inseri posse, quæ Launojus Epistola partis sextæ penultima adversus Gregorii Papæ hoc nomine septimi Dictatum observavit, qui communiter Epistolis ejusdem quinquagesimæ quintæ & sextæ libri secundi interponitur, quarum illa ad Ecclesiæ Laudensis filios, hæc ad Manassen Episcopum remensem fuit scripta, statuens, non esse Gregorii, sed adventitium & apocryphum. Nam, inquit, quibus Epistolis interponitur, gratis & sine ulla ratione interponitur; tam enim facile potuit aliis interponi Epistolis, quam his duobus, utpote in quibus nihil omnino traditur, quod exigat hanc interpositionem. Temere igitur nec ullo Gregorii consilio interpositus est hic Dictatus ab eo, qui illum ingenio Gregorii putavit convenire; præsertim quia in Epistolis Gregorii multa occurrunt, quæ Gregorio Dictatum hunc abjudicant. Scilicet, in Titulo primo dicitur, quod Ecclesia Romana à solo Domino sit fundata. Id autem non adseruisset Gregorius, quod in Epistolis ejus nullum haberet testimonium, quodve Pontificum Romanorum & Patrum sanctorum traditioni repugnaret. Hi enim, dum se præbet occasio, Ecclesiam Romanam à Petro & Paulo fundatam esse constanter adfirmant, &, si qui illam à Domino fundatam scribunt, Petri & Pauli Ministerium non excludunt, uti luculenter in hac Propositione excluditur. Præterea, si hæc Propositio sic intelligeretur, ut Episcopus, Ecclesiæ Romanæ tantum sit institutus à Domino, id Gregorii doctrinæ penitus adversaretur. Citatis hanc in rem pluribus Epistolis sic infert Launojus, uti Gregorium authore DEO & miseratione Divina Ecclesiæ Romanæ, sic alios etiam Episcopos suos præfuisse Ecclesiis ac Christi vicem gessisse. De Titulo secundo, quo solus Pontifex Romanus jure dicitur universalis, Paulo ante actum est. Hinc sequitur tertius, qui statuit, quod solus Pontifex Romanus possit Episcopos deponere vel reconciliare; & post vicesimum quintus, quod illud facere possit absque Synodali Conventu. At, uti censet Launojus, nihil fingi vel excogitari potest, quod doctrinæ Gregorii magis adversetur; nullus enim Pontifex unquam conventus Synodales habuit frequentius vel amavit

vit ſincerius. In Epiſtolis certè nihil, quod alicujus eſſet momenti, ſine Synodo conſtituit; multo minus depoſuit Epiſcopos, utpotè quorum depoſitio ad cauſas Eccleſiæ majores pertinet. Titulus ſeptimus habet, quod Pontifici Romano ſoli liceat pro temporis neceſſitate novas condere leges. At hic etiam titulus, inquit Launojus, Gregorius penitus repugnat, qui Decreta quidem, ſed in Synodo edebat, ac Patrum veterum Decreta inſtaurabat, tantum abeſt, ut ſibi ſumſerit ſoli, novas leges & decreta condere. Titulo decimo dicitur, quod Pontifices Romani ſolius nomen recitetur in Eccleſiis. At, ita reſpondet Launojus, ſi Gregorii Pontificis tempore in Eccleſiis idem recitabatur Canon, qui modo recitatur, non ſolius Romani Pontificis nomen in eo recitabatur; nam Diœceſani quoque Epiſcopi nomen recitabatur. Quis vero nunc ſine certâ crederet probatione, ſub Gregorio nomen Pontificis Romani ſolius in Canone Miſſatico recitatum eſſe, cui temporis progreſſu nomen Antiſtitis Diœceſani fuerit adjunctum. Præterea, in orationibus, quæ Feria Paraſceves ſextâ dicuntur, cantatâ Paſſione Dominica non Epiſcopi modo Diœceſani, ſed etiam Imperatoris nomen adparet. Certum eſt autem, orationis hujuſmodi multo ante Gregorii ætatem dici conſueviſſe in Eccleſia Occidentem, quæ ex ſua contextione tempus Caroli M. adpellant. In Titulo vel articulo undecimo dicitur, quod unicum ſit nomen Papæ in Mundo. Quid articulus hic ſignificet, ſcribit Launojus, verba præ ſe non ferunt. Baronius ad Annum Seculi poſt Chriſtum, ſecundi ſeptuageſimum & quintum putat, ſtatuiſſe Gregorium, ut Papæ nomen unius duntaxat Pontificis Romani eſſet in toto orbe Chriſtiano, nec liceret alicui alii vel ſeipſum vel alium inſignire eâ nuncupatione. At mirum eſſet, iterum cenſet Launojus, id feciſſe Gregorium, neque in Epiſtolis uſpiam ejus meminiſſe. Imo, in Epiſtolâ libri quarti ſextâ ad Henricum Leodienſem Epiſcopum aperte ſignificavit, ſe nunquam id eſſe decreturum, quod eum decreviſſe Baronius contendit. Quis autem quæſo ſerius & prudens ad hunc Gregorii morem, ingenium & conſilium pleroſque Dictatus titulos, & eum maxime, quem nunc tractamus, aptaret? Annon enim noverat derivatam ab initio Eccleſiæ traditionem, quâ nomen Papæ omnibus impertiebatur Epiſcopis? Nonne noverat traditionis hujus authorem primum fuiſſe Clerum Romanum, qui apud Cyprianum in Epiſtolâ tertia ad clerum Carthaginenſem, in triceſima & proxime ſequenti ad Cyprianum ſcriptis ipſummet vocavit iteratâ non ſemel vice Papam, cujus Exemplum ſecuti ſunt Confeſſores in Epiſtolâ poſt decimam ſeptimâ, Moſes item, Maximus & cæteri in Epiſtola poſt viceſimam ſextâ ad eundem Cyprianum? Quin & Traditio hæc minime latebat Eccleſiam Alexandrinam, ſiquidem Dionyſius, Eccleſiæ illius Antiſtes in Epiſtola ad Philemonem, Presbyterum Romanum, Heraclam Deceſſorem ſuum adpellavit Papam. Imo hanc Eccleſiæ Romanæ traditionem edocti tum erant non modo Chriſtiani, ſed etiam Ethnici, uti ex Cypriani Paſſione colligitur. Conſtantinus quoque ſciebat illud, quod conſtat ex ſecunda Athanaſii Apologia. Adcedunt inſuper Presbyteri & Diaconi Alexandrini apud eundem Athanaſium in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ. Nec deſunt alii ex Latinis Eccleſiæ Scriptoribus, nominatim Rufinus in Expoſitione Symboli ad Epiſcopum quendam nomine Laurentium, quem adpellavit Papam: Prudentius in libri περὶ στεφάνων Hymno ordine quarto de Paſſione Martyris Hyppoliti ad Epiſcopum Valerianum, Hieronymus ſex diverſis ad Auguſtinum Epiſtolis, Auguſtinus ipſe in duabus ad Aurelium Epiſtolis, Sidonius Arvernorum Epiſcopus in pluribus ad Epiſcopos diverſarum Diœceſium Epiſtolis, Avitus Viennenſis Epiſcopus itidem in duabus Epiſtolis ad Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum Epiſcopos ſcriptis. His adcenſeri meretur Rex Clodoveus, priſca traditione imbutus, in Epiſtola poſt Bellum Gothicum ad Epiſcopos regni ſcripta, Concilium Turonenſe ſecundum Canone viceſimo & ſequenti Avitum vocans Papam. Sic Euphronius Turonenſis Epiſcopus apud Gregorium Turonenſem libri Hiſtoriarum quarti capite

pia pro Ecclesiæ Sanctæ Dei Catholicæ, quisquis in eam non Catholice sentit, hæreticus, & schismaticus, & pro nil convenit, & nihil habet, quamvis videatur, & miracula in nomine meo non desinat. In Formula Patrum Patriarchæ Constantinopolitani, Ecclesiæ Romanæ Sedi subscribentium, quæ Ecclesia non habet errorem, & est Ecclesia, non Tutor Fidei, quæ Ecclesia Romana? Ad Monophysitas quoque Sanctæ recurrere Exemplo licuisset, qui quamvis Ecclesiæ Sanctæ Dei Catholicæ non communicarent, Ecclesiæ tamen Romanæ communicabant, & Ecclesiæ Romanæ Sedi subscribebant, & Ecclesia non erant. Tertiæ tandem Plenitudo Mendacii in Verbis, quæ ex tradita per Christum Domini Ecclesiæ Sanctæ Dei Fide colligit Bellarminus, Ecclesiæ Romanæ, inquit, non deest plenitudo Regiminis, quæ divinum & non-nisi ab Ecclesia Romana exercetur Regimen. Quæ Ecclesia Romana? Quæ Ecclesia exercuit, quæ Ecclesia exercet Regimen? Decretum quidem, quo, ut dictum est, ab una sede ad alia, & non per alias fas, & quo omnes Patres Antiochenum Synodum hanc Ecclesiæ Romanæ Regiminis Normam, & Regulam Fidei, & Ecclesiæ Dei Unitatis & Pacis, & Communionis, & Sedis Apostolicæ, quæ sola Regit & non Regitur, Sanctum Ecclesiæ omnibus gratæ & Deo acceptæ Regiminis Exemplum, &

gorii Dictatum inſecuit Scholia, ſub eorum finem duos quidem nominans primarios hujus Gregoriani Dictatus hoſtes, Calvinum & Antonium de Dominis, ut ſilentio prætermittens Launojum, quem utpote ad finem vitæ conſtantem Eccleſiæ Romanenſis filium ante alios debebat nominare, quia ſibi non incognitum, varias ejus hinc inde in Scholiis Epiſtolas adgreſſus, utut infelici ſemper conatu, de quo Vindiciæ his Diſputationibus Anti-Bellarminianis inſperſæ luculentum præbere poſſunt teſtimonium. Quamvis autem Launojus nondum à me impetravit, ut credam, hunc Dictatum Gregorio fuiſſe ſuppoſitum, idque propter ea, quæ nuper in *Roma non gloriosa* adverſus Lojolitam Chriſtophorum Ottonem ex Authoribus fide dignis Lectori Veritatis ſtudioſo fuerunt commendata, talia videlicet, quæ huic Dictatui non videntur multum diſſimila, quidquid ſit de Epiſtolis, id quibus utplurimum aliter ſcripſiſſe cenſendus eſt, quàm reverà ſenſit vel vita expreſſit: mirum tamen videri poteſt non immeritò, hac Cenſura Launoii non obſtante ultimos Conciliorum collectores hunc Gregorii Dictatum poſt Binium iterato Epiſtolis ejuſdem immiſcuiſſe, & quidem ſine omni nota, quæ hic erat non minus, quam alibi valde neceſſaria. Addo, Lupum modo nominatum in Epiſtola quartæ Partis Dedicatoria hunc Gregorii Dictatum una cum Nicenæ Sardicenſis & Calchedonenſis Synodorum decretis Chriſti pro Fide Petri precibus adtribuere, quin & ſcribendæ auſum, Eccleſiam orthodoxam credere conſtanter, cum Spiritu DEI conditum, ideoque totius Mundi reverentia conſecrandum. *Sed Lupi, non Paſtoris boni vox hæc eſt.*

Bellarminus *l.* IV. *de Rom. Pontif. Cap.* 2.

Quæſtionem proponens, ſitne certum Papæ judicium, quatuor exhibet ſententias, inter quas eas ſecundam *eſſe dicit eorum qui ſtatuunt Pontificem ut Pontificem poſſe hæreticum eſſe & hæreſin docere, ſi abſque Concilio generali definiat; & de facto accidiſſe aliquando. Hanc opinionem ſequi & tueri ſcribit Nilum in libro adverſus Papæ primatum, ac eandem ſecutos eſſe aliquot Pariſienſes, Gerſonem inprimis & Almainum in libris de poteſtate Eccleſiæ, nec non Alphonſum de Caſtro libri primi contra hæreſes capite ſecundo, & Hadrianum Papam hujus nominis ſextum in quæſtione de Confirmatione, qui omnes inquit, non in Pontifice, ſed in Eccleſia, ſive in Concilio generali tantum conſtituunt infallibilitatem Judicii de rebus Fidei. Poſt relatam Alberti Pighii ſententiam, quæ Pontificem nullo plane modo poſſe hæreticum eſſe, nec publice hæreſin docere ſtatuit, etiamſi ſolus rem aliquam definiat, ex libri quarti de Hierarchia Eccleſiaſtica capite octavo,* quartam *inter has quodam modo poſitam in medio eſſe dicit, Pontificem, ſive hæreticus eſſe poſſit, ſive non, non poſſe nullo modo definire aliquid hæreticum à tota Eccleſia credendum, addit, eſſe communiſſimam opinionem (N B. in recognitione agnoſcit, rectius dici debuiſſe ſententiam, quia opinio habeat incertitudinem) omnium fere Catholicorum, ut Thomæ Aquinatis, Thomæ Waldenſis, Johannis de Turrecremata, Diredonis, Cajetani, Hoſii, Eckii, Johannis à Lovanio, Petri à Soto, Melchioris Cani, &c.*

Launojus *T.* III. *Epiſt. ult.*

POſtquam in genere obſervavit, Bellarminum quæſtionis ſtatum vix potuiſſe iniquius proponere, ſequentia notat. *Primum* hoc eſt, quando ſcribit: Utriuſque ſententiæ, nimirum ſecundæ & quartæ, Bellarminus quindecim enumerat authore, prioris quinque, poſterioris decem, qua enumeratione poſterior ſententia prio-

Digitized by Google

rem dimidiâ tantum parte ſuperat, & tamen Bellarminus audet dicere, ***Hæc eſt opinio communiſſima omnium fere Catholicorum.*** Heu priſca fides & integritas! Quaſi vero ne opinio hæc ſit Catholicorum fere omnium, impedire non poſſent authores quinque, quorum primus fuit Archiepiſcopus Theſſalonicenſis; ſecundus in Concilio Conſtantienſi ſic commendatus, ut non potuerit magis, dum ***Franciſcus Zabarella***, Cardinalis Florentinus, eum uſque adeo ſuperexcellentem dixit eſſe Doctorem, qualis in tota Chriſtianitate vix poſſit reperiri. Tertium Lutetiæ auditores proinde ac divinum aliquod ingenium, aut Numen ipſum venerabantur, uti ***Oliverius de Lugduno***, Theologus Pariſienſis ac Collegii Navarrici Archididaſcalus teſtatur ſcribens ad Lectorem in fine operum ***Almaini***. Quartus magna cum eruditionis laude Concilio interfuit Tridentino, ac editis quam pluribus libris illuſtre apud poſteros nomen eſt conſecutus. Quintus fuit inſignis Theologus, & tandem Pontifex Romanus, qui ſua ſe & conditione & loci dignitate defendit, & aliis pleriſque præponderat, inprimis, quod Pontifex factus non mutaverit ſententiam, & eam typis mandari voluerit Romanis. ***Secundum***, ſi de poſteriori ſententia demerentur authores quinque, tunc prior & poſterior ſententia authorum numero coæquarentur, nec una prædicari poſſet altera communior, ſed æque communes eſſent ambæ; ſi vero authores quinque demti ad alios quinque reducantur, efficientne quæſo, ut ſententia poſterior ſit communiſſima Catholicorum fere omnium? Bellarminus in hoc calculo deceptus eſt, vel ſuos lectores voluit decipere. Utrum ſit horum, neſcio; ſcit ille, quem nihil fugit. Neutrum eſſe, vehementer etiam atque etiam vellem, ne tam aperto partium ſtudio duci videretur. ***Tertium***, abſurdum eſt, Catholicos fere omnes Theologos, exceptis quinque, numero comprehendi denario, & cum Bellarminus illud ſignificat, in re tanti ponderis fucum facit, aut patitur. In uno dignus eſt gravi reprehenſione, in altero ſuffocatur. ***Quartum***, pro ſententia priori cum authores ſexcentos numerare potuit Bellarminus, enumerat quinque duntaxat, ut illa minus communis minuſque probabilis appareat, atque ſic vitioſiſſima diſſimulatione nequit purgari, relinquens in præteritis Innocentium Pontificem tertium, Robertum Coſtanum è Cancellario Pariſienſi factum Cardinalem, Albertum Magnum, omnes illos Pariſienſes Theologos, qui Johanni viceſimo & ſecundo contra Eccleſiæ Romanæ traditionem dogmata diſſeminanti reſtiterunt & ea condemnarunt, inter quos eminuerunt Petrus Paludanus, Hieroſolymitanus Patriarcha, Petrus Rogerius, ex Archiepiſcopo Rothomagenſi factus Papa Clemens hoc nomine ſextus, uti & Nicolaus Liranus &c. Porro Facultatem Theologicam Pariſienſem in Tractatu, quem illius nomine Petrus Alliacus, Collegii Navarrici Magiſter, adverſus Iohannem Monteſonum compoſuit, ipſum hunc præterea Petrum Alliacum factum jam Cardinalem, in Concilio Conſtantienſi verba facientem, Henricum de Haſſia, Philippum Abbatem S. Dionyſii, Facultatem iterum Theologicam Pariſienſem, Decretum communi omnium Magiſtrorum conſenſu edentem contra Johannem Saracenum, deſignatum ex Ordine Prædicatorum in Theologia Magiſtrum, quo Facultas Decreto acceptam à Majoribus traditionem circa hanc doctrinam aſſeruit atque ad petpetuam Scholæ diſciplinam defixit; Jacobum de Paradiſo, ex Ordine Cartuſianorum, iterum Facultatem Theologicam Pariſienſem, certas quaſdam Iohanni Angelii Minoritæ propoſitiones damnantem, Innocentium Pontificem octavum, Theologos Pariſienſes commendantem, Cyprianum Benetum ex Ordine Prædicatorum, Johannem Majorem, Hadrianum Gualterum, Concilium Senonenſe, Johannem Celaiam, Franciſcum Epiſcopum de Victoria, Johannem Arboreum, Robertum Cænalem, Claudium Sauctefium, Renatum Benedictum; inſuper Lucam Epiſcopum Tudenſem, Alphonſum Teſtatum, Epiſcopum Abulenſem, Dominicum à Soto; Concilium quoque Toletanum ſub finem ſeculi ſeptimi celebratum, Nicolaum de Cuſa, Academiam Erfordienſem in Tractatu ſuper anione & neutralitate Principum Electorum, Academiam Cracovienſem in de authori-

tate

nes Cocleanus ex Ubaldinis Petreius & Hieronymi Rorarii, Andreæus Vrsinus ex Ciacconio, Guilielmus Saxius ex Augustini Steuchi Eugubini, Iacobus Gordonius ex Pauli Comitolii, Patricius Lengæus, Iohannes Cochlæus, Fridericus Nauseus, Iacobus Latomus, Iacobus Hochstratus, Iacobus Merlo Horstius, Iacobus Lindanus, Iacobus Pamelius, Nicolaus Serarius, Iacobus Tirinus, Bellarminus Epigrædus, Gretserus & Grisellinus qui, Hieronymi Garnerius Parisiensis Societatis Iesu Theologus, Iacobus Sirmondus, Iacobus Augustinus Nouellus, Antonius Possevinus, Hieronymus Nadasius, Nicolaus Vedelius, Gaspar Hermannus, Ioannes Fabricius, Petrus Pratejus Iesuita, Iohannes Sarisburiensis, Iacobus Spondanus, Iacobus Cassander, Iacobus Gualterius, Iacobus Basnagius, Iacobus Franciscus Fabius, Philippus Diuæus, Dionysius Iacobinus, Alexander Petauius, Iacobus Augustinus Thuanus, Iacobus Augustinus Vrbanus, Iacobus Augustinus Merulanus Cæsenatus, Iacobus Cabassutius Oratorianus, Petrus Bellarminus Tiraqui, Petrus de Marca, Episcopus Bellonensis, Thomas Campegius, Iacobus Augustinus Scarampus, Iacobus Augustinus Cherubinus, Iacobus Augustinus Reuerendus Ordinis Minorum Cardinalis, Hieronymus Mauro, cum ejusdem filio, genere nostrates ex eis Lucensi ejusdem ciuitatis qui post pauca Iacobi Augustini Lucensis Episcopi, & Cardinalis Mauri, Hieronymi Mauri nepotis, & patris, Thomæ Mauro-Lucensis, ac nostri Hieronymi obitum ejus, postulatio nata ex eorundem Iacobinorum cum eremitarum, adeo ut & Hieronymi patruus, nostrum Hieronymum Mauro, & Thomæ Mauro-Lucensis, Thomas Turrianus Iacobinus, ejusdemque Romanus Lucensis Iacobinus, Thomas Mauro-Lucensis, Iacobinus, & Hieronymi Mauro-Lucensis, Iacobinus, Stephani Gradenici Iacobini, ejusdem ordinis, & Romani Lucensis, ejusdem Iacobini, Stephani Gradenici, Iacobini

qualiter de Romanæ Sedis Episcopo non loqueretur, si eum indeficientis judicii privilegio gaudere crederet, adeoque Turrecrematam non Bellarmini esse, si ad ejus propositionem revocetur, in qua dicit, Pontificem summum, cum totam Ecclesiam docet in his, quæ pertinent ad fidem, errare nullo casu posse. Quartum, *Diredonem*, de quo hoc monet Launojus, Bellarminum non legisse eum, quia si legisset, vix ausurus fuisset eum ut sibi suffragantem adducere, utpote qui placitis illis tam vehementer adversetur, adeoque simili mala fide cum eo, uti cum antecedentibus egisse, qui insuper, dum Diredo scripsit, in Romana Sede nullum hactenus sedisse Hæresiarcham, uti hoc testimonio non possit, ut suam confirmet sententiam, quia Diredo quæstionem facti hoc in loco tractet, non juris, quam si tractaret, scribere debuisset, in Sede Romana nullum sedere hæresiarcham potuisse, atque sic Bellarminum facti quæstionem cum quæstione juris confundere, & hunc testem subornare, qui tamen ei sit adversarius. Quintum, *Thomam Cajetanum*, de quo post ea, quæ supra jam prolixius contra eum notavit Launojus, scribit nunc, cum futili & gratuita distinctione de errore personali & judiciali hic uti, quæ ab eo ut certum disputandi principium adsumatur, ac sophismate ejus rationem laborare, fallacem quoque consequentiam esse ac conclusionem, per quam à divisis concludat vel argumentetur ad conjuncta insuper adversari in ratione sua Gregorio M. & ipsi Synodo Tridentinæ argumentum etiam esse philosophicum potius quam Theologicum, & suppositis apud Thomam fulciri testimoniis Cyrilli & Maximi. Sextum, *Stanislaum Hosium*, quem itidem minus sincere Bellarminum produxisse scribit Launojus, observans, eum Sedi Romanæ seorsim à sedente in ea Episcopo privilegium indeficientis judicii attribuere, non vero sedenti seorsim à Sede ipsa, atque sic Hosium non stare à partibus Bellarmini. Septimum, *Johannem Eckium*, de quo idem monet Launojus, quod de Diredone observavit, cum de facti, non juris quæstione sollicitum fuisse, de ea etiam sic, ut expresse scripserit, Non meminisse se vel audivisse vel legisse, per Pontificem Romanum definitive & per sententiam aliquid esse promulgatum fidei repugnans, nisi mox Divina fuerit ultio subsecuta, provocans de cætero ad Gersonem, cujus nomen ipse Bellarminus inter sententiæ prioris adsertores posuerat. Octavum, *Johannem à Lovanio* seu Hesselium, de cujus libro, quem Bellarminus hanc in rem citavit, nimirum de perpetua Cathedræ Petri protectione & firmitate, fatetur Launojus, quod post diligentem satis inquisitionem non potuerit invenire, quem nec Possevinus in Apparatu S. inter alia ejus opera recensuerit, & quamvis Valerius Andreas in Athenis suis Belgicis eum designet, non tamen indicare, utrum sit editus, & si editus, quo in loco sit editus, ut adeo non sit improbabile eum non nisi apud Bellarminum vidisse hunc librum, atqui sic fidem esse penes unum Bellarminum, qui cum in laudandis authoribus non semper bona utatur fide, juris regulam contra ipsum valere, ut, qui semel malus invenitur, semper in eodem mali genere malum præsumi; potuisse videlicet authorem hunc de perpetua Cathedræ Petri protectione & firmitate agere, nec tamen agere propterea de Pontifice Romano seorsim à Petri Cathedra vel Sede Apostolica, cui præsidere, vel, cujus se Episcopos esse, ipsimet Pontifices Romani adseverent, cum è contrario Bellarminus de summo Pontifice per se & præcise loquatur. Nonum, *Petrum à Soto*, quem æque ac antecedentium plerosque nullâ vel exigua fide Bellarminum adduxisse scribit Launojus, observans, eum ex Apologia, ad quam provocavit, id caput præteriisse, quod hanc exhibet propositionem, Totam Ecclesiam majorem esse, quam singulæ Ecclesiæ privatæ, idque ideo factum à Bellarmino, quia hæc sententia Ecclesiam Romanam subjicit Ecclesiæ toti, id est, Catholicæ & universali, atque sic, cum Pontifex Ecclesiæ sit subjectus, ab illa eum posse corrigi, quod non fieret, si peccare non posset; præterea, in illis etiam capitibus, quæ Bellarminus expresse citavit, eum non tractare quæstionem illam, cujus eadem illum ac sponsorem Bellarminus appellat, ac ne verbum quidem ullum facere de publico fidei judicio, quod Pontifex Romanus vel seorsim à Synodo, vel cum

cum Confessionariis, inferre nemo in dubium vocabit Catholicus, quam absurdum sit, Ecclesiam Romanam, quæ Sanctorum Martyrum Reliquias veneratur, eo nomine habere Sectatores, Ecclesiæ Catholicæ Membrorum nullam partem, quæ ea Reliquias non veneratur. Quod si Ecclesia Romana Sectatores habet, qui Reliquias non venerantur, Ecclesiæ Graecæ, Armenæ, Moscoviticæ, Æthiopicæ, aliisque Orientalibus, quæ Reliquias Sanctorum Martyrum religiosissime venerantur, Sectatores esse non possunt

Romanæ ſtatuenda non fuit, uti Bellarminus illum ſine exemplis ſtatuit Neque enim ita ponit: *In hoc vel illo Æræ Chriſtianæ Sæculo fuit Pontifex Romanus, qui, cum tot modo doceret Eccleſiam, hæc ei dogmata fidei credenda, vel præcepta Morum ſequenda propoſuit.* Dicam amplius, in hodierna Fidei profeſſione Dogma fidei nullum, nullum quoque præceptum morum eſt, de quo verum ſit dicere. Hoc dogma, hoc præceptum hic vel ille Pontifex ſummus, cum totam docceret Eccleſiam, ei toti vel credendum vel ſequendum præſcripſit, ut ab eo præſcribi poſſe Bellarminus intelligit & intendit. Hinc efficitur, ut Bellarmini Propoſitio ſit titulus ſine re, vana cogitatio & inanis ſpecies adulationis. *Præterea*, Codex canonum univerſæ Eccleſiæ, Codex canonum Romanæ Eccleſiæ, Codex canonum Africanæ Eccleſiæ, & Codex Juris Græco-Romani nulla Morum & Diſciplinæ objiciunt præcepta, quæ Pontifex Romanus aliquis univerſæ præſcripſerit Eccleſiæ, & quæ univerſa Eccleſia in authoritatem admiſerit. Hæc eſt facti quæſtio, quæ oculis, non formalibus argutiis decidítur, & Bellarminum atque ejus Exſcriptores idoneis ad diſputandum Legibus conſtringit. Porro, Bellarminus mirificam ſe in latébram conjicit, cum in ejuſdem libri cap. 7. objicienti, *Per Canones poni, Pontificem poſſe fieri hæreticum, quod propter hæreſin poſſit judicari*, argute reſpondet, omnes iſtos Canones loqui de errore Pontificis perſonali, non judiciali. Scilicet, Pontifex Romanus id de Chriſto privatim credet, quod credebat Arius, & in publice fidei judicio ſimul definiret, eos anathemate percellendos eſſe, qui de Chriſto id credunt, quod Arius credidit; & Romanus Pontifex propter hæreſin Arianam à DEO depoſitus, vel mox à Concilio deponendus, ſanciret id de Chriſto credendum eſſe, quod Synodus Nicena credendum eſſe ſanxit. Imo, Pontifex Romanus ut Doctor privatus Synodum Nicenam erraſſe credit pertinaciter, & ſimul ut Doctor publicus decernit, ut, qui credunt, quod ipſe credit, omnes communione Eccleſiaſtica priventur. Ecce, quo gratuita & inopportuna materiæ huic diſtinctio pertineat & quid lucretur? Neque hoc ſatis, ſed progrediendum eſt ulterius. Nimirum, quando Pontifex ut perſona erraverit privata, aliorum, Bellarmini ſi vis, judicio, mox ille publicam inducet perſonam, & tunc eo id habitu & forma decernet ac toti Eccleſiæ præſcribet verum id eſſe, quod alii errorem certum indicaverant, atque ſic Bellarminus & Sectatores ejus cogentur credere, id ſumma veritate niti, quod uti falſum & forte hæreticum erat credendum. Bellarminus & alii quid reſpondebunt? Hic, niſi fateantur ingenue, Pontificem, ſive ut privata, ſive ut publica conſideretur perſona, errare poſſe, à duobus alterutrum proferant neceſſum eſt, Pontifici vel ereptum iri Libertatis ullum, vel vitam, ne id faciat, quod facturum eſſe poſuimus. Adſerere, Pontificem potius periturum, uti Johannes duodecimus periit, abominandæ neceſſitatis eſſet perfugium, atque id tam facile negaretur, quàm adſereretur. Hæc ſi reſponderent, ji profecto declararent, extrema ſi fortuna confligero, ac rebus jam deſperatis & perditis duriſſima velle experiri ac ultima. Sed penitus infelix & reſponſio, quæ à vincende diſperatione proficiſcitur. Hoc certè non urgentur argumento, qui contra Bellarminum & ejus Sectatores adſerunt, Pontificem ut publica eſt Perſona, atque ut caput Eccleſiæ ſpectatur, ipſi Eccleſiæ, ſeu Eccleſiam repræſentanti Concilio junctum intelligi, quia tunc Eccleſia vel Concilium impediret, ne, quem admitteret Pontifex ut Perſona privata errorem, eum ut publica atque ut caput Eccleſiæ poſſet vindicare. Deinde, laudati à Bellarmino Canones inter perſonalem & judicialem Pontificis errorem non diſtinguunt, & quia non diſtinguunt, Bellarminus oleum & operam perdit, cum diſtinguit, quia, ubi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Tum, intitulis etiam eſt hæc diſtinctio in Sententia Bellarmini. Nam libri de Pontifices Romano ſecundi, cap. 30. inſtituit Quæſtionem, *utrum Papa hæreticus poſſit deponi*? Et adductis in medium opinionibus quinque, quintam eligit, in qua dicitur, *Papam hæreticum manifeſtum per ſe deſinere eſſe Papam, ſicut per ſe deſinit eſſe Chriſtianus*

&

& membrum corporis Eccleſiæ, quare ab Eccleſia poſſe eum judicari & puniri. Et primo quidem Bellarminus in his verbis, *ab Eccleſia poſſe eum judicari & puniri*, tanquam in adjecta re metam inducit repugnationem. Etenim is ab Eccleſia ut Pontifex judicabitur, qui non eſt amplius Pontifex, qui Pontifex per hæreſin eſſe deſiit. Bellarminus hic Quæſtionem tractat univerſim, nec inter errorem Pontificis perſonalem & judicialem diſtinguit. Sed poſtea in libri quarti cap. 7. ſibi viſus eſt evadere non poſſe, niſi per diſtinctionem, quæ ſponte ſua diſſilit, cum ab illo ſic explicatur: *Si Pontifex poſſit eſſi hæreticus, ſolum erit negando Veritatem antea definitam*, & ita erit error perſonalis; *non autem poterit eſſe hæreticus, dum ipſe aliquid non definit*, qui judicialis error eſſet. Sic igitur explicata diſtinctio ſponte ſua diſſilit, ut jam monui, quia utrumque diſtinctionis membrum gratis & ſine ratione ponitur. Nam ſi Pontifex Veritatem antea definitam negare poteſt, cur eum non errore judiciali negare? Nonne poterit definire, perperam eſſe definitum, quod ante fuerat definitum? Cur Pontifex minus errare poterit, affirmando, Veritatem aliquam ad fidei dogmata pertinere, quæ non pertinebat antea, quam negando, Veritatem aliquam ad fidei dogmata pertinere, quæ antea pertinebat? Ubinam Scriptura, ubinam Concilia, ubinam Patres, ubinam Theologi veteres, quibus Bellarminiana innitatur diſtinctio? Hæc tam non reperitur apud Authores Canonicos, Concilia, Patres & Theologos veteres, quam non reperitur apud Heſiodum aut Virgilium. Johannes certè de Turrecremata, quem Bellarminus ut opinionis ſuæ teſtem adducit, à Bellarmino hac in re plurimum diſſentit, ita ſcribens: *Diſſentientibus Papa & Concilio in his, quæ ſunt Fidei, ſtandum eſt judicio Papæ in materia jam à Sede Apoſtolica ante definita; ſed in materia noviter per Concilium definienda regulariter magis ſtandum eſt judicio Patrum totius Concilii, quam Papæ.* Cur ita, niſi Patres Concilii, dum aliquid definiunt novi, minus errare poſſunt quam Pontifex, quod negat Bellarminus. Hic ex Bellarmini teſte ad hominem diſputo, & Bellarminum cum Turrecremata committo, & neutri adſentior, quia neuter quærendæ & ſuis legibus inveniendæ Veritati ſtudet. Ad extremum, quod à Theologi Chriſtiani profeſſione abhorret plurimum, inſidioſa eſt Bellarmini & aliorum ſimilium Doctorum diſtinctio. Inſidiæ ſunt hujuſmodi. Concedunt, Pontificem fieri poſſe hæreticum credendo, non docendo, & tamen, quæ, ut partem diſtinctionis negantem confirment, ex Scripturis vel Patribus adducunt, nullam efficiunt probationem, aut ſi quam ſpecietenus efficiunt, ſummum promiſcuam, incertam & ἀδιάφορον eamque, quocunque volueris, in ajentem vel in negantem convertis, atque ſic proletariis, vel ſimplicibus & incallidis hominibus illudunt, ac incepta ſpe ſuadendi blandiuntur ſibi, & in cunctabundos reſiſtenteſque alios exercent dicacitatem. Scriptores non nulli, in quibus eſt Pius, Pontifex hoc nomine ſecundus, cum Pontificum vitiis atque erroribus humanæ naturæ conditionem prætexunt, non id ita faciunt, ut velint alia ratione Pontificibus judicii indeficientis privilegium adtribuere, ſed ut videantur non planè nihil excuſationis adferre, quod inſita atque innata univerſis hominibus miſeria ſuppeditet; *qui enim Pontifices creantur, homines eſſe non deſinunt*, ut Pius elegantur ſcribit & ingenue. Tandem hæc omnia in ſummam colligens Launojus ſic Bellarminum arguit, primo, quod in exponendo ſtatu Quæſtionis, in tradenda nimirum ſecunda & quarta Sententia tam mala fide agat, ut non poſſit ex iniquitate magna & ardentiori partium ſtudio non damnari, dum in ſecunda præſertim Sententia Magiſtrorum univerſitatem, antiquitatem & conſenſionem diſſimulat. Secundo, quod Theologis non nullis, quos opinionis ſuæ Sponſores adpellat, egregie imponat, & hoc nomine dignus ſit, qui cauſam amittat, dum qui facit impoſturam, apud Ulpianum in crimen ſtellionatus incurrat. Tertio, quod fidei Tridentinæ Regulam, in qua Scripturæ uſus certis quibuſdam terminis conſtringitur, uſque adeo negligat, ut excuſari non queat, cum tamen ex hujus Regulæ obſervatione pendeat Eccleſiæ Pax & Concordia,

ac

ac vera Theologici Studii ratio, correctio & emendatio. Quartò, quod iniquiſſima & maxime intoleranda ſit illa Cenſuræ nota, quam ſecundæ inuſſit Sententiæ, eam omnino erroneam & hæreſi proximam dicens, quæ ſi toleretur, vix ullam Theologorum opinionem etſi receptiſſimam fore, quæ ſimilem notam effugiat. Quintò tandem, quod ingens ſit mendacium, adfirmare, opinionem quartam eſſe communiſſimam omnium fere Catholicorum, dum è contrario maxima ſit Veritas, adfirmare, Sententiam ſecundam eſſe communiſſimam omnium fere Catholicorum, atque ſic fiat, ut opinio quarta longe magis, quam ſecunda illam mereatur Cenſuræ notam, qua Bellarminus hanc adfecit & fœdare voluit, cum ad ejus bonitatem adcedat Sedis Apoſtolicæ traditio, de qua alias.

Additio.

IN prima ejuſdem tertiæ partis epiſtola Launojus idem tractavit argumentum, nulla quamvis mentione Bellarmini facta, provocans præſertim ad teſtimonia ipſorummet Pontificum Romanorum, infallibilitatis privilegium Sedi ſuæ denegantium, quæ etſi hic & ibi pluries in hiſce epiſtolis occurrunt, merentur tamen hic legi conjunctim, prout ab authore collecta fuere & ſuo ordine lectoribus commendata. Fatetur, inquit, hoc Leo Pontifex hoc nomine ſecundus, ſucceſſor Agathonis, qui Synodum ſextam, ubi Pontifex Honorius multoties hæreſeos fuit adcuſatus, donavit Latinitate, & in epiſtola hanc Synodum confirmante, ad Conſtantinum ſcripta de Honorio conqueritur, quod Sedem Apoſtolicam non doctrina traditionis Apoſtolicæ luſtraverit, ſed fidem immaculatam traditione profana maculari permiſerit. Idem in epiſtola ad Ervigium Hiſpaniæ Regem de eodem porro conqueritur, quod immaculatam traditionis Apoſtolicæ regulam, quam à prædeceſſoribus acceperat maculari conſenſerit. Fatetur Johannes quintus, qui nondum creatus Pontifex, ſed Agathonis Papæ Legatus, in Synodo ſexta ad Honorium condemnandum conſpiravit. Fatentur Pontifices Romani omnes, qui, dum olim crearentur, in Indiculo profeſſionis fidei ſuæ, uti Cyro, Sergio, Pyrrho, cæteriſque Monothelitis, ita etiam Honorio dixerunt anathema. Fatetur Synodus Romana, cui præfuit Hadrianus ſecundus, atque ad Synodum octavam miſit Synodicam hujus confeſſionis teſtem omni exceptione majorem. Fatetur Eccleſia Romana, cùm Leonis ſecundi feſtum agit, & in lectionibus Breviarii Honorium Monothelitis à Synodo ſexta condemnatis adcenſet & cùm in Euſebii confeſſoris feſto dolet, Liberium Papam perfidiæ Arianæ conſenſiſſe, qui & ipſe in ſeptima ad Orientales epiſtola conſentire ſe ſcribit. De Romano loquor Breviario, ſcribit Launojus, antequam vetus ex eo Sedis Apoſtolicæ traditio expungeretur; quæ cura expungendi non ſtudium veritatis, ſed duntaxat adulatorium dedecus & ὑπωπίαν importat, quæ eminentiſſimam antiquæ perſuaſionis ſimplicitatem obliterare poterit nunquam, qua conteſtato ſemper eſt dictura, in correctione Breviarii dolum interveniſſe malum, atque à perenni perſpectaque Majorum traditione degeneratum eſſe. Fatentur omnes porro Pontifices, qui relata à Chriſtophoro Marcello proteſtationis forma ſunt uſi, cùm pium aliquem hominem conſecrarunt, & catalogo Sanctorum indiderunt. Fatetur Innocentius hoc nomine tertius, qui propter peccatum in fide commiſſum ab Eccleſia judicari ſe poſſe adfirmat, ac ſine generalis Concilii deliberatione de permittendo inter Philippum Auguſtum & ejus uxorem divortio quidquam definire non audet. Quid ita? Præter divinam, inquit, offenſam & infamiam mundanam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis & officii periculum nobis immineret, cùm contra promiſſam veritatis ſententiam (Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet) noſtra non poſſit authoritas diſpentare. Quam maxime autem id fatetur, cum revocat decretalem exordio, *laudabilem*, qua Clemens tertius permiſerat,

ut uxor hæretici ad ad fidem conversa nuberet alteri, quod æqualis author, Robertus Coreon, Cardinalis adseverat in Summa, tractans quæstionem de impedimentis Matrimonii. Hadrianus quidem sextus hanc decretalem Cælestino successori Clementis tribuit; sed utrum Clementi vel Cœlestino sit tribuenda, nihil interest ad Institutum præsens, quia semper Pontifici Romano tribuitur. Fatetur porro hoc Clemens quartus ad Abbatem Casa DEI scribens, cernere se, decessores suos Monasteriis, dedisse privilegia Juri divino & humano contraria, quæ rationabiliter adnullare se posse dicit, adjiciens, Quamvis prædecessoribus nostris, prout necessitas exigit, honorem geramus, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis Meriti & Scientiæ imparis nulla ratione possunt placere. Fatetur Clemens quintus, cum Bonifacii Pontificis octavi constitutionem, *Unam sanctam, &c.* nullius roboris & authoritatis esse aut futuram esse decernit in capite, *Meruit*, de privilegiis. Et si quis Clementem Bonifacii constitutionem refundendo potius, quam Bonifacium diceret errasse, dictum hoc ab Instituto præsenti abhorreret minime; sive enim Bonifacius erraverit, sive Clemens, semper Pontifex Romanus erravit Fatetur id etiam Joannes vicesimus & secundus, qui proximus morti deposuit errorem, quem palam adversus propriam Ecclesiæ Romanæ traditionem in ore ac oculis omnium tenuerat. Fatetur Eugenius quartus, qui Papa & Concilio dissentientibus, in iis quæ ad fidem & universalis Ecclesiæ statum pertinent, potius attendendam esse Concilii quam Papæ sententiam pronuntiat. Fatetur Julius secundus, qui, postquam definivit, simoniam esse veram atque indubitatam hæresin, continuo definivit, Papam Simoniace electum non modo hæreticum, sed esse hæresiarcham. Deinde fateri debet de scipso, quod in constitutione sua erraverit, cùm tradidit, simoniam esse veram atque indubitatam hæresin. Nam simonia ex se hæresis vera & indubitata non est, sed verum atque indubitatum est peccatum. Tunc vero est hæresis, cum docetur, licitam esse simoniam; sicut homicidium ex se hæresis vera & indubitata non est, sed verum atque indubitatum potius peccatum, hæresis autem, quando docetur, licitum esse homicidium. Iulius Pontifex itaque erravit *κατ' ἐξοχὴν*, & quidem definiendo Pontificaliter erravit. Fatetur idem, docetque & probat Hadrianus Pontifex hoc nomine sextus, qui certum esse pronuntiat, Pontificem Romanum posse in iis errare, quæ tangunt fidem, hæresin per suam determinationem aut decretalem adserendo; qui insuper quod mirum videri potest editam à Leone decimo contra Lutheri hæreses Constitutionem Luthero nunquam opposuit, cùm ad Ducem Saxoniæ scribens, eum à Novatoris (uti quidem Romanensibus antiquariis videbatur) hujus patrocinio voluit deterrere, sed Luthero tantum universalia objecit Concilia, iisque solis non errandi privilegium attribuit, existimans (sed falso) damnatos jam fuisse ab universalibus Conciliis omnes pene errores, quos Lutherus in medium protulerat. Fatetur hoc idem Clemens octavus, & Romana cum illo Ecclesia, cùm edita Sixti quinti authoritate Biblia suppressit, quod Sixtus carere mendis omnibus ritu Pontificali decreverat. Fatentur ulterius eloquenti silentio ii Pontifices Romani, qui suis temporibus per Legatos Synodo Tridentinæ præsuerunt utpote in qua non legitur, illos Legatis dedisse in mandatis, ut memoratam Leonis decimi constitutionem rebus definiendis præjudicium aliquod facturam proponerent, fuisset, si credidissent, eam fuisse editam ab authoritate, quæ non posset deficere. Cur enim tacuissent acuti & sagaces Viri, quos nemo de neglectis Apostolicæ Sedis opportunitatibus adcusavit? Cur tacendo adfirmassent argumentum, quo nunc utimur, inquit Launojus? Nempe res erat tunc apud eruditos & cordatos homines usque adeo nota, ut, qui negasset, cornicum oculos configere fuisset creditus. Fatetur id etiam Pius quintus, qui, cùm adhuc esset Cardinalis, nomine Michael Alexandrinus, librum Clementis Moniliani itidem Cardinalis, de Institutionibus Theologicis adprobando fecit suum, neque postea revocavit, quod in eo Conciliorum celebrato valere dicitur ad firmiorem & faciliorem veritatis elucidationem in dubiis. His autem Pontificibus adeduntur alii duo, nimi-

Digitized by Google

nimirum Gregorius undecimus & Paulus quartus. Ille quidem in teſtamento, quod alibi ex ultima primæ partis epiſtola adducitur, ingenuam & ſinceram exhibens moribundi Pontificis confeſſionem, qua ſibi abjudicavit non errandi privilegium, non revocaturus, quæ contra fidem Catholicam ſentire vel pronuntiare potuit, ſi perſuaſus fuiſſet, ſe nihil contra fidem Catholicam aut ſenſiſſe aut pronuntiaſſe, vel ſentire ac pronuntiare potuiſſe, ac credidiſſet, ex Scripturis ſacris huc non errandi privilegium poſſe comparari, doctus videlicet, Sedis Apoſtolicæ traditionem non eſſe, ut Pontifices Romani gaudeant iſtiuſmodi privilegio, cùm extra Synodum fidei dogmata decernunt. His autem, nempe Paulus, in frequenti Pontificiæ Conſultationis conceſſu, anno ſeculi Præcedentis quinquageſimo & ſeptimo, agnoſcens, *& ſe & D. ceſſores errare aliquando potuiſſe.* Ita ſe geſſit autem hic Pontifex in hoc celebri Conventu, ut re conſiderata ſit difficile Pontificem reperire ſinceriorem, non errandi privilegium ſibi ac Deceſſoribus ſuis abjudicans, illudque tribuens Eccleſiæ, quam à Spiritu S. illuſtrari docerique ſignificavit, teſtatus, adprime ſe noſſe, quæ & qualis eſſet Sedis Apoſtolicæ traditio. Legerat nempe in ſextæ Synodi Actione poſt decimam tertia & conſequentibus Honorium Pontificem hæreſeos adcuſatum & condemnatum eſſe, nec ignorabat, hanc condemnationem in Synodo ſeptima & octava repetitam eſſe, &, quod animadverſione ſumma dignum eſt, Acta Synodi ſexta non fuiſſe corrupta, quandoquidem nec Romæ, nec Conſtantinopoli, nec Alexandriæ, nec Antiochiæ, nec Hieroſolymis, nec uſpiam de corruptione hac ullum eſſe conqueſtum vel Sedis Apoſtolicæ, Legatorum vel Antiſtitum reliquorum, qui utique ubique fuiſſent conqueſti. Noverat inſuper, cum ingenti periculo dictum iri, Synodum ſextam ex Epiſtolis non intellectis Honorium hæreſeos condemnaſſe. Scilicet, Monothelitæ pari modo & jure dixiſſent, Fidei contra ſe definitionem à teſtimoniis Scripturæ & Patrum non intellectis editam fuiſſe. Vix certe diſpar ratio aſſignabitur, quæ non ſemper poſſit retorqueri. Atque hoc ingens eſt periculum, quod mente ſagari prævidebat Pontifex. Noverat quoque, Synodum Florentinam Acta Conciliorum œcumenicorum tanti facere, ut ex iis ſumendam eſſe à Pontificibus Romanis Eccleſiæ regendæ normam definiverit. Præterea ſuccenſebat iis, qui adulando factis & exemplis Pontificis Romani poteſtatem amplificant, intelligens, iis utendum eſſe ſobrie, eoſque, qui utuntur, non rara Legum & Canonum violationem pro lege & Canone accipere & habere, quo nihil ad Eccleſias regendas eſt periculoſius & aliquando pernitioſius. Hinc enim factum eſt olim, ut Lege Imperatoria fuerit decretum. Non Exemplis, ſed Legibus eſſe judicandum. Propoſuit denique, Pontificis Romani poteſtatem Scripturis tantum & ſolidis veræ Theologiæ rationibus eſſe definiendam. Recordabatur etiam ſine dubio eorum, quæ, cum adhuc eſſet Cardinalis, nomine Petrus Theatinus, in Concilio Cardinalium delectorum & aliorum quorundam Prælatorum erga Paulum hujus nominis tertium notaverat & graviter confixerat, exinde cum aliqua notatu digna nuper modo *Romæ non glorioſæ* cum hiſce ſimilibus ſunt inſerta, ac alibi plurius legantur, hic non opus eſt ea cum Lectoris faſtidio repetere. Id tantum hic meretur obſervari, quod ſupremi Pontificatus honor, quantum conſtat mentem & Sententiam hujus Pontificis non mutaverit, & quid cum eo in hoc Concilio præter Cardinalem Contarenum & alios duo celeberrimi quoque Cardinales conſenſerint, nempe Sadoletus & Reginaldus, ille quidem Italus, hic autem Anglus. Quamvis autem hoc ita ſit, & Paulus habuerit (fortè) reſpectum ad illud Concilium, cujus pars fuit & maxima & nobiliſſima, cum adhuc eſſet Cardinalis, nihilo tamen minus hodierni Curiæ Inquiſitores penè omnes ἀντιδοξάσται maluerunt à partibus oppugnatorum hujus Concilii & Conſilii, quam Pauli ſtare. Sed, ita poſt aliqua pergit Launojus, occurrunt argutiarum futilium opifices, qui magnum quid ſe putant pronuntiaſſe, cum verba hæc tria, *Pontifex ex Cathedra*, pronuntiant, atque in vulgus imperatorum ſpargunt, ſed interim ſibi cavent penitus, ne, quod velint ſibi,

interpretentur, & imperiti, ne videantur tales, nullam quærunt interpretationem, & tamen velut ex Pythio, aut Dodonæo, aut Hammonis Oraculo, quod non intelligunt, loquuntur, & nulli non cordato atque perito obloquuntur, quod ſomniant, illis adfingunt verbis, & poſtea uti valentes Dialectici ſumunt ſibi pro certo, quod verſatur adhuc in Quæſtione. Poſt teſtimonia autem Sixti quinti & Hadriani ſexti, quorum uterque fallibilitatem agnovit, ac eorum verba alibi hinc inde leguntur, adducit tandem Launojus *Chriſtophori Marcelli*, ad cujus teſtimonium paulò ante provocaverat, relationem è libris Sacrarum Eccleſiæ Romanæ Ceremoniarum Leoni decimo adſcriptis, de Canoniſatione in libro primo ſic ſcribentes: Pontifex ante, quam pronuntiet, conſuevit proteſtari hanc in formam, quod invenimus ſervatum à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui Viri clariſſimi, qui dicunt hoc introductum ex cauſa quadam quæ nunc ceſſat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad quendam canoniſandum contra opinionem ſuam, & propterea proteſtabatur; nunc autem non videri congruam illam proteſtationem. Sed de hoc ſtatuat ſummus Pontifex & ſacer Senatus. ***Forma proteſtationis hæc erat***: Ante, quam veniamus ad pronuntiationem, proteſtamur publice apud vos præſentes, quod per hunc Actum Canoniſationis non intendimus aliquid facere, quod ſit contra Fidem, aut Eccleſiam Catholicam ſive honorem DEI. Sic etiam poſt iteratam Johannis viceſimi & ſecundi, item Vigilii in doctrina Fidei errantium mentionem, quæ alibi quoque ſæpius occurrit, ſubjungit tandem Launojus: Hic capti ſunt adulatricis Curiæ fautores qui alios per tria hæc verba, ***Pontifex è Cathedra***, capere atque errori exponere volunt, & fraudulenter ac manifeſta principii petitione adſumunt, quod Scripturâ & Traditione probandum eſt, nec, ut allatis liquet Exemplis, poteſt probari.

Appendix.

IDem Launojus alibi etiam hac de Quæſtione egit in Epiſtolis, nominatim in Tomi quarti Epiſtola quarta, prolixe Lovanienſis Academiæ de ea traditionem ex Doctorum ibi antehac viventium Scriptis proponens, quos inter dum aliqui obcurrunt, quorum Bellarminus vel pro hac, vel pro illa opinione fecit mentionem, juvat aliqua exinde nunc ad majorum Veritatis illuſtrationem repetere. Et primum quidem ſuo quodam merito occupat locum Pontifex Hadrianus, de quo memorat Launojus, quod in illa Univerſitate Theologiam ante, quam Pontifex factus eſt, magna cum laude docuerit, & in quartum Sententiarum, cum de Miniſtro Sacramenti Confirmationis diſputavit, acceptam à Majoribus doctrinam ſecutus ſic ſcripſerit inter alia: ***Certum eſt, quod Pontifex poſſit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſin per ſuam determinationem aut Decretalem adſerendo, plures enim Romani Pontifices fuerunt hæretici.*** Quod ubi quibuſdam Exemplis confirmavit, tandem ſubjunxit, id à ſe hunc in finem fieri, ut ***evacuet impoſſibilitatem errandi, quam alii adſeruut***, quo oſtendit, qurm moleſte & indigne ferat opinionem contrariam, inquit Launojus, ſequentia addens de Hadriano: Intelligebat Vir prudens, quantum interſit Reipublicæ Chriſtianæ, antiquam Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ Sententiam retinere, & novam, quæ à pernitioſis quibuſdam Curiæ Romanæ adulatoribus inducebatur, procul abjicere. Hinc Doctoris hujus nomen erat tantum, & tanta ejus famæ celebritas, ut Caroli Principis Hiſpaniæ in Belgio nati informandæ præficeretur Pueritiæ, qui eum ob id ipſum ſummo in honore & pretio ſemper habuit, quem etiam Leo decimus ut Caroli Præceptorem à Schola Lovanienſi doctiſſimum, jamque Epiſcopum in Hiſpania, Veſte purpurea, atque poſt obitum hujus Collegium Cardinalitium Pontificatu dignum cenſuit, etiamſi nec familiam Romæ haberet, nec in urbe degeret, ſed in Hiſpania. Honores quidem in

Pio

Digitized by Google

Pio ſecundo, antehac Æneâ Sylvio, mutarent mores, non autem in Hadriano, qui antiquam non mutavit Sententiam, uti Pius ſecundus, ſed perpetuo retinuit, atque ut illud conſtaret omnibus, quos in quartum Sententiarum ediderat Commentarios, typis iterum mandari voluit Romanis, eoque pacto, quod ante Hadrian. Lovanienſis Theologi opus tantum erat, deinceps Hadriani Pontifices Romam opus facit, ut vere adfirmateque dici poſſit, Hadrianum Pontificem hoc docuiſſe tanquam certum, *quod Pontifex Romanus poſſit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſin per ſuam determinationem aut decretalem adſerendo.* Hæc autem Propoſitio, ita porrò ſcribit Launojus, & ſumma adverſus Magiſtros Curiales præſcripto, quæ & aliunde mirum in modum confirmatur. Nam Hadrianus in literis, quos ad Fridericum Saxonia Ducem ſcripſit, ut eum à Lutheri patrocinio deterreat, Luthero conſtitutionem Leonis decimi non opponit. Quorſum verò ſpectat hæc circumſpectio? Nimirum, non credebat editam eſſe eam conſtitutionem ea authoritate, quæ falli nequeat. Deinde, in Mandatis, quæ Franciſco Cheregato, oratori ſuo, in Germaniam proficiſcenti dedit, non errandi privilegiam Eccleſiæ ſoli non repræſentanti Eccleſiam Concilio tribuit, his inter alia verbis: *Fatemur Luthero* (quæ inauditum ſe à Leone condemnatum eſſe querebatur) *defenſionem negari non debere in his, quæ ſunt facti, hoc eſt, utrum dixerit, necne, utrum prædicaverit vel ſcripſerit, necne? Super Divino Jure autem & materia Sacramentorum authoritati Sanctorum & Eccleſiæ ſtandum* &c. Hic primum, quæ ad facti quæſtionem pertinent, videlicet, utrum Lutherus, vel quis alius, ſcripſerit vel non ſcripſerit, Divinæ Fidei ſubeſſe non poſſe tradit, nec aliter poteſt tradere, qui Theologiæ Scholas vel à limine ſalutaverit, tantum abeſt, ut id tradat Hadrianus, qui Theologus erat doctiſſimus. Non moror Theologum factioſum, qui id traderet; quia Theologus factioſus veri nominis Theologus non eſt. Veri quippe nominis Theologus adprime novit, Divinæ Fidei ſubeſſe nihil poſſe, niſi quod duplici modo poſſit muniri, nimirum Divinæ Legis authoritate, & Eccleſiæ Catholicæ traditione. Deinde, Hadrianus non alii, quam Eccleſiæ Catholicæ non errandi privilegium in his, quæ ſunt Fidei, conceſſum eſſe innuit, ſcribens: *Præſumtuoſo & perverſo cuique libertatem ſeu licentiam non eſſe, recedendi ab iis, quæ non unius aut paucorum, ſed tot Seculorum ac tot ſapientiſſimorum hominum & Eccleſiæ Catholicæ, quam DEUS in his, quæ ſunt Fidei, nunquam errare permittit, determinatione ſunt ſancit.* Denique; hæc omnia præcedentia præmunit & ſuffulcit, & nefariis adulatricis Curiæ patronis fauces elidit, cum animo ſincero, ut Romanum decet Pontificem, ſubnectit, *Scimus, in hac Sede ſancta jam aliquot Annos multa fuiſſe abominanda, abuſus in Spiritualibus, exceſſus in Mandatis, & omnia denique in perverſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis Pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit.* Et quibuſdam interpoſitis: *Quod nos adtinet, polliceberis, nos omnem operam adhibituros, ut primum Curia hæc, unde forte omne hoc malum proceſſit, reformetur, ut, ſicut inde corruptio in cunctos inferiores emanavit, ita etiam ab eadem Sanitas & reformatio omnium emanet.* Hic dictis addi nihil poteſt, quo magis confirmetur, Pontificem Romanum judicii indeficientis privilegio carere. Hadrianus de Concilii quidem ſupra Pontificem Romanum authoritate nullum inſtituit Sermonem, ſeu, quia non ſic tulit occaſio, ſeu, quia id ex denegata non errandi prærogativa facile colligitur; nam qui unum ex altero conſequens eſſe non capit, nihil capit, dum Pontifex eam ob cauſam ſubjicitur Concilio, quod in Fide & Moribus poſſit errare. Poſt Hadrianum, quem Bellarminus ſecundæ adſcripſit Sententiæ, de eâ pronuntians, eſſe omnino erroneam & hæreſi proximam, Launojus nunc porrò reproducit *Diridonem*, quem Bellarminus idem inter quartæ opinionis adſertores quarto adduxit loco, cujus verba poſtquam ex libro, ad quem provocavit Bellarminus, prolixiſſime exſcripſit Launojus, in gratiam videlicet Lectoris curioſi, idem de eo obſervans, quod ſupra, eidem ſubjunxit alium, quem Bel-

Bellarminus cum aliis pluribus prætermisit, *Jacobum* videlicet *Latomum*, juniorem Theologum quoque Lovaniensem, in libro de primatu Pontificis Romani agnoscentem, Pontificem Romanum esse supremum Judicem in spiritualibus super unumquemque Christianorum & quodlibet particulare Concilium Ecclesiæ Catholicæ, ex qua specifica determinatione concludit, quod Concilium universale hoc ipsomet Pontifici Romano præhabuerit. Hunc Latomo succedere voluit *Ruardum Tapperum*, Academiæ Lovaniensis Cancellarium, à Bellarmino quoque hoc præteritum, in cujus Declaratione tamen, quam ad Articulos Lovaniensis contra Lutherum editos scripsit, Launojus majorem desiderari posse adcurationem monuit, non pauca observans, quæ hic etiam merentur legi. *Primo* dicit Tapperus, Christum expressis affirmasse verbis, Ecclesiam super Petri, Sede ædificatam esse, quod tamen Christus expressis non adfirmat verbis, inquit Launojus, idque patet ex ipsis Christi verbis. *Secundo*, non dicit, quænam sit Petri Sedes, num Antiochena, vel Romana, an utraque, cum utriusque Festum agatur in Ecclesia. *Tertio*, super Petram, nunc super Petrum, nunc super Petri Sedem interpretatur, quasi unum & idem esset super Petrum & super Petri Sedem, cum tamen sedentem à Sede distinxerit, ubi Petro mortuo Petri Sedem remansisse dixit. *Quarto*, provocat ad Hieronymum, qui non dicit, super Petri Sedem, nec favet consilio Tapperi. *Quinto*, provocat ad Chrysostomum, qui neque super Petrum, neque super Petri Sedem, dicit ædificatam esse Ecclesiam, sed super Petri Confessionem; ut adeo Tapperus Authorem, quem ipse non vidit, aut oblique saltem, alius commendaverit. *Sexto*, provocat ad Cyprianum, quo ipsomet Tapperus significat, ignorare se, qui & qualis fuerit Cyprianus, & in quas disceptationes cum Stephano Pontifice venerit. *Septimo*, remittit Lectorem ad cæteros Patres perinde, ac si pari modo sentirent, à quorum numero Launojus adducit solos Pontifices, Leonem primum, Felicem tertium, Hormisdam, Gregorium primum, Hadrianum primum, Johannem octavum, Innocentium secundum, Hadrianum quartum, Urbanum tertium, Innocentium tertium, omnes & singulos à Tappero discedentes. *Octavo*, cætera etiam, quæ Tapperus subnectit, nisi commoda molliantur expositione, cum iis, quæ alias docuit, non videbuntur cohærere; pugnat namque secum, & insuper loquitur inconsequenter, nec satis adcurate vel circumspecte scribit. *Nono*, idem Tapperus in oratione contra Philippum Melanthonem tertia Lovaniensis Academiæ Sententiam, quam probare ac illustrare voluit, non nihil obscuravit, ea scribens, quæ à Veritate non parum abhorrent, nimirum hæc: *A tempore Concilii Constantiensis & Basileensis Doctores quidam apud solum Concilium œcumenicum docent esse infallibilis Sententiæ privilegium.* Atqui Tapperus Theologos, qui hoc docent, non satis adcurate numeravit. Dicere non debuit, Doctores quidam, sed Doctores bene multi, omnes nimirum, qui Romano Pontifici non errandi privilegium abjudicant, & eum Concilio universali subjiciunt. Hos autem quis omnes numero subducat? Albertus certe Pighius Anno MDXXXVIII. l. VI. de Hier. cap. 2. ubi de Constantiensis & Basileensis Conciliorum Decretis loquitur, sic scribit: Horum authoritatem sequens & adserens Johannes Gerson, Cancellarius Parisiensis (quem in hodiernum usque diem universa illa Schola sequitur) in Tractatu de Potestate Ecclesiastica, & in altero, quem inscribit, de auferibilitate Sponsi, hanc positionem suo more Scholastico distinctius probabiliusque & explicare & defendere nititur. Sic Franciscus de Veitoira, Hispanus, qui Anno MDXLVI. mortem oppetit, in libro de potestate Papæ & Concilii ait: Concilium esse supra Papam est communis Sententia Parisiensium & multorum Doctorum in Theologia & Canonibus, ut Panormitani & aliorum. Johannes etiam Celaia, itidem Hispanus, in lib. III. Sent. distinct. 25. Quæst. 5. ita habet. Quæritur, ad quem spectat edito Symbolo Fidei Catholicæ, ut determinet ea, quæ sunt Fidei? Pro hujus Quæstionis enodatione est adver-

ten-

tendum, quod mirabilis est Controversia inter Doctores Catholicos, veluti de Superioritate Papæ & Concilii. Nam Johannes de Gerson & Doctores Galli, & multi Alemannorum tenent, quod ad universale Concilium pertineat edere Symbolum & ea determinare, quæ Fidei sunt Catholicæ & non ad Papam. Johannes Franciscus Picus quoque in Theor. IIII. de Fide ad Julium II. sic sentit: Quod Pontifex errare possit in judicando, adseverantissimè à plerisque pronuntiatur; ajunt enim, notissimum esse, Pontificem summum fieri posse hæreticum, & deponi à Sede. Adcedit Concilium Senonense Anno MDXXVIII. celebratum, cujus tertium de Conciliorum authoritate Decretum consentit; item Clemens VII. In Epistolâ ad Franciscum Galliæ Regem, de Concilio generali celebrando. His subjunguntur Articuli Facultatis Theologicæ Parisiensis, Anno MDXLII. conditi, quos Franciscus Rex Edicto communiit, quod apud supremas & inferiores Regni Curias omnes publicis inscriptum est tabulis, undè contigit, ut Theologorum Parisiensium Doctrina in totius Regni doctrinam evaserit. Non verò contentus hoc Tapperus in citatâ oratione hæc etiam legi voluit: *Veteres Scriptores Petro totius Christi familiæ propositio (&) Romano Pontifici supremo Christi in terris post Petrum vicario, ut qui solus claves acceperit quodlibet ligandi ac solvendi, ejusque Cathedræ proprium esse hoc Privilegium infallibilis Sententiæ, concorditer à Scripturis tradunt.* Et quia Tapperus ad probationem hujus laudavit duos Pontifices, Innocentium primum & tertium, notat Launojus, eum minime laudaturum, aut in probationem verba ex illorum Scriptis adsumturum, si bene novisset, id est, mentem eorum adsecutus fuisset. Id postquam prolixissimè deduxit & ostendit, cujus generis plura adsequens etiam caput occurrent, eò usque nunc differenda, dum Tapperus porrò ad Thesin defendendam usus est Athanasii & Synodi Alexandrinæ ad Felicem II. Literis, observavit iterum Launojus, eam non usurum authoritate hac, si Athanasii Epistolam ad solitarios legisset, utpotè in qui Athanasius Felicem pro Antichristo habeat; nec Athanasius modo, sed plures alii eum legitimum esse Pontificem haud crediderunt, inquit Launojus, adducens testimonia *Optati Milevitani*, *Augustini*, *Hieronymi* & aliorum coæqualium & oculatorum nenè testium, Felicem pro Pontifice intruso habentium, ad quem nemo prudens sit adfirmaturus Athanasium & Synodum Alexandrinam scripsisse Epistolam sub hoc uti fertur Titulo, *Domino Beatissimo & honorabili, Sancto Patri Felici, sanctæ Sedis Apostolicæ Urbis Romæ* &c. Deindè, sic pergit Launojus, exulante liberio & occupante Sedem Romanum Felice, Athanasius non erat Alexandriæ, sed in fugam conversus; quomodo potuit igitur Alexandriæ Synodum cogere, atque ad Felicem scribere? Tum, ubinam Synodi hujus mentio, vel apud Athanasium, qui tot Synodorum meminit; vel apud Hilarium, qui librum de Synodis Fidei Catholicæ adversus Arianos composuit; vel apud Luciferum Calaritanum, qui libros ingentes duos scripsit pro Athanasio; vel apud Hieronymum, qui Chronicon usque ad Imperatorem Gratianum perduxit; vel apud Socratem, Theodoretum, Sotomenum, qui de vexatione Athanasii & rebus temporis illius tam multa tradiderunt memoriæ; vel tandem Prosperum, qui Chronicon ab ortu rerum ad mortem Valentis cum adnotatione Consulem edidit? Postremo, ubinam sunt Synodi Alexandrinæ & hujus Epistolæ exemplaria, nimirum Græca, quis illa vidit unquam, quis Latinitate donavit? *Decimo*, Tapperus progreditur ulterius, aitque, Propositionem suam ex eo etiam confirmari, quod quatuor prima Concilia universalia constitutionum suarum adprobationem ab Antistite Romano petiverint, ut eorundum Acta testentur. Verum, respondet Launojus, Acta quæ ad Concilium pertinent Nicænum, non expendit Tapperus, sine dubio rejecturus illa, si dignarus fuisset expendere, addens, se falsitatis judicia in alia percurrisse Epistolâ. De Concilio autem primo Constantinopolitano monet, id neque Constitutionem suarum adprobationem petiisse à Damaso, neque Damasum dedisse; Acta certè Concili-

lii hujus eſſe nulla, ſeu vera, ſeu falſa, quæ faveant Tappero. Præter id ſic argumentatur Launojus, ſi Concilii Conſtantinopolitani conſtitutiones adprobavit Damaſus, uti putavit Tapperus, cur Leo primus in Concilio Calchedonenſi per Legatos interceſſit, quo minus Concilii hujus Canon ſecundus in authoritatem admitteretur? cur Leo tot Epiſtolas nunc ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, nunc ad Marcianum Auguſtum, nunc ad Pulcheriam Auguſtam, nunc ad Julianum Epiſcopum Cœnſem, ad Juvenalem Hieroſolymitanum, ad Maximum Antiochenum contra Canonem relatum exaravit. Sed, ita porrò ſcribit Launojus; demus Tappero, prima quatuor Concilia univerſalia confirmationem à Pontifice Romano petiiſſe. Non petierunt majorem, vel efficaciorem, vel luculentiorem ea, quam Martinus I. pro Synodi Romanæ geſtis à Synodo Gallicana petiit, poſtulans ab Amando, Trajectenſe Epiſcopo, ut Antiſtites Gallicani creentur in Synodum, ac Synodi Romanæ Acta confirment iiſque conſentiant. Hæc & alia ubi Launojus contra Tapperum obſervavit, quæ itidem contra Bellarminum poſſunt inſervire, ad Sententiam *Johannes Heſſelii à Lovanio*, quem ſupra ab eodem Bellarmino in favorem Infallibilitatis Pontificiæ vidimus adductum, progreditur, cujus Tractatum quia tum, quando ultimam tertiæ partis Epiſtolam ſcripſit, nondum habuit ad manus, generali tantum reſponſo & conjectura quadam non improbabili contentus fuit. Poſtquam vero ejus particeps fuit factus, ex lectione ejuſdem agnovit quidem, eum in objectionibus ſolvendis tenere medium quoddam iter, ac videri ſeipſum implicare, dum hinc non errandi privilegium Pontifice Romano adimit, & Cathedræ tribuit Romanæ, inde idem Privilegium Pontifici Romano tribuit, cum toti Eccleſiæ aliquid credendum præſcribit, quo in caſu Cathedram Romanam cum Pontifice Romano, & Sedem cum ſedente conjungit, atque ſic orationem Chriſti pro Petro varias in partes convertere, dicit, & oranti verſatile ingenium adfingere, quod ab honeſto & vero abhorreat, maxime, cum Propoſitio, *quod Pontifex toti Eccleſiæ credendum aliquid præſcribat*, apud Theologos veteres ſit inuſitata, & nullo communiatur exemplo, uti in re tanti ponderis debuerit communiri. Addicit Launojus, eum Quæſtionis Theologicæ novam finxiſſe ſtatum, quo facilius propoſita ab Hadriano & aliis Theologis argumenta ſolveret, ſed revera non ſolviſſe, verum potius eruiſſe, nec adtuliſſe, nec adferre quidquam potuiſſe, quo novum lemma ſuum confirmaret, cum nemo unquam vel in Scripturis, vel apud Patres, Concilia, Theologos vetuſtiores hanc viderit vel legerit Propoſitionem. Et ſi ex Scriptura, vel Patrum, Conciliorum aut Theologorum veterum dictis ratiocinandum ſit, *Heſſelius* per fallaciam adcidentis ratiocinabitur, à non diſtributo ad diſtributum procedere, atque hoc modo gignetur error, non Scientia. Quæ cum ita ſint, concludit Launojus, negari non poteſt, quia ſubobſcure ſcripſerit Heſſelius. Sed, ita notanter ſubjungit, quidquid eſt in hoc capite caliginis, diſſipatur tum ex iis quæ proceſſerunt, tum etiam ex iis, quæ ſubſequuntur, exinde ſequentia obſervans. Primum, quod Petrum & Petri Succeſſores à Petri Cathedra, & illis ita diſtinctis & ſejunctis Pontifici privilegium non errandi abjudicat, ſed Cathedræ adjudicandum eſſe cenſet. Secundum, quod, cum Petrum & Petri Succeſſores Cathedræ conjungit, eis non errandi privilegium uno tantum in caſu adtribuit, nimirum ubi, quid Fide ſit credendum, *toti præſcriberent Eccleſiæ*, ac proinde ſi, quid Fide credendum eſſet, Occidentali vel Romanæ, cujus veri ſunt Epiſcopi ac Sponſi, Eccleſiæ præſcriberent, poſſent errare, qui tunc non errandi privilegio carerent. Tertium, quod caſum hunc, qui, quibus proponitur verbis, à Theologis antiquioribus non eſt propoſitus, iis circumſcribit conditionibus, quæ, ſi omitterentur, Pontifex in caſſam tentaret definire. Eas, ſi Lector curioſus deſiderat, in loco licebit legere, dum plura nunc exſcribere non vacat, iis etiam omiſſis, quæ ex *Janſenio Ypren.ſi* & Planctu Veritatis Auguſtinianæ in Belgio patientis adduxit Launojus, quorum aliquam partem non ita pridem exhibui in Vindiciis

Au-

Digitized by Google

Auguſtinianis, undè, qui Launoii Scriptis deſtituuntur, huc poſſunt derivare, hoc unico adhuc obſervato, quod Bellarminus, cum ultimo hujus capitis paragrapho ſcripſit, *illorum Sententiam, qui docent, infallibilitatem Judicii non eſſe penes Papam, ſed penes Concilium generale, non eſſe planè hæreticam, ſed erroneam & hæreſi proximam*, ſeipſum in Recognitione Librorum aliquatenus correxerit, ſtatuens, dici rectius *nos non audere eam Sententiam plane hæreticam judicare, quoniam, qui illam ſequuntur neque ab Eccleſia damnati neque eorum libri unquam fuerint prohibiti, videri tamen ita manifeſte erroneam, ut merito poſſit Eccleſiæ judicio hæretica declarari.* Launoii circa hoc ultimum obſervationes proxima Quæſtio & Controverſia ſuppeditabit.

Bellarminus *l. eod. c.* 3.

INfallibile ſummi Pontificis Judicium Lectori commendaturus hanc exhibet Propoſitionem: Summus Pontifex, cum totam docet Eccleſiam, in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo caſu poteſt errare. Addit, hæc eſt contra primam & ſecundam opinionem pro quarta, & probatur Primo ex promiſſione Domini Petro facta, Luc. 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. *Hic locus, ſcribit Bellarminus porro, tribus modis exponi ſolet. Prima Expoſitio eſt quorundam Pariſienſium ſupra citatorum, quod Dominus hic oraverit pro Eccleſia univerſali, ſive pro Petro, ut totius Eccleſiæ figuram gerebat, & hoc impetraſſe, ut Fides Eccleſiæ Catholicæ nunquam deficiat. Quæ Expoſitio, ſi ita intelligeretur, ut diceret, immediate oratum eſſe pro capite Eccleſiæ, & conſequenter pro toto corpore, quod per caput repræſentatur, vera eſſet; ſed ipſi non ita intelligunt, volunt enim, pro ſola Eccleſia oratum eſſe, quæ Expoſitio eſt falſa. Altera eſt quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent, Dominum oraſſe hoc loco pro Perſeverantia ſolius Petri in gratia DEI uſquead finem. Verum hæc etiam non placet Bellarmino, inde ſic pergit: Eſt igitur tertia Expoſitio vera, quod Dominus duo Privilegia impetraverit Petro. Unum, ut ipſe non poſſet unquam amittere veram Fidem, quantumvis tentaretur à Diabolo, quod eſt aliquid amplius, quam Perſeverantiæ donum. Dicitur enim perſeverare ad finem uſque, qui, licet interdum cadat, reſurgit tamen, & in fide fidelis invenitur. At Petro Dominus impetravit, ut non poſſet unquam cadere, quod Fidem attinet. Alterum eſt, ut ipſe tanquam Pontifex non poſſet unquam aliquid docere contra Fidem, ſive, ut in Sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram Fidem. Ex hiſce Privilegiis primum fortaſſe non manavit ad poſteros, at ſecundum ſine dubio manavit ad Succeſſores. De primo habemus expreſſa Veterum teſtimonia, Auguſtini, Chryſoſtomi, Theophylacti, item Proſperi, hac cum obſervatione, quod licet Patres iſti non meminerint alterius Privilegii, illud tamen non negent, nec negare poſſint, niſi pluribus aliis Patribus velint contradicere. De altero autem habemus inprimis teſtimonia ſeptem Veterum & Sanctorum Pontificum*, Lucii primi, Felicis primi, Leonis primi, Agathonis, Nicolai itidem primi, Leonis noni, Innocentii tertii. *His Pontificibus, ſcribit Bellarminus, videtur omnino credendum, tum quod ſancti fuerint, tum quod ſine dubio ipſis præcipue debeat eſſe nota ſuæ Sedis authoritas. Præter hos Pontifices autem, inquit porro, non deſunt alii etiam Authores, qui eodem exponunt modo, Theophylactus, Petrus Chryſologus, Bernhardus, quibus ſubjungit Reſponſionem ad objecta contra hanc Expoſitionem.*

Digitized by Google

Launojus Tom. V. *Epist.* 6.

PRolixissime hoc argumentum pro more tractaturus, duos sibi proposuit præstanda, primo, referenda Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum testimonia, quibus Lucæ locum exponunt; deinde perpendendum, an Bellarminus Synodi Tridentinæ Decreto paruerit, & Fidei professionem servaverit, cum illâ authoritate voluit probare, *Pontificem Romanum, cum docet totam Ecclesiam, in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo casu errare posse.* Quoniam vero, inquit Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum non una est Expositio, ne quid conturbate vel contorte fiat, illorum Testimonia varias in classes distribuam. Atque sic primam exhibet eorum, qui tradunt, *oravisse Christum, ut Petrus nunquam amitteret veram Fidem quantumvis tentaretur à Diabolo, sed in ea & Gratia DEI cum demum perseveraret.* Hujus adcenset Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Basilium, Ambrosium, Chrysostomum, Concilium Carthaginense, Innocentium primum, Concilium Milevitanum, Augustinum, Authorem Quæstionum ex N. T. apud eundem, Cyrillum Alexandrinum, Leonem primum, Prosperum, Theodoretum, Bedam, Theophylactum, Oecumenicum, Euthymium, Damianum, Drogonem, Lombardum, Innocentium tertium, Hugonem, Albertum Magnum, Thomam, Bonaventuram, Authorem Glossæ interlinearis, Lyranum, Occamum, Dionysium Carthusianum, Thomam Cajetanum, Johannem Majorem, Johannem Arboreum, Johannem Benedictum, Johannem Gagneium, Dominicum Bannem, Johannum Maldonatum, Andream Coppenstenium, Gabrielem à Porta, Stephanum Menochium, Alexandrinum Pontificem hoc nomine septimum. Secundam classem illorum, qui tradunt, *oravisse Christum, ut Ecclesia Romana per Petrum fundata à Fide nusquam deficiat.* Ad eam refert Agathonem Romanum Pontificem, Damianum, Gregorium hujus nominis septimum, Jacobum Cardinalem Vitriacum, Thomam, Johannem Papam vigesimum & secundum, Pium secundum. Tertium illorum, qui tradunt, *oravisse Christum, ut Sedes Petri vel Sedes Apostolica nusquam deficiat à Fide.* Inter hos numerat Leonem nonum, Gregorium septimum, Bernhardum, Innocentium secundum & tertium, Albertum magnum. Circa duas hasce classes observat Launojus, quamvis forte juxta eos omnes vel certe plerosque, qui in utraque laudantur, eadem sit Sedes Apostolica cum Ecclesia Romana, nihilo tamen minus sè distinguandam censuisse, quia sic distinxerit Innocentius primus, Agatho, Gregorius septimus, Petrus Cardinalis Cameracensis, Sixtus denique quartus, cujus testimonia itidem adducantur. Sequitur Classis quarta eorum, qui tradunt, *oravisse Christum, ut Ecclesia universalis, vel Concilium universale nunquam defecerit à Fide.* Hæc exhibet Leonem nonum, Hildebertum Cenomannorum Episcopum, Gotfridum Viterbiensem, Thomam, Bonaventurum, Occamum, Thomam Waldensem, Martinum Papam hoc nomine quintum, Petrum Alliacum, Johannem Gersonem, Johannem Brevicoxam, Episcopum antehac Parisiensem, Vincentium Fercerium, Nicolaum de Clemangis, Nicolaum Tudescum, Jacobum Almainum, Cyprianum Benetum, Theologum Parisiensem, ordinis Prædicatorum, Johannem Diridonem, Franciscum de Victoria, Antonium Cordubensem, quorum testimonia postquam prolixe recensuit Launojus, ad examen Bellarmini se confert, ostendens, eum Expositiones, quas indicat, fide perversa tractare, adeoque Synodi Tridentinæ Decreto neutiquam parere, & professionem Fidei omnino negligere. Et quidem ad expositionem *primam* à Bellarmino exhibitam observat, esse eam non quorundam tantum Theologorum Parisiensium, sed plurium, quorum nomina ad classem quartam sunt relata. Ad *secundam*, quam itidem refellit Bellarminus, notat, eum dissi-

Digitized by Google

dissimulare, quod sit antiquorum Ecclesiæ Patrum, atque per traditionem venisse ad illud usque tempus, quo scripserat, quod ex prima classe monet luculenter patere, addens, nescire se, an fide prisci potuerit Expositio hæc secunda tractari, quam à Bellarmino factum est, dum suis æqualibus Theologis quibusdam tribuit, quæ per singulas ætates fuerat celebrata, & post Bellarmini quoque ætatem fuit adprobata. Ad *tertium* illud *primo* animadvertit, ei Bellarminum nullos Authores adscribere, ex quo recte colligatur, Expositionem hanc esse novam, atque alium à Bellarmino architectum non habere vel agnoscere. *Deinde* Lectori considerandum proponit, dum Bellarminus Expositionem, quæ nova est, veram esse dicit, quæ autem sunt antiquiores, ut falsas repudiat, quæ hæc sit Theologiæ docendæ ratio ac methodus? *Tum*, Expositionis hujus tertiæ partem priorem esse ipsam Expositionem secundam, quam Bellarminus tribuerit non nullis suo tempore viventibus; sed cum Expositionibus hujus tertiæ partem priorem ex Augustino, Chrysostomo, Prospero & Theophylacto adferat, vel pugnare secum, vel credere, hos Patres vixisse suo tempore, atque sic propositio Dilemmate concludi, & quocunque se vertat, incommodum ferre, nempe vel dextro vel sinistro eorum feriri: *Præterea*, in relata Expositione secunda dolum esse malum, dum constat, extitisse quidem Bellarmini tempore, qui Verba Christi ad Petrum ita sint interpretati, uti Bellarminus refert, sed illos Interpretationem suam, Chrysostomi & Augustini testimoniis communivisse, ac in eos *Dominicum Baunem* ex ordine Prædicatorum, quæ insuper hanc Expositionem nominet piam & Catholicam, quam Bellarminus adpellat falsam. *Quinto*, Bellarminum Expositionem tertiam sic ex duobus adornare Privilegiis, quasi Patres, quorum recenset testimonia, inter se convenerint de industria, ut alii verba Christi de Privilegio priori, alii autem de posteriori intelligerent, quod egregium (scilicet) inventum esse censet, cujus opera Bellarminus Patres memoratos cujuscunque alterius Verborum Christi interpretationis fautores & adstipulatores reddere non vereatur. *Sexto*, Bellarmino porro sic ad primum scripsisse Privilegium, ac si plures alii Patres Verba Christi de secundo exposuissent Privilegio, cum tamen ante Chrysostomum & Augustinum nullus reperiatur Ecclesiasticus Tractator, qui verba hæc intellexerit de tali Privilegio, nec ipse Bellarminus vel unum adtulerit vel adferre potuerit, qui ita intellexerit, tantum abesse, ut plures alios, quibus velint Chrysostomus & Augustinus contradicere; & si reciperet hoc Bellarminus, eos voluisse Patribus post se scripturis contradicere, cum tore ridiculum, cum divinassent, futuros esse Patres, qui verba Christi de secundo intelligerent Privilegio, & male quidem, cum è tota Patrum nube sit nullus, qui eo interpretentur modo. *Septimo*, Bellarminum Lemma suum aliter proponere, aliter vero Privilegium secundum. In Lemmata secundum Bellarmini Sententiam tunc tantum errare non potest Pontifex, *cum totam docet Ecclesiam in his, quæ pertinent ad Fidem*; quo certè pacto posset errare, salvo non errandi privilegio, cum vel Orientalem vel Occidentalem vel Romanam tantum Ecclesiam, cujus proprius est Episcopus, doceret. In proposito autem Privilegio illud reticetur, *cum totam docet Ecclesiam*, atque sic longe minus definitum est Privilegium, quam Lemma, nisi per verba hæc, *tanquam Pontifex*, velit æqualiter definiri. Quasi vero, inquit Launojus, Petrus vel Successor ejus non ageret tanquam Pontifex, cum Occidentalem, vel Orientalem, vel Romanam tantum Ecclesiam doceret, & tunc tantum ageret tanquam Pontifex, cum totam doceret Ecclesiam? Quorsum hæc Bellarminus? Ut adducendo nonnullorum Pontificum & Patrum testimonia, quæ proposito clare Lemmati nullatenus respondent proposito minus clare Privilegio, saltem responderent in speciem, & Lector incautus circumveniretur, ut probationes, quæ non sunt idoneæ, & adcidentis includent fallaciam, facilius admitteret. *Octavo*, secundum hæc Liberium hæreticæ pravitati subscribentem ad propositum Lemma non pertinere, cum Orientalem tantum Ecclesiam docuerit,

at propoſitum lemma locum habeat tantum juxta bellarmini mentem, cùm Pontifex totam docet Eccleſiam, Liberius autem ſubſcribens hæreticæ pravitati ad propoſitum pertineat Privilegium, cum in epiſtola ad Orientales aliquid docuerit contra Fidem, quod quia bimembre eſt, ſi cauſando velit ſubterfugere Bellarminus rationem ac dicere, Liberium tunc in Sede ſua non fuiſſe, quod Privilegium requirit, Launojus putat inter machinas & præſtigias referri debere, quibus utatur Bellarminus in tractanda hac Quæſtione, quæ eminentiſſimam exigat ſimplicitatem. *Nono*, Bellarminum in ipſum cæco impetu incurrere, cum verborum Chriſti Expoſitionem, quam nonnullis tribuit Pariſienſibus, & ad quartam pertinet claſſem, hoc refellit modo: ***Dominus pro illo rogat, cui ait***, Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. ***At hoc certe non poteſt Eccleſiæ toti convenire, niſi dicamus, totam aliquando Eccleſiam eſſe pervertendam, ut poſtea iterum convertatur.*** Rem ita ſe habere ſic oſtendit Launojus. Nimirum, ut Bellarminus ſecundum confirmet Privilegium, adducit aliquot Pontifices & Bernhardum, qui omnes vel de Eccleſia Romana, vel de Sede Petri loquuntur, ut proxime uberius docebitur. Hoc ita poſito Bellarmini verba in Bellarminum retorquemus: Dominus pro illo rogat, cui dicit, ***Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*** At hoc certe non poteſt Eccleſiæ Romanæ vel Apoſtolicæ ſedi convenire, niſi dicamus, Eccleſiam Romanam vel ſedem Apoſtolicam aliquando eſſe pervertendam (vel jam ante perverſam) ut poſtea iterum convertatur. Ut ergo putat abſurdum eſſe, verba hæc in totam flectere Eccleſiam, ſic & abſurdum eſſe, ni fallor, putabit, ſi eadem verba in Eccleſiam Romanam & ſedem Apoſtolicam flecterentur. Adſertum igitur à Bellarmino Privilegium manu concidit Bellarmini. ***Decimo tandem*** ſupereſſe, ut quod initio fuit propoſitum, nunc executioni mandetur, adeoque videndum, an Bellarminus in exponendis Chriſti verbis Synodi Tridentinæ Decreto paruerit, quod facile poterit videri, ſi duo præſtentur. Unum ſi claſſes quatuor Patrum & Tractatorum Eccleſiaſticorum animo retexantur; alterum, ſi Expoſitio Bellarmini cum illis conferatur, utpote ex quo manifeſtum erit, Bellarminum in lemmate, quod ſibi ſumſit, ad nullam ſe claſſem adcommodare. Et quidem primo, pergit Launojus, non ad ***quartam***, quæ pugnantes pro effuſa ad DEUM Chriſti prece in gratiam Fidei univerſalis vel Eccleſiæ vel Concilii Patres & Tractatores Eccleſiaſticos repræſentat, quin etiam illos, abſona ut credit complexione refellit. Deinde, ***non ad tertiam***, Patres & Tractatores Eccleſiaſticos continentem; qui dicunt, oraſſe Chriſtum, ut ſedes Petri vel Apoſtolica nuſquam deficiat à Fide. Nam ut adcommodaret ſe Bellarminus ad hanc, ſic lemma ſuum deberet proponere: Apoſtolica ſedes, cùm totam docet Eccleſiam, in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo caſu poteſt errare. At vero non ita proponit. Præterea, qua ratione confutaret eos, qui tradunt, oraſſe Chriſtum, ut univerſalis Eccleſia vel Synodus nunquam deficiat à Fide, eadem confutaret eos, qui ſcribunt, oraſſe Chriſtum, ut Apoſtolica ſedes nunquam deficiat à Fide. Neque Bellarminus dicet unum & idem ſonare ſummum Pontificem & Apoſtolicam ſedem; alioquin ſummus Pontifex Apoſtolicæ Sedi non diceretur præſidere, nec eodem mortuo Apoſtolica ſedes vacare diceretur, imo pereunte ſummo Pontifice ſedes Apoſtolica perire diceretur. Quis vero niſi ſtultus ſic loqueretur? Tum, ***non ad ſecundam***, eos exhibentem Patres & Tractatores Eccleſiaſticos, qui volunt, oraſſe Chriſtum, ut Eccleſia Romana per Petrum fundata nunquam deficiat à Fide; nam ut adcommodaret ſe ad eam, lemma ſuum ſic proponere deberet: Eccleſia Romana, cum totam docet Eccleſiam, in his, quæ pertinent ad Fidem, nullo caſu poteſt errare. At vero non ita proponit. Præterea, quo pacto rejicit eos, qui ſcribunt, oraſſe Chriſtum, ut univerſalis Eccleſia vel eam repræſentans Concilium à Fide deficiat nunquam, eodem & illos rejiceret, qui adfirmant, rogaſſe Chriſtum, ut Eccleſia Romana per Petrum fundata nunquam deficeret à Fide. Non memini, ſcribit porro Launojus, me legiſſe, qui Epiſcopum Romanum & Eccleſiam Romanam dixerit unum & idem ſignificare; quis namque

Paſto-

Digitized by Google

Paſtorem gregis & gregem ipſum, Rectorem populi & ipſummet populum, id eſt, collectivum & diſtributivum nomen diceret unum & idem eſſe? Sed memini, me legiſſe. *Thomam Cajetanum*, qui diſputando fraudulenter & inepte intulerit, Papam & Eccleſiam univerſalem eſſe unum & idem, quod eſt aliquid omnium animis & auribus adhuc multo abſurdius; ſic enim in opuſculo de poteſtate Papæ & Concilii adverſus Pariſienſes noſtros capite nono παρεμπτ. Impoſſibile eſt, Eccleſiam univerſalem errare in Fide; ergo impoſſibile eſt, Papam in judicio definitivo authoritative errare in Fide. Hoc ſophiſma laudanti Cajetanum pro ſua ſententia Bellarmino non diſplicet, ſed illud vehementer probat & adhibet petulans & audax ille moralis apud Chriſtianos diſciplinæ irriſor & in pleriſque everſor *Amadæus Hærincenius*, qui multiplicis ac varii coloris larva indutus, variæ ac multiplicis doctrinæ corruptionem, ubi ubi ſint homines, importat. Poſtremo, *non ad primam*, eos Patres & Tractatores Eccleſiaſticos comprehendentem, qui adfirmant, rogaſſe Chriſtum, ut Petrus veram Fidem amitteret nunquam, quantumvis tentaretur à diabolo, ſed in ea & DEI gratia ad finem uſque perſeveraret. Hæc claſſis ita obſervat Launojus, licet ſit omnium maxima & in perpetua traditione poſita, tamen Bellarmino parum fuit nota, niſi fortaſſis ſolem in meridie lucentem diſſimulaverit. Quidquid id eſt, aperte liquet, poſt annum 1577. quo Romæ Bellarminus inſtituit docere, verborum Chriſti expoſitionem, quam prima claſſis habet, conſecratam à multis ac retentam eſſe. Unde fit, ut hæc expoſitio cæteris, quæ in aliis recenſentur claſſibus, Scripturæ ſenſu ad literam expreſſiori, vetuſtate, Conciliorum authoritate, Patrum & Tractatorum Eccleſiaſticorum dignitate, ſcientia & numero longe antecellat. Hoc unum mihi videor me poſſe ſumere, tametſi mihi non ſumam, retuliſſe Patres & Tractatores Eccleſiaſticos omnes & ſingulos, qui ad unamquamque pertinent claſſem, præſertim ſi ſpectentur authores, qui annis abhinc quadringentis ſcripſerunt. Verum, ut Synodi Tridentinæ Decreto ſatisfiat, maxime ſpectandi ſunt ii, ad quos reſpectum habuit Synodus Tridentina, ſcilicet eos, qui prioribus Eccleſiæ ſeculis claruerunt. Itaque cùm Bellarminus ad hancce primam claſſem ſe non adcommodat, Synodo Tridentinæ contradicit, ac ejus Decretum ſpernit, unde perſpicuum eſt, quàm deteſtabile ſit argumentum Bellarmini, in quo formando Synodo Tridentinæ contradicitur, ejus Decretum ſpernitur & à Pio quarto edita Fidei profeſſio violatur. Poſt hæc omnia tandem adhuc ſequentia notat Launojus, quæ circa tres claſſes poſteriores, & laudatos in iis authores notatu cenſuit digna, & primo quidem, quod adtinet teſtimonia Pontificum à Bellarmino producta, ad eam provocat epiſtolam, ex qua proxime plura adducentur. Deinde, inquit, Authores plerique Expoſitionis quartæ in Scripturis intelligendis exercitatiores ac paratiores ſunt authoribus ſecundæ & tertiæ Expoſitionis, quorum alii epiſtolas tantum ſcripſerunt, ubi ſæpe, ſi maxime ſint Pontifices Romani, myſticus, anagogicus, allegoricus, non vero literalis ſenſus adtenditur. Ex ſenſu autem myſtico, anagogico, allegorico nullum argumentum firmum depromitur, niſi Spiritus Sanctus illum intenderit ſenſum, & intendiſſe demonſtretur. Dicere autem non probare, Spiritum Sanctum intendiſſe hunc ſenſum, eſt lectoribus fucum facere, non Veritatem quærere vel adferere. Tum, Expoſitio quarta adridet pluribus, quam ſecunda vel tertia; hinc Leo nonus, qui modo ſecundæ, modo tertiæ favet Expoſitioni, ad quartam revocatur facilius, quam ad ſecundam. Præterea Thomas ab Expoſitione quarta ſtat conſtantius, quam ab eadem ſecunda, ubi ſingulariter dicit, in partem Eccleſiæ Petri totam venire Italiam, quod apud alium authorem me non memini reperiiſſe, ſcribit Launojus. Porro Expoſitionis quartæ authores ratiocinantur fortius & convenientius, quam authores ſecundæ & tertiæ Expoſitionis. Inſuper inter Pontifices Romanos, quibus ſecunda vel tertia Expoſitio conſignatur, Innocentius hoc nomine tertius graviores Fidei cauſas ad Concilium generale, tanquam ad ultimum Eccleſiæ tribunal remittit. Adhuc apud omnes eſt in confeſſo, Expoſitionem quartam ſpectare bonum Eccleſiæ majus, acceptius, congruentius, univerſa-

lius, quam Expoſitio ſecunda & tertia, quo ex capite Expoſitio quarta duabus aliis non poteſt non præponi; atque hinc etiam Expoſitio ſecunda & tertia graviſſimas ſuſtinet difficultates, adeoque ſtare non poſſunt, dum quarta nullas, aut certe potiores ſuſtinet, & hanc ob rem iis anteponitur prudentius, ac ultra perimit argumentum, quod ex iis reducitur. Poſtremo, quia Theologi Pariſienſes non omnes in Expoſitionem quartam conſentiunt, ſed quibuſdam prima probatur, liberum mihi eſſe puto atque integrum, ſcribit Launojus, vel primam vel quartam amplecti. Amplector vero primam ideo, quia Scripturæ ſenſus in ea ad literam exdrimitur. Et ſane Periodus verborum Chriſti tota, & ſingulæ partes ejus primam hanc Expoſitionem per ſe objiciunt, ſi ſeorſim ab omni præjudicio conſiderentur. Denique & quod caput rei eſt, ita loquitur Launojus ad ſuam mentem, in Expoſitione prima longe melius quam in quarta ſervatur Synodi Tridentinæ Decretum & Fidei Profeſſio, quam Bellarminus exemplo non imitabili neglexit. Exemplo inquam non imitabili. Nam qui Bellarmini factum exequeretur, id eſt, qui adverſitum è Synodi Tridentinæ ſeſſione quarta Decretum & Fidei profeſſionem negligeret tam aperte, hinc negligendi cætera ejuſdem Concilii Decreta daret exemplum, atque hinc ineptum ſe redderet, qui ſancitam ab eo fidem aliis perſuadere poſſet, & cum illi diceretur, Medice, cura teipſum, id eſt, in caſſum nobis ea perſuadere tentas Decreta, quibus te perſuaſum eſſe non oſtendis, quid reponeret, verbum haberet nullum. Verum ad malum illud deteſtabile adulatricis Curiæ Doctores, qui ſuis omnia metiuntur commodis, nec mentem, nec aures arrigunt, & ſic per ſtudia privata bonum evertunt publicum.

Hæc ibi Launojus, qui vero alibi etiam hoc de argumento agit, ſed quidem in ultima partis tertiæ epiſtola, ex qua ad caput antecedens multa ſunt adducta, hic unico tantum obſervato, quod teſtimonia Chryſoſtomi, Auguſtini, & Theophylacti adtinet, quibus ad prioris Privilegii confirmationem uſus erat Bellarminus, Launojo notante, quod fide ſubleſtiori ea adduxerit, cum Patres illi verba Chriſti aliter accipiant, quam in opinione Bellarmini ſint accipienda, ſcilicet, de Privilegio, quo Petrus quamlibet tentatus à Sathana non poſſet unquam amittere veram Fidem, hoc addito, quod ad perſonam Petri tantum pertineat. Quoad Auguſtini in ſpecie conſenſum, peculiari de ea agit Epiſtola Launojus, quæ primum in quinta parte occupat locum, ex qua in Vindiciis Auguſtinianis non ita pridem pleraque ſunt adducta, quorum in hac quæſtione & Controverſia eſſe poteſt uſus. Dum vero Bellarminus præterea ad poſterioris privilegii, quo Pontificem Romanum vi verborum Chriſti ad Petrum gaudere putat, illuſtrationem quaſi è propria domo ſeptem Pontifices Romanos ex antiquioribus tanquam teſtes idoneos adducit, meretur omnino legi cenſura, quam ſequenti ſtatim epiſtola tulit & edidit Launojus, de quovis eorum judicans candide, quid ex vero ſit ſtatuendum. Primus eſt *Lucius* hoc nomine primus, ſub cujus nomine Bellarminus citat epiſtolam ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, exque ea adducit verba quædam; uti putat, intentioni ſuæ profutura. At Launojus odſervat primo, Bellarminum ſponte obliviſci hoc loco, ſe libri ſecundi capite poſt decimum quarto de Pontificum, qui uſque ad annum trecenteſimum ſederunt, epiſtolis ſcripſiſſe, quod errores aliquot in eas irrepſerint, nec indubitatus audeat pronuntiare, utut antiquiſſimas eſſe non dubitet. Deinde falſam eſſe notam Conſularem, qua Epiſtola hæc conſignatur, quod ex Annalibus Eccleſiæ demonſtrat. Tertio, argumentum Epiſtolæ & tempus, quo Sedit Lucius, ſuppoſitionem evidenter oſtendere. Videlicet, quo tempore hic Papa propter Fidem exulat, & non Romanu ſolum, ſed etiam diſperſa ubique per orbem Eccleſia ſub Tyrannorum eſt ictu, Occidentales Epiſcopi omnes, & cumprimis Gallicani & Hiſpanienſes forenſibus ſeſe fatigant diſceptationibus, atque de Metropolitanorum & Comprovincialium judiciis, ac de Facultatum Eccleſiaſticarum direptoribus Apoſtolicam Sedem conſulunt, deque his omnibus & ſingulis perinde Lucius reſpondet, quaſi tunc Eccleſia, quæ ubique patiebatur, ubique triumpharet.

Digitized by Google

pharet. Nimirum, quod in pace Ecclesiæ, qualis Theodosiorum, Marciani, Leonis viguit temporibus, Occidentalium Regionum Episcopi, & cumprimis Gallicani & Hispanienses una fecerunt nunquam, id fecerunt grassantibus in Ecclesiam Decio Gallo & Volusiano, Valeriano & Gallieno. Quis præter Bellarminum hoc in se reciperet? porro, hæc est secura per omnes Occidentis provincias & regiones Episcopalis Fori constitutio, hæc publica judiciorum Ecclesiasticorum libertas, (de qua agit epistola à Bellarmino laudata) cum disturbantur Clerici, verberantur Levitæ, aguntur in exilium Sacerdotes, opplentur Christianis ergastula, carceres, metalla, quorum plerique Urbibus interdictis protusi atque extorres inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, siti, fame adfecti, contriti & tabefacti sunt. Præterea, habebatne tunc Ecclesia facultates tot & tantas, quæ diriperentur? Ubinam Patrum Catholicorum, qui Lucium præcesserant, Decreta? Ubinam exempla, quæ Lucius sequi se pronuntiat? Bellarminus sane, & qui relata ab eo testimonia exscribunt, vel pristinam Ecclesiæ faciem prorsus ignorant, vel agunt mala fide, cum his utuntur testimoniis. Quarto scribit Launojus, ne sint ista, quibus Epistola Lucii falsitatis arguitur, & inter mercis Isidori adulteria reponitur; certe relata epistolæ verba privilegium non continent, quod Ecclesiæ Romanæ tunc fuerit proprium. An non enim sedente Papa Lucio etiam de Alexandrina, Antiochena & Hierosolymitana potuit adfirmari, quod per DEI omnipotentis gratiam à tramite traditionis Apostolicæ nunquam erraverit, vel hæreticis novitatibus depravata succubuerit? Estque hæc facti, non juris quæstio, quam Lucius exponit, vel quicunque sub ejus nomine hanc consarcinavit epistolam. Quinto, Lucius de Romana & Apostolica loquitur Ecclesia, non de Pontifice Romano seorsim ab Ecclesia considerato, uti loquitur Bellarminus. Sexto loquitur Lucius de Privilegio, quod Ecclesiæ Romanæ non in docendo, sed in credendo conveniat. Postremo, etiamsi ponamus, Lucium de Pontifice Romano ab Ecclesia seorsim considerato loqui, is tamen, quod rei totius caput est, ad Bellarmini propositum minime loquitur, nempe Pontificem errare non posse, cum totam docet Ecclesiam, qua de re nihil apud Luciam comparet. Atque sic, quando Bellarmini lemma cum testimonio Lucii contenditur, hoc testimonium fugit ut invalidum. Secundus est Felix, itidem hujus nominis primus, cui adscribitur epistola ad Benignum, de qua itidem observat Launojus, quod in Annalibus Ecclesiasticis Pontificatus Felicis illos Consules non habuerit, qui huic Epistolæ apponuntur. Deinde, in ea esse transcriptionem Versuum quadraginta & amplius, qui in prænotata Lucii epistola leguntur. Præterea, quæ in quatuor postremis observationibus ad hanc antecedentem Lucii epistolam sunt dicta huc posse & debere referri. Tertius est *Leo*, & hic primus, cujus testimonium Bellarminus citat ex sermone tertio de Adsumtione ad Pontificatum, in quo præter alia hæc leguntur verba: Ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apostolis conferatur. Launojus hoc notat, Quis ex hisce verbis privilegium à Bellarmino expressum eliciet unquam? Imo, scribit porro, Bellarminus expositi à se privilegii oblitus ne quidem elicit, cum verba Leonis sic interpretatur: Non confertur aliis firmitas, nisi veram exponendo fidem. At vero, sic censet Launojus, Fides exponitur & exponi potest duobus modis, in Judicio, vel privato vel publico. In publico, (ad hominem loquor) dum Pontifex, quid agendum vel credendum sit, toti præscribit Ecclesiæ; in privato, dum Pontifex id non toti, sed alieni tantum tribus parti præscribit, quo non spectat apud Bellarminum indeficientis Judicii privilegium. De quo autem Judicio sermonem instituat Leo, Bellarminus incompertum relinquit, atque hoc pacto Leonem ad Sententiæ confirmationem laudat inutiliter. Præterea, dum verba Leonis repetit, ut secundum adstruat privilegium, nomen, Apostolis, supprimit. Nam quæ firmitas apud Leonem cæteris per Petrum confertur Apostolis, apud Bellarminum ita cæteris per Petrum confertur, ut ille significat, nomine cæterorum fideles reliquos omnes intelligi:

gi ; atque ſic malâ agit fide Bellarminus. Ad rem vero quod adtinet, uti in verbis Chriſti, ſed etiam Leonis ſermo eſt tantum de uno & eodem privilegio, quod ad Petri perſonam inſtante Domini paſſione refertur, ut ipſe Leo declaret verbis, quæ Launojus adpoſuit, hoc addito, quod, cum integra Leonis exhibeatur authoritas, Bellarmini fides mala in ejus uſu prodatur. Quis enim, inquit, præter Bellarminum & ejus exſcriptores ex illa Authoritate, quæ tota in aliquo ponitur antecedente, ſine adcidentis fallacia ſic colligeret : Igitur Pontifex ſummus, cum totam docet Eccleſiam, in his, quæ pertinent ad Fidem, nullo caſu poteſt errare. Hæc nimirum eſt propria Bellarmini Propoſitio, quam ex authoritate Leonis ſuſcepit confirmandam, ſed illam confirmaturus eſt nunquam; niſi diſſerendo à non diſtributo procedat ad diſtributum. Atqui ſic Propoſitionem infirmaret potius, quam confirmaret. Scilicet argumento fallaci gignitur error, nulla Veritas vindicatur. Provocat inſuper Launojus ad quartam tertiæ Partis Epiſtolam, in qua ex Leone Conciliorum neceſſitatem ſe adſeruiſſe dicit, ac ſimul oſtendiſſe, Leonem indeficientis Judicii privilegium ſibi non tribuere. Quartus eſt *Agatho*, in Epiſtolâ, quæ in Synodi ſextæ Actione quartâ primum lecta, poſt Actione octava fuit probata, cujus verba cum poſt Bellarminum iterato adduxit Launojus, ſequentia notavit. Primo, aliùd eſt Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ à tramite traditionis Apoſtolicæ nunquam erraſſe probatur, aut novitatibus hæreticis unquam depravata ſuccubuit ; aliud vero Pontifex Romanus, quæ duo non convertuntur. Quis enim, niſi Grammaticæ & Dialecticæ imperitus nomen collectivum cum diſtributivo & ſimplici commutaret, & utrique eundum adſcriberet ſignificatum? Sic vitioſe philoſophatur Bellarminus, cum Pontifici Romano id adtribuit, quod Agatho Eccleſiæ Romanæ, atque ſimul fallaciam committit adcidentis, qua Pontificem Romanum egere niſi putet, efficit, ut alii putent. Secundo, quæſtionem facti, non juris tractat Agatho, & fallit atque fallitur Bellarminus, cum ex quæſtione facti infert quæſtionem juris. Quo enim tempore ſcribebat Agatho, infinitæ florebant in orbe Chriſtiano Eccleſiæ, de quibus ſigillatim id poterat adfirmari, quod Agatho ſcripſit de Romana, exempli gratia de Viennenſi, Lugdunenſi, Rothomagenſi, Turonenſi &c. Sed inde non ſequitur, quod à tramite Traditionis Apoſtolicæ non potuerint aberrare antea, aut poſtea non poſſint aberrare. Vitioſe igitur hic Bellarminus argumentatur, ut ex Agathone probet, quod ſibi ſumſit probandum. Tertio, indefinite ſcribit Agatho, Pontifices Apoſtolicos prædeceſſores ſuos confirmaſſe fratres, non autem definite, omnes, nec ſcribere poterat, uti monet Launojus, quia Anteceſſores quidam fratres in Fide neutiquam confirmarunt, ex. gr. Honorius, qui Sergium, Epiſcopum Conſtantinopolitanum in Fide non confirmavit, cum duas ad illum miſit Epiſtolas, quæ poſt lectionem adcuratam Hæreſeos in ſexta Synodo ſunt adcuſatæ & damnatæ. Et ſane, non memini, ſcribit Launojus, me ullum legiſſe veterem Theologum, qui ex Epiſtolis Honorii Fidem veram adverſus Monothelitas adſeruerit ; ſed probe memini dicarum Leonis ſecunda Epiſtolarum, unius ad Conſtantinum Imperatorem, alterius ad Erwigium Regem, in quibus Leo conqueritur de Honorio, quod nunc Eccleſiam Apoſtolicam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina luſtraverit, ſed profanâ traditione Fidem immaculatam permiſerit maculari; nunc immaculatam Apoſtolicæ Traditionis regulam, quam à Prædeceſſoribus ſuis acceperat, conſenſerit maculari. Memini etiam veteris Eccleſiæ Romanæ Diurni, in quo, qui creantur Pontifices, uti Cyro, Sergio, Pyrrho, ſic & Honorio dicunt anathema. Sic Vigilius, Agathonis deceſſor, non confirmavit fratres ſuos, Iſtriæ Epiſcopos, cum illius Conſtitutum fuerit in cauſa, cur à reliquæ Eccleſiæ communione tamdiu vixerunt ſejuncti, quam rem Pelagius hoc nomine ſecundus enarrat tertia (alias ordine ſeptima) ad eoſdem Epiſtola, in qua modis omnibus conatur eos ad trium Capitulorum damnationem pertrahere, non diſſimulans, inutilem ex eo capite hunc fuiſſe conatum,

natum & fruſtraneum, quod Iſtrienſes Conſtituto Vigilii Annis plus minus viginti ſex edito adhærerent immobiliter, multa ſimul exponens, quæ cum indeficientis Judicii privilegio non concordant. Videlicet Sedem Apoſtolicam, quæ Conſtitutum Vigilii tuerat amplexa, Sententiam mutaſſe, & erroris in Vigilio & Sede Apoſtolica cauſam fuiſſe Græci Sermonis imperitiam, inſuper à Patribus Latinis, ac proinde potiſſimum à Sede Apoſtolica multum & temporis & laboris inſumtum eſſe, ut quæreretur, inveniretur atque adſereretur Veritas, quæ ſequenda proponebatur Iſtrienſibus; atque ſicut Paulus reſtiterit Petro, quod ad Evangelii veritatem non rectè ambularet, ſic & nunc reſiſti poſſe Vigilio, quod in Conſtituto veritatem non adſeruerit, prohibens trium Capitulorum damnationum, quæ prohibenda non fuerit. Ita etiam Liberius Agathonis deceſſor fratres ſuos non confirmavit in ſeptima ad Orientales Epiſcopos Epiſtola, Athanaſium Innocentem condemnans. Quæ porro prolixius ſubjungit de Honorio, infra ſuo producentur loco. Sequitur quintus Bellarmini teſtis, *Nicolaus*, & hic illo nomine primus, in Epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem, quæ inter & poſt alia exhibet ſequentia: In cæteris iis, per quem nobis præcipue collata ſunt Privilegia, tu aliquando converſus, audivit à Domino, confirma fratres tuos. At quis unquam, ſcribit Launojus, ſine fallacia concludet inde, Pontificem ſummum, cum totam docet Eccleſiam, in his, quæ ſunt Fidei, nullo errare poſſe caſu? Et tamen hoc ipſum eſt Lemma, quod Bellarminus ex hoc Teſtimonio ſuſcepit probandum. Et ſane, ſi ex hoc Teſtimonio poſſet probari, Pontificem in his, quæ Fidei ſunt, errare non poſſe, nimia ac proinde nulla foret probatio; nam probaretur, Pontificem ſummum errare non poſſe, ſive totam Eccleſiam, ſive mediam Eccleſiæ partem, ſive aliquam ejus partem, eamque exiguam doceat, quod tamen Bellarminus ſibi non ſumit. Deinde, verba hæc, quæ Nicolaus adduxit, quo pertinent? Non utique, ut Pontifex Romanus Petri Succeſſor nequeat errare, ſive Eccleſiam univerſam, ſive partem ejus aliquam doceat, ſed, ut Petrus, poſtquam converſus fuerit à peccato, ſua Converſione, vera ſcilicet Pœnitentia reliquos confirmet Apoſtolas. Conſtat hinc, quam inutilis ſit Nicolai adlegatio, ut taceam, agerè Nicolaum de Privilegiis, quæ Sedi Apoſtolicæ non quæ Pontifici ſeorſim à Sede Apoſtolicæ conſiderato conveniunt, uti Bellarminus in Propoſitione ſua contendit. Verum enim vero, ut ad Bellarminum proprius adcedam, ſtatuit is ſuæ opinionis fundamentum in his Chriſti ad Petrum verbis, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, non verò ſequentibus, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos; quæ Nicolaus Papa aliter, quam Bellarminus accipit: Sed, ne illud deprehenderetur, multa reticuit, & cum primis illa, quæ relatam ab illo clauſulam extremam proxime antecedunt. Hæc ubi Launojus cum aliis ex alia quadam Nicolai ad eundem adduxit, id notanter obſervavit, quod Nicolaus hæc Chriſti ad Petrum verba in Epiſtola utraque referàt ad B. Ignatium, qui de Sede Conſtantinopolitanâ injuſtè fuerat deturbatus, quem Nicolaus ut Eccleſiaſticorum Canonum Vindex & Adſertor in propriam Sedem reſtituere, ac reſtitutum confirmare meditabatur, atque hoc præcipuum Sedis Apoſtolicæ privilegium eſſe ſibi vindicat, quæ omnia Bellarminus diſſimulat, quo facilius poſſit Nicolaum in ſuam traducere Sententiam. Sextus teſtis Bellarmini eſt Leo Papa hoc nomine nonus, in Epiſtola ad Petrum Antiochenum quinta circa cujus verba, quæ Bellarminus adduxit exinde, hoc obſervat Launojus, quod Bellarminus, quæ antecedunt & ſequuntur, ſupprimat, quæ tamen ad inveniendum & adſereudum Leonis ſenſum ſint exprimenda. Id poſtquam præſtitit Launojus, hæc ex iis obſervat: Primò inquit, locus, prout à Bellarmino citatur, Bellarmini non ſervit inſtituto. Nam Bellarminus agit de fide nunquam defectura, quæ in docenda tota Eccleſia conſiſtit, Leo autem de ea, quæ in retinenda Chriſti fide verſatur, atque ſic Bellarminus authoritate Leonis per fallaciam abutitur. Deinde, etiamſi

Digitized by Google

Leo de fide nunquam, defectura, quæ in docendo eſt ſita, loqueretur, Bellarminus tamen Leonis teſtimonium ad probationem ſumere non poteſt; ſiquidem Pontifex non ſignificat, ſe loqui potius de Eccleſia tota, quam de aliqua ejus parte, quæ de rebus Divinis foret docenda, atque ſic Bellarminus à non diſtributo procedit ab diſtributum. Præterea, Leo ſermonem non inſtituit de Pontificibus Romanis ſeorſim à Sede Apoſtolica conſideratis, uti Bellarminus, prout habet illius Propoſitio. Quare Bellarminus authoritatem Leonis adhibere non poteſt, niſi conſueta in diſputando utatur fallacia, ubi ſedentem conjungit cum Sede, quamvis in Propoſitione non conjungat, & Leo magis de Sede loquatur, quam de ſedente. Inſuper, ſi ſenſus Epiſtolæ, quam Leo ad Petrum Antiochenum ſcripſit, revocetur ad ſenſum Epiſtolæ, quam ad Michaelem Conſtantinopolitanum ſcripſit, Romanæ Sedis nomine univerſalis intelligitur Eccleſia. Poſt adducta quædam exinde verba duo proponit obſervanda Launojus. Unum eſt, quod apud Lucam facta Chriſti promiſſio non defecturæ Fidei adſcribatur Eccleſiæ, quæ ſuper Chriſtum & Petrum ſit ædificata, quæ non poſſit non eſſe univerſalis. Alterum vero, quod à Petri Sede, Romana videlicet Eccleſia, quæ pars eſt Eccleſiæ univerſalis, omnia hæreticorum commenta ſint expugnata. Prius, inquit Launojus, pertinet ad Juris, poſterius autem ad facti quæſtionem. Et Bellarminus quidem in priori depromtam ex Leone probationem amittit, in poſteriori nihil lucratur, quia id Veritati non ſatis conſonat. Johannes certe Apoſtolus & Evangeliſta, non Petrus aut Petri Succeſſor ullus, perculit Nicolaitas, Paulus Nazarenos & Corinthios, Synodus Antiochena Paulum Samoſatenſem, Conſtantinopolitana Cenomium & alios plures hæreticos &c. Hoc demonſtrato, ſcilicet, Leonem nihil tradidiſſe, quod ad firmandam Bellarmini Propoſitionem conducat, duo adhuc expendenda proponit Launojus. Primum eſt, num Leo ſibimet ipſi valeat conciliari. Suo quiſque, inquit, modo conciliet, ego ſic: Beati Lucæ, qui verba Chriſti ad Petrum exhibet, authoritas, quæ in utraque Leonis Epiſtola laudatur, quadrabit, ſi in prima intelligatur, tum de fide univerſalis Eccleſiæ, tum de fide, quam Petrus interrogante Chriſto confeſſus eſt; & in ſecunda capiatur de fide, quam idem Petrus eſt confeſſus, & quam univerſalis profitetur Eccleſia. At, neque fides univerſalis Eccleſiæ, neque Fides, quam Petrus interrogante Chriſto confeſſus eſt, unquam deficiet. Qui vero inſpectis & collatis inter ſe Leonis duabus Epiſtolis Leonem ſibimet ipſi melius poterit conciliari, ei libenter adſentior, ſcribit Launojus. Septimus tandem ex ordine Pontificum Romanorum teſtis *Innocentius* numero tertius ex Epiſtolâ ad Epiſcopum Arelatenſem. At mirari ſubit profecto, inquit Launojus, cur Bellarminus hanc Innocentii Epiſtolam in medium producat, ut ſuam confirmet Sententiam. Hic enim Pontifex de rebus Baptiſmi unicum docet Arelatenſem Epiſcopum, tantum abeſt, ut univerſam doceat Eccleſiam, quo ſolum in caſu indeficientis Judicii privilegium adtribuit Pontifici Romano Bellarminus, qui cum ita hic ſcribit, ſuos Lectores futuros neceſſum eſt crediderit fore bardos & ſtolidos, qui tam inſincerum diſputandi modum minime perſpiciant. Deinde, Innocentius majores Eccleſiæ cauſas, de quibus agit, ad Sedem Apoſtolicam referendas eſſe dicit, non ad ſummum Pontificem, uti ad Sententiam Bellarmini fuiſſet dicendum. Præterea, Innocentius non dicit, id, quod ad Sedem Apoſtolicam refertur judicandum, ibi certo & ſine ullo erroris periculo iri judicatum. Hujus rei exemplum ubi ex Cæſarii Hiſtoriis memorabilibus adduxit Launojus, videlicet aliquam Innocentii Deciſionem, quam brevi poſt Concilium Lateranenſe, ipſo Præſide & conſentiente reſcidit, hoc porro ſubjungit: Id cum ita ſit, tam Innocentius, quam Lateranenſe Concilium verba Chriſti ad Petrum aliter longe, ac Bellarminus intellexerunt; quin vero melius intellexerint, nemo mentis ſanæ iverit inficias. Sed, ne ſint iſta, quæ nunc ſunt expoſita, Innocentius Pontifex nec ſibi, nec Deceſſoribus indeficientis Judicii privilegium vindicat. Non ſibi,

eum

Digitized by Google

cum in ſermone tertio de Pontificis conſecratione ſic loquitur: In tantum mihi fides eſt neceſſaria, ut cum de cæteris peccatis DEUM habeam Judicem, propter ſolum peccatum quod in fide committitur, poſſim ab Eccleſia judicari. Neque etiam Deceſſoribus, cum videlicet Clementis Conſtitutionem revocat, quæ bonis Eccleſiæ moribus adverſabatur, quam non revocaſſet, ſi verba Chriſti, ut Bellarminus intellexiſſet ac credidiſſet, Clementem non errandi privilegio donatum fuiſſe, cum in Pontificem evaſit.

Poſt examen Pontificum, quorum teſtimonia Bellarminus ad ſententiæ ſuæ confirmationem adduxit, ſequuntur adhuc tres alii Scriptores Eccleſiaſtici, quorum verbis itidem uſus eſt Bellarminus, ſed quo candore Launojus nunc porro judicabit. Primum occupat locum Theophylactus, circa quem & verba ejus à Bellarmino prolata monet Launojus primo, ſi Bellarminus integrum Theophylacti textum evolviſſet, cum non tam miſere truncaſſet, ut is, à quo accepit; neque id alio factum eſt conſilio, inquit, niſi ut, quid ſibi vellet author, occultaretur. Nimirum antecedentia & conſequentia ſenſum authoris objiciunt, qui Bellarmino favet minime. Præterea interjectam antecedentibus & conſequentibus periodum à ſe relatam mutilavit. Theophylactus ſic loquitur, Chriſti ad Petrum verba exhibens paraphraſtice: Quia te habeo ut principem Diſcipulorum, poſtquam me negato fleveris, atque veneris ad Pœnitentiam, confirma cæteros; hoc enim te decet, qui poſt me petra es & firmamentum Eccleſiæ. Bellarminus vero periodum ita refert: Quia te habeo Principem Diſcipulorum, confirma cæteros; hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ Petra es & fundamentum. Et quidem particulam UT, deinde verba hæc, poſtquam negato me fleveris, atque ad Pœnitentiam veneris, ſubtrahit, quæ ſi reſtituantur omnia, & jungantur antecedentibus atque conſequentibus, Author ille de Dominicæ Paſſionis tempore locutus facile intelligetur. Secundo obſervat Launojus Bellarminum prorſus ignorare, qui & qualis fuerit Theophylactus, nimirum æqualis & ſuperſtes Michaelis Cerularii, Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Latinos Orientalium communione privavit, quod particulam Filioque addidiſſent Symbolo, & quod in Sacrificio panibus uterentur azymis, cui Theophylactus Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopus conſenſit, & calamum contra Latinos ſtrinxit, quod inprimis è Commentario in caput tertium Johannis conſtat, Baronius quoque ad annum 1071. è pluribus Theophylacti literis, quæ in Vaticano obſervantur, evincit Authorem illum tunc temporis floruiſſe, quæ omnia demonſtrant perſpicue Bellarminum penitus reſcripſiſſe, qui & qualis fuerit Theophylactus. Tertium ſe ſponte objicit, in quo Bellarminus ſuam Theophylacto ſententiam turpiter impoſuiſſe, notatur, ſic ſcribens: Theophylactus in caput vigeſimum & ſecundum Lucæ docet aperte, dari Petro hoc privilegium, qui ipſe futurus erat Princeps & Caput aliorum, ac aliis omnibus proinde dari, qui ſuccederent in Principatu. Privilegium vero, de quo loquitur Bellarminus, eo ſpectat, ut Petri Succeſſor, cum totam docet Eccleſiam in iis, quæ ad fidem pertinent, nullo caſu poſſit errare. At Theophylactus & æquales alii Scriptores Græci pugnant, ipſam Eccleſiam Latinam errare, quod Spiritum Sanctum uti à Patre, ſic etiam à Filio crederet procedere, & in ſacrificio panibus uteretur azymis. Sequitur teſtimonium Chryſologi, quod ex epiſtola ad Eutychetem, quæ primo Conciliorum Tomo ante Concilium Chalcedonenſe habetur, tale adducit Bellarminus: Hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatiſſimo Papa Civitatis Romanæ ſcripta ſunt, obedienter adtendas, quia beatus Petrus, qui in propria ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Bellarminus ſubjungit: Quamvis Chryſoſtomus non citat verba Chriſti ad Petrum, Rogavi pro te &c. tamen eo reſpicit ſine dubio, dum tam fidenter adfirmat, ex Romana Sede omnibus veritatem fidei quærentibus præſtari. Recte Launojus addit, ex Romana Sede, non Romano Pontifice, quia noverat probe, aliud eſſe Sedem Romanam, aliud ve-

vero Pontificem Romanum, quæ Bellarminus confundit, ut ibi inveniat probationem, ubi nulla poteſt inveniri. Deinde Petrus fidei veritatem quærentibus præſtat, non extra Concilium, ſed in Concilio, uti conſtat ex Actorum capite decimo & quinto, quo ſimul præſtandi reliquit exemplum, ut quemadmodum fecerat ipſe, ſic & alii facerent, quam maxime autem ſucceſſores, cujus rei rationem reddit Synodus quinta, cum in Collatione octava Actorum caput ita interpretatur atque in authoritatem ſummam admittit, ut Vigilium ad ſe pertrahat, & ſuorum Decretorum efficiat participem. Sic Leo primus, quem nemo de neglectis Romanæ Sedis opportunitatibus adcuſavit unquam, quærentibus fidei veritatem præſtitit & præſtari voluit, verum non extra Concilium, ſed in Concilio, uti teſtatur Epiſtola ad ſecundam Synodum Epheſinam decima & quinta. Profecto inter Pontifices Romanos, qui ad hæreſes damnandas neceſſariam eſſe Synodum judicant, hic Leo Magnus excellit, uti ex quarta tertiæ partis epiſtola docebitur ſuo tempore. Videlicet, Chryſologus & Leo non ignorabant, Liberium ad Orientales Epiſcopos ſcripſiſſe, quod ſcripſerat adverſus Athanaſium, Hieronymum prodidiſſe literis, Liberium hæreſi ſubſcripſiſſe, & Hilarium tempore æqualem Liberio ut hæretico anathema denuntraſſe, atque ad Imperatorem Conſtantium ſcripſiſſe, quod quem relegaverat Epiſcopum Catholicum, remiſerit hæreticum. Denique Bellarminus divinat, cum Chryſologum ad verba Chriſti, Rogavi pro te &c. ait habuiſſe reſpectum; cur enim ad hunc potius, quam alium habuiſſet reſpectum, nominatim ad verba, Tu es Petrus &c. vel Paſce oves meas &c. quibus ipſe Bellarminus utitur in eum finem? Quidquid in cauſa ſit, Chryſologi locus eſt inutilis Bellarmino. Super adhuc eſt *Bernhardus*, cujus verba ex epiſtola ad Innocentium Pontificem hujus nominis ſecundum poſt centeſimam nonageſima hæc adducit Bellarminus: Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala regni DEI, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum eſt aliquando, Ego oravi pro te &c. Launojus reponit ſequentia; Primo *Bernhardus* inſtituto Bellarmini ſervire nequit, quia non ſignificat, agere ſe de Pontifice Romano, qui totam doceat Eccleſiam in iis, quæ ad fidem pertinent, utpote quæ propoſitio apud Bernhardum reperitur nuſquam, atque ſic Bellarmino Bernhardus eſt inutilis, eſtque hæc propoſitio nova, quam Johannes Heſſelius eſt architectatus, quamque ab illo Bellarminus accepit. Secundo, Bernhardus de Sede Petri loquitur, non de Pontifice Romano illius ſucceſſore, qui ſeorſim à ſede ſua res fidei & cauſas ejus decernat; quapropter Sancti hujus authoritas Bellarmino non poteſt inſervire, quippe qui in prima propoſitione ſua de Pontifice Romano ſeorſim à ſede Petri & Eccleſia Romana conſiderato ſermonem inſtituit. Tertio, Bernhardus ſcribit ad Innocentium, ut confirmet duo Concilia, Sueſſionenſe & Senonenſe, qui errores Petri Abelardi jam condemnaverant; ſed non ſcribit, ut illos errores condemnet, quomodo Bellarminus ex Chriſti ad Petrum verbis eos à Pontifice Romano proponit condemnandos. Quin etiam Pontifex condemnatos à duobus Conciliis errores non niſi Concilio iterum coacto condemnat, uti conſtat ex epiſtola inter Bernhardi poſt centeſimam nonageſima & quarta. Quarto, vetus inſuper Eccleſiæ Romanæ ferebat traditio, ut Pontifex hæreſes & hæreticos damnaret Synodo convocata; hinc uno poſt Bernhardum ſeculo Thomas hæc Chriſti ad Petrum verba in expoſitione Symboli ad Romanam & Italicam flectit Eccleſiam. Quinto, Bernhardus à placitis Bellarmini alienum ſe prodit duobus in locis, nimirum in epiſtola poſt centeſimam octogeſima ad eundem Innocentium, & libri tertii de conſideratione ad Eugenium capite quarto, ubi quæ Bernhardus tam confidenter ſibi ſumit, non ſumeret, ſi Pontificem nec in fide, nec in moribus errare poſſe arbitraretur. Et ſane non memini me legiſſe Bellarminum aut ejus ſectatores de Pontifice Romano hæc aut ſimilia unquam protuliſſe. Quid ita? niſi quod contrariis ducantur præjudiciis. Sexto, cum Bernhardus dicit, Cui alteri credi dictum eſt aliquando

Digitized by Google

do &c. comparatè loquitur, non abſolutè, atque ſedem Romanam componit cum ſedibus aliis, Alexandrina, Antiochena, Conſtantinopolitana, quæ nonnunquam à fide defecerunt, Romana vero ſedes nunquam, etiamſi Pontifices Liberius & Honorius defecerint. Quocirca cum Bernhardus libri ſecundi de conſideratione ad Eugenium capite octavo conditiones, nomina & titulos Romani ontifici s enumerat, nullam facit mentionem privilegii, quo errare in fide & moribus non poſſit. Hoc cum ita ſit, facile conjectura poſſumus adſequi. Bernhardum in ea non fuiſſe ſententia, ut Pontificem Romanum non errandi privilegio gaudere crederet. In his autem Patribus, quos Bellarminus ſeptem Pontificibus adjungit, ſuam quoque prodit indiligentiam. Nullus eorum lemmati, quod ille probandum adſumſit, poteſt inſervire, quia nullus probando lemmati reſpondet, quæ magna eſt in probando lemmate *deceptio*. Nec mirum; antiquis Patribus, Conciliis, Theologis, ignotum eſt. Id primus omnium fabricavit Johannes Heſſelius, quem Bellarminus, dum Lovanii doceret, potuit videre (& audire.) Utut ſit, eo conſilio fabricatum eſt lemma, ut ab omni oppugnatione liberaretur. Nam ſtatim ac Pontifex aliquis, puta, Liberius, Honorius, Johannes viceſimus & ſecundus, vel alius objicitur, qui vehementer erraverit, reſpondent, non erraviſſe, cum Eccleſiam doceret univerſam, ſed Occidentalem duntaxat vel Orientalem, vel nonnullos Epiſcopos; porro non errandi privilegium Pontifici Romano nec aliter, nec alio etiam modo commiſſam eſſe, niſi cum totam doceat Eccleſiam. Sed cum illud ponunt homines acuti, non advertunt, illud ſe gratis & ſine ratione ponere; quandoquidem quod ita ponunt, omni probatione exuitur. Et ſicuti apud Tacitum quidam magis eſt extra vitia, quam cum virtutibus; ſic Heſſelii & Bellarmini lemma eſt magis extra oppugnationes, quam cum præſidiis. Titulus eſt ſine re, quia nec Lucas, nec Patrum à Bellarmino laudatorum ullus eſt, qui de docenda tota Eccleſia loquatur. Purus putus & fucus, & idolum cavernæ. Hinc tam facile negatur, quam aſſeritur; & negatio hæc validiſſime confirmatur iis authoritatibus, quam Bellarminus in probationem ſui lemmatis adducit Verbo, lemma illud ab Architectis ſuis non ſtatuitur, ut ulla aſſeratur veritas, ſed ut eo tanquam laqueo ſimplices irretiti teneantur. Mera eſt decipula, quæ incautos, bucones & ſtolidos, quorum infinitus eſt numerus, involvat. Nunc ſupereſt, ut certa quædam alia Bellarmini vitia in hac quæſtione tractanda exponantur & configantur. *Primo*, in probando lemmate ſuo à Synodo Florentina plane deficit, quod eſt crimen inſigne, dum conventis non ſtat, quæ Græcos inter & Latinos ibi ſunt edita, prout ſeſſione viceſima & quinta leguntur. At quantum in Magiſtro curiali ſit vitium, Synodi pacta & conventa violare ac ſpernere, tacendo melius exprimitur, quam dicendo. Deinde ſi Synodi Florentinæ pacta & conventa ſunt violanda ac ſpernenda, id profecto magnæ utilitatis gratia tentandum eſt. Sed Bellarminus relatione teſtimoniorum, quæ referenda jure non fuerunt, nihil reipſa profecit, dum lemmati confirmándo nec inſerviunt, nec inſervire poſſunt. *Tertio*, Bellarminus opinionem ſuam ut certam anno 1577. tradidit, cujus contrariam Hadrianus Papa ſextus ut certam ante annos quinquaginta quinque tradiderat. Hos autem annos numero à tempore, quo Hadriani Commentaria Romæ typis ſunt commiſſa, & illuſtrium Virorum elogiis cumulata. Sic autem ſcribit Hadrianus in librum quartum ſententiarum de Magiſtro Confirmationis: Si per Eccleſiam Romanam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum eſt, quod poſſit errare etiam in his, quæ fidem tangunt, hæreſin per ſuam determinationem aut decretalem adſerendo. Bellarminus autem ait, certiſſima eſt ſententia, quæ ſtatuit, Pontificem non poſſe ullo modo definire aliquid hæreticum. Quid igitur ab anno 1522. quo Hadriani Commentaria Romæ typis ſunt commiſſa, uſque ad annum 1577. geſtum eſt apud Eccleſiam DEI, quod tantam in tali quæſtione importet mutationem, ut quod ibi certum judicabatur, hic certum judicari desjecit, & oppoſitum à Bellarmino certum fuerit judicatum. Profecto apud Eccleſiam DEI nihil eſt geſtum, quod adeo ſubitæ & repentinæ mutationis fuerit cau-

causa. In Gallia certe Theologi Hadriano vita functo docere, quod antè docebatur, non destiterunt. Sic in Facultate Parisiensi anno 1525. tertio Idus Majas celebravit Petrus quidam Ortisius actum, cui Jodocus præfuit Clictovæus, & in cujus conclusione quinta sic habetur: Concilium generale præferendum est Papæ in materia fidei. Patet, quia Concilium universale in materia fidei similiter & morum (nam idem est de utroque judicium) est indeviabile, Papa autem est deviabilis sententionaliter judicando. Ita Concilium Senonense inter Decreta fidei tertio indeficientis judicii privilegium non nisi Ecclesiæ & Ecclesiam repræsentanti Concilio tribuit, ac proinde Pontifici Romano denegandum esse censet. Eodem tempore Jodocus Clictovæus, Theologus Parisiensis compendium Veritatum ad fidem pertinentium edidit, in quo ad relatum Concilii Senonensis Decretum animadvertit; Regula totius Ecclesiæ directiva non est judicium ipsius summi Pontificis, cum ipse nequaquam sit in gratia confirmatus, & falli possit ac in erorem labi. Similia scripsit Johannes Arboreus, Parisiensis Theologus, Franciscus de Victoria, ex Ordine Prædicatorum, Claudius Sanctesius. In Germania idem docuerunt Johannes Cochlæus, hæreticorum malleus, & Fridericus Nausea, Viennensis Archiepiscopus, qui Tridentino interfuit Concilio. In Belgio Johannes Diredo, qui post Hadrianum Lovanii docuit & eminuit, Discipulus Magistrum secutus. In Italia Petrus Albinianus Tretius, Petrus à Monte, Brixiensis Episcopus, ipsa Paulus Pontifex hoc nomine quartus, Thomas Campegius, Clemens Monilianus, Hieronymus Albanus, quorum testimonia è scriptis publice extantibus recensentur, hac cum observatione: Nunc Bellarmino quid fiet, cum exploratum sit, in Gallia, Germania, Belgio, Italia pro certo traditum esse, quod Hadrianus & Paulus Romani Pontifices tradiderunt? An Bellarmino adulatricis curiæ Cardinali potius, quam Hadriano & Paulo credemus, qui nec sibi, nec curiæ sunt adsentati? sincero Papæ credendum est utique, cui tot ex Gallia &, Theologi & Jurisconsulti crediderunt; Bellarmino autem credendum non est, qui Pontificibus Romanis ac tot illustribus Viris in re comperta & explorata contradicit. *Quarto*, Bellarminus Hadriani & Pauli sententiam judicat erroneam & hæresi proximam esse, & judicando Romanam fugillat Ecclesiam, quæ Hadrianum ad mentem Bellarmini opinione erronea & hæresi proxima imbutum est in ea obfirmatum elegit in suum Pontificem, & Paulum similia docentem sustinuit. Atque hæc res est, cui nigrum theta præfigendum est, tantum abest, ut bonum adscribatur factum; dum omnibus iis, qui seorsim à nobis per religionem sentiunt, Ecclesiam Romanam & ejus Pontifices Hadrianum & Paulum propinat deridendos. Amplius dico, si quid tamen amplius dici potest, Bellarminum propositiones duas omnino destruere, quas omni conatu adstruendas in se receperat. Prior hæc est: Summus Pontifex, cum totam docet Ecclesiam, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu potest errare. Posterior: Non solum Pontifex Romanus non potest errare in fide, sed neque Romana particularis Ecclesia. Prior destruitur, cum Hadrianus opinione erronea & hæresi proxima imbutus, præventus, eligitur in Pontificem, & ea non revocata, sed firmiter retenta electus Pontifex persistit, atque ad illum Paulus adcessit. Posterior, cum Ecclesia Romana Hadriano tam prave sentienti, uti Bellarminus putat, & Paulo consensit. Hic unum præmone fero, scribit Launojus, volaticam & adulatricem Academiam, in qua Bellarminus diu multumque studuit, effecturam esse nusquam, ut ille se apud cordatos & eruditos honeste & laudabiliter expediat. *Quinto*, Bellarminus in Hadrianum & Ecclesiam Romanam, quæ illum optavit in suum Pontificem, & simul Paulum contumeliosissimus est, cùm ait, Tolerantur, qui Hadriani sequuntur sententiam. Quis patienter audiat verba hæc? Toleratur Hadrianus Papa, vir tantus, & nisi toleraretur, esset damnandus, ut qui sententiam omnino erroneam & hæresi proximam tradiderat. Toleratur Ecclesia Romana, quia in optati à se Pontificis doctrinam omnino erroneam & hæresi proximam consensit, & quia ei non contradixi, & nisi toleraretur, esset damnanda, ut quæ doctrinam omnino erroneam

& hæ-

Digitized by Google

& hæreſi proximam foveret. Toleratur Paulus Pontifex, & niſi toleraretur, damnandus eſſet, ut qui ſententiam omnino erroneam & hæreſi proximam ingenua confeſſione foverit. Toleratur etiam univerſalis Eccleſia, quæ Romanæ, Hadriano & Paulo Pontificibus ſanctæ Communionis vinculo copulabatur, & niſi toleraretur, quid demum fierit cum illa? Scio quidem hæc pias aures offendere. Sed tollantur è ſcriptis Bellarmini, quæ traducendam hæreticis Eccleſiam objiciunt. Annonne tandem aliquando Bellarmini contumeliis depreſſa veritas emerget, atque innocentis doctrinæ defenſio intercluſa reſpirabit? Innocentis ajo doctrinæ, quam Eccleſiæ Romanæ traditio confirmat, Concilia vindicant, clariſſimi quique variarum Nationum Theologi & Juriſconſulti periti in ſe recipiunt. Toleratur etiam ab Eccleſia Facultas Theologica Pariſienſis, quæ ob Catholicæ Fidei defenſionem & hæreſium extirpationem ab Innocentio Pontifice hujus nominis octavo commendatur. Atque Facultas Theologica Pariſienſis de hac quæſtione non aliter poſt tempus Hadriani cœpit ſentire, quàm Innocentii tempore, quippe quæ tunc ſentiebat, uti Eccleſia Romana. Hoc premo, hoc urgeo, hic mapalia mihi facio, hic Theologorum Pariſienſium ſaluti confiſus defigo tabernaculum, hic opinionis novæ præcipitantis curſum & impetum ſiſto, hic quondam methodum certam quæro, qua quæ nova Bellarminus inducit placita, retinentur adpoſite, & quæ nova Lutherus & Calvinus inducunt, adpoſite diſſipentur. Leges certaminis æquales eſſe ſemper debere quis neget? Si negat Bellarminus, injuſtitiæ totius accuſabitur; ſi non negat, deſtruet, quod ædificare omni ope conatus eſt. In ſumma Bellarminus & qui eum ſequuntur, cum ſua vel aliorum dogmata tuentur nova, illorum adjuvant cauſam, quos adpellant Novatores & Sectarios, niſi forte peculiari demonſtrent Tractatu, lucere ſibi facere, quod faciunt Sectariis & Novatoribus id non licere. Hic rhodus, hic ſaltus. Quam longe prudentior hic facit Bellarmino Cajetanus, quem ille ut opinionis ſuæ patronum adſcivit. Hic, cum in numerum Cardinalium eſſet adſcriptus, non docuit amplius, quæ matura nondum ætate contra Pariſienſes ſtudio partium docuerat. Ad Scripturæ ſtudium ſe adpulit. Patrum Sanctorum libros evolvit, & forſan ex quæſtione in Hadriani Commentarios jacuerit, quorum bonitate ſic perſuaſus eſt, ut defuncto Leone decimo, cum eligendus fuit Pontifex, author fuerit præcipuus, cur Hadrianus digeretur, quod Pallavicinus eleganter recenſet. Utinam feciſſet DEUS, ut Bellarminus ſcripta Hadriani ſic adamaſſet, certe tam miſerabiliter non fuiſſet lapſus, neque citaſſet opera Cajetani, quibus ipſe Cajetanus valedixerat, cum ſe in Scholam Hadriani contulit &c.

Bellarminus *ibid.*

IDem ſummi Pontificis judicium infallibile probaturus ſecundo poſt vindicata nunc Chriſti verba ad alia ejuſdem provocat, ea nimirum, quæ Matth. 16. leguntur, Super hanc petram &c. indicans, ſe libri primi capite decimo jam oſtendiſſe, petram & fundamentum Eccleſiæ ad literam dici Petrum, ut ſummum Eccleſiæ Rectorem, ac proinde quemlibet ejus Succeſſorem ſimiliter eſſe Petram fundamentum Eccleſiæ. Ex hoc duplex ſumi argumentum. Prius ex nomine Petræ. Quare enim, inquit, Pontifex dicitur petra, niſi ratione ſoliditatis & conſtantiæ? Certe ſi petra eſt, non frangetur, neque circumferetur omni vento doctrinæ, id eſt, errabit in Fide, ſaltem quatenus petra, id eſt, quatenus Pontifex eſt. Poſterius ex ratione fundamenti ædificium ſuſtentantis, quod nullo poteſt ruere modo. Nam ſi tale eſt ædificium, ut non poſſit ruere, certe nec ejus fundamentum ruere poteſt; non enim poteſt intelligi, quomodo fundamentum deſtruatur & domus non cadat. Imo majore ratione fundamentum non poteſt deſtrui, ſi domus non poteſt cadere; non enim fundamentum à domo, ſed domus à fundamento accipit firmitatem. Atque hoc modo omnes expoſuerunt Patres, & hinc

deduxerunt, Petrum & alios conſequenter Pontifices errare non poſſe, nominatim Origenes, Chryſoſtomus, Cyrillus apud Thomam, Theodoretus, Hieronymus, Auguſtinus, Gelaſius, Gregorius &c.

Launojus *T. V. Epiſt. 7.*

POſtquam in genere præmonuit & obſervavit, Bellarminum fide adhuc priori hoc teſtimonium, quam antecedens tractaſſe, & tractando Synodi Tridentinæ Decretum & Fidei profeſſionem magis neglexiſſe, quatuor diverſas Patrum expoſitiones ſuper hæc etiam Chriſti ad Petrum verba recenſet. Primam claſſem eorum dicit eſſe, qui docent, *Eccleſiam ſuper Petrum eſſe ædificatam*, nominatim Tertulliani, Origenis, Cypriani, Firmiſiani, Hilarii, Baſilii, Ambroſii, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Cyrilli Alexandrini, Auguſtini, Leonis primi, Maximi Taurinenſis, Pielli, Theophylacti, Euthymii, addens lubentem ſe Athanaſium prætermittere, quo teſte Bellarminus libri primi de Pontifice Romano capite decimo utatur; & quidem ex epiſtola ad Felicem, quam ſuo & Synodi Alexandrinæ nomine dicitur ſcripſiſſe, quam Athanaſio ſubjectam eſſe dicit ab imperito quodam Malleatore, qui neſcierit, Athanaſium pro Pontifice legitimo Felicem hunc non habuiſſe, prout in ſuis ad ſolitarios literis declaraverit: quin & Athanaſii vitam ab incerto authore editam, & Codicem ducenteſimum quinquageſimum & octavum Bibliothecæ Photii Felicem fuiſſe conſtitutum ab hæreticis Epiſcopum, & morte miſeranda periiſſe illum tradere. Imo Baronium quoque ad annum trecenteſimum quinquageſimum & ſeptimum hanc Athanaſii epiſtolam ad Felicem ut ſubditiam repudiare. Et poſtquam indicavit, quibus in locis epiſtolæ hujus ſuppoſitionem latius ſit perſecutus, hæc porro obſervanda ſubjunxit, cum Bellarminus teſtimonio tam evidenter ſuppoſito utatur, eum dignitati Pontificiæ non mediocrem inferre injuriam, ſignificare enim, quod hominum egeat mendacio ad ſui probationem; & quamvis vetuſtiores Bellarmino ſcriptores quidam hanc Athanaſii Epiſtolam ut veram acceperint, Bellarminum eos quidem habere ſocios culpæ, non autem vindices ac liberatores. Secundam claſſem eorum dicit eſſe, qui dicunt, *Eccleſiam eſſe ædificatam ſuper Apoſtolos vel eorum ſucceſſores*, nominatim Origenis, Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, Theodoreti, Ambroſii Ansberti, Etherii & Beati Paſchaſii Radberti &c. Tertiam eorum, qui ſtatuunt, *eam eſſe ædificatam ſuper Fidem, quam confeſſus eſt Petrus*, nominatim Euſebius Laodicenſis Epiſcopi in Homilia, quam Coccius in Theſauro laudavit, Hilarii, Gregorii Nyſſeni, Ambroſii Mediolanenſis, Chryſoſtomi, Auguſtini, Acacii Melitenſis Epiſcopi in Homilia, quæ in Actis Synodi Ephetinæ legitur, Cyrilli Alexandrini, Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopi, Leonis Papæ primi, Chryſologi, Theodoreti, Anonymi in Catena Nicetæ, ſuper Matthæum, Eucherii Lugdunenſis, Felicis Papæ tertii, Hormiſdæ itidem Pontificis Romani, Anaſtaſii Patriarchæ Antiocheni, Gregorii Pontificis primi, Iſidori Hiſpalenſis, Bedæ, Damaſceni, Hadriani Papæ primi, Concilii Forojulienſis, Druthmari, Jonæ Aurelianenſis, Hincmari Rhemenſis, Nicolai Papæ primi, Johannis hoc nomine octavi, Theophanis Ceramei, Theodori Abucaræ, Stephani Papæ ſexti, Concilii Troſlejenſis, Odonis Cluniacenſis, Ruperti Tultienſis, Innocentii Papæ ſecundi, Hadriani quarti, Urbani tertii, Cæſarii Ciſtertienſis, Thomæ Aquinatis, Stephani Pariſienſis, Teſtati Jodoci Clictovæi, Johannis Eckii, Renati Benedicti, & ipſius Romanæ tandem Eccleſiæ in oratione, quam in Feſto Leonis ſecundi recitandam præſcripſit. Quartam tandem eorum, qui ſcribunt, *eam eſſe ædificatam ſuper Chriſtum*, nominatim Hieronymi, Auguſtini, Theodoreti, Bedæ, Paulini Aquilegienſis, Dungali, Rabani, Anſelmi, Lombardi, Sarisbricenſis, Goltfridi Viterbienſis, Cœleſtini Papæ tertii, Innocentii itidem tertii, Cæſarii

Digitized by Google

ſarii Ciſterienſis, Thomæ, Pii Pontificis ſecundi &c. Poſt recenſita horum à Scriptis publicæ exſtantibus Teſtimoniis id porro laboris in ſe ſuſcepit Launojus, ut oſtendat, quomodo ſint inter ſe componenda, & quoad fieri concilianda. Et primò quidem obſervat, quod omnino meretur notari, non nullos comparere in claſſe primâ & ſecundâ, alios in primâ & tertia, iterum alios in prima & quarta, quoſdam in ſecunda & quarta, aliquos in tertia & quarta, Auguſtinum vero in ſingulis. Deinde, Authores claſſis primæ & ſecundæ ſibimet ipſis conciliari facileæ. Nam originem in primâ non excludere ſecundam; Cyprianum autem in primâ videri quidem excludere ſecundam, ſed revera non excludere, ſi ſcopus operis utriuſque adtendatur. In prima enim ſcribit ſuper unum Petrum ædificatam eſſe Eccleſiam, ut adverſus emergentes Chriſtianorum in Religione diſcordias unitatem Eccleſiæ commendat; in ſecunda vero dicit conſtitutam eſſe ſuper Epiſcopos Eccleſiam, ut quam ejus unitatem in uno commendaverat Petro, eandem quoque in pluribus Apoſtolorum Succeſſoribus commendaret, q. d. ſive unus ſit Apoſtolus, ſive plures, ſuper quos ædificata ſit Eccleſia, una tantum, non multiplex eſt ædificata. Quapropter in prima diſputat adverſus eos, qui ſcindere volebant Eccleſiam, in ſecunda redarguit lapſos, qui & ipſi Cypriano de uſurpata Pace per Paulum Martyrem data ſcripſerant, hocque pacto ſcindebat Eccleſiam. Igitur cum Cyprianus in utraque Expoſitione unam ſtatuat Eccleſiam, & illius conſultat unitati, ſibimet ipſi non eſt contrarius; quod magis magiſque confirmatur eſt controverſia Rebaptizandorum, in qua etiamſi ſeorſim à Pontifice Romano ſentiret, in eadem tamen cum eo manere volebat Eccleſia, atque diſſentiendo unitatem Eccleſiæ ſervavit, non fregit. Tertio, neque Hieronymus ſecum pugnat, inquit Launojus, dum in Expoſitione ſecunda declarat, quomodo ſit intelligendus in prima. In hac dicit, Eccleſiam ſuper Chriſtum, qui vere Petra ſit, eſſe fundatam; in illa ſuper Petrum & reliquos Apoſtolorum, quorum caput ſit Petrus, ut vitetur Schiſmatis occaſio. Quarto, Non minus conſentit Hilarius, quam Hieronymus, cum in prima Expoſitione dicit quidem, Eccleſiam eſſe ædificatam ſuper Petrum, in tertia autem interpretatur, qua ratione id debeat intelligi. Quinto, Ambroſius quoque primam adducit in tertia. Sexto, quod de Hilario & Hieronymo notatum, de Cyrillo etiam ac Leone notandum eſſe, atque id urgere mutuam teſtimoniorum collationem; quod enim obſcurum eſt, per id, quod clarius eſt, debet intelligi. Obſcurum vero eſt, quod variis intelligi poteſt modis; clarius, quod uno tantum intelligitur modo, & unum duntaxat Senſum objicit meditanti. At certum eſt, Patrum authoritates, quæ in prima claſſe recenſentur, varias poſſe facere Interpretum Sententias, eas verò, quæ in ſecunda leguntur, non poſſe, vel ſaltem non tam facile poſſe, quod eruditis hominibus atque cordatis ſufficit ad dirimendam, quæ inde naſceretur controverſiam. Septimo, Auguſtinus eam ſingularum Expoſitionum authoribus verſatur, ita tamen, ut ab Authoribus primæ recedat non nihil, & aliis faciat copiam recedendi, atque ad Authores cæterarum familiarius adcedat; & cum in Expoſitione ſecunda hæreret, verbis quibuſdam ſuis iter ſibi ad tertiam & quartam munivit, in quibus ſe Lumine proprio continet ac omnem diſpellit obſcuritatem. Octavo, qui ſuperſunt in claſſe primâ Tractatores Eccleſiaſtici, ex aliorum, quibuſcum vixerunt, communione ad alias traduci poſſunt Expoſitiones. Nono, Authores Expoſitionis quartæ cum Authoribus tertiæ conciliari poſſunt ſine ulla difficultate, ut ex illorum verbis colligitur; nam pene idem eſt, ſuper Chriſtum & ſuper ejus Confeſſionem à Petro editam fundari Eccleſiam. Quidquid autem ſit, ad unam Chriſti refertur perſonam. Decimo, in ſumma, poſtquam Authores Claſſis primæ, qui cum aliarum Expoſitionem Authoribus conciliari poſtulant, ſunt conciliati, Authores claſſis ſecundæ, niſi Authores primæ ſuperent numero, in æqualitatem veniunt cum illis, & ab Authoribus tertiæ & quartæ, quæ nihil aut parum inter ſe differunt, omnino vincuntur, quod exinde potiſſimum

Digitized by Google

colligitur, quia Authores hi omnes facile inter se possunt componi, & Jonas Episcopus Aurelianensis Expositionem tertiam omnibus pene Tractatoribus Ecclesiæ tribuit, ac insuper Johannes Eckius eam à nemine negari pugnat, quo autem tempore scripsit Eckius, Veritatem hanc opportuit dissimulari, si unquam Veritas sit dissimulanda, cum videlicet Lutherus hanc Expositionem tertiam in se reciperet, atque ex ea adversus Pontificem Romanum ineptissime (quod Launojo ob certas rationes condonandum est) disputaret. Porro ex his tria nunc colliguntur in quibus præsidium totius ratiocinationis constituitur, à quibus est primum, quod Expositio tertia & quarta, quæ conveniunt reipsa, & eundem ferè scopum feriunt, Expositioni primæ, etiam per se & sine ullâ conciliatione sumatur, longè præponderant. Secundum, quod si quis est in exponendo Matthæi testimonio unanimis Patrum consensus, hunc Expositio tertia sibi vindicat, & quidem titulo adhuc majori, si quarta conjungatur tertiæ, uti revera debet conjungi. Tertium, quod Bellarminus in conficienda ratione sua neque Decreto Synodi Tridentinæ paruit, neque Fidei professionem servavit, atque hinc invalida est ejus ratio, in cujus formatione Decretum hoc negligitur & violatur Fidei professio.

Post hæc progreditur Launojus in ea eadem Epistola ad examen testium, quos pro Sententia sua Bellarminus adduxit, inter quos dum *Origenes* primum occupat locum, testatur, verba, quæ laudavit Bellarminus, apud originem comparere nusquam, adeoque Bellarminum in aditu vestibuloque statim impingere. Sequitur *Chrysostomus*, de quo observat, quod Bellarminus verba ejusdem, quibus per Petram intelligit Fidem atque Confessionem dissimulans, ea, quæ paulo post sequuntur, contracta retulerit, judificando Lectores. Quoad Testimonium *Cyrilli* provocat ad Epistolam primæ partis secundam, ex quâ suo supra loco huc pertinentia fuere adducta. De *Theodoreto* notat, eum in classe secunda omnes Apostolos facere fundamenta Ecclesiæ, in tertia statuere, Ecclesiam esse ædificatam super Petri Fidem & Confessionem, in quartâ dicere, Christum esse fundamentum Ecclesiæ, atque hinc constare, Bellarminum ex hoc capite vel fallere, vel falli voluisse, Theodoretum non perlegisse, sed per indices subministratos sapuisse, utpotè, qui in Epistola, ex qua Bellarminus desumsit testimonium, facti ad tempus præteritum pertinentis quæstionem tractaverit, quam Bellarminus insigni fallacia converterit in quæstionem Juris, eam ad lemmatis sui probationem Theodoreto nihil minus cogitanti inutiliter adfingendo, dum is loquatur insuper de Sede, non sedente, & si ita scripsisset, prout Bellarminus ipsum voluit scripsisse, Sedem Romanam deficere in Fide non posse, non tamen indè sequi, quod etiam in docendo non possit errare, quod tamen necessario fuisset dicendum, ut causæ serviatur, præter id, cujus non plane nullum in hac causâ debet esse momentum, quod Bellarminus Versione Theodoreti usus sit parum consentanea, quod ex oppositâ Versione Sirmondi demonstrat. Ad Hieronymum quod attinet, quem Bellarminus itidem ad suas traxit partes, monet de eo Launojus, quod Bellarminus dissimulaverit, quæ Hieronymus in classe secunda de fundata super Apostolos, & in quarta de fundata super Christum Ecclesia tradiderat, uti & illud, quod idem Hieronymus de Pontifice Liberio in hæresin lapso semel atque iterum notavit, in Chronico nimirum, & in libro de Viris illustribus; ubi & id simul necessario observandum, Hieronymo Bellarminum imponere, dum eum dicit adserere, se tuto secuturum Pontificis Sententiam, quia noverit, Ecclesiam super illum esse fundatam, nec fieri posset, ut Ecclesiæ fundamentum cadat, quasi, inquit Launojus, Ecclesiæ fundamentum, ex Sententia Hieronymi, quod cadere non potest, sit Pontifex Romanus, qui moritur, non vero Christus, qui non moritur. Præterea, cum Pontifex Romanus credendo vel docendo possit cadere, utrum sit in Hieronymi Sententia, hoc an illud, dubium & incertum relinquit, Bellarminus, quo facilius circumveniat incautos, quos facile putavit credituros,

Digitized by Google

dituros, quidquid ab illis, nimirum, Pontificibus Romanis credendum propoſuerit; imò, cum Pontifex Romanus Eccleſiam vel totam, vel aliquam ejus partem poſſit aut velit docere, utrum ſit in Hieronymi Sententia, hoc an illud, itidem relinquit dubium & incertum, ut, ſi erraret, habeat, quo elabatur. Nam ſi Pontifex erraret docendo, Bellarminus diceret, illum erraviſſe quidem, cum aliquam tantum Eccleſiæ partem doceret, quia in ejus opinione duntaxat errare non poteſt Pontifex, quando totam docet Eccleſiam. Circa teſtimonium *Auguſtini*, quo Bellarminus ad ſuæ theſeos probationem utitur, Launojus urget, Bellarminum alia diſſimulare, quæ in cunctis claſſibus fuere laudata, in hoc autem, quod Bellarmino viſum fuit idoneum, loqui Auguſtinum de Petri Sede, non vero ejus Succeſſore, ac inſuper verba Auguſtini multo facilius ad Sedem, quæ credat, quam quæ totam doceat Eccleſiam, flecti, eſſeque hinc Suppoſitiones duas, quas Bellarminus ad inſerviendum cauſæ confundat in unum. *Gelaſium*, qui ſuccedit apud Bellarminum, ſcribit Launojus, Bellarminum inutiliter & fallaciter producere, cum Gelaſius teſtimonium ex Matthæo non laudet, ac Verba, ſuper hanc Petram, non interpretatur, uti convenienter inſtituto Bellarmini, ſuper Petrum, deberet interpretari. Hoc notare, inquit porro Launojus, eſt argumentum diluere, ſi quid aliunde virium haberet, cum inepte diſputet, qui à propoſitio digreditur; quin etiam Author (Bellarminus) à propoſitio digreſſus rationem contra ſe objicit. Nam Gelaſius loquitur de glorioſa Petri confeſſione, ſupra quam credere potuit ædificatam eſſe Eccleſiam, reſpectum ſine dubio habens ad verba Petri, Tu es Chriſtus &c. Quod Bellarminus cum neutiquam adverteret, Apoſtoli confeſſionem pro Sedis Apoſtolicæ habuit confeſſione, quæ ſit radio Mundi, ac proinde, ſi Sedes erraret Apoſtolica, totus erraret Mundus; quaſi vero Sedes Apoſtolica, eſſet Apoſtoli confeſſio, quæ eam ob cauſam radix Mundi dicitur à Gelaſio, quod Eccleſiæ ſit fundamentum, & quod eidem ſuperſtruatur Eccleſia, Bellarmino in ſubobſcuris & à reliquo contentu avulſis quibuſdam verbis ludente & paralogiſmum exhibente. Deinde, Gelaſius de Sede Apoſtolica ſermonem inſtituit, non de Apoſtolico Præſule duntaxat, uti Bellarminus facit, Apoſtolicæ Sedis notionem vel ignorans, vel diſſimulans. Præterea, Bellarminus à Gelaſii propoſitione diſcedit, ut apud eum videatur inveniſſe, quod inveniri non potuit; dum Gelaſius non agit de non errandi privilegio, quod Bellarminus quærit, ſed de exequendis adverſus Acacium decretis, quæ Synodus Calchedonenſis ſanxit, contra hæreticos, prout antecedentia & conſequentia declarant manifeſte, ac ex ipſo Epiſtolæ, quam Bellarminus adduxit, argumento penitus adparet. *Gregorium* hujus nominis primum, ultimum Bellarmini teſtem, malâ fide ab eo productum fuiſſe, poſtquam ex ipſo ejuſdem textu oſtendit Launojus, utriuſque Epiſtolæ à Bellarmino laudati verba adducens, ſequentia porro in gratiam Veritatis animadvertit. Et primo quidem, inquit, cum Bellarminus priorem laudat Gregorii Epiſtolam, vel fucum facit, vel patitur, dum in eâ nec caput Matthæi citat, nec verba, ſuper Petram, interpretatur ſuper Petrum, ex quo tamen id ſe probaturum receperat Bellarminus. Deinde, quis præter Bellarminum ſibi perſuadeat, Gregorium in hiſce Epiſtolis ita ſcripſiſſe, ut ex ſcriptione hâc ſuâ ſibi privilegium non errandi, quale ſtatuit Bellarminus, poſſet adjudicari? Annon Bellarminus otio abutitur & literis? Præterea, quæſitam ex poſteriori Epiſtola Gregorii authoritatem interpolavit Bellarminus atque corrupit. Id ubi ex collatione verborum oſtendit Launojus, atque ob oculos poſuit, quam Bellarminus complexionum interpolatis atque corruptis Gregorii verbis inædificaverit, quaſi Gregorius apertè docuerit, Eccleſiæ firmitatem pendere ex Petri firmitate, ac proinde minus poſſe Petrum errare, quam ipſammet Eccleſiam, dum è contrario alibi, nimirum libri tertii Epiſtola poſt trigeſimam tertia ad Reginam Theodellindam ſcripſerit. In verâ Fide perſiſtite, & vitam veſtram in Eccleſiæ Petra, id eſt, in Confeſſione Beati Apoſtolorum Principis ſolidate, ſic por-

ro argumentum : Si firmitas Eccleſiæ ex Petri firmitate pendet, &, ſi Petrus errare poteſt minus, quam ipſamet Eccleſia, quod horribile dictu eſt, inquit Launojus, cu- Paulus ei Antiochiæ reſtitit in faciem, cum Gregorius ipſe libri ſecundi Epiſtola poſt trigeſimam ſeptima ad Natalem Epiſcopum Salonitanum, ſcripſit, ſe ab omnibus corrigi & emendari paratum eſſe ; cur libri quarti Epiſtola itidem poſt trigeſimam ſeptima ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcripſit, Petrum eſſe primum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ membrum, Paulum, Andream & Johannem eſſe plebium ſingularium capita, & tamen ſub uno capite omnes Eccleſiæ membra ; cur porro libri ſeptimi Epiſtola poſt centeſimam duodecima ſcripſit, caput noſtrum eſſe Chriſtum, atque hoc ſua nos eſſe membra voluiſſe ; imo, cur Bellarminus ipſe libri ſecundi de Conciliis capite ſecundo ſcripſit, Eccleſiam errare non poſſe, neque in credendo, neque in docendo, & tamen libri quarti de Pontifice Romano, capite ſeptimo in ſe recepit, Pontificem errare poſſe credendo, nimirum, errore Perſonali, non judiciali ; tandem, cur libri ſecundi de Pontifice, capite trigeſimo, Quæſtionem tractans, An Papa hæreticus poſſit deponi, adlatis opinionibus quinque ultimam cæteris antepoſuit, ſtatuens, Papam hæretieum, nempe manifeſtum, per ſe Papam & caput eſſe deſinere, ſicut per ſe deſinat eſſe Chriſtianus & membrum corporis Eccleſiæ ? Cur inquam hæc omnia, ſi firmitas Eccleſiæ ex Papæ pendet firmitate, &, ſi Papa minus poteſt errare, quam ipſamet Eccleſia ? Jure potiori tractaret Quæſtionem, An Eccleſia fieri poſſit hæretica, atque concluderet, Eccleſiam in caſu hæreſeos per ſe deſiner e eſſe Chriſtianum, Sponſam & corpus Chriſti. In tales ſcilicet Anguſtias & ἀγκυλίαν facile compellitur, qui ab antiqua Eccleſiæ Romanæ traditione & Chriſtiana ſimplicitate degenerat. Atque hæc ſunt crimina, quibus obſtrinxit ſeſe Bellarminus ; ſed tamen in iis non conſiſtit, verum ulterius progreditur. Nam, non contentus ſuam tot flagitiis inædificaſſe Sententiam, contrariam, quæ tamen veriſſima eſt, & Eccleſiæ Romanæ traditioni quam maxime conſentanea, erroneam & ut hæreſi proximam traducit, quod peccati genus eſt tantum & tam deteſtabile, ut acriori nota caſtigandum eſſet, idque ideo quam maxime, cum hæc Sententia Bellarmini Sententiæ contraria ex ejuſdem Bellarmini principiis indubitata & certa credi poſſit atque debeat.

Idem Launojus alibi, nimirum in quinta quintæ partis Epiſtola prolixius reſpondet ad *Hieronymi* teſtimonium, quod ex ejus ad Damaſum Pontificem Epiſtola in rem ſuam produxit Bellarminus, & poſtquam non eam modo integram adſcripſit, ex qua Bellarminus arma deſumſit ; ſed alteram quoque ad eundem, quam priori Damaſo, tacente ſubmiſit, Launojus in genere quidem obſervavit, *Hieronymum* in priori Epiſtola, cum ſuſpectæ Fidei apud Orientales eſſet habitus ob nomen hypoſtaſeos, ea ſuper re Papam Damaſum conſuluiſſe, & cum Damaſus reſponderet nihil, iterùm in eadem cauſa ad eundem ſcripſiſſe, atque hinc ſcripſit adparere, illum cauſam non generalem, quæ apud Oratores dicitur Theſis, ſed privatam, quæ hypotheſis vocatur, tractare, ac eam fuiſſe, quæ in tacendarum vel dicendarum hypoſtaſeos authoritate definitur ; & hunc eſſe Scopum, ad quem omuia pene Hieronymi rationum momenta dirigantur. Videlicet, cum Hieronymus in adverſariam apud Orientales ſuſpicionem veniſſet, ad Petri Cathedram, uti ad tutiſſimum Communionis ſuæ portum confugit, Primo, quia Romæ ſacro Baptiſmi rite fuerat initiatus ; deinde, comparatione Orientem inter & Occidentem facta, reperit, tum in Occidente Fidem ſervari inviolatam. Præterea, quia Romæ baptizatus, ob id Civem ſe Romanum eſſe credebat, ac exinde ad urbis Epiſcopum merito recurrit. Quarto, Occidentem, qui à Petri Cathedra, ut à parte nobiliori totum innuitur, cum Ægypto conjungit, quod inprimis etiam ex Epiſtolâ ad Marcum Celedenſem Presbyterum patet ; ex qua Occidentis cum Ægypto, Damaſi cum Petro Alexandrino conjunctione redditur manifeſtum, Hieronymum in cauſa privata & hypotheſi, quæ præ manibus eſt, vehementer obſtare, quo minus hinc ullum

Dama-

Digitized by Google

Damaſo ſoli videretur non errandi privilegium, quale Bellarminus & reliqui Curiales Magiſtri Romano Pontifici conantur vindicare. Quinto, collata quidem hæc duo commata inter ſe, quando Hieronymus in priori ad Damaſum epiſtola ſcripſit, Apud vos ſolos incorrupta ſervatur Patrum hæreditas, & hic Collegas tuos confeſſores Ægyptios ſequor, & commatibus addita, quæ in laudata ad Marcum epiſtola leguntur, nonnullam objiciunt difficultatem, ſi comma prius ſimpliciter & abſolute ſumatur; nam hocce modo ſumtum, cum poſteriori commate, & cum iis, quæ in epiſtola ad Marcum traduntur, ſtare penitus non poteſt. Verum non ſic eſt ſumendum, ſed comparate, ita apud Occidentalem Eccleſiam ſervaretur incorrupta Patrum fides, cum Oriens, in qua verſabatur tum Hieronymus variis diſſideret erroribus. Igitur verba hæc, apud vos ſolos, præ cæteris tantum, non excluſis id unum aliis omnibus ſunt intelligenda. Ut nunc mittantur, quæ poſtea Hieronymus de Liberio & Felice Pontificibus Romanis obſervavit quæ corruptam in illis Patrum hæreditatem exhibent. In ſumma, facti, non juris eſt quæſtio, quam Doctor ſanctus exponit. Atque hoc notandum eſt propter nonnullos, qui, quæ circumſpicienda ſunt, non circumſpiciunt, relato commate abutuntur, & Doctori ſancto alienas ab ejus mente & ætate opiniones adfingunt. Sexto, hæc verba, ſuper illam petram ſcio ædificatam Eccleſiam, non referri ad ſolum Petrum, Hieronymus primo adverſus Jovinianum docuit libro, uti & in Pſalmum octogeſimum & ſextum, ut adeo Hieronymus per ſeipſum explicatus nullum Bellarmino & ſectatoribus præbeat argumentum, imo poſſit nocere, nunquam vero prodeſſe, niſi a ſeipſo dividatur, & mutilatus in libros Bellarmini ducatur, dum in Hieronymi opinione fundata eſt ſuper omnes Apoſtolos Eccleſia, quod Bellarminus fraudulenter diſſimulat, quo ſecurius argumentetur ex Hieronymo, fallaciter diſputans, vel certe luculenter oſtendens, ſe Doctoris ſancti Commentarios, uti oportet, nunquam perlegiſſe. Septimo, cauſam Hieronymi privatam, ea ſuggerunt verba, quibus in utraque Epiſtola meminit trium in Eccleſia Antiochena Epiſcoporum, quos in trium hypoſtaſeon negotio ſibi favere non credebat Hieronymus. Octavo, Nicenum hac in re Concilium agnoſcit ſupremum Judicem Hieronymus, quo autem ut tali agnito certum eſt, quod nullum alium, ne Damaſum quidem, tanquam Pontificem Romanum ut Judicem ſupremum agnoverit. Nono, ea quoque dicit Hieronymus, quibus non obſcure ſignificat, Damaſum poſſe deflectere à vera Fide, ſcribens, Abſit hoc à Fide Romana, nimirum, ut cum Damaſo jungatur Urſecinus, non deprecaturus tam grande malum, niſi reipſa timendum fuiſſet, ut illud poſſet accedere. Decimo, poſtulat Hieronymus duntaxat Occidentalium, & cumprimis Damaſi Papæ ſuper tacendis vel dicendis tribus hypoſtaſibus authoritatem, qua ſe ab Orientalium impetitionibus defenderet; quod cum ex aliis capitibus quærit anxie, tum ex eo quoque, quod homo Romanus eſſet. Atque hæc erat vexatio, quam ex opera Damaſi à ſe tent t removere Hieronymus, ubi opus non erat ulla fidei definitione nova, cui falſum ſubeſſe non poſſet. Quidquid autem ſit, Damaſum Hieronymo reſpondiſſe non invenitur, ſive quia Hieronymus victis per ſcripta adverſariis deſiit vexari, ſive quia continuo vexatus illam ſolitudinem, in quam migraverat, deſeruit & Hieroſolymam petiit, unde poſt aliquod tempus Romam ſe recepit ad Damaſum, ſive tandem, quia Damaſus abſque Synodo reſpondere ſe non poſſe credidit, neque tunc Synodum habere potuit. Hæc igitur eſt cauſa Hieronymi privata atque hypotheſis, in cujus tractatione Doctor ſanctus Pontifici Romano per Damaſum indeficientis judicii privilegium non adtribuit, ut eum adtribuiſſe putant falſo, qui Epiſtolam utramque ſuis non expendunt momentis. Aliud eſt enim, divulſa à reliquo contextu certa quædam verba epiſtolarum jactare, torquere & circumrodere, atque iis deinceps ante captum animo ſenſum adfingere, quod omnino faciunt, qui decipi volunt, vel decipere; aliud vero eſt, integras adtente Epiſtolas legere & perlegere, ut, quo ſpectet Author, vere deprehendatur. Sed quia, ſi deprehenderetur, incommodaret, deprehenſioni locus vix

datur ullus. Si vero nunc poſt hypotheſin ad cauſam generalem ſeu theſin deveniatur, quæ in eo eſt ſita, utrum Hieronymus in Pontifice Romano non errandi privilegium abſolute & ſimpliciter agnoverit, id apud Hieronymum difficultatis habet nihil, quia nullum tale agnovit in Pontifice privilegium, quod ex ſequentibus conſtabit. Primo, quia in hypotheſi & cauſa Hieronymi privata jam multa ſunt obſervata, quibus concutitur theſis atque labefactatur, & in omni jure per ſpeciem derogatur. Deinde, quia Hieronymus ſemel atque iterum notat, Liberium Papam hæreſi ſubſcripſiſſe, minime in libro de Viris illuſtribus atque in Chronico. Præterea Felicem, quem ab Arianis in Liberii locum fuiſſe ſubſtitutum ait, Arianum fuiſſe Epiſcopum ſcribit in eodem de Viris illuſtribus libro. Et quamvis in Verſione Sophronii Græca vox, *Arianum*, non legatur, obſervari tamen debet, Hieronymum ſcripſiſſe non Græce, ſed Latine, & archetypum non per Verſionem, ſed Verſionem per archetypum corrigi debere; ac inſuper non Optatum modo Milevitanum, ſed Auguſtinum quoque in Catalogo Pontificum Romanorum non collocaſſe Felicem, non alia de cauſa, quàm quia illum pro hæretico habuerunt, imo Athanaſium Felici æqualem in epiſtola ad ſolitarios eum habuiſſe loco Antichriſti. His autem ita conſtitutis, omni luce clarius eſt, Hieronymum in ea fuiſſe ſententia, ut crediderit, Pontificem Romanum errare poſſe in fide, tantum abeſt, ut illi privilegium non errandi adſcripſerit. Certe non ire poſſet inficias Hieronymus, Epiſcopum Urbis Romæ errare poſſe in fide, poſtquam Liberium hæreticæ pravitati ſubſcripſiſſe ſemel atque iterum tradidit. Hoc niſi concoquant, devorent neceſſum eſt, qui certis quibuſdam Hieronymi epiſtolarum verbis non tam utuntur, quàm abutuntur, ut probent, Pontificem Romanum errare in fide non poſſe, cum totam docet Eccleſiam; nec illud probare poſſunt, niſi multiplices adhibeant fallacias, quibus vera Romani Pontificis poteſtas non indiget. Atque hoc modo patefactum eſt artificium Sophiſtarum, qui, quod Hieronymus ſcribit in epiſtolis, ab illius vero ſenſu & repetita ex aliis ejuſdem operibus doctrina perperam deflectunt. Nam quidquid in duabus ad Damaſum Epiſtolis exiſtit vel poteſt exiſtere difficultatis, per Epiſtolam ad Marcum Celedenſem Presbyterum removetur, utpote qua in Occidentis & ſimul Ægypti Eccleſiam, ut in regulam proponentem, quæ ſub Damaſi Pontificis Romani & Petri Epiſcopi Alexandrini nomine exprimitur, ſuam fidem reſolvit ultimo. Hoc autem cum ita ſit, Bellarminus authoritate tanti Doctoris abutitur & fucum facit, quo Romana non eget Eccleſia, & Anathema ſit, qui eam tali fuco egere adfirmat.

Bellarminus *ibid.*

PRo eodem Pontificis Romani Judicio infallibili vel privilegio non errandi porro militaturus, probandum id tertio ſuſcipit ex verbis Chriſti ad Petrum, Joh. ult. Paſce oves meas; *quibus verbis quod Pontifex ſit inſtitutus Paſtor & Doctor totius Eccleſiæ, ſuprà ſe libri primi capite poſt decimum quarto & ſequentibus demonſtraſſe monet, exinde nunc tale formans argumentum: Pontifex eſt Doctor & Paſtor totius Eccleſiæ, ergo Eccleſia tota illum audire & ſequi tenetur; ergo ſi ille erret, tota errabit Eccleſia.*

Launojus *Tom.* V. *Epiſt.* 8.

COntra hæc ita diſputat: Fallax, inquit, eſt hæc conſtitutio, quæ in toties damnatum à Gregorio Pontifice hujus nominis primo errorem inducit. Significat, unum eſſe in Eccleſia tota Epiſcopum, quo cadente tota cadat Eccleſia, ſcilicet, quo genere argumenti utitur Gregorius, ut iſtum profliget errorem, eodem utitur & Bellarminus, ut non errandi privilegium Pontifici adſerat Romano, quaſi vero res tam diverſæ & op-

Digitized by Google

oppoſitæ confici poſſint una ratione. Poſt adducta quinque diverſa Gregorii loca, quæ alibi poſſunt evolvi & legi, ſic ſcribit Launojus: Utinam Bellarminus hoc perlegiſſet, atque ſuis expendiſſet momentis; nam ſi feciſſet, quod veri nominis Theologo fuit faciendum, in argumento, quod intulit, non intuliſſet, & ab illo ſibi caviſſet errore, in quem incurrit. Deinde cum Pontifex Gelaſius in commonitorio ad Fauſtum ſcribit, Sedi Apoſtolicæ parendum eſſe; non quocunque modo, ſed *ſana rectaque ſuadendi* parendum eſſe dicit, quæ notabilis eſt exceptio. Sed Bellarminus nihil excipit, abſciſſe dicens, *Eccleſiam totam audire & ſequi debere*, adeoque præſcriptum à Gelaſio modum excedit. Scilicet, noverat Gelaſius, *Liberium* nec audiendum, nec ſequendum fuiſſe, cum ad Orientales adverſus Athanaſium ſcripſit, cum teſte Hieronymo hæreſi ſubſcripſit. At ſecundum Bellarmini opinionem, ſi tota tunc Eccleſia Liberium audire & ſequi tenebatur, tenebatur id etiam ſentire, quod *Liberius* in epiſtola ad Orientales ſentiebat adverſus Athanaſium, adeoque hæreſi ſubſcribere. Quæ & qualis hæc eſt ἀπορία? præterea, quid fiet de Bellarmini propoſitione, ſi ex authoritate Patrum minores majoribus, inferiores ſuperioribus nonnunquam poſſunt merito reſiſtere? Certe, cum Paulus de ſeipſo ſcripſit, quod Petro Antiochiæ reſtiterit in faciem, *quia fuerat reprehenſibilis*, Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, Facundus Hermianenſis Epiſcopus, Gregorius Magnus, Iſidorus Hiſpalenſis, Hadrianus ſecundus, Petrus Damianus Cardinalis, Gotfridus Abbas Vindoccuenſis, Innocentius tertius, Thomas ea obſervarunt, quæ Bellarminus vel non prævidit, vel diſſimulavit, cum porro ſic ſcripſit: Reſpondetur quidem, Eccleſiam debere Pontificem Romanum audire, ſi recte doceat, alioquin magis DEUM quam homines audiendos eſſe. At contra, quis judicabit, rectene Pontifex doceat an non? Non enim eſt ovium judicare, an paſtor erret, nec ne; *præſertim in rebus vere dubiis*, nec habent oves Chriſtianæ Judicem alium majorem vel Doctorem ad quem recurrant. Nam ut ſupra libri ſecundi capite poſt decimum tertio & quarto fuit oſtenſum, à tota Eccleſia ad Pontificem, ab illo autem non poteſt provocari. Tota igitur neceſſario errabit Eccleſia, ſi Pontifex erret Et ſi rurſum reſpondeatur, poſſe recurri ad Concilium generale; contra oſtendetur in Tractatu de Conciliis, Papam eſſe ſupra Concilium, præterea Dominus ſoli Petro dixit, *Paſce oves meas*. An non enim, ſic cenſet porro Launojus, quæ hoc in loco diſputat & ſibi ſumit Bellarminus, laudati Scriptores rejecerunt? Nonne traditionem Patrum pro nihilo ducit Bellarminus, cum objectioni reſpondet atque occurrit? Nonne perverſa eſt illa ratio diſputandi, in qua, quod nuper inventum eſt, colitur, & quod erat antiquitus traditum exploditur? An non inſulſus eſt adulandi modus, in quo Bellarminus contra Pontifices Romanos Gelaſium & Gregorium primum ſcribit, quibus adulatur. Et ne ſint hæc omnia, Damianus Cardinalis Bellarmini ratiocinationem multis ante ſeculis occupaverat, atque captiones illius diſcuſſerat, quam diſcuſſionem Gotfridus & Thomas confirmarant valide. Sed Bellarminus diſputationem fraudulentam hac involvit conditione, præſertim in rebus vere dubiis, de quibus nulla movetur quæſtio. Vanum eſt ac inutile artificium, quod doctorum vel indoctorum nemo non facile percipit. Videlicet, ſtatum quæſtionis mutat Bellarminus, ne quod in quæſtione poſitum eſt, agnoſcatur, & lectori miſerrime illudatur, & illuſus dicat, quod, quod dediſcere & oblivi ſci non illuſus deberet. Ad rem ipſam quod attinet, ſecundum Bellarmini opinionem peccavit *Malchion*, Eccleſiæ Antiochenæ presbyter, laudatus tamen ab Hieronymo in libro de Viris illuſtribus, qui adverſus Paulum Samoſatenſem ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, Artemonis dogma inſtaurantem, Notariis excipientibus diſputavit. Peccavit quoque Hieronymus, cum varios Johannis Hieroſolymitani errores redarguit. Peccavit itidem *Beatus* Eccleſiæ Toletanæ presbyter, qui Elipando ejuſdem Sedis Antiſtiti, hæreſin Neſtorianam inſtauranti reſtitit, adverſus illum libros edidit, atque pro domo DEI ſe Murum oppoſuit. Sic minores majoribus, inferiores ſuperioribus in cauſa fidei obſiſtunt, ſic oves, cum nocitura ſentiunt paſcua,

eadem

eadem declinant, paſtorem fugiunt & averſantur. Poſt alia contra Bellarminum ſua ſupra loco producta, ſic porro contra eundem ſcribit Launojus: Cum paſtor ſit idem, qui Epiſcopus, & Pontifex Romanus unum quemvis Eccleſiæ Epiſcopum ſuum adpellet *Coepiſcopum*, luce meridiana clarius erit, Pontificem Romanum non eſſe ſolum paſtorem illum, quem Bellarminus deſcripſit, ut non errandi privilegio donatus adpareat. Hanc Eccleſiæ Romanæ de *Coepiſcopi* nuncupatione traditionem poſtquam Launojus, prætermiſſis tamen epiſtolis quas *Iſidorus Mercaldi* primis Antiſtitibus Romanis ſubjecit, teſtimoniis Stephani primi, Liberii, Siricii, Innocentii primi, Zoſimi, Bonifacii primi, Cœleſtini, Sixti tertii, Leonis primi, Hilarii, Simplicii, Felicis tertii, Gelaſii primi, Anaſtaſii ſecundi, Symmachi, Hormiſdæ, Agapeti primi, Vigilii, Pelagii primi & ſecundi, Gregorii primi, Martini primi, Gregorii ſecundi & tertii, Zachariæ, Gregorii quarti, Leonis quarti, Nicolai primi, Hadriani ſecundi, Johannis octavi, Benedicti Noni, Leonis noni, Nicolai ſecundi, Gregorii ſeptimi, Victoris tertii, Urbani ſecundi, Paſchalis ſecundi, Alexandri tertii, Gregorii octavi, Innocentii tertii confirmavit, unicuique perito & cordato ea ſufficere credidit, ſubjungens, cum Pontifices Romani alios Epiſcopos adpellaverint *Coepiſcopos*, eos neceſſario aliquem poſuiſſe Coepiſcopatum, ac ſibi ante oculos ſtatuiſſe *Cyprianum* in libro de Unitate Eccleſiæ ſcribentem, Epiſcopatus eſt unus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. *Optatum Mileviſanum* ſecundo operis contra Donatiſtas libro docentem, unam eſſe Epiſcopalem Cathedram, ut Unitas ab omnibus ſervaretur. *Hieronymum* in epiſtola ad Evagrium hæc habentem, Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tunis, ejuſdem eſt meriti, ejuſdem & Sacerdotii. Imo *Petrum*, qui ſeipſum vocavit *σύμπρεσβύτερον*. Quin & *Clerum* tempore Cypriani *Romanum*, qui in Epiſtola ad Clerum Carthaginenſem agnoverunt, quod Chriſtus Petro dixit, *Paſce oves meas*, cæteros ſimiliter Diſcipulos feciſſe. Adhuc ſemel *Cyprianum*, qui in epiſtola ad Antonianum expreſſe Cornelium, Pontificem Romanum adpellavit ſuum *Coepiſcopum*. Inſuper etiam Acta Synodi Epheſinæ, in quibus non modo Cœleſtinus Papa Cyrillum, ſed Cyrillus quoque ac Synodus ipſa Cœleſtinum Papam nominat ſuum Com-Miniſtrum & *Coepiſcopum* &c.

Additio.

QUæ Launojus ad tria hæc Scripturæ oracula diverſis tribus Epiſtolis contra Bellarminum obſervavit, egregie poſſunt illuſtrari per ea, quæ ex Auguſtino in prima ejuſdem quintæ partis epiſtola ad eadem præmiſſis quibuſdam notatu dignis collegit, ut oſtenderet ex ſententia Auguſtini, majorem Concilii quam Pontificis Romani eſſe authoritatem. Initium vero hujus deductionis fecit ex libris ejuſdem, quos contra Donatiſtas ſcripſit, hoc obſervato, Donatiſtas ſuo ſchiſmati multos addidiſſe errores, ac inprimis eos, qui ad iterandum pertinebat baptiſmum. Auguſtinus igitur, ſcribit Launojus, in libris contra Donatiſtas iterandi baptiſmi controverſiam pertractat copioſiſſime, & hujus deciſionem Pontifici Romano ut ſupremo vel ultimo Judici non tranſcribit, cum tranſcribendi ſe obfert occaſio; quæ non poteſt ſe non obferre, ubi ſæpiſſime de baptiſmo non iterando ſermonem inſtituit. Deinde Auguſtinus Stephani Pontificis epiſtolam, quæ ad Africanos eſt miſſa, non refert, nec ullum ejus fragmentum, quod tanquam certæ diſciplinæ firmamentum objiciat Donatiſtis, objecturus ſine dubio, ſi Romano Antiſtiti privilegium indeficientis Judicii cenſuiſſet ineſſe. Quis enim Auguſtino minus ingenii & prudentiæ, quam cuicunque ex umbraculis Scholarum adtribueret? Inſuper Auguſtinus in libris de baptiſmo contra Donatiſtas ſexto & ſeptimo

ſingu-

Digitized by Google

ſingulas eorum, qui Concilio Carthaginenſi interfuerunt, ſententias expendit, diſcutit & confutat; ſed ubique altum eſt de Stephano Papa ſilentium, tantum abeſt, ut epiſtolam ejus tanquam ſtylo decretorio exaratam aut illi Concilio aut uni è Patribus ejuſdem opponat. Atque hoc certum eſt indicium, Stephani Decretum non tale habitum fuiſſe, quale ad terminandam quæſtionem citra periculum erroris ſufficeret; quis alioquin Doctoris ſapientiſſimi in tractanda hac quæſtione conſilium probaret, aut eum negligentiæ nomine non accuſaret? accedunt præterea ejuſdem Auguſtini loca duo, quæ ſi contendantur inter ſe & cum iis, quæ Cyprianus de baptiſmo Marcionis contra Stephanum ſcripſit, Stephano apud Auguſtinum detrahunt non errandi privilegium. Prior eſt in libri de unico baptiſmo capite poſt decimum quarto, poſterior in libri ſecundi de baptiſmo contra Donatiſtas capite itidem poſt decimum quarto & quinto. In loco priori Auguſtinus non fallitur cum dicit, Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, idipſum namque verbis conceptis traditur in fragmento epiſtolæ Stephani apud Cyprianum in epiſtola poſt ſeptuageſimam quarta ad Pompejum, quod Euſebius etiam confirmat libri Hiſtoriarum ſeptimi capite ſecundo. Certum ergo atque indubitatum eſt, quod Auguſtinus obſervat de Stephano, eum in nullo eorum, qui ab hæreticis erant baptizati, iterandum eſſe baptiſmum cenſuiſſe. In poſteriori ſignificat Auguſtinus, collatum à Marcione baptiſmum valere, ſi verbis Evangelicis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti conſecretur, non autem valere, ſi hac conſecratione deſtituatur. Sic Auguſtini judicio Stephanus erravit baptiſmum recipiens, etiamſi verbis his Evangelicis non conſecraretur. Num igitur conſecrabatur, quærendum eſt ex Cypriano, qui epiſtolam Stephani vidit & confutavit in duabus, una ad Jubajanum, altera ad Pompejum. Ex priori manifeſte colliguntur duo, unum, quod Marcion non baptizaverit in nomine Patris &c. ſed in nomine JESU Chriſti; alterum, quod Stephanus collatum ſic à Marcione baptiſmum receperit. Cyprianus contra hæc pugnavit, ſtatuens, rejiciendum eſſe baptiſmum in nomine JESU collatum, niſi fuerit Judæus, qui ſuſceperit, & baptizandos eſſe gentiles in plena & adunata Trinitate. Hinc graviter Marcionem inſectatus eſt, quod Trinitatem non teneat, cujus Sacramento gentes baptizentur. Ex poſteriori patet, Cyprianum ideo reprehendere Stephanum, quod collatum à Marcione in nomine Chriſti baptiſmum admiſerit. Hoc cum ita ſit, planum efficitur, Auguſtinum hunc Marcionis baptiſmum, quem Stephanus admiſerat, reliquiſſe indefenſum. Quapropter nemini mirum debet videri, Doctorem ſanctum Pontifici Romano privilegium Judicii indeficientis nuſquam adſcribere, nec illum habere pro Judice controverſiarum Fidei ultimo vel ſupremo; Judex quippe talis nuſquam & nunquam debet errare, ut hac in re Stephanum erraſſe judicat Auguſtinus, ſtatuens, caſſum & irritum eſſe baptiſmum Marcionis, contra quam Stephanus in epiſtola ad Africanos decreverat. Nunc ſi porro deveniatur ad Concilia, quæ apud Auguſtinum excitatis de religione controverſiis imponunt finem, plura ſunt loca, ubi ſuam de hac re mentem exponit clariſſime, nominatim in libri primi de baptiſmo contra Donatiſtas capite ſeptimo, uti & poſt decimum octavo, & in libri ſecundi capite primo, tertio & quarto, ſeptimo, octavo, nono, & poſt decimum quinto, item in libri quarti capite ſexto, libri quinti capite quarto & poſt decimum ſeptimo, libri ſexti capite primo, ſecundo, ſeptimo, octavo, poſt decimum tertio & poſt triceſimum ſecundo, inſuper libri ſeptimi capite primo, præterea libri primi contra Creſconium capite poſt triceſimum ſecundo & tertio, ac libri ſecundi contra eundem capite itidem poſt triceſimum tertio, & libri ſecundi contra Gaudentium capite octavo. Et ſi nunc evolvantur hujus ſancti Patris opera, quibus Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum adverſus eoſdem Donatiſtas defendit, objicit ſe epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam ſecunda ad Glorium, Eleuſium &c. ubi Concilium plenarium conſtituit ſupremum Tribunal controverſiarum Eccleſiaſticarum, duorum faciens mentionem Conciliorum, unius quod jam fuerat celebratum, alterius autem, quod ſuper adhuc erat ce-

lebrandum. Prius deſcripſit etiam Optatus Milevitanus in primo adverſus Parmenianum libro; poſterius ſive neceſſarium fuerit tunc, ſive non, Auguſtino judice reſtabat celebrandum, quod neutiquam cenſuiſſet, niſi fuiſſet ad ejus mentem Tribunal ultimum vel ſupremum, ad quod cauſas Eccleſiaſticas ferri oporteret. Utrumque perſtringit Auguſtinus idem epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam ſexta & ſeptima. Succedunt libri contra Pelagianos, in quibus refutandis æque ac in Donatiſtis, non Pontificem Romanum tantummodo, ſed Concilium Epiſcoporum conſtituit ſupremum religionis controverſiarum judicem. Id docet in libri primi contra Pelagium & Cœleſtinum de peccato originali capite poſt decimum ſeptimo, item in Breviculo Collationum cum Donatiſtis, & in Collationis tertiæ dici capite duodecimo, uti & in libri ſecundi retractationem capite poſt triceſimum tertio, & alibi ſæpius, ubi judicium Arelatenſe dicitur & tranſmarinum, non utique quod unus, ſed quod plures celebrarunt Epiſcopi; atque ſic Epiſcopale Sedis Apoſtolicæ judicium Auguſtino eſt, quod Romanus & plures alii Sacerdotes deducunt, Romana vero Eccleſia eſt univerſa, quia Civitatis Romanæ clerum repræſentat, quod porro patet ex libri primi contra Julianum capite quarto, libri ſecundi ad Bonifacium capite tertio, & libri quarti ad eundem capite duodecimo, præterea ex Sermonis ſecundi de Verbis Domini capite decimo, libri ſecundi contra Parmenianum capite poſt decimum tertio, libri contra epiſtolam fundamenti capite quinto, libri de unico baptiſmo contra Petulianum capite poſt decimum ſexto. His ſubjicit & oſtendit Launojus, Auguſtinum non interpretari vindicata hactenus tria Scripturæ loca, uti Bellarminus interpretatur intendens probare, ſummum Pontificem, cum totam docet Eccleſiam, in his, quæ pertinent ad fidem, nullo caſu poſſe errare. Et quidem primum ex Luca dicit eum interpretari in epiſtola poſt ducenteſimam & quinquageſimam ſecunda ad Johannem Epiſcopum contra librum Pelagii, in libri de corruptione & gratia capite ſexto, octavo & duodecimo, in concione ſuper Pſalmum centeſimum decimum & octavum decima tertia & quinta, in libri ſecundi contra Julianum, operis ſecundi, capite poſt ducenteſimum & viceſimum ſeptimo, item in duobus Conciliis, Carthaginenſi & Milevitano, quibus interfuit, & ubi doctrinæ tenuit principatum, ac inſuper ſub utriuſque nomine ſcripſit literas ad Innocentium Pontificem hujus nominis primum, quas utrumque Concilium adprobavit, quibuſve Innocentius reſpondit, ac Auguſtini expoſitionem confirmavit. Secundum ex Mathæo notat eum interpretari in epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam quinta ad Generoſum &c. In Pſalmo contra partem Donati, libri item primi de Symbolo capite ſexto, Tractatu poſt centeſimum & viceſimum quarto ſuper Evangelium Johannis, & libri primi retractationum capite poſt viceſimum primo. Tertium ex Johanne ſignificat eum interpretari in libri de Agone Chriſtiano capite triceſimo, in Tractatus de Paſtoribus capite poſt decimum tertio, in Sermonis poſt centeſimum ſexti de Diverſis capite decimo, & octavi capite quarto, præterea in Pſalmum centeſimum & octavum. Adduntur etiam loca, in quibus Petrum à Paulo reprehenſum eſſe diſputat Auguſtinus, nominatim in expoſitione Pauli epiſtolæ ad Galatas, in epiſtola poſt decimam nona ad Hieronymum, libri ſecundi de baptiſmo contra Donatiſtas capite primo, & libri ſexti de eodem adverſus eoſdem capite ſecundo, libri ſecundi contra Creſconium capite poſt triceſimum ſecundo. In cumulum adcedunt epiſtola Synodi Africanæ, cujus magna pars fuit Auguſtinus ad Papam Cœleſtinum, quam habet Codex Canonum Eccleſiæ Romanæ & Africanæ, caput quoque nonum libri ſecundi de baptiſmo contra Donatiſtas, caput quinquageſimum & ſextum Enchiridii ad Laurentium, & tandem caput triceſimum & tertium libri primi contra Creſconium, in quibus locis omnibus & ſingulis ea habet Doctor ſanctus, quæ lemmati Bellarmino poſſunt opponi, nobis vitandæ prolixitatis cauſa locorum citatione contentis, quæ Lectori Veritatis ſtudioſo poteſt ſufficere ad ipſam eorum evolutionem, ſi adcurationis notitiæ tenebitur deſiderio, cum opera Auguſtini non rara ſint, ſed in omnibus fere eruditorum

rum Bibliothecis aliquem occupent locum, præſertim ubi nuper demum iterata vice fuerunt recuſa.

Bellarminus *ibid.*

Privilegium non errandi Romano Pontifici porro adſerturus ſic ſcribit ſub finem capitis: plurimas hæreſes Pontifex Romanus ſine Concilio generali damnavit, ut Pelagii, Priſcilliani, Joviniani, Vigilii, *aliorumque multorum, quas eo ipſo pro veris hæreſibus tota Chriſti habuit Eccleſia & exhorruit, quod à Pontifice Romano damnatæ eſſent. Ergo ſignum hoc eſt, totam ſentire Eccleſiam, Pontificem Romanum in rebus ejuſmodi errare non poſſe.*

Launojus Tom. V. *Epiſt.* 2. *p.* 41. *& ſeq.*

SEquentem ſuperinde cenſuram ſcripſit: Bellarminus ad pauca reſpicit, & facile pronuntiat, cum iſtud objicit argumentum. Nonne enim plures Epiſcopi, quorum nomina partim in examine eorum, quæ ad primam hujus capitis partem pertinebant, ſunt adducta, diverſas hæreſes ſine Concilio generali proſcripſerunt? Hiſne ob illud non errandi privilegium concedet? Ad hanc obſervationem tota contabeſcit opinio Bellarmini, & depromtum ab experimento argumentum funditus evertitur. Pauli certe Samoſateni de Chriſto ſententiam pro vera hæreſi tota habuit Eccleſia, quod illam Synodus Antiochena confixerit. Ergo Bellarminus inquiet, ſignum eſt, totam ſentire Eccleſiam, Pontifices, qui Synodo Antiochenæ interfuerunt, in ejuſmodi rebus errare non poſſe. Hoc autem ſi recipiat, captus eſt; ſi non recipiat, nullus Res ita ſe habet: Damnatam à Synodo Antiochena Pauli Samoſateni hæreſin pro vera hæreſi bene damnata univerſa habuit Eccleſia, cui privilegium non errandi conceſſum eſt à DEO. Sic quoque dicendum eſt de illis hæreſibus, quas Pontifices Romani Concilio generali damnarunt. Præterea, etiamſi Pontifices Romani ſine Concilio generali hæreſes Pelagii & Priſcilliani damnaverint, non tamen ſine Conſilio Epiſcoporum damnarunt, quod diſſimulat Bellarminus. Et quidem de *Pelagiana* hæreſeos damnatione agit Auguſtinus capite primo libri poſterioris retractationum. Quid vero Conciliis Africanis tribuat Innocentius, teſtatur cum epiſtolis Concilii Carthaginenſis & Milevitani reſpondet, quæ ſi Bellarminus vidiſſet expendiſſetque, non ſcripſiſſet talia de Pontifice Romano. De damnata vero hæreſi *Priſcilliana* vel fucum facit, vel patitur Bellarminus, utpote quam non Pontifex Romanus, ſed Synodus Cæſarauguſtana proſtravit, teſte Severo Sulpitio in poſteriore libro Hiſtoriarum. Fortaſſis autem reſpicit Bellarminus ad Leonem primum, quo Pontifice hæreſis Priſcillianiſtarum cœpit reviviſcere & lacertos movere; ſed fruſtra reſpicit, cum res hæc ab ipſo Leone in epiſtola poſt nonageſimam tertia ad Turribium Aſturicenſem Epiſcopum narrata cauſæ, Bellarmini non prodeſſe, ſed obeſſe poteſt. Sic *Joviniano* Conciliis duobus eſt proſcriptus, Romano & Mediolanenſi. Illo, quod Siricius habuit, uti teſtatur in ſua ad Eccleſiam Mediolanenſem Epiſcopo, quæ ſexta eſt in primo epiſtolarum Ambroſii libro; hoc autem quod Ambroſius ſeptima libri ejuſdem primi epiſtola exequitur. Quoniam vero Concilii Romani judicium præceſſerat, & juſte fuerat latum, Ambroſius ex parte Concilii Mediolanenſis ſic ſcripſit Siricio: Scias, apud nos quoque ſecundum judicium tuum eſſe damnatos, nimirum Joviniani adſertos. Atque ſic Concilii Romani judicium decreto Concilii Mediolanenſis fuit confirmatum. Quia vero nec Romanum, nec Mediolanenſe fuit generale, Bellarminus dicit, Jovinianum ſine Concilio generali damnatum fuiſſe, atque ex eo colligit, Pontificem ſummum, cum totam docet Eccleſiam, in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu poſſe errare. Quæ autem & qualis hæc ratio diſputandi, quæ item & qualis conſecutio? Porro Siricius

DEO Christianis imbuit Institutionibus. In proxime sequentibus utitur verbis Gregorii Pontificis hoc nomine primi, qui in duabus ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum, Epistolis de eo scripsit, *quod de Petri Cathedra sit locutus*; quæ Gregorii verba, inquit Launojus, cujusdam Paræmiæ speciem præ se ferunt, per quam, qui verum dicit, Petrus per os illius loqui vel de Petri Cathedra locutus dicitur. Sic, porro scribit, Ecclesiastes, dum concionatur egregie, vel convenientem Pauli documentis habet Sermonem, Paulus ore illius adscritur locutus, vel etiam alter Paulus vocatur; & tamen dicendus non est universim non errandi privilegio gaudere, sicut nec universim gavisus fuit Eulogius, tametsi ipsius Gregorii testimonio de Cathedra Petri fuerit locutus. Huc factum spectat Conciliorum, ubi sicut Magistratibus & Principus, sic etiam Pontificibus & Episcopis fuit adclamatum, prout inprimis à Synodo Calchedonensi constat. At quis propter eas reciperet, Judices, qui Conciliis interfuerunt, simpliciter nec errare, nec falli potuisse? Nimirum, Adclamationes illæ in subjecta defiguntur materia, nec inde ad quidlibet aliud in eventu quocunque conficiendum refigi possunt aut debent. Sic ergo Gregorius etiam, cum Eulogium de Petri Cathedra dicit locutum, materiam respicit, de qua sermo erat, non vero personam, quæ, cum de Petri Cathedra loquitur, hinc certo & sine ullo erroris periculo ac formidine loquatur. Scilicet, cum Eulogius verum dicit, loquitur de Petri Cathedra; cum vero falsum, de Petri Cathedra non loquitur, atque sic singulare, non commune loquendi privilegium est. Post adductum hanc in rem Gregorii Pontificis hoc nomine secundi testimonium, de quo infra adversus Bellarminum agetur, à sequentium Seculorum Actis quædam porro profert, quæ huc videntur inservire. Exempli gratia, Lucæ Tudensis Episcopi à secundo contra Waldenses libro verba, scribentis: *Antistiti Romano credendum esse à fidelibus, ubi manifesta Scripturæ S. non resistat authoritas.* Quibus verbis censet Author, errare Antistitem Romanum posse contra Literas Sacras, nec illi minus erroris in docendo, quam aliis tribuit Præsentibus, quæ enim de Antistite Romano pronuntiat, in quemcunque alium Antistitem, qui multa Catholice proferret, facile possunt traduci. Ita sub Bonifacio hujus nominis octavo & contra eum adducuntur Literæ Philippi pulchri Regis Galliarum, quas suo, & Præsulum Gallicanorum & Theologorum Parisiensium nomine ad Clementem quintum misit, in quibus talia leguntur verba, unde constat, Pontificem Romanum à Cathedra pronuntiare non esse seorsim à Sede sua, sed una cum ea & adprobante potissimum Concilio pronuntiare. Similiter Johannes Papa post vicesimum secundus suo docuit exemplo, errare eum posse, qui à Cathedra pronuntiat, sicut ille contra Ecclesiæ Romanæ traditionem & Fidei Symbolum non semel pronuntiavit, *animas Beatorum quamlibet purgatas DEUM ante supremum Judicii diem non esse visuras*, cujus rei causa ad binas à se Epistolas provocat Launojus, à quibus pertinentia suo proferentur loco. Præter hæc alia insuper producit documenta hanc rem egregie illustrantia. Johannes videlicet Gerson, Cancellarius Parisiensis, in Tractatu peculiari, utrum liceat in causis Fidei provocare à Pontifice, hoc inprimis habet, *quod in causis Fidei nulla determinatio judicialis Episcopi, imo nec Papæ præcise, ut est Episcopi vel Papæ, ligat fideles ad credendum, quod ita sit de veritate Fidei, sicut prætendit ejus Declaratio, quoniam tam Papa, quam Episcopus sunt deviabiles à Fide.* Atqui hoc Glossæ loco Launojus subjungit, Determinatio judicialis apud Gersonem est eadem ac illa, quæ ex Cathedra fieret, uti nunc loqui mos est. Gersonem sequitur Vestatus in secundæ partis Defensorii capite tricesimo scribens: *Jura supponere, Papam posse hæreticum effici, & confirmari Experimento, cum Marcellinus fuerit hæreticus* &c. Et in Præfatione ad Matthæum, *Quemlibet hominem, quantumcunque sanctus sit, & quantæcunque potestatis, posse errare in Fide & hæreticum effici, sicut de multis legatur Pontificibus, ut Libero &c.* Launojus mentem Testati sic explicat, quod Pontificem Romanum perinde habeat, sive loquatur & definiat ex Ca-

Cathedra, ſive non, quomodocumque enim intelligatur, Pontificem errori obnoxium accipere. Hinc falluntur ii, inquit, qui putant, verba hæc, de Cathedra loqui ſeu definire, in Pontifice Romano cujuſcunque erroris vacuitatem importare. Fingunt nimirum, quod volunt, qui ad pauca reſpiciunt. Succedit Johannes Turrecremata Cardinalis, libri de Eccleſia tertii capite poſt ſexageſimum quarto docens, ***In Materia ab Eccleſia nondum definita magis regulariter ſtandum eſſe Judicio Patrum totius Concilii, quam Pontificis Romani.*** Launojus iterum pro more addit, uti in Teſtato, ſic in Turrecremata perſpicitur, decantatum illud ab imperitis, à Cathedra definire, immunitatem in Definitione Pontificia nullam ſimpliciter & abſolute præ ſe ferre. Nicolaus quoque Cuſanus libri de Concordia Catholica ſecundi capite poſt decimum octavo rem breviter ſic determinavit. ***Cum Pontifex Romanus ſit membrum illius Eccleſiæ, quæ Chriſti corpus eſt myſticum, & infallibilitas non cuilibet membro, ſed ſoli Eccleſiæ ſit promiſſa, tunc non eſt dubium, quin poteſtas indeviabilis ligandi & ſolvendi totius Eccleſiæ ſit ſupra poteſtatem Pontificis Romani.*** Cuſanus non diſſeruiſſet hoc pacto, ſi, cum Pontifex à Cathedra ſeorſim à Concilio definiat aliquid, cum ſine ullo erroris periculo credidiſſet definire. Id neutiquam advertunt, qui verba hæc, à Cathedra definire, tam importune quam inconſiderate objiciunt uti oraculum, quod inſtinctus adflatuque Divino falſum eſſet. Eo tendit Dionyſius Carthuſianus, libri primi de authoritate Papæ & Concilii capite poſt trigeſimum primo hæc habens, ***Cum Papa poſſit errare in Fide & Moribus & cæteris, quæ ſunt de neceſſitate Salutis, ejus judicio non videtur ultimate ac certitudinaliter ſtandum in iſtis, cum non ſit infallibilis regulæ, nec indeviable fundamentum.*** Videlicet, quæ iterum Launoii eſt additio, Judicium illud, quod Pontifex ferret, ferret à Cathedra, nec ea tamen ferret authoritate, cui privilegium non errandi neceſſario conjungeretur, ut conjunctum Nugatores quidam Theologiæ veteris ignari occinunt. Pariter Hadrianus Pontifex hoc nomine ſextus in librum quartum Sententiarum de Miniſtro Confirmationis agens, non titubanter, ſed certo pronuntiavit, ***Certum eſſe, quod Pontifex Romanus poſſit errare etiam in iis, quæ Fidem tangunt, hæreſin per ſuam determinationem aut Decretalem adferendo.*** Atqui, inquit, Launojus, hæreſin per ſuam determinationem aut Decretalem adferere, idem eſt, ac hæreſin ex Cathedra pronuntiare, ut exinde pateat liquido, in veterum Theologorum Scriptis tyrones & peregrinos exiſtere, qui verbis, à Cathedra pronuntiare, privilegium non errandi ineſſe ſibi perſuadent. Silveſter Prieras, ordinis Prædicatorum, in Summa, ſub verbo, Concilium, Concluſione tertia ſic docuit: ***Sicut non errat Eccleſia perſeveranter, ita etiam Papa, quamdiu eſt caput Eccleſiæ, & ut caput Eccleſiæ, id eſt, utens adjutorio membrorum Eccleſiæ per Concilia &c.*** Ergo Prieratis Concilio Papa non definit ut caput Eccleſiæ, niſi jungatur Concilio; atque ſic cum loquitur è Cathedra, certo loquitur & ſine ullo erroris periculo. Jodocus Clichtovæus in Compendio Veritatum &c. pro adſertione tertii Senonenſis Concilii Provincialis Decreti etiam hoc confirmavit, ſcribens: ***Regula totius Eccleſiæ directiva non eſt judicium ipſius ſummi Pontificis, cum ipſa nequaquam in DEI gratia ſit confirmatus, & falli poſſit atque in errorem prolabi.*** At, ſi judicium ſummi Pontificis, & quatenus ille publicam gerit adminiſtrationem, errori eſt obnoxium, uti obnoxium eſſe hoc in loco dicitur, falluntur egregie, qui contrarium in ſe recipiunt, rati ſuo ſenſu ſatis eſſe, dicere, Romanum Pontificem à Cathedra, & prout publicam ſuſtinet perſonam pronuntiaſſe, ut is certo & ſine ulla erroris ſpecie credatur pronuntiaſſe. Franciſcus Torrenſis libro tertio de ſummi Pontificis ſupra Concilium authoritate, quod ſit pronuntiare à Cathedra, ſic tradit: ***Si Pontifex mature & Canonice, hoc eſt, cum Concilio Eccleſiæ aliquid grave ac neceſſarium ad Chriſtiane vivendum decernat, errabit nunquam.*** Conceptis ferè verbis, addidit Launojus, diſtinctionem exhibet, qua Pontifex Romanus in perſonam privatam & publicam, in loquentem è Cathedra & non loquentem diſtinguitur, ſed non efficit apud

Tor-

Digitized by Google

Torrenſem hæc diſtinctio, ut Pontifex Romanus de rebus Fidei & Morum extra Concilium Eccleſiæ dicendus ſit pronuntiare abſque errore. Hunc imitatur Johannes Vigverius, ordinis quoque Prædicatorum, in Inſtitutionibus Eccleſiæ, qua parte de condendi Symboli poteſtate Quæſtionem agitat, ſic ſcribens: *Summus Pontifex ſi procedat, atque pronuntiet ut ſummus Pontifex, ſive ut Papa, quando obſervat ritum in Conciliis Apoſtolorum, & Sanctorum Patrum definitionibus obſervari ſolitum, utputa, quando vocat Concilia Epiſcoporum, & inſtat inſtareque facit orationibus, atque invocat Spiritum Sanctum, cujus aſſiſtentia Eccleſiæ eſt promiſſa, imo & ipſomet talibus ſe adfuturum pollicitus eſt congregationibus, & non patitur ipſum errare.* Non oportet, ſubjicit Launojus, rem lucidiſſimam externis luminibus admotis illuſtrare. Ut alii & alia nunc propter brevitatem omittantur, quorum hinc inde ampliorem circa hoc argumentum fecit mentionem Launojus, poſt plura hanc in rem adducta & examini ſubjecta, tandem ad verba à Bellarmino præſcripta devenit, quibus infallibilitatem Pontificis probare conatus eſt per Interceſſionem Chriſti pro Petro, *ne deficiat Fides ejus*, id eſt; prout Bellarminus explicavit, *ut ſedem non deficiat in Throno ejus prædicatio veræ fidei*, hac ſubjuncta Epicriſi: Quaſi vero Chriſtus DEUM Patrem ſic oraverit, ut ejus orationem ſine ulla Patrum & Eccleſiæ traditione convertas, quamcunque in partem volueris, atque ad Propoſitionum duarum uſque adeo diſſimilium probationem adhibeas. Sed quo tempore Bellarminus opinionem ſuam probabilem & piam nominat, eodem Dominicus Bannes in ſecundam Secundo, Quæſtione prima, Articulo decimo, Dubio ſecundo graviter eam infectatur, ſcribens: *Quamvis hæc opinio præ ſe ferre videatur pietatem quandam, & dignitatem Pontificiam extollere, re tamen bene inſpecta parum eſt pia, quin potius Dignitatem Pontificiam minuit, quia nihil eſt pium, niſi quod idem eſt verum.* Quidquid id eſt, pergit Launojus, Chriſto facit injuriam Bellarminus, cum illius abutitur verbis, ac vehementer impingit in Fidei Tridentinæ regulam, quæ præcipit, ut nullus unquam, niſi juxta Patrum unanimem conſenſum accipiat & interpretatur Scripturam. Hanc regulam ſi advertiſſet, quæ in utraque differit Propoſitione, reliquiſſet in præteritis; ſed inveterata Pontificibus conſuetudo non permiſit. His ubi iterum ſubjunxit varia Launojus ex Tanuero, Duvallio, Cellotio, Bagotio, Zacuando, Comptono, novitiis Scriptoribus, cuncta contrahens in ſummam & certa quædam capita, ad *ſextum* hoc obſervavit non prætermittendum: Apud recentiores noſtros Authores hæc Propoſitio, Summus Pontifex agens ut Pontifex ſummus vel ut caput Eccleſiæ, ſenſum objicit duplicem. Sunt, qui Pontificem Eccleſiæ vel Synodo conjungunt; ſunt vero etiam, qui eum ſejungunt. In ſenſu priori privilegium non errandi Eccleſiæ vel Synodo, quatenus Eccleſiam repræſentat, intelligitur ineſſe quo pacto probatur, Synodum errare non poſſe, quod repræſentet Eccleſiam, quæ errare non poteſt; in poſteriori Privilegium non errandi reſidet in ſummo Pontifice, etiamſi Synodo non conjungatur. Sed qui ſtatuunt hoc, non advertunt, dare ſe anſam dicendi, quemlibet Epiſcopum agentem, prout Epiſcopus eſt, errare non poſſe; ſiquidem Epiſcopale Munus, prout tale, Epiſcopum ab errore revocat, tantum abeſt, ut eum ad errorem inclinet. Sic religio Chriſtiana, in quantum eſt Chriſtiana, fidelem nullum inducit ad peccandum. Non capiunt, aut certe nolunt capere hi, quo reduplicantes particulæ apud Dialecticos pertineant. Homines nimirum perverſe ingenioſi privilegium non errandi, quod uni Romano Pontifici volunt adſerere, contra propriam mentem cum Epiſcopis & univerſis Chriſtianis communicant, hoc eſt, nimis probant, ac proinde nihil prorſus. Exempli gratia, dum in fide errat Epiſcopus, non errat, qua Epiſcopus eſt, ſed homo, qui Epiſcopus eſt, hoc concretum errat, vel malitia, vel ignorantia. Sic dum peccat Chriſtianus, non peccat, qua Chriſtianus eſt, ſed homo, qui Chriſtianus eſt, hoc conjunctum, peccat, infirmitate ſcilicet, qua circumdatur. Aliud eſt Propoſitio reduplicantibus particulis adfecta, aliud

non

non adfecta; quod qui nescit, infautissimus sit Dialecticus oportet. Hæc autem cum ita se habeant, quid de Bellarmini & similium Propositione fieret. Si præ se ferant, reduplicante particula licitum esse tantum uti, dum hac in Quæstione de Pontifice Romano agitur, nulli sunt & ridebuntur; si non præ se ferant, capti sunt, & illorum Propositio in vagum fatiscet pulverem. Fortassis id facient, quod plerique solent ἀκατάσκευοι facere, videlicet, principium petent & continuo in vitium puerile per summam incurrent insciti am. Ad *octavum* summæ caput hæc Launojus notavit: Anni sunt abhinc plus minus ducenti, postquam non nulli Curiæ adulatores Quæstionem hanc in Scholis tractarunt acrius, sed non omnes eodem modo & forma verborum. Antiquiores dicunt, Pontificem in publico Fidei judicio errare non posse; Recentiores autem, eum à Cathedra loquentem errare non posse. Ab illis quidem Theologis aliquid mutatum est in verbis, sed in Doctrina nihil est mutatum; quod autem inter utrumque loquendi modum penes verba discrimen intercst, ad tyrones & Theologiæ candidatos tantum refertur. Antiquiorum modus & forma loquendi, quia facilius percipitur, minus continet Mysterii, Recentiorum vero, quia minus facile percipitur, plus objicit Mysterii. Quocirca statim atque Scholares, Pontificem è Cathedra locutum esse, inaudiverunt, Divino quodam Spiritu adflari videntur, atque ad tuenda Magistri dictata incredibiliter adcenduntur & exardescunt, quod non eveniret, si diceretur, Pontificem in publico Fidei Judicio decrevisse. Sic orbi fumus venditur, sic ad populum phaleræ comparantur. Ad caput *decimum & quartum* hæc habet: Quamvis rei unius natura sit una, & una proinde definitio, formula tamen hujus, de Cathedra loqui, multiplex & varia Seculo posteriori confecta est definitio, qua unusquisque Author propriæ definitionis faber sibi canit & blanditur; & quæ uni adridet, quia suis favet placitis, alteri non adridet, quia suis obsicit placitis, atque sic tota definitio posita est in arbitrio definientis. Hinc effectum est, ut Theologi in tam varias & multiplices ejusdem rei definitiones abierint, nec adverterint, definitionem hujusmodi multitudinem esse earundem ἀνοίαν & nullitatem, si apud literatos hoc uti licet verbo. Id tamen non impedit, quo minus non nulli homines formulam hanc, ex Cathedra loqui, semper in ore habeant & sibi persuadeant, aliisque volint persuadere, in verba hæc, quæ vix numerum faciunt, Scripturæ S. medullam, Patrum & Conciliorum doctrinam, Antiquitatis totius eruditionem, & quidquid est in Traditione certum, confluere & conjungi. In summa, si verum amamus, plane dicendum est, formulam hanc, ut à quibusdam minutis Curiæ Theologis adulatoribus nunc accipitur certam esse tesseram & signum Eruditionis falsæ, quo quis agmen hominum minus peritorum veluti Miles gloriosus penetrat, dicti ac facti sui conditionem circumspicit, & occurrenti cuicunque, tametsi fuerit Plato vel Aristoteles, Hieronymus vel Augustinus, obstrepere non dubitat.

Additio prior.

HUic Quæstioni uberius illustrandæ ea possunt inservire, quæ Launojus habet Partis quartæ Epistolæ & quinta & sexta, ex quarum utraque Lectori quædam notatu digna exhibebuntur. Prior earum directa est contra Decretum Inquisitionis Romanæ, Anno hujus Synodi post sexagesimum quinto editum, quod oppositum fuit Censuræ Facultatis Theologicæ Parisiensis in Propositiones aliquas *Amadei Guimonii*, sub quo nomine Theophilum Rainaudum latitasse putat, eas nominatim, quas ad Fidem pertinere statuit, inhærere determinationi Pontificis summi in his, quæ sunt Fidei, imo etiam in his, quæ spectant ad Mores bonos, quia in hujusmodi etiam Ecclesia non possit errare, *& consequenter nec caput ejus*: item de Fide esse, Pontificem errare non posse,

Digitized by Google

poſſe, ita ut adprobet tanquam Evangelicæ perfectioni conſentaneum, quod conſentaneum non ſit, & tam certam eſſe hanc Concluſionem, ut oppoſitum non dubitet eſſe hæreticum, de qua doctrina cenſuit Facultas Theologia Pariſienſis, quod ſit falſa & temeraria. Addit Launojus, Alexandrum ſeptimum tum propter alia, tum propter hoc maxime Cenſuram hanc præſumtionis, temeritatis & ſcandali damnaviſſe in Bulla eodem Anno edita, ex qua depromſit ſequentia: *Notantur aliquæ Propoſitiones cenſura præſumtuoſæ, eaque præſertim, quæ ad Pontificium Romani & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritatem pertinent. Et cum fieri non poſſit ſine publico Religionis Catholicæ detrimento, ut Cenſuræ prædictæ ſine debita Eccleſiæ animadverſione & damnatione remaneant, nos pro Munere Apoſtolico, quo licet immeriti fungimur, ut ſcandalo graviſſimo, quod inde Catholicis poſſit adcidere, occurramus, Cenſuras præfatas uti præſumtuoſas, temerarias atque ſcandaloſas authoritate Apoſtolica damnamus.* Poſtmodum ex ſequenti Decreto Inquiſitorum adducit Propoſitionem ordine & numero viceſimam & ſeptimam; quæ ſic habet: *Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Sequitur hujus & plurium aliarum damnatio, Pontifice Alexandro ſtatuente, prædictas Propoſitiones & unamquamque illarum, ut minimum ſcandaloſas eſſe, damnandas & prohibendas, ita ut quicunque illas aut conjunctim aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut etiam de eis diſputative, publice aut privatim tractaverit, niſi forſitan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit, præterquam in Mortis articulo, ab alio, quacunque Dignitate etiam fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Pontifice Romano abſolvi. His ita expoſitis obſervat Launojus, quamvis videatur Pontifex Alexander Cenſuram Facultatis Theologicæ Pariſienſis infingere, Inquiſitores tamen Romanos potius eam confirmaſſe. Nam, inquit, Guimenius ſive Rainandus Scriptor eſt junior & primus Author Propoſitionum damnatarum, ac ante ipſum nemo eſt Theologorum, qui, quas Propoſitiones is ad Fidem pertinere, vel de Fide eſſe omnino recipit, receperit, vel quam Concluſionem adeo certam eſſe prorſus adſerit, ut oppoſitum non dubitet hæreticum eſſe, ſimiliter adſeruerit, in ſumma, qui Concluſiones illas Fide divina credendas eſſe propoſuerit; quo fit, ut Guimenii Propoſitiones de cauſa duplici non ſint probabiles. Primo, quod Inquiſitores Romani Alexandro probante ſic decernunt, cum Adſertionem, *Si liber ſit alicujus &c.* ad minimum ut ſcandaloſam repudiant, atque cum id faciunt, non obſcure ſignificant, minori nota adfici non poſſe, poſſe autem majori. Id videtur extra controverſiam. Johannes enim Major, Theologus Pariſienſis, qui ante Seſqui-ſeculum claruit, in tertium Sententiarum, diſtinctionis poſt triceſimam ſeptimæ Quæſtione viceſima & ſexta ſcite hanc in rem ſcripſit. Non minus eſſe hæreſin, adſerere, aliquid eſſe de Fide, quod nullatenus eſt de Fide, quam negare, aliquid eſſe de Fide, quod eſt de Fide. Quidquid autem ſit, ſcribit Launojus porro, Cenſores Romani damnatæ à ſe Propoſitioni non modo detrahunt probabilitatem, ſed eam inſuper etiam ad minimum ut ſcandaloſam pronuntiant, atque ſic tantum abeſt, ut Cenſuram Pariſienſium infirment, ut potius validiſſime confirment. *Deinde*, Propoſitiones Guimenii non ſunt probabiles ideo, quia tam fallaci argumento ad probationem illarum utitur, quo non opinio gignitur, ſed error. Id tale eſt: Eccleſia errare non poteſt, & conſequenter nec caput ejus. Annon autem fraus aperta eſt atque fallacia, cum à conjunctis diſceritur ad diviſa? Atqui ſic Guimenius hoc in argumento diſſerit, cujus fallacia & fraus adhuc magis prodetur, ſi, quid ſit, eſſe caput Eccleſiæ, Gregorio M. interprete diſſamus, qui libri quarti Epiſtola poſt triceſimam octava ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ita ſcripſit: *Petrus primum Eccleſiæ membrum eſt, Paulus, Andreas, Johannes quid aliud ſunt, quam capita plebium ſingularum? Et tamen ſub uno capite omnes ſunt membra Eccleſiæ. Atque, ut cuncta brevi cingulo locutionis adſtringam, ſancti ante Le-*

gem, ſub Lege & ſub Gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris Eccleſiæ ſunt conſtituti; & tamen nemo ſe unquam adpellare voluit univerſalem. Igitur, uti ex hoc antecedente, Eccleſia errare non poteſt, Guimenius colligit, & conſequenter nec caput ejus, id eſt, nec primum ejus membrum; ſic & pari modo colligeret diſputando, & conſequenter nec ſecundum, nec tertium ejus membrum. At, quis eſt tam hebes in plebecula, qui has fallaces concluſiunculas non deprehendat, atque deprehenſas æquo ſuſtineat animo? Poſt adducta Innocentii & Leonis primi, Felicis tertii, Gelaſii itidem primi, Johannis ſecundi, Vigilii, Gregorii iterum & Hadriani quoque primi teſtimonia, quæ Petrum commendant tanquam primum Apoſtolorum, ſic porro Launojus infert: At primum Eccleſiæ membrum & primus Apoſtolorum inter ſe non diſcrepant, aut ſi diſcrepant, non multum diſcrepant. Nunc autem quis ita philoſophatur: Collegium Apoſtolorum, quod Eccleſiam repræſentat, errare non poteſt; igitur nec primus Apoſtolorum, aut ejuſdem Succeſſor? Et qui ſic philoſopharetur, impedire non poſſet, quo minus ex antecedente tali ſimilis deduceretur Concluſio, hæc nempe, igitur nec ſecundus Apoſtolorum, aut ejuſdem ſucceſſor. Diſparem certe philoſophandi rationem nemo adſignabit unquam. Cum autem utraque ratio philoſophandi ſit vitioſa, quia procedit à conjunctis ad diviſa, ex deductis concluſionibus errorem poterit quidem inferre, non vero aliquam conciliare probabilitatem. Veritas hæc argumenta non quærit. Porro, Gregorius antea laudatus contra Guimenium ulterius argumentabitur, in libri quarti Epiſtola poſt triceſimam ſecunda ad Mauritium Imperatorem contra Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſic ſcribens: Univerſa, quod abſit, Eccleſia corruit à ſtatu ſuo, quando cadit, qui adpellatur univerſalis. Qui etiam ejuſdem libri Epiſtola poſt triceſimam ſexta ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum contra eundem ita ſcripſit: Si licenter hoc dici permittitur, honor omnium Patriarcharum negatur; & cum fortaſſe is perit in errore, qui dicitur univerſalis, nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur. Iterum in libri ſexti Epiſtola poſt viceſimam quarta ad eundem Anaſtaſium hoc habet: Ut de honoris veſtri taceam injuria, ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis; univerſa corruit Eccleſia ſi unus cadit univerſus. Sed abſit hæc Stultitia, abſit hæc levitas ab auribus meis. Launojus hiſce ſubjungit, Annon Gregorius uti Johannem Conſtantinopolitanum, ſic & Guimenium impetit? Nonne utrumque paribus ferit armis? Hanc ſcripſiſſet Gregorius, ſi, quod Guimenius vult, ſumſiſſet ſibi? Scilicet ex Epiſcoporum numero Romanum exemiſſet, ſi Romæ & in Eccleſia DEI perſuaſum fuiſſet, Antiſtitem Romanum privilegii, quod illi Guimenius tantum cum adſeveratione tribuit. Sic tandem comparatur tota Gregorii ratiocinatio, ut ea plane concidat ſit neceſſe, ſi verum eſſet, errare non poſſe Pontificem, ad Fidei dogmata pertinere, & hæreticum eſſe judicandum, qui contrarium adfirmet; utpote quæ nova & retro inuſitata ſunt hominis unius junioris placita, atque ex eo capite à Cenſoribus Romanis damnata, ad minimum ut ſcandaloſa, quippe quæ publicam in Eccleſia DEI offenſionem poſſunt concitare, & ruinam importare mentium Chriſtianarum, ut interim fileatur nota gravior, quæ per iſtud, *ad minimum*, infertur. Sed adhuc ulterius progredior, inquit Launojus, ac præ me fero, Guimenium novitate placitorum ſuorum non ſolum reliquere Eccleſiam Romanam, ſed etiam hoſtibus eam prodere, iis nimirum, qui ſenſim à Catholicis ſentiunt per Religionem Netarium faccinus ſic explico, quod alias facile provideri poteſt ac proſpici. Nempè, cum Anno Seculi præcedentis poſt viceſimum primo Leo Pontifex hoc nomine decimus vita functus eſt Menſe Decembri, Sedes per Menſem integrum vacavit. Eccleſia tunc Romana Pontificem elegit Hadrianum hujus nominis ſextum, qui juxta Guimenii opinionem dogmate hæretico jam dudum imbutus & omnino perſuaſus erat. Siquidem, cum adhuc eſſet Theologus & Cancellarius Lovanienſis, iſtud dogma hæreticum tradiderat & omni conatu probaverat

in

Digitized by Google

in Commentario ad quartum Sententiarum, ubi de Miniſtro Confirmationis ex profeſſo atque de induſtria tractat. Et quæ in publicis Lovanienſium Scholis tradidit, ut Cardinalis fieret, revocavit nunquam, nec etiam, ut Romanus adoptaretur Pontifex, quin & inſuper nec factus Pontifex tanquam male & contra fidem tradita retractavit. Eccleſia igitur Romana, cum elegit Pontificem Hadrianum, Doctrinæ huic juxta Guimenii ſententiam hæreticæ conſenſit tripliciter. *Primo* ſecundum Axiomata duo, quæ recepta ſunt in Jure. Unum ſic habet: Error, cui non reſiſtitur, adprobatur; & Veritas, cum non defenſatur, opprimitur. Alterum ita: Facere dicitur, qui, cum poſſit, non prohibet. Sic, ut hæc adpeccantur, Eccleſia Romana Pontificis electi & creati doctrinam adprobat, cui non reſiſtit. Et quia Doctrina hæc judicio Guimenii eſt hæretica, ea hæreticam adprobat doctrinam judicio ejuſdem. *Secundo* juxta Pontifices Romanos, Cœleſtinum hujus nominis primum, Leonem quoque primum, Felicem tertium, Gregorium M. Leonem ſecundum, Gregorium ſeptimum, Urbanum ſecundum, quorum teſtimoniis itidem efficitur, ut Eccleſia Romana electi & creati Antiſtitis ſui doctrinæ, quæ tradente Guimenio eſt hæretica, conſenſerit, & & conſentiendo ſuam reddiderit. *Tertio denique* eſt adhuc alius conſentiendi modus, qui in Romana Commentariorum Hadriani ſuper quartum Sententiarum Editione patuit liquido. Nam ſtatim ac Hadrianus in Pontificem Romanum eſt adſcitus, ejus Commentarii, de quibus agitur, typis Romanis apud Marcellum mandatio, & cum Authore ſuo Virorum illuſtrium Elogiis cumulati ſunt, quo genere Adprobationis nullum fere dari poteſt luculentius. Hæc ubi prolixe recenſuit Launojus, ſubjungit: Dubium eſt nullum, quin certiſſimus ſit conſentiendi modus ille, quem erga Hadriani doctrinam Eccleſiæ adſcribimus Romanæ. Et profecto, ſi res diligenter ex ſeipſa penſetur, ab Innocentii Pontificis hoc nomine tertii ætate uſque ad noſtrum nullus reperitur Pontifex, cui verius conveniant omnia, quæ de Hadriano ſimul leguntur Encomia. Hic autem triplex conſentiendi modus eſt veluti funiculus triplex, qui rumpetur perdifficile. Supereſt modo, ut concedatur, Eccleſiam Romanam ſcienter & prudenter Hadrianum elegiſſe Pontificem, illius Dogmatis Magiſtrum, quod hæreticum eſſe Guimenius contendit. Nam poſtquam Author hic ſibi ſumſit defendendum, ad Fidem pertinere, quod Pontifex Romanus nequeat errare, ſubnectit: Tum certa eſt hæc Concluſio, ut oppoſitum non dubitem eſſe hæreticum. Verum hic non ſiſto, ſcribit Launojus porro, neque pedem figo adhuc. Hadrianus enim, cum jam eſſet Pontifex, in tradita pridem à ſe doctrina perſeveravit conſtantiſſime, cujus rei indicia hæc duo ſunt certa. Unum hoc eſt, quod, cum ad Fridericum Saxoniæ Ducem ſcripſit, ut eum è defenſione Lutheri deterceret, in Epiſtola, quæ ſatis eſt prolixa, & in qua Lutherum acerbe perſequitur, ei tamen editam à Leone decimo Conſtitutionem non objicit, nullum in finem alium, quam quia Hadrianus erat perſuaſus, Conſtitutionem hanc non ea authoritate editam eſſe, quæ falli nequiret. Obſervatio hæc eo ponderoſior videbitur, atque ad rei hujus deciſionem utilior, quo magis ac magis conſiderabitur. Nimirum Leo errores Lutheri graviſſime condemnavit, Lutherus ad Ducem Saxoniæ confugit, illiusque præſidium imploravit. Hadrianus poſtea Ducem hunc compellavit literis, ut Luthero homini factioſo (ſic ſcribere juſſit ratio ſtatus, non ſtatus rationis) & rerum novarum cupido omne denegat auxilium; interea tamen errores Lutheri à Leone condemnatos reliquit in præteritis. Nonne adfectatum hoc eſt in Hadriano ſilentium? Alterum vero, quod in Mandatis Cheregato in Germaniam eunti datis, Conciliis generalibus & Eccleſiæ Catholicæ quidem non errandi privilegium adſcripſit, ſed præterea nomini, hoc modo in priſtina perſiſtens Sententia. Nunc porro in complexionem certam eſt inferendum, Eccleſiam romanam, cum in Pontificem eligit Hadrianum, Theologum judice Guimenio imbutum pravitate hæretica, eidem hæreticæ pravitati conſenſiſſe. Hæc autem & alia cum perſpexiſſet Facultas Theo-

logica Pariſienſis, adſertiones Guimenii relatas confixit, falſas ac temerarias indicans; quod Judicium Cenſores Romani (præter mentem) validiſſime confirmant, qua parte Propoſitionem, *Si liber ſit alicujus &c.* ad minimum ut ſcandaloſam condemnarunt. Quin etiam, quod videbitur fortaſſis paradoxum, duo ſunt argumenta, quibus non male conficitur, Pariſienſes à Cenſoribus argui tacite, quod adſertiones Guimenii relatas nota minus gravi adfecerint. Et primo quidem, cum Inquiſitores junioris & recentiſſimi Authoris lemma ad minimum ut ſcandaloſum rejiciunt, non obſcure ſignificant, graviorem illi notam merito poſſe inuri, eam ſcilicet, qua falſitatis & temeritatis notam ſua vinceret ſeveritate. Deinde, cum mature decernunt, hominem eum, quisquis tandem fuerit, qui damnatum lemma publice vel clam adſereret, ipſomet facto incurſurum in Excommunicationem, à qua non poterit, præterquam in articulo Mortis, abſolvi, niſi à Pontifice Romano. Hæc autem pœna, quæ omnium ſpiritualium eſt maxima, Theologo non imponeretur, qui falſam & temerariam duntaxat Propoſitionem publice vel clam doceret. Nimirum, uti culpæ ſunt variæ, ſic etiam variæ ſunt pœnæ, quibus, qui ſunt rei caſtigantur; & qui minus ſunt rei, pœnis majoribus adfici non poſſunt ſine injuria. Hæc vero cum ita ſint; neceſſario eſt dicendum, fraudulentur obreptum eſſe Pontifici Alexandro, ſi, quæ ex illius Bulla ſunt adducta, in damnatas à Pariſienſibus adſertiones Guimenii flectantur. Vellem, inquit Launojus, ea flecti non poſſe, ne Pontifex videretur idem ſentire, quod Guimenius, & cum eodem ad damnandum pravitatis hæreticæ Hadrianum & Eccleſiam Romanam, quæ Hadrianum adoptavit in Pontificem conſpirare. Quidquid id eſt, & miſſis, quæ re non ſatis comperta partes in diverſas agitarentur, pie credendum eſſe ſic ſtatuo: Alexander Pontifex intelligens, auribus ſuis, non oculis impoſitum eſſe, (verba enim ejus ſub initium Bullæ ſunt, *cum ad aures noſtras pervenit &c.*) Decretum Inquiſitionis adprobavit tum in aliis, tum maxime in eo, quod Propoſitionem viceſimam & ſeptam ſupra relatam adtinet; nam adprobata Propoſitionis hujus Cenſura, quæ ibidem ex ejus Bulla fuit adducta, tacite ſeipſum correxit, quia melius eſt, ſeipſum corrigere, quam corrigi ab alio. Id etiam ita faciendum eſſe didicerat ex Gregorio Pontifice hujus nominis ſexto, qui in libri noni Epiſtola poſt triceſimam prima de ſeipſo ſcite & adpoſite ſic ſcripſit: *Multa tanquam à nobis deferuntur & dicta & ſcripta, nobis neſcientibus; multa enim ſubripi poſſunt nimis ad ſingula intentis, utpote diviſis ad plurima & intentis ad maxima, quibus agitamur vehementer. Unde, ſi quid forte nobis fuit ſubreptum, animus magis optat corrigere, quam deviare ab æquitate vel rationis tramite, vel aliis relinquere corrigenda.* Ita Gregorius. Quin autem Alexandro mens fuerit eadem, quæ Gregorio, exaggerata ejus in adminiſtrandis rebus Divinis atque Eccleſiaſticis prudentia dubitare non ſinit (N B. referri hoc debet ad palpum Alexandro obtruſum.) Nempe, quod Leo Magnus dixit, *manere privilegium Petri, ubicunque ex ipſius æquitate fertur judicium*, Alexander quoque diceret; & hoc tantum habet Leo ſupra Alexandrum, quod ille primus hoc dictum occupavit, Neque etiam Alexander negaret, id ſe poſſe negotio præſenti ſcribere, quod aliquando ſcripſit Alexander tertius ad Archiepiſcopum Ravennatenſem, prout legitur in Decretalibus Gregorii, Titulo de reſcriptis: *Qualitatem negotii diligenter conſiderans aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per literas, quare non poſſis adimplere, cauſam rationabilem prætendas, quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod inſinuatione prava nobis fueris ſuggeſtum.* Atque hæc ſunt, quæ de facto Alexandri & Bulla ejus pie credenda eſſe ſtatuo, ut incommoda, quæ alias inde naſcuntur, maxima & Eccleſia Romanæ injurioſiſſima evitentur. Sed quoniam nihil eſt diſſimulandum, ſcribit Launojus porro, ex Amicorum Romæ viventium literis intellexi, certos quosdam eſſe Curiales Magiſtros, qui in eodem Pieatis ſenſu mecum non conveniant, contendentes, fraudulenter Pontifici obreptum non eſſe, ac rem aliter plane accipientes, dicendo, Alexandrum opinioni Guimenianæ Probabilitatem reſtituiſſe,

quam

Digitized by Google

quam Theologi Pariſienſes ſeveritati cenſoriæ detraxerant. Et ſane, poſſe hoc dici, ſi Quimenius dixiſſet, *eſſe probabile*, ad Fidem pertinere, ſummi Pontificis determinationi inhærere in his, quæ ſunt Fidei &c. item ſi dixiſſet, *eſſe probabile*, de Fide eſſe, Pontificem errare non poſſe, & ita exaratas Propoſitiones à Theologis Pariſienſibus notari falſitatis & temeritatis. Sed Guimenius id neutiquam dixit, ſed ſimpliciter, abſolute & adſeveranter ſcripſit, *Ad Fidem pertinere &c.* Argumentum certe hoc, Eccleſia non poteſt errare, ex quo infert, ergo nec caput ejus, omnimodam importat certitudinem. Nam dicere, probabile eſt, Eccleſiam errare non poſſe, nefas eſſet, quia à contrario dici quoque poſſet, probabile eſt, Eccleſiam errare poſſe, ſiquidem unius opinionis probabilitas alteris opinionis probabilitatem tollit minime, uti apud omnes Philoſophos eſt in confeſſo. Deinde, non dixit, probabile eſt, oppoſitum eſſe hæreticum; ſed ſimpliciter, abſolute & adſeveranter dixit, Concluſionem hanc eſſe tam certam, ut oppoſitum non dubitarit eſſe hæreticum. Curiales igitur Theologi difficultate rei hujus Præpediti ſortiuntur, quid loquantur, & incidunt in reprehenſionem Hadriani Pontificis ſupra laudati, qui de Miniſtro Confirmationis agens ſcripſit: Hoc non probavit, & ita divinare videntur, quod periculoſum eſt in his, quæ Fidem & Mores bonos concernunt. Ad pronuntiatum vero hoc Hadriani quid quæſo fiet Magiſtris Curialibus, qui fucum facere volunt, ſed non poſſunt? Res per ſe patet ipſa, & in bono lumine eſt collocata. Scilicet evidentiſſima producimus, quæ diſtorquere non poterunt, & ſimul probatiſſima, quæ reſpuere non audebunt; niſi forte librum Guimenii, typis iterum mandari & interpolari curent, ut tandem in editione ſecunda reperiant, quod in prima deſideratur. Interea autem, dum hoc exequentur, demus contigiſſe, quæcunque in Somnio viderunt. Examinandum eſt tantiſper, quid profuturum eſſet Somnium, in quo Guimenius dixiſſet, *Probabile eſt &c.* Nam præ me fero, iſtas Propoſitiones quoque ferendas non eſſe, ſed dignas, quæ multis de cauſis cenſoria notentur vigula, quas Scriptores varii hinc inde in medium produxerunt. Nominatim *Petrus de Alliaco*, Cardinalis, in Tractatu de Eccleſiæ authoritate, ac ejusdem capite undecimo, ubi cum ſcripſit, multis videri hæreticum, dicere, quod Pontifex Romanus non poſſit, errare in Fide, comet ipſo oſtendit, contrarium non poſſe videri probabile. Idem in Sermone ſecundo, quem habuit in Adventu coram Patribus Synodi Conſtantienſis, errorem ſtatuit pernitioſiſſimum eſſe, ſi quis dicat, Pontificem Romanum errare non poſſe, procul abjiciens probabilem hac inne opinionem, tantum abeſt, ut admiſerit. Eſtque notandum, hunc Sermonem uti habitum, ita & auditum fuiſſe, nemine auditorum repugnante, imo, conſentientibus Concilii Patribus, inprimis Martino Pontifice hujus nominis quinto, qui poſtmodum electus fuit in Pontificem. *Johannes Gerſon* in Tractatu de Examinatione Doctrinarum, Conſideratione ſecunda hæreſin vocat, ſi quis neget, Pontificem Romanum ſubeſſe Concilio. Hæc autem ſi verum ſit, non poteſt eodem judice non eſſe hæreſis, negare, eum in Fide & moribus poſſe falli. Nimirum ratio, cur Concilio ſubſit, ex eo tota repetitur, quod in Fide & moribus poſſit errare; atque hoc conſtituto nunquam erit probabile, eſſe de fide, quod Pontifex non poſſit errare. *Eugenius* ipſe Pontifex hoc nomine quartus in Bulla, quæ Actione poſt decimam ſexta Concilii Baſileenſis inſerta legitur, Sermone Cardinalis Alliaci cujus, cum adhuc eſſet Cardinalis, auditor & adprobator fuit, perſvaſus, diſſentientibus in cauſa Fidei Papa & Concilio, Concilii potius adtendendam eſſe Sententiam non dixiſſet, ſi contrarium probabiliter dicere potuiſſet; cum unuſquisque in materia probabili potius ſibi, quam alii conſueverit ſuffragari. *Johannes de Turrecremata*, Cardinalis, libri de Eccleſia tertii capite poſt ſexageſimum quarto docuit, in materia Fidei nondum definita ab Eccleſia magis regulariter tantum eſſe judicio Patrum totius Concilii, quam Pontificis Romani; quod non ita pronuntiaſſet Dignitatis Pontificiæ amplificator vehementiſſimus, ſi cenſuiſſet probabile, eſſe de Fide, Pontificem Romanum errare non

poſſe. Adcedit, quod idem tradidit libri quarti capite poſt decimum ſexto, inter alios quosdam modos, quibus præſumitur aliquis errare pertinaciter contra Fidem, hunc decimum & ſeptimum proponens convincendi ſpecialiter Papam de Pertinacia in pravitate hæretica, ſi errorem definiat ſolemniter, & à chriſtianis adſerat tanquam catholicum eſſe tenendum. *Jacobus de Paradiſo*, Carthuſienſis, in Collectorio de Authoritate Eccleſiæ inſanum vocat errorem, dicem, Papam eſſe impeccabilem & indeviabilem, procul diſcedens ab opinione Guimenii. *Hadrianus* Pontifex ſupra jam laudatus, cum loco itidem citato ſcripſit, certum eſſe, quod poſſit errare Pontifex, probabilem de hoc procul amandavit opinionem, ratus, opinionem contrariam Eccleſiæ multa poſſe detrimenta importare. *Fridericus Nauſea*, Archiepiſcopus Viennenſis, qui magna cum eruditionis laude interfuit Synodo Tridentinæ, libri quinti rerum Conciliarum capite tertio cum Turrecremata ſtatuit, in negotio Fidei nondum definito, ſed per Concilium definiendo ſtandum eſſe potius judicio Concilii totius, quam ſolius Papæ. *Clemens Monilianus*, Cardinalis, in Compendii Inſtitutionum Theologicarum capite poſt triceſimum tertio ejusdem fuit Sententiæ cum Turrecremata & Friderico Nauſea, id Romæ non ſcripturus, ſi eſſet probabile, de Fide eſſe, quod Pontifex Romanus non poſſit errare. *Michael Alexandrinus*, itidem Cardinalis, qui pro S. Palatii Magiſtro librum dicti elementis Moniliani adprobavit, & approbando ſuum fecit, hanc approbationem neque ut fieret Pontifex, nec poſtquam factus eſt, Pius ordine & numero quintus; revocavit nunquam. *Johannes Bagotius*, Societatis JESU Theologus, libri de Inſtitutionibus Theologicis quarti Diſputatione tertia, ac ejuſdem capitis primi Sectione tertia concedit, Pontificem, ut aliquid infallibiliter definiat, oportere Concilium aliquid vel Synodum audire, nec male dici tunc, cum loqui à Cathedra Petri ſeu pronuntiare Sententiam, cum audito pronuntiat Concilio. Huic teſtimonio robur adcedit incredibile à Provincialis & hominum doctorum ordinis ſui adprobatione. Tandem notari meretur definitio probabilium, quæ ab Ariſtotele traditur in primo Topicorum libro, ubi dicuntur eſſe probabilia, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his iterum aut omnibus, aut pluribus, aut maxime notis & illuſtribus. At definitionem hanc huic Propoſitioni Guimenianæ quis probet convenire? ubinam omnes, plures ſapientes, & hi iterum omnes aut plures, vel inter antiquos Patres, vel inter illuſtriores à Schola Theologos conveniunt? Certe Bellarminus, cum Quæſtionis hujus ſtatum, *ſitne certum Papæ judicium*, propoſuit, ne unum quidem adduxit Theologum apud quem legatur, tantum abeſt, ut apud plures poſſit legi, quod tamen eſſet neceſſarium, ut definitioni probabilium fieret ſatis. Quo fit, ut, ſi dixiſſet Guimenius vel ſcripſiſſet, quod non ſcripſit, non eſſet probabile, quod ſcripſiſſet eſſe probabile. Id quoque, quod de definitione probabilium ex Ariſtotele fuit obſervatum, transferri poteſt facile ad compoſitæ vel ſimplicis cohærentiæ problema; ſunt enim Artis verba, quæ non licet mutare, quod intelligunt, qui didicerunt philoſophari.

Atque hæc hactenus ex epiſtola priori, ſequuntur, quæ ex poſteriori ad eundem diriguntur Scopum. Huic anſam præbuit Andreas Eudæmon Johannes, ordinis Lojolitici Scriptor, in Epiſtola ſuper Diſſertatione Politica ad Amicum ſcripta, in qua defendendum ſuſcepit, in dijudicandis Fidei cauſis ac moribus Eccleſiæ toti præſcribendis Pontificem Romanum nec falli poſſe, nec allere, addens, hoc eſſe dogma commune Academiarum Catholicarum, non veritus, in earum numero etiam ponere Pariſienſem, quamvis agnoverit, exiſtimare non nullos, eam ab hac Sententia abhorrere. Hoc autem ut probaret, monuit, extare in calce libri Sententiarum quendam contra errores Johannis de Monteſono Tractatum, & quidem, uti ſcribitur in ejus præfatione, ex deliberatione univerſitatis Studii Pariſienſis, & ſpecialiter Doctorum ac Baccalaureorum Facultatis Theologicæ compoſitum, cujus ea ſit Propoſitio prima: *Ad ſanctam Sedem Apoſtolicam pertinet, authoritate judiciali Suprema circa ea, quæ ſunt Fidei, judicialiter de-*

definire. Verum, qua id facilitate adſeritur, ſcribit Launojus, eadem & negatur. Imo, Eudæmon-Johannes Academiis veteribus, quæ religionem Chriſtianam (Romano-Catholicam) coluerunt ſanctiſſime, imponit quod certo poteſt probari. Hinc adducendæ ſunt in medium, expoſituræ, quid ſentiant de lemmate propoſito. Ubi in conſpectum ſimul veniunt Pariſienſis, Andegavenſis, Aurelianenſis, Tholoſana & Bononienſis, & quidem per Acta Concilii Piſani, in cujus Seſſione poſt decimam tertia legitur quidam Magiſter in Theologia Pulpitum adſcendiſſe, & propoſuiſſe Verbum DEI, exaltando Eccleſiam, & adſerendo eam eſſe ſupra Papam, deducens id pluribus ex rationibus, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum, quam ex parte formæ, quæ ſit Spiritus Sanctus, quin etiam ex parte efficientis cauſæ, quæ ſit ipſe Chriſtus, imo ex parte finis quoque, quæ ſit ipſe DEUS in Eccleſia triumphante, cum adpoſitione ſententiæ Univerſitatis Pariſienſis, & quod de eadem opinione eſſent Univerſitates Andegavenſis, Aurelianenſis & Tholoſana. Et huic in Cathedra eadem ſucceſſiſſe dicitur Epiſcopus quidam Italicus, publicans in quadam ſchedula opinionem centum & triginta Magiſtrorum Theologia & plurium Licentiatorum ac Baccalaureorum formalium & totius Univerſitatis Bononienſis, quod ſit conformis opinioni Univerſitatis Pariſienſis. In brevi hac oratione ſunt multa, inquit Launojus, quæ diligenter ac curioſe debent obſervari, id inprimis, quod in eadem Petrus de Luna, dictus alias Benedictus hoc nomine poſt decimum tertius, pro ſchiſmatico atque hæretico declaratus eſt, idque pluribus rationum momentis fuit confirmatum. Neque mirum debuit videri, Benedictum Pontificem judicari hæreticum, aut ſaltem poſſe talem judicari, quandoquidem Eccleſiæ, ac proinde Concilio Eccleſiam repræſentanti ſubjicitur. Nam ſi Pontifex nec in Fide, nec in Moribus poſſet errare, tali non ſubjiceretur Concilio. Si vero ſubjicitur, errare in Fide & Moribus poteſt; ſicut è contrario, ſi in Fide & Moribus poteſt errare, Concilio ſubjicitur. Reſtat ſaltem, ut certa quædam machina, quam Bellarminus & Sectatores illius circa tempus ſchiſmatis adhibent in ſuas diſſecatur partes. Cum namque illis Piſani hujus & Conſtantienſis Concilii authoritas opponitur, ut probetur, Pontificem Romanum Eccleſiæ & Concilio ſubjici, ſtatim reſpondent, utriuſque Concilii authoritatem valere, cum plures ſint Pontifices dubii atque incerti, non item valere, cum unus ſit certus ac indubitatus Pontifex. Atque hæc eſt una pars machinæ, altera autem eſt ejuſmodi, quando conficiunt catalogum Pontificum Romanorum; tunc enim Pontifices, qui poſt Gregorium undecimum uſque ad Martinum quintum ſederunt, non amplius ſunt dubii & incerti. Nam in illo ſuccedit Gregorio undecimo Urbanus ſextus, Bonifacius nonus, Innocentius ſeptimus, Gregorius duodecimus, Alexander quintus, Johannes viceſimus & tertius, Martinus quintus. Clemente ſeptimo & Benedicto poſt decimum tertio rejectis ut falſis Pontificibus; & rejecto quoque poſt Concilium Piſanum Gregorio duodecimo, qui ad Benedicti decimi & tertii exemplum nec Alexandro quinto, nec Johanni viceſimo & tertio ceſſit, atque ſic Clementem ſeptimum, Benedictum decimum & tertium, & depoſitum à Concilio Piſano Gregorium duodecimum in numero Pontificum falſorum ponunt. Urbanum vero ſextum, Bonifacium nonum, Innocentium ſeptimum, Gregorium duodecimum uſque ad Concilium Piſanum, Alexandrum porro quintum & Johannem viceſimum & tertium veris ac legitimis Pontificibus adcenſent Itali authores omnes, multique alii, qui Pontificum Romanorum ſeriem vel in Annalibus, vel in Hiſtoriis, vel in vitis eorum texuerunt. At ſi, ut Bellarminus objectæ Piſani & Conſtantienſis Concilii authoritati reſpondet, illi ſcriberent, hoc modo ſcribere deberent: Gregorio undecimo ſuccedunt dubii & incerti Pontifices Urbanus ſextus, Clemens ſeptimus, Bonifacius nonus & Benedictus decimus tertius, atque ſic de cæteris. Non vero ſic ſcribunt. Et hanc alteram machinæ partem ſic porro adornant Bellarminus & ſectatores ejus. Totum eo redit artificium. Cum agitur de Piſani & Conſtantienſis Concilii authoritate ſupra Pontificem, Gregorio undecimo dubii & incerti Pontifices ſun-

ſuccedunt uſque ad Martinum quintum, Alexander quintus vix excipitur, & cum excipitur, ad breve tempus excipitur, quia ſedit tantum menſibus undecim; cum vero agitur de Pontificum ſucceſſione in Chronicis, in Annalibus Eccleſiaſticis, in vitis Pontificum, Gregorio undecimo ſuccedunt certi & indubitati Pontifices, Urbanus ſextus, Bonifacius nonus, Innocentius ſeptimus, Gregorius duodecimus, quia Clemens ſeptimus & Benedictus decimus & tertius pro ſchiſmaticis & falſis Pontificibus traduntur. Hæ ſunt partes duæ, in quas, prout rerum ſcribendarum opportunitas exigit, machina hæc convertitur, ſed fruſtra & in caſſum, poſtquam fraus & fallacia eſt deprehenſa. Cæterum qui Chronica vel Annales Eccleſiaſticos, vel Hiſtorias vel Pontificum vitas ſcribunt, longe ſinceriores Bellarmino videntur, credentes, Gregorio undecimo vere illos ſucceſſiſſe ac legitime, vel in quorum obedientia vixerunt, vel quos pro certis ac legitimis Gregorii ſucceſſoribus duxerunt, uti jam fuit obſervatum, quo pacto ad Bellarmini tergiverſationem omnis intercluditur aditus. Inſuper Piſanum & Conſtantienſe Concilium non ad Cajetani & Bellarmini, quos ætas illa non vidit, mentem loquuntur, ſed ad authoritatem Scripturæ & Eccleſiæ Catholicæ traditionem, qua manifeſtum eſt, Antiſtitem Romanum Eccleſiæ, Conciliis & Canonibus ſacris ſubjectum eſſe, ſive laboret ſchiſmate, ſive non laboret Eccleſia Romana. His adcedit Academia Viennenſis, quæ in opere, quo Imperii Electorum conſultationi reſpondet, expreſſe docet, quod Spiritus ſanctus per organum ſacri Conſtantienſis Concilii declaraverit aperte, Eccleſiam & Concilium repræſentans eam habere poteſtatem ſuper omnem hominem, etiamſi Papalis exiſtat dignitas. Sic Academia Cracovienſe in Tractatu de authoritate Conciliorum Eccleſiam univerſalem repræſentantium, quem anno ſeculi poſt Chriſto decimi & quinti quadrageſimo & primo ad Uladiſlaum Poloniæ & Hungariæ Regem edidit, poteſtatem Eccleſiæ univerſalis & cujuſlibet Concilii generalis legitime congregati ac ipſam repræſentantis poteſtate Papæ ſuperiorem eſſe docuit. Academia quoque Herfoldienſis in Tractatu, quem ſuper Unione & Neutralitate Principum Electorum compoſuit, Concilii Conſtantienſis Decretum, quo Pontifex Romanus Concilio & Concilii ſanctionibus declaratur obnoxius, in Concilio Baſileenſi innovatum, ratione, authoritate & experientia confirmavit. Inſuper Academia Colonienſis in Tractatu de poteſtate Concilii & Papæ ad Theodoricum Colonienſem Archiepiſcopum ſtatuit, Eccleſiam ſynodaliter congregatam habere ſupremam juriſdictionem in terris, cui omne membrum Eccleſiæ, cujuſcumque fuerit dignitatis, etiam Papalis, obedire teneatur, quam nemo ſine ipſius conſenſu ſynodali poſſit diſſolvere vel transferre, idque patere ex Decreto Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis. De Academia Lovanienſi teſtatur Æneas Silvius in primo de Geſtis Concilii Baſileenſis libro, quod ſequentes in eo concluſiones proponi voluerit, quarum prima fuerit, Veritatem eſſe Fidei Catholicæ, Sacrum generale Concilium ſupra Papam habere poteſtatem. Secunda, generale Concilium legitime congregatum ſine ipſius conſenſu nec diſſolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus poſſe ex authoritate ſua Pontificem Romanum idque ejuſdem eſſe veritatis. Tertia, hæreticum eſſe cenſendum, qui pertinaciter his concluſionibus ſe oppoſuerit. Subdit, Ludovicum Protonotarium has veritates Coloniæ ac Lovanii prædicaſſe, eaſque illinc univerſalis ſtudii authoritate confirmatas reportaſſe. Quidquid id eſt, Hadrianus Papa hoc nomine ſextus, qui Lovanienſis Academiæ Cancellarius fuit, manifeſtiſſime hanc doctrinam ſuo confirmat calculo, quod alibi oſtenditur. Ex hac autem occaſione Launojus contra Bellarminum, qui libri quarti de poteſtate Pontificis Romani capite ſecundo doctrinam Hadriani omnino erroneam & hæreſi proximam indicat, duo obſervat. Primo, quod Eccleſiæ Romanæ injuriam non mediocrem facit, quæ, ſi credatur ei, hominem doctrina omnino erronea & hæreſi proxima imbutum elegit in Pontificem Romanum, neque, ut eam prius ejuraret, coegit; atque ſic negari non poteſt, quin Eccleſia Romana in hoc genere doctrinæ ſuo conſenſerit Pontifici, quod ex teſtimoniis Cœleſtini & Leonis, autriuſ-

triuſque primi, Felicis tertii, Gregorii itidem primi & ſeptimi eſt manifeſtum. Deinde ſecum dimicat Bellarminus, ſtatuens Eccleſiam Romanam particularem errare non poſſe in fide, conatus id demonſtrare nonnullis Cypriani, Hieronymi, Martini Pontificis quinti, & aliorum teſtimoniis. At Eccleſia Romana ſecundum ejus mentem erravit graviter, cum Hadrianum ſententia omnino erronea & hæreſi proxima imbutum elegit in Pontificem, atque ſic tali ſententiæ conſenſit. His ita conſtitutis deſtruit Bellarminus, quod nititur ædificare, dum deſtructa propoſitione ſecunda ſtare non poſſit prima. Cæterum neque Academia Papienſis differt à cæteris, quæ, quo tempore Martinus Pontifex quintus Concilium indixit Papiæ, idem ſentiebant, nempe Pontificem Romanum errare poſſe, & Concilio ſubjici. Jacobus certe Cardinalis Papienſis, qui aliquanto poſt claruit, id non obſcure ſignificavit in epiſtola poſt centeſimam & octogeſimam prima ad Paulum Pontificem hujus nominis ſecundum ſcripta, in qua inter plura, quæ digna ſunt obſervatione, hæc tria inprimis merentur notari. primo hunc Cardinalem non dubitare, quin Pontifex Romanus ſubjiciatur Conciliis generalibus & Canonibus ſacris, qui ab illis ſunt editi, cum velit. Paulum Pontificem Conſiſtorii ſeu Collegii Cardinalium legibus eſſe ſubjectum. Secundo, eum quoque non dubitare, quin privilegio judicii indeficientis careat. Tertio, eundem ſignificare, admodum paucos eſſe, qui diſſentiant. Idem clarius docet hic Cardinalis in ſequenti ad Cardinalem Theanenſem epiſtola, qui inſuper ſecundo Commentariorum libro refert leges præcipuas, quas Paulus Pontifex ſervaturum ſe ſub initium regiminis promiſit, narrans præterea, quod Epiſcopi duo Mediolanenſis & Tarviſinus, quo faciliorem ſibi ad Cardinalatum munirent viam, Paulo malis perſuaſerint artibus, ut illas leges abrogaret, quippe quæ vicariam Chriſti poteſtatem humanis ſubderent conditionibus, efficerentque, ne Pontifex ſeorſim à Cardinalium conſilio & adſenſu gubernaret Eccleſiam. Hinc Paulus, inquit, iſtis adſentationibus & blanditiis delinitus alias fabricavit leges; ſed, cum voluit, ut Cardinales ſubſcriberent illis, atque ad ſubſcribendum vi, metu ac aliis coëgit machinis, luculenter oſtendit, quod oſtendere noluit, ſcilicet, Eccleſiæ Romanæ traditionem ferre, ut Pontifex conſilio Cardinalium ad Eccleſiam regendam utatur. Quorſum namque illos ad ſubſcribendum legibus ſuis adegiſſet? Jacobus autem Papienſis quanta poteſt ratione Cardinales, qui legibus novitiis ſubſcripſerunt, excuſat, proteſtatus, eos nihil aliud habuiſſe in votis, quam ut ſancte gubernaretur Eccleſia. Tandem addit, DEUM non permiſiſſe, ut, qui Paulum artibus nefariis circumvenerant, ſua conſequerentur optata, dum alter ſpe fruſtratus neceſſario receſſerit à Curia, alter ſecreto conſecutus, quod palam conſequi debuerat, ſtatim depoſuerit vitam, neque id videatur conſecutus, niſi ut cum moleſtia majore & graviore fruendi deſiderio relinqueret. Sequitur nunc Academia Senenſis, quæ aliam non habuit doctrinam, quam quæ in Concilio Senenſi eſt declarata anno ſeculi poſt decimum quinti viceſimo & tertio, quorſum pertinet, quod Pius ſecundus de Gymnaſio Senenſi habet in Bulla retractationis, item quod Jacobus Middendorpius in quarto de Academiis libro tradit, Abbatem Siculum & Philippum Decium in hac floruiſſe Academia, utrumque Pontifici Romano privilegium non errandi arrogantem. Academiæ tandem Hiſpanienſes non aliter ac reliquæ ſentiunt, docente id Antonio Cordubenſi, ex ordine Minorum, qui libro quæſtionum Theologicarum quarto, ejuſve prima quæſtione ad octavam propoſitionem ſtatuit, Papam teneri ſtare definitioni Concilii legitime congregati in Fide & Moribus, maxime ſi totius Concilii ſit definitio, provocans ad authoritatem Dominici à Soto & Franciſci de Victoria, utriuſque Hiſpani. Quin & Academiæ, loca & populi omnes apud Latinos, imo Pontifex ipſe Romanus *Eudæmon-Johanni* contradicunt, quod Pius ſecundus iterum teſtatur in laudata retractationis Bulla ad ſtudium Colonienſe, adfirmans, in Concilio Baſileenſi adfuiſſe ſtudiorum Germanicæ Nationis oratores, & uno cunctos ore Concilii generalis authoritatem ad cœlos extuliſſe, & adverſus Concilii dignitatem aliquid mutire crimen hæreſeos fuiſſe,

Digitized by Google

adceſſiſſe etiam ipſius Eugenii Pontificis conſenſum, qui diſſolutionem Concilii à ſe factam revocaverit, & progreſſum ejus adprobaverit, ubi decernente Concilio & Eugenio adprobante Pontifex Romanus Concilio fuit ſubjectus in iis quæ ad fidem, extirpationem hæreſium & generalem Eccleſiæ reformationem in capite & membris pertinent, ac ſimul eidem privilegium judicii indeficientis legitur abrogatum. Pergit Launoius: Cum Academiæ Orientales occurrant nullæ, in locum earum ſuccedit Eccleſia Orjentalis, quæ ad Synodum Florentinam confluxit, in cujus Seſſione nona Beſſarion Eccleſiæ Orientalis ſententiam exponens dixit inter alia, Eccleſiam Romanam, quantacunque etiam polleat facultate, minus tamen pollere Synodo œcumenica & Eccleſia univerſali. Nimirum, Orientales ſequebantur traditionem Majorum, qui Honorium Papam in Synodo ſexta hæreſeos damnarunt. Synodus etiam quinta damnavit tria Capitula, quæ Vigilius Papa in ſuo ad Imperatorem Juſtinianum conſtituto defenderat tota authoritate ſua. Alianorum quoque Præſulum contentio cum Victore Papa demonſtrat perſpicue, tunc maxime ignotum fuiſſe in Pontifice Romano privilegium judicii indeficientis, de quo Hieronymus in libro de Viris illuſtribus, agens de Polycrate, & Irenæus apud Euſebium libri quinti Hiſtoriarum capite poſt viceſimum quarto, ubi prolixe hæc controverſia deſcribitur. Poſt hæc omnia redit ad Academiam Pariſienſem Launojus, vocans calumniam, quam Eudæmon-Johannes & alii perperam ei impingant, ſequentibus circa eam obſervatis. Et primo quidem. Tractatum, ex quo præſcripta propoſitio fuit excepta, anno ſeculi poſt decimum octageſimo & ſeptimo editum eſſe, quo ſcilicet Johannes Monteſonus à Facultatis Theologicæ & Epiſcopi Pariſienſis judicio provocavit ad Clementem ſeptimum, Pontificem Romanum, quem Gallia tum uti legitimum Gregorii undecimi habuit Succeſſorem. Secundo, Tractatum hunc cauſæ totius eſſe veluti conjectionem, in qua judicandi modus ſtatuatur triplex, unus qui Sedem Apoſtolicam, alter qui Epiſcopos, tertius qui Theologos reſpiciat, & in unoquoque judicandi modo proprium unicuique jus adſeri & probari. Tertio denique, Academiam Pariſienſem in hoc Tractatu ſuo Pontificem Romanum à Sede Apoſtolica, vel a Sede ſedentem diſtinguere, & cum agitur de forma judicandi, plus Sedi, quam ſedenti adtribuere, dum è contrario Eudæmon-Johannes plus ſedenti tribuat, quam Sedi, & nihilo tamen minus Academiam Pariſienſem in ſuum ſenſum pertrahere conatum eſſe, ſed fucum feciſſe aut paſſum eſſe, cum allatam propoſitionem non ſatis expenderit, utpote in qua judicialis authoritas ſuprema, quæ Sedi Apoſtolicæ tribuitur, ſuprema quidem ſit Epiſcoporum reſpectu, non autem Concilii generalis quod Pariſienſes ſemper ſupra Pontificem Romanum & ipſam quoque Sedem Apoſtolicam ſtatuant. Nempe quod porro Launojus urget, authoritas judicialis illa, quæ Sedi Apoſtolicæ in laudata propoſitione à Pariſienſibus Theologis adſcribitur, ſuprema eſt comparate, non ſimpliciter; quamobrem ibi non dicitur, definire infallibiliter, ſed judicialiter. Hæc autem patebunt, ſi dicta propoſitio cum alia conferatur, quæ ſic habet: *Ad Epiſcopos Catholicos pertinet, authoritate inferiori & ſubordinata judicialiter definire circa ea quæ ſunt Fidei.* Atque ſic authoritas Sedis Apoſtolicæ judicialis ſuprema opponitur authoritati Epiſcoporum inferiori & ſubordinatæ, non vero Conciliorum generalium, quæ à Theologis Pariſienſibus inferior & ſubordinata nunquam eſt dicta. Cum vero in propoſitione utraque reperiatur, definire judicialiter, hinc oſtenditur, definire judicialiter non eſſe idem, quod infallibiliter, alioquin Epiſcopi ſeorſim à Concilio definirent infallibiliter. Præterea *Eudæmon-Johannes*, ſi Tractatum, quem laudat, integrum legiſſet, Academiam Pariſienſem reliquiſſet in præteritis. Legere quidem non potuit, quia necdum editus eſt. In eo autem, præter alia, duo maxime ſunt loca, ex quibus, quod modo dictum, redditur compertum. Prior eſt in articulo concluſionis ſextæ primo, ubi Sermo de Facultate Theologica & Johanne Papa hujus nominis viceſimo & ſecundo inſtituitur, atque hæc verba ibi leguntur: prædicta Facultas licite hoc (ſcilicet ſententiam ferre) potuit contra Pontificem ſummum, igitur à fortior

tiori etiam contra ſuum inferiorem & ſubditum, id eſt, Johannem Monteſonum, cujus adſertiones Facultas Theologica damnaverat. Adſumtum patuit tempore Johannis viceſimi & ſecundi, quia ſicut refert Magiſter Nicolaus de Lira in Tractatu ſuo de Viſione certifica, Magiſtri dictæ Facultatis fere quadraginta concorditer determinarunt contrarium illius, quod Papa publice adſerebat. Simile fecit dictus Magiſter, & ſimiliter pulchre contra eum ſcripſit Magiſter Guilielmus Okkam, uti patet ex ejus Dialogo. Quæ omnia quoad hoc fuerunt reputata licite facta, ſicut adparuit tempore Benedicti hoc nomine duodecimi, qui ſucceſſor fuit Johannis. Poſterior vero habetur, cum poſt alia reconſentur errores Monteſoni, atque hæc leguntur: Dicendum, quod illud, quod dictus Frater ad Adpellationis ſuæ fundamentum principaliter adſumit, ſcilicet, quod ſolius Sedis Apoſtolicæ ſit declarare, damnare & reprobare; & iterum, quod eorum, quæ Fidem tangunt, ad ſolum Pontificem ſummum pertineat examinatio & deciſio, hoc inquam contineat manifeſtam hæreſin, & ſit dictum ſibimetipſi repugnans & contrarium. Et ideo propter hoc ſolum, ſi nihil aliod erroneum dixiſſet, Eccleſia Romana ipſum deberet cogere ad revocandum. Hæc ſi vidiſſet Eudæmon-Johannes, intellexiſſet facile, quo modo capienda ſit illa Academiæ Pariſienſis propoſitio, quam pravum in ſeipſum interpretatur. Quod autem illa non viderit, nec forſan videre potuerit, excuſandus eſſe videtur. Sed quod non legerit, quid Petrus de Alliaco laudati à ſe Tractatus author præcipuus hac de re ſenſerit, vix poteſt excuſari; debuit enim legere, quæ in Tractatu de authoritate Eccleſiæ ſemel ac iterum ſcripſit. Legere etiam debuit Sermonem ſecundum, quem de Adventu Domini coram Concilio Conſtantienſi habuit; ex his namque locis adparet evidenter, Cardinalem hunc, Virum & doctum & probum in ea fuiſſe ſententia, ut certo crediderit, Pontificem Romanum errare poſſe in Fide. At ſi *Eudæmon-Johannes* neque hujus Alliaci commentarios aut Sermones habuit ad manus, quod ſemel tantum ſint editi, & cito rarius inveniantur; idem cauſari potuit neutiquam de Gerſonis operibus, quæ ſæpius ſunt mandata typis. Gerſonem vero Alliaci diſcipulum fuiſſe, nemo neſcit, & eam ob cauſam Tractatui, de quo agitur, intereſſe potuit, cum ederetur. Sed Gerſon in Opuſculo, quod de Doctrinarum examinatione inſcribit, ſecundum Facultatis noſtræ, inquit Launojus, traditionem explicat & decidit. Quamvis enim adſerat, examinatorem juridicum doctrinarum Fidem tangentium Papam ſupremum eſſe in terris, non definit tamen Papæ privilegium non errandi adjudicare. Præterea dicit quidem Gerſon, Examinator juridicus ſupremus, ſed non dicit, finalis, utpote per quod verbum inter Papam & concilium generale ſtatuitur diſcrimen, quia hoc eſt doctrinarum Fidem tangentium Examinator ſeu Judex ſupremus & finalis vel ultimus, dum è contrario Pontifex Romanus eſt quidem ſupremus, ſed non finalis vel ultimus, ac proinde poteſt falli. Atque hic eſt Facultatis Theologicæ Pariſienſis ſenſus, quem *Eudæmon-Johannes* percipere noluit, aut certe non percepit. Quod autem non perceperit, vel percipere noluerit, Facultatis intereſt parum; quod vero Facultati peregrinum & alienum adfinxit ſenſum, intereſt multum, tum ex rei veritate, quam illa tuetur, tum quod in Veritate hac tuenda traditioni Eccleſiæ Romanæ conſentit, atque à pravis Curiæ Romanæ Magiſtris abjungitur. Conſtat certe, receptæ Facultatis ſenſum anno ab exceſſu Cardinalis Alliaci quarto, & ante Gerſonis obitum menſibus tribus & diebus tredecim, publicis iterum monumentis conſignatum fuiſſe & adſertum, quando nimirum Johannes Saracenus ex ordine Prædicatorum deſignatus in Theologia Magiſter, illum errorem, quem Cardinalis Alliacus Conſtantiæ coram frequentiſſimo Eccleſiæ totius Senatu extinxerat, revocare & excitare voluit, in Actu Veſperiarum hoc lemma, *Quandocunque in Concilio aliquo aliqua inſtituuntur, tota authoritas data vigorem ſtatutis in ſolo ſummo reſidet Pontifice*, propoſuit ad defendendum; Facultas autem Theologica cum id proſpiceret, nefario Saraceni conſilio vehementer obſtitit, eum ad meliorem reducens frugem, qui culpæ convictus lemma ſuum ejuravit, & contrariam illi

veritatem ſic adſerunt: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo Pontifice ſummo, ſed principaliter in Spiritu S. & Eccleſia Catholica.* Facultatis Decanus tunc erat Petrus, Vir prudentiæ ſingularis, Alliaci quondam in Theologis auditor, Gerſonis autem condiſcipulus & contubernalis, qui intra ſacratæ Vetuſtatis limites caſtiſſimos curioſitatis pernitioſæ libidinem compreſſit, & exploſa novitate traditam à Majoribus doctrinam poſteris cenſuit eſſe conſignandam. Hæc autem unicuique Theologo facile fuit animad vertere, ſi duo Præſtanda ſibi duxiſſet. Primo quidem, ſepoſitis non adfectibus modo, ſed opinionum quoque præjudiciis ad Concluſionem, de qua agitur, intelligendam adcedere; quia vir præjudiciis opinionum occupatus omnia ſibi concinere uti cupit, ſic etiam putat. Deinde, cum ita vacuus & liber fuerit, Scriptores rei geſtæ aquales vel ſuppares conſulere, à quibus, quod forſan obſcurum eſt vel videtur, poteſt illuſtrari. Apage enim Doctores illos, qui diſtinctionibus Scholaſticis adſueti certas quærendæ & inveniendæ Veritatis leges negligunt, ut incommodis ſibi Authoribus, quem volunt, ſenſum adfingant. Porro, quæ de variis Academiis copioſe ſunt relata nunc & obſervata, demonſtrant, *Eudæmon-Johannem*, qui celebris eſt è Societate JESU Theologus, neglexiſſe prorſus leges Hiſtoriæ, cum id dogma Academiis Catholicis omnibus, & inprimis Pariſienſi quoque tribuit, quod minime fuit tribuendum. Si per ignorantiam, ut alii plerique, tribuit, excuſandus eſt non nihil; ſi per malitiam adcuſandus graviter; ſi per adſentationem, fœdum crimen Servitutis, uti occultus Sedis Apoſtolicæ inimicus commiſit. Nam Sedis hujus dignitas in ſolius Veritatis profeſſione conſiſtit, non in adulatione vel mendaciis, quæ illam deturpant dignitatem. Hoc Eudæmon Johannes diſſimulat, de quo Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum monuerat Paulum hujus nominis Pontificem tertium, circa quod illud malum execrabile & deteſtandum notari debet, quod nonnullorum Curialium Magiſtrorum Eudæmon-Johanni ſimilium adulatio intulit in Eccleſiam, ac ſine genutibus & lacrimis legi non poteſt. Hodierni enim Inquiſitores aliquid faciunt, quod illam ſuperat adulationem, dum ſub Excommunicationis pœna prohibent legi, quod Paulus ſub Excommunicationis pœna voluit fieri. Proh nefas? Nam ut liber Judici prohibitorio adſcribatur, omnino ſatis eſt, ſi in eo Concilium delectorum Cardinalium laudetur, quod tamen Paulus gratum habuit ratumque, nec alitor potuit habere, cum tam ſevere juſſerit, ut fieret Concilium, cui ſubſcripſerunt Viri exceptione omni majores, Caſpar Contarenus Cardinalis &c. Et ſane, ſi, quod Eugenius hoc nomine quartus in Synodi Florentinæ Proœmio ſic adfirmat, *Ubi ego ſum, cum Imperatore & Patriarcha, ibi eſt univerſa chriſtianorum Synodus, præſertim cum adſint Patriarchæ omnes & noſtri Cardinales*, verum eſſet, Proſules illi, qui juſſu Pauli convenerunt, ob Pietatem & Eruditionem ſummam, qua pollebant, univerſale celebraſſent Concilium. Cardinales enim quatuor, Caſpar Contarenus, Cardinalis Theatinus, poſtmodum Pontifex, Jacobus Sadoletus & Reginaldus Polus multa ſcripſerunt egregie; Fridericus item, Archiepiſcopus Salernitanus & Hieronymus, Archiepiſcopus Brunduſinus, ambo Cardinales facti, operibus egregiis illuſtre nomen poſteritati reliqueruut. Quia & Johannes Matthæus, Epiſcopus Veronenſis, edidit Confutationes, & Eccleſiam Veronenſem ita rexit, ut aliorum Epiſcoporum evaſerit forma. Num vero Abbas Gregorius & Magiſter Palatii aliquid fuerunt lucubrati, me præterit, ſcribit Launojus. Quidquid autem ſit de adducto Eugenii, Pontificis paradoxo, Cardinalis certe Theatinus, cum Pontifex eſt creatus, ſententiam non mutavit. Imo, ubi poſtmodum Romæ diſceptatum fuit, utrum poſſet ſoluere Matrimonium, quod per verba de præſenti erat contractum, ingenue fateri non eſt veritus, quod ipſe & Diceſſores ſui aliquando errare potuerint, non ſolum in hoc, ſed etiam in pluribus aliis rerum generibus. Nunc ſi forte quis dicat, Academias omnes vel certe non nullas mutaſſe Sententiam, reſpon-

det

Digitized by Google

det Launojus, ſi monumentis id non probet certis, mentitur, ſi vero probet, opponendum alli eſt, quod habet Tertullianus libri de Præſcriptionibus hæreticorum capite poſt triceſimum primo, & libri contra Marcionem quarti capite quarto, Hilarius libro ſexto de Trinitate, Baſilius in Epiſtola poſt ſexageſimam prima ad Eccleſiam Antiochenam ſcripta, Ambroſius libri ad Gratianum Imperatorem tertii capite ſeptimo, Hieronymus in Epiſtola ad Panaachium & Occamum, Bonifacius Pontifex hoc nomine primus in Synodo Romana ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum, prout legitur in Lucæ Holſtenii Collectione bipartita, Auguſtinus libri de moribus Manichæorum ſecundi capite decimo, Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus ad Synodi Epheſinæ Patres Cœleſtinus Pontifex hoc nomine primus ad Epiſcopos Galliæ, Sixtus quoque tertius, Cœleſtini Succeſſor, ad Johannem Epiſcopum Antiochenum, Vincentius Lirinenſis, primi adverſus profanas hæretcorum novitates Commonitorii capite tertio & quarto, Facundus Hermianenſis Epiſcopus libri ſeptimi capite ſexto, Caſſiodorus primi de Nominibus Divinis libri capite undecimo, Synodus Toletana ordine & numero quindecima, capite ultimo, Jonas Epiſcopus Aurelianenſis in primo de imaginibus contra Claudium Taurinenſem Episcopum libro, Radulfus Flaviacenſis in caput Matthæi ſeptimum, Bernhardus Epiſtola poſt centeſimam & ſeptuageſimam quarta ad Canouicos Lugdunenſes ſcripta, Bellarminus denique & alii, qui Notas Eccleſiæ diſquirunt, iis adnumerantes Antiquitatem Doctrinæ, quæ in Eccleſiæ ſemper novitati ſit præponenda. Ante omnia autem poteſt ſufficere authoritas Deuteronomii, quæ, quid in re ſimili ſit faciendum, præſtituit capite poſt triceſimum ſecundo, his nimirum verbis: ***Interroga Patrem tuum, & adnuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi.*** Sic authoritate Scripturæ nullo negotio conſtringerentur Academiæ vel homines Academici, qui defixos à Patribus ſuis terminos convellerent, ac aliter ſaperent vel docerent, quam Majores. Hic autem temperare mihi non poſſum, inquit poſt hæc omnia Launojus, quin porro obſervem, Eudæmon Johannem veſtigiis Bellarmini inſiſtentem tria in Eccleſiam intuliſſe mala. Primum eſt, cum Academiis omnibus Cacholicis tribuit, quod minime fuit tribuendum, & non niſi temere vel conſilio potuit fieri. Nempe, temerarii, ſunt præſumtores Eudæmon Johannes, & qui eandem cum illo viam diſputandi inire non dubitant, ac in unius vel alterius novæ opinionis patrocinio omnium Novatorum cauſam adjuvant. Secundum, cum ea rationum momenta ſuppeditavit, quibus Doctores Catholici pugnantes adverſus hæreticos exarmentur. Scilicet novam inducunt doctrinam, eamque pericvloſiſſimam. & inducendo nova hæreticorum dogmata (uti videntur) ſuſtentant. Qua enim fronte & fide, qui doctrinam in religione novam tradit: aliam itidem novam impugnabit? Et tamen hoc genus hominum exclamat perpetuo, Novatores hæretici! Profanas vocum novitates devita. Optime vero; ſed tu ipſe devita, qui illas eſſe vitandas mones. Meram eſſe cum illis colluſionem, dicere non audeo; ſed rem colluſioni ſimilem eſſe, dicere non reformido. Tertium denique, cum Sedem Apoſtolicam bonis omnibus odioſam perinde reddunt, ac ſi hæc dogmatibus novis hujuſmodi reipſa faveret, & ea foveret.

Breves pro Launojo Vindiciæ contra Schelſtratenſem.

IS in prolixa hac Launoii contra Eudæmon-Johannem deductione, quæ plurima notatu digniſſima exhibet, nihil opportunum vidit, quod ſuæ ſubjiceret cenſuræ, præter unicum de Controverſia Paſchali Exemplum, quæ ſub finem Seculi poſt Chriſtum ſecundi Victorem Romanum & Polycratem Epheſinum ad tempus aliquod graviter exercuit, Launonojo circa mentionem ejus ad teſtimonium Hieronymi & Irenæi apud Euſebium provocante, cum videlicet in finem, ut oſtenderet, illo tempore igno-

tum adhuc fuiſſe privilegium Judicii indeficientis, quod hodie Adſentatores quidam genere novo doctrinæ Pontifici Romano præter omnem adſcribere ſolent rationem. *Schelſtratenſis*, Doctor quidem Antverpianus, at nullo adhuc officio vel Beneficio ornatus, huc etiam opera Sedem Romanam ſibi facere propitiam ſtuduit, conatus Victorem Romanum in hujus Quæſtionis adverſus Polycratem agitatione ab omni erroris reatu liberum pronuntiare, ac ſimul docere, eum jam tum poteſtate uſum, ac inerrabilitate gaviſum eſſe, quæ cunctis Pontificibus Romanis adſcribitur, oſtenſurus, Launojum præter debitum hoc Exemplum protuliſſe in medium, abuſum inſuper teſtimonio Hieronymi & Irenæi apud Euſebium. At, ſi dicamus, eum potius Launoii & Polycratis, quam Victoris partes egiſſe, à Veritate non aberrabimus, quod per partes breviter ex ipſa ejuſdem deductione Lectori ponetur ab oculos. Sequamur ordinem ab eo obſervatum, & res erit manifeſta. Provocat ſtatim ſub initium Tractationis ad fragmentum Synodi Palæſtinæ, ſub Theophilo Metropolita Cæſareenſis, tempore Victoris hanc ob cauſam coactæ, quod Baſilius in Summa Conciliorum ex Venerabili Beda exhibet, cui apud Bedam præfigitur certa Introductio, ex quâ patere ſcribit Doctor Antverpianus, Apoſtolos nihil conciliariter ſtatuiſſe de obſervando præciſe Paſchatis die, ſed toto orbe diſperſas eorum aliquos, quacunque die Luna decima quarta Martio menſe fuiſſet, Paſcha celebrandum inſtituiſſe. Cum vero conſtare exiſtimat, alios diem Dominicum poſt Lunam decimam & quartam illius Menſis determinaſſe, hinc quoque diverſam Provinciarum conſuetudinem ortam duxiſſe monet, adducta Euſebii authoritate. Addit, viguiſſe ab initio Eccleſiæ hanc conſuetudinem, ſcilicet de Luna decima & quarta in Provinciis Aſiæ, nullo contradicente Romano Pontifice, quod urſiſſe etiam obſervat Irenæum Lugdunenſem in Gallia Epiſcopum in Epiſtola ad Victorem Papam Synodica, ex qua adpareat, Pontifices Romanos ad illa uſque tempora conſuetudinem Aſianorum non improbaſſe, ac primum omnium fuiſſe Victorem, qui ſe oppoſuerit Aſianis, & Paſchatis diem juxta morem Eccleſiæ Romanæ præſcripſerit obſervandum, ipſam communionem Aſianis denegandum minitatus. Verum ſi hæc oppoſita voluit Launojo *Schelſtratenſis*, erravit multum, cum potius cauſam ejus juvent non parum. Nam ſi ipſimet Apoſtoli hac de re nihil ſtatuerunt conciliariter, ſed hinc inde Luna decima & quarta celebrandum Paſcha inſtituerunt, atque hæc conſuetudo in Aſia viguit ab initio Eccleſiæ utque ad tempus Victoris, nullo ex Anteceſſoribus contradicente vel improbante, quidquid ſit de aliorum conſuetudine vel obſervatione; quis poſt integrum Seſqui-ſeculum Victori dedit poteſtatem, ut Pacem hactenus inter Eccleſias diverſis conſuetudinibus addictas à parte utraque obſervatum Zelo plane intempeſtivo & ſpiritu inquieto agitatus rumperet, ac iis ſe per vim apertam opponeret, in quos nulla omnino polluit authoritate, non tantum præſcribens ſupercilioſe, quid fieri vellet, ſed minas etiam denegandæ communionis jaciens, niſi mandato forent obſequentes? Primum videlicet hoc fuit ſpecimen illius tyrannidis Antichriſtianæ, quam temporibus ſecutis creſcente Potentia Succeſſores in Epiſcopos Orientis ſæpius exercuerunt, uſque dum jugo tandem Muchammedico fuerint ſubjecti. De cætero, Fragmentum illud Synodi Palæſtinæ, quod ex authoritate ſolius Bedæ nuper etiam ultimæ Conciliorum collectioni ſuit inſertum, tale eſt, quod rite examinatum vix eruditis atque in Antiquitate Eccleſiaſtica verſatis ſe poteſt probare, talia videlicet continens, quæ ab illius Seculi genio longe ſunt remota, illud inprimis, quaſi Theophilus Metropolita Cæſareenſis non niti authoritate Victoris convocaverit Synodum, quam Orientales tum plane non agnoverunt. Sit enim ita, quod falſus legitur Polycrates apud Euſebium, æquum cenſuerit Victor, ut Polycrates in Epiſcoporum in Aſia conſenſum Synodaliter inquirat, idque in effectum dederit Polycrates, non tamen id ideo factum ab eo credi debet, ac ſi Polycrates deſiderium Victoris habuerit loco mandati,

ducens

ducens neceſſum, ut Synodum in gratiam illius convocet, verum deſiderio Victoris ſatis eſſe faciendum putavit cauſæ fretus bonitate, & quia non dubitavit, quin omnes in Aſia Epiſcopi ſuam, quam contra Victorem defendit, Sententiam ſuo ſint adprobaturi calculo. Nam ſi aliquam in Victore Superioritatem ex inſtituto Chriſti, & ſuperadditam ei infallibilitatem agnoviſſet, non opus fuiſſet nova Synodo, ſed ſufficiens eſſe potuiſſet, imo debuiſſet Decretum Victoris in Synodo Romana conceptum, cum minatione præſertim adeo gravi munitum & obſignatum, cujus generis nullum à Papis anteceſſoribus manavit. Sed tantum abeſt, ut Polycrates cum Aſianis vel hanc vel illam agnoverit, atque ſic Victori ſe ſubjiciendum neceſſario crediderit, ut potius in omnia iverit alia, nihil omnino metuens fulmen Excommunicationis intentatum, facta provocatione ad Exempla Anteceſſorum glorioſiſſimorum, Johannis præſertim Apoſtoli & Polycarpi Martyris, aliorumque, quorum veſtigia premere ſe poſthac etiam velle indicavit, obeditурus ſic DEO magis, cujus fideles Miniſtros fuiſſe hos credidit, quam hominibus ſua tantum authoritate magis. Atque hoc ipſum omni laude dignum cenſuit Hieronymus, poſtquam hoc Polycratis reſponſum vere heroïcum ex Euſebio recenſuit, ut ex ungue Leonem agnoſcat lector, minime hoc Elogio cum exornaturus, ſi quid contra debitum in eo ſciſſiſſet, obedientiæ Superioris à DEO conſtituti ſe ſubducens. Vanum hinc eſt, quod Doctor Antverpianus contra Launojum infert, Victorem hoc contra Polycratem proceſſu ſummam clavium authoritatem ſibi in Petro conceſſam agnoviſſe, & tam enormem indicaſſe Aſianorum exceptionem de obediendo potius DEO, quam hominibus, ut excommunicandos indicarit eos. Non enim quæritur, quid juris ſibi Victor adſcripſerit & contra Polycratem uſurparit, verum an jure id ſibi potuerit vindicare, quod Aſiani cum cæteris Orientalibus, quin & plurimis Occidentalium, nominatim Irenæo, qui hoc ipſo in negotio Victori ſe ſtrenue oppoſuit, tum temporis agnoverunt minime. Id autem porro cauſam & inſtitutum Launoii inſigniter juvat atque promovet, quod *Schelſtratenſis* cum Baronio & aliis communiorem ſententiam contra Valeſium & paucos quoſdam alios è perſpicuis Euſebii verbis tuetur, nempe, Victorem non modo comminatum eſſe Polycrati & Aſianis Excommunicationem, an forte hoc terrore eos poſſet ad opinionis ſuæ Subſcriptionem adigere, ſed revera eos, quantum in ipſo erat, excommunicaſſe, id eſt, à communione Romana excluſiſſe, cum Anteceſſores è contrario pacem cum iis coluerint, nominatim Anicetus Polycarpum ad ipſum Munus conſecrandi in Eccleſia Romana honoris cauſa admiſerit, ac eum quamvis in hoc puncto diſſentientem à ſe cum Pace dimiſerit. Tantum breve temporis ſpatio mutati à ſe ipſis fuere Romani! Audax hoc erat facinus, à communione Eccleſiaſtica ſeparare & excludere non unum modo Epiſcopum, ſed plures & integras totius, & ampliſſimæ quidem Regionis Eccleſias cum ſuis Doctoribus in cauſa non Fidem, ſed ritum aliquem & conſuetudinem, eamque ab ipſis Apoſtolis profectam concernente, ad minimum, in re hactenus libera, & cujus reſpectu nemini vis unquam fuit antehac illata, nec jure etiam potuit inferri. Eruditum certe & eloquentem valde oportet eſſe Advocatum, qui hanc cauſam in ſe peſſimam & non tantum fere, ſed vere deſperatam, imo deſperatiſſimam velit ſuſcipere modo qualicunque defendendam. Certe ſi quidquam fuiſſet, quod tum potuiſſet Victorem defendere, Irenæus, Doctor illo tempore celebratiſſimus, hoc factum Victori non tam rigide exprobraſſet, neque etiam eo adigi ſe paſſus fuiſſet Victor, ut Fulmine Excommunicationis non obſtante Polycratem cum Aſianis in Communionem reciperet, ac libertatem celebrandi Feſtum Paſchatos priſtinam poſthac ſineret eſſe quietam, prout *Schelſtratenſis* ipſe à teſtimonio Sotomeni commemorat. Nec quid prodeſſe poteſt contra Launojum, quod, dum Euſebius teſtatur, proceſſum Victoris contra Polycratem non omnibus Epiſcopis placuiſſe, excipit, ergo vel aliquibus vel pluribus placuiſſe. Quidquid enim ſit, ad rem hanc in præſens poteſt ſufficere, fuiſ-

ſe

ſe quoſdam, qui diſſenſum fuere teſtati, inter quos non ultimum occupaſſe locum dici debet Irenæus, cum Epiſcopis Gallicanis, quorum nomine Epiſtolam ſatis acrem ſcripſit ad Victorem, minime id facturus, ſi Romano Pontifici privilegium non errandi adſcripſiſſet, aut ejus authoritatem vel ſupra ſe, vel ſuper Epiſcopos in Aſia ex inſtituto Chriſti agnoviſſet. Multo minus juvat, quod, dum idem Euſebius de Epiſcopis contradicentibus ſcribit, eos Victorem hortatos eſſe, ut ea vellet ſentire, quæ Paci charitatique erga proximum congruerent, cum in ſequentibus exaggerative nimis locutum putat, quod addidit, eos Victorem acriter etiam reprehendiſſe, quod inprimis ab Epiſtola Irenæi procul abeſſe monet. Nam præterquam, quod hortari & reprehendere non ſint contraria, ſed commode ſimul ſtare poſſint, ut quis alterum & hortetur ad recte faciendum, & reprehendat ob male factum; ſi quis adtente Irenæi Epiſtolam, prout Euſebius, & exinde *Schelſtratenſis* quoque aliquas ejuſdem particulas exhibent, legit atque perpendit, non pauca ei ineſſe obſervabit, quæ gravem continent non modo adhortationem, ſed ſeriam inſuper reprehenſionem, eamque omni modo debitam & meritiſſimam. Quid enim? An pro nuda & ſimplici adhortatione debuit haberi, & non ſimul pro ſeveriſſima reprehenſione, quod Irenæus nomine Fratrum Synodice congregatorum monuit Victorem, (διδάσκων, docenter) prout Epiſcopum decuit erga Epiſcopum, ne integras DEI Eccleſias morem ſibi à Majoribus traditum cuſtodientes à Communione abſcindat? Nonne digniſſimum fuit hoc facinus fraterna correptione, per quod Victor id auſus eſt, quod nulla omnino ratione ab ipſo fieri debuit, vel jure potuit? Et, num ſimplex Monitum illud fuit, quando Iræneus porro Victori Anteceſſores in Eccleſia Romana, quos non Epiſcopos, multo minus ſummos, ſed Presbyteros vocat, ob oculos ponit, Pacem cum iis ſemper colentes, qui Feſtum Paſchatis quarta decima Lunâ celebrabant; quod vinculum Pacis dum auſu temerario Victor rupit, reprehenſioni omnino obnoxium ſe fecit ex indicio Irenæi? Ficus hinc folia ſunt, quibus *Schelſtratenſis* turpiſſimam Victoris nuditatem tegere conatus eſt, per quæ vitium facti luculenter tranſparet. Neque credendus eſt Irenæus cum Collegis in hac Reprehenſione Pacis tantum, & non ſimul etiam Veritatis habuiſſe rationem. Quamvis enim quoad Feſti Paſchatos celebrationem conſentiret Victori, noluit tamen hanc Occidentalium Eccleſiarum conſuetudinem Orientalibus, & præſertim Aſianis per vim obtrudi, poſtquam res hæc ab integro Seſqui-ſeculo habita fuerat indifferens, ac nemo alteri ob id ipſum creaverat moleſtiam. Hinc non potuit non omni ex parte injuſtum agnoſcere Fulmen illud Excommunicationis, qua Victor Eccleſias in Aſia à cætero corpore Eccleſiaſtico in nullo Fidei capite errantes abſcindere, auſus eſt, tantum, quia ſuo ſe noluerunt ſubdere jugo. Vana etiam eſt diſtinctio inter conſuetudinem & Sententiam rectæ Fidei contrariam, ac ſi Victor Polycratem ob hanc tantummodo, non vero ob illam excommunicarit. Si enim Polycratis Epiſtolam ad Victorem, quam itidem conſervavit Euſebius, atque exinde Hieronymus Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis inſeruit, perlegamus, nihil in ea occurret, quod ad Fidem videbitur pertinere, dum Polycrates non niſi ad conſuetudinem Anteceſſorum, & quidem Apoſtolicorum quoque provocavit, id ipſum in re hac rituali ſufficiens eſſe exiſtimans. Quæ Tertullianus ſub finem libri de Præſcriptionibus hæreticorum habet de Blaſto quodam, quem Euſebius Romæ Schiſma excitaſſe monet, Polycratem in Aſia non adtinet, utpote de quo non conſtat, quod aliquam cum hoc Blaſto habuerit familiaritatem, qui inſuper in nulla re à Fide orthodoxa devius fuit compertus, nec etiam propter ullum in Doctrina errorem à Victore adcuſatus, quod certe non prætermiſiſſet, ſi ejus rei vel minimum habuiſſet judicium, nempe ad Inſtitutum conducens non parum. Utut autem, quod jam fuit obſervatum, Irenæus in celebratione Feſti Paſchatos cum Victore unius fuit Sententiæ, minime tamen ſequitur, eum Polycratis Sententiam agnoviſſe erroneam, ſed quantum ex laudata ſæpius Epiſtola Irenæi patet, utram-

tramque habuit indifferentem, ſtatuens, cuivis hic libertatem eſſe permittendam. Eam vero libertatem quia ſublatam voluit Victor, omnes alios per vim ad ſuam adducturus opinionem, tanquam erroneam merito caſtigavit in eo Irenæus, non tantum hortatus, ut, ſi Polycrates mutaret errorem, obnoxius non maneret Excommunicationi, quod ex ſuo cerebro fingit *Schelſtratenſis*, nunquam autem in mentem venit Irenæo, eventu etiam aliud teſtante, cum utraque pars in antiqua permanſerit conſuetudine, utriſque conſentientibus, dum, quod Sotomenus bene adnotavit, ſtultum non immerito judicarunt, conſuetudinis cauſa abs ſe invicem ſeparari eos, qui in præcipuis capitibus religionis convenirent. Patet hinc hujus etiam Gloſſæ vanitas, qua idem Doctor Antverpianus agnoſcit quidem, quod Victor ad inſtantiam Irenæi ſuſtulerit Excommunicationem, verum non quia erraverit eam ferendo, ſed quia Polycrates errorem retractaverit, cujus tamen retractationis nullum potuit exhibere fundamentum, imo quæ relationi ex Sotomeno adductæ contraria plane eſt. Manet igitur, quod Launojus voluit, manifeſtum eſſe ex hoc Certamine Paſchali, illo tempore authoritatem Pontificis Romani non fuiſſe tantam, quanta ſecutis temporibus fuit, ac etiamnum hodie eſt ex parte, nec etiam fuiſſe cognitum tunc illud privilegium infallibilitatis, quod moderni Curiæ Paraſiti ſolent adſcribere Pontifici Romano, comet ipſo, uti pluribus aliis, novitatem hujus dogmatis apertiſſime prodentes.

Pro uberiori hujus Certaminis illuſtratione, non tam in gratiam Launoii, quam ipſius Veritatis, lubet pauca quædam adjicere è Diſſertationibus Hiſtoricis, quas fere eodem tempore, quo Doctor Antverpenſis edidit *Antiquitatem illuſtratam*, ad ſelecta quædam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita publicæ commiſit luci *Natalis Alexander*, ordinis Prædicatorum Scriptor itidem novitius, in quibus non ſemel Launojum ſibi propoſuit Antagoniſtam, in hujus autem Quæſtionis tractatione nomen ejus ſubticuit, aliqua exhibens, quæ cauſam hanc contra Schelſtratenſem poſſunt juvare non parum. Articulus quintæ ad Seculum, in quo Victor & Polycrates vixerunt, ſecundum Diſſertationis quartus hanc tulit Concluſionem primam, ſcilicet, quæſtionem de tempore legitimo celebrandi Paſchatis inter Aſiaticas & alias Eccleſias motam ſpectaſſe meram Diſciplinam, quod inde probatur, quia fuerit mota de re, quæ à variis Eccleſiis varie fuerit obſervata, abſque diſpendio Pacis & Unitatis. Additur pro confirmatione, Fidem ſemper eandem eſſe omnium Eccleſiarum, modo veræ ſint Eccleſiæ, Diſciplinam vero ſolam poſſe variam eſſe. Subjungitur porro, niſi hæc Controverſia ſolam ſpectaſſet Diſciplinam, Irenæum non deterriturum fuiſſe Victorem ab Anathemate tot Eccleſiis propter traditionis ex antiqua conſuetudine inter illas uſurpatæ obſervantiam infligendo. Non enim, inquit Doctor Gallus, anathema ab hæreticis avertiſſet Vir Apoſtolicus, quo Irenæum ornavit Elogio valde illuſtri; neque oraſſet Victorem, ne à Communione ſuſpenderet eos, cum quibus nulla debebat eſſe communio, & quibus nec Ave dicendum erat. Si namque Quæſtio fuiſſet de Fide, Aſiani fuiſſent hæretici, ac proinde Communionis jure excidiſſent. Ad objectionem, quod *Quartodecimam* ad Epiphanio, Theodoreto & Auguſtino inter hæreticos fuerint recenſiti, reſpondet, eos poſt Synodum Nicenam hæreſeos fuiſſe damnatos non præciſe ob eam rationem, quod Paſcha celebrarent Luna decima & quarta, ſed quia Legem Moſaicam excitare, ejuſque obſervantias cum Evangelio conjungere velle præſumebantur; ante Synodum vero Nicenam Aſiaſticos propterea hæreſeos nota inuri non potuiſſe, quia certum erat, noluiſſe eos excitare obſervantias Judaicas, cum Viri fuerint Sanctiſſimi. Obſervat inſuper, Patres, qui *Quartodecimanos* numerarunt inter hæreticos, nomen hæreſeos uſurpaſſe latius, prout ſcilicet quamcunque Sectam ab Eccleſia diviſam ſignificat, & Epiphanium *Audianos*, qui in eodem cum Quatuordecimanis errore verſabantur, ſchiſmaticos eſſe, non proprie hæreticos notaſſe in hæreſeos Indiculo, nec eum negare, hanc olim conſuetudinem nonnullis in Eccleſiis viguiſſe, ſed ſolum calumniæ &

falſitatis reos agere *Audienos*, quod dicerent, Eccleſiam deſeruiſſe conſuetudinem antiquam & traditionem paternam de tempore Paſchatis celebrandi, ac eam immutaſſe, ut ſe ad Imperatoris Conſtantini nutum adcommodaret. Et quia ulterius objicitur, Canones Apoſtolicos ab Aſiaticis fuiſſe violatos, reſpondet Alexander, multa in illis Canonibus ſancita eſſe ſolam ſpectantia Diſciplinam, nec fuiſſe hæreticos, qui illos violaſſent, neque Canonem Apoſtolicum de tempore Paſchatis celebrandi agentem hæreſeos notam illis adfinxiſſe, qui eodem, quo Judæi, tempore celebrarent Paſcha, ſed ſolam exauctoritationis pœnam in clericos ita celebrantes decreviſſe. Cæterum, illos Canones vere Apoſtolicos non eſſe, quod peculiari Diſſertatione probavit, neque tunc temporis, quo Polycrates vixit, adhuc extitiſſe, alioquin Victor eos Aſiaticis objeciſſet, nec illi conſuetudinem ſuam Apoſtolo Johanni ferre acceptam fuiſſent auſi, ſi ab omnibus Apoſtolis edito Canone fuiſſet reprobata. Quoad ſimile Exemplum *Blaſti*, quod Schelſtratenſis objecit è Tertulliano, reſpondet idem, *Blaſtum* voluiſſe ex neceſſitate celebrari Paſcha cum Judæis Lunâ decimâ & quartâ, ac eos, qui Dominica ſequente illud celebrarent, velut à Fide alienos averſatum fuiſſe, atque hinc Schiſma feciſſe, & inſuper ad hæreſin Valentini defeciſſe, Judaiſmum quoque in Eccleſiam introducere conatum fuiſſe; nihil vero hujuſmodi Aſiaticos tentaſſe, nec damnaviſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, neque extinctas dudum Moſaicæ Legis obſervationes ſuſcitare voluiſſe, nec etiam adſeruiſſe unquam. Paſchatis Solemnitatem non poſſe celebrari extra Lunam decimam & quartam abſque diſpendio Salutis, ſed conſuetudinis, quam exiſtimarint eſſe Traditionem Apoſtolicam, tenaciſſimos cum iis, qui aliter Paſcha celebrarent, communione conjunctos ſemper extitiſſe, nec ab Eccleſia Romana, quæ centrum ſit unitatis Eccleſiaſticæ, (ſcilicet ſecundum hypotheſes Romanenſium) ſeſe ullatenus diviſiſſe. Porro, *Blaſtum* ſtuduiſſe ſanam & ſinceram Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem (uti tum videbatur) depravare, cui debuerit, utpote Presbyter illius Eccleſiæ, obſequi; Aſiaticos vero conſuetudinem Eccleſiarum ſuarum & quaſi traditionem propugnaſſe, & hinc cenſet Natalis, Victorem *durius* cum ipſis acturum, ſi ab Eccleſiæ unitate illos præſcidiſſet, ſtatuens, Excommunicationem intra terminos minarum tantummodo ſubſtitiſſe, cum fuerint Fidei integerrimæ, & plures ex illis Sanctitate inſignes. Tandem ad objectionem, quæ ex authoritate, *Nicolai* hujus nominis primi Pontificis ac ejus ad Michaelem Græcorum Imperatorem Epiſtolâ ordine nonâ deſumitur, ut veritas Excommunicationis demonſtretur, id notatu dignum reſpondet, Nicolai authoritatem in Quæſtione Hiſtorica non pluris eſſe faciendam, quam teſtimonia Authorum veterum; etenim Nicolaum, ut Sedis Apoſtolicæ Majeſtatem adverſus Græcorum proterviam (ſicut Latini vocabant) tueatur, quævis laudare Monumenta, quibus ipſorum contumacia poſſit retundi, uti putat conſtare ex Epiſtolâ ad eundem antecedente octavâ, ac inprimis quædam citare apocrypha, ut Synodum Romanam ſub Silveſtro, ipſaque Silveſtri Acta, nec non Acta Synodi Sinveſſanæ, quædam inſuper plane in contrarium torquere ſenſum, ut Canonem nonum Synodi Calchedonenſis, in cujus explicatione Primatis Diœceſeos nomine intelligendum eſſe dicat Pontificem Romanum, contra apertum Canonis ipſius ſenſum; atque ſic eum in Epiſtola, quæ contentioſa magis ſit, quam dogmatica, diſputationis æſtu abreptum id ſcripſiſſe de Victore, ut ſupremam Sedis Apoſtolicæ authoritatem demonſtret. *Eu egregium fidei & ſinceritatis Pontificiæ ſpecimen.*

Addi-

Digitized by Google

Additio posterior.

AD hanc de Pontificis Romani judicio fallibili an infallibili, vel, num ex Cathedræ loquens possit errare, quæstionem controversam pertinet insigne testimonium Hadriani Papæ hujus nominis sexti, cujus quidem Launojus hinc inde sæpius mentionem facit, ut nullibi tam prolixe quam in quinta Partis primæ Epistola, ejusve altera parte, ex qua illud hic aliquanto plenius cum non plane nullis observationibus iterato legi meretur. Verba sunt hæc ex Artic. III. de Ministro Consecrationis: *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum est, quod possit errare, etiam in iis, quæ tangunt Fidem, hæresin per suam determinationem aut decretalem adserendo. Plures enim Pontifices Romani fuerunt hæretici. Idem & novissime fertur de Johanne vicesimo & secundo, qui publice docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animæ purgatæ ante judicium finale non habeant stolam, quæ est clara & facialis DEI visio, & Universitatem Parisiensem ad hoc dicitur induxisse, quod nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & ei pertinaciter adhæsurum. Item patet hoc de errore Pontificum quorundam circa Matrimonium; item de errore, quem ediderat Cœlestinus circa Matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim. Atque sic evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii adserunt.* Hæc ille, inquit Launojus, cum Lovanii doceret Theologiam, quæ revocavit nusquam, sed potius quoad vixit, adseruit, uti Romana Commentariorum illius in librum quartum Sententiarum Editio testatur, atque in perpetuum testabitur; quæ inquam non revocavit, ut fieret Cardinalis, non revocavit tactus etiam Cardinalis, quo faciliorem sibi viam muniret ad Pontificatum, non revocavit creatus quoque Pontifex, ut propriæ faveret dignitati. Quin etiam cum honorem Pontificatus dogmatibus veris excolendum, nec peregrinis aut novis infuscandum esse sciret, quia sincerus atque eruditus erat Theologus, hæc Commentaria, prælo excudi Romano non ægre tulit, sed gratum id habuit, & Viri graves ad librum & ejus Authorem non pauce ediderunt Elogia. Et quidem primo diligenter circa hæc verba observandum est, non dicere Hadrianum, *dubium vel probabile*, sed, *certum est*, *Pontificem posse errare &c.* Hadrianus inquam dicit, *certum est*, ratus, Adsertionem suam difficultatis habere nihil, quia tenebat probe, Adsertionem esse novam & Ecclesiæ pernitiosam. Noverat, suum decessorem Eugenium hujus nominis quartum scripsisse certam quondam Bullam, quæ nunc in Sessione post decimam sexta Concilii Basileensis refertur, ubi tradit diserte: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet aliqua disponere, & contra Concilium adfectaret, Papæ sententia vel ejus Legati, non Concilii voluntas foret sequenda, cum Papa super omnia Concilia habeat potestatem, nisi forte, quæ statuenda forent, Fidem respicerent Catholicam, vel, si non fierent, statum Ecclesiæ universalis principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia potius esset attendenda.* Quid ita? Launojus respondet: Concilium certo & sine erroris periculo decerneret de Fide & Moribus Ecclesiæ, Pontifex non ita. Noverat Hadrianus porro Petrum Alliacensem Episcopum Sermone secundo de Domini Adventu, quem apud Concilii Constantiensis Patres habuit, dixisse: *Quod authoritas cernendi & definiendi non soli adtribuenda est Pontifici, sed toti Concilio generali. Unde manifeste reprobatur error quorundam pernitiosissimus & toti Ecclesiæ periculosissimus, qui adulando potestati Papali ita detrahunt authoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant, quod Papa non potest (debet) necessario sequi deliberationem Concilii, imo standum esse sententiæ Papæ, si Ecclesiæ vel Concilio generali contradicat.* Quia, quod addit Launojus, non Papæ, sed Concilii tribunal ultimum esse significat, in quo certo & sine erroris formidine pronuntiatur. Noverat Hadrianus præterea, Innocentium Pontificem hoc nomine tertium scripsisse olim ad Philippum Regem Francorum, qui Pontificis

authoritate ab Uxore Regia volebat discedere: *Non auderemus super hujuscemodi casu de nostro sensu aliquid pro te definire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut, quod DEUS conjunxit, homo non separet; cum absque dubio nec exempla Sanctorum, nec Decreta Patrum intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verum, si super hoc absque generali deliberatione Concilii aliquid determinare tentaremus, præter offensam Divinam & infamiam humanam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii periculum nobis immineret, cum contra præmissam Veritatis sententiam nostra non possit authoritas dispensare.* Nempe Pontifex agnoscit authoritatem Concilii sua majorem & efficaciorem, & tantum abest, ut privilegium non errandi tribuat sibi, ut potius illud abjudicet. At neutrum faceret, nisi ex suæ Sedis traditione id facere cogeretur, confirmans idipsum in Sermone secundo de Consecratione Pontificis hisce verbis: *In tantum mihi fides est necessaria, ut, cum de cæteris peccatis DEUM habeam judicem, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Atqui, sic subsumit Launojus, qui Fidem potest amittere, caret privilegio non errandi, atque sic de rebus Fidei certo pronuntiare nequit; & qui ab Ecclesia judicatur, inferior Ecclesia & Concilio debet esse. Hinc Decessoris sui Clementis errorem circa Matrimonium correxit, ubi Robertus Corceon testatur in Summa, quæstione de Impedimentis Matrimonii, scribens: *Non uxor gentilis aut Judæi debet esse conditionis melioris, ut possit libere ad vota transire secunda, quam uxor hæretici conversa ad fidem, quod concessit Clemens, nec dicit, hæc ut pura esse judicanda; sed Innocentius hæc revocavit.* Hujus Authoris, qui postea fuit Cardinalis, summa exstant Manuscripta in Bibliotheca Monasterii sancti Victoris. Innocentius autem Pontifex, cum Clementis Decretalem revocavit in re tam gravi, Clementem erasse demonstravit eomet ipso. Hadrianus insuper legerat forte testamentum Gregorii Pontificis hoc nomine undecimi, in quo is verum dissimulare non potuit, sic de re Fidei suæ testatus: *Dicimus, volumus & protestamur ex nostra certa scientia, quod, si in Consistorio, aut in Concilio, aut in Sermonibus vel Collationibus publicis vel privatis ex lapsu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia Magnatum, ad eorum forte complacentiam, seu ex aliquali distemperantia, vel inadvertentia aut superfluitate aliqua, dixerimus erronea adversus fidem Catholicam, quam coram DEO & hominibus publice, uti tenemur, præcæteris confitemur, colimus & colere cupimus, seu forsitan adhærendo aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Religionem Catholicam obloquentibus, illa expresse & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.* Ita sonat Testamentum Gregorii, sufficiens testimonium Pontificiæ fallibilitatis.

Deinde, cum scribit Hadrianus, *plures fuisse Romanos Pontifices hæreticos*, respectum habet maxime ad Liberium & Honorium, qui etiam Romæ pro hæreticis tempore Hadriani habebantur. Tum adcedit ad Johannem hujus nominis vicesimum & secundum, qui reprobatum ab Ecclesia Romana errorem publice docuerat ac reprobaverat. Reprobatum vero errorem illum fuisse, docet nos Clemens quartus in epistola, quam ad Palæologum Imperatorem Græcorum anno sæculi post decimum tertii sexagesimo & septimo scripsit, in qua Fidei formula continetur, in qua ea leguntur sequentia: *Illas animas quæ post Baptisma suum omnino nullam peccati maculam incurrerint, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ fuerant purgatæ, mox in cælum recipi.* Eadem habet Johannes Patriarcha Constantinopolitanus in literis, quas ad Johannem Papam hoc nomine vicesimum & primum undecim post annis scripsit. Tam igitur alibi, quam Romæ præsertim exploratus error erat, quem Johannes vicesimus & secundus in se recepit, qua de re Johannes Gerson, Cancellarius Parisiensis in Sermone de Festo Paschatis sic loquitur: *Adparet falsitas doctrinæ Johannis, quæ damna-*

ta

Digitized by Google

ta fuit cum ſono Buccinarum vel Tubarum coram Rege Philippo per Theologos Pariſienſes de Viſione beata, & credidit potius Theologis Pariſienſibus, quam Curiæ. Denique, quod obſervatione dignum eſt maxima, Hadrianus dedita opera calamum ſtringit adverſus eos, qui Papæ privilegium non errandi attribuunt, ſcribens: *Evadere intendo impoſſibilitatem errandi, quam alii adſerunt.* Huc ſpectat Johannes Franciſcus Picus, Theoremate quarto de Fide ad Julium Papam ſecundum ſic docens: *Quod Pontifex errare poſſit in judicando adſeverantiſſime pronuntiatur à pleriſque. Ajunt enim notiſſimum eſſe, Pontificem ſummum poſſe fieri hæreticum, & deponi à Sede.* Hæc quia Veritati congruunt, Julius Pontifex non habuit ingrata. Exinde factum arbitror, ſcribit porro Launojus, ut Hadrianus huic Pico æqualis, errorum Lutheri condemnationem à Leone decimo factam anno ſeculi poſt decimum ſexti viceſimo non adhibuerit, ſive cum Fridericum Saxoniæ Ducem per literas eſt hortatus, ne Lutherum, quem verbis alioquin duriſſimis adpellat, in ſuam acciperet fidem, aut illius patrocinaretur erroribus? ſive cum Cheregato oratori in Germaniam eunti Mandata eo dedit conſilio, ut Principes & populos Germaniæ in Eccleſiæ Catholicæ communione retineret, vel illos, qui defecerant, (vel potius per Bullam Leonis ejecti & anathemate percuſſi erant) ad eam revocaret. In his autem Mandatis inter alia ſic loquitur: *Fatemur Lutherum, (quiſe inauditum à Leone decimo condemnatum fuiſſe querebatur) ejuſmodi non debere negari inficias, quæ ſunt falſa, hoc eſt utrum dixerit, necne, ut cum prædicaverit vel ſcripſerit, neve? Super Divino Jure vero & Sacramentorum materia ſtandum eſt auctoritati Sanctorum & Eccleſiæ Actis, quæ omnia fere, in quibus ab aliis diſſentit Lutherus, ſeu diverſa prius Concilia ſunt reprobata. (Ita ſcripſit vel ſcribere juſſit Papam non obſervatus) non deberi autem in dubium revocari, quod per Concilia generalia & Eccleſiam univerſam conſtat eſſe adprobatum, tanquam Fide tenendum. Injuriam namque facit Synodo Eccleſiæ, qui ſemel diſpoſita recte in dubium revocare. Quid enim unquam certi poterit eſſe inter homines, vel quis dubitationum contentionumque finis erit, ſi præſumtuoſo & perverſo cuique libertas ſeu ſcienti ſeu erranti edendi ab iis, quæ non unius aut paucorum, ſed totius ſeculorum & hominum ſapientiſſimorum conſenſa, & Eccleſiæ Catholicæ, quam DEUS in his, quæ ſunt Fidei, nunquam permittit errare, determinatione ſunt ſancita?* In his Hadrianus totus, quantus eſt, agnoſcitur, & ſibi per omnia conſentit, nimirum, non Papæ, ſed Eccleſiæ & Concilio privilegium non errandi ineſſe. Imbutus hac doctrina Clemens ſeptimus ad Synodum convocandam adpulit animum, & in literis quas ſuper ea re ad Franciſcum Galliæ Regem hoc nomine primum ſcripſit anno ſeculi ſuperioris poſt triceſimum tertio, illam ſcilicet Synodum, unicum eſſe remedium à Deceſſoribus uſurpatum adfirmavit hiſce verbis: *Biennio ſuperiori, cum Cæſarem Sereniſſimum, quanquam pro incluſa Pietate conatum omnia, in Conventu tamen Auguſtano nihil remedii ad hæreſin Lutheranam in Germania tollendam præobſtinatione illorum adferre potuiſſe audiremus, ſolumque Concilii generalis remedium à noſtris prædeceſſoribus in caſu ſimili uſitatum, & ab ipſis Lutheranis poſtulatum ſupereſſe videremus, habita ſuper hoc cum Cardinalibus deliberatione matura, ad ipſius Concilii generalis in Italia, & loco ad hoc commodiore celebrandi indictionem devenire intendentes, id Tuæ Majeſtati, ſicut Cæſari & cæteris Principibus ſignificandum communicandumque duximus.* Tandem, Michael Cardinalis Alexandrinus, nec antequam crearetur, nec poſt, quam creatus eſt Pontifex Pius hoc nomine quintus, publicum refutavit inſtrumentum, quo Clementis Moniliani Cardinalis compendium Inſtitutionum Theologicarum approbando ſuum fecit, in cujus capite poſt decimum nonum ſic docet Author: *Conciliorum celebrationem valere ad refrænandas Pontificum quorundam exorbitantias, qui munus ſacrum, aut ſpretis Patrum ſanctorum regulis pro voluntate exercent, aut pravitate Simoniaca deboneſtant, aut ſeculi vanitate & vita confundunt ſcandaloſa.*

Huic ſententiæ & teſtimonio Hadriani de Pontificis fallibilitate merito junguntur ejuſdem Vindiciæ, quas contra Cardinalem Pallavicinum ſcripſit Launojus partis quartæ epi-

epiſtola ante ultimam proxima hiſce verbis: Multiplex Scientia, Philoſophia, Theologia, Juris utriuſque cognitio, & cumulata omni virtutum genere natura fecerunt, ut Hadrianus abſens, nihilque minus cogitans, in Pontificem adoptaretur communi Patrum conſenſu, atque hoc Deo viſum eſt quamplurimis. Adoptatus Sedi Apoſtolicæ magno bonorum applauſu profuit, perfectum atque ſuis partibus & numeris expletum geſſit Epiſcopatum, atque in eo omnibus præterquam malis, ſe probavit & ſatisfecit. Hinc poſtquam ex hominum colluvione diſceſſit, ſuccedentium paulatim temporum iniquitatem experiri ac ſentire cœpit, atque in Epiſcopalis officii non bene geſti ſuſpicionem venit apud eos, qui ſeculari potius prudentia, quam religioſa Eccleſiam eſſe regendam præ ſe ferunt. Et quidem Cardinalis Pallavicinus obtrectatorum Hadriani calumnias in ſe recepit, & Hiſtoriæ Synodi Tridentinæ intulit, ſcribens, Hadrianum eſſe quidem moribus egregiis ornatum Pontificem, ſed ad Eccleſiam gubernandam minus aptum, nec idoneum, qui tantum Munus ſuſtineret, & qui publicis præſideret Sacerdotiis. Verba libri primi capite nono hæc ſunt: *Clericus fuit optimus, Pontifex reipſæ mediocris.* Cur autem Magiſtri Curiales, qui putant ſerviendum eſſe tempori, & cuncta ſuis metiuntur commodis, ſic detrahant Hadriano, in cauſa fuerunt tria. *Primum*, quia Hadrianus ſic vivere inſtituit, uti docuerat. Docuerat autem Lovanienſis adhuc Theologus, Clerico de Bonis Eccleſiæ nihil, præter victum & veſtitum ſibi ſumendum eſſe; factus vero poſtmodum Pontifex Romanus de Bonis Eccleſiæ nihil præter victum & veſtitum ſibi ſumſit, ut cæteris præberet exemplum, forma gregis factus. Egit hac de re in Commentario ad quartum Sententiarum, ubi de materia reſtitutionis prolixe diſputavit, & uti dictum, quod docuit, id obſervavit, atque conſanguineis ditandis, opibus cumulandis, aut extruendis ad pompam ædificiis non vacavit. Exinde factum, ut Hadriano non potuerit exprobrari, quod Cardinalis Jacobus Papienſis Paulo hujus nominis Pontifici ſecundo exprobravit in epiſtola, quæ nuper *Romæ non gloriaſæ* ob argumentum notatu dignum fuit inſerta. *Secundum, quia Hadrianus eam de Diſpenſationibus Apoſtolicis doctrinam ſecutus eſt, quam idem Theologus olim Lovanienſis tradiderat, ut hanc ſolveret quæſtionem, utrum omnis diſpenſatio Apoſtolica ſuper pluralitate Beneficiorum faciat hominem tutum & ſecurum in foro conſcientiæ? Quod autem Hadrianus ſeſe in Sacerdotiis diſtribuendis ad ſuam compoſuerit doctrinam, illuſtri poteſt exemplo confirmari, quod Quinaldus viceſimo Annalium Eccleſiaſticorum Tomo refert his verbis:* Teſtatur Hieronymus Niger, *Hadrianum voluntatum ſuarum maxime in iis quæ ſpectant ad religionem, fuiſſe tenaciſſimum, tantaque præditum integritate, ut, cum in Nepotem annui cenſus ſeptuaginta Ducalium aureorum Sacerdotium contuliſſet, illeque paulo poſt aliud pinguius, quod ad centum aureos aſcendebat, poſtulaſſet, illum acerbiſſimis corripuerit verbis, præceperitque, ut cupiditati ponret modum, prius enim Sacerdotium opulentius conſequeretur, ſed ea lege, ut priore ſe abdicaret, nec enim ſe pati velle, ut quiſquam duo Sacerdotia, quibus animarum cura eſt demandata, gerat conjuncta, ſæpiſque id Adagium repetere conſueverit, ſe Eccleſias Sacerdotibus, non Sacerdotes Eccleſiis velle ornare.* Cæterum corruptos Aulicorum mores repentinam adeo mutationem non laturos addidit ipſe Niger literis Roma exaratis. Eſtne autem, ſic Launojus Pallavicinum interrogat, mediocris reipſa Pontifex, qui præ ſe fert, ornandas eſſe Sacerdotibus Eccleſias, non vero Sacerdotes Eccleſiis? Nonne Hadrianus hoc Axiomate tanquam in brevi quadam tabella comprehendit, quidquid Paulus in epiſtolis ad Titum & Timotheum, quidquid Gregorius in Paſtorali ſuo, quidquid Canones ſacri de inſtituendis Eccleſiæ Miniſtris tradiderunt? Nonne hoc pacto Romanam emendaſſet Curiam, & Sedi Apoſtolicæ priſtinum adſeraſſet ſplendorem? At, Pallavicinus id genus conſilii & remedii tribuet Pontifici mediocri, & ſummo adjudicat. *Tertium*, idque omnium maximum ac graviſſimum fuit, quod Pontifex Curiæ Romanæ vitia & abuſus ſtatuit emendare, cujus rei conſilium luculenter in Mandatis exponitur, quæ

Che-

Digitized by Google

Cheregato Oratori in Germaniam eunti dedit, quæ Launojus hic prolixe ex Annalibus Racualdi adduxit, nuper autem è Pallavicino inſerta fuerunt *Romæ non gloriosæ*, hic cum faſtigio non repetenda, præſertim quia Lutherus etiam ea ſuis cum Annotationibus publicavit, & hinc inde ſæpius citantur. Atque hæc ſunt, ſcribit Launojus porro, tria rerum momenta, quæ, uti par eſt credere, fecerunt, cur Magiſtri Curiales & fautores eorum de Hadriani laude & fama detraxerint. ô mira rerum converſio! Quæ enim decus & ornamentum adferre debuerunt Pontifici, reprehenſionem & calumniam accerſiverunt, atque vitio datum eſt, quod dandum fuit gloriæ. Hinc excuſari vix poteſt Cardinalis Pallavicinus, qui probatis antiquæ & priſci moris Pontificem contumelioſe proſecutus eſt, ut Curiæ blandiretur. Macula & labes eſt inſignis, qua initium Hiſtoriæ fœdavit, & hujus authoritatem imminuit. Id genus mali nunquam adciditſet, ſi Pallavicinus Hadrianum, &, quæ ſunt Hadriani, omnia circumſpectaſſet; tunc enim in tantum laudaſſet Hadrianum, in quantum Virtus & digna Pontifici Romano Scientia poſſunt laudari. Et ſane ſi *primum* ex tribus memoratis ante capitibus adtendatur, quo illud quæſo tendit? An non, ut Clerus univerſus ad vitæ Apoſtolicæ normam & priorum Eccleſiæ ſeculorum moderationem revocetur? Nonne temporibus illis ille dives vere habebatur, qui pauper eſſet Evangelicus? Nonne Magiſter Eccleſiarum Hieronymus Pontificem Anaſtaſium adpellavit *Virum ditiſſimæ paupertatis*? Nonne Virtutibus magis quam divitiis Eccleſia defenditur? Religionem certe Chriſtianam auxit Martyrum ſanguis, non potentia Chriſtianorum. Petrum è vinculis eripuit non armis dimicans, ſed ſine ulla intermiſſione orans Eccleſia. Petrus etiam Alexandrinus, cùm ſubiturus eſſet Martyrium, non manu Chriſtianorum, ſed precibus ſuis à DEO pacem Eccleſiæ obtinuit. Jacobus quoque magnus ille Niſibenorum Epiſcopus obſidentes Urbem ſuam Perſas non opibus, ſed virtutibus removit. Sic Leo Romanus Antiſtes Urbem in Genſerici Regis direptione ab incendio & cæde liberavit. Sic porro Anianus Epiſcopus Aurelianenſis vicit & è Gallia fugavit Attilam. Sulpitius nempe Severus abſolvit omnia, cum ſecundo Hiſtoriæ libro his deſignavit verbis, qua in re Chriſtianorum major ſita ſit victoria, ſcribens: *Nec majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum vinci non potuimus.* Et quibuſdam interpoſitis: *Hoc temporum tractu mirum eſt, quantum invaluerit Religio Chriſtiana.* Id profecto non effecerunt divitiæ Chriſtianorum, ſed virtutes. Ad extremum, quæ in Eccleſia ſupereſſent opes, has ad Eccleſiam ab hoſtibus defendendam inſumendas eſſe ſtatuit. Hoc autem cum calleret Hadrianus adprime, ſcripſit ut Theologus, quod ut Pontifex ſuo adſeruit & confirmavit exemplo. *Secundum* quod attinet, Hadrianus in eo itidem ut Theologus effuſiſſimam, non tam Apoſtolicarum, quam Curialium diſpenſationem licentiam cohibuit, & certum quendam ſtatuit modum, quem ipſe Pontifex diligenter & ſumma cum religione ſervavit. Licentia hæc inclinatæ & labentis Curiæ vitium eſt, non Sedis Apoſtolicæ quippe, quæ nihil prius, nihil carius, nihil antiquius habuit obſervatione Canonum ſuorum. Id profeſſi ſunt Deceſſores Hadriani, nominatim Gregorius nonus, Innocentius tertius, Lucius tertius, Alexander tertius, Eugenius tertius, Paſchalis ſecundus, Urbanus ſecundus, Gregorius ſeptimus, Nicolaus ſecundus, Clemens ſecundus, Johannes octavus, Hadrianus ſecundus, Nicolaus primus, Zacharias, Martinus primus, Gregorius primus, Symmachus, Gelaſius primus, Felix tertius, Hilarius, Leo primus, Innocentius primus, quorum teſtimonia prolixe adduxit Launojus, addens, hanc eſſe Sedis Apoſtolicæ traditionem, quam Hadrianus ſequi voluerit & inſtaurare, quia ante ſe Curiæ adulatricis vitio fuerat neglecta. *Tertium* hoc eſt, quod ſincerum Pontificum animum, conſilium ſanctum, Fortitudinem, Pietatem ac Religionem demonſtrat perſpicue. Dolenter quidem, ſed libenter de Curiæ vitiis agnoſcere, quod Hadrianus in Mandatis Oratori Cheregato datis

Digitized by Google

tis agnovit, quid magis ingenuum & Chriſtiano pectore dignius? Emendare & purgare velle Curiam, cum hoc in labore Hercules non ſufficeret, quid fortius & Pontifici Romano, qualis extitit Hadrianus, honorificentius, atque ad præbendum cæteris exemplum auguſtius? A Clero Romano emendationem reliqui Cleri inchoare, quid prudentius, efficacius, ſanctius? Item Sacerdoti diſtribuere, uti Canones ſacri & recta ratio præſcribit, quid juſtius? Sic Bonis Eccleſiaſticis adjuvare homines fortunæ tenuioris, qui bonis artibus & diſciplinis Eccleſiam ædificent, quid religioſius atque ad tuendum nominis Pontificii dignitatem aptius? Denique, in negotio Lutheri factum & jus Divinum diſtinguere, quo facilius id tranſigatur, & Lutherus reducatur ad Eccleſiam, veraque ſanciatur concordia, quid ſapientius & traditioni Eccleſiaſticæ convenientius, quin & veri nominis Theologo laudabilius, item, ut ſcitu, ita & factu magis neceſſarium? Atqui hæc omnia Hadrianus in Mandatis Cherogato datis ad plenum & perfectum eſt executus, quæ in Pontificem reipſa mediocrem tranſcribuntur à Pallavicino. Expoſitum vero hactenus Hadriani conſilium firmiſſime ſuſtentant, quæ anno poſt illius obitum decimo & quinto Romæ ſunt geſta, ubi Paulus hoc nomine Pontifex tertius Concilium ex dilectis Cardinalibus & Prælulibus aliis voluit fieri, ut opera illius certa quædam Eccleſiæ emendandæ ratio inveniretur, in quo notati ſunt abuſus præcipui, qui erant corrigendi, & Patres Concilii hujus primum mali labem tranſtulerunt in Curiam. Aliqua exinde iidem ſunt inſerta nuper *Romæ ſongo ipſa*, hic ad nauſeam oculis Lectorum iterata non ſubjicienda, cum & ea ſæpius occurrant alibi. Ea cum etiam exhibeat, dictum Marcelli Pontificis hoc nomine ſecundi, prætermittitur hic quoque brevitatis cauſa, atque id tantum adhuc ſubjungitur, quod Launojus in gratiam Hadriani, cujus defenſionem hanc conſervavit epiſtolam, circa finem ejus ex epiſtola Auguſtini poſt centeſimam & quadrageſimam octava ad Valerium ſcripta laudavit teſtimonium, exhibens ſequentia: *Nihil eſſe in hac vita facilius & latius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctorie & adulatorie res agatur; ſed nihil apud DEUM triſtius & damnabilius. Et nihil eſſe in hac vita difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſed apud DEUM nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter jubet Imperator.*

Additionis Continuatio.

EX eadem Launoji epiſtola, ubi verbis immediate ſequentibus Fallibilitas Pontificia ſingulari quodam exemplo confirmatur: Perſeverabit, ſcribit Launojus porro poſt antecedentia, hæc Sedis Apoſtolicæ traditio, cum Romæ ſuppreſſa ſunt Biblia authoritate Sixti Pontificis hoc nomine quinti edita, cum Diplomate illis præfixo, in quo non tanquam privatus homo, ſed tanquam Pontifex ita Decernit: *Illud omnibus certum atque exploratum eſſe volumus, noſtros hos labores & vigilias nunquam eo ſpectaſſe, ut Editio nova in lucem exeat, ſed ut Vulgata ex Synodi Tridentinæ præſcripto emendatiſſima, priſtinæque Puritati ſuæ, qualis primum ab ipſius Interpretis manu ſtyloque prodierat, quoad ejus fieri poteſt, reſtituta imprimatur.* Verba hæc, inquit Launojus, Virum ſibi præſidentem & de Bibliorum emendatione perfectiſſima ſecurum objiciunt. At neque Editio Bibliorum, neque Sixti Diploma fuiſſent ſuppreſſa, niſi Sixtus erraſſet. Quod ut magis dispareat, ſubjiciam miſerabilem hanc controverſiam, quæ circa negotium hoc tum in Germania, tum Romæ anno hujus ſeculi decimo eſt excitata, prout eam refert Tannerus in prima diſputatione de Fide, quæſtionis quartæ dubio ſexto, ac numero poſt ducenteſimum ſexageſimo & tertio cum ſequentibus, ſic ſcribens: *Circa ipſum formale Decretum definitionis Pontificiæ diligenter advertendum eſt, an illud legitime & ſufficienter fuerit prômulgatum, atque etiam an tempus ejuſ-*

ejuſdem obligationi præfixum fuerit elapſum prius, quam id refigeretur ſeu retractaretur. Etenim, uti notat Vaſquet in primam Secundæ, Tomi ſecundi Diſputatione poſt centeſimam quinquageſima & quinta, ac numero ejus decimo & quinto, id obſervant ſummi Pontifices in Curia Romana, ut nondum intelligantur de Sede Petri tanquam Judices & Pontifices in Legibus & Canonibus ferendis, etiamſi eos imprimi faciant, donec ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, & ad valvas beati Petri per aliquantulum temporis adfigantur. Atque hæc modo ſatis ſit illi difficultati, quæ ante Annos aliquot fruſtra fatigavit non nullos de Bibliis Sixtinis à Clemente octavo ſuppreſſis & emendatis. Nam uti ex Viris gravibus & fide dignis, qui Romæ in hanc rem ſedulo inquiſiverunt, compertum eſt, dictum ſeu Decretum illud, quod Sixtus Bibliis præfixerat, nunquam plane fuit promulgatum, ſed tempeſtive revocatum, ipſo etiam Sixto animadvertente, non pauca irrepſiſſe, quæ diligentia iterata viderentur indigere, adeo, ut totum opus ſub incudem cenſuerit atque decreverit revocandum, etſi id Morte præventus non potuerit præſtare, uti in Præfatione Bibliorum Clementis dicitur. Et quamvis non nulli ſcripſerint, Decretum illud aliquanto tempore ad valvas Eccleſiæ adfixum, & poſtea refixum, eoque ipſo revocatum quodammodo fuiſſe, duobus ante Menſibus, quam tempus elaberetur Requiſitum, mortuo nimirum Sixto & reclamantibus (quoque) Cardinalibus, Ego tamen fidem huic rei habere non poſſum, addit Tanuerus narrans inſequentibus, quid ſuper ea re ad ſe Roma fuerit perſcriptum. *Ferdinandus*, inquit, *Albertus, Societatis per Germaniam adſiſtens, ſic ſcripſit Literis die vicesimo & octavo Menſis Auguſti, Anno hujus Seculi decimo datis: Circa Biblia Sixtina, poſt inquiſitionem & diſcuſſionem diligentem, hanc denique dederunt Reſponſionem, qui huic rei incumbebant, qua omnis tollitur difficultas, & cui omnes adquieſcent. Reſponſio ſic ſe habet; Certum eſt, Bullam de illis Bibliis non fuiſſe promulgatam; cujus rei certiſſimum eſt indicium, in Regiſtro hujuſmodi promulgationem non reperiri. Et Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus teſtatur, ſe, cum ex Gallia rediiſſet Romam, à pluribus Cardinalibus audiviſſe, illam Bullam non fuiſſe promulgatam, & id quidem illi ſe certiſſime ſcire adfirmabant. Et in Literis quarto die Septembris eodem Anno ſcriptis ad ejuſdem rei confirmationem hæc adjunxit: Eoipſo tempore quo cæperunt (typis) publicari illa Biblia, cum inſtarent aliqui poſſe Papam errare, quia videbatur jam de facto erraſſe in Bibliis, reſpondet publice Pater Johannes Azorius, illam Bullam non fuiſſe publicatam, quamvis in Inſcriptione legeretur ſubſcriptio Curſorum; nam hoc factum fuiſſe per anticipationem Typographi, jubente ſic Pontifice, ne tardaretur impreſſio.* Cui, ſubjungit Launojus, quinque Theologos argutiarum futilium opifices, quibus expoſitam Sedis Apoſtolicæ traditionem inobſcurent, & nova Curiæ placita conſtabiliant, incautiſque hominibus fucum faciant, ſi tamen ſint homines uſque adeo incauti & imbecilles, qui aurem illis adcommodent. Ergo Chriſtus muris, parietibus & Baſilicarum valvis privilegium non errandi, quod conceſſit Pontifici Romano, voluit adligari, eoque præterea modo, ut tamdiu errare poſſe ſalva Dignitate ſua Pontifex cenſeatur, quamdiu Decreta ab illo edita ad muros, parietes & Baſilicarum valvas per aliquantulum temporis non adfinguntur. Tannerus cum ſuis authoribus loquitur deliramenta, Iberas ſectatur nænias, & frivola Siculis gerris vaniora importat Theologiæ. Hæc referre puderet, niſi retinendæ Traditionis antiquæ intereſſet quamplurimum. Ad hæc gratis ſumitur, Dignitatis Pontificiæ promulgationem eſſe lineam ultimam, qua indeficiens Papæ indicium terminetur & agnoſcatur. Promulgatio neque veritatem, neque falſitatem tribuit Definitioni, ſed ineſſe ſupponit. Itaque ſi definitio eſt falſa, falſa etiam promulgabitur; ſi autem vera, vera quoque promulgabitur. Amplius, ſi falſa eſſet Definitio, vera ex promulgatione redderetur nunquam, etiamſi charta promulgationis ad valvas omnium Baſiliarum Urbis Romanæ per totam adfigeretur æternitatem, & Curſores ſexcenti Stentore clamoſiores adſtarent. In promulgatione neceſſitatum ad credendum vel agendum cum definitio-

nitionis veritate vel falſitate Authores hi confundunt. Promulgatio quidem definitioni neceſſitatem ad credendum vel agendum imponit, ſed definitioni veritatem vel falſitatem nullam tribuit, quæ aliunde repetitur, ut Dialecticæ tyrones norunt. Quare Azorius peſſime reſpondet iis, qui Sixtum in Editione Biblorum erraſſe contendebant. Etenim, quod reperta non fuerit Bulla in Regeſto Promulgationum, quid tum, etiamſi verum id eſſet? Deleta vel avulſa fuerat inde, quia à fronte Bibliorum avulſam fuiſſe nemo neſcit, & inde ſuppoſititiam eſſe prætexet nemo. Sixtus igitur definiendo id, propter quod Bulla illius eſt ſublata, luculenter erravit, & cum Clemens ſuſtulit Bullam, & Sixtina hæc ſuppreſſit Biblia, hoc ipſum credere debuit, & aliis præterea credendum objicit. His quinque Theologis adceſſit nuper Thomas Comptonus, qui Narrationem Tanueri ita contraxit in Secundam ſecundæ Diſputationis viceſimæ & ſecundæ de Pontifici Romano Sectione quinta: *Ad illud, quod de Sixto refertur, ipſum ſcilicet Decreto Bibliis ſuis præfixo definiviſſe, illa Biblia à ſe edita mendis carere, dico cum Tannero, vel Decretum illud nunquam ad valvas Eccleſiæ Romanæ adfixum fuiſſe, vel ſi fuerit, refixum tamen eo mortuo fuiſſe duobus Menſibus ante tempus elapſum, quod ad validam illius promulgationem requirebatur.* Eligat quis, quidquid velit. Si enim dicatur, Decretum Sixti ad valvas Eccleſiarum Urbis Romanæ adfixum fuiſſe nunquam, ſit ita, non fuerit adfixum; ſi vero dicatur, illud adfixum fuiſſe, ſit ita quoque, fuerit adfixum, ſed ad tempus breve, intra quod non errandi in Pontifice privilegium nullam capere potuit jacturam. At, ô præſtigioſum ſcribendi genus, quo Veritas nunc oculis ſubtrahitur, nunc falſitas objicitur, quo tandem ad arbitrium uniuſcujuſque rei forma & ſpecies adumbratur!

Continuationis Appendix.

JOhannes Cabaſſutius, in Notitia Conciliorum caput ultimum conſecravit Decreto Synodi Tridentinæ de Vulgata Bibliorum Editione, quoque agens de Bibliis & Sixtinis & Clementinis, ſuam poſt alios ſic expoſuit Sententiam: Dicendum, ſcribit, Sixtum emendatiora, quam ante fuiſſent, Biblia ſuppeditaſſe, non tamen ab omnibus expurgata mendis, neque poſt ablatam per id poteſtatem poſterioribus fuiſſe Pontificibus caſtigatiora edendi Biblia, qualia ſunt Clementis; neque poſt Clementis editionem fuiſſe omnia menda ſacrorum librorum exhauſta, aut præceptam futuris Pontificibus poteſtatem Editionis (adhuc) emendationis, quam ipſa ſit Clementina, idque unum tam Sixtum, quam Clementem intendiſſe, novam, quam exhibebat uterque Editionem, fuiſſe iis, quæ præceſſerant, caſtigationem, & præterea, ſi quid poſſet in eis, poſthac de novo emendari, id omne indifferens eſſe ad ſanam Fidei doctrinam. Quin etiam ſubinde poſt Clementinam Bibliorum editionem *Franciſcus Lucas* libellum edidit plures continentem varietates Lectionum, quibus perfectior poſſet reddi ipſa Clementis editio, ſi adcederet alterius Romani Pontificis authoritas; collectio autem hæc *Franciſci Lucæ* comprehendit quater mille & amplius loca, quæ in Bibliis à Clemente correctis poſſent ulterius emendari. Idem inſuper in Epiſtola hujus Collectionis Dedicatoria refert teſtimonia ex literis Cardinalis Bellarmini & Johannis Baptiſtæ Bandini ad ipſum ſcriptis, quorum videlicet opera Clemens in Bibliorum correctione fuerat, ſcribentium, *Biblia per Clementinam, quæ de Typographia Vaticana prodierat, Editionem nec dum eſſe correctæ adcuratiſſime, & ſupereſſe non pauca, quæ adhuc in melius poſſint mutari.* Hujus quidem Editionis Clementinæ præfatio, quæ ab ipſis Correctoribus Pontificiis eſt præfixa, profitetur, *Editionem hanc pro infirmitate humana omnibus numeris abſolutam difficile eſſe adfirmare.* Iſte Franciſcus Luca aliam quoque procudit collectionem, quæ Correctionis plus-quam ter mille recenſet, quibus

Edi-

Digitized by Go

Editio Sixti Biblia vulgata, quæ tempore Concilii Tridentini erant in communi Eccleſiæ totius uſu, defæcavit. Quis igitur adſerere auſit, ſcribit Cabaſſutius, in Bibliis, quibus Tridentini Patres & reliqui tunc temporis fideles utebantur, nullam vocem aut particulam fuiſſe, quæ non eſſet Authoritatis Divinæ? Aut, quis poterit hoc idem de Correctione Sixtina adfirmare, cum inſequens Clementina Correctio quamplurima Correctionis Sixtinæ loca inſuper emendaverit, & adhibiti ab ipſo Clemente correctores, aliiſque Pietate Doctrinaque inprimis conſpicui Doctores loca pleraque, quæ in Editione Clementina ſuperſunt, mendoſa eſſe pronuntient & argumentis probent? Idem Cabaſſutius poſt nominatos Authores ante Concilium Tridentinum viventes & ſcribentes, videlicet. Liranum, Teſtatum, Hugonem, Cajetanum, Dionyſium Carthuſianum, ad alios inſuper provocat, poſt illud Concilium Scriptis Eccleſiam illuſtrantes, ſcilicet Maldonatum, Lypomanum, Maſium, Janſenium, Gagneum, Salmeronem, Baronium, Tirinum, Serarium, Sanctium, Petavium, Salianum, Torniellum, Cornelium à Lapide, Bellarminum, quorum licet aliquis unum aut alterum locorum, quæ illi depravata in Editione vulgata contendunt, à depravatione tamen vindicaverit, hoc ſaltem ſupereſſe, tot tantorumque Doctorum judicio Concilium Tridentinum, quod illi omnes magna perſequebantur veneratione, & cui contradicere piaculum credidiſſent, minime indicaſſe, ſingulas vocum particulas nulla (plane) excepta, prout in Editione vulgata reperiuntur, eſſe Canonicas ac Authoritatis Divinæ. Et poſtquam propriis ipſorum verbis per plurium Exemplorum ſeriem hoc confirmavit, ſequentia ſubjecit: Præ omnibus Bibliorum Editionibus præcipuam certe laudem ac venerationem meretur Vulgata, à ſincerioribus & eruditioribus Ingeniis prælata omnibus cæteris Tranſlationibus, quamque Eccleſia univerſa reliquis omnibus poſthabitis eſt complexa; nec minus tamen ſupra recenſiti Doctores graviſſimi & Catholici, aliique plures, ipſique illi, qui juſſu Sixti & Clementis Vulgatam Editionem exactius, quam antea factum, correxerunt, hoc de ipſa in Præfatione, quam Bibliis præfixerunt, teſtati ſunt: *Non poſſe adfirmari, quod ſit numeris omnibus abſoluta, atque in his non pauca fuiſſe relicta, quæ videbantur mutanda.* Nimirum, qnia menda non-nulla ſic ab antiquo irrepſerant, ut nulla ſuppeterent Exemplaria his mendis vacua. At vero ſapientis veterum librorum & maxime Sacrorum correctoris eſt, nihil ex mente propria innovare, ſed cuncta ad fidem optimorum & vetuſtiſſimorum Exemplarium exigere, quantumvis videri poſſit alteratus ab antiquis non quidem Authoribus, ſed exſcriptoribus hic vel ille locus. Sic inter alia Cabaſſutius, quæ annon deliquium in animo Pontificis Romani exhibeant, quorſum Launojus in adducto Diſcurſu reſpexit, contra Privilegium infallibilitatis vel non errandi diſputans, judicet Lector, Veritatis candidæ & nunquam omnino ſupprimendæ ſtudioſus, qui, ſi Thomæ Jameſii, Scriptoris Angli, Bellum Papale, ſive Concordiam diſcordem Sixti & Clementis circa Editionem Vulgatam, nuper iterato typis Londinenſibus exſcriptam conferet, mirabitur, ipſos Pontifices ſuæ imbecillitatis pudenda tam turpiter prodidiſſe, ubi contra hæreticos, quos vocant, quam maxime fuiſſent tegenda. Manifeſtum videlicet hoc eſt Specimen & inſigne documentum Aletheæ ſui Vindicis, contra hoſtes quoſcunque Victricis, & ſic tandem Triumphatricis.

Nuper modo *Richardus Simon*, Criticorum, quotquot hactenus in publicam prodiere Lucem, audaciſſimus, ſecundæ Partis vel libri capite poſt decimum quarto, quod huic argumento peculiariter deſtinavit, prætermittere non potuit, quo minus caſtigaret imprudentem fervidiorum quorundam Catholicorum Zelum, quibus nulla ſit Scriptura præter Vulgatam, quique cenſeant, eam propter Sanctionem Tridentinam, per quam authentica ſit facta, ab omni vitio immunem eſſe, ac Proteſtantibus dederint occaſionem, hanc Sententiam Eccleſiæ Romanæ tribuendi, non animadvertentibus, à Theologis eruditiſſimis Eccleſiæ ejuſdem illam improbari, facta provocatione

ad libellum Johannis Marianæ, Hiſpani, ordinis Lojolitici, in quo copioſe ſit demonſtratum, Vulgatam quoque vitia habere. Addit Criticus, reſpondiſſe quidem Academiæ cuidam Jeſuiticæ Romanam Concilii Tridentini congregationem, nihil adferri poſſe, quod Editioni vulgatæ adverſetur, eamque etiam quoad puncta & virgula eſſe recipiendam, ac Leonem Allatium contendere, eam prorſus atque in totum eſſe admittendam, adeoque piaculum, ſi quis Congregationi generali recuſet parere At probabile admodum eſt, ſcribit P. Simon Declarationem hanc pro lege nunquam fuiſſe, ne quidem Romæ, non ſecus ac plures aliæ ejuſdem Congregationis declarationes, cum ipſe Cardinalis Palavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini plane adverſetur ei, & ſententiam Vegæ, quamvis diſerte & nominatim ab illa Congregatione fuerit damnata, amplectatur. Alia ibi habet hanc in rem notatu digniſſima, inprimis Cenſuram in Præfationem, quæ Bibliis Heptaglottis Parisiensibus fuit præfixa, ſingulare continens Elogium vulgatæ, tanquam veri & genuini fontis Scripturæ, quæ tamen cum cæteris obſervationibus huic Inſtituto inſervituris ibi poteſt legi, nec opus eſt exſcriptione prolixa, cum liber novus & recens in omnium curioſorum verſetur manibus.

Bellarminus *l. eod. c. 7.*

Poſtquam inter errorem Pontificis, perſonalem & judicialem diſtinxit, de quo Launojus egit in ultima tertiæ partis Epiſtola, unde huc pertinentia paulo ante ad caput hujus libri ſecundam adducta ſunt, tertiam contra infallibilitatem Pontificis rationem hanc proponit: Si infallibile eſſet Pontificis de Fide judicium, eſſent hæretici, vel ſaltem errore pernitioſo tenerentur, & graviter peccarent, qui pertinaciter contra definitionem Pontificis aliquid adſererent. Atqui hoc eſt falſum; nam Cyprianus pertinaciter reſtitit Stephano Pontifici, hæreticos non rebaptizandos eſſe definienti, uti patet ex Epiſtola ejuſdem Cypriani ad Pompejum, & tamen non ſolum non fuit hæreticus, ſed neque mortaliter peccavit. Bellarminus reſpondet, Cyprianum quidem non fuiſſe hæreticum, tum, quia nec modo cenſentur manifeſte hæretici, qui dicunt, poſſe Pontificem errare, tum etiam, quia ſine dubio Stephanus Papa non definivit tanquam de Fide, hæreticos non eſſe rebaptizandos, licet non rebaptizari juſſerit, uti patet ex eo, quod non excommunicavit Cyprianum & alios contrarium ſentientes; ſicut etiam è contrario Cyprianus in Concilio Epiſcoporum octoginta definivit, hæreticos eſſe rebaptizandos, & tamen noluit hoc haberi tanquam de Fide, diſerte proteſtatus, ſe propterea non velle ſeparari ab iis, qui contrarium ſentiebant. Neque his repugnat, quod, uti ſcribunt Euſebius libri ſeptimi Hiſtoriarum capiti quarto, & Auguſtinus libri de unico Baptiſmo capite poſt decimum quarto, Stephanus Papa non ſolum imperavit, ne rebaptizarentur, ab hæreticis baptizati, ſed etiam excommunicandos cenſuit, qui non obedirent. Nam etſi id cenſuit, nihil tamen fuit aliud, quam comminatio; conſtat enim ex Vincentii Lirinenſis libro de profanis vocum novitatibus & loco Auguſtini citato, ſemper conjunctos fuiſſe Stephanum & Cyprianum. Et per hoc reſpondetur etiam ad confirmationem. Fuit enim poſt Pontificis definitionem adhuc liberum aliter ſentire, ut Auguſtinus dicit, quia Pontifex noluit rem ipſam facere de Fide ſine Concilio generali, ſed ſolum voluit interim ſervari antiquam conſuetudinem. An autem peccaverit Cyprianus mortaliter, non obediendo Pontifici, non eſt omnino certum.

Lau-

Digitized by Google

Launojus *Tom.* VIII. *Epiſt. ult.*

COntroverſiam hanc Anabaptiſticam ex profeſſo tractat, cujus pleræque de eadem obſervationes omnino merentur hic legi. Ita autem Sorboniſta eruditiſſimus? Quin Stephanus & Cyprianus Sedium eminentiſſimarum Epiſcopi duo ad Eccleſiæ vulnera pervenerint, & nobile par Martyrum extiterint, nulla poteſt eſſe dubitatio legitima; ſed uter eorum celebrior, & pluris apud Eccleſiam Romanam & cæteras per omnes Annos conſequentes fuerit habitus, ſtudioſe quæri poteſt atque utiliter. Hoc ut exponatur, opus eſt, ut repræſententur momenta Controverſiæ, quæ tantos Antiſtites quoad vixerunt, biennio plus minus inter ſe commiſſos tenuit acerrime. Et poſtquam ex laudata Cypriani ad Pompejum Epiſtola retulit, & ipſius Stephani Pontificis decretum de hæreticis non baptizandis, collatione cum Euſebii & Vincentii Lirinenſis Relatione facta, & ſimul, quæ Cyprianus eidem fortiter ac nervoſe oppoſuit, neuterque ceſſit alteri, ſed uterque in ſua ad obitum uſque perſeveravit Sententia, duo ſequentia ad propoſitam Quæſtionem reſponſi loco dedit. Prius eſt, quod Cyprianus Stephano, quamdiu illi vixerunt, celebrior fuerit, quod rationibus certiſſimis quæ ad tempus excitatæ inter eos controverſia & antiquiorem complurium Eccleſiarum traditionem protinent, confirmari poſſe exiſtimat. Primo, inquit, An Stephanus relatum adverſus Epiſtolam Cypriani Decretum defenderit, & prolatas in ea rationes editis in lucem Exemplis Deceſſorum & Patrum vetuſtiorum teſtimoniis confutaverit, & tandem Romæ habuerit Synodum, qua Decretum vindicaretur, nulli produnt Annales, nulla docet Hiſtoria. Cyprianus contra ut ſuam & Epiſtolam & Sententiam tueretur, Concilium habuit Epiſcoporum octoginta & ſeptem, quos ex Africa, Numidia & Mauritanica advocavit Carthaginem, & ſecundum Cypriani Sententiam ab omnibus fuit pronuntiatum. Secundo, Eccleſiaſticus in Occidente & Oriente Tractator nullus, Synodus invenitur nulla, quæ Stephani viventis cauſam adverſus Cyprianum ſuſceperit propugnandam. Percurre Brittanias, Gallias, Hiſpanias, Pannonias, Dalmatiam, Italiam, cujus caput eſt Mediolanum, Siciliam, Inſulas adjacentes, Ægypti & orientis Provincias omnes, hujus Decreti fautorem atque adprobatorem reperies neminem. At Cypriani viventis cauſam adverſus Stephanum in Cappadocia Firmilianus eſt amplexus, Epiſtola ad Cyprianum teſte, in qua Stephanus perſtringitur, ſive cum ad abſurdas deducitur complexiones, ſive cum à derivata ex temporibus Apoſtolorum traditione & authoritate Scripturarum urgetur, ſive cum à retenta Deceſſorum cum Afris concordia pulſatur. Tertio, Africanæ Diſciplinæ, quæ circa Baptiſmum hæreticorum ante excitatam inter Stephanum & Cyprianum controverſiam ſervabatur, Monumenta ſuppeditant Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus & Tertullianus Presbyter. Ille apud Cyprianum Epiſtola poſt ſeptuageſimam tertia ad Jubajanum Epiſcopum ſcripta, in qua adducit Decretum Concilii Carthaginenſis de hæreticis rebaptizandis, cui tum nemo reſtitit, reſtitiſſet autem aliquis ſine dubio, ſi conſtitutæ circa Baptiſmum hæreticorum diſciplinæ repugnaſſet. Nam, uti Vincentius Lirinenſis ſcribit libri primi capite nono, *Mos iſte ſemper viguit in Eccleſia, ut, quo quisque foret religioſior, eo promtius novellis contrairet adinventionibus.* Hic ante Agrippinum in de Præſcriptionibus hæreticorum capite poſt decimum ſecundo, ubi collatum ab hæreticis Baptiſmum rejicit, non rejecturus, opinor, ſi ducta à Domino vel Apoſtolis traditio hæreticos non rebaptizandi in Africa, & Carthagine cumprimis conſtitiſſet. Tertullianus, inquam, traditionum Apoſtolicarum Vindex & Adſcitor invictiſſimus, & earum maxime, quæ pertinent ad Baptiſmum, de quibus egit in de Corona capite ſecundo, & ex profeſſo ac uberius in de Baptiſmo capite poſt decimum quinto, ubi Bap-

tiſmum hæreticorum repudiat ſine ulla exceptione, & rationes adponit, cur repudiet. Non me quidem latet, inquit Launojus, Baronium in Annalibus Eccleſiaſticis Tertullianum incuſare erroris, quod Baptiſmum hæreticorum præ nimio in eos odio rejecerit. Sed communis hic locus eſt, qui nulli, quia omni convenit materiæ. Quis enim non peræque ſcribat, Tertullianum præ nimio in Eccleſiam amore libros de præſcriptione hæreticorum, adverſus Hermogenem, Valentinianos, Marcionem & alios edidiſſe hæreticos, & continuo ex iis non abjiciat, quidquid palato haud ſapit? Baronibus ἐλεεινὸν eſt adcuſandus, quod poſt Annos mille & trecentos & eo amplius ſine Anteceſſorum patrocinio Tertullianum erroris inſimulavit. Hoc autem obſervaſſe, eſt Tertullianum liberaſſe, & maxime, ſi quis obſervet, nullam Epiſcopis Romanis æqualibus cum Tertulliano ea ſuper re controverſiam fuiſſe. Igitur fatendum eſt ingenue, traditionem, de qua loquitur Stephanus in Decreto, Romanæ fortaſſis Eccleſiæ tunc fuiſſe propriam, Africanis vero & orientalibus Eccleſiis minime communem fuiſſe, ut libri, quem Tertullianus Græce de Baptiſmo compoſuit, Trimilianus & Synodus Jeronienſis teſtantur. Quarto, Clemens Alexandrinus primo Stromatum libro conſentit Tertulliano, & adverſus Baptiſmum hæreticorum præſcribit, unde adparet, non novam Alexandriæ, ſed vetuſtam rem fuiſſe Baptiſmi hæreticorum rejectionem, quæ à B. Marii diſciplina manare dicenda eſt, niſi contrarium evidenti teſtimonio probetur Quinto, Irenæus, Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, libri contra hæreſes primi capite poſt decimum octavo varia hæreticorum Baptiſmata deſcribit & rejicit, ac cum illo, uti adparet, Gallica etiam Eccleſia, atque ſic Irenæus non Stephano, ſed Cypriano, præluxit. Sexto, Juſtinum Martyr in Apologia poſteriore præſcripſit, quomodo dandus ſit Baptiſmus. At vix ullos reperies hæreticos, qui tunc temporis ea ſervaverint omnia, cum vel baptizaverunt, vel fuerunt baptizati. Irenæus ipſe varia notavit hæreticorum baptiſmata, ſed inter illa nullum eſt huic ſimile. Juſtinus idem in Dialogo, quem cum Typhone Judæo habuit, non obſcure ſignificat, Baptiſmum à Judæis collatum nullius eſſe uſus, certum conſtituens diſcrimen inter Chriſti & Iudæorum Baptiſma. At, cum non ſit potior hæreticorum, de quibus ſermonem faciunt Irenæus, Cyprianus & Trimilianus, quam Judæorum, de quibus loquitur Juſtinus ratio, hinc Juſtinus perinde hæreticorum ac Judæorum Baptiſma rejicit. Et quod hic notatur de Juſtino, non Stephano, ſed Cypriano poteſt inſervire. Cæterum ex iis finibus & terminis, quos per traditionem Tertulliani, Clementis Alexandarini, Irenæi & Juſtini, Teſtium Veritatis, uſque ad tempus Stephani & Cypriani nunc poſuimus, ſcribit Launojus porro, adparet, quæ ſit vera & certa latitudo & longitudo poſſeſſionis illius, de qua B. Auguſtinus multis in locis verba facit, docens: ***Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, atque hæc ſola apponebatur volentibus inducere novitatem.*** Urgenda hæc non eſt, ſed potius ſufflaminanda Propoſitio. Nam conſuetudo illa nec in Africa Cypriani, Agrippini & Synodi Carthaginenſis, nec Alexandriæ & in Ægypto Clementis, qui Scholam ibi tenuit Eccleſiaſticam, nec in Oriente Trimiliani & Synodi Jeronienſis, nec in Galliis Irenæi, nec tempore Juſtini antiquos poſſeſſores ullos, vel inſcriptiones poſſeſſionis fidejuſſoricas ſibi vindicat. Quin imo, qui Africam, Orientem, Ægyptum & Gallias percurret atque ſcrutabitur, pacificam Eccleſiæ in hæreticis baptizandis poſſeſſionem reperiet. De poſſeſſione autem hac à vicinis Gentibus nulla lis eſt mota, & ſi quando de re vel modo rei dubitatum fuit inter poſſeſſores, coacta Epiſcoporum Synodo ſublata eſt dubitatio vel controverſia, & rigor ſervarè juſſus. Econtrario Monumentum ex Antiquitate nullum eſt ſuper, quo Stephanus de ſeipſo, vel ullus Stephani defenſor de eo vere & adfirmate poſſit dicere, quod Julius Papa de ſeipſo in Epiſtola ad Orientales ſcripſit: ***Tametſi ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius Sententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi. Ego autem nolui omnes ſcribere, ne à multis onerarentur. Certe, ad conſtitutum tempus convenerunt Epiſcopi, & Sententiæ ejus fuere,*** *quam*

quam vobis iterum significo. Quapropter, dilectissimi etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium Sententiam vos scire volo. Sed Stephanum ad Africanos & Orientales Episcopos similia scripsisse nemo tunc, vel postea literis prodidit, hoc autem de Cypriano dici non potest. Atque hæc sunt Monumenta celebritatis majoris, quam Cyprianus præ Stephano, sive spectetur tempus, quo vixerunt ambo, sive traditio Patrum, qui præcesserunt, facile consecutus est.

Posterius hoc est, quod postquam desierunt vivere, Cyprianus adhuc Stephano celebrior, & pluris tam apud Ecclesiam Romanam, quam apud alias fuit habitus. *Primo* enim, Dionysius Alexandrinus ad Sixtum Stephani decessorem scribit, eumque à tuenda de Baptismo hæreticorum Sententia deterret, atque Sententiam Cypriani confirmat, prout Epistolæ verba exhibet Eusebius libri Historiarum septimi capite quarto, circa quæ duo sunt notanda. Unum, quod Dionysius & Philemon, Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, Dionysium Alexandrinum super hac re consuluerunt, sine dubio non consultui, si huic Stephani Decreto firmiter adhæsissent, illuc vero clarum & apertum fuisset traditionis illud genus, quo Stephanus Decretum communiverat. Alterum est, quod Dionysius de illis duobus Presbyteris scripsit, eos antea consensisse Stephani sententiæ, utpote quo dicendi genere innuit, Presbyters illos Romanos desiisse Stephani sententiæ suffragari, tantum abest, ut in Stephani Sententia constanter perseverarint. Sed tamen incertum relinquitur, quo Dionysius & Philemon modo sententiæ Stephani desierint suffragari, an probando Baptismi iterationem in hæreticis, an judicando, probabilem esse utramque Stephani & Cypriani, aliorumque Præsulum illi concordantium Sententiam, ac proinde dissensioni Ecclesiasticæ nullum suppetere locum. Et postquam ex Eusebii capite sequenti sexto alia quædam verba ex ejusdem Dionysii ad Philemonem Epistola citavit Launojus, ibidem prolixius legenda, eorum hanc exhibuit Epitomen, quod videlicet complurium Ecclesiarum & Synodorum quæ Cypriano vel præiverunt, vel eum potius, quam Stephanum sunt secutæ, Decreta prædicare non cessáverit, & fortassis Philemon literis Dionysii persuasus Stephani sententiæ suffragari desierit. Adjungendum his censet Launojus Hieronymum, utpote qui viderit Epistolas Dionysii, ac de Ejus Sententia in libro de Viris illustribus sic censuerit, Eum in Cypriani & Africanæ Synodi dogma consentientem de hæreticis rebaptizandis plurimas ad diversos misisse Epistolas. Præterea, Dionysium, qui cum Philemone Dionysium Alexandrinum super hac re consuluerat, & postmodum Sixto Pontifici successit, ad quem Dionysius ille Alexandrinus scripsit, dum Stephani sententiæ desiit suffragari, cum Africanis & aliis rebaptizantibus Episcopis Pacem coluisse, notanter observavit Launojus. *Secundo*, Stephani successores non ita tuiti sunt illius Decretum, ut contra sentientes & agentes adpellarent durius; atque id Pontium Cypriani Diaconum in Libello, quem de Vita illius composuit, significare non obscure, cum Sixtum Stephani successorem proximum vocet bonum & pacificum Sacerdotem, eo probabiliter sensu, quod cum Africæ aliarumque gentium Episcopis hæreticos rebaptizantibus Pacem habuerit. Ut autem tolleretur dissidium, Dionysius Alexandrinus multum operæ ac studii adhibuit, testibus multis de Baptismo Epistolis, quas ad Sixtum Episcopum Romanum, atque ad Philemonem & Dionysium, Presbyteros Romanos scripserat. *Tertio*, credibile est prorsus, eos Pontifices, qui post Sixtum & Dionysium administrarunt Ecclesiam Romanam, horum institisse vestigiis, & cum Africanis, aliisque rebaptizantibus hæreticos Episcopis coluisse Pacem; & ab Anno, quo Dionysius è vita migravit, usque ad Annum, quo habita est Synodus Arelatensis prima, inter Africanos rebaptizantes & Romanos notam fuisse controversiam, nemo est, qui testetur, ut inde fit manifestum, hanc Controversiam, quæ tanto incensa fuit studio, initium & finem in uno Stephano accepisse. *Quarto*, certe Sylvestro paxerat cum Africanis hæreticos rebaptizantibus, quando Synodus hæc Arelatensis fuit celebrata, consentientibus Sylvestri Legatis quatuor,

Digitized by Google

tuor, qui interfuerunt, & una cum reliquis Patribus hunc Canonem condiderunt : de Afris, quod Lege propria utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, eum interrogent Symbolum, & ſi perviderint, eum in Patre, Filio & Spiritu S. Baptizatum eſſe, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum; quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, non baptizetur. Hic videlicet canon eſt, in quo, quinam hæreticorum admittendus, quinam rejiciendus eſſet Baptiſmus, decernitur, & in quo Patres Concilii oppoſitas Stephanus & Cypriani Sententias ad legitimum reducere ſe putant modum. Nimirum Stephanus quemcunque hæreticorum admittebat Baptiſmum, Cyprianus è contrario quemcunque rejicebat; Arelatenſis Synodus inter utramque fuit media, nec quemcunque admiſit, uti Stephanus, nec quemcunque rejecit, uti Cyprianus, illum admittens Baptiſmum hæreticorum, qui in Patris Filii & Spiritus ſancti nomine confertur, nec iterandum eſſe cenſens, illum vero rejiciens, qui non ita confertur, atque hinc iterandum eſſe cenſens, id ſimul emendare ſtudens, in quo contentionis æſtu modum exceſſiſſe ſibi viderentur, quo in caſu Cypriani Sententia minorem, Stephani vero majorem accepit emendationem. Nam ſubductis, quoad ejus fieri poteſt, ommum hæreticorum Baptiſmatibus, non tot erant in nomine Trinitatis baptizati, quot non erant in eo baptizati; ſed paucos admodum fuiſſe hæreticos, qui in nomine Trinitatis baptizarent aut baptizarentur, ante exortam inter Stephanum & Cyprianum controverſiam, conſtat è ſupra laudato Irenæi teſtimonio, quorſum adcedit, quod Stephanus itidem in citata Cypriani ad Pompejum Epiſtola Marcionis admiſit Baptiſma, in quo nulla fiebat Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti mentio, quod Cyprianus ex debito graviter exagitavit. *Quinto*, Poſteri minus diligentes fuerunt in conſervandis Stephani Epiſtolis, quas vel ad Cyprianum ſcripſit, vel de Heleni, Trimiliani & aliorum excommunicatione ad eos miſit, eoſque omnino perire & intercidere ſunt paſſi; ſed in vindicandis ab oblivione & ſitu Cypriani & Trimiliani Epiſtolis, quas ad Stephanum exararunt, fuerunt diligentiſſimi. Quid ita? Niſi quod Epiſtolas Stephani minus memoria dignas, Epiſtolas vero Cypriani & Trimiliani judicarunt digniſſimas. *Sexto*, Baronius ad Annum ducenteſimum nonageſimum nonum & ſequentem recenſet Stephani Acta, quæ germana, ut ait, cognita atque legitima non tantum Occidentalis Eccleſia eſt amplexa, ſed & Orientalis eadem Græce reddita in ipſorum Martyrum Natalitiis legere conſuevit. At his in Actis multa narrantur de Baptiſmo quem Stephanus multis contulit; ſed illius de hæreticis non rebaptizandis Decretum omittitur & ita ſiletur, ac ſi nullum unquam fuiſſet editum. Quis non miretur, cum illud vel unicum merito prædicari debuerit, ſi, qui Romana in Eccleſia collegerunt hæc Stephani Acta, merito prædicandum eſſe duxiſſent? Scilicet, in rei ſilentio plus laudis & gloriæ, quam in Recitatione poſitam eſſe ſibi perſuaſerunt. Pontius autem è contrario in Vita Cypriani de iterandi hæreticorum Baptiſmatis Sententia nihil intulit, ratus, id ex ſuperſtitibus Doctoris hujus Epiſtolis & Concilio Carthaginenſi ſine ulla difficultate obſervatum iri. *Septimo*, Eccleſia Romana Stephano Papæ & Martyri ſuo nullam erexit Baſilicam, licet multis Pontificibus aliis, ſeu Martyrio, ſeu Confeſſione illuſtribus erexerit; erigere tamen debuit, cum ſi quæ de Stephani Decreto & ejus ſucceſſu narrat Baronius, veritate niterentur, nullus poſt Petrum fuerit illuſtrior & fortior Religionis chriſtianæ Vindex & Adſertor. At Eccleſia Carthaginenſis Cypriano Martyri ſuo non unam tantum erexit Baſilicam, ſed duas, quæ celebritatem habuere maximam, quod Victor Uticenſis prodidit primo de Perſecutione Wandalorum libro, Severus item Sulpitius, uti & Evagrius ex Procopio. *Octavo*, Synodus Nicena, cum Canone poſt decimum nono ſtatuit, ut Paulianiſtæ ad Eccleſiam confugientes baptizentur omnimodis, non Stephani, ſed Cypriani ſententiam ampiectitur, ſi hujus Canonis ſit interpres, qui Synodo interfuit, Athanaſius tertius tertia contra Arianos oratione, aliud reipſa non ſcribens, quam quod in epiſtolis Cypriani ad Jubajanum & Pompejum, &

Digitized by Google

& Firmiliani ad Cyprianum, & in Concilio Carthaginenſi ſcriptum legimus, adeoque Patres Nicenos per explicatum à ſe Canonem Stephano relicto ad Cyprianum recta producens. *Nono*, Optatus Milevitanus in primo de Schiſmate contra Parmenianum libro inſigne de Cypriano ſcripſit Elogium, dum de Cæciliano ſcripſit, eum à Cathedra Petri vel Cypriani non diſceſſiſſe, oſtendens, vel unam & eandem eſſe Petri & Cypriani Cathedram, propter unitatis Eccleſiaſticæ indicium, vel ut Petri, ſic & Cypriani unam eſſe Cathedram, in quo unitas Eccleſiaſtica collocetur, ut ſchiſmatica Donatiſtarum tempeſtas diſſipetur. Quidquid ſit in cauſa, & quomodocunque verba hæc intelligantur ad inſignem Cypriani gloriam pertinent. Idem Optatus libro ejuſdem Operis quarto magis longe ad Cyprianum, quam ad Stephanum adcedit, ac de baptiſmo hæreticorum ſentit idem, quod Athanaſius. *Decimo*, Hilarius Pictavienſis Epiſcopus Canone quinto in Evangelium Matthæi, dum Cypriani & Tertulliani ſimul facit mentionem, atque de hoc expreſſe ſcribit, quod conſequens error hominis detraxerit ſcriptis probabilibus authoritatem, de illo autem minime ſic cenſuit, dicturus utique, ſi quidquid de baptiſmo hæreticorum docuit, id error ipſi viſus fuiſſet, manifeſtum eſt exinde, quod multo magis ad Cypriani, quam Stephani ſententiam adceſſerit, uti ab eo factum in ſecundo de Trinitate libro, item canone poſt decimum quinto in Matthæum. *Undecimo*, Baſilius Magnus expreſſe Stephani ſententiæ anteponit Cypriani ſententiam in epiſtola ad Amphilochium prima mox à principio, & in tertia ad eundem canone poſt quadrageſimum ſeptimo, item tertio & quinto contra Eunomium libris, ubique Athanaſii, familiaris & amici ſententiam & doctrinam ſequens, atque ab ea ne quidem latum unguem diſcedens. *Duodecimo*, Damaſus Pontifex in epiſtola ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum, baptiſmi modum ita deſcripſit, ut Decretum Stephani nunquam adprobando fuerit ſuum, nec memoratam ab eo traditionem agnoverit. *Decimo & tertio*, Gregorius Nazianzenus nullam de Stephano, uti de Cypriano habuit orationem, qua laudetur. (N B. In gratiam Veritatis id moneri debet, quod Launojus hic præ nimio erga Cyprianum ſtudio videatur oblitus eorum, quæ tertia primæ partis epiſtola ſub finem ex Baronio de hoc Cypriani elogio adduxit, Gregorium videlicet Nazianzenum errore manifeſto lapſum eſſe, duos in unum Cyprianos conflando, Antiochenum atque Carthaginenſem, qui tamen ſint inter ſe diſtincti. Quidquid autem ſit, hic etiam error oſtendit, magni habitum eſſe Cyprianum à Gregorio hoc Nazianzeno, quale nullum in promtu eſt documentum, quod tanti habuerit Stephanum.) In qua doctrinam & eruditionem Cypriani laudat, nec quidquam in eo reprehendit, his præſertim verbis uſus: Tu Cypriane, doctrina & eloquentia tanto reliquos mortales anteibas, quanto nos brutis animantibus præſtamus. Adcedit, cives Nazianzenos Cyprianum annuis honoribus & Feſtis celebraſſe, quod in Stephani memoriam non legitur factum. Inſuper Gregorius idem Nazianzenus in orationibus poſt viceſimam quarta & quinta de baptiſmo hæreticorum ea tradidiſſe, quæ multo magis in Cypriani, quam Stephani doctrinam quadrare videntur. *Decimo & quarto*, Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, in prima ad Sympronianum epiſtola, Novatianis in diſſidii Eccleſiaſtici cauſa non Stephanum, ſed Cyprianum opponit, & in ſecunda ſcribit expreſſe, Cyprianum in concordia omnium, in Pace communi, in Confeſſorum grege paſſum eſſe. *Decimo & quinto*, Siricius Papa in epiſtolæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum capite primo, Deceſſoris ſui, non Stephani Decretum laudat, utique laudaturus, ſi juſtum ac legitimum credidiſſet. *Decimo & ſexto*, Cyrillus Hieroſolymitanus, religionis Chriſtianæ candidatos docens, in prima Catecheſi ad Cyprianum non Stephanum adcedit. *Decimo & ſeptimo*, Gregorius Nyſſenus in oratione prima, uti & decima adverſus Eunomium, Stephano Pontifice relicto ſequitur Cyprianum. *Decimo & octavo*, Ambroſius, qui itidem de Stephano nullum, de Cypriano autem duos habet ſermones, in libri de imitandis capite quarto ea ſcribit, quorum reſpectu laudari non poteſt, quod Stephani Decretum fuerit amplexus, ſed potius, quod Cypriani ſententiam confirmarit. *Decimo & nono*, Prudentius Stephani in libro *περι στεφανων*

uti & in Hymnis filet, Cyprianum vero prædicat magnifice, nominatim in Hymno ordine quinto; unde effectum, ut omnibus in locis, quæ Prudentius deſignat, opera Cypriani diligenter adſervata fuerint & cuſtodita, ac nulla fere ſit Bibliotheca vetus, quæ ſancti Doctoris hujus opera non habeat, dum è contrario Stephani epiſtola nuſquam gentium inveniantur. *Viceſimo*, Innocentius Pontifex primus, in epiſtola ad Rufum, Euſebium & cæteros Macedoniæ Epiſcopos capite ſexto, de baptiſmo hæreticorum agens, cum opportunus erat locus citandi illius Decreti, quod quibuſlibet hæreticis non rebaptizandis ante annos centum & quinquaginta plus minus ediderat, tantum abeſt, ut illud fecerit, ut potius eidem tacite contradixerit, minime pugnans, à quacunque hæreſi venientes ad Eccleſiam non eſſe baptizandos, ſed eos duntaxat, qui in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti fuerint baptizati; & dum ait, Paulianiſtas minimè in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti baptizare, ſi per, in nomine, cum Hilario intelligat, in confeſſione, recte intelligit, ac præter Hilarium intelligentiæ ſuæ vadem & ſponſorem habet Athanaſium, qui Concilio interfuit Nycæno, in quo ſtatuitur, ut Paulianiſtæ omnimodis baptizentur, qui inter baptizandum uſurpabant nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, ſed in fide & confeſſione Patris, Filii & Spiritus Sancti non baptizabant. Quo ita poſito, uti congruenter poteſt, Innocentius non convenit cum Stephano, qui decrevit, ut à quacunque hæreſi venientes ad Catholicos non baptizentur. *Viceſimo & primo*, Hieronymus in libro de Viris illuſtribus, meminit Victoris, Cornelii & Damaſi, Pontificum Romanorum, uti & Cypriani, minime autem Stephani, unde nihil aliud colligitur, niſi quod epiſtolas Stephani judicaverit indignas, quæ commendentur poſteritati, & quod pluris Cyprianum, quam Stephanum æſtimaverit. Equidem in Dialogo contra Luciferianos ſcripſit Epiſcopos, qui in Synodo Africana cum Cypriano hæreticos ſtatuerunt rebaptizandos, ad antiquam conſuetudinem revolutos novum emiſiſſe Decretum ſed progreſſu temporis oſtendit, ſe, dum hæc ſcripſit, apocryphis quibuſdam Commentariis fuiſſe deceptum. Nam in laudato de Viris illuſtribus libro Stephanum ſilentio contumaci prætermiſit, & ubi excuſandi ejus erat locus, non tamen excuſavit, quod Cypriano præſtitit in eodem Dialogo, de quo inſuper in libro de Viris illuſtribus, quem integro poſt Dialogum decennio edidit, non ſcripſit, quod antehac ſcripſerat in Dialogo, cum Synodi Arelatenſis canon octavus ſupra adductus. Baſilius itidem in epiſtola ad Amphilochium teſtentur, eam uti & cæteros Africæ Epiſcopos, ad antiquam conſuetudinem revolutos non eſſe, ſed in conſuetudine ſua remanſiſſe, pro cujus antiquitate pugnaciter contenderant. In ſumma ſi verum, & non apocryphum eſſet Decretum illud, cujus meminit Hieronymus, Donatiſtæ non eſſent auſi epiſtolas Cypriani & illam Synodum Africanam toties obiicere Catholicis, quoties objecerunt apud Auguſtinum, aut ſi auſi eſſent objicere, Auguſtinus certe hujuſmodi compreſſiſſet audaciam objecto recentiori Decreto quod Cyprianus eum collegis tandem emiſiſſet, de quo tamen ne opus quidem in Commentariis Auguſtini legitur, quos edidit contra Donatiſtas. Nimirum fuerunt homines perverſe religioſi, qui poſt Cypriani tempora Cyprianum pœnitentia ductum finxerunt, & libellum ei ſubjecerunt ſub titulo, Pœnitentia ſancti Cypriani, qui in Synodo Romana relatus eſt inter apocrypha; at cum Romæ Hieronymus Dialogum ſcripſit contra Luciferianos, potuit in hunc libellum ante ejus condemnationem incidere, & illius lectione induci in hunc errorem. Eſt autem probe notandum, quod, quidquid Hieronymus in hoc Dialogo diſſeruit de baptiſmo hæreticorum, id poſtea pluribus in locis correxerit, videlicet in Commentario ſuper caput ſecundum Joëlis, in quarto ſuper Evangelium Matthæi libro, item in Commentario ſuper quartum caput Epiſtolæ ad Epheſios, ex quibus tanquam certa quadam lege dirigi & corrigi neceſſum eſt quidquid in Dialogo adverſus Luciferianos minus adcurate diſſeruerat. Inſuper, quanti Cyprianum & ejus Opera fecerit Hieronymus, diverſis in locis oſten-

Digitized by Google

oſtendit, nimirum in Apologia adverſus Jovinianum, in Epiſtola ad Paulinum de Inſtitutione Monachi, item in epiſtola ad Lætam, ad Paulum Concordienſem, ad Euſtochium. ad magnum Oratorem Romanum, uti & in Commentario ſuper quartum caput Jonæ, ac ſuper caput Iſaiæ quinquageſimum & primum, quibus ſimilia nunquam ſcripſiſſe legitur de Stephano. *Viceſimo & ſecundo*, Auguſtinus in libri de unico baptiſmo contra Petilianum capite poſt ultimum quarto videtur Stephanum & Cyprianum pari modo laudare, & tamen magis Cyprianum, quam Stephanum laude dignum cenſuit, dum de Stephano ſermonem nullum vel tractatum, plures autem de Cypriano inſtituit, videlicet ſermonem decimum & tertium in ejus Natali, quem Beda tractavit, deinde ſermonem centeſimum decimum & tertium de Diverſis, cum tribus immediate ſequentibus, qui ſermones vel Tractatus ut aliquis dubitet, num ſint Auguſtini, non patitur Indiculus Poſſidii, in quo notantur Auguſtini de Cypriano quatuor Tractatus, de quo cur tot habuérit ſermones, de Stephano autem ne unum quidem, non alia videtur eſſe cauſa, niſi quod pluris in Eccleſia DEI Cyprianus, quam Stephanus fuit habitus. Accedunt inſuper alia, per quæ docetur, Auguſtinum minus Stephani, quam Cypriani ſententiæ patrocinatum fuiſſe. Nam uti conſtat è ſupra dictis, Stephanus hæreticorum quorumcunque baptiſmata admiſit ut juſta & legitima, & in nullo cenſuit eſſe iteranda, dum è contrario Auguſtinus ea nec juſta nec legitima exiſtimavit, quæ in nomine Trinitatis non erant collata, uti hinc inde ſuam mentem ſatis perſpicue aperuit & confirmavit, nominatim in tertii de Baptiſmo contra Donatiſtas libri capite poſt decimum quinto, & ſexti poſt vigeſimum quinto, uti & poſt trigeſimum ſexto. Præter ea, quod ſupra jam quoque fuit obſervatum, hic autem neceſſario venit repetendum, ante Stephani & Cypriani tempora nulli vel pauci admodum fuerunt hæretici, à quibus in nomine Trinitatis Baptiſma datum vel acceptum ſit, & tunc hæretici vel omnes, vel pæne omnes aliter baptizabant aut baptizabantur, uti ex Irenæi teſtimonio ſupra producto colligitur; poſt ea autem hæretici frequentius in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizare & baptizari cœperunt, atque ſic medius Auguſtini locus eſt intelligendus, niſi quis velit illum in re hiſtorica falli, qui ad tempus ſuum procul dubio habuit reſpectum. Atque huc pertinet, quod Auguſtinus Decretum Stephani nuſquam producit integrum, vel ut illud confirmet, vel ut ex eo quidquid de baptiſmo hæreticorum non iterando differit, confirmetur. *Viceſimo & tertio*, Paulinus Nolæ Epiſcopus in ſuis Poematibus non celebravit Stephanum, uti Cyprianum in Natali poſt decimum primo. *Viceſimo & quarto*, Vincentius Lirinenſis Stephanum laudat quidem in prima adverſus profanas hæreticorum omnium innovationes libri capite nono, ut Virum prudentem & ſanctum, ſed Cyprianum multo magis capite ſequenti undecimo, & libri ſecundi capite ſecundo, ubi meminit, ejus & collegarum tanquam Judicum & teſtium ſcripta in Concilio Epheſino recitata fuiſſe, quo honore Stephanus nunquam fuit adfectus; & ubi laudat Stephanum Vincentius, à lapſu hiſtorico non poteſt defendi. Videlicet, cum Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus ante Cyprianum, pluribus etiam annis ante, quam Stephanus Romanam adminiſtraret Eccleſiam, Synodum habuit, in orbe toto, qui reſiſteret, inventus eſt nemo; inprimis non reſtiterunt Pontifices Romani, qui Agrippino æquales, vel ætate ſuppares erant. Sic, cum Tertullianus ſcripſit librum de baptiſmo & præſcriptionibus hæreticorum, & horum baptiſmata omnino abjecit, in orbe toto, qui reſiſteret, inventus eſt nemo; inprimis non reſtiterunt Pontifices Romani, qui, quo tempore Vir tantus ſuos edidit commentarios, vixere. Nec etiam Clementi Alexandrino reſtiterunt. Porro Irenæus cum varia hæreticorum baptiſmata deſcripſit, & uti abſurda repulit, in orbe toto, qui reſiſteret, inventus eſt nemo; inprimis non reſtiterunt Pontifices Romani, qui, quo tempore Vir tantus ſcripſit, claruerunt. Juſtinus quoque Martyr, cum baptizandi formam apud Chriſtianos delineavit, & baptiſma Judæorum ciſternis diffipatis æquavit, & rejecit tanquam inutile, in orbe toto, qui reſiſteret, inventus eſt nemo;

imprimis non reſiſterunt Pontifices Romani, qui, quo tempore Vir maximus ſcripſit, floruere. Quis enim quæſo, Juſtinum redarguit, quis eum diminutæ circa Baptiſmum Doctrinæ adcuſavit, quod Baptiſmum hæreticorum ut Dominicæ vel Apoſtolicæ traditionis cenſum minime prædicaverit? Hæc autem cum ita ſint, neceſſario ſequitur, novellis adinventionibus adſcribi non poſſe, quod Agrippinus & cæteri Præſules Africani de Baptiſmo hæreticorum decreverunt, quod Tertullianus & Clemens Alexandrinus ante Agrippinum & Concilium Carthaginenſe, quod Irenæus ante Tertullianum, & Juſtinus ante Irenæum de Baptiſmo hæreticorum tam pacifice tradiderunt. Cur vero, quidquid id eſt, novellis adinventionibus non poſſit adſcribi, certo certius colligitur ex illo more, qui ſemper viguit in Eccleſia, ut quo quiſque foret religioſior, eo promtius novellis contrairet adinventionibus. Præterea, quod Exemplum de Agrippino & Stephano eidem reſiſtente adſumitur hic à Vincentio, in eo leges Hiſtoriæ ab eo negliguntur; quia Stephanus Agrippino nec reſtitit, nec reſiſtere potuit, erant enim tempore non æquales, dum ille hunc poſt multos Annos & longam ætatem ſubſecutus eſt, neque etiam Agrippinus mortalium primus fuit, qui rebaptizandum eſſe cenſuit, quippe Tertulliano, Clemente Alexandrino, Juſtino & Irenæo ante ipſum hoc idem ſtatuentibus. His autem ita poſitis, Agrippinus rebaptizandum eſſe non ita perinde cenſuit, ac ſi omni retro ad Apoſtolos tempore in Africa omnium hæreticorum Baptiſmata probarentur; ſed primus omnium habita Synodo majorum traditionem adſeruit, cum à non nullis cœpit dubitari, num Baptiſma hæreticorum foret juſtum ac legitimum, necne? Inſuper nullus Canon Divinus prohibebat, hæreticos eſſe rebaptizandos, qui, quomodo refert Irenæus, Baptiſma hæreticorum tradiderint aut acceperint. Divinum intelligo Canonem, ſcribit Launojus, ſuis inſerviens hypotheſibus, quem Scriptura S. vel Apoſtolica Traditio nobis objicit; quæ nuſquam docet, Baptiſmum ab hæreticis ubicunque & quemodocunque datum eſſe juſtum & legitimum, quia etiam Cyprianus & Firmilianus Stephano Scripturam & Traditionem Majorum pugnaciter opponunt, ac ante tempus, quo Agrippinus & Concilium Carthaginenſe rebaptizandum eſſe cenſuit, univerſalis Eccleſiæ nulla occurrit Regula, quæ, ne rebaptizentur hæretici præſcribat, & ſi quæ fuiſſet, ab Agrippino & Concilio Carthaginenſi, vel à Tertulliano & aliis violata non fuiſſet impune, minime hic & ibi defuturis, qui eidem reſiſterent. Paulus certe reſtitit Petro, quia reprehenſibilis erat. Irenæus Victori Papæ reſtitit, eum commonens, ſe non facile debere unitatem Collegii ſcindere, ſed ſervandum eſſe cum Polycrate & Aſianis pacem, quem Anicetus Deceſſor cum Polycarpo Smyrnenſi ſervaverat, juxta Euſebium libri Hiſtoriarum quinti capite poſt viceſimum quarto. Sic Malchion Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter apud Hieronymum in Catalogi Virorum Illuſtrium capite octogeſimo reſtitit Paulo Præſuli ſuo, Artemonis dogma inſtauranti. Ita etiam Athanaſius in libro de Sententia Dionyſii Alexandrini negat, huncce Deceſſorem ſuum Arianis faviſſe, quia, quo tempore dicitur faviſſe, ob id reprehenſus non fuerit. Quin & Agrippinus contra ſenſum ſuorum Conſacerdotum non cenſuit eſſe rebaptizandum, cum id, quod cenſuit, habita multorum Epiſcoporum Synodo, & quidem una omnium voce cenſuerit; nullis exiſtentibus tunc Sacerdotibus, qui vel in Africa, vel in Ægypto, vel in Oriente, vel in Occidente, atque adeo in ipſa reclamarint Italia. Certe, ſi Vincentius Lirinenſis legiſſet Firmiliani Epiſtolam ad Cyprianum, ſi vidiſſet inſuper Epiſtolas Dionyſii Alexandrini, ſine dubio non ſcripſiſſet de Agrippino, quod ſcripſit. Nequę etiam Agrippinus contra morem ac Inſtituta Majorum cenſuit eſſe rebaptizandum, qui mos & Inſtituta Majorum ſimpliciter à Vincentio enuntiantur, non vero probantur nec probari poſſunt; imo Vincentianæ Enuntiationi Majores obſiſtunt, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Juſtinus, Irenæus, & ſi qui alii de Baptiſmo & ejus diſciplina jam inde ab Apoſtolicis temporibus uſque ad

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopatum Agrippini tractarunt. Nec omnino prætermittendum, quod revera Stephanus non Agrippino, ſed Cypriano repetérit, quod genus errores in Vincentio Lirinenſi nullam plane habet excuſationem, cum plures præterfluxerint Anni, quod Agrippinus obiit ante, quam Stephanus ad Romanam adceſſit Eccleſiam; & poſtmodum plures Cypriano, quam Stephano complauſerunt, tantum abeſt, ut undique ad novitatem rei reclamarent cuncti, ac omnes quaquaverſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, prout Vincentius minime ex vero ſcripſit, novitas quippe non erat, uti falſo adpellat, dum è contrario ante Stephanum nemo in cæteris Eccleſiæ partibus ſimile Decretum Stephani Decreto inveniet. In ſumma, hæc non eſt juris, ſed facti Quæſtio, quæ non præſumta opinione ſeu ſuſpicione, ſed certis ac evidentibus vetuſtiorum Agrippino ſcriptorum teſtimoniis eſt dirimenda, nec unquam adverſus Agrippinum hunc modo dirimetur. *Viceſimo & quarto*, Maximus Taurinenſis, Stephanum in ſuis Homiliis dimiſit incelebratum, Cyprianum vero in duabus duxit celebrandum *Viceſimo & ſexto*, Theodoretus, tam in exponendis ſcripturis, quam in Hiſtoria Eccleſiæ exercitatiſſimus, non Stephanum ſequitur, ſed Cyprianum, cum Marcionis rejicit Baptiſmum, quem Stephanus admiſit, teſte Epiſtola poſt centeſimam & quadrageſimam quinta ad Monachos Conſtantinopolitanos ſcripta, ut & libri de fabulis hæreticorum quarti capite primo. *Viceſimo & ſeptimo*, Petrus alias Chryſologus, Epiſcopus Ravennatenſis, de natali quidem Cypriani, nullum vero de Stephani habuit Sermonem; atque ſic nomen Stephani non tam procul ab urbe Roma ſilétur, & procul à Carthagine nomen Cypriani prædicatur. *Viceſimo & octavo*, Synodus Romana, quæ Libros authenticos diſtinxit ab apocryphis, Epiſtolis Stephani contra Cyprianum & Orientales editis nullum dedit locum, ſed, quod mireris primum opuſculis Cypriani, & quidem, quod ſumma dignum eſt obſervatione, nulla cum exceptione. *Viceſimo & nono*, Ennodius, Tirinenſis Epiſcopus, de Stephano nullum, de Cypriano egregium compoſuit hymnum; atque ſic, quæ Cyprianus docuit & fecit Carthagine celebrantur in Italia, quæ vero Stephanus docuit & fecit Romæ, non celebrantur ibi, quæ mira rerum eſt converſio. *Triceſimo*, Fulgentius Rulpenſis Auguſtinum imitatur, nec prædicat Stephanum, ſed Cyprianum in Sermone, quem in hic ejus natali debuit, laudans Cypriani ſine ulla itidem exceptione Doctrinam. *Triceſimo & primo*, Caſſiodorus Senator in libri de Lectionibus Divinis capite poſt decimum nono & poſt viceſimum octavo laudes exequitur Cypriani, nullibi autem Stephani; quin & Athalaricus Italiæ Rex non Stephano, ſed Cypriano diem inſtituit ſolemnem, cujus. Inſtrumentum exhibet idem Caſſiodorus libri Variarum octavi numero poſt trigeſimum tertio, quale quid Stephano vel Romæ, vel in Italia honoris ergo decretum eſſe nuſquam reperitur. *Triceſimo & ſecundo*, Facundus, Hermianenſis Epiſcopus, utrique & Stephano & Cypriano defert honorem, ſed Cypriano majorem, quam Stephano, libri decimi capite tertio. *Triceſimo & tertio*, Victor Tununenſis Epiſcopus in Chronico tale refert Miraculum, per quod Baptiſmus Epiſcopi cujuſdam Ariani, in nomine Patris per Filium in Spiritu S. Baptizare volentis fuit ita reprobatus, ut Aqua diſparuerit, Vas autem plane confractum fuerit. *Triceſimo & quarto*, Fortunatus Presbyter Pictavienſis in libri octavi Carmine quarto de Virginitate, ſeu potius de Beatitudine, poſt Apoſtolos non laudat Stephanum, ſed proxime Cyprianum. *Triceſimo & quinto* Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Martyrum nihil habuit, quod obſervaret de Stephano, ſed de Cypriano præclara quædam habuit, quæ in capite poſt nonageſimum quarto leguntur, quibus addi debet, quod in primo Hiſtoriæ Francorum libro capite trigeſimo extat. *Triceſimo & ſexto*, Gregorius M. libri duodecimi Epiſtola trigeſima ſignificat, illo tempore diem Cypriani natalem Romæ tam fuiſſe celebrem, ut negotiis tractandis inſtar alicujus termini fuerit adpoſitus, quod perſpicue demonſtrat, quantus in Eccleſia Romana Cyprianus fuerit præ Stephano. Idem Gregorius librum edidit Sacramen-

cramentorum, vel à Deceſſoribus editum adauxit, exponens in eo qualiter Miſſa Romæ tum fuerit celebrata, in cujus Præfatione ſeu Canone Cyprianus ponitur non Stephanus. Quod autem hic de Romana obſervatur Eccleſia, id de cæteris obſervare neceſſum eſt Eccleſiis, quæ hac utuntur Præfatione, atque ab eo uſæ ſunt tempore, quo conſcripta eſt, & recitari cœpit. Hinc efficitur, ut merito nequeat dubitari, quin tam in Romana, quam Occidentalibus Eccleſiis pluris ſemper Cyprianus fuerit æſtimatus, quam ipſe Stephanus. Imo, in eodem Gregorii libro Stephani Feſtum non habet præfationem, qualem Cornelii & Cypriani habet, in qua Cyprianus par cum Concilio ſortitur Elogium, dum uterque greges Sacros pane Divino, id eſt, Sacra paviſſe Doctrina, atque in una fide Martyrium impleviſſe dicitur. At Stephanus non ita laudatur; & cum non ita laudetur, ſignum eſt evidens, Cyprianum in Eccleſia Romana tunc fuiſſe tractatum aliter, ac nunc à quibuſdam è Schola Theologis tractatur. Excuſare tamen ſe poſſunt utcunque, quod iſta prorſus ignorent, dum in libro Sacramentorum, quem Abbas Grimaldus recenſuit quondam, Cornelius & Cyprianus præfatione hac vel ſimili careant; quamvis ſi hujus libri præferenda eſſet Editio Romana, quæ Gregorio Pontifice decimo & tertio hujus nominis eſt adcurata, Cornelii & Cypriani in Doctrina & Fide conſortium ita deſcribitur in ea, ut ad ſtatuendum hac in parte diſcrimen inter Stephanum & Cyprianum intercludat omnem aditum. Porro, cum Gregorius idem libri noni Epiſtola poſt ſexageſimam prima ad Quirinum & alios non Hiberniæ, uti vulgata habet Editio, ſed Iberiæ, uti legitur in Manuſcriptis, Epiſcopos, de admittendis in Eccleſiam hæreticis tractat, non dicit, ſicuti Pontifices Romani dicere conſueverunt, nos Stephani Papæ & Martyris, noſtri Deceſſoris inhærendo veſtigiis ſtatuimus, quod dicere potuit facile, (imo debuiſſet dicere, ſi ejus Sententiæ adhæſiſſet) ſed maluit Decretum illud Stephani in præteritis relinquere, quam, quod quadrare nequit, perperam adferere. Fuerunt etiam in Gallia, qui poſt Gregorii tempus Miſſæ præfationem nominibus Hilarii, Martini, Auguſtini, Hieronymi, Gregorii & Benedicti auxerint, non item Stephani, qui iis tanti non fuit. Inter antiquas itidem Miſſæ præfationes, numero centum & tredecim, nulla legitur pro Stephano, uti pro Cornelio & Cypriano, de quibus agit Gualterus Ruys à Gravia, ordinis Prædicatorum Theologus in Epiſtola ad Provincialem ſuum Dedicatoria. Inſuper libellus idem vel ſimilis alius extat inter Pamelii Liturgica, in quibus eadem eſt Præfatio non pro Stephano, ſed pro Cornelio & Cypriano. *Triceſimo & ſeptimo*, Synodus Quiniſexta Canone ſecundo, ubi vetuſtos confirmat Canones, quod Stephanus contra Cyprianum & Synodum Carthaginenſem decrevit, non confirmat, ſed potius, quod Cyprianus & Synodus Carthaginenſis contra Stephanum ſtatuerunt, confirmat. *Triceſimo & octavo*, Venerabilis Beda in libro de ſex ætatibus Mundi, Stephanum & Cyprianum aliter atque aliter adpellat, nimirum ſcripta Cypriani laudat, eaque doctiſſima vocat, decretum vero Stephani, vel exaratas ab eo de hæreticis non rebaptizandis Epiſtolas non laudat, tantum abeſt, ut nominet doctiſſimas, vel eis aliquem Religionis vindicatæ titulum adſcribat. Præterea, in Ephemaide, quæ ad Bedam eſt, ingens diſcrimen inter Stephanum & Cyprianum ſtatuitur, dum hic dicitur Inſignis Doctor, cujus Dicta totum per orbem ab Eccleſiis prædicantur, nihil tale autem de illo prædicatur, ac Epiſtolæ ejus omnino tacentur. *Triceſimo & nono*, Paulus Pontifex hoc nomine primus Monaſterium in honorem Stephani curavit ædificari, teſte Anaſtaſio; ſed dudum ante id in honorem Cypriani factum eſt Carthagine. *Quadrageſimo*, Aleninus nullum Stephano, uti Cypriano in ſuis Poëmatibus locum adſcripſit. *Quadrageſimo & primo*, Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus libro Carminum quarto multorum Patrum perſequitur laudes, ſed inter eos non Stephanus, verum Cyprianus eminet. *Quadrageſimo & ſecundo*, Ado Viennenſis in Martyrologio teſtatur, Carolo M. Imperatore reliquias Cypriani Carthagine tranſlatas eſſe in Gallias, & Lugduni ſumma cum veneratione ac cultu ſuſcepta

Digitized by Google

ceptas fuiſſe, quale quid de reliquiis Stephani non legitur, quod Roma aliorſum tranſlatæ ſint, atque ob illud veneratione celebriori cohoneſtatæ, Agobardo, Lugdunenſi Epiſcopo hanc tranſlationem reliquiarum Cypriani carmine aliquo celebrante. *Quadrageſimo & tertio*, Hincmarus, Rhemenſis Epiſcopus, libri de Prædeſtinatione tertio capite Stephanum & Cyprianum aliter atque aliter laudat, hunc adpellans Doctorem mirificum, illum non item; & quando ſcribit, nunc ſanctam tenere Eccleſiam, quod de baptiſmo ſenſit Stephanus, Decretum ejus ſe haud legiſſe ſignificat, raptus fortaſſis opinione vulgi in hunc errorem, qui minime debet nocere Veritati, dum non quod de baptiſma hæreticorum ſenſit Stephanus, ſed quod Synodus Arelatenſis prima, & ſecutus hanc Gregorius Magnus ſenſerunt, nunc tenet, & ævo Hincmari ſancta tenuit Eccleſia. Anaſtaſius certe, ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarius in vita Stephani aliarum ejus meminit Conſtitutionum, ſed illius non meminit, quæ ad baptiſmum hæreticorum pertinet, ſed Decretum illud omnino ſilet, quaſi qui Romæ ſcribunt, illud eloqui non auderent, vel etiam erubeſcerent. Hunc Anaſtaſium fortaſſis imitatus eſſet Hincmarus, ſi tam probe noviſſet Decretum Stephani, quam probe noverat æqualis Hincmari Anaſtaſius, rerum à Pontificibus Romanis geſtarum peritior. *Quadrageſimo & quarto*, Johannes Fronto, Cœnobii ſancti Genovefæ Pariſienſis Cancellarius, juris publici fecit Kalendarium ſub nomine Romani, in quo obcurrit mentio Natalis ſancti Cypriani, nulla autem Stephani; quod ſi conſideretur adtentius, majoris apud Eccleſiam Romanam pro Cypriano, quam Stephano exiſtimationis teſtimoniorum importat. Idem reperitur in Rhemenſis Eccleſiæ manuſcripto Codice, in quo Cyprianus æquatur Petro & Paulo. *Quadrageſimo & quinto*, Eccleſia Romana in Litaniis veteribus, quas ordo Romanus continet, Cyprianum, non vero Stephanum invocat, quam ſequuntur plures Eccleſiæ Galliarum, quamvis in recentioribus Eccleſiæ Romanæ Litaniis Cyprianus omittatur, fortaſſis ne ex hoc precum genere Cyprianus pluris, quam Stephanus judicaretur æſtimatus; ſed fruſtra, quia Cyprianus in Miſſæ Canone remanſit, & quidquid id eſt, ex privatorum quorundam hominum ſententia, non publico ſedis Apoſtolicæ judicio, cui reſiſtendum non eſſet, adciditſe credimus, ac quod argumentum exinde, nimirum, ex veteribus ordinis Romani & conſpirantium tot Eccleſiarum litaniis ducitur aut duci poteſt, vim ac robur non amittit. *Quadrageſimo & ſexto*, Notkerus, Monachus S. Galli, in Martyrologio Breviarium Vitæ Stephani conferit, in quo variarum illius Conſtitutionum meminit, & plures ab eo baptiſatos fuiſſe dicit, ſed ne verbo quidem attigit Conſtitutionem, qua, ne quis à quacunque hæreſi veniens ad Eccleſiam baptiſetur, vetuit, id tribuens traditioni, & confirmans exemplo hæreticorum, qui licet ab una Secta tranſirent ad aliam, ſeſe non rebaptiſabant; ne verbo, inquam, adtigit hoc Decretum, quia poſt Stephani migrationem ab Eccleſia Romana vindicatum rurſus non compererat. *Quadrageſimo & ſeptimo*, Petrus Damianus, oſtienſis Epiſcopus & Cardinalis, de Stephano Papa & Martyre Sermonem habet ſatis longum, ſed eum minime laudat ab eo certamine, quod cum Cypriano de Baptiſmate hæreticorum inſtituit, nec laudat ab ea ſanctione, qua, ne à quacunque hæreſi ad Eccleſiam venientes rebaptiſentur, vetuit, & ſequendum ea in re hæreticorum ſe invicem non rebaptiſantium propoſuit exemplum; atque ex hoc vel uno capite adparet, quanto Romæ in neglectu fuerit Decretum, quod Stephanus de non rebaptiſandis quibuſcunque hæreticis ediderat. *Quadrageſimo & octavo*, Leo Pontifex hoc nomine nonus, ut adverſus Gummitanum Epiſcopum jura Metropolitani Carthaginenſis tueatur Concilium, quod Cyprianus habuit, uſurpat in Epiſtola ad Johannem & Petrum Epiſcopos quarta, argumentum ex ejus præfatione deſumens. *Quadrageſimo & nono*, Paſchalis ſecundus nona ad Pontium Abbatem cluniacenſem, Epiſtola ad authoritatem Cypriani provocat, dum nec ille, nec ejus Deceſſor aut ſucceſſor edixit unquam, ut Stephani Decretum, quale à Cypriano Recenſetur, admittatur in authoritatem,

Decreti confirmatio, quæ apud Cyprianum eſt, rem ita circumſcribit, ut Decretum, quod eſt in Breviario, funditus evertat, & ut alienum à vero Stephani Decreto procul abjiciat, dum quod eſt in Breviario, pati exceptionem poteſt, ejus autem confirmatio apud Cyprianum ex moribus hæreticorum quæſita non poteſt. Tandem, Romani Breviarii correctores, cum Stephani Decretum in eo repræſentant interpolatum, mutilum & decurtatum, palam oſtendunt, illud, quale à Stephano eſt editum, purum putum defendi non poſſe, & neceſſaria conſecutione firmari epiſtolas Cypriani ad Jubajanum & Pompejum, uti & Firmiliani ad Cyprianum, quibus relatum Stephani Decretum impugnatur, & ſubvertitur. *Quinquageſimo & ſeptimo*, In alio quodam vetere Breviario Romano deſcribebatur Martyrium Cypriani, quod in hodierno ſublatum eſt, & in ejus locum una Lectio ſuffecta, quæ ex Hieronymi Catalogo Virorum illuſtrium ſic deſumitur: Cyprianus Afer primum glorioſe Rhetoricam docuit &c. At ex eodem Hieronymi catalogo nulla repeti poteſt Lectio de Stephano, quia Hieronymus ibi epiſtolarum Stephani non meminit. *Quinquageſimo & octavo*, Baronius in Notis ad Martyrologium meminit alicujus Hymni ex Breviario quodam Toletano, quo Martyrium Cypriani egregie deſcriptum canitur, cujus hoc eſt exordium, orbis Magiſter, &c. ſupprimens ea quæ ſequuntur in laudem ejus dicta & ſcripta; ſed non dicit, in eo vel alio quodam Breviario legiſſe ſe Hymnum, quo Stephani Martyrium egregie deſcriptum cum tali exordio & elogio canatur. *Quinquageſimo & nono*, Hodiernum Martyrologium Romanum utriuſque & Stephani & Cypriani diverſis in locis meminit, ſed, quod bene notandum, à doctrina non Stephanus, ſed Cyprianus laudatur, & tamen multo magis Stephanus fuiſſe laudandus, ſi quod Baronius tradit in Notis, certiſſima niteretur veritate. Ita autem ſcripſit, Ejus celeberrima & admiranda plane geſta, cum adverſante toto fere terrarum orbe de baptiſmate hæreticorum tutatus eſt Majorum traditionem, digeſſimus in Annalibus Eccleſiaſticis. At, ſic regerit Launojus, in Stephani geſtis, quæ ibi digeſſit, nulla eſt tanta rei mentio, tantum abeſt, ut in Geſtis ejuſmodi Stephanus dicatur orbe terrarum fere toto adverſante Majorum traditionem tutatus eſſe. Sic, quod dicit Baronius, non diceret, ſi geſtorum, quæ ut celeberrima & plane admiranda venditat, recordaretur. Deinde ad hominem diſputo, inquit Launojus, ſi tutatus eſſet Majorum traditionem Stephanus, cur Breviarii Romani correctores non retulerunt Decretum Stephani, quale conditum eſt ab eo, & quale in Annalibus Eccleſiaſticis refertur? Hic aqua hærebit. Imo, cur iidem correctores hoc Decretum repræſentando interpolatum, mutilum & decurtatum, in laqueos inextricabiles inciderunt? Idem, cur Gregorius Magnus Iberorum conſultationi reſpondens Decretum Stephanum adprobando non fecit ſuum? Et cur idem diſtinxit, ubi Stephanus ipſe non diſtinxit? Cur præterea ad Arelatenſis Synodi potius, quam ad Stephani conſtitutionem expreſſit reſponſum? Profecto Baronius, cum falſis recentiorum Curiæ Doctorum præjudiciis occupatus Stephani Papæ honori & famæ voluit velificari, prorſus neglexit leges Hiſtoriæ, & prodidit, ſe in Eccleſiaſticæ quæſtionis cognitione hoſpitem & peregrinum omnino fuiſſe. Baronii calamus hac in re fuit calamus hominis velociter ſcribentis. *Sexageſimo & tandem*, Eccleſia Romana Cypriani, quam Stephani Feſtum agit ſolemnius, quod ex Breviarii Kalendario obſervatur. Cur ita? niſi quod Cyprianus in ea pluris factus eſt, quam Stephanus, non quidem propter Martyrium, quia in utroque par fuit,, ſed propter celebritatem ejus in Cypriano, quam Stephano majorem, & propter exantlatos in Eccleſia DEI ædificanda labores, quæ non niſi fide, doctrina & operibus ſanctis ædificatur. Quidquid id eſt, idonea facti ratio vix alia reddetur.

His ita in anteceſſum prolixiſſime expoſitis, plus ultra nunc progreditur Launojus, ſic ſcribens: Scholaſtici quidam recentiores, Albertus Pighius, Robertus Bellarminus, Martinus Becanus & alii, cum ex inveniendi adierendique veri legibus diluendæ huic quæſtioni Eccleſiaſticæ non vacaverint, haud mirum eſt, illos in varias abiiſſe ſenten-

tias, quæ tamen conveniunt in eo, quod omnes à Theologicæ Profeſſionis ſcopo longius aberrent, id eſt, adſerant, quod re conſiderata neutiquam fuit adſerendum. Pighius libri de Eccleſiaſtica Hierarchia ſexti capite poſt decimum tertio hæc habet: *Concilium illud Africanum ducentorum & eo amplius Epiſcoporum, qui ſub glorioſiſſimo Pontifice & Martyre Cypriano convenerunt longe ante Synodum Nicenam, quod ex ſe erat, errabat in definitione Fidei, & baptizatos ab hæreticis & ſchiſmaticis ad unionem Eccleſiæ Catholicæ revertentes cenſuit rebaptizandos, quod falſum & erroneum eſſe docet Eccleſia Chriſti orthodoxa; ſed definitionem ſuam Sedis Apoſtolicæ authoritati ſubmiſerunt*, quod ut probet, Hieronymum poſtea laudat ex Dialogo adverſus Luciferianos. Bellarmini verba ſuperius jam ſunt exhibita, Becani autem ex capitis quarti, de Sacramentis in comuni, Quæſtione quinta ſunt hæc: *Primus error eſt, Sacramenta non eſſe valida, quæ conferantur ab hæreticis & ſchiſmaticis poſt eorum ſeparationem ab Unitate Catholica, ita enim docuerunt Aſiatici teſte Euſebio, & Africani, teſte Auguſtino*, locis ſupra citatis, *ubi etiam indicat Auguſtinus, primum hujus erroris authorem fuiſſe Agrippinum, Carthaginenſem Epiſcopum, ſancti Cypriani prædeceſſorem, quem ſecutus eſt Cyprianus cum multis Africæ Epiſcopis, ſic tamen ut propterea ſe non ſepararet ab unitate Eccleſiæ, ut ipſe fatetur in epiſtola ad Quintum atque Pompejum, unde hæreticus nunquam eſt habitus, imo multi putant, eum poſtea ſententiam revocaſſe, uti teſtatur Auguſtinus Epiſtola poſt Quadrageſimam octava, ad Vincentium, quin & cæteros quoque Epiſcopos, qui eidem adhæſerunt, errorem corſtat revocaſſe, Stephani permotos authoritate, uti Hieronymus ſcribit in Dialogo adverſus Luciferianos.* Ad hæc Launojus generatim nonnulla notat, quæ ad examinandas & una configendas horum trium authorum ſcriptiones neceſſaria videbantur. Et primo quidem inquit, hi Triumviri hanc tractant quæſtionem occupati non antiquis Apoſtolicæ Sedis traditionibus, ſed recentioribus Curiæ Romanæ placitis & moribus, quos Hadrianus Pontifex hoc nomine ſextus, deſcripſit in Mandatis à Franciſco Cheregato acceptis, quando Pontifex eum ad Principes Germaniæ ablegavit; atque in hac mentis occupatione tribuunt Stephano privilegium non errandi, cui aptant, quæcunque cenſent de exorta inter Stephanum & Cyprianum de baptiſmo hæreticorum controverſia. At ex vetuſtis Eccleſiæ Tractatoribus neminem repereris unquam, qui quæſtionem ita propoſuerit. Deinde, cum de baptiſmo hæreticorum diſputant, ſibi tantum ante oculos conſtituunt Novatores hodiernos, (N B. Ita ex hypotheſi recepta ſcribit Launojus, quod nunc in eo non ægrius ferendum) qui dum ſe ab Eccleſia ſejunxerunt Catholica, hunc in baptizando ritum, ſcilicet, in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti retinuerunt; ſed nuſquam ante oculos ſibi conſtituunt varia hæreticorum baptiſmata, qui vel æquales fuerunt Stephano, vel Stephanum præceſſerunt, diſſimulantes Irenæum, qui hæc baptiſmata ad ſatietatem uſque recenſuit, diſſimulantes baptiſma Marcionis, quod uti juſtum & legitimum Stephanus admiſit, diſſimulantes, quæ Juſtinus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus de baptiſmo hæreticorum arbitrantur, diſſimulantes tandem ipſius Stephani Decretum, quæ ad controverſiæ deciſionem ſcitu neceſſaria tam non leguntur apud hos Triumviros, quam non leguntur apud Homerum aut Virgilium. Tum diſſimulant, vel potius non probe norunt, Hieronymum ætate provectiorem tacite tribus in locis revocaſſe, quæ de baptiſmo hæreticorum in Dialogo adverſus Luciferianos junior ſcripſerat, in quibus depoſita priori ſententia in contrariam illi tranſivit ſententiam, & Stephano relicto ad Cyprianum adceſſit; quo fit, ut quæ Hieronymus de Baptiſmo hæreticorum docet in Dialogo, hæc non poſſint amplius illi, niſi per ſummam adtribui injuriam, δόκησιν nimium ἐφέλκυσιν σοφιστῶν. quas Triumviri hi & horum exſcriptores noſſe debuerunt, à quibus expectanda lux non eſt, utpote, qui in tenebris, id eſt, in rei cognitu neceſſariæ verſantur ignoratione, quod ſatis perſpicue demonſtrant, cum, quæ ſcienda ſunt ab initio, neſciant, & quæ ſunt evolvenda diligentius, pertinaci involvant ſilentio, atque hoc unum defuerit illorum negligentiæ, ut multa ex Hieronymi Dialogo adverſus Luciferianos tribuerint, quæ

poſt.

Digitized by Google

poſt cogitationes ſecundas & lectum Concilii Arelatenſis canonem & evolutam Baſilii epiſtolam ad Amphilochium jure tribui non amplius poterant. Denique, quod vix crederet quiſpiam, cum materiæ propius inſiſtunt, ipſis neſcientibus cum Cypriano magis, quam Stephano conveniunt, dum uti Cyprianus hæretici cujuſcunque baptiſmum ſimpliciter & abſolute rejicit, ſic etiam illi cujuſcunque hæretici baptiſmum rejiciunt, præter illum, qui in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti confertur, Stephanus vero cujuſcunque ſimpliciter & abſolute recipit; quo autem tempore mutua inter Stephanum & Cyprianum exarſit contentio, nulli vel pauci certe hæretici baptizabant in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, uti ex laudato Irenæi teſtimonio conſtat. Atque his ita poſitis Triumviri hi, niſi magis, certe non minus cum Cypriano quam Stephano conveniunt, etiamſi hæc ita ſe habere non exiſtiment, & ſic teſtentur, ſe rem, de qua agitur, nec ad plenum & perfectum comprehendere, ac inde veterum hæreticorum inſtituta baptizandi, recentium hæreticorum inſtituti minus conſiderate metiri, quæ perverſa eſt & diſcendi & docendi ratio.

His generatim notatis & animadverſis, alia nunc ſphalmata ſigillatim perſequitur Launojus, quæ in relatis Triumvirorum teſtimoniis deprehenduntur. Primo dicit Pighius, Concilium Africanum fuiſſe ducentorum & eo amplius Epiſcoporum; Bellarminus autem fuiſſe octoginta. Uterque fallitur; ille magis, hic minus. Videlicet, Concilium fuit Epiſcoporum octoginta & ſeptem, quorum extant totidem ſententiæ. Secundo, quo ſenſu Pighius Concilium hoc Africanum ſedis Apoſtolicæ authoritate ſuam definitionem ſcribit ſubmiſiſſe, non ſubmiſit; & quia Bellarminus & Becanus illud non ſcribunt, hac in parte minus falluntur, quam Pighius. Tertio, Becanus non omnes refert, qui Stephano reſtiterunt, non præter Aſiaticos & Africanos, quorum meminit, reſtiterunt & alii, potiſſimum vero Dionyſius Alexandrinus, Vir magni nominis; atque ſic Hiſtoriam quæſtionis Eccleſiaſticæ, cui ſolvendæ vacat, haud perfecte calluit. Quarto, Bellarminus non legit unquam Stephani Decretum, vel ſi legit aliquando, ſe legiſſe non meminit, cum ita ſcripſit, ſine dubio Stephanus non definivit tanquam de fide. Et iterum, Pontifex noluit ipſam rem facere de fide, ſine Concilio generali. Injuriam facit non mediocrem Stephano, cum id hoc modo proponit. Quaſi vero potuiſſet recte ſtatuere, ut id, quod decrevit, fide divina crederetur, ſcilicet, baptizandum non eſſe à quacunque hæreſi venientem, ab illis nimirum hæreſibus, quarum baptiſmata deſcripſit Irenæus. Ubi enim ſcriptura, ubi traditio, quibus fide articulus inniteretur? Profecto, fateor me neſcire, qui res animis & auribus tam abſurda potuerit in mentem venire Bellarmino, niſi fortaſſis ut obiter privilegium non errandi etiam in materia rei non apta lectoribus ſuis inſtillaret. Sed Vir cautus in aëre piſcatur, & in medio Mari venatur jaculo. Quinto, Bellarminus cum ait, Pontifex noluit rem ipſam de fide facere ſine Concilio generali, ariolorum & Vatum exercet artem. Scilicet, Stephani epiſtolas unam ad Cyprianum, alteram ad Epiſcopos Orientales miſſam non vidit; & qui eas viderunt, Cyprianus nimirum & Firmilianus, iidemque reſponderunt, id vidiſſe ſe non memorant, & ambo penitus ſilent de Concilio generali, quod habitans eſſet Stephanus, ut rem faceret de fide. Auguſtinus quidem controverſiæ hujus deciſionem ad generale ſæpius remiſit Concilium, ſed id feciſſe vel ſemel Stephanum dixit nunquam. Quorſum, quæſo, hic neglectus Hiſtoriæ, quorſum fechnæ tam inutiles, cum ſimplex veritas eſt prodenda? ſexto, Bellarminus Stephanum non excommunicaſſe Cyprianum, id eſt, non ſejunxiſſe ſe à Cypriani communione, vix potuiſſet ſcribere, ſi perlegiſſet Trimiliani epiſtolam ad Cyprianum, in qua Stephanus Cyprianum adpellat Pſeudo-chriſtum, Pſeuſo-apoſtolum, & operarium doloſum. Quæ autem potuit eſſe communio Stephani cum eo, cum majus non poſſit eſſe indicium excommunicationis? ſeptimo, Becanus ſi Auguſtini epiſtolam ad Vincentium ſupra citatam legiſſet, in duobus potuiſſet proficere. Et primo ſemel quidem didiciſſet, fuiſſe qui hec Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contenderint,

derint, ſed ſub ejus nomine è præſumtoribus atque mendacibus fuiſſe confictum. Sed illi non minus falluntur, quam qui eodem in loco adfirmant, Cyprianum ſuam correxiſſe ſententiam. Deinde Auguſtinum in ſe neutrum recipere. Hinc ſcripſit, Nos non negamus, illud ſenſiſſe Cyprianum, quod & ſtylus ejuſdem habet quandam faciem propriam, qua poſſit agnoſci. Inde etiam ſubjicit, quod ſi quid in eo fuerit emendandum, purgaverit falce paſſionis. Octavo, Becanus cùm ſcribit, Epiſcopos, qui adhæſerunt Cypriano, errorem revocaſſe, permotos authoritate Stephani, teſtimonio Hieronymi è Dialogo non uteretur, ſi contentam ibi de hæreticorum baptiſmo doctrinam cum iis, quæ Hieronymus locis ſupra citatis de eodem diſſeruit, rite perpendiſſet, ac ea omnia inter ſe comparaſſet, & ſi vidiſſet Arelatenſis Synodi canonem, uti & Baſilii epiſtolam ad Amphilochium, imo ſi obſervaſſet, Auguſtinum Donatiſtis authoritatem Cypriani toties objicientibus, reſpondiſſe nunquam, Cyprianum revocaſſe ſententiam, ac proinde eos operam & oleum perdere, cum authoritatem Cypriani objiciunt; id enim ſi verum fuiſſet, facile reſpondiſſet Auguſtinus, & ſeſe ab importuniſſimis hoſtibus prudenter liberaſſet, dum hæc reſponſio ad ſtylum adceſſiſſet decretorium. Denique ſi qui Cypriano adhæſerunt Antiſtites, permoti authoritate Stephano ſuam revocaſſent ſententiam, Decretum Stephani continuo amplexi ſuum illud probando feciſſent, ſimul cum eo admiſiſſent baptiſmum Marcionis, quem Tertullianus tot tantiſque rationum motibus oppreſſit, admiſiſſent baptiſmum illorum, qui Cataphryges appellantur, quem Trimilianus tam horride repræſentavit in epiſtola ad Cyprianum, admiſiſſent omnia illa baptiſmata, quæ Irenæus memoriæ prodidit. Hæc autem niſi Becanus poſſit concoquere, devoret neceſſum eſt, ſi ſtomachus habeat virium ſatis. In hos nimirum ſyrtes & anguſtias ſunt compellendi, qui ab æquitatis campo deflectunt. Nono, Becanus poſt Bellarminum, ut Cypriani famæ & honori conſulat, & adulatrici curiæ faveat opinionis novæ ſubſidio, dicit, Cyprianum non eſſe habitum hæreticum, quaſi quæ ad variam baptiſmatis tradendi rationem pertinent, hæreſeos foret materia. Nam unum eſſe baptiſma, fide divina certum eſt, quia id ſcriptura ſancta & ſymbolo Apoſtolico ſancitur. At varia baptiſmatis tradendi forma, quæ Stephani ævo reperiebatur inter hæreticos, fide divina non eſt certa, nec eſſe poteſt, quia id nec ſcriptura ſacra, nec ſymbolo ſancitur Apoſtolico. Deinde qui à ſimili proponeret, Paulum non eſſe habitum hæreticum, quod Petro in faciem reſtiterit, nonne oppido quam ridiculum ſe & omnibus theatris explodendum præberet? Dolendum hoc non modo, ſed erubeſcendum eſt etiam, quia non tam diſputandi, quam adulandi ratione ſeipſos reddidere dignos, qui experiantur abſurdiſſima & ultima quæque. Præterea, ſi quod tractatur, hæreſeos eſſet materia, Becanus & Bellarminus Stephanum vel ejus commilitones difficilius à hæreſi, quam Cyprianum defenderent, ſcilicet, juxta definitionem hæreſeos, quæ legitur apud Irenæum in præfatione libri contra hæreſes primi, & apud Tertulliani, in de præſcriptionibus hæreticorum capite ſexto & poſt trigeſimum nono, uti & apud Hilarium in ſecundo de Trinitate libri, per quam hæreſis vel origo illius eſt, cum ſcripturæ non bene intelliguntur, nec etiam certe explicantur. Certe in epiſtolis Cypriani locus ſcripturæ nullus eſt, quem ſanctus hic Doctor de baptiſmate hæreticorum agens male interpretetur, ſive habita ratione ad paria ejuſdem ſcripturæ loca, quæ mutuo inter ſe conferantur, ſive habita ratione ad traditionem, quæ inde ab Apoſtolis uſque ad Stephani & Cypriani ætatem per Tractatorum Eccleſiaſticorum teſtimonia decurrerit; at Stephanus vel commilitones ejus Paulinæ ad Philippenſes epiſtolæ locum, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus adnuntietur, cum ad baptiſmum referunt hæreticorum, male intelligunt, nec bene interpretantur, confirmante id Tertulliano quinti contra Marcionem libri capite viceſimo, item Cypriano in Epiſtolis ad Jubajanum & Pompejum, Firmiliano in epiſtola ad Cyprianum, Auguſtino in quarti de baptiſmo contra Donatiſtas libri capite ſeptimo, Chryſoſtomo quoque & Theodoreto, ut adeo quam Pauli verbis interpretationem Stephanus vel commilitones ejus adpinxerunt, hanc ſingularem fecerit cæterorum

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ tractatorum contemtus. Atque ſic his omnibus adductis finit tandem Launojus, ac pronuntiat, rem iſtam non eſſe Fidei, ſed Diſciplinæ, quæ ſuas in Eccleſia habuerit vices, & hinc perſpicuum eſſe, quod tria potiſſimum hanc novam & Seculis priſcis inauditam Propoſitionem, Cyprianus non eſt habitus hæreticus, ſollicitaverint & extulerint, videlicet, inexploratam ſuis Legibus Veritatem, quærendam omni via Curiæ adulatricis benevolentiam, ac immenſam ubique & quomodocunque ingerendæ de privilegio non errandi in Pontifice Romano opinionis ibidinem.

Immanuel à Schelſtrate *l. cit. p.* 181. *& ſeq.*

REm hanc altiori indagine putans indigere, & magni exiſtimans eſſe momenti, radicitus ſtatuit enodandam, quod etiam prolixiſſime conatus eſt in effectum deducere, quo cum ſucceſſu, conſtabit proxime, nobis ex amplâ ejus Deductione ad ea potiſſimum ex Inſtituti ratione adtenturis, quæ contra *Launojum* hic & ibi inſeruit, cujus de hoc argumento Epiſtolam ei ſudem fuiſſe in oculis, ex omnibus manifeſtum eſt indiciis, cum totus præſertim in id incubuit, ut inter eos ſuum profiteretur nomen, quibus circa finem Epiſtolæ *Launojus* adſcripſit quærendam omni via Curiæ adulatricis benevolentiam, neque id fruſtra vel in vanum, quia mox edito *Antiquitatis illuſtratæ* opuſculo ex *Doctore Theologo* per clementiam Pontificis, clarius Nomini id dedicando multis cum fucis adulationum Theologo indignarum adſcripſerat, factus eſt *Eccleſiæ Cathedralis Antverpianæ Canonicus & Cantor*, uti Elogium ſequenti de *Eccleſia Africana* Tractatui præfixum non abſque inſigni gratiarum actione teſtatur. Bonum videlicet factum, bene mereri de Eccleſia, à cujus favore plura in poſterum expectantur Beneficia, Laboris & Sudoris contra hoſtem præmia. Ad rem ipſam & præſentem ut deveniamus, poſtquam Canonicus & Cantor, Antverpienſis *Vincentii Lirinenſis* adduxit verba, quibus narravit, quod Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus *omnium mortalium primus* contra Divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Con-Sacerdotum, contra morem ac Inſtituta Majorum *cenſerit eſſe rebaptizandum*, addidit his, noviſſime ſe oppoſuiſſe *Launojum*, & citatis Tertulliano, Clemente Alexandrino, Irenæo & Juſtino Martyre, hæreticorum Baptiſmata improbantibus, concludere, *Agrippinum non fuiſſe primum, qui cenſuerit rebaptizandum.* Verum, *quidquid ſit*, ita cenſet Antverpianus, de Clemente, Irenæo & Juſtino Martyre, ſolus rei hujus fucus *videtur* hauriri ex Tertulliano, qui, cum de hæreticorum Baptiſmo ſuum aperuit ſenſum, ſpeculationi tulit judicium, quod primus omnium, uti Vincentius eſt intelligendus, Agrippinus praxi cenſuit mandandum, & Synodico conſtituit Decreto, utpote quo anteriorem neque Cyprianus in Epiſtola ad Jubajanum potuit nominare. Majorem vero difficultatem agnoſcit poſſe videri in Sententia Cappadociæ, cujus antocephalicum caput *Firmilianum* vocat, ejuſque quædam ex Epiſtola ad Cyprianum verba exſcribit, interque alia hæc inprimis, quibus teſtatur; quod hæreticorum Baptiſmi nullitatem jam pridem in Jeonjo in unum convenientibus ex Galatia, Cilicia & cæteris Regionibus proximis collecti, nimirum Epiſcopi Eccleſiarum, *confirmaverint*, tanquam firmiter tenendum & vindicandum, *cum à quibuſdam de iſta re dubitaretur*, quæ verba ultima ſuo inſra loco non parum poterunt inſervire; quibus addenda ſunt, quod in ſequentibus ſubjunxit, ſe Veritati conſuetudinem jungere, atque id ab initio tenere, *quod à Chriſto & Apoſtolo ſit traditum*, nec meminiſſe, quod hoc aliquando cœperit, cum ſemper iſtic obſervatum ſit, ut non niſi unam DEI Eccleſiam agnoſcamus, & Sanctum Baptiſma non niſi Sanctæ computemus Eccleſiæ. Huic adjungit *Dionyſium Patriarcham Alexandrinum*, in Epiſtola ad Philemonem, quam Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica exhibet, ſignificantem, quod didicerit, non Epiſcopus ſolum

in Africa illam conſuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invexiſſe, *verum longo tempore ante*, Epiſcoporum, qui antegreſſi ſint, memoria, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis, & in Synodis Fratrum, tum Iconii, tum alibi locorum convocatis illud fuiſſe decretum. Et poſtquam pluribus ejuſdem verbis docuit, ex Catholicis ad hæreticos aut Schiſmaticos adcedentes, ſi ad Pœnitentiam reverſi in Eccleſiam fatigabant recipi, non fuiſſe rebaptizandos, id etiam obſervavit, quod, etſi Dionyſius expreſſe non dixerit, an Heraclas Anteceſſor baptizatos apud hæreticos cenſuerit rebaptizandos, videatur tamen id præſupponere, cum alios opinio ejus nihil ad rem feciſſet pro Quæſtione præſenti. Quidquid autem ſit, ſic porro pergit, originem rebaptizandi Dionyſius ab Apoſtolis non duxit, neque Clementem Alexandrinum in ſui favorem adlegavit, quod certo feciſſet, ſi, ut dictat Launojus, tempore Clementis conſuetudo rebaptizandi Alexandriæ fuiſſet obſervata, ut adeo adhærendum ſit Vincentio adteſtanti, hunc morem tempore Tertulliani ab Agrippino fuiſſe introductum, quidquid de ſuæ Provinciæ conſuetudine ante introducta Firmilianus *animo & mente perturbatus* ſenſerit, alia ſupponens plura in Epiſtola ad Cyprianum: cum de cætero fieri non potuerit, ut error cœperit ab Apoſtolis, ſed, ſi quis extiterint, uti hic de rebaptizatione hæreticorum, poſt traditionem Apoſtolicam ſit introductus. Quæri poteſt autem, ſcribit præterea Doctor Canonicus, cum tot Regionum conſuetudines jam nullo contradicente Romano Pontifice in orbe Catholico obſervabantur, cur hoc tempore potiſſimum tanta ubique exarſerit de hâc re contentio? Verum ſolutio pendet, *ex cognitione Schiſmatis Novatianorum*, qui teſte Epiphanio docebant, Lapſum poſt Lavacrum non amplius poſſe adſequi Miſericordiam, ideoque juxta Ambroſium claves regni Cœlorum non ſuſceperunt, negantes, quod dimittere debeant peccata, nimirum abſolvendo, licet remitti admittebant conferendo Baptiſmum, quem ſibi ſolis vendicabant, eodem Ambroſio ſcribente, *quod Novatiani & Donatiani, à Catholicis baptizatos reprobarint*; unde & ex Catholicis ad ſuam venientes ſectam non ad Pœnitentiam, ſed Baptiſmum ubique recipiebant Novatiani: *quod Catholicorum de Rebaptizatione ſcrupulos excitavit*, ut patet ex Joviano ſeu Jubajano, Africæ Epiſcopo, qui teſte Zonarâ in præfatione ſua ad Synodum Carthaginenſem, apud Philippum Labbeum in primo Conciliorum Tomo, hac occaſione ſcripſit ad Cyprianum, hocque ab eo accepit reſponſum, *ad nos omnino non pertinet, quod hoſtes Eccleſiæ faciant*, dummodo teneamus ipſi poteſtatis noſtræ honorem, & Rationis ac Veritatis firmitatem. Atque hinc Firmilianus in Cappadocia occaſionem totius Controverſiæ exhibiturus ſcripſit ad Cyprianum, *Quoniam aliqui de eorum Baptiſmate dubitabant, qui, etſi novos recipiunt Prophetas, eoſdem nobiſcum tamen videntur noſſe Patrem & Filium, plurimi ſimul convenientes in Iconio diligentiſſime tractavimus & confirmavimus, repudiandum omnino eſſe Baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum.* Ideo ſcilicet, quia Catholici videbant Novationos rebaptizare omnes ad ſe venientes, etiam legitimo Catholicorum Baptiſmo initiatos, *quæſitum fuit atque debitatum*, num ii, qui ex hæreticis aut ſchiſmaticis Catholicos adcederent, omnes forent rebaptizandi, licet in nomine Patris, Filii & Spiritus S. eſſent initiati? Et hæc proprie erat Quæſtio in Synodo Jeonienſi deciſa, & hoc tempore agitata Nimirum, non contentus erat Cyprianus uno Carthaginenſi Concilio, aliud & numeroſius ex omni Africa convocavit, & ſeptuaginta Epiſcoporum ſuffragiis, ſicut Firmilianus in Synodo Jeonienſi, ita & in ſecunda Carthaginenſi hæreticorum Baptiſma penitus exſufflavit, & quo firmius foret judicium, ad Stephanum Antiſtitem Romanum per literas Synodicas tranſmiſit Decretum, de quo Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos. Etenim graviores cauſæ ab omni tempore ad Sedem Apoſtolicam ſolebant referri, nec aliquid ſtatui poterat vel decidi in Eccleſiis ſine Epiſcopi Romani judicio. *Sed conatus Cypriani fuit fruſtra*, Hieronymo iterum indice; quin imo, ſi Firmiliano credendum ſit in Epiſtolâ ad Cyprianum, Stephanus Epiſcopos

Cy-

Cypriani Legatos patienter ſatis (ſcilicet) ac leniter ſuſcepit, *ut eos nec ad ſermonem adloquii communis ſaltem admitteret*, ad huc inſuper communionis & charitatis memor (vel potius immemor & oblitus plane) *univerſæ præciperet Fraternitati, ne quis eos in ſuam reciperet domum, ut venientibus non Pax ſolum & communio, ſed tertum quoque & hoſpitium negaretur.* Doctor Antverpienſis putat quidem, hoc non in primo Relationis inſtanti contigiſſe, ſed poſtea demum exacto igter Stephanum & Cyprianum diſſidio; quidquid tamen ſit, inquit, *Stephanus acceptis Cypriani literis aliter longe ſenſit.* Poſt adducta autem Cypriani verba, quibus & ſuam & Stephani ſententiam de Baptiſmo hæreticorum expreſſit, de hujus Sententia notanter addens, quod à quacunque hæreſi venientem baptizari vetuerit in Eccleſia, id eſt, omnium hæreticorum Baptiſmata judicans eſſe juſta & legitima, adducta Launoii arca utramque inter ſe comparatam cenſura, quod nimirum ſicut Stephanus omnem admiſerit, ita & contrario Cyprianus omnem rejecerit Baptiſmum hæreticorum, ac uterque in eo erraverit, dum ille eorum quoque Baptiſmata admiſerit, quorum aliqua non fiebant in nomine Trinitatis, hic autem adjudicaverit etiam Baptiſmata, quæ in nomine Patris, Filii & Spiritus S. erant collata, hanc ſubjungit Cenſuram, ſcilicet, Launojum de mente Cypriani recte quidem ſcripſiſſe, *ut falſo de mente Stephani, cum error ſit longe graviſſimus*, & commentum huc uſque inauditum in Eccleſia quod Stephanus adprobaverit eorum Baptiſmata, quæ in forma legitima non fuerint collata, qui tamen pro antiqua Eccleſiæ Romanæ, Africanæ & orbis conſuetudine ſcripſerit: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, & ſuam de hæreticis non rebaptizandis ſententiam dixerit à Petro & Paulo per continuam traditionem ad ſuum uſque tempus in Italia conſervatam; at vero credendum non ſit, Apoſtolorum Principem Eccleſiæ errorem tradidiſſe, vel Eccleſiam communi conſuetudine errorem ab initio ſervaſſe, *dum Eccleſia Romana nunquam pro Baptiſmo ſine forma legitima certaverit*, ac nunquam Stephanus talem Baptiſmum contra Cyprianum admiſerit. Id quidem verum eſt, inquit, quod à quacunque hæreſi venientem vetuerit baptizari, ſed in ſenſu contradictorio Cypriani, qui omnem omnino Baptiſmum hæreticorum ut talium reprobaverat, exiſtimans, *extra Eccleſiam non dari poſſe legitimum*, quod etiam ſenſit Firmilianus cum Epiſcopis ſuæ partis, cui reſpoſuit Stephanus, *nullum hæreticorum ut talium Baptiſmum eſſe iterandum*, quod & extra Eccleſiam conſtituti, cujuſcunque ſint hæreſeos & ſectæ, poſſunt conferre Baptiſmum, ſi nimirum debita utantur forma & materia. Ne autem abſque fundamento mentem Stephani ſic exponere videatur *Antilaunojus*, provocat ad Anonymi hac de re Tractatum, ex conceſſione Jacobi Sirmondi primum à Nicolao Rigaltio poſt Epiſtolam Cypriani ad Pompejum, & deinde à Philippo Labbeo in primo Conciliorum Tomo editum, & qui, ut Labbeus adnotavit ac ex dictione fecit conjecturam, Authoris ſit ab ævo Cypriani parum diſtantis, ex quo putat luce clarius adparere, totam Quæſtionem inter Stephanum & Cyprianum fuiſſe de Baptiſmo hæreticorum, hoc ſuppoſito, quod in nomini Chriſti ſeu Trinitatis Baptiſmum conferrent, cui præciſe reſponderit Cyprianus in Epiſtola ad Pompejum, his præſertim verbis, quibus ſignificavit, Stephani obſtinationem duram in tantum prorupiſſe, ut *etiam* de Marcionis item Valentini & Appellis, cæterorumque in DEUM Patrem blaſphemantium Baptiſmo contenderit, DEI filios naſci, & illis in nomine JESU Chriſti dicat remiſſionem peccatorum dari. Cum enim, inquit porro, Marcionis aliorumque de S. Trinitate non recte ſentientium hæreticorum Baptiſma refellat, non urget, in nomine S. Trinitatis fieri debere, *ſed à Miniſtro, qui fidem S. Trinitatis habeat.* Idem ubique urget Firmilianus, & ut Launojus videat, quam injurioſe cum Stephano Pontifice egerit, & quam graviter in adſignanda mente ejus ſit erratum, audiat Firmilianum in laudata ſæpius ad Cyprianum Epiſtola ſic ſcribentem: *Quoniam Stephanus, & qui conſentiunt illi, contendunt, remiſſionem peccatorum & ſecundam Nativitatem poſſe in hæreticorum Baptiſma*

pro-

Digitized by Google

procedere, apud quos etiam ipſi conſitentur, Spiritum Sanctum non eſſe, conſiderent & intelligant, ſpiritualem ſine Spiritu eſſe non poſſe Nativitatem &c. Et iterum: *Illud quoque abſurdum, quod non putant, quæreudum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit, ea quod, qui baptizatus ſit, gratiam conſequi poſſit invocata Trinitate nominum Patris, Filii & Spiritus S.* En, ſcribit Antverpianus, teſtimonium omnium lucidiſſimum de mente Stephani & ei adhærentium, ex quo adparet, ipſos contra Firmilianum & Cyprianum illa tantum Baptiſmata hæreticorum admiſiſſe, quæ fiebant in nomine Patris, Filii & Spiritus S. ſeu forma legitima, quod Launoii commentarium penitus evertit, & totam hac de re Epiſtolam funditus deſtruit. Aliam nempe Quæſtionem reſpiciebat Decretum Stephani, quam exhibuit hic Commentarius Launoii, & cum Stephanus pro antiqua traditione à poſteris amplexa agebat, errabat Cyprianus, non Stephanus, ut recte dixerit *Facundus* Hermianenſis Epiſcopus, *quod Cyprianus injurioſe tractaverit Stephanum, à quo fuerit jure culpatus.* Num vero Stephanus ultra contentionem cum Cypriano, eundem & alios excommunicarit, alia eſt Quæſtio, in qua variant eruditi. Bellarminus primi de conciliis libri capite decimo, & noviſſime Valeſius & in Adnotationibus ad libri Hiſtoriarum ſeptimi caput quintum, nec Cyprianum cum Afris, nec Firmilianum cum Orientalibus putant excommunicatos fuiſſe, & fundant ſe in teſtimonio Dionyſii, Patriarchæ Alexandrini, apud Euſebium ſcribentis de Stephano, quod Literas ſcripſerit de Firmiliano, de omnibus denique ſacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque Provincias finitimas conſtitutis, *ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod hæreticos rebaptizarent*, unde nimirum inferunt, Stephanum excommunicationis ſententiam comminatum eſſe tantum. Alii, ut Rigaltius in Notis ad Epiſtolam inter Cypriani ſeptuageſimam & quintam, & *Lupus* parte quartâ Notarum ad Canonem vigeſimum & ſecundum Dictatus Gregorii Pontificis ſeptimi ex verbis Firmiliani, quibus Stephanum tanquam Pacem cum ſingulis diſcordiæ vario genere rumpentem deſcripſit, colligunt, tam Cyprianum cum Afris, quam Firmilianum cum Orientalibus à Stephano excommunicatos fuiſſe. Demum, poſtremi admittunt ac Firmiliano, ſed negant de Cypriano, ut Baronius Tomo Annalium ſecundo, Perronius contra Regem Angliæ, & ipſe Lupus ſibi quodammodo contrarius. Inter has variantium peritorum Sententias omnium veriſimilior eſt prima, quæ, ſi recte conſiderentur Antiquitatis Monumenta, adparebit, in hoc Veritatem adtigiſſe. Hæc cum prolixiſſime deduxit Doctor Canonicus, quæ omnia huc exſcribere non vacat, ac eo tandem pervenit, ut demonſtret, præter Orientales circa Stephani tempora ipſos etiam Africanos ſuum mutaſſe Decretum, laudato hunc in finem Hieronymi teſtimonio, de quo Launojus ex profeſſo tractaverat, ſuſpicatus, Hieronymum hæc ſcripſiſſe, ſeductum forſitan confecto quodam libello *de Pœnitentia Cypriani* conſcripto, nihil aliud habuit, quod reponeret, quam ut inter Cyprianum & adhærentis eidem diſtingueret, ſtatuens, Hieronymum non de illo, ſed his id commemoraſſe, & quia magnus Eccleſiæ Doctor indubitato hoc teſtetur, ipſi, & non modernorum commentis adhærendum videri. Nec obeſſe Canonem Concilii Arelatenſis putat, ad quem Hieronymus contra ſuſpectam Hieronymi relationem provocavit, cum poſt Sirmondi Commentarium ad eundem ex ultima Conciliorum Editione adductum exiſtimat facile colligi poſſe, cum non intelligi debere de *Afris Epiſcopis orthodoxis, ſed Donatiſtis & Schiſmaticis*, qui lege propria utebantur, quod etiam pateat ex Concilio quodam Romano ſub Melchiade Papa ante hoc Concilium Arelatenſe celebrato, cui dum intereſſet Donatus Carthaginenſis Epiſcopi æmulus, hoc pro crimine ipſa damnatione digno à Melchiade Papa, & tam Africæ, quam Italiæ & Galliæ Epiſcopis ipſi objectum fuiſſe, teſte Optato Milevitano, *quod confeſſus ſit, ſe rebaptizaſſe*. Hoc ſignum eſſe manifeſtiſſimum, neque Cœcilianum cum omnibus Africanis ſuæ communionis tum Epiſcopis, ſed nec omnes ſchiſmaticos Donatiſtas tunc temporis rebaptizaſſe, cum in hoc Concilio ſoli Dona-

to

Digitized by Google

cum Epiſtola hac prima Encratiſtarum Baptiſma ſuſcepiſſet, quod eos in Fide Trinitatis crediderit non erraſſe, iſtud in ſecunda ad Amphilochium Epiſtola *retractaſſe* credendo, errare illos in Fide, nec aliquem Canonem aut Eccleſiæ Romanæ Statutum poſſe Rebaptizationi obeſſe, quod putaret, cuncta de hac re tam à Synodo Nicena, quam Sede Apoſtolica hactenus ordinata *ad verſatilem Regionum morem ſpectare*. Dura erat hæc Baſilii, variantis Sententia, & erroribus obnoxia, inquit Schelſtratenſis, tum quod hæreticorum Baptiſmata abjudicabat, qui in Fide Trinitatis errarent, tum quod motas de hac re Controverſias non ad Dogma, ſed ad verſatilem Regionum diſciplinam reduxerit, in qua quiſque poſſit & debeat ſuæ ſequi morem Diſciplinæ; unde & Baſilio paulo poſt hafce literas à vivis ſublato cunctam hujus Quæſtionis controverſiam *Amphilochius* Ironienſis Epiſcopus anxie detulit ad Synodum univerſalem ſecundam, quæ ſeptimo Canone reddidit Deciſionem, adprobans Conſuetudinem Romanam, ſtatuendo, Arianos, Macedonianos, Novatianos &c. non poſſe rebaptizari, atque ſic definiens contra primam Baſilii propoſitionem, ad ſecundam vero de more ac diaphoro reponens, hanc Quæſtionem non ad Diſciplinam ſolummodo, ſed omnino etiam ad Dogma pertinere, atque in hujus rei veritatem ſuo inſeruit Symbolo, *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*, id eſt, Baptiſma Nominis Divini invocatione legitima ſanctificatum, ubique vel intra vel extra Eccleſiam detur aut accipiatur: Atque, ſic pergit nunc Antilaunojus, ex his jam patet, quam immerito pro Rebaptizatione hæreticorum adduxerit *Cyrillum* quoque Hieroſolymitanum Launojus, qui Synodo huic Conſtantinopolitanæ interfuit, adeoque, niſi ſibimet ipſi & Synodo contradixiſſe ſtatuatur, Rebaptizationem hæreticorum ſuſtinere non potuit. Habet quidem in Præfatione ſeu Catecheſi prima, *quod ſoli rebaptizentur hæretici*, verum hæc verba non indicant, omnes rebaptizari hæreticos, ſed illos duntaxat, qui formam Baptiſmi non obſervarent, quorum nomina laudatus Canon ſpecificavit, videlicet *Eunomianos*, propter unam tantummodo demerſionem, *Montaniſtas*, in nomine Trinitatis non baptizantes, quomodo de pluribus aliis pariformiter loquendum docuit Auguſtinus libri de Dogmatibus Eccleſiaſticis capite poſt quinquageſimum ſecundo. *Ambroſii* authoritatem quod adtinet, ad quam itidem pro Cypriano contra Stephanum provocavit Launojus, Antagoniſtas ejus male hoc ab eo factum ſcribit, quod manifeſtum eſſe putat ex Concilio Carthaginenſi tertio, quæ Synodo Capuana nitatur, cui inter fuerit Ambroſius, in qua rebaptizationes fuerint prohibitæ; & cum ſcripſerit de peccatorum Remiſſione agens contra Novatianos, eſſe in aliquibus *aquam mendacem*, nec ſanare vel mandare Baptiſmum perfidorum, ſed polluere, non voluiſſe iterandum Baptiſma hæreticorum, ſed quod adultis contra mandatum DEI per hæreticos baptizatis gratiam non conferret, *licet characterem imprimeret*. Subjungit Concilium Arelatenſe ſecundum, Canone poſt decimum ſeptimo ſtatuens, eos, qui ſicut Ariani in nomine Trinitatis fuerint baptizati, ſi interrogati Fidem Trinitatis ex toto corde fuerint confeſſi, recipi debere; videlicet ſine *Baptiſmi reiteratione*. Demum ſequitur Auguſtinus, qui omnia Conciliorum Decreta & Canones ſecutus, ſuo tempore contra Donatiſtas de hoc argumento diſputaverit, quo univerſa ſub Cœlo Eccleſia Dogmati Sedis Apoſtolicæ & Stephani Sententiæ conſenſerit, non unicum, ſed plurima Conciliorum Decreta adverſariis opponens. His omnibus ſic expoſitis tandem id enodandum in ſe recepit Doctor Canonicus, quænam ex his duabus Sententia, Cypriani an Stephani prævaluerit apud Orientis & Occidentis Eccleſias. Et poſtquam obſervavit, Launojum multa produxiſſe teſtimonia, quorum aliqua hæreticorum quorundam Baptiſmata rejiciunt, aliqua honorifice de Cypriano loquuntur, ac mentionem ejus Scientiæ & Sanctitatis faciunt, Stephani immemores, hanc Launojo imputavit culpam, cum critice hic egiſſe, & plurimis ad rem non pertinentibus teſtimoniis Lectoris patientiam illudendo fatigaſſe; porro ſic ſcribens: Cypriano gloriam per totam ſub

Cœ-

Cœlo Ecclesiam ab omni post ejus obitum tempore celebratam non invideo, sed nec Stephano Christi in terris Vicario gloriam exclamo, invidendam, cum Cypriano in Martyrii corona sit æqualis, & Authoritate superior, & Vitæ Sanctitate adeo conspicuus, ut nefanda Donati turba ne quidem in eum mutire sit ausa, quin potius laudare compulsa, Augustino teste. Stephanus ergo extra ipsas adversantium Donatistarum rebaptizationem Cypriani propugnantium calumnias, positus illibate gessit Episcopatum, & Doctrina ac Sanctitate illustris *gravissimo errori* sese opposuit, non graviorem propugnans errorem, ubi Launojus somniavit, sed *meram* Ecclesiæ consuetudinem, uti ab antiquis observata extiterat, ac etiam tum Romæ observabatur, retineri præcipiens; in quo Stephanum nemo dicit erasse, nisi per antiquam totius Ecclesiæ consuetudinem ab Apostolorum tempore ortam erroris præsumat damnare. Stabat nimirum pro Stephano prisca Ecclesiæ consuetudo, uti de ipsamet Africa ante Agrippini tempora confessus est Firmilianus, consentiente Cypriano, & de Alexandria, Orientis Metropoli ante Heraclæ Prædecessoris sui tempora testatur Dionysius Patriarcha Alexandrinus, uti patet ex illius Epistola ad Sixtum Pontificem apud Eusebium, in qua singularem proposuit casum, ex quo manifestum est, consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ ab initio fuisse pro Stephano. Sola igitur Quæstio potest esse de Ecclesia Cæsariensi in Cappadocia, *quæ semper hæreticos rebaptizavit*, si credimus Firmiliano; at contrarium potius existimarim. Nam licet Firmilianus *originem se non invenisse* fateatur, scilicet Rebaptizationis hæreticorum, tamen post tempora Apostolorum, qui cum Petro & Paulo à Spiritu S. edocti idem ubique Dogma tradiderant, eam cœpisse verisimilius est, præcipue cum Augustinus libri de Baptismo tertii capite nono scripserit, *Quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum*, hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, respiciens ad Stephani Decretum, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* utpote per quod Stephanus Augustino confirmante supposuit, priscam totius Ecclesiæ consuetudinem non fuisse, hæreticos rebaptizare. Post recenset testimonium Vincentii Lirinensis de consensu orthodoxorum ex parte Stephani, Launojum ex eo docens, Stephanum plures, quam Cyprianum habuisse defensores Episcopos, quin imo & Concilium Romanum, quod opposuit Stephanus Cyprianum, & in quo Decretum Ecclesiæ Africanæ correxit & abrogavit. Addit, vel potius repetit testimonium Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos scribentis, Episcopos, qui hæreticos cum Cypriano statuebant rebaptizandos, *ad antiquam Consuetudinem revolutos novum emisisse Decretum.* Subjungit testimonium Augustini, libri de Baptismo contra Donatistas tertii capite tertio significantis, *errorem Afrorum contra tot millia Episcoporum de hæreticorum Rebaptizatione toti Mundo displicuisse*, quo nihil evidentius ad Launojum refellendum esse putat, hoc insuper observato, quod post Synodus hac de re plures, videlicet Arelatensem primam, Nicenam itidem primam, Constantinopolitanam quo primam, Capuensem plenariam, Carthaginensem tertiam & Arelatensem secundam, quæ omnes Stephani Decretum confirmantes hæreticorum Baptisma, quantum in se, validum habuerint & confirmarint, *Vincentius* supra citatus scripserit, *Retentam Antiquitatem & Novitatem explosam esse.* Provocat tandem contra Launojum ex omnibus Seculis subsequentibus ad orthodoxos Ecclesiæ Patres & Authores, errorem Cypriani abjicientes, nusquam vero Stephanum erroris adcusantes, quin potius Decretum ejus menti Ecclesiæ conforme fuisse statuentes, & quidem in specie ad Anonymum Sirmondi supra quoque productum Eusebium Hieronymum, Augustinum, Vincentium Lirinensem, Cassiodorum, Facundum Hermianensem, Gregorium M. Hincmarum, Anastasium, & tandem Breviarium quoque Romanum, quorum omnium & plurium consensa Stephani sententia de validitate Baptismi hæreticorum confirmetur.

Digitized by Google

Vindiciæ breves pro Launojo.

MAgnam vides, Lector Veritatis ſtudioſe, congeriem à Doctore Antverpiano oppoſitam Launojo, ut copiam ejus ex omni Antiquitate Eccleſiaſtica collectam alia quadam repellat, vel ad minimum repuliſſe videatur; nec memini me de hac Controverſia tam multa vidiſſe collecta, adeo ut Duumviri hi hoc argumentum omnino exhauſiſſe videantur, ne quid poſthac ſuper amplius ſit ad dicendum. Inſtituti præſentis non eſt, ex pleno hanc retractare Quæſtionem, qui labor occaſioni futuræ, pleniori ſtudio readſumendus deſtinatur, ſed ex utriuſque tractationis collatione id tantum oſtendere, Launoii ſententiam recto adhuc ſtare talo, nec quidquam damni à Cenſura adverſarii paſſam eſſe. Hoc autem ut demonſtretur ex aſſe, præmitti debet omnino Scopi conſideratio, qui movit Bellarminum, ut hujus Quæſtionis in Controverſia de Pontificis Romani infallibilitate faceret aliquam mentionem, & quidem è circumſtantiarum obſervatione talem, quæ Launojo viſa fuit digna, ut alieni ſubjiciatur Examini. Quod dum ita inſtituit, ut in perſona Stephani authoritas Romani Pontificis non parum quoad jactatam infallibilitatem imminueretur, anſam hinc arripuit *ordinem Canonicum ambiens*, ſua Sedi Romanæ ſtudia commendandi, & aliquod Beneficium pro labore tam accepto inſtar præmii à ſummo ejus Antiſtite impetrandi. Nihil hinc prætermiſit intentatum, quod ulla ratione ad rem hanc putavit poſſe inſervire, ne Sorboniſta Pariſienſis victoriam obtineat incruentam. Et quamvis multa dixerit, non pauca etiam arma hoſti arripere tentans, plura tamen triſti tegere ſilentio fuit coactus, viribus ſcilicet majora, & quibus quod opponeret, in ſuo non invenit Armamentario. Obſervanda hæc erunt hic & ibi, & quem fucum fecerit Lectori, ac ſi omnia Antagoniſtæ argumenta excuſſerit, cum pleraque manſerint intentata, oſtendendum. Primum & primarium totius actionis ſuæ fundamentum, in quo potiſſimam Victoriæ inanter promiſſæ ſpem ſibi viſus eſt feciſſe, ſuppeditare debuit *Vincentius Lirinenſis*, ſcribens, Agrippinum, Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum ante Cyprianum *fuiſſe omnium mortalium primum, qui cenſuerit eſſe rebaptizandum*, videlicet in caſu hæreſeos. Verum ante jam notavit contra Vincentium *Launojus*, minime id ex vero ſcriptum eſſe, cum ante Agrippinum Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Juſtinus Martyr & Irenæus Baptiſmata hæreticorum rejecerint, nullo Epiſcoporum, vel etiam Pontificum Romanorum illis temporibus, quibus hi vixerunt, unquam contradicente. Sed, *quidquid ſit*, reponit Canonicus, de Clemente, Juſtino & Ireneo, *ſolus rei hujus fucus videtur hauriri ex Tertulliano*, qui, quod judicium ſpeculative tulit de Baptiſmo hæreticorum, Agrippinus præxi cenſuit mandandum. Ut, quid hac de re ſit cenſendum, paucis cognoſcatur, non urgeo, quod in alio quamvis argumento contra Vincentium non ita pridem ſcripſit *Henricus Noriſius*, ordinis Auguſtiniani, operis de *Hæreſi Pelagiana* Author, male quidem ob id ipſum habitus à quibuſdam falſis fratribus, ſed nondum ita protritus, ut non videant ſinceræ Mentis alumni, multam ei illatam ſuiſſe injuriam, cui non paucæ ob non plane nullos Veritatis radios in publica Luce oſtenſos debebantur grates; id inprimis videtur quam maxime mirum, quod in gratiam Vincentii, Scriptoris non ex uno capite ſuſpecti, Patres antiquiſſimi, *Clemens, Juſtinus & Irenæus* in nullo plane habentur æſtimio, eorumque authoritas omnino rejicitur, tantum, ne quid contra teſtimonium Veritatis ſcripſiſſe videatur Vincentius, quod annon ſit *exploſa Antiquitate novitatem retinere*, judicent Lectores candidi? Certe ſi hæc methodus valeat, ut antiquiorum teſtimonia per formulam hanc, *Quidquid ſit*, liceat repudiare, in que locum eorum recentioris alicujus non parum ſuſpecti teſtimonium ſubſtituere, actum erit de Antiquitate Eccleſiaſtica, quam ſi non alia ratione poſthac perget

unum tantummodo baptismum in uno corpore Ecclesiastico sub uno eodemque Domino & capite per unam & veram fidem in legitima ejus administratione pronuntiavit, quod utrumque nullitatis baptismi hæreticorum ex sententia Firmiliani perpetuum est fundamentum. Ad *Dionysii* Patriarchæ Alexandrini testimonium Cypriani sententiæ conveniens, quod responderet, nihil aliud habuit Doctor Carloneius, quam eum hæreticos rebaptizandi originem *non ab Apostolis deduxisse*, nec Clementem Alexandrinum in sui favorem adduxisse, quod certo fecisset, si tempore Clementis consuetudo rebaptizandi Alexandriæ fuisset observata. Verum nosse & observasse debebat, Eusebium in Historia non integram Dionysii epistolam exhibuisse, sed partem ejus aliquam, ex qua satis putavit conjicere, quæ mens ejus fuerit circa hanc quæstionem. Quod ergo hac in parte non legitur provocasse ad authoritatem Apostolicam, non sequitur quod nec in altera ejus parte factum sit; quod idem de consensu Clementis statuendum est. Sufficit interea, quod expressis scripsit verbis, *in maximis Episcoporum Concilüs decretum esse, ut, qui ab hæreticis ad Catholicam veniant Ecclesiam, primum fierent quidem Catechumeni, ut deinde impure & veteris fermenti sordibus per Baptismum purgarentur*, simul contestatus, quod de his omnibus ad Stephanum miserit Epistolam, rogans eum, ne scilicet torrenti se opponeret, sed potius pacem coleret cum fratribus in hoc dissentientibus. Et in alia quadam epistola apud eundem Eusebium testatus est, *non ab Afris solis hunc morem, scilicet rebaptizandi hæreticos, nunc primum esse invectum, sed & multo antea, superiorum Episcoporum temporibus, in Ecclesiis populosissimis, & in Conciliis Fratrum, & apud plurimos alios idem fuisse sancitum.* Hæc certe plurimam habent emphasin, nec frustra debent videri scripta, ut tam facile possint elidi à parte adversaria, sicut Anti-Launojo visum est, qui proponens porro quæstionem, *cur obtinente in toti regionibus hæreticos rebaptizandi consuetudine, nullo contradicente Romano Pontifice, hoc potissimum tempore, quo Cyprianus Ecclesiam regebat Carthaginensem, tanta ubique exarserit hac de re contentio*, addita solutione, qua factum id esse putat *occasione schismatis Novatiani*, nunc ulterius debet conveniri, & quid de hoc responso statuendum sit, breviter ostendi. Nimirum, etiamsi hoc omnino non negetur, schisma Novatianum huic controversiæ aliquam præbuisse occasionem, id tamen minime juvat Antagonistam, quin potius plurimum inservit causæ Cypriani & eam defendentis Launoji, dum aliud plane est, ansam dare quæstioni, aliud vero, ansam dare vel dedisse hæreticorum rebaptizationi, atque illud quidem largimur, hoc non item. Rebaptizabant orthodoxi in Africa & regionibus vicinis hæreticos ante motum schisma Novatianum, ut ex Firmiliani testimonio plus quam satis manifestum est. Postquam vero hoc schisma exarsit, & Novatiani cum Donatistis venientes ad se à Catholicis rebaptizare cœperunt, sibi nimirum solis Ecclesiæ Christi, & hinc quoque baptismi veritatem atque valorem adscribentes, *ad Catholicorum scrupulos de hac rebaptizatione excitavit*, quæ verba sunt Schelstratensis; videlicet an rite Catholici rebaptizarent hæreticos, quia idem facerent, qui se à vera separaverant Ecclesia? Optime autem respondit Jubajano hanc moventi quæstionem Cyprianus, *Ad nos omnino non pertinet, quid hostes Ecclesiæ faciant.* Q. d. In gratiam hostium consuetudinem veræ Ecclesiæ in suis cœtibus imitantium id plane intermittendum non esse, quod à tam longo tempore ex Christi & Apostolorum Instituto, juxta Firmiliani observationem, sit hactenus usitatum. Huic autem Cypriani sententiæ dum è diametro se opposuit & contradixit Stephanus, statuens, *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*, hoc insuper addito, quod Legatos Cypriani non prout Christi Vicarium decuit, fraterne humaniterque excepit vel audivit, sed potius supercilioſissime spiritu Anti-Christi jam tum animum Stephani aliquatenus adflante, repudiavit, *& ne à quoquam fratrum hospitio exciperentur*, vetuit, nemo non videt, quam male causam, etiamsi, fuisset optima, tractaverit, eam hoc processu faciens suspectissimam.

Nullo

Digitized by Google

quorſum evadat ſalvus, proprio reti innexus & circumdatus labyrintho, unde ex defectu fili vere Ariadnei nullus patet exitus. Et ſi porro id examini rigoroſo ſubjiciamus, prout diſputandi ratio requirit, quod inter potiſſima contra Launojum argumenta poſuit Stephani hyperaſpites, cauſa cadet omnino, ac cætera ruinæ exponentur, quæ magis audacter & temerarie, quam confidenter objecit. Statuit nimirum & tanquam rem ex omni parte indubiam adſirmat, Launojum de mente Cypriani recte quidem ſcripſiſſe, *at falſo de mente Stephani, cum error ſit longe graviſſimus, & commentum hucuſque in Eccleſia inauditum, quod Stephanus eorum adprobaverit Baptiſmata, quæ in forma legitima non fuerint collata.* Magnum ſcilicet novumque hoc crimen eſt, quod Launojo præter omne debitum intentatur. Quid ſi vero invertamus atque dicamus, Anti-Launojum potius falſo de mente Stephani ſcripſiſſe, cum error ſit longe graviſſimus, quoad fidem Hiſtoricam, & commentum hucuſque in Eccleſia inauditum, quod Stephanus eorum reprobaverit Baptiſmata, quæ forma minus legitima fuerant collata. Nonnullis, ſed majoris erit operæ pretium, adcuratius hoc perpendere, ne Lector Veritatis ſinceræ ſtudioſus in fraudem aliquam deduci ſe patiatur. Ante omnia id meretur notari, Launojum pro ſe habere expreſſam Decreti Papalis literam, quæ directiſſime ſententiæ Cypriani, omnium proprie hæreticorum baptiſmata rejicientes, legitur oppoſita omnium promiſcue hæreticorum baptiſmata adprobans, per verba univerſalem ſenſum ſine ullo exceptione inferentia, *A quacunque hæreſi*, quæ tam clara ſunt atque perſpicua, ut nullam omnino reſtrictionem admittant, audaxque ſit illa temeritas interpretis, diſtinguere, ubi Legiſlator ipſe nullum plane diſtinctionis dedit ſignum, ac verba Legis ſint accipienda, prout jacent & ſonant. In eo nimirum Stephanus ſe oppoſuit Cypriano, & quidem *ſenſu contradictorio*, uti Doctor Antverpienſis amat loqui, ut, quia Cyprianus omnem ab hæreticis proprie ſic dictis Baptiſmum repudiavit, is verſa vice omnem promiſcue validum agnoſceret, promti verba ſatis clara toſtantur. Certe ſi diſtinguere inter Baptiſmata hæreticorum voluiſſet Stephanus, debebat omnino ac Colloquium admittere legatos Cypriani, & tentare, annon media quadam via Pax inter Eccleſias Romanam & Carthaginenſem poſſet ſanciri, ſi videlicet nec omnes hæretici promiſcue rejicerentur, nec etiam omnes ſine ullo diſcrimine admitterentur, ſed ab utraque parte talis fieret qualiſcunque remiſſio, ut examine ſemper prævio indagaretur, quoties ab hæreticis venirent ad Eccleſiam proſelyti, quibus implexi fuiſſent antehac erroribus, nunc fuerint proprie hæretici, atque in fidei fundamentum impingentes, quod examen facile potuiſſet Doctores & Epiſcopos informare, ſit exinde agnoſcerent, an vere fuerint baptizati, vel an adhuc indigeant hoc Sacramento Initiationis. Quia autem omne id intermiſit, & pro authoritate Papali, quam illo jam tempore Sedis Romanæ Antiſtites ſine ullo jure Divino ſibi cœperant adſcribere, ſe Cypriano directe oppoſuit, nullius plane limitationis faciens mentionem, non alio ſenſu Cyprianus, & nuper poſt omnes alios ſcriptores Eccleſiaſticos Launojus decretum Stephani intellexerunt, quam qualem ipſa Legis verba præ ſe tulerunt, & cui non alium ineſſe cognoſcent omnes, quibus hiſtorica Veritas curæ eſt cordique. Quin & ipſe Stephani Patronus Firmiliano, idem cum Cypriano ſentienti ſe opponens ſtatuerit, *nullum hæreticorum ut talium, baptiſmum eſſe iterandum*, qua reduplicatione, ſi modo vim & efficaciam ejus intellexit, nihil aliud ſignificavit, quam ex ſententia Stephani omnium proprie hæreticorum baptiſmum eſſe legitimum, quo ipſomet confictam paulo ante diſtinctionem de forma minus legitima excluſit & repudiavit, ſtatuens, *etiam extra Eccleſiam conſtitutos, cujuſcunque ſint hæreſeos & ſectæ, poſſe baptiſmum conferre, ſi debita utantur forma & materia.* Hoc nimirum eſt illud emphaſtrum vulgare, quo Declamatores Empyrici vulnus Eccleſiæ per baptiſmum hæreticorum *ut talium* non ſine grandi periculo ſanitatis illatum tegere conantur, ſed breve nimis & ineptum, per quod morbus hic poſſit à corpore Eccleſiaſtico repelli. Atque ut

male-

materiam tantisper nunc seponamus, quæ hic in controversiam non trahitur, quod *formam* attinet, ea in hoc consistere ex testimonio Anonymi *Sirmodiani* putatur, *si in nomine Christi seu Trinitatis conferatur Baptismus.* Sed novisse debebat Baptismi hæreticorum defensor, quod ipsomet referente Cyprianus optime respondit, Stephani *obstinationem duram in tantum prorupisse, ut etiam de Marcionis, item Valentini & Apellis, cæterorumque in DEUM Patrem blasphemantium Baptismo contenderit DEI filios nasci.* Oportet novitium hunc Scriptorem dogmata hæreticorum non satis percepisse, uti quidem decebat Theologiæ Doctorem & Antiquitatis Ecclesiasticæ illustratorem, dum ita leviter de illorum erroribus sentit, ac si nullum plane Veritati inferrent præjudicium, & facile possent in Ecclesia tolerari. Cyprianus è contrario graviter urgebat, quia Marcion cæteræque hæreticorum, uti constat de sanctissima Trinitate non recte docuerunt, non sufficere, ut dicatur, *in nomine sanctissimæ Trinitatis fieri debere Baptismum*, sed opus esse, ut fiat à Ministro, Ecclesiæ scilicet orthodoxæ, *qui fidem sanctissimæ Trinitatis habeat*; Firmiliano etiam id ægrius in Stephani Decreto ferente, quod contendit dimissionem peccatorum & nativitatem secundam posse in hæreticorum baptisma procedere, apud quos ipse etiam cum adsertis confiteatur *Spiritum Sanctum non esse*, minime considerans, *Spiritualem sine Spiritu esse non posse Nativitatem.* Mirum omnino, quod Schelstratensis hæc loca non tantum legerit, sed sua etiam manu descripserit, & tamen Antagonistæ ausus fuerit objicere, quæ tam manifeste absurditatem sententiæ Stephani ponere possunt ob oculos, nisi in mero die ob mentis stuporem & pertinaciam clauduntur. *Facundi*, Hermianensis Episcopi verba, quibus Cyprianum injuriose Stephanum tractasse, & hunc jure illum culpasse scripsit, hanc controversiam non finiunt, si ea præsertim adtendantur, quæ Launojus circa eadem tractavit, à Schelstratensi insuper habita & neglecta; quibus id adcedit, quod in libro ad Mocianum fallus est idem, Cyprianum & cæteros Africæ Episcopos in Decreto Synodali de rebaptizandis hæreticis *nullo anathemate interposito, nec adversus ulla Concilii generalis antiquiora Decreta, aut conniventes hæreticis talem protulisse sententiam*, dum è contrario Stephani sententia, si cætera quævis prætermittantur notatu digna, favens valde hæreticorum erroribus potuit videri, adeo etiam inprimis, quia ad imitationem hæreticorum fuit formata, uti ante jam dictum est. Et, si nobis quoque licet uti forma loquendi, qua Anti-Launojus noster hactenus non semel est usus, *Quidquid sit* de judicio Facundi, non is est, vel etiam fuit antehac, cujus authoritate sine exceptione standum sit, cum *Sirmondus*, qui primus eum publicæ stitit Luci ante hac plus quam quinquaginta annos, ea de ejusdem methodo disputandi monuerit, quæ Lectorem facere possint & debent cautum, ne omnia ab eo scripta tanquam oracula suscipiantur, Cardinali *Bona* quoque non ita pridem in *Notitia Scriptorum Psalmodiæ* præfixa agnoscente, quod *malæ faverit causæ*, quæ Censura totum opus non parum facit suspectum. Sequitur nunc, quod ad causam utrinque vehementer agitatam pertinet quam maxime, & in quo multum momenti situm esse videtur, an Stephanus Cyprianum, & qui cum eo unanimiter senserant, hæreticos esse rebaptizandos, excommunicarit? Hoc certum est atque indubium apud partem utramque, quod Cyprianus Stephanum non excommunicaverit, sed nonobstante contradictoria ejus sententia, in Pace cum ipso perseverare voluerit. Non urgeo, an salva etiam conscientia cum tolerare fratris instar potuerit, qui erroris quidem non ana, sed abaptistice tamen fuit, omnem omnium promiscue hæreticorum Baptismum tanquam legitimum admittens, atque sic in gremium Ecclesiæ filiorum instar recipiens, qui neque verum in Cœlis Patrem, neque veram in terris Matrem habuerunt destituti eo adoptionis medio, quod Christus Ecclesiæ tanquam Sponsæ instar Depositi commendavit, Spiritu sancto & Sanctificatore non nisi in Templis à se consecratis habitante? Excutiant hoc Problema, quibus visum est, ac probe ponderent, an non ad Historiam

Syneretiſtni pertineat hæc Stephani colluſio abaptiſtica cum quibuſvis hæreticorum in fundamento fidei errantium, atque ad januam Chriſtianiſmi, quo olim elogio Baptiſmus in Eccleſia Chriſti celebrabatur, periculoſiſſime impingentium, quod proxime uberius docebitur? Id interea nunc porro ex Inſtituti ratione meretur notari, quod dum Cyprianus cum ſuis ſententiam de hæreticorum rebaptizatione acriter quidem & pro viribus defendit, nunquam vero Stephanum ob contradictoriam damnavit vel anathemati ſubjecit, aut ſe ab ejus communione Eccleſiaſtica ſeparavit, ſchiſma aliquod intendens, quale Novatiani & Donatiſtæ excitarunt; Stephanus è contrario manſuetudinis Apoſtolicæ oblitus teſte & referente Firmiliano non minatus tantum fuit, ſe hanc ob cauſam ab illorum, qui hæreticos rebaptizarent diſceſſurum communione, videlicet Eccleſiaſtica, ſed inſuper etiam Legatis Cypriani & totius Synodi Carthaginenſis omnem Romæ aditum præcluſit, Cyprianum quoque vocans *Pſeudo Chriſtum, Pſeudo-Apoſtolum & operarium doloſum*, ut alia prætermittam plura, quo idem Firmilianus de intemperie Stephani hac in controverſia ſcripſit, inter quæ hoc tamen non omni ſilentio tegendum, quod expreſſe eidem adtribuit *Rupturam Pacis & ſciſſionem fraternitatis* propter hæreticos ſuſceptam, quam Firmiliani relationem Schelſtratenſis quidem de falſitate ſuſpectam facere conatur, verum non iis rationibus, quæ certum hujus ſuſpicionis fundamentum poſſint videri. Quidquid autem ſit, ut iterum de ſuo id mihi largiatur, ſive ſecundum Bellarmini & Valeſii opinionem comminatus tantum fuerit Stephanus excommunicationem hæreticos rebaptizantibus, ſive ſecundum Rigaltii & Lupi ſententiam non improbabilem reipſa & Firmilianum & Cyprianum una cum Epiſcopis conſentientibus excommunicavit, ſive ſecundum Baronii & Perronii diſtinctionem hoc excommunicationis fulmine percuſſerit non Cyprianum, ſed Firmilianum. utut utriuſque fuerit eadem ratio, quæcunque etiam ex his obtineat, quamvis media videatur probabiliſſima & certis nixa rationibus, quam tamen in præſenti rigoroſius defendere ſuperſedeo, id exinde ſufficienter poteſt conſtare, Stephanum limites Manſuetudinis Apoſtolicæ ſupergreſſum, eaque in hac egiſſe cauſa, quæ tanquam recte facta tueri nihil aliud eſſet, quam Advocati minus laudabilis ſuſcipere partes, Cypriano in hoc etiam obtinente, quod pati malucrit, quam male contra Stephanum antagoniſtam rigoroſiſſimum agere, vincens malum bono conſtantis patientiæ & conſtantiæ patientis, DEOQUE & tempori omne hoc negotium commendans. Ad Concilium *Arelatenſe* progredimur, cujus iterata vice meminit Launojus, ſemel quidem ut oſtendat, Eccleſias Africanorum poſteris etiam temporibus, etiamſi hæreticos adhuc rebaptizarent, in communione tamen cum cæteris manſiſſe Eccleſiis, deinde autem, ut ſuſpectam Hieronymi in Dialogo adverſus Luciferianos de Afrorum retractatione commemorationem hoc Conciliari Decreto infringat. Anti-Launojus priori omiſſa mentione, de poſteriori tantum fuit ſollicitus, novam Canoni Synodico ad mentem *Sirmondi* adfingens ſententiam, quaſi in eo non de orthodoxis, ſed ſchiſmaticis in Africa Epiſcopis ageretur. Equidem amplectimur cum pluribus Eruditorum illam correctionem, à diligentiſſimo alias Gratiani correctore Auguſtino, quod non immerito mirum videri poteſt, prætermiſſam, per quam egregie ad ſenſum Canonis rite percipiendum obſervatur, ſubjectum ejus non eſſe *Arianos*, *ſed Afros*, ut adeo Gloſſatoris antiqui catus margini adpoſitus locum habere non poſſit. Verum, ut Sirmondi conjectura obtineat, Canonis verba & ſcopus Decreti non permittit. Hoc ut fiat manifeſtum, notari debet nec in jure Canonico, nec in pleriſque Conciliorum Editionibus Legem hanc Synodalem rite exprimi, uti quidem Schelſtratenſis ex ultima Editione Labbæi bene exhibuit, quod ante ab ipſo etiam Launojo factum. Unde conſtat, male antehac eſſe lectum ab initio ſtatim Canonis, *ut rebaptizentur*, cum in activa potius ſignificatione ſit legendum, *ut rebaptizent*, quod videlicet ad propriam Legem Afrorum

rum pertinet, ac merito refertur. Neque etiam ſtare poteſt Lectio in proxime ſequentibus, *de hoc hæreſi*, cum nullius in antecedenti Textu hæreſeos fiat mentio, ſed legi debet omnino in ſenſu generali, *de hæreſi*, ſcilicet quacunque, indicato ſatim diſcrimine, quod inter hæreſes quoad hoc rebaptizationis negotium ſit obſervandum. Tantum vero abeſt, ut Canon intelligi poſſit vel debeat de Epiſcopis in Africa Schiſmaticis, quod Sirmondus non ſine ratione tantum, ſed etiam inſuper contra rationem Decreti in gratiam Sedis Romanæ finxit, ut ipſa Textus litera contrarium plane teſtetur, inprimis verbo *Placuit*, quod conciliarem exhibet conſenſum; quem nullatenus largiri poterant Donatiſtis, Catholicos etiam rebaptizantibus, hacque Synodali Lege ſibi terminis Baptiſmi minime paſſuris circumſcribi, quod hic omnino venit obſervandum, ac exinde Launojus non ſine cauſa monuit, ſi Hieronymus id advertiſſet, ea minime ſcripturum, quæ hodiernum in citato ejus Dialogo de Afrorum retractatione leguntur. Atque huc debent referri, quæ Launojus in peculiari Diſſertatione ad Petrum de Marca ſcripſit, agens in ea ex profeſſo *de vera notione Concilii illius plenarii*, cujus in cauſa rebaptizantium non ſemel meminit Auguſtinus, quam egregia poſtmodum Apologia munivit, unde in poſterum ſuo infra loco quædam exhibebuntur notatu digna. Nunc illud adhuc ſemel debet repeti, quod ſupra fuit monitum, etiamſi concedamus, ſchiſma Novatiano-Donatiſticum præbuiſſe anſam ſcrupuloſis quæſtionibus de hæreticorum rebaptizatione, cui ſe antea nemo oppoſuerat, ſed quæ abs ulla contradictione exercebatur, multum tamen & maximum fuiſſe diſcrimen inter rebaptizationem orthodoxorum & ſchiſmaticorum, illius hæreticos tantum vel ab hæreticis venientes, hos autem Catholicos quoque & à vera recedentes Eccleſia rebaptizantibus, quo ſenſu intelligi debet omnino Donati accuſatio in Synodo Romana tempore Melchiadis facta, ac inſequens propria confeſſio, *quod rebaptizaverit*, nimirum quos ab Eccleſia Chriſti ad ſe traxerat, in quo Afros etiam Epiſcopos merito habuit ſibi contradicentes. Succedit authoritas Athanaſii, quem in gratiam Cypriani tanquam Nicenæ Synodi optimum interpretem laudavit Launojus, Antagoniſta ejus non equidem ex proprio, ſed aliorum ſenſu non plane nihil habente, quod in gratiam Stephani contra Cypriani ſententiam objiciat. Duo autem ſunt, quæ reponit, quamvis ex mente ſua non ejuſdem valoris. Primum eſt, quod aliqui putarunt, Athanaſium, ideo Baptiſmum ab Arianis collatum rejeciſſe, quia tunc temporis errarint in forma, uti & Paulianiſtæ. At hoc ei non ad palatum, quod mirum videri poteſt, cum ipſe ſupra hoc uſus ſit effugio. Cauſam ſubjungit hanc, quia Athanaſius neque ſub hac forma Arianorum admiſerit Baptiſmum, hoc adcedente, quod nihilominus & hoc nonobſtante Arianorum Baptiſmus à Concilio generali ſecundo Conſtantinopoli celebrato fuerit admiſſus. Ad hoc poſterius id nunc obſervo, quod non ita pridem *Beveregius* in ſuis ad Canones Conciliorum Adnotationibus monuit, ubi mentem ſuam de ultimo Canone hujus Concilii aperuit, qui Baptiſmi Arianorum tanquam legitimi mentionem fecit, eum quidem in omnibus Balſamonis & Zonaræ Commentariorum editionibus haberi, citari etiam à Photio in Nomocanone, nec non in Alexii Ateiſteni Epitome contractum extare, ſed in omnibus Latinis Verſionibus, ut, veteris Interſpectis, Dionyſii Exigui, Iſidori Mercatoris &c. item in Simeonis Logothetæ Epitome, & Arabica Joſephi Ægyptii paraphraſi, &, quod inprimis notandum, in ipſa Johannis Antiocheni collectione & Nomo-canone deſiderari, idque non ipſis incuria, ut ex eo pateat, quod in ordine Canonum à ſe deſcripto ſex ſolùm Canones huic ſecundæ generali Synodo adtribuat, ut extra dubium ſit, præſentem inter hujus Concilii Canones his diebus non recenſitum fuiſſe. Quin etiam, addit hoc Adnotator, tota Canonis hujus compoſitio eum nec præſenti, nec alii cuivis Synodo (niſi forſitan Trullanæ) adſcribendam eſſe non obſcure indicat; nihil enim in eo conſtituitur vel confirmatur, ſed tantum antiqua

quædam hæreticos converſos recipiendi conſuetudo hic recitatur, & ubi de non nullis ſignandis verba fiunt, nihil præcipitur de modo, quo celebrandum eſt, nec de verbis in iſto ritu pronuntiandis, ſed tantum, quæ verba pronuntiari ſolent, narratur, quæ quidem loquendi formula conſtitutioni cuilibet Synodali non convenit. Poſt ea meminit ex Jacobi Uſſerii Canonum Græcorum codicibus manuſcriptis Epiſtolæ alicujus Conſtantinopolitani Annis plus minus octoginta poſt Synodum hunc ad *Martyrium* Patriarcham Antiochenum ſcriptæ, in qua etſi eadem hæreticos recipiendi conſuetudo, & iiſdem fere verbis recitetur, quibus in Canone laudato, nullam tamen ejus mentionem fieri, etſi ab ipſâ urbe fuerit miſſa, ubi cunctum ſit Concilium, & quod majus adhuc videri poſſit, dictum hæreticos recipiendi ritum non ad aliquam Synodum, ſed tantum ad *συνήθειαν* & Conſuetudinem in hac Epiſtola, quemadmodum & in ipſo Canone referri quod non levi ſit argumento, nullum adhuc de hac re Canonem extitiſſe, cum hæc Epiſtola ſit conſcripta, hac porro addita obſervatione, quod, ſi quis canon iſtiuſmodi à quavis Synodo, præſertim generali, tunc temporis fuiſſet ſancitus. Author hujus Epiſtolæ hanc rem Patriarchæ Antiocheno neceſſum minime habuiſſet ſignificare, cum, quæ ab univerſali illa Synodo fuerint conſtituta, Patriarcham Antiochenum, cujus Anteceſſor, eidem inter fuerat, latere non potuiſſent, & denique cum eadem fere verba in hac Epiſtola legantur, quæ in ipſo Canone, nihil dubii eſſe, quin vel Epiſtola ex Canone, vel Canon ex Epiſtola fuerit deſumtus, quamvis quo minus Epiſtola ex Canone fuerit deſumta iiſdem evincatur rationibus, nullum tunc dierum hujuſmodi Canonem à generali Synodo editum extitiſſe fuit oſtenſum, ac vero prorſus ſit diſſimile, ut quis conſuetudinem à Synodo generali confirmatam deſcribat, & una ſimul non indicet, a qua Synodo eadem fuerit confirmata. Quapropter re utrinque perpenſa eam videri probabilem Sententiam, quæ ſtatuit, Canonem præſentem nihil aliud eſſe, quam Epiſtolam hanc aliquantulum decurtatam & immutatam, ut aliquam ſaltem præ ſe ferat Canonis ſpeciem; & dum antiquus hæreticos recipiendi ritus ab Eccleſia Conſtantinopolitana uſitatus adcurate in ea exhibeatur, dignam non nullis viſam eſſe hanc Epiſtolam, quæ poſt Canones Concilii ibidem celebrati deſcriberetur, tandemque factum eſſe, ut ab aliis proœmio & epilogo mutilata inter ipſos Concilii hujus Canones fuerit recenſita, atque id tempore inter Seculum octavum & nonum currente, quia Johannes Antiochenus hunc Canonem omiſit, qui tamen à Photio commemoratur, unde conſtet, cum à ſecunda generali Synodo non eſſe conſtitutum. Viſum eſt hæc Antilaunojo ad hujus Concilii authoritatem provocanti opponere, utpote à quibus non multum diſſentire videtur *Johannes Cabaſſutius*, dum in Notitia Conciliorum, poſtquam ad cæteros ejuſdem Canones pro more quædam obſervavit, hunc ſine Notâ prætermiſit, ipſomet hoc ſilentio cum facinus ſuſpectum, ſi non omnino ſpurium eſſe judicavit, de quo alii ſentiant ulterius, quodnam inter duo hæc videri poſſit vel debeat probabilius. Alterum nunc ſequitur, quod viſum fuit Doctori Canonico plauſibilius. Athanaſium contra Arianorum Baptiſma loquentem intelligi debere *non de charactere ejuſdem, ſed Gratia*, quod inde putat ſuaderi, quod ſi omnino invalidum ſtatuiſſet, reipſâ Arianos ad ſe venientes rebaptizaſſet, quod tamen ab eo factum non legatur, Sede Apoſtolica id prohibente Decretis generalibus, & Siricio conteſtante, *quod totus Orions cuſtodierit Eccleſiæ Romanæ de Arianis non rebaptizandis conſuetudinem*; & quamvis videatur de eo dubitaſſe Athanaſius, num Ariani valide & legitime baptizarent, *ſimulatorie* formam pronuntiantes, eum tamen non renovaſſe errorem Cypriani, utpote, qui inter fuerit Synodo Nicenæ, Catharorum ſeu Novatianorum Baptiſma admittenti. Verum an hæc Reſponſio mereatur adplauſum, ſequentia docebunt. Certe, niſi de re ſeria & majoris momento ageretur, riſum movere poſſet homini non nimis Melancholico diſcrimen inter Characterem & Gratiam baptiſmalem, cum illius, non hujus ad Baptiſma Arianorum adplicatione. Validus nimirum juxta hanc abſurdam

ſurdam mentis Athanaſianæ explicationem fuit Baptiſmus ab Arianis collatus, ſed vacuus à Gratia DEI, eam ſubtrahentis. Credet ne quis, tam abſurdum fuiſſe Athanaſium, ut characterem ſibi potuerit imaginari abſque Gratia DEI validum? Quin imo, quia credidit & ſcivit, hos hæreticos, quibuſcum tam acriter certavit, in collatione Baptiſmi, quamvis addito nomine Trinitatis, ſimulatorie tantum agere, dum revera Trinitatem perſonarum in Unitate Eſſentiæ non crediderunt, characterem verum & Sacramentalem proprie ſic dudum, per quem videlicet à quovis alio Cœtu ſeparentur tanquam vera Eccleſiæ Chriſti membra, eis adſcribere potuit nullatenus. Quamvis autem non legatur rebaptizaſſe ab Arianis ad ſuam venientes Eccleſiam Athanaſius, neſcio tamen, an inde concludatur tuto, eum non rebaptizaſſe, ſed illos ſine Baptiſmo in Eccleſiæ ſinum recepiſſe, niſi aliam ei velimus adſcribere Theoriam, aliam vero Praxin, prout ſupra Schelſtratenſem obſervavimus Tertulliano & Agrippino diviſim adtribuiſſe, quod à Doctore tanti in cauſâ DEI fervoris & zeli quam maxime alienum fuiſſe credi debet. Et ſi à rebaptizatione Arianorum abſtinuiſſet, quod tamen omnino videtur improbabile, prolixiori opus eſſet demonſtratione, ut oſtenderetur, factum hoc eſſe reſpectu Sedis Apoſtolicæ per generalia quædam Decreta id prohibentis, quæ valde generalia oportet fuiſſe; cum nullam illius quidem temporis ſpeciale poſt Stephani declarationem, quod Athanaſium movere fuiſſet idoneum, ut manum à rebaptizatione Arianorum retraheret, quos in Synodo Nicena cum aliis pluribus Epiſcopis ob errorem Fidei Chriſtianæ fundamentalem tanquam hæreticiſſimos ex Eccleſiæ gremio rejecerat, in qua etſi Cathacorum vel Novatianorum Baptiſmus tum adhuc validus agnoſcebatur, meminiſſe tamen oportet, è contrario Baptiſmum Paulianiſtarum fuiſſe reprobatum, illis nimirum inter Schiſmaticos tantum, his autem ſimul inter hæreticos etiam relatis, quod diſcrimen in hac quidem Quæſtione non plane nullius momenti debet haberi, utut Novatiani tempore ſequenti hæreticis quoque fuerint adnumerati. *Siricii* teſtimonium, quod totus Oriens cuſtodierit Eccleſiæ Romanæ de Arianis non rebaptizandis conſuetudinem, uti merito refertur inter domeſtica, atque ſic eo ipſo in cauſa hac privata non parum ſuſpecta, quod longe plus promittit, quam potuit unquam probari, prout tota hæc Deductio luculenter oſtendit; illa laris capere non licet, qui Siricius aliquam in eo fuerit auſus Eccleſiæ Romanæ gloriam adſcribere, quod Arianos ad Eccleſiam venientes non rebaptizaverit, quos tamen Synodus Nicena ob graviſſimos circa Myſterium SS. Trinitatis & æternam Chriſti Deitatem damnavit; Paulianiſtarum quoque Baptiſmum rejiciens, quibus Arianos fuiſſe meliores nemo prudens dixerit. Ad *Baſilium* perginus, breviter de ejus authoritate in hac Controverſia acturi, quia Antilaunopus eam utut invitiſſimus largiri nobis & concedere fuit coactus, duram ejus Sententiam agnoſcens, quod inprimis Apoſtolicæ Sedis Decretum de Receptione hæreticorum in Eccleſiæ gremium ſine Baptiſmo ad *verſatilem Regionum morem* retulerit, quam duritiem facile potuiſſet emollire, ſi cogitaſſet, Doctorem orthodoxiæ Elogio ſemper celebratiſſimum ſua hac Sententia non aliorſum reſpexiſſe, quam ut pertinaciam contradictionis in Eccleſia Romana ex debito perſtringeret, quod cum Synodus Nicena, cujus Acta univerſus orbis Chriſtianus tum adprobaverat, Paulianiſtarum, & ſub eorum nomine quamvis ſimilium hæreticorum Baptiſma reprobaſſet, Romani ob Canonem quendam aliam minus acceptum, de quo poſthac ſuo tempore & loco agendum erit, & ne quid contra Anteceſſorum inſtituta videantur pati, ut ab aliis præſcribatur, peculiarem fuerint ſecuti morem, quaſi perparum intereſſet, ut laudibile aliorum imitarentur Exemplum, ſed ſuam ſibi ſervarent conſuetudinem, ſuo viventes modo, minus ſolliciti de eo, quid jure ac ex debito fieri debuiſſet. *Amphilochium* vero in hoc à Baſilio diſſenſiſſe, vel ad minimum de ejus Sententia quoad Arianorum rebaptizationem dubitaſſe, atque hinc eam ad Synodum generalem ſecundam detuliſſe, & Deciſionem contra Baſilium obtinuiſſe, ſtultis & in-

famibus poterit forsitan persuaderi, minime autem prudentibus & rerum publicè in Ecclesia gestarum peritis, iis præsertim, quibus cognitum est, quanto hic Episcopus Jeoniensis zelo contra Arianos apud Imperatorem Theodosium egerit, ut publicos eorum conventus prohiberet, teste Theodoreto & post eum Nicephoro, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis, tantum abest, ut eorum Baptismata unquam habuerit pro legitimis & validis. Synodus autem hæc generalis secunda, de cujus Canone ultimo supra dictum, cum in Symbolo, de cujus authoritate nunc non agitur, ei, quod Apostolicum vocatur, & quod ad ejus tenorem in Synodo Nicena fuit conceptum, inter alia adjecit atque fideles confiteri etiam jussit *unum Baptisma, in Remissionem peccatorum*, nec Basilii, nec Athanasii Sententiæ de hæreticorum proprie sic dictorum, inprimis vero Arianorum & illis similium Rebaptizatione fuit contraria, quin potius & multo magis eam adprobavit, si adtendamus, præponi in hoc eodem Symbolo immediate confessionem *unius Sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ*, cujus membra nimirum vera & viva, ac proprie sic dicta uti non sunt nisi vere fideles & per Baptismi Sacramentum regenerati, ita non potest non, nisi in eadem Ecclesia Baptismus rite & legitimi conferri, juxta Patrum hujus Synodi sententiam. Hos inter dum *Cyrillus* quoque Hierosolymitanus refertur, ad ejus mentem omninò scripsisse censendus est, *solos rebaptizari hæreticos*, quæ verba dum satis clara sunt, ac omnem rejiciunt limitationem, frustra in subsidium vocatur Canon ille Synodicus, quem de suppositione suspectum esse, paulo ante fuit demonstratum. *Ambrosium* quoque Launojo mirum non immerito debet videri, cujus verba Sententiæ Cypriani quam maxime faventia ex libro *de initiandis* exhibuit ad quæ nihil fuit in promtu, quod posset cum aliqua ratione respondere, præter authoritatem Synodi *Capuanæ*, cui interfuerit Ambrosius, adque eam provocaverit secuta Synodus Carthaginensis, *Rebaptizationes prohibens.* At, si illustrator Ecclesiasticæ Antiquitatis, quod debebat quam maxime, Decreti literam à semet ipse relatam, insuper ejus occasionem, & simul *Balsamonis*, *Zonaræ*, *Aripzeni* consentientem adtendisset explicationem, forte supersedisset hac objectione, sibi nihil, multum Launojo & toti huic argumento profutura. Canon ipse prohibet quidem Rebaptizationes, sed non hæreticorum, de quibus nulla ibidem legitur mentio, adeoque per vim intrudendi non sunt. Præterea, occasio Decreti in sequentibus clare exprimitur, & significatur, rebaptizationes, uti & *reordinationes & translationes Episcoporum*, quæ sub uno eodemque Canonis argumento comprehenduntur, non prohiberi propter hæreticos, sed propter *Crescentium* quendam Episcopum vere peripateticum, qui populo proprio neglecto alienam invasit Ecclesiam, ea faciens, quæ docebant minimè. Atque contra hunc Patres conscripti hoc Decretum formarunt, ne quis alius posthac tale quid audeat suscipere, per quod Ecclesia suo privaretur ordine. Adcedit, laudatos Interpretes & Glossatores unanimiter observasse, *Capuæ* factam esse Synodum, atque in ea statutum, *ne rebaptizarentur, qui ab orthodoxis fuerint baptizati*, vel reordinarentur, qui ab orthodoxis Episcopis fuerint ordinati. Et dum, *Zonaræ* ad hujus Decreti mentem rite intelligendam provocat ad Canonem quendam Apostolicum, etiamsi authoritas inde derivata non sit Canonica, juvat tamen, ubi ad hominem disputatur, Lectori hic eum exhibere, ut iis, qui antiquitatem illorum commendant, fortiter in hujus Quæstionis discussione possit opponi. Est is numero & ordine post quadragesimum septimus, hoc verborum tenore expressus: *Episcopus vel Presbyter eum, qui vere habet Baptisma, si de integro baptizaverit, vel, si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideant Crucem Domini & Mortem, & non discernat Sacerdotes (veros) à falsis.* Canon proxime præcedens ulterius hoc Decretum ita confirmat, sanciens; *Episcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptisma vel Sacrificium admiserit, jubemus deponi, quæ est enim conventio Christi cum Belial, vel quæ pars est fideli cum infideli?* Videant, quibus hi canones in aliquo sunt pretio

tio, qua ratione Stephanum Pontificem defendant, omnium promiscue hæreticorum Baptismata rati habentem, contra Apostolorum expressissima, quæ venerantur, Decreta, quibus quod in rem hanc rem præsentem addatur, super amplius non est. De Synodo *Arelatensi* secunda, cujus etiam authoritate Schelstratensis utitur contra Launojum, id tantum observetur, quod quidem in ea *Basi*, cujusdam in Macedonia Episcopi, illibatam Mariæ Virginitatem post partum negantis, adsectarum Baptismus non fuerit rejectus, confirmatus tamen sit laudatus supra Canon Synodi Nicenæ, Paulianistarum vel Photinianorum Baptismata rejicientis, quod ad præsens sufficit negotium. Quæ autem de Augustino circa hanc Quæstionem notatu digna exhibuit lectori Launojus, per Canonicum Antverpiensem atque observationes ejus manent inconcussa, utpote quæ vanis utplurimum & omni Veritatis fundamento carentibus innituntur fundamentis, ei præsertim, quod universa sub Cælo Ecclesia dogmati Sedis Apostolicæ & sententiæ Stephani consenserit, & quod Augustinus non unicum, sed plurima Conciliorum Decreta opposuerit adversariis, dum prius quidem ad inanem Ecclesiæ Romanæ gloriam pertinet, quam ante etiam in Epistola Siricii advertimus, posterius autem ea facilitate, qua fuit propositum, rejicitur tanquam inutile & insufficiens, propter diversitatem adversariorum, quibuscum Augustino fuit controversia, Cypriano in alia plane Controversia versante, quod supra etiam fuit indicatum. Atque hæc sunt præcipua, quæ in gratiam Launoii contra Antagonistam temerarium hac occasione libuit proponere, ut argumentum Bellarmini pro Pontificis Romani infallibilitate ex hoc Exemplo deductum uberius infirmaretur, cum in finem, ut simul eruditis & in Antiquitate Ecclesiastica versatis ulterior ansa præbeatur, de hac nobili & majoris momenti controversia magis cogitandi quæ quam maxime ad Quæstiones Syncretisticas hoc Seculo celebres videtur posse & debere referri. Quæ enim porro in sequentibus adjunxit Schelstratensis, non nisi otiosæ sunt antecedentium repetitiones, quibus iterato examinandis patientiam Lectoris fatigare necessum non est, præterquam, quod plurima in Deductione Launoii prætermisit, quæ ne extremo quidem digito ausus est attingere, adeoque in salvo adhuc consistentia.

His dudum in charactam conjectis venit in manus Trias Dissertationum Scriptoris cujusdam Anonymi, quas tamen in Catalogo Amstelodamensi Jansonio Waesbergiano observari Petro Allix, incognito hactenus adscribi, quarum prima agit de Christi Sanguine ad Epistolam Augustini centesimam quadragesimam & sextam; secunda de Conciliorum quorumvis Definitionibus ad examen revocandis, tertia de Tertulliani Vita & Scriptis, in qua ubi de libro, quem Tertullianus scripsit de Baptismo, egit Author, sequentia exhibuit Lectori, hic etiam, quæ legantur, visa non indigna: Licet ab orthodoxo (adhuc Tertulliano) scriptum de Baptismo librum existiment plerique, sunt tamen non nulli, quos illius caput quindecimum ita commovet, (eo scilicet capite Baptismum hæreticorum exsufflat Tertullianus) ut non minimam Ecclesiasticæ eo in negotio traditioni plagam inflixisse illum, & Agrippini Concilio, quo luxatam volunt Ecclesiæ ea in causa disciplinam, præiviisse existiment & conquerantur. Ita Baronius, licet post varias querelas levitate desultoria, tantoque Viro indigna relinquat in incerto tandem, an Tertullianus præiverit Agrippino, an Agrippinus è contra Tertulliano? Quid, quod hanc causam alii censent fuisse, ob quam à Clericis Ecclesiæ Romanæ, avitam consuetudinem à Tertulliano ægre convelli patientibus, durius fuerit exceptus, aegri loquitur Hieronymus, contumeliis onerarur. Verum, ut hi indulgent plus æquo suspicionibus, sic illi sunt adversus Tertullianum iniqui. Nil enim in eo capite defendit Tertullianus, quam quod ante illum (nam id ab Apostolis fluxerit, necne, viderint alii Traditionis tanti deprædicatores) solemni consensu fuerat receptum. Fateor, Eusebium, cum libri septimi capite tertio de controversia inter Stephanum, Episcopum Romanum, & Cyprianum Carthaginensem

mota

mota loquitur, hæc habere in gratiam Stephani : ***Stephanus nihil novi aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata moliendum arbitratus hac de re animo vehementer commotus fuit.*** Verum, ut ea adverſus Euſebium non repetam, quæ adfert Cyprianus in Epiſtola ad Pompejum, ut Stephani Decretum ad authoritatem Apoſtolicam minime referri poſſe comprobet ; quis neſcit, cum nullus Stephano adverſus Cyprianum in partibus occiduis aut in Oriente venerit ſuppetias, Epiſcopos Cappadociæ, Orientis, Ægypti, Aſiæ ſuum hæreticos rebaptizandi morem publice pro traditione Apoſtolica venditaſſe ? Quis porro neſcit, qua ratione tota hæc in Synodo Arelatenſi compoſita fuerit controverſia ? Cenſebat Stephanus Baptiſmum qualemcunque & à quibuſcunque hæreticis datum eſſe pro legitimo habendum. Cenſebat contra Cyprianus Baptiſmum quemcunque & à quibuſvis hæreticis collatum eſſe pro nullo habendum. Sic autem ſuper ea Quæſtione ſtatuit Synodus, quam paſſim dixit plenariam Auguſtinus, atque nulli concedit celebritate : *De Aſris* &c. Annon id ita Euſebii & ſimilium aſſertiones diſjicit, ut penitus evaneſcant ? Haud mihi jam adhibeat fidem Baronius, ſed Viro, quem ſumme cogitur venerari. Eſt is Benedictus Pontifex hoc nomine duodecimus, in Reſponſione ad fraticellorum objectiones contra Johannis Papæ vigeſimi & ſecundi Conſtitutiones, quam, dum adhuc eſſet Cardinalis, edidit, & quam Eymericus Directorii Inquiſitorum partis ſecundæ Quæſtioni poſt decimam ſeptimæ inſeruit. Cum enim dicerent fraticelli, quod in his, quæ pertinent ad Fidem & Mores, determinatum ſemel per Pontificem ſummum non poſſit per alium revocari, reſpondit Benedictus, falſum id eſſe, cum & Petrum, qui non ambularat recte ad veritatem Evangelii, Paulus reprehenderit & correxerit, utut illi non par fuerit, ſed inferior. Itera, inquit, Stephanus Papa determinavit ; quod nullus per hæreticos quoſcunque Baptizatus ad Eccleſiam veniens Catholicam rebaptizaretur, Sanctus autem Cyprianus cum multis in Africa Epiſcopis Concilium celebrans determinavit oppoſitum, videlicet, quod baptizati ab hæreticis quibuſcunque, ſi ad Eccleſiam veniant Catholicam, ſint baptizandi, reprobans in hoc Stephanum Papam, ut patet ex Epiſtolis Cypriani ad Jubajanum, Stephanum & Pompejum. Concilium autem Nicenum utramque opinionem & S. Cypriani & Stephani Papæ correxit, determinando, quod baptizati ab hæreticis formam Eccleſiæ non ſervantibus ad Eccleſiam venientes baptizenter, ab aliis vero hæreticis baptizati non rebaptizentur, ut non ſit contra Articulum Fidei : ***Unum Baptiſma.*** Hæc ſcripſit Benedictus jam Cardinalis, qui paulo poſt adſumtus eſt ad Pontificatum. Illa, uti recantaſſe nunquam legitur, tam probavit Eymericus, ut adverſus fraticellos tanquam argumenta retulerit peremtoria. Quare mirum eſt omnino, quod tam impudenter in Benedictum invehatur Franciſcus Pegna, Editor hujus Directorii, nuperorum Pontificis Romani adulatorum authoritatem longe præferens Benedicto Pontificum Sententiæ, quam per tantum tempus probarunt Inquiſitores & Pontifices, quotquot hoc Directorio Inquiſitorum ſunt uſi, quorum quis ineat numerum ? Eant igitur in vanum Baronii adverſus Tertullianum invectivæ, deque ſpreta ab illo traditione Apoſtolica tam lugubres querelæ. Hanc certe traditionem non agnovit Synodus, quæ, ſi alia quæpiam inter œcumenicas primo connumeranda fuit loco ; & tamen, ſi Baronium audimus, hac lege Stephani nil magis erat Apoſtolicum.

Lubet his inſuper etiam inſerere, quod inter id ex improviſo obcurrit, notatum in obſervationibus Stephani Baluſii ad Vincentii Lirinenſis Commonitorium, in quo itidem Controverſiæ hujus Anabaptiſticæ mentio facta legitur, Adnotatore eruditiſſimo ſequentia obſervante, quæ ad Sententiam Launoii adverſus oblocutores porro confirmandam poſſunt inſervire : Quæri poteſt hoc loco, ſcribit, annon Vincentius ſenſerit cum Hieronymo, decretum de hæreticis rebaptizandis editum in Synodo Africana ſub Cypriano, caſſatum ab iiſdem Epiſcopis fuiſſe, qui condiderant ? Et poſtquam Hie-

Digitized by Google

Hieronymi verba huc pertinentia à Dialogo adversus Luciferianos adduxit, his suam superinde mentem expressit. Huic testimonio, inquit, multa videntur repugnare. Primo constat, authoritate Concilii Arelatensis per multa viguisse tempora post Cyprianum quoque doctrinam de rebaptizatione apud Afros. Deinde illud ipsum probatur è Synodo Carthagine habita apud Gratum Episcopum, quæ, licet constiterit ex Episcopis, quorum animus abhorrens erat à rebaptizatione, evincit tamen, hanc doctrinam nondum fuisse abolitam apud Afros, tametsi plerique contra sentirent. Præterea Synodum Africanam Cypriani adhuc ævo Vincentii Lirinensis fuisse in aliqua authoritate, exemplum probat Donatistarum, qui, uti docet idem Vincentius, & constet ex diversis Augustini locis, illius Synodi authoritate se jactabant rebaptizare. Denique, nullum novi illius Decreti testimonium extat in Antiquitate tota, quod tamen si fuisset, haud dubie eo frequenter usi fuissent adversarii Donatistarum; contra autem Augustinus in Epistola post quadragesimam octava adnotavit, non inveniri, Cyprianum hanc de hæreticis rebaptizandis Sententiam correxisse. Itaque fieri potest, ut Hieronymus, cum videret, rebaptizationem ab Afris Catholicis rejici, fortassis odio adversus Donatistas, putaverit, eos ad consuetudinem antiquam revolutos esse statim post Synodum sub Cypriano habitam, quemadmodum Augustinus libri de Baptismo tertii capite secundo ait, Afros post Agrippinum ad pristinam rediisse consuetudinem. De cætero, rebaptizationem à non-nullis Afrorum diu fuisse retentam colligitur è Gregorii Epistola post vicesimam quinta in libro earum secundo, atque ex Epistola Nicolai Pontificis hoc nomine secundi ad Clerum & plebem in Civitate Sistaricensi consistentem, quæ edita est ab Honorato Bouchenio in Historia Provinciæ, ac Tomo ejusdem secundi pagina post septuagesimam octava, itemque ex Decreto Alfani Episcopi Salernitani, edita à Ferdinando Ughello in Italiæ suæ Tomi septimi pagina post octingentesimam secunda.

Postquam hæc etiam cum pluribus aliis fuerunt in gratiam Veritatis excerpta, impetrare tandem quoque licuit Natalis Alexandri Selecta Historiæ Ecclesiasticæ cum Dissertationibus Criticis, quibus in Seculi post Christum tertii deductione tres prolixas de hoc argumento inseruit, multa hinc inde disputans, nulla tamen Launoii mentione facta, quem alias non semel, sed mortuum sibi sumsit impugnandum, nisi in fine tractationis, quam brevi ejus Censura obsignavit: Objicies, inquit, cum Vero (vere) doctissimo, Johanne Launojo, Cyprianum pluris, quam Stephanum Pontificem semper in Ecclesia habitum fuisse, quod ostendit, Launojus scilicet, ex laudibus, quibus Sancti Patres universi pene non Stephanum, sed Cyprianum sunt prosecuti, itidem ex Canone Missæ, in quo adscriptum habetur nomen non Stephani, sed Cypriani, uti & ex veteribus Litaniis, in quibus invocatur non Stephanus, sed Cyprianus &c. inprimis vero, quod Anastasius Bibliothecarius in vita Stephani aliarum quidem ejus Constitutionem meminerit, non autem illius, quæ ad Baptismum hæreticorum pertinet, quasi, qui Romæ scribunt, illud non auderent, vel etiam erubescerent eloqui; quin & quod in Breviario Romano Clementis & urbani octavorum authoritatibus recognito Decretum hoc Stephani de hæreticis non rebaptizandis aliter plane referatur, quam à Stephano fuerit editum &c. ex quibus colligit Vir eruditus, nempe Launojus, ipsa judice Ecclesia videri Stephanum damnando errorem Cypriani in errorem contrarium fuisse abreptum. Sed respondeo, inquit Natalis Alexander, negando consequens; hæc enim solum probant majorem Ecclesiæ de S. Cypriano existimationem venerationemque propensiorem, tum ob sanctitatem, dum vixit, illustriorem, tum ob disciplinæ Christianæ studium & animi fortitudinem in ea propugnanda adhuc sæviente Persecutionum tempestate eximiam, tum etiam ob amorem Ecclesiæ universalis & unitatis Catholicæ, imo quoque ob Doctrinæ præstantiam & famam, quæ eidem inter Ecclesiæ Patres tam nobilem obtinuit locum, (quæ Doctrina, si errorem de bap-

tiſmo hæreticorum exceperis, Fidei propugnaculum, Traditionum promtuarium, Diſciplinæ palladium, Moralis Evangelicæ firmamentum eſt) tum denique ob Martyrii claritatem celebritatemque majorem. At, quamvis Stephani obſcurior memoria in Eccleſia eſt, quam Cypriani, inferri tamen exinde non poteſt, Stephani Decretum ab ea non probari. Neque me movet el Anaſtaſii Bibliothecarii ſilentium de hujuſmodi Decreto, vel Breviarii Romani illud paulo aliter referentis authoritas, utpote quibus prævalet veterum Monumentorum fides. En, Lector candide, gladium, ſed minime vel Domini vel Gideonis, ſed Alexandri, non quidem Macedonis victorioſi, verum Galli, ordinis Dominici, qui, an nunquam fruſtra acrem verberet, ſed omnes nodos etiam Gordianos, quamvis intricatiſſimos & aliis inſolubiles apte non ſolvat, ſed acie ſua diſcindat, judicabunt ac oſtendent, qui poſt hac ſelectas haſce Diſſertationes rigoroſo, uti par eſt, ſubjicient Examini. In hoc certe argumento parum vel nihil omnino præſtitit, ſi vim deductionis Launojanæ adverſus Schelſtratenſem Antverpianum defenſæ adiendamus, utpote hac re jam liquida, ut in vanum plane laboravit demonſtrare ſtudens, Cyprianum Firmilianumque cum Cœpiſcopis reipſa non fuiſſe excommunicatos à Stephano Pontifice, ſed hunc eis excommunicationem tantum comminatum eſſe, & Cyprianum cum Epiſcopis Africanis non exiſtimaſſe dogma de hæreticis rebaptizandis ad Fidem pertinere; quamvis contra alios non male ſuſceperit defendendum, eſſe incertum, quod non plane nulli adfirmant, Cyprianum depoſuiſſe errorem, debuit ſcribere, Sententiam de hæreticis rebaptizandis, vel potius vere & ſemel tantum baptizandis, quia baptiſmum hæreticorum, qua talium, atque in Eccleſia hæretica adminiſtratum non niſi pro pſeudo id eſt, nullo habuit Baptiſmo Cyprianus, quorſum pertineat, quod contra Baronium peculiari Articulo defendit, Firmilianum quoque & cæteros Orientales hunc errorem, rectius, Sententiam de Baptiſmo hæreticorum non depoſuiſſe Dionyſii Alexandrini tempore, quod quia ſupra quoque fuit oſtenſum, prolixa repetitione non indiget. Neque etiam neceſſe eſt retexere hic ipſam de Baptiſmo hæreticorum Controverſiam, quam idem Natalis Alexandrini Diſſertatione poſt viceſimam tertii in ejuſdem Seculi deductione retractandum ſumſit prolixiſſime, non ſolum rationibus Cypriani & Africanæ Synodi opponens reſponſiones Auguſtini, ſed etiam ad authoritates & teſtimonia Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Baſilii & Optati Milevitani, quæ non parum Sententiæ Cypriani & aliorum tam Orientalium, quam Africanorum videntur favere, varia excipiendo, ſed abſque ulla Launoii mentione, cujus tamen hic potiſſima habetur ratio, alia forte poſthac occaſione futura, quæ ulteriorem præbebit anſam, adcuratius hanc Quæſtionem momenti non minoris pertractandi.

Appendix.

QUia in hac quæſtione de baptiſmo hæreticorum, quæ ob Donatiſtarum intemperiem poſteris quoque temporibus plurimum exercuit Auguſtinum, is non ſemel in ejus tractatione ad plenarium provocavit Concilium, nuſpiam vero indicans clare, quodnam per illud proprie intellexerit, per cujus videlicet Decretum hæc controverſia videri poſſit decita, atque hinc apud eruditos Eccleſiaſticæ Antiquitatis Tractatores non una ſemper eademque ſuper eo fuit ſententia, præter rem non erit, brevitet huc adponere in gratiam Lectoris ſtudioſi, quæ contra Bellarminum & ejus ſectatores peculiari quadam diſſertatione congeſſit de eo Launojus, lucem non parvam rei ſatis obſcuræ adlatura. Ante omnia autem propoſuit verba Bellarmini, de hoc Concilio imprimi de Sacramentis in genere libri capite poſt viceſimum ſexto ſic ſcribentis: *Quia nuſquam Auguſtinus vocat id Concilium Nicenum, multi dubitant, de quo loquatur.*

ter. At nulla eſt cauſa dubitandi, nam vocat Concilium orbis terræ plenarium; nullum autem novit Auguſtinus orbis terræ Concilium, niſi Nicenum. Nam quatuor tantum facta ſunt Auguſtini tempore Concilia generalia, videlicet, Nicenum, Sardicenſe, Conſtantinopolitanum primum & Epheſinum primum; ſed ex his Epheſinum primum fuit indictum paulo ante mortem Auguſtini, & poſt mortem ejus celebratum, quod conſtat ex epiſtola Africanorum ad Imperatorem Theodoſium Juniorem. Concilium vero Conſtantinopolitanum de hac quæſtione non tractavit. Adde, quod Auguſtinus libri ſecundi de Baptiſmo ſecundi capite nono teſtatur, Concilium plenarium, in quo hæc Veritas eſt definita, ante celebratum fuiſſe, quam ipſe naſceretur, conſtat autem, ſolum Nicenum eſſe celebratum ante Nativitatem Auguſtini Concilium Sardicenſe nec de iſta quæſtione tractavit, nec notum fuit Auguſtino. Ad hæc Bellarmini verba Launojus obſervat, quod diſſimulato illius nomine recentiores quidam fecerint ſua, & ſcribendo amplificaverint; at Sirmondum acerrimi Judicii Virum in præfatione ad Lectorem primo Conciliorum Galliæ Tomo præmiſſa à Bellarmino & ſequacibus diſſentire his verbis: *Apertiſſimum mihi viſum eſt, omiſſis, quarum obſcurior erat memoria, noſtras Synodos inchoare ab eo capite, unde originem ducunt etiam œcumenicæ, primamque omnium ſtatui Arelatenſem, utpote qua, ſive ſpectentur Epiſcopi, qui ad eam convenere, ſive res in ea geſtæ, nulla uſquam poſt œcumenicas habita ſit illuſtrior: In ea quippe & Donatiſtarum pertinax contentio, quæ Africam vexabat, iterum eſt diſcuſſa, & pro parte compoſita, & de Baptiſmo hæreticorum Eccleſiæ lex tradita, ejuſque iterandi prava conſuetudo, quæ in eadem Africa inoleverat, penitus repreſſa impoſterum atque interdicta; Epiſcopi vero tam multi, tam diverſis ex Italiæ, Africæ, Africa, Hiſpaniæ, Brittanniæ, Galliæque Provinciis, confluxere, ut propterea Concilium hoc non dubitarit Auguſtinus contra Donatiſtas diſputans plenarium & univerſale, ac univerſæ Eccleſiæ Concilium adpellare.* Hanc poſteriorem Sententiam priori contrariam amplectitur Launojus defendendam, idque diverſis capitibus, cujus primo hoc ſcripſit lemma: *S. Auguſtinus ubi de plenario, orbis terræ, univerſali, & Eccleſiæ univerſæ Concilio loquitur in cauſa Donatiſtarum rebaptizantium, Arelatenſe intelligit, non Nicenum.* Hujus autem lemmatis ut veritas conſtet eo facilius, duo ſupponit Inſtituto convenientia. Unum eſt, ſcribit, certiorem hujus locutionis notitiam ex Auguſtino haberi, quam ex aliis Scriptoribus, qui Concilium hoc aliter, ac ille accipiunt, vel accipere poſſunt pro arbitrio, atque ſic indubie certiorem eſſe Auguſtinum ſui ipſius interpretem præ quovis alio. Alterum vero, hæc quatuor, ſcilicet, *plenarium, orbis terræ, univerſale, & univerſæ Eccleſiæ Concilium*, cum in ſignificatu pari Auguſtinus uſurpet, nihil eſſe omnino, cur potius in unius, quam alterius explicatione immoremur, ſed, quod de una dicemus locutione, id de altera etiam rectiſſime dictum exiſtimetur. Nempe ſi Auguſtinus, ubi de Concilio plenario facit verba, de Arelatenſi ſit intelligendus, ubi quoque de univerſali, de orbis terræ, vel de univerſæ Eccleſiæ Concilio loquitur, de eodem Arelatenſi intelligatur. Hanc ſuppoſitionem nemo quiſquam eſt adverſariorum, qui merito repudiet, cum illis quatuor nomenclationibus unum intelligant Nicenum vel Alexandrinum. Hæc autem cum ita certæ rationi congruant, nunc diſquirendum eſt ex Auguſtini libris, an Concilii plenarii nomine idem ille ſentiat, quod Bellarminus & ii, qui ejus ſententiam amplectuntur, dum nominant Concilium generale, univerſale, ſeu œcumenicum, exempli gratia, Nicenum vel Calchedonenſe. Auguſtinus certe multis in locis refert, Donatiſtas Bagajæ trecentorum decem Epiſcoporum celebraſſe Concilium, ut exortum inter eos Schiſma ſedaretur, illudque adpellaſſe nunc plenarium, nunc univerſale; ſed quia adpellationem hanc non redarguit, ei videtur conſentire. Quod & Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ ſatis innuit numero poſt ſexageſimum nono, ubi Legatio ad Donatiſtas in cauſa componenda Pacis dirigenda ſtatuitur; & hoc in Codice Patres Africani, & Auguſtinus inprimis, qui aderat, nunc univerſale, nunc plenarium pari modo uſurpant, atque ſic apud Africa-

nos omnes, ſive qui communionis eſſent Catholicæ, ſive qui non eſſent, idem eſt plenarium ac univerſale Concilium, ac eodem gaudet ſignificatu. Deinde, apud eoſdem Africanos bifariam tantum dividuntur Concilia, nimirum in Provincialia & univerſalia, atque ſic apud eos, quod Concilium non eſt Provinciale, univerſale eſt. Tum, dubitari merito non poteſt, quin Auguſtinus, qui in Conciliis Africanis doctrinæ primatum tenebat, idem quod alii ſentiret; quod diligenter eſt obſervandum, ut, quænam fuerit hac in re Auguſtini ſententia, cognoſcatur. Poſtremo, notandum, quod ſi Auguſtinus Concilia Carthaginenſia nunc plenaria, nunc univerſalia cum aliis Patribus Africanis vocet, Concilium Arelatenſe primum vocare plenarium & univerſale non dubitaverit, quin etiam multo minus. cum exempli gratia Concilium Carthaginenſe, quod univerſale dicitur, adpellatione hac indignum videatur præ Arelatenſi primo, quod ab Arelatenſi ſecundo ex omnibus mundi partibus & præcipue Gallicanis congregata Synodus nuncupatur. Ex hac igitur notione quid jam de mente Auguſtini ſtatuendum ſit, iudicatu eſt proclive, ſcilicet, id Concilium ab Eccleſiæ Doctore ſanctiſſimo plenarium & univerſale dictum eſſe, aut certe dici potuiſſe, utpote in quod non ex Africa tantum, ſed etiam ex aliis regionibus Occidentis confluxerunt Præſules, cujuſmodi fuit Arelatenſe primum. Nunc porro quæſitis ex ipſomet Doctore rationibus id ubique intelligi erit comprobandum. *Prima hæc eſt*: Auguſtinus in libri de Baptiſmo contra Donatiſtas ſecundi capite quarto, ſeptimo & ſequentibus, & alibi ſæpe plenario, item in libri quarti capite ſexto, univerſali Concilio firmatam non rebaptizandi eos, ab hæreticis ſunt baptizati, conſuetudinem dum tradit, quodnam ſit illud Concilium, aliis longe ſignificantioribus verbis docet Epiſtola ad Eleuſium poſt centeſimam & ſexageſimam ſecunda, quæ de Niceno, Sardicenſi, Conſtantinopolitano nequeunt intelligi, cum, quo Romæ judices Donatiſtarum & Cæciliani cauſam tractaverant, iidem omnes Niceno, Sardicenſi aut Conſtantinopolitano intereſſe non potuerint. Ceſſet igitur illa mentis occupatio, qua quidam præpediti Auguſtinum aliter intelligunt, quam intelligendum ſe præbet; qui cum in ejus contra Donatiſtas libris plenarium & univerſale Concilium legunt, aliud vel majus Concilium explicant, quam hac in Epiſtola ubi plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium ſupereſſe legunt, in quo cauſa Cæciliani & Donatiſtarum Romæ jam judicata iterum judicetur. Deinde, quod reſtabat Eccleſiæ univerſæ Concilium, idem paucis interpoſitis verbis vocat judicium Arelatenſe, id eſt, Concilium Arelatenſe, in quo de non iterando hæreticorum Baptiſmo peculiaris Canon eſt ſtatutus. *Secunda ratio* petitur ex his verbis, quibus libri de Baptiſmo contra Donatiſtas ſecundi capite octavo & nono Cyprianum excuſat, quod ejus tempore Concilium univerſale habitum non fuerit, ſed demum poſt ejus paſſionem ante, quam ipſe natus eſſet Auguſtinus. Quodnam vero fuit, quæſo, Concilium illud, niſi Arelatenſe primum. Deinde, cum dicit, ætate Cypriani nondum fuiſſe habitum illud Concilium, quod ille ſequi vel laudare potuerit, aliquod ejuſmodi jam ſuo tempore habitum fuiſſe ſupponit; at certe nullum eſt aliud præter Arelatenſe primum. Præterea nonne & tranſmarinum ab eo vocatur eo ſenſu, quo apud eundem dicuntur Eccleſiæ tranſmarinæ & Epiſcopi tranſmarini? an non etiam eſt univerſale, cum illud alibi plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium appellarit? Quæ duo inſuper plurimum confirmantur ex libri de Unitate contra Petiliani Epiſtolam capite ſecundo, ubi hæc leguntur? Reſtabat utique, ut Epiſcopi tranſmarini, qua pars maxima diffundebatur Eccleſiæ Catholicæ, de Afrorum Collegarum diſſenſionibus judicarent. Quæ cum ita ſcribat Auguſtinus, collectum ex tranſmarinis & Afris Præſulibus Concilium poſtea non immerito vocavit univerſale. Deinde dum inter multos hæc quæſtio ex utraque parte tractaretur & quæreretur veritas, ubinam, quæſo, congruentius eſt inventa, atque ad plenarii Concilii authoritatem roburque producta, quam in Arelatenſi prima? Noverat quippe Auguſtinus, Donatiſtis, qui à Concilio Romano, ubi Cæcilianus fuerat abſolutus, provocaverant, Concilium Arelatenſe datum fuiſſe, in quo cau-

disputatum fuisse testatur Augustinus ante, & ex relato Concilii Arelatensis Canone adparet. Quod autem Synodus Nicena de Donatistis, aut aliis etiam præter Paulianistas hæreticis nihil certo definiverit Canone, non obscure colligitur ex Epistolæ Basilii ad Amphilochium capite post quadragesimum septimo. Potuitne enim Basilius, qui canones aliquando laudat Nicenos, in ea actorum Concilii ignoratione versari, ut cum Athanasio, & aliis forte non plane nullis Patribus Nicenis vixerat, certius quam Augustinum, qui in partibus Occidentis toto fere post illud Concilium seculo degebat, canones hujus & acta novisse; in Oriente enim planius, quàm in Occidente tunc esse debuit hoc Concilium, cui pauciſſimi ex Occidentis Regionibus interfuerunt Episcopi. Quorsum vero Vir magnus Synodo Nicenæ suppar voluisset unius aut alterius Provinciæ in Oriente Episcopos congregati, qui recipiendo hæreticorum baptismo statuerat, si tunc ea de aliis, quam de Paulianistis Lex in Concilio longe majori fuisset condita; quorsum apud Romanos potius, quam apud Græcos baptismum hæreticorum, qui in Patre, Filio & Spiritu Sancto dabatur, iterare vetitum erat, si quod vetuerat Concilium, illud Nicenum fuisset? Sane cum dicit Romanos, quos hic Occidentales intelligo, lege rebaptizandi non teneri, satis indicat, eam legem alibi fuisse latam, quam in Oriente, quo fortassis nondum pervenerat, aut si pervenerat, quod difficile est probatu, nondum erat ubique locorum admissa in authoritatem. Horum autem alterutrum negari non potest ab eo, cui Basilium in communione Romanorum vixisse ac tandem devixisse constat. Basilio jungi poterit Epiphanius, qui convenienter Instituo præsenti hoc tradit in expositionis fidei Catholicæ numero post decimum tertio. Qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus privata sibi factione conflata ἀπὸ ὑπαρχόντων αὐτῶν δογμάτων iterum baptizare nihil verentur, cum ea res nondum Synodi judicio sit decisa. Scilicet Epiphanius, qui anno post tria secula septuagesimo creatus est Constantiæ seu Salaminæ, Urbis Cypri primariæ Episcopus, hinc Synodi Nicenæ Gesta & canones, hinc nonnullos illius Patres videre potuit per ætatem, & probe nosse, quæ & qualis disciplina circa baptismum hæreticorum à Concilio fuerit instituta, vel non. Si quis igitur Synodum Nicenam ac Epiphanium sibi statuat ante oculos, & diligenter inspiciat, Decretum esse quidem à Synodo, ut rebaptizentur Paulianistæ, sed de cæteris hæreticis rebaptizandis, vel non rebaptizandis decretum nihil esse, sine dubio judicabit. Quo ita posito, testimonia, quæ ex diversis Augustini locis sunt citata, ad Synodum Nicenam gratis & sine ratione flectuntur; &, si Magisterium vetus, quo nonnulli præpediuntur, si insuper præjudicata tollatur opinio, super nihil erit, quocum honeste pugnetur. Cæterum, ut quæ dicta sunt, omittantur omnia, quis adducetur unquam, ut credat, meliorem posse reperiri Interpretem Augustini, quam ipsummet Augustinum, qui se de Concilio Arelatensi locutum clare indicavit. Hactenus primum tractationis caput, quo suam de plenario apud Augustinum Concilio sententiam rationibus ex Augustino desumtis confirmare studuit Launojus. Secundum nunc sequitur, in quo Bellarmini & aliorum conjecturas diluere laboravit, in antecessum monens, ad intelligendam Augustini mentem parum juvare factam à Gregorio Magno vel alio Scriptore recensionem Conciliorum generalium, ex qua sola Bellarminus disputet cum sequacibus, oblitus, se, cum de Conciliis ageret, advertisse, aliam atque aliam fuisse olim non modo apud Africanos, sed Romanos etiam generalis seu universalis Concilii acceptionem. Cum igitur, scribit Launojus, diversa fuerit ejusmodi nominum acceptio, & Africani aliter ac nos plenarium, universale ac Ecclesiæ universæ Concilium usurpaverint, quæ solida poterit esse extra Codices usumque Augustini & aliorum æqualium Africanorum hac de re ratiocinatio? Post hæc in specie adsumit testimonia Augustini expendenda, quibus pro Nicena Synodo usus est Bellarminus cum suis sequacibus. *Primum* ex secundi de Baptismo contra Donatistas libri capite tertio exhibet Augustinum statuentem, Concilia quæ per singulas Regiones vel Provincias fiunt plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano

fine

fine ullis ambagibus cedere, ipſaque ſæpe plenaria poſterioribus emendari. Sed, his verbis, reſpondet Launojus, quæ nullam ad theſin, ſed ad ſolam Auguſtini hypotheſin ſunt revocanda, priora, quæ accepti ab hæreticis Baptiſmi iterationem ſtatuerant, cum poſterioribus Conciliis, quæ prohibuerant, componit. Et prioribus autem Conciliis, quæ iterandum hæreticorum Baptiſmum cenſuerunt, Cypriani Carthaginenſe potiſſimum intelligit, quod & ſpectato tempore, & nominis uſu plenarium poterat adpellari; è poſterioribus vero unicum Arelatenſe primum; à quo Carthaginenſe emendandum eſſe contendit, & merito quidem. Nam Carthaginenſe illud, quod ex Africæ tantum Epiſcopis conſtabat, neceſſario debuit Arelatenſi cedere, quod, ut ait alterum Arelatenſe Concilium, congregati ex omnibus Mundi partibus Sacerdotes compoſuerant. *Secundum*, ex ejuſdem libri capite quarto hæc exhibet verba: Quomodo potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta ad Concilii plenarii luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc Diſputationibus & Collationibus Epiſcoporum pertractatu conſtaret. At, ita reſpondet Launojus, plenarium iſtud Concilium nemo eſt, qui non facile interpretetur Arelatenſe, in quo lex de hæreticis non rebaptizandis præſcripta eſt ſecundum diſputationes Epiſcoporum, qui & huic interfuerunt Concilio, & ante illud in hæc ſe materia per varias Mundi partes exercuerunt. *Tertium* dicitur eſſe in ejuſdem libri capite ſequenti quinto. Sed, hoc obſervat Launojus, in eo nulla plenarii vel univerſalis, vel Eccleſiæ univerſæ Concilii vox adparet. An autem Bellarmino & iis, qui eum ſequuntur ducem, adparere potuerit, viderint alii. *Quartum*, *quintum & ſextum* ex ejuſdem libri capite ſeptimo & nono adducuntur. At, ſi cenſet Launojus, idem hæc tria poſteriora, quod duo priora ſignificant, atque ad Concilium Arelatenſe potius adcurrunt, quam ducuntur. Poſt hæc alia quinque loca Auguſtini ſumit expendenda, quæ *Franciſcus Hallerius* in opere de Sacris Electionibus & ordinationibus Bellarmino adjecit, inter quæ primum eſſe dicit in ejuſdem libri de Baptiſmo ſecundi capite nono, his conſiſtentem verbis, quibus hoc Concilium vocetur univerſum ex univerſo orbe Chriſtiano. At, ſubjungit Launojus, hæc verborum complexio in hoc capite neutiquam comparet. Secundum adducit ex ejuſdem libri capite duodecimo, in quo plenarii etiam Concilii occurrit mentio. At, reſpondet Launojus, hic non agitur de Niceno vel Arelatenſi Concilio, ſed de neſcio quo Maximianiſtarum conventu, qui à Maximianiſtis plenarium Auguſtino non diſſentiente vocatur Concilium. Tertium, quartum & quintum deſumi monet ex libri de Baptiſmo ſeptimi capite primo & ſecundo, uti & libri de eodem ſeptimi capite primo. At, regerit Launojus, certum eſt inprimis, ex hiſce tribus teſtimoniis nullum eſſe expreſſius vel magnificentius eo, quod in Epiſtola ad Eleuſium ſuperius citata legitur, utpote quo loci nullum eſt dubium, quia de Concilio Arelatenſi ſermonem inſtituat Auguſtinus. Deinde, ſicut Concilium Carthaginenſe quartum univerſale nuncupatum & plenarium ſæpius in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ repetitum ad ſolam definitur Africam, ſic & plenarium totius orbis Concilium ad orbem Latinum ex Auguſtini ſenſu cur non recte definiretur? Quin & Concilium Arelatenſe ſecundum huic formulæ loquendi favet omnino, in quo Concilium Arelatenſe primum ex omnibus Mundi partibus congregatum adpellatur; quod enim ex omnibus Mundi partibus collectum dicitur, cur quæſo plenarium & univerſale Concilium non diceretur? Sic nimirum eo tempore uſus invaluit, ut Latini non nunquam omnium Mundi partium vel totius orbis nomine ſolum ſignificarent Occidentem. Poſtremo, Concilium Arelatenſe dici recte potuit plenarium totius orbis & Eccleſiæ univerſæ Concilium ex hoc quoque argumento, quod deducta ab Apoſtolis non rebaptizandi eos, qui ab hæreticis erant baptizati, conſuetudo poſt multas in Conciliis Provincialibus diſputationes habitas fuerit adſerta, atque ad hoc magnum Arelatenſe Concilium velut ad unum confluxerit compitum, Auguſtino id ſatis indicante

in

in primi de Baptiſmo libri capite ſeptimo. His ita perpenſis ad novam ejuſdem *Franciſci Hallerii* de Concilio quodam Alexandrino conjecturam capite ſequenti progreditur Launojus, cui in laudato de Sacris Electionibus & ordinationibus opere viſum eſt, per plenarium apud Auguſtinum nec Nicenum, nec Capuanum intelligi Concilium, ſed Alexandrinum ſub Liberio. Hic neſcio, ſcribit Launojus, cur de Synodo Capuana injecerit ſuſpicionem, quam refellat, cum nullus vel mediocriter eruditus Auguſtinum de illa non locutum queat addubitare. Enimvero, qua methodo excitatam à ſe de Synodo Capuana conjecturam confutat, eadem plane ſuum quoque de Alexandrina potuit confutare. Nam Concilium illud plenarium, ubi non iterandum eſſe Baptiſmum, qui ab hæreticis erat collatus, decretum fuit, cum Auguſtinus habitum teſtetur ante, quam natus eſſet, non magis potuit de Alexandrina, quam de Capuana loqui, cum illa ex Baronii calculo ſit celebrata Anno Seculi poſt Chriſtum tertii ſexageſimo & ſecundo, hæc autem octogeſimo & nono, quo tempore natus jam erat Auguſtinus, ſive Baronium ſequamur, ſive Bellarminum, qui poſterior Chronicon Proſperi ſecutus eſt. Deinde, vix eſt credibile, Concilium Alexandrinum ab Auguſtino toties adpellatum eſſe plenarium, univerſale, totius orbis, Eccleſiæ univerſæ, cui, ut ait Rufinus ab Hallerio citatus, pauci numero Epiſcopi interfuerunt; & maxime, cum hoc in Concilio nulla de Baptiſmate hæreticorum mentio reperiatur apud eos, quos ad marginem libri nominatim teſtes adpellat. Neque enim Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, vel Athanaſius in Epiſtola ad Antiochum, vel ad Rufinianum, relata in prima Nicenæ Synodi ſecundæ actione, ullius de non iterando hæreticorum Baptiſmo Canonis meminerunt, quem aliqua Synodus Alexandrina conſtituerit. Licet autem iſtiuſmodi meminiſſent, tamen ad rem non faceret, cum plenariam Synodum, quæ Baptiſmum hæreticorum non iterandum eſſe decrevit, ante ortum & Nativitatem ſuam Auguſtinus habitam eſſe ſcribat, Alexandrina autem aliquot poſt, Annos, quam natus eſt Auguſtinus, ſit habita, ex quo conſtat manifeſte, nulla omnino ratione fultam eſſe de Synodo Alexandrina conjecturam. Ultimum tandem ſuccedit Caput, quod tria ad majorem hujus argumenti illuſtrationem exhibet obſervanda. Primum eſt, ea, quæ primo capite de Concilio Arelatenſi ſunt propoſita, perſpicue Lectori oſtendere, eos, qui Concilia ſimul omnia identidem ediderunt, vel etiam, qui in compendium redegerunt, graviter erraſſe, cum hoc Concilium Provinciale inſcripſerunt. Quod enim Concilium Auguſtinus in Donatiſtarum cauſa plenarium Eccleſiæ univerſæ adpellavit, Provinciale quis adpellet merito? Et ſi verba Auguſtini, de eo, inprimis in Epiſtola ad Eleuſium expendantur adcurate, Concilium Arelatenſe intelligi non irent inficias ii etiam, qui, quæ huic Concilio de Baptiſmo hæreticorum non iterando tribuuntur, Niceno tribuendum putarunt. Verum, ut huic rei Auguſtinus non interſit, Arelatenſis certe Synodus altera, quæ poſt primam Annis tantum triginta & octo fuit habita, nullum de eo dubitandi locum relinquit, quæ ex omnibus Mundi partibus, præcipuæ Gallicanis eam teſtatur fuiſſe collectam, atque hinc Provincialem nemo vocavit unquam, niſi qui nomine Provincialis abutetur. Deinde, quod vix ullam patitur excuſationem, hi Conciliorum editores Synodo Arelatenſi ſubjiciunt catalogum multorum Epiſcoporum, qui in urbem hanc ex diverſi totius Occidentis Regionibus & Provinciis coiverunt Secundum obſervatu dignum hoc eſt. Sunt non nulli, ſcribit porro Launojus, qui, quem Canonem Synodalem vel Decretum Conciliare ſuis in libris Auguſtinum ſpectaſſe ſupra fuit probatum, numero videlicet octavum Concilii Arelatenſis, de Arianis perperam intellexerunt, nominatim Bellarminus primi de Baptiſmo libri capite tertio. Sed, quanto cum errore ſcriptum hoc ſit, dici vix poteſt; eo enim Anno, quo habita hæc Synodus eſt, tunc Arianorum factionum nondum ſuſtuliſſe vexillum norunt, qui non plane nihil in doctrina temporum norunt. Videlicet Gratiani Decretum, vel olim corrupta hujus Concilii editio Bellarminum

num induxit in fraudem, à quo poſtea, qui hunc Authorem in laboris compendium exſcribunt, non pauci Theologiæ Scholaſticæ ſcriptores falſi ſunt. Deinde, cum in primi de Sacramentis in genere libri capite poſt vigeſimum ſexto idem Author docet, à Synodi Nicenæ Canone penultimo deduci aperte, cæterorum præter Paulianiſtas hæreticorum Baptiſma à Concilio adprobatum fuiſſe, non patet, quomodo tempore Concilii Arelatenſis, pluribus ſcilicet ante Nicenum Annis, duas inter Arianos fuiſſe Baptiſmi formas, quarum altera qui baptizarentur, fruſtra & in caſſum fuerint baptizati. Et, ſi Bellarminus credidit, Concilium Arelatenſe poſt Nicenum fuiſſe habitum, aliud eſt erroris genus, quod laudari non poteſt. Tertium ſupra adhuc eſt. Qui, & cum primis Pariſienſes Theologi ab Anno milleſimo, triçenteſimo & nonageſimo quinto pro Conciliorum generalium authoritate ſupra Pontificem Romanum ſcripſerant, memoratum Auguſtini teſtimonium male acceperunt, cum in eum ſenſum acceperint, quo nunc Concilia generalia ſeu univerſalia dicuntur. Hoc animadvertere cum ſit facile, nulla probatione videtur indigere. Qui vero pro Pontificis Romani authoritate ſupra Concilia generalia pugnarent, ut quæſitæ ex illo Auguſtini teſtimonio rationi ſatisfacerent, de ſignificatione Concilii Eccleſiæ univerſæ plenarii male convenerunt cum aduerſariis, atque ſic deinceps reſponderunt, quaſi ad illorum mentem de Concilio Eccleſiæ univerſæ plenario verba faceret Auguſtinus. Credibile tamen eſt, ex iis prudentiores aliquos, atque inprimis Bellarminum libri de Conciliorum authoritate ſecundi capite poſt decimum nono noviſſe quidem, quod alii ignorarunt, ſed revera diſſimulaſſe, ne, quæ ex Occidentalis tantum orbis Concilio peti reipſa poterat objectio, longe major aliquando & potentior ex eo poteretur Concilio, quod ex utriuſque orbis, nimirum Occidentalis & Orientalis Antiſtitibus fuiſſet congregatum. Atque ad hunc Auguſtini locum, indicantem, ultimum Eccleſiæ judicium quolibet Pontifice ſuperius eſſe, utcunque habuit reſpectum Leo M. & Synodus Romana in Epiſtola poſt viceſimam quinta ad Imperatorem Theodoſium, item Pelagius hoc nomine ſecundus & Gregorius M. cum poſtpoſito Vigilii Papæ de tribus Capitulis non damnandis celebri Conſtituto Synodum quintam amplectuntur, idem porro Gregorius M. libri quarti Epiſtola poſt triceſimam ſeptima ad Johannem Conſtantinopolitanum, inſuper. Agatho Papa, qui, poſt damnatam à multis Pontificibus Romanis & à pluribus Conciliis in Gallia, Africa & Romæ celebratis hæreſin Monothelitarum, Synodum ſextam à Conſtantino Imperatore hujus nominis quarto convocari fierique conſenſit, & eidem per ſuos præfuit Legatos. Reſpectum huc quoque habuit Leo Pontifex hoc nomine tertius, qui in habito cum Legatis Caroli M. colloquio Concilii Conſtantinopolitani primi Patribus ſe nec præferre, nec etiam coæquare præſumſit: item Paſchalis ſecundus in Concilio Lateranenſi, Innocentius quoque tertius in Epiſtola ad Regem Philippum, & in Sermone tertio de Conſecratione Pontificis Romani; Gregorius porro decimus in Indictione Concilii Lugdunenſis ſecundi, Martinus etiam quintus in Conſtitutione de Concilio Conſtantienſi, Eugenius item quintus in Bulla, quæ in actione poſt decimam ſexta Concilii Baſileenſis refertur &c. &c. &c. Hæc & alia longe plura in illa Diſſertatione habet Launojus contra Bellarminum de Quæſtione Hiſtorica, quale nam Auguſtinus per plenarium intellexerit Concilium, cujus in Scriptis de Baptiſmo contra Donatiſtas iteratam ſæpius fecit mentionem, quæ ideo placuit breviter excerpta huc adjicere, ut haberet Lector eruditus & Antiquitatis Eccleſiaſticæ Scrutator ſedulus, in quo aciem Judicii exerceret, cum res non plane de nihilo ſit agnoſcanda, de qua Synodo proprie locutus ſit Auguſtinus, circa eam occupatus Controverſiam, quæ hodiernum adcuratius meretur tractari, ob Baptiſmatum extra veram Chriſti Eccleſiam diverſitates non unius generis & ſpeciei. Id nunc inſuper obſervandum, ex quo tempore Launojus altera vice hanc ſuam Diſſertationem aliquanto auctiorem edidit, inventum fuiſſe quendam *Johannem Nicolaum*, ordinis Dominici Scriptorem,

qui huic Dissertatione aliam, & quidem, uti vocare libuit, œcumenicam opposuit, Launojo autem adeo causam, quam semel susceptit defendendam, non deserente, ut potius prolixa eam muniverit contra Antimachum Confirmatione, digna omnino, quæ ob argumenti raritatem ab Eruditionis sitiæ studiosus legatur; ex qua hoc tantum in præsens notatur, provocare eum in defensione opiniones suæ, quod Augustinus Synodum respexerit Arelatensem, præter *Sirmondum*, quem primum habuit ejus indicem & antecessorem, insuper etiam ad *Petrum de Marca*, cui ipsum Dissertationem dedicando adscripsit, quin & *Gabrielem Albaspineum*, Optati Milevitani Editorem, item ad *Philippum Labbeum*, ultimum Conciliorum collectorem, & *Jacobum Sambœtium*, Doctorem Sorbonicum, sibi consentientes, & hanc de Arelatensi Synodo explicationem adprobantes. His addo, visas mihi esse Theses proximo ante editam Launoii Confirmationem Anno in Sorbona ad disputandum propositas, in quibus eadem Sententia legitur defensa, quamvis sequenti statim Anno aliæ ibidem Theses fuerint secutæ, quæ pro Nicena Synodo militabant. Hinc quod occasione hac non prætermittendum, integro ante laudatam Confirmationem octennio, biennio autem ante alteram Dissertationis Editionem; *Baïus* in summa Conciliorum putavit suarum esse partium, quid sibi de hac videretur, Quæstione controversa, Lectori breviter exhibere, in genere de ea monens, Bellarmini Sententiam sequi *Tomam* (Matthiam) *Hauzerium*, ordinis Franciscæi Scriptorem, in Anatomia operum ejus, ad libros de Baptismo, quod tamen in hujus Authoris evolutione inventum non est. Cæterum, quamvis non potuit non laudare Launojum ob Eruditionem & singulare in Monumentis veteribus Studium, fassus est tamen, ea, quæ Launojus in gratiam Synodi Arelatensis tanquam ad mentem Augustini scripsit, se abducere non posse ab antiqua & communi Sententia, quæ Niceno contra Arium Concilio gloriam primi universalis Concilii post Apostolorum tempora confert, cum nullibi inveniatur Concilium Arelatense, ubi apud antiquos œcumenica referuntur Concilia. Etsi enim ex pluribus Mundi partibus Episcopi interfuerint, secundum aliquos usque ad ducentos, secundum alios usque ad sexcentos, imo Constantinus Imperator etiam interfuerit, non tamen convocationem & indictionem aliquam generalem omnium Episcoporum putat esse factam. Sed, ita pergit *Baïus*, cum Africani Donatistæ libenter se submitterent Episcopis Galliæ, Constantinus Imperator, ad quem provocarunt, alios etiam quosdam magis illustres in variis partibus Occidentis designavit, quibus etiam literas misit tractorias, ut publicis Sumtibus alerentur in Itinere, atque sic frequentior & celebrior Synodus causam, qua cum dispendio Religionis tota turbabatur Africa, authoritate majori dijudicaret. Atque hoc videre est ex Epistola Constantini ad Ablavium, quam hujus Concilii Actis inseruit Binius, in qua agitur de Episcopis eligendis, qui ad hoc Concilium venire debebant, ut Literæ illis mittantur tractatoriæ; dum in convocatione generali non ita seliguntur Episcopi, quamvis ad œcumenicum & generale Concilium satis non sit, quod indictio quædam generalis debeat præcedere. Sed & Augustinus in Epistola post quadragesimum octava de Donatistis testatur, loquens de Synodo hac Arelatensi, quod ab Episcopali Judicio adpellaverint ad Imperatorem, minime vocans illud plenarium, cum tamen magis inde Donatistarum insolentiam arguisset, si etiam à plenario adpellassent. Vidit & legit hæc Parisiis impressa & publicata Launojus, & tamen dimoveri se non passus est à Sententia semel firmiter concepta & suis rationibus defensa, nullam eorum vel in iterata Dissertationis Editione, vel sequenti etiam contra Johannem Nicolaum Confirmatione faciens mentionem, sed prudenti ea prætermittens silentio, indigna forsitan, quibus refutandis occupetur prolixe. Post hunc vero, & eo quidem Anno, quo Launojus Epistolam de Controversia Stephani cum Cypriano exaravit, peculiarem de hac Quæstione historica Sententiam suis in Canones & Decreta Conciliorum Scholiis inseruit *Christianus* ille *Lupus*, cujus contra Launojum ulu-

latus

latus ſupra non ſemel audivimus, & forte in poſterum quoque recurrent, penultimum Synodi Nicenæ Canonem notis quibuſdam illuſtraturus, præmiſſi Gloſſatorum Lovanienſium obſervatione, quod, quia Auguſtinus ipſe nuſquam vel nomen, vel locum Concilii hujus plenarii expreſſit, cujus mentionem toties iteratam fecerat in Scriptis contra Donatiſtas, varii varia divinarint, monens, quoſdam intellexiſſe primam Synodum Conſtantinopolitanam, utpote cujus Symbolum profitetur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, Canon quoque ejuſdem ſeptimus Baſilii de hæreticorum baptiſmo Sententiam adcuratiſſime diſcuſſerit; alios vero Synodum Capuanam ſub Siricio Papa habitam, quam, quod Rebaptiſmum ac reordinationes damnet, ſemper maximi fecerit & adverſus Donatiſtas ubique publicaverit Eccleſia Africana. Addit, nec deeſſe, qui exiſtimarint, eſſe primam Synodum Arelatenſem, quæ diſerte damnet Donatiſtarum anabaptiſmum, & à Synodo Arelatenſi ſecunda, omnibuſque, præſertim Afris, orthodoxis dicta paſſim fuerit Synodus magna. Per inſufficientem Sententiarum enumerationem omiſit addere quartam *Hallerii* opinionem à Launojo exhibitam & refutatam, forte, quod credere par eſt, omnino incognitam. Dum vero contra mentem Scholiaſtarum Lovanienſium, *Franciſci Balduini & Jacobi Pamelii* de Synodo Nicena opinionem adprobantium, quia hæc etiam ipſi vila eſt inconveniens, & quibuſdam Auguſtini teſtimoniis contraria, aliquid novi de ea ſtatuere in animum induxit, ſic exiſtimavit, omnino Auguſtinum loqui de Synodo Nicena, ſed non de ſola, verum etiam de Conſtantinopolitana, Arelatenſi & Capuana, quin & de aliis ver parias Regiones Synodis, quæ Stephani Pontificis Decretum probarint, receperint & confirmarint, principaliter autem de Nicena, utpote, quæ ſola fuerit totius orbis plenaria, cujuſque Canones Leo M. ſcripſerit Spiritu DEI conditos & totius Mundi Reverentia conſecratos; nihilo tamen minus tres alias quoque univerſales fuiſſe, hancque cauſam eſſe, cur adductæ Synodi nec nomen nec locum Auguſtinus expreſſerit, cum non de una, nec uno unius, ſed de pluribus Synodis, pluribuſque ejuſdem Synodi Nicenæ Canonibus loquatur. Hanc *Lupi* vocem in Academia Lovanienſi expreſſam ubi percepit Doctor Antverpianus, hanc ex Silva Eruditionis ſuæ repercuſſionem edidit loco ante citatæ Antiquitatis illuſtratæ, rationem reddens ex Innocentio hujus nominis Pontifice primo, cur Patres Niceni Baptiſmum Novatianorum admiſerint, Paulianiſtarum è contrario repudiarint, confirmantem hoc ipſo deciſionem Arelatenſis Concilii, verbis non quidem expreſſis generalem determinando Quæſtionem, ſed eam ad caſus particulares adplicando, eomet ipſo autem Quæſtionem Cypriani terminando, qui omnium plane hæreticorum & Schiſmaticorum extra Eccleſiam poſitorum Baptiſmata abjudicaverat, Auguſtino recte hinc ſcribente, Conſuetudinem antiquam plenario tandem totius orbis Concilio remotis, dubitationibus firmatam eſſe. Et poſtquam ad *Baſilii* conſenſum ſupra exhibitum provocavit, ejus verba quædam huc pertinentia adſcribens, addidit, alium quendam Scriptorem novitium, nomine Davidem, in Diſſertatione peculiari hanc de Concilio plenario Sententiam confirmaſſe, Pluribus poſtmodum interſertis, cum inter alia hæc etiam Auguſtini verba ex capite ſeptimo ſexti de Baptiſmo contra Donatiſtas libri adduxiſſet, quibus ſignificavit Doctor ſanctus, Eccleſiæ univerſæ conſuetudinem Conciliis etiam univerſalibus roboratam, mentionem faciens *Lupi*, hiſce verbis adducti, ut novam de Concilio plenario proponeret opinionem, id porro notanter obſervavit, etiamſi graviſſimam ſuper eo contentionem in Galliis motam ignoraverit tum Lupus, quando hæc ſcripſit, rectiſſime tamen ſic eum ſcripſiſſe, videlicet; quod primario quidem Auguſtinus per Concilium illud plenarium, cujus mentionem toties iteratam fecit in Scriptis, intellexerit Nicenum, propter ea inprimis, quæ capite poſt quadrageſimum quarto libri de hæreſibus ſcripſerat; quia vero alibi mentionem quoque faciat Concilii plenarii tranſmarini, id de Arelatenſi primo poſſe intelligi, quod præciſe conſiderata Carthagine

ſine trans Mare fuerit celebratum, & ſi demum alibi uſum Eccleſiæ Romanæ in ipſa totius Mundi unitate diſcuſſum, conſideratum, perfectum atque firmatum edixerit, poſſe id intelligi de totius orbis Locorum variorum Conciliis, quæ ſingula ſuo tempore hanc Quæſtionem diſcuſſerint ac terminarint. *Habes*, Lector erudite, varias Fratrum Cadmæorum (inter quos ſuum quoque locum voluit occupare Natalis Alexander, ordinis Dominici, in tertii poſt Chriſtum Seculi deductione hanc etiam retractans Quæſtionem contra Launojum) mutuis vulneribus ſemet ipſos conficientium de Quæſtione hac Hiſtorica ad primatum Pontificis ex Inſtituto Bellarmini pertinente non tam Sententias, quam opiniones, vel potius Suſpiciones & conjecturas, quas nunc inter ſe prolixius conferre ac diſcutere, quænam inter eas ſit fide dignior & menti Auguſtinianæ præ cæteris adæquata, meum non eſt, nec forte Lector deſiderat, qui Judicio qualicunque præditus ſine adeo magna difficultate poterit divinare, cujus habenda ſit ratio potiſſima, & quæ Scopum proprius adtingat, Launojo in hoc præſertim apud ſuos obtinente, quod præter Epiſcopos in Gallia eruditiſſimos, Petrum de Marca & Gabrielem Albaſpineum, item præter celeberrimos ejus Societatis, quæ alias omnes Eruditionis laude videtur antecedere, Scriptores, Sirmondum & Labbeum, conſentientes habet eos, apud quos noviſſimæ Conciliorum collectiones in aliquo ſunt pretio, à quibus hæc de Concilio Arelatenſi tanquam plenario Sententia ſemel inſerta non parum authoritatis accepit, hoc ex abundanti nunc inſuper addito, qualiſcunque etiam opinio adſenſum mereatur, nihil tamen inde primatui vel infallibilitati Pontificis Romani; in cujus gratiam Bellarminus hoc Exemplum ſuſcepit perpendendum, adcreſcere, cum in nullo Conciliorum, quæ in aliquam hoc in argumento veniunt conſiderationem, Stephani Decretum expreſſe ſequatur confirmatum, aut Sententia Cypriani rite intellecta legatur directe repudiata, ſed omnes & ſinguli eorum Canones hanc Quæſtionem tractantes huic quam illi magis videantur propitii, quod, ſi DEO fuerit viſum, futuræ Diſcuſſioni hujus Controverſiæ aliquanto ampliori nunc reſervatur.

Bellarminus *ibid. c. 9.*

VIndicaturus eos Pontifices Romanos, qui privilegio non errandi videntur caruiſſe, inter plures alios Liberium quoque producit in medium, de eo obſervans, quod etſi Centuriatores Magdeburgici non auſi fuerint quidquam definire, Tilemannum tamen Heſhuſium primi de Eccleſia libri capite nono audacter adfirmare, eum hæreſi Ariana infectum fuiſſe; & ſane eum habere teſtes ſuæ Sententiæ graviſſimos, videlicet, Athanaſium in Epiſtola ad Vitam ſolitariam agentes. Hieronymum in Chronico & in Catalogo Scriptorum, item Damaſum in Vita ejuſdem. Ad hoc ita reſpondet Bellarminus, Duo, quæ referuntur de Liberio, eſſe certa, unum vero dubium. Primo, inquit, certum eſt, eum ab initio Pontificatus uſque ad Exilium, quod pro Fide pertulit Catholica, acerrimum fuiſſe Defenſorem Religionis Catholicæ. Id ita eſſe, omnes teſtantur Scriptores, qui de illis loquuntur temporibus, ut, Ammianus Marcellinus, Athanaſius in utraque Apologia, Ruſinus, Sulpicius Severus, Socrates, Sotemenus, Theodoretus, Nicephorus. Secundo, certum eſt, Liberium poſt creditum ab exilio fuiſſe etiam vere orthodoxum & pium. Nam, ut ſcribit Socrates, poſtquam redierat ab exilio Liberius, noluit recipere ad Eccleſiam Macedonianos, niſi hæreſin aperte deteſtarentur. Præterea, etiam poſt Mortem ſanctus ſemper eſt habitus, uti planum eſt ex verbis Ambroſii, quæ leguntur ſub initium tertii de Virginitate libri, item Epiphanii in hæreſi poſt ſeptuageſimam quinta, & Baſilii in Epiſtola ad Epiſcopos Orientales poſt ſeptuageſimam quarta. Denique, Siricius, qui tertius fuit à Liberio, in Epiſtola ad Himerium, adpellat Liberium venerandæ memo-

riæ

via Prædeceſſorem ſuum. Quomodo autem, quæſo, Patres iſti Liberium jam defunctum vocarent beatiſſimum, ſi mortuus eſſet in hæreſi? Unicum ergo remanet dubium, an vixerit medio tempore, id eſt, in ipſo reditu ab Exilio aliquid egerit contra Fidem? Et quidem Sulpitius, Socrates, Sozomenus & Nicephorus indicant, Liberium ſemper eundem fuiſſe, nec unquam de Fidei conſtantia aliquid remiſiſſe; Athanaſius vero & Hieronymus aperte dicunt, eum Exilii tædio inflexum fuiſſe tandem ad ſubſcriptionem hæreſeos, quibus addi poteſt Hilarius ex libro adverſus Imperatorem Conſtantium. Ruſinus autem adfirmat, ſe non potuiſſe certo cognoſcere, an Liberius ſubſcripſerit. Ex hiſce Sententiis, ſcribit porro Bellarminus, ſecunda vel media verior nobis videtur. Nam Athanaſius, Hieronymus & Hilarius ſunt Authores tam antiquiores, tum etiam graviores cæteris, & rem hanc non ut dubium, ſed ut certam & exploratam narrant. Præterea, legi ipſe Epiſtolas manu Liberii ſcriptas è Bibliotheca Vaticana, quæ partim ad Imperatorem, partim ad Epiſcopos Orientales erant ſcriptæ, in quibus aperte ſatis ſignificabat, ſe tandem voluiſſe Voluntati Imperatoris adquieſcere. Ad hæc, niſi fateamur, Liberium aliquo tempore à conſtantia in Fide tuenda defeciſſe, cogimur Felicem Papam ſecundum, qui vivente adhuc Liberio geſſit Pontificatum, numero Pontificum excludere, cum tamen hunc ipſum Felicem ut Papam & Martyrem Eccleſia veneretur Catholica. Denique, Sozomenus & Nicephorus ſubindicant, obſcurius quidem, Liberium in Concilio Sirmienſi convenſſe cum Valente & Urſacio, Arianis, & ea Pace facta ſuam recepiſſe Sedem, adjutum quoque literis, ejuſdem Concilii. Sed, quamvis hæc ita ſe habeant, non tamen Liberius aut hæreſin docuit, aut hæreticus fuit, ſed ſolum peccavit actu externo, quemadmodum Marcellinus, &, ni fallor, minus peccavit, quam ille. Quod hæreticus vere non fuerit, docet Athanaſius, ſcribens, invitum & vi tormentorum fuiſſe exactum, nec eſſe cenſendam ejus Sententiam; quam minæ & terrores extorſerint, ſed eam, quam protulerit, cum liberos haberet affectus. Quod autem non docuerit hæreſin, facile poteſt probari. Nam, uti colligitur ex Athanaſii verbis & ipſius Liberius Epiſtolis, duo commiſit mala. Unum, quod ſubſcripſit in Athanaſii damnationem; alterum, quod cum hæreticis communicavit. In neutro autem violavit expreſſe Fidem. Nam etſi Athanaſium hæretici perſequebantur cauſa Fidei, tamen non cauſam Fidei, ſed crimina quædam ejus circa Mores prætexebant, & conſentit Liberius in damnationem ejus non propter Fidem, ſed propter crimina illi objecta. Pari ratione cum hæreticis communicavit, quia Catholicos ſe fingebant; nam in Epiſtolis ait, ſe cum Epiſcopis Orientalibus communicaſſe, quia invenerit fidem eorum congruere cum Catholica, & alienam eſſe à perfidia Arianorum. Præterea Sozomenus & Nicephorus dicunt, in ea Pace, quam Liberius fecerat cum Epiſcopis Arianorum, nihil aliud poſtulatum fuiſſe ab eo, quam ut ſubſcriberet Confeſſioni Antiochenæ & Sirmienſi contra Photinum editæ, quæ etſi non habeant vocabulum ὁμοούσιον, tamen ſint Catholicæ, eoſque expoſuerit Hilarius in Libro de Synodis tanquam Catholicas. Adeedit, quod referunt iiſdem, Liberium non modo non ſubſcripſiſſe Confeſſioni Arianæ, ſed etiam edidit Confeſſionem ante, quam Sirmio diſcederet, inque ea aperte excommunicaſſe eos, qui Filium Patri in ſubſtantia & omnibus aliis rebus ſimilem eſſe negabant, idque ea de cauſa, quia Ariani falſum ſparſerant Rumorem, docere eum cœpiſſe, quod Filius Patri non ſit conſubſtantialis. Quod vero Hieronymus in Chronico & Catalogo Scriptorum dicit, Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos tandem fuiſſe inflexum, reſpondeo, Liberium etſi non expreſſe, interpretative tamen conſenſiſſe in hæreſin, cum Athanaſium damnari permiſit, quem, ſcribat Fide cauſa perſecutionem pati, atque cum Valente & Urſacio communicavit, quos non ignorabat eſſe hæreticos, etiamſi aliud eſſe ſe ſimularent.

Launojus.

Quidem nullibi, quantum mihi conceſſum fuit obſervare, in tractatione hujus Quæſtionis Hiſtoricæ Bellarminum Liberii advocatum valde liberum & liberalem directe ſibi ſumſit impugnandum, ea tamen hic & ibi leguntur in Epiſtolis de eo, quæ Bellarmini Apologiam non parum facere poſſunt ſuſpectam, hic in gratiam Lectoris breviter exhibenda. Utrobique incidenter tantum & Exempli gratia adtigit eam, ſed ita, ut veritas rei multum ſubſidii exinde ſibi poſſit promittere. Semel egit de ea in ſecunda primæ Partis Epiſtola, examinans Cyrilli Alexandrini teſtimonia, quæ Thomas de Aquino ſuæ in Matthæum Catenæ inſeruit, obſervatione undecima hanc iſtente conſiderationem, quod Cyrillus ſua ætate infallibilitatem Sedi Romanæ non potuerit adſcribere ob ea, quæ tum de Liberio Pontifice non erant incognita. Adjicit hujus rei cauſa *Hilarium* Pictavienſem, Hilario æqualem & coævum, qui in fragmentis à Pithæo & Fabro editis anathema denuntiaverit Liberio, & vere ac rite ſe id denuntiaſſe, in libro ad & adverſus Imperatorem Conſtantium his confirmaverit verbis: *Vertiſti uſque ad Romam Bellum, & eripuiſti illinc Epiſcopum. At, ô te miſerum, qui, neſcio, utrum majore relegaveris impietate, quam remiſeris.* Scilicet, ex Urbe Liberium Conſtantius Epiſcopum relegaverat Catholicum, quem poſtea in Urbem remiſerat hæreticum. *Athanaſius* etiam in Epiſtola ad Solitarios hac de re ita ſcripſit: *Liberius poſt exactum in Exilio biennium inflexus, imo ſque Mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt.* Philoſtorgius, quoque non aliter id commemorat, teſtatus, *quod Liberius contra ὁμοῦσιον & contra Athanaſium ſubſcripſerit.* Iterum de hac Quæſtione egit Launojus Epiſtola ejuſdem Partis quinta contra Cajetanum pro Almaino, Pariſienſi Theologo, mentionem injiciens Honorii Pontificis, de quo non multo poſt agetur, producta duplici Lectione ex Breviario, in quarum utraque Honorius Monothelitis à Synodo ſexta damnatis adſcribitur, quas vere recentioris Curiæ quidam adulatores exinde ſuſtulerint. Atque idem fatum aliam quoque Lectionem ibi expertam eſſe monet, in Feſto S. Euſebii Confeſſoris antehac uſitatam, narrantem, *quod Liberius perfidiæ conſenſerit Arianæ*, hac addita obſervatione, quod hæc ſint ipſiſſima Adonis in Martyrologio verba, ex quibus hæc Lectio ſit deſumta, niſi fortaſſe quis velit ſuſpicari, Lectionem in Adonis Martyrologium tranſiiſſe. Quidquid autem ſit, utrobique eadem reperiantur verba. Hanc vero Lectionem non aliam ob cauſam expunxerunt, niſi quod Liberius in ea habetur pro hæretico. At Sedes Apoſtolica, quæ diſtinguitur à Curia Romanenſi, & colit atque obſervat Simplicitatem eminentiſſimam, non removiſſet illam Lectionem, quia antiquæ conſonat Veritati. Certe Liberius ipſe de hoc teſtatur in ſeptima ad Epiſcopos Orientales Epiſtola, quam illis tanquam fratribus dilectiſſimis inſcripſit, his uſus verbis: *Ego Athanaſium non defendi, ſed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Julius deceſſor meus, verebor, ne prævaricate forte ab aliquo judicarer. At, ubi cognovi, quando placuit DEO, juſte vos illum condemnaſſe, meum mox conſenſum veſtris commodavi Sententiis, Literaſque ſuper ejus nomine per noſtrum fratrem Fortunatianum dedi ad noſtrum Imperatorem Conſtantium perferendas. Itaque, Athanaſio à communione omnium amoto, cujus nec Epiſtola à me ſunt ſuſpiciendæ, duo, me cum vobis omnibus, & cum univerſis Orientalibus Epiſcopis, ſeu per Provincias diverſas Pacem habere & unanimitatem. Nam, ut verius ſciatis, me veram fidem loqui per hanc Epiſtolam, Dominus meus & frater communis Demophilus dignatus eſt pro ſua Benevolentia fidem veſtram & Catholicam exponere, quæ Sirmii, à pluribus fratribus & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita & ſuſcepta eſt ab omnibus, qui in præſenti fuerunt, quam ego libenti animo ſuſcepi, in nullo contradixi, conſenſum adcommodavi,*

hanc

Digitized by Google

hanc ſequor, hæc à me tenetur. Perſpicua ſunt hæc, inquit Launojus, & Lectioni in Breviario conſentanea. Quis vero fuerit *Fortunatianus*, Hieronymus docet in libro de Viris illuſtribus, ſcribens, *eum in hoc haberi deteſtabilem, quod Liberium Urbis Romanæ Epiſcopum ad Exilium pro Fide pergentem primus ſollicitaverit ac fregerit, atque ad ſubſcriptionem hæreſeos compulerit.* Idem Hieronymus in Chronico hæc habet: *Liberio in Exilium ob Fidem truſo, omnes Clerici juraverunt, ut nullum ſuſciperent alium. Verum, cum Felix ab Arianis fuiſſet ſubſtitutus in Sacerdotium, plurimi perjuraverunt, & poſt Annum ejecti ſunt cum Felice, quia Liberius exilii tædio victus, & in hæretica pravitate ſubſcribens Romam quaſi Doctor intraverat.* Hæc pro comperto ita tradit Hieronymus, qui, cum Romæ ſub Damaſo Papa plures manſerit Annos, Liberii res geſtas ignorare non potuit, Teſtis nimirum auritus & ocularis, ideoque cæteris præferendus. His demum adcedit *Auxilius*, Presbyter quondam Romanus, qui primi de ordinationibus à Formoſo Pontifice factis libri capite poſt viceſimum ſecundo ſic ſcripſit: *Quis neſcit, quod Liberius, heu, proh dolor, hæreſi Arianæ ſubſcripſerit, & per ejus tranſgreſſionem Scelera nefandiſſima ſint commiſſa?* Libri etiam ſecundi capite primo iterum: *Liberius hæreſi ſubſcripſit Arianæ.* Hæc utrobique habet Launojus, quæ etſi non directe videri voluit oppoſuiſſe Bellarmino, ea tamen Lectori Veritatis Hiſtoricæ ſtudioſo ſuppeditavit teſtimonia, quæ ad Apologiam Bellarmini retundendam poſſunt ſufficere, cui Bellarminus ipſe ſtatim ab initio turpem inuſſit maculam, dum Tilemannum Heſhuſium *audacter* dicit adfirmaſſe, Liberium hæreſi Ariana infectum fuiſſe, & ſtatim oblitus ſui & convictus fateri habuit neceſſum, habere eum teſtes Sententiæ *graviſſimos*, quo ipſomet eum à reatu audaciæ abſolvit. Cætera Bellarmini & Barvaii in gratiam Liberii ſcripta qui deſiderat refutata, legat Diſſertationes duas de Photino & Liberio ante hoc Decennium *Genevæ* editas, & nihil ſuper amplius erit, quod ad plenariam hujus argumenti tractationem videbitur pertinere.

Bellarminus *ibid.*

POſt Liberium Pontificem qualicunque Apologia munitum, nunc Felicem quoque ſecundum ſuſcipit defendendum, contra eundem Heſhuſium teſtimonio Hieronymi nitentem ſic ſcribens: Reſpondeo, Felicem nunquam Arianum fuiſſe, etiamſi cum Arianis aliquando communicaverit, eo videlicet tempore, quo verus Papa non erat; poſt vero, cum verus Papa cœpit eſſe, non modo Arianum non fuiſſe, ſed etiam Arianos publice deteſtatum, atque ob Arianorum perſecutionem Martyris coronam à Domino percepiſſe. Videlicet, Liberio in exilium ob fidem Catholicam deportato Clerus Romæ juravit, nullum ſe alium Liberio adhuc vivo admiſſurum. Deinde Arianorum opera, ac præſertim Acacii Cæſareenſis Epiſcopi, Felix Diaconus creatur Epiſcopus in locum Liberii, qui propter hoc beneficium libere cum eis communicabat, licet ipſe non eſſet Arianus. Et poſtquam provocavit ad teſtimonia Rufini, Theodoreti, Sozomeni, de Hieronymi teſtimonio è cathalogo Scriptorum, quo nitebatur Heſhuſius, quodque Felicem vocat Arianum, obſervat vocem Arianum, additam ad nomen Felicis, aliunde videri irrepſiſſe, ſiquidem teſte Victorio Mariano Codices quidam manuſcripti illam non habent, nec etiam tranſlatio Sophronii in Græcum exprimat. Super quoque, quod maximi putat faciendum, Treculphus & Ado Viennenſis, referentes hoc teſtimonium Hieronymi omittant hanc vocem. Denique, non eſt ullo, ſcribit, modo credibile, Hieronymum & Rufinum in Hiſtoria utrique notiſſima tantopere potuiſſe diſcrepare, ut unus neget, quod alter affirmet. Sed ita nunc pergit, quamvis etiam Felix fuiſſet Arianus, nihil id ſedi Apoſtolicæ obeſſet. Conſtat enim, eo tempore Felicem Papam ſchiſmaticum, non verum & legitimum Pontificem fuiſſe, ſiquidem duo ſimul eſſe non poſſunt. Vincebat autem tunc & verus erat Pontifex Liberius, quocirca nemo tunc Catholicorum Romæ Clerus abrogata Liberio dignitate Pontifi-

rificia ad Felicem ſe contulit, quem eſſe ſcribat Catholicum, atque ex eo tempore Felix cœpit eſſe Pontifex verus. Tametſi enim Liberius non erat hæreticus, habebatur tamen propter Pacem cum Arianis factam hæreticus, atque ex ea præſumtione potuit merito ei Pontificatus abrogari. Non enim homines tenentur aut poſſunt corda ſcrutari, ſed quem externis operibus vident eſſe hæreticum, ſimpliciter indicant eſſe hæreticum, atque ut hæreticum damnant. Indicat hoc Hieronymus in Chronico, cum ait, Permultos ex Clero Romano pejeraſſe, atque ad Felicem adceſſiſſe; dicuntur enim peieraſſe, quia non ſervarunt juramentum, quod de non alio Pontifice recipiendo ſuſceperant. Porro Felix jam verus Papa animadvertens Eccleſiæ & Fidei periculum, DEO ſine dubio inſpirante, qui ſuam non deſerit Eccleſiam, non ſolum receſſit à communione Arianorum, ſed Concilio etiam coacto declaravit Conſtantium Imperatorem & Epiſcopos Vrſacium ac Valentem, cum quibus pacem fecerat Liberius, vere hæreticos eſſe; & propterea redeuntem in Urbem Liberio Felix cum ſuis ab Arianis eſt ejectus, & non diu poſt mortuus, ſive caſus capite, ſive confectus fuerit ærumnis, quod non certo conſtat. Hoc autem ſcita habere, his probatur argumentis. Primo, id aperte teſtatur Damaſus, vel quicumque eſt author Pontificalis in vita Felicis. Idem videtur ſignificare Hieronymus in Chronico, cum de Clericis Romanis ait: Poſt annum ejecti ſunt cum Felice, quia Liberius exilii tædio victus, atque in hæreticam pravitatem ſubſcribens Romam quaſi Victor intraverat. Hæc namque verba ſignificant perſecutionem motam contra Felicem, & ab iis quidem, qui fatebant Arianis; unde ſequitur, ipſum Felicem pro fide Catholica paſſum eſſe perſecutionem. Secundo, omnia antiqua Martyrologia, tam excuſa, ut Bedæ, Adonis, Uſuardi, quam Manuſcripta etiam quarto Kalendas Auguſti ponunt Memoriam ſancti Felicis ſecundi Papæ & Martyris, qui Conſtantinum declaraverit hæreticum. Adde, quod ſanctus Gregorius Magnus in Antiphonario, quem in Sacramentario ponit integrum officium Eccleſiaſticum legendum ad Miſſam ſancti Felicis. Eſſe autem eum Felicem Romanum Pontificem, & proinde eum, de quo hic ſermo eſt teſtatur Micrologus libri obſervationum Eccleſiaſticarum capite poſt quadrageſimum tertio. Cum igitur Eccleſia Catholica ab annis jam mille hunc Felicem ut Papam & Martyrem colat, non debet is excludi e numero Pontificum, etiamſi non aliam liceret proferre rationem. Tertio, Felix Papa Gregorii M. ut avus, à Scripteribus antiquiſſimis dicitur Papa hoc nomine quartus, ut à Johanne Diacono in Vita Gregorii, & à Leone Hoſtienſi in Chronico Caſſinenſi. Quartus autem ille non potuit eſſe, niſi hic fuerit ſecundus, non enim ſunt niſi Felices duo præter hunc ante quartum; igitur ante annos mille hic Felix in numero Pontificum eſt habitus, quia ſchiſmatici numerum non faciunt. Quarto, cum Roma ambigeretur anno 1582. deberetne hic Felix in novo collocari Martyrologio, caſu inventa fuit Arca marmorea in Baſilica Coſmæ & Damiani, cum hac inſcriptione in marmore characteribus antiquis inciſa. Hic jacet corpus ſancti Felicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium damnavit hæreticum. Et incidit hæc inventio in diem Menſis Julii viceſimum octavum, hoc eſt, pridie eius diei, quo celebrari ſolebat Memoria hujus Felicis, quod non immerito divinitus contigiſſe creditum eſt. Jam autem mortuo Felice Liberius iterum ſibi conciliavit Clerum Romanum, & Catholicum Præſulem ſe præſtitit; quocirca omnium conſenſu iterum legitime cœpit ſedere, ac ſedit uſque ad mortem. Atque hæc eſt cauſa, cur in catalogo Pontificum aliqui Veterum non poſuerint Felicem, ut Auguſtinus & Optatus, quia videlicet totum Felicis tempus in Pontificatu Liberii fuit incluſum.

Launojus.

QUidem in hoc etiam argumento, quod attinet Felicis Pontificatum, nominetenus non legitur perſtrinxiſſe Bellarminum cauſæ non bonæ Patronum non valde bonum & felicem, ea tamen hinc inde ex variis authoribus fide dignis in gratiam Lectoris ſtudioſi collegit, quæ patrocinium hoc facile poſſunt facere ſuſpectum. In eadem ſcilicet ſecunda primæ partis Epiſtola, in qua Liberii quoque infallibilitatem rigoroſo ſub-

jecit

Digitized by Google

jecit examimi, provocavit ad laudatam *Athanaſii* Epiſtolam ad ſolitarios, in qua ſequentia leguntur verba: *Conſtantius incredibile deſignavit facinus, & quod vere referat imaginem Antichriſti, ut qui in locum Eccleſiæ ſuum ſuccedere voluit Palatium, & pro conventu populi ac jure Comitiorum tres Eunuchos eſſe juſſit præſentes, treſque item κοτεκτους κατηχουμενους quos non dixeris Epiſcopos, ut ipſi Felicem in Palatio crearent Epiſcopum, talibus profecto dignum Suffragatoribus. Cæterum, omnes populi cognita hæreticorum pravitate non permiſere eos Eccleſiam intrare, proculque ab iis recceſſerunt.* Secundus teſtis eſt Socrates, ſic ſcribens: *Liberius ſimul ac ſcilli* (Arianorum) *fidei denegaverat aſſentiri, ab Urſacio in exilium eſt ejectus, & Felix Diaconus, Arianæque ſectæ addictus, per vim & violentiam ab eidem Urſacio ad eum dignitatis gradum delectus fuit.* Porro Theodoretus, & Sozomenus quanquam rem aliter narrant, inſtituto tamen præſenti convenienter ſatis. Ille ſic quidem: *Succeſſum eſt Liberio à fideli quodam ejus Diacono Felice, qui tametſi fidem in Concilio Niceno expoſitam ipſe ſervavit integram, tamen cum illis, qui eam labefactare ſtudebant, libere communicavit, ecpropterea nemo ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam, dum ille intus erat, voluit ingredi.* Hic autem ita: *Liberius Epiſcopatu Eccleſiæ privatus eſt, ei præficitur Felix, illius cleri Diaconus, quem ajunt fidei Nicenæ ſemper conſenſiſſe, & omnino quantum pertinebat ad religionem, reprehenſione caruiſſe, & ob id in crimen eſſe vocatum, quod non modo Arianos Eccleſiæ Miniſtros ordinaret, verum etiam quod eorum uteretur communione.* Theodoretus & Sozomenus in eo conveniunt, quod Liberius Arianorum uſus & pollutus communione fuerit, non autem in eo quod pertinet ad religionem; ac Theodoretus adfirmate non ſcribit, quod Sozomenus, hic etiam tribuit rumori, quod ille non tribuit. *Præterea* poſt Optatum Auguſtinus in Epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam quinta ad Generoſum texit quidem Pontificum Romanorum ſeriem, ſed ab ea Felicem hunc reiecit, (ob id forſan, quod de eo ſcripſerat Athanaſius) Liberio immediate ſubjungens Damaſum, his ſequentibus verbis: *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram tenet, etiamſi quiſquam traditor per illa ſubrepſiſſet tempora, nihil præjudicaret Eccleſiæ & innocentibus chriſtianis &c.* Hic dubitari vix poteſt, quin Auguſtinus, niſi ad lapſum Liberii, ad aliquid ſimile reſpexerit. Hæc ibi Launojus, qui alibi, nimirum in quarta quartæ partis Epiſtola hiſce teſtibus jungit *Marcellinum & Fauſtinum* in Præfatione libelli precum ad Imperatores hanc Felicis mentionem parum honorificam facientes: *Eo die, quo Liberius ad exilium proficiſcebatur, omnis Clerus, id eſt, Presbyteri, & Archidiaconus Felix, & Damaſus ipſe Diaconus, & cuncta Eccleſiæ officia, omnes pariter, populo præſente Romano, ſub jurejurando firmaverunt, ſe Liberio vivente Pontificem alterum non habituros. Sed Clerus contra fas, quod minime decebat, cum ſummo ſcelere perjurii Felicem in locum Liberii ordinatum ſuſceperunt, quod factum univerſo diſplicuit populo, & ſe ab ejus proceſſione ſuſcendit.* Iterum alibi, videlicet in quinta quintæ Partis Epiſtola de Hieronymi ex libro de Viris illuſtribus teſtimonio agens obſervat, quamvis in Verſione *Sophronii* Felix non dicatur Arianus, tamen archetypum non per verſionem, ſed verſionem potius per archetypum corrigi debere. Bellarminus quidem præeunte Victorino Mariano ad codices quoſdam manuſcriptos provocat, uti etiam ad alios teſtes, verba Hieronymi de Felice, ſed abſque Arianiſmi mentione repetentes, nominatim ad *Treculphum & Adonem Viennenſem*, addens ex abundanti, etiamſi Felix fuiſſet Arianus, id tamen intelligi debere non de illo tempore, quo verus, ſed quo intruſus fuerit Pontifex, mente ejus poſtmodum mutata in melius, quamobrem paſſus ſit martyrium. At, uti pauca quædam in Launoji & Veritatis hiſtoricæ gratiam hic liceat ſubjungere, ſi Marianus operum Hieronymi Editor illorum codicum manuſcriptorum, qui Felicis Arianiſmum tegunt ſilentio, fidem æſtimavit majoris, quam illorum, qui Felicem exhibent Arianum, cur non ſecutus eſt eos in Editione ſua? Mos vero quod adtinet teſtes, poſſet dici, ſimplicitatem illorum his Codicibus caſtratis poſt decurſum quatuor ſecalorum fuiſſe ſeductam, quia

nullum debet eſſe dubium, Romanos omnem adtribuiſſe induſtriam, ne unquam hæreticus in ſede ſua locum habuiſſe credatur. Hoc addo, quamvis *Treculphus* loco per Bellarminum citato Hieronymi verba, prout leguntur apud *Sophronium*, repetierit, omiſſa Arianiſmi mentione, eum tamen capite quarto antecedente eam clare ſatis expreſſiſſe, his nimirum de anteceſſore ejus Liberio verbis; *Cognoverat, quod Felicis ſui ſucceſſoris velut hæretici communionem Clerus & populus Urbis declinaverint, ejuſque ſolemnibus nequaquam interfuerint.* Diſcrimen illud Chronologicum, inter Felicis Pontificatum legitimum & illegitimum, quod Bellarminus finxit, difficultatem hanc non tollit, præterquam quod illud alii Scriptores, antiqui & recentiores non agnoſcunt. Ex illorum numero fuit antehac *Albertus Pighius*, Bellarmino non ignotus, qui quarti de *Hierarchia Eccleſiaſtica* libri capite octavo *ignorantiam* eſſe dicit, ſi quis hunc Felicem ordini Pontificum adſcribat, nullum admittens hujus nominis Pontificem inter ſeculi tertii & quinti hoc nomine Pontifices, quod contra tertiam Bellarmini rationem poteſt obſervari. Ex his autem, videlicet recentioribus eſt *Auguſtinus Olduinus*, Editor noviſſimus magni operis *Alphonſi Cranonii* de vita & rebus geſtis Pontificum Romanorum, qui in præmiſſo ante hoc decennium *Necrologio*, quod inſtar Prodromi fuit, hunc Felicem ſecundum in Indice ſubnexo expreſſe *Pſeudo-Pontificibus* ſine ullo diſcrimine adcenſet, in ipſo Textu autem notat. *Eccleſiam etſi Pontificatum ejus non probet, complecti tamen ejus Martyrium*, quod vero Bellarminus vocavit in dubium, niſi ex animi mœrore morientes hoc quoque gaudeant elogio, de quo poſt *Rainaudum & Hurtadum*, hoc argumentum antehac prolixe tractantes, alii in poſterum ſtatuent vel diſputabunt. Quidquid autem ſit, etſi concedatur, Felicem hunc prima vice intruſum & Eccleſiæ obtruſum fuiſſe Pontificem illegitimum, quia tamen eo tempore, quo is ſedit Romæ ac Eccleſiæ præfuit, Liberius in exilio tandem faſtidio ejus eo fuit delapſus, ut contra *Luciferum* & Athanaſium orthodoxæ fidei adſertorem conſtantiſſimum in gratiam Arianorum ſubſcripſerit, hæreticæ communionis ſe faciens participem, quo etiam nomine tanquam Victor Romam rediit, Sedem expulſo Felice reoccupans, neceſſum eſt, ut dicatur, Eccleſiæ caput tunc quidem privilegio non errandi caruiſſe, ad cujus defenſionem Bellarminus in vindicandis ab hæreſeos labe Pontificibus omnem impendit operam. Sit enim ita, uterque ad ſanam redierit mentem, Felix & Liberius, manet tamen, utrumque documentum edidiſſe fallibilitatis, quod ad Inſtitutum præſens contra Bellarminum poteſt ſufficere, quidquid teſtentur Martyrologia & lapides Romani ſepulchrales, qui dum adfirmant ultimum, non omnino tollunt ante geſta, quorum hic præſertim habetur ratio, atque hoc inprimis reſpectu perpetuum infallibilitatis privilegium contra impudentiſſimos Curiæ adulatores impugnatur.

Bellarminus *ibid. c.* 11.

Poſt plures alios Pontifices, quos ſuſcepit defendendos, prolixiſſime agit de Honorio *hujus nominis Pontifice primo, ut eum numero hæreticorum eximat, quo nomine eum dicit adcuſatum non tantum à* Nilo *Scriptore Græco, in libro de primatu Pontificis Romani, uti etiam à Centuriatoribus Magdeburgicis, ſed inſuper quoque à nonnullis quos vocat Catholicis, nominatim,* Melchiore Cano, *libri de locis Theologicis ſexti capite ultimo, & quidem his ſequentibus argumentis, è quibus primum eſſe dicit deſumtum ex ipſius Honorii duabus Epiſtolis ad Sergium Principem Monothelitacum in Actione duodecima & ſequenti ſexta Synodi exſtantibus, in quarum utraque adprobet ejus doctrinam, ac jubeat, non dici debere, Chriſtum duas habere Voluntates aut operationes. Secundum ex ejuſdem Synodi Actione poſt decimam tertia, ubi damnetur Honorius tanquam hæreticus, & comburantur ejus Epiſtolæ, ac in ſequentibus punctis hujus Synodi Actionibus repetatur ejus damnatio. Tertium ex Synodi ſeptima actione ultima,*

Digitized by Google

tam, ut accipiat alteram ſolutionem, quæ eſt Johannis à Turrecremata libri de Eccleſia ſecundi capite poſt nonageſimum tertio, qui docet, Patres ſextæ Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſa informatione, ac proinde eos in hoc Judicio erraſſe. Quamvis enim Concilium generale legitimum non poſſit errare, uti neque hoc Sextum erravit, nimirum in Dogmatibus Fidei definiendis, errare tamen poteſt in Quæſtionibus de facto. Itaque tuto poſſumus dicere, hos Patres fuiſſe deceptos ex falſis rumoribus & non intellectis Honorii Epiſtolis, ac inmerito cum hæreticis connumeraſſe Honorium. Si quis autem interroget, cur Agathonis Legati non reclamarint, cum Honorius damnaretur, reſpondeo, inquit Bellarminus, id factum eſſe ad evitandum majus malum. Verebantur enim Legati, ſi reclamarent, ne impediretur Definitio rectæ Fidei, & non poſſet tolli Schiſma, quod Annis ſexaginta jam duraverat; damnabantur enim in hoc Concilio multi Patriarchæ Conſtantinopolitani, Alexandrini & Antiocheni, quorum Succeſſores non facile adquieviſſent, niſi etiam Honorius damnaretur, qui una cum illis fuerat adcuſatus. Ad tertium, *Patres ſeptimæ Synodi ſecutos eſſe Synodum ſextam, & ſolum repetiviſſe, quod in ea legerant, ac proinde deceptos fuiſſe ex ea, quæ vel erat corrupta, vel per errorem damnaverat Honorium.* Ad quartum, *Adrianum cum Synodo Romana non aperte dicere, Honorium fuiſſe hæreticum, ſed ſolum, dictum ei fuiſſe anathema ab Orientalibus, quia de hæreſi fuerit adcuſatus. Ubi videtur Adrianus idcirco dixiſſe, Honorium ab Orientalibus fuiſſe anathematizatum, quia ſciebat, ab Occidentalibus, id eſt, à Concilio Martini eum non fuiſſe anathematizatum. Addidit autem Adrianus, etiam in cauſa Honorii non fuiſſe auſos Orientales Sententiam dicere in Honorium, niſi Romanæ Sedis conſenſus præceſſiſſet, & quia ſciebant, Legatos Agathonis conſenſiſſe in Honorii damnationem. Et hæc dicuntur, ſi defendantur Acta Synodi ſextæ tanquam integra; ſi vero dicatur, ea eſſe corrupta, erit reſpondendum, ex Actis hiſce depravatis deceptum fuiſſe Adrianum. Si autem objiciatur, hæc tamen Concilia credidiſſe, Papam errare poſſe, quia crediderunt, Honorium fuiſſe hæreticum, reſpondetur, Patres hos credidiſſe ſolum, eum ut hominem privatum errare poſſe, quæ eſt opinio probabilis, quamvis contrariæ videatur probabilior; id enim fuerat, de quo adcuſabatur Honorius, quod Literis privatis foverit hæreſin.* Ad quintum, *Melchiorem Canum bis erraſſe in hoc argumento. Semel, cum ait, Agathonem anathema dixiſſe Honorio; nuſquam enim hoc in Epiſtolis eius invenitur. Verum Canus videtur deceptus ex Summa Conciliorum, cujus Author contra fidem Epiſtolarum, quæ habentur integræ in ſecundo Conciliorum Tomo, addit nomen Honorii. Deinde, cum ait, hanc Agathonis Epiſtolam eſſe ſcriptam ad Concilium, quæ ad Imperatorem cum alia fuit ſcripta.* Ad ſextum, *Leonis Epiſtolam ab iiſdem fuiſſe corruptam, à quibus corrupta eſt Synodus ſexta; ſiquidem ea pars eſſe Concilii cenſetur, & cum Concilio ipſomet circumfertur. Vel certe Leo ſecutus eſt judicium Legatorum Agathonis, ne diſturbaret negotium jam confectum. Sed, non tenemur magis unum ſequi Leonem, quam tot alios Pontifices ſummos, præſertim in quæſtione de facto, quæ ad fidem non pertinet.* Ad ſeptimum, *adjicio, ſcribit Bellarminus, Authores authoribus, plures paucioribus, & antiquiores recentioribus. Nam inprimis S. Maximus, qui tempore Honorii vixit, in Dialogo contra Pyrrhum, Theophanes Iſaurus in Hiſtoria, quam citat Onuphrius, & Immanuel Calecus in Libro, quem ſcripſit pro Latinis contra Græcos, Honorium ſemper Catholicum fuiſſe teſtantur. Deinde, Photius etiam Græcus & Eccleſiæ Romanæ infeſtus, in Libello de ſeptem Synodis, ubi ad ſextam Synodum venit, dicit, damnatos fuiſſe Cyrum Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum; at de Honorio nil tale dicit. Similiter Zonaras in vita Conſtantini quarti, referens nomina damnatorum in ſexta Synodo, omittit Honorium; quod idem facit Paulus Diaconus in vita ejuſdem Conſtantini. Denique Hiſtorici Latini omnes fere, ut Beda, Anaſtaſius Bibliothecarius, Blondus, Nauclerus, Sabellicus, Platina & alii, Honorium Catholicum & Sanctum faciunt Pontificem. Addidi Bedam, inquit Bellarminus, etiamſi nolit Canus; nihil enim dubito, quin idem ſenſerit,*

etſi in ejus libro de ſex Ætatibus irrepſerit nomen Honorii inter eos, qui recenſentur damnati in ſexta Synodo. Videtur enim aliquis ſcelus addidiſſe nomen Honorii in Libro Bedæ, eo, quod in ſexta Synodo ubique inveniatur cum nominibus Cyri, Sergii &c. Nam quod Beda Honorium pro viro habuerit ſancto, etiam poſt ejus mortem, paret tum ex Libri Hiſtoriæ Anglorum ſecundi capite poſt decimum ſeptimo & ſequentibus, ubi de Honorio ſæpius tanquam de optimo Pontifice, tum ex vita S. Bertoiſi Abbatis, ubi Honorium nunc Beatum, nunc ſanctum vocat, quod factum ab eo non fuiſſet, ſi Honorium pro hæretico habuiſſet, uti volunt Adverſarii.

Launojus.

NEque in hac quæſtione hiſtorica de Honorii Papæ Monotheliſmo, prolixam & fere tædioſam Bellarmini diſputationem ſuſcepit ſecundum omnes circumſtantias examinandam & refutandam, nihilo tamen minus in pluribus Epiſtolarum locis ea lectori obſervatu digna exhibuit de ea, quorum reſpectu perfacile erit judicare, quid de toto hoc negotio ad Veritatis ſtateram probabiliter ſit ſtatuendum. Et quidem in quinta primæ Partis Epiſtola, in qua Almainum Pariſienſem antehac Theologum defendit contra Thomam Cajetanum, Infallibilitatis Pontificiæ propugnatorem ſtrenuum, poſtquam Synodi ſextæ definitionem contra Honorium & cæteros Monothelitas adpoſuit, ſequentia adnotare viſum eſt: Sententiæ huic Sedis Apoſtolicæ Legati tres, Donatus Epiſcopus Oſtienſis, Marinus Eccleſiæ Romanæ Diaconus, & Stephanus Epiſcopus Nepeſinus, qui præerant Synodo, conſenſerunt & ſubſcripſerunt, nuſquam vero adtulerunt, Synodum fuiſſe corruptam, aut Patres Synodi Literas Honorii non bene intellexiſſe, aut Honorium errare vel in hæreſin labi non potuiſſe, quæ tamen omnia ſeu ſigillatim, ſeu conjunctim adferre fuiſſet facile, ſi legitime adferri potuiſſent. Tales utique non erant hi Legati, qui præter mentem, præter veritatem, præter Sedis Apoſtolicæ traditionem aliquid ederent vel in medium proferrent. Noverant, Agathonis Legatos, cum reverſi fuerunt Romam, ac Synodi acta prælegerunt Leoni ſecundo, & Leo vertiſſet illa in Latinum, de eorum corruptione conqueſtos non eſſe. At, ſi facta fuiſſet ulla corruptio, nonne apud Imperatorem Conſtantinum, qui Synodum convocaverat, & tanto cum ſtudio interfuerat & ſubſcripſerat, de vi actis illata, de injuria Honorio per falſarios irrogata conqueſti fuiſſent? Verum conqueſti non ſunt, & Occidentales reliqui Antiſtites quoque tacuerunt. Quis autem ſciens & prudens Agathonis Papæ Legatis, quorum unus fuit poſtea Johannes quintus, quis etiam cæteris Occidentalibus Epiſcopis, qui Synodo interfuerunt, exitioſum Honorio, ſedi Apoſtolicæ, Veritati ſilentium improperaret? Improperandum vero eſſet merito, ſi acta Synodi fuiſſent corrupta; & quis non illos omnes Legatos & Occidentales Epiſcopos publicæ cauſæ prævaricatores adpellaret, quales adpellari jure poſſent, ſi de actorum vitiatione & de privilegio non errandi, quod haberet Honorius, tacuiſſent? Albertus certe Pighius, Bellarminus, Baronius & alii, qui vitiata fuiſſe acta Synodi ſextæ contendunt, oculos ad hæc omnia non adjecerunt; aut ſi adjecerint, Romanam & Occidentalem Eccleſiam corruptionis actorum hujus Synodi & perfidiæ reum peragere non dubitaverunt, nec dubitant etiamnum, qui Pighii, Bellarmini & Baronii factum exequuntur. Nimirum ut unus ſervetur Romanus Pontifex Honorius, condemnantur Pontifices Romani duo, Leo ſecundus & Johannes quintus, atque his adhærens Urbis Clerus, ſubjacentes quoque Sedis Apoſtolicæ Concilio centum viginti quinque Epiſcopi, qui eidem ſubſcripſerunt, uti in actione ejus quarta traditur, inſuper Occidentales cæteri Præſules, qui Synodo huic interfuerunt, & acta Synodi retulerunt. Ad miſeram autem illorum omnium fortunam adcedit Hadrianus ſecundus in Epiſtola, quæ in actione

ne

Digitized by Google

ne Synodi octavæ ſeptima & lecta fuit & adprobata, loquendo & tacendo hæreſin & anathematizationem Honorii in Synodo ſexta confirmans. Et quidem loquendo dum fatetur ingenue, Honorio ab Orientalibus, id eſt à Concilio apud Orientales celebrato anathema dictum eſſe, quod de hæreſi fuerit accuſatus; quo videlicet modo acta Synodi ſextæ juxta Sedis Apoſtolicæ traditionem habuit pro incorruptis, quæ pro corruptis adverſus hanc traditionem habuerunt Pighius, Bellarminus, Baronius, & eorum ſectatores. Tacendo autem, quod hæc acta fuiſſe corrupta, & ea jam corrupta in Latinum traduxiſſe Leonem ſecundum non acriter contenderit, quod Honorium propter privilegium Petro traditum à Chriſto errare non potuiſſe non dixerit, quod Synodum hanc Honorii literas neutiquam intellexiſſe non receperit, quia Monothelitis, ſic opinor, dicturis pariter, eandem Synodum non bene teſtimonia Patrum intellexiſſe, quibus ad conferendum Fidei Decretum eſt uſa, non potuiſſet fortiter reſpondere, & quod tandem Agathonis Epiſtolam non objecerit, ſeu, quia Synodum aliter cenſuiſſe, & Synodo Legatos Agathonis conſenſiſſe ſignificat, ſeu, quia aliud eſſe, loqui de Eccleſia Romana, aliud de Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo ſcribat. Scilicet, Agatho non loquitur de Honorio, & quia non loquitur, eum idonee loqui non potuiſſe, indicium eſt certiſſimum, quæ enim de Romana tradit Eccleſia, poſſunt eſſe vera, etiamſi Honorius fuerit hæreticus, dum Sedes à ſedente diſtinguitur. Præterea Sedes Apoſtolica conſenſit in ſuo Veteri Diurno, probavitque & ſubſcripſit, qua parte fidei profeſſio Antiſtiti novo edenda præſcribitur, quæ de hac Synodo teſtatur expreſſe, quod Chriſtum duas naturales habere voluntates, duaſque naturales habere operationes, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam decreverit, authores vero novi & hæretici Dogmatis, Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Conſtantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impenderit &c. aliiſque ſequacibus nexu anathematis perpetui devinxerit. Confirmatur id inſuper ex actorum hujus Synodi peroratione, quæ de Conſtantini ſucceſſore Philippo, alias Bardane dicto, Imperatore per exercitum creato, hæreſi imbuto narrat, eum ſub ingreſſum in Urbem regiam, authoritate Imperiali abuſum, hujus Synodi imaginem ab annis jam aliquot prope ac inter quartam ſextamque Scholam in Imperialis Palatii veſtibulo juſſiſſe dejici ante quam in illud ſe conferret, ac præterea decreviſſe, ut Sergii, Honoriique ac cæterorum pariter ab eadem Synodo rejectorum & Anathemati ſubjectorum nomina in Eccleſiarum diptycha publico referentur præconio, eorumque imagines per locum erigerentur. Profecto neutrum præcepiſſet Imperator Monothelita, niſi Honorii perinde ut Sergii nomen de ſacris Eccleſiarum diptychis eraſum, & imago ejus de locis religioſis Synodi juſſu fuiſſet deturbata. Id etiam ex hac narratione, ſi ſuis expendatur momentis, ſequitur neceſſario, acta hujus Synodi corrupta non eſſe, nec ut corrumperentur, fieri potuiſſe; atque ſic eo uſque, ne fraus ulla interveniret, præcautum ac proviſum fuit. Porro ſi Pighius, Bellarminus, Baronius hanc Synodi peroratiónem, quæ anno 1648. opera *Franciſci Combefis* in Hiſtoria Monothelitarum prodiit, vidiſſent, acta ejus numquam dixiſſent corrupta; eſt enim certa quædam veritas adeo illuſtris & ſplendida, ut eam doli, machinæ, fallaciæ, præſtigiæ obruere, vel etiam obſcurare nequeant. Tum & porro Sedes Apoſtolica in Breviario, quod ut illius uſum Venetiis anno 1482. & Pariſiis 1443. in lucem prodiit, Honorium damnatis ab hac Synodo Monothelitis adcenſet, dum B. Leonis ſecundi feſtum quarto Kalendas Julii agit, & quidem in Lectione ſecunda, quæ adhuc ætate Cajetani canebatur in Eccleſia Romana, hodieque caneretur, niſi quidam adulatores Curiæ ſuſtuliſſent, qui traditionem ab illius Synodi tempore conſtanter ac fideliter in Apoſtolica Sede permanentem ferre diutius non potuerunt. Hæc ibi Launojus, qui poſtmodum in nona hujus primæ Partis Epiſtola de hac controverſia, quod Hadriani Pontificis hoc nomine ſecundi authoritatem adtinet, hoc notat, eum in Synodo Romana de Honorio agentem non dicere, à Synodo ſexta erratum eſſe, quod Epiſtolarum Honorii judicium ad DEUM, cui

etſi in ejus libro de ſex Ætatibus irrepſerit nomen Honorii inter eos, qui recenſentur damnati in ſexta Synodo. Videtur enim aliquis ſcholus addidiſſe nomen Honorii in Libro Bedæ, eo, quod in ſexta Synodo ubique inveniatur cum nominibus Cyri, Sergii &c. Nam quod Beda Honorium pro viro habuerit ſancto, etiam poſt ejus mortem, patet tum ex Libri Hiſtoriæ Anglorum ſecundi capite poſt decimum ſeptimo & ſequentibus, ubi de Honorio ſapius tanquam de optimo Pontifice, tum ex vita S. Bertoiſi Abbatis, ubi Honorium nunc Beatum, nunc ſanctum vocat, quod factum ab eo non fuiſſet, ſi Honorium pro hæretico habuiſſet, uti volunt Adverſarii.

Launojus.

NEque in hac quæſtione hiſtorica de Honorii Papæ Monotheliſmo, prolixam & fere tædioſam Bellarmini diſputationem ſuſcepit ſecundum omnes circumſtantias examinandam & refutandam, nihilo tamen minus in pluribus Epiſtolarum locis ea lectori obſervatu digna exhibuit de ea, quorum reſpectu perfacile erit judicare, quid de toto hoc negotio ad Veritatis ſtateram probabiliter ſit ſtatuendum. Et quidem in quinta primæ Partis Epiſtola, in qua Almainum Pariſienſem antehac Theologum defendit contra Thomam Cajetanum, Infallibilitatis Pontificiæ propugnatorem ſtrenuum, poſtquam Synodi ſextæ definitionem contra Honorium & cæteros Monothelitas adpoſuit, ſequentia adnotare viſum eſt: Sententiæ huic Sedis Apoſtolicæ Legati tres, Donatus Epiſcopus Oſtienſis, Marinus Eccleſiæ Romanæ Diaconus, & Stephanus Epiſcopus Nepeſinus, qui præerant Synodo, conſenſerunt & ſubſcripſerunt, nuſquam vero adtulerunt, Synodum fuiſſe corruptam, aut Patres Synodi Literas Honorii non bene intellexiſſe, aut Honorium errare vel in hæreſin labi non potuiſſe, quæ tamen omnia ſeu ſigillatim, ſeu conjunctim adferre fuiſſet facile, ſi legitime adferri potuiſſent. Tales utique non erant hi Legati, qui præter mentem, præter veritatem, præter Sedis Apoſtolicæ traditionem aliquid ederent vel in medium proferrent. Noverant, Agathonis Legatos, cum reverſi fuerunt Romam, ac Synodi acta prælegerunt Leoni ſecundo, & Leo vertiſſet illa in Latinum, de eorum corruptione conqueſtos non eſſe. At, ſi facta fuiſſet ulla corruptio, nonne apud Imperatorem Conſtantinum, qui Synodum convocaverat, & tanto cum ſtudio interfuerat & ſubſcripſerat, de vi actis illata, de injuria Honorio per falſarios irrogata conqueſti fuiſſent? Verum conqueſti non ſunt, & Occidentales reliqui Antiſtites quoque tacuerunt. Quis autem ſciens & prudens Agathonis Papæ Legatis, quorum unus fuit poſtea Johannes quintus, quis etiam cæteris Occidentalibus Epiſcopis, qui Synodo interfuerunt, exitioſum Honorio, ſedi Apoſtolicæ, Veritati ſilentium improperaret? Improperandum vero eſſet merito, ſi acta Synodi fuiſſent corrupta; & quis non illos omnes Legatos & Occidentales Epiſcopos publicæ cauſæ prævaricatores adpellaret, quales adpellari jure poſſent, ſi de actorum vitiatione & de privilegio non errandi, quod haberet Honorius, tacuiſſent? Albertus certe Pighius, Bellarminus, Baronius & alii, qui vitiata fuiſſe acta Synodi ſextæ contendunt, oculos ad hæc omnia non adjecerunt; aut ſi adjecerint, Romanam & Occidentalem Eccleſiam corruptionis actorum hujus Synodi & perfidiæ reum peragere non dubitaverunt, nec dubitant etiamnum, qui Pighii, Bellarmini & Baronii factum exequuntur. Nimirum ut unus ſervetur Romanus Pontifex Honorius, condemnantur Pontifices Romani duo, Leo ſecundus & Johannes quintus, atque his adhærens Urbis Clerus, ſubjacentes quoque Sedis Apoſtolicæ Concilio centum viginti quinque Epiſcopi, qui eidem ſubſcripſerunt, uti in actione ejus quarta traditur, inſuper Occidentales cæteri Præſules, qui Synodo huic interfuerunt, & acta Synodi retulerunt. Ad miſeram autem illorum omnium fortunam adcedit Hadrianus ſecundus in Epiſtola, quæ in actione

ne

Digitized by Google

ne Synodi octavæ ſeptima & lecta fuit & adprobata, loquendo & tacendo hæreſin & anathematizationem Honorii in Synodo ſexta confirmans. Et quidem loquendo dum fatetur ingenue, Honorio ab Orientalibus, id eſt à Concilio apud Orientales celebrato anathema dictum eſſe, quod de hæreſi fuerit accuſatus; quo videlicet modo acta Synodi ſextæ juxta Sedis Apoſtolicæ traditionem habuit pro incorruptis, quæ pro corruptis adverſus hanc traditionem habuerunt Pighius, Bellarminus, Baronius, & eorum ſectatores. Tacendo autem, quod hæc acta fuiſſe corrupta, & ea jam corrupta in Latinum traduxiſſe Leonem ſecundum non acriter contenderit, quod Honorium propter privilegium Petro traditum à Chriſto errare non potuiſſe non dixerit, quod Synodum hanc Honorii literas neutiquam intellexiſſe non receperit, quia Monothelitis, ſic opinor, dicturis pariter, eandem Synodum non bene teſtimonia Patrum intellexiſſe, quibus ad conferendum Fidei Decretum eſt uſa, non potuiſſet fortiter reſpondere, & quod tandem Agathonis Epiſtolam non objecerit, ſeu, quia Synodum aliter cenſuiſſe, & Synodo Legatos Agathonis conſenſiſſe ſignificat, ſeu, quia aliud eſſe, loqui de Eccleſia Romana, aliud de Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo ſcribat. Scilicet, Agatho non loquitur de Honorio, & quia non loquitur, eum idonee loqui non potuiſſe, indicium eſt certiſſimum, quæ enim de Romana tradit Eccleſia, poſſunt eſſe vera, etiamſi Honorius fuerit hæreticus, dum Sedes à ſedente diſtinguitur. Præterea Sedes Apoſtolica conſenſit in ſuo Veteri Diurno, probavitque & ſubſcripſit, qua parte fidei profeſſio Antiſtiti novo edenda præſtituitur, quæ de hac Synodo teſtatur expreſſe, quod Chriſtum duas naturales habere voluntates, duaſque naturales habere operationes, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam decreverit, authores vero novi & hæretici Dogmatis, Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Conſtantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impenderit &c. aliiſque ſequacibus nexu anathematis perpetui devinxerit. Confirmatur id inſuper ex actorum hujus Synodi peroratione, quæ de Conſtantini ſucceſſore Philippo, alias Bardane dicto, Imperatore per exercitum creato, hæreſi imbuto narrat, eum ſub ingreſſum in Urbem regiam, authoritate Imperiali abuſum, hujus Synodi imaginem ab annis jam aliquot prope ac inter quartam ſextamque Scholam in Imperialis Palatii veſtibulo juſſiſſe dejici ante quam in illud ſe conferret, ac præterea decreviſſe, ut Sergii, Honoriique ac cæterorum pariter ab eadem Synodo rejectorum & Anathemati ſubjectorum nomina in Eccleſiarum diptycha publico referentur præconio, eorumque imagines per locum erigerentur. Profecto neutrum præcepiſſet Imperator Monothelita, niſi Honorii perinde ut Sergii nomen de ſacris Eccleſiarum diptychis eraſum, & imago ejus de locis religioſis Synodi juſſu fuiſſet deturbata. Id etiam ex hac narratione, ſi ſuis expendatur momentis, ſequitur neceſſario, acta hujus Synodi corrupta non eſſe, nec ut corrumperentur, fieri potuiſſe; atque ſic eo uſque, ne fraus ulla interveniret, præcautum ac proviſum fuit. Porro ſi Pighius, Bellarminus, Baronius hanc Synodi perorationem, quæ anno 1648. opera *Franciſci Combefis* in Hiſtoria Monothelitarum prodiit, vidiſſent, acta ejus numquam dixiſſent corrupta; eſt enim certa quædam veritas adeo illuſtris & ſplendida, ut eam doli, machinæ, fallaciæ, præſtigiæ obruere, vel etiam obſcurare nequeant. Tum & porro Sedes Apoſtolica in Breviario, quod ut illius uſum Venetiis anno 1482. & Pariſiis 1443. in lucem prodiit, Honorium damnatis ab hac Synodo Monothelitis adcenſet, dum B. Leonis ſecundi feſtum quarto Kalendas Julii agit, & quidem in Lectione ſecunda, quæ adhuc ætate Cajetani canebatur in Eccleſia Romana, hodieque caneretur, niſi quidam adulatores Curiæ ſuſtuliſſent, qui traditionem ab illius Synodi tempore conſtanter ac fideliter in Apoſtolica Sede permanentem ferre diutius non potuerunt. Hæc ibi Launojus, qui poſtmodum in nona hujus primæ Partis Epiſtola de hac controverſia, quod Hadriani Pontificis hoc nomine ſecundi authoritatem adtinet, hoc notat, eum in Synodo Romana de Honorio agentem non dicere, à Synodo ſexta erratum eſſe, quod Epiſtolarum Honorii judicium ad DEUM, cui

cui soli suam debebat innocentiam, non remiserit, & quod propter contentam in iis hæresin damnaverit Pontificem, atque cum aliis Monothelitis anathemate percusserit; quin etiam ultro fateri, eum consentiente Apostolica Sede damnatum esse, tantum abest, ut reclamaverit. Post hæc addidit, observans, esse nonnullos Scriptores hodiernos, qui doceant, Honorium non ob hæresin, sed ob aliquam in reprimenda hæresi negligentiam à Synodo fuisse damnatum; qui, quamvis duo faciant non probanda primum, quod de Honorio aliter, quam Synodus & Hadrianus judicant, alterum, quod in errorem stoicum videntur labi, consentientes in pœnam æqualem, quæ inæqualibus peccatis decernitur, placitum tamen illud novum accipi potest, quia authores valde graviter & circumspecte nobis pro crimine uno objiciant duo, hæresin & in ea reprimenda negligentiam, ob quæ Synodus Pontificem Romanum deponat ac ei anathema denuntiet. Sic in secunda quintæ Partis Epistola, in qua contra Bellarminum examinat ea Pontificum Romanorum testimonia, quibus privilegium non errandi eis adscribere conatus est, dum ad *Agathonis* pervenit testimonium, quo Pontifices suos prædecessores confirmasse fratres suos scripsit, id circa illud observavit, quod Agatho non definite scripserit *omnes*, nec etiam sic scribere potuerit, quia nimirum ejus prædecessores non omnes in fide confirmaverint fratres, Honorium certe non confirmasse Sergium Episcopum Constantinopolitanum, cum duas ad illum misit Epistolas, quæ post adcuratam lectionem in hac Synodo hæreseos adcusatæ & damnatæ sint. Et sane non memini, scribit Launojus, me ullum veterem Theologum legisse, qui ex Epistolis Honorii veram adversus Monothelitas fidem daseruerit; sed probe memini duarum Leonis secundi Epistolarum, in quibus de Honorio conqueritur, nunequidem, *quod Ecclesiam Apostolicam non Apostolicæ traditionis doctrina lustraverit, sed fidem immaculatam profana traditione prodiderit maculari.* Post autem, *quod immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à suis prædecessoribus acceperat, maculari consenserit.* Et quia Bellarminus contra Melchiorem Canum inprimis ad Bedæ authoritatem in gratiam Honorii provocavit, hinc Launojus ibidem post non plane nulla hoc de Beda observat, eum tribus in locis de Honorio sermonem facere, primo in Historia Anglorum, ubi laudat eum, ut qui de Ecclesia Anglicana bene fuerit meritus; deinde in vita sancti Bertulfi Abbatis, in qua Honorium vocet Præsulem venerabilem, animo sagacem, consilio vigentem, doctrina clarum, dulcedine & humilitate pollentem, ac sanctum Papam; tertio in libro de sex Ætatibus mundi, in quo Honorium recenseat inter eos, qui à Synodo sexta damnati sint hæreseos. Sed adtendenda sunt tempora, monet Launojus; quæ enim hic videntur contraria, contraria definent videri. Nam quæ celebris author de Honorio in Historia, atque in vita sancti Bertulfi scribit, Synodum sextam præcesserunt; quæ vero in libro de sex Ætatibus tradit, eam excipiunt & subsequuntur. Aliud est igitur de rebus ab Honorio ante Synodum, aliud de rebus ab eodem post eam gestis scribere, quod Bellarminus dissimulavit. Præterea de duabus Epistolis ab Honorio ad Sergium scriptis nullum tulit vel in historia, vel alibi judicium; nec fortasse mirum, quia tunc nondum viderat. Sed cum illas postmodum in actis Synodi vidit, & damnatum cum aliis Honorium legit, id tunc demum fecit, quod ab eo factum legimus in libro de sex Ætatibus Mundi. Adfirmare autem quidem quod Bellarminus facit, *Scioluni aliquem addidisse nomen Honorii in libro Bedæ*, prælicenter est divinare, idque quam maxime, cum nullus Codex manuscriptus adferatur, in quo desideretur nomen Honorii. In summa, tametsi fuerint, præsertim *Maximus* Monachus, & alii forte, qui Honorium ante Synodum sextam ab hæresi defenderint, post illam tamen nullus fuit vel in Anglia, vel in Gallia, vel in Italia, qui Honorium ab hæresi defendendum susciperet, ut Pighius, Bellarminus, Baronius fecerunt. Postquam igitur Synodus universalis, Tribunal, quo nullum est in Ecclesia superius aut majus, Honorio denuntiavit anathema, consurgere omnes, intentique ora tenebant. Cæterum corrupta fuisse à quoquam Synodi hujus acta, nemo fuit omnium antiquo-

tiquorum, qui id dicere auderet, ne videretur ſomniare. Id autem ſomnii & commenti genus delent cum alia multa, tum maxime duo, videlicet, ipſius Synodi peroratio laudata ſuperius, contumax Occidentalium, ac præſertim Sedis Apoſtolicæ Legatorum, qui à Synodo ad propria reverſi ſunt loca, ſilentium. Inſuper accuſatione dignus eſſet Leo ſecundus, quod corrupta Synodi acta in Latinum ſine ulla religione converterit, quod de corruptione nullam habuerit querelam, quod nullum in corruptores ediderit Decretum, tandem, quod Sedis Apoſtolicæ dignitatem & honorem neglexerit & ſceleſtiſſime prodiderit. Deinde, nemo fuit antiquorum, qui dicere fuiſſet auſus, quod Bellarminus ſcripſit, *Patres Synodi deceptos ex rumoribus falſis & non intellectis Honorii Epiſtolis, immerito cum hæreticis connumeraſſe Honorium.* Cur autem nemo ex antiquis id ſcripſerit, quod Bellarminum legimus ſcripſiſſe, in cauſa eſt adcurata & ſumma in tractandis rebus Eccleſiaſticis circumſpectio. Et quidem Synodi Patres ex falſis rumoribus deceptos cum hæreticis connumeraſſe Honorium dici non poteſt, quin dicatur continuo, Patres illos intolerabilis negligentiæ reos eſſe, quod tam leviter ſummæ Sedis Præſidem albo (nigro) inſcripſerint hæreticorum. Tum, Synodi Patres iidem non intellectis Honorii Epiſtolis connumeraſſe eum cum hæreticis dici quoque non poteſt, quin continuo Monothelitis aditus ad eludendam Fidei definitionem detur. Scilicet, Monothelitæ vel eorum fautores contendent, quemadmodum non intellectis Honorii Epiſtolis Honorius cum hæreticis fuit connumeratus, ſic, etiam Scripturis & Patrum ſanctorum teſtimoniis, quæ in Synodo producebantur, non intellectis, Fidei definitionem eſſe confectam. Quidquid hic Bellarminus & Exſcriptores ejus reſpondebunt, ut, quod ſibi ſumſerunt, tueantur, id Monothelitæ vel fautores eorum pariter reſpondebunt, ut itidem tueantur, quod ad exemplum Bellarmini ſumſerunt ſibi defendendum; atque ſic æqualis erit pugnæ nunquam finiendæ ſucceſſus, & Bellarminus, quod ſibi ſumſit lemma, vel accipiet vel rejiciet, ac in uno captus, in altero nullus erit, quia vitioſe petendum erit principium. In eadem Epiſtola, ubi Pontificis *Nicolai* hoc nomine primi teſtimonium pro non errandi Privilegio à Bellarmino laudatum examinat Launojus, meminit incidenter etiam *Anaſtaſii Bibliothecarii*, qui tempore Nicolai floruit Romæ, in Epiſtola ad Johannem Diaconum ſic ſcribentis: *Apologia Johannis Papæ quarti hujus nominis Honorium uti reor ſatis excuſabilem reddit, licet huic ſexta Synodus quaſi hæretico dixerit anathema, & in DEI ſolius jam Judicio poſitum reprobationis telo confoderit, cum hæreticus non ex erroris tantum deceptione, quantum ex electione non recta & pertinacia contentioſa generetur* &c. in quibus verbis, addit Launojus, non tam de hæreſi, quam de legitima hæretici adpellatione diſputavit. Verum Anaſtaſius majorem poſtea Synodo ſextæ, quam Johanni quarto adhibuit fidem. Cum enim Pontificum Romanorum vitas prodidit literis, Honorium inter damnatos a Synodo ſexta hæreticos ſine, ulla hæſitatione poſuit in Vita Leonis ſecundi, id tradens, quod tunc Romæ credebatur ab omnibus, ſic ut tempore Nicolai nemo ſit inventus Romæ, qui contrarium ſcripſerit. Sed neque *Hadrianus* Pontifex hoc nomine ſecundus, Nicolai Succeſſor proximus, hæc aliter perſuaſum habuit, qui, cum adfirmat, dictum Honorio ab Orientalibus anathema fuiſſe, Occidentales non excludit, ſed ab Orientalibus dictum anathema ſcribit, quia Synodus hæc habita eſt apud Orientales, & in Synodo major pars eorum, qui adfuerunt, Orientales erant, quibus legati Sedis Apoſtolicæ conſenſerunt. Quin & in Gallia non fuit alia, quam Romæ de Honorio ſententia, quod docent Epiſcopi duo magni nominis, *Hincmarus* Rhemenſis & *Ado* Viennenſis. Ille duobus in locis, primo in opuſculo de una & non trina Deitate, ſcribens: *Honorium magnæ Romæ Papam, quia contra Fidem ſenſiſſe, & prave ſentientibus conſenſiſſe detectus & evidentiſſime comprobatus eſt, ſicut in Synodo ſexta invenitur, etiam poſt Mortem anathematizarunt.* Deinde, in opuſculi poſt triceſimum tertii capite vigeſimo, ubi ſex Synodos generales

enumerat, de ſexta dicens : *Finito conflictu Georgius correctus, Mazarius vero cum ſuis ſequacibus ſimul & præceſſoribus, Cyro, Sergio,* Honorio, *Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus fuit.* Hic autem in Martyrologio manuſcripto, quod in Bibliotheca Mazariana extabat, quarto Calendas Julii, ubi Honorius hæreticis à Synodo ſexta proſcriptis adcenſetur, his verbis : *Leo ſecundus, eloquentiſſimus & Scripturis Divinis ſufficienter inſtructus, Græca Latinaque Lingua eruditus, ſanctam Synodum ſextam, quæ in Urbe Regia eſt celebrata, ubi ſunt damnati Cyrus, Sergius,* Honorius, *Pyrrhus, Paulus, Petrus. Mazarius & Polychronius, novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino JESU Chriſto prædicabant temporibus Papæ Agathonis, de Græco tranſtulit in Latinum.* Exemplar hujus Martyrologii, quod olim ad S. Marii, Abbatis Badonenſis Eccleſiam pertinebat, ejuſdem fere ætatis cum Adone videtur eſſe. In edito quidem Exemplari hæc non exſtant, ſed oportet ea fuiſſe ſublata vel à librariis, vel ab iis, qui curam editionis ſuſceperunt. Rem decidit in Chronici Ætate ſexta iiſdem plane verbis, quæ paulo ante ex poſteriori opuſculo Hincmari ſunt adducta. *Tandem*, in Epiſtola poſt decimam quarta quartis ultimæ, poſtquam Bellarmini verba de non intellectis Honorii Epiſtolis adhuc ſemel produxit Launojus, hoc Epicriſeus loco ſubjecit : Synodus Epiſtolas Honorii ſat breves tam perfecte potuit intelligere, quam Scripturæ loca & Patrum ſanctorum teſtimonia, quorum authoritate ſtinc quidem damnata eſt hæreſis Monothelitarum, inde autem confecta Fidei definitio, perfecte potuit intelligere, & revera intellexit. Hæc hactenus diverſis in Epiſtolis contra Bellarminum quoad hanc de Honorii Pontificis Monotheliſmo Quæſtionem hiſtoricam Launojus, quæ etſi non eo ordine illius argumenta impugnant, quo apud eum leguntur, ſufficit tamen, pleriſque, ſi non omnibus, ita ſatisfactum eſſe, ut nihil fere ad rem ipſam jure poſſit deſiderari.

Additio.

NE tamen ſolus hic Sorboniſta videatur Pighium, Bellarminum & Baronium in hac Controverſia impugnare, juvat ex abundanti breviter ſubjungere, quæ alii circa eam olim & nunc in gratiam Veritatis notanter obſervarunt, lectu pro ſtudioſis Hiſtoricæ Antiquitatis non indigna. Præ cæteris ſuam hic præſtitit operam *Baïus* in iterata Conciliorum Summa, utut non tam propriam, quam aliorum ſuperinde exhibens Sententiam, inprimis *Franciſci Joverii*, Doctores itidem antehac Pariſienſi, & *Franciſci de Combeſis*, ordinis Prædicatorum, novitii Scriptoris, atque id ideo, quia novit, eorum Libros in paucorum verſari manibus. Et quidem ex *Joverii* Velitatione adverſus *Pighium*, quem Bellarminus quoque opinionis ſuæ laudavit Patronum, id inprimis huc pertinens, ex Synodi geſtis conſtare, non magis diſcuſſum fuiſſe aliorum, qui cum Honorio ſunt condemnati, quam ipſius Honorii cauſam, ac neminem poſſe inficiari, juſte eos fuiſſe condemnatos. Nimirum collectas eſſe Honorii literas adcurate cum actographo, uti ex Seſſione duodecima poſſit colligi, & tamen omnia reſpondiſſe, atque in literis Pauli Conſtantinopolitani ad Pontificem Theodorum contineri conſenſum in hoc errore cum Honorio, & nullum Romanorum in Concilio fuiſſe adverſatum. Quod vero adſeratur, hunc errorem nondum per Eccleſiam fuiſſe damnatum, vel quidquam in hac Quæſtione definitum, falſum eſſe, idque ex eo manifeſtum eſſe, quod Leo M. Epiſtola ad Flavianum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quæ in Synodo Chalcedonenſi fuerat adprobata, condemnarit jam Monothelitas, atque in Concilio Romæ habito ſub Martino, hujus nominis primo, aperte condemnati ſint Monothelitæ. Additur, conſtare quidem, quod *Honorius* in cauſa Fidei graviſſima conſenſerit hæreticis, de ejus pœnitentia autem non conſtare, per quam

Digitized by Google

quam reædificaverit, quod per Scandalum deſtruxerat, atque hinc merito potuiſſe eum condemnari à Synodo, quia non ſit inſolitum, mortuos etiam anathematizare, juxta Canonem octuageſimum & ſecundum Synodi Africanæ. Ex *Franciſci* de *Combefis* autem opera, quod de Hæreſi Monothelitarum antehac edidit, & Judici Romanorum Expurgatorio legitur inſertum, quod Baronio inprimis fuit oppoſitum, ad Acta hujus Synodi ſextæ ob corruptionem adcuſata libere vindicanda, ſequentia excerpſit, quæ merentur optime, ut hic etiam Lectori exhibeantur. *Primum* eſt, damnatum fuiſſe Honorium in Synodo ex ſuggeſtione Agathonis Papæ, idque Caranzam in Summa Conciliorum obſervaſſe, & docuiſſe inſuper Melchiorem Canum, inde confirmantem, id ex Romani Pontificis conſenſu fuiſſe, quod Adrianus Papa in Synodi octavæ Actione ſeptima diſerte tradat, exploratum eſſe, ſcilicet, in Synodi ſextæ Actione decima & tertia, ubi Agatho in Epiſtola ad Concilium anathematizaverit Honorium. *Secundum* eſt, quod Honorius quidem damnatus ſit, verum non ut hæreſiarcha aut Doctor hæreſeos, ſed uti fautor, ac velut qui viſus eſſet adhærere Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano, unamque cum eo, ac poſt eum in Chriſto Voluntatem admittere, idque pateat ex Epiſtola Agathonis ad Imperatorem Conſtantinum, item ex Edicto ipſius Imperatoris, uti & Epiſtola Leonis ſecundi ad eundem Conſtantinum. *Tertium* eſt, quod Honorius in eo viſus ſit favere hæreticis, quod accepta Sergii Epiſtola de novitate Monotheliſmi ad eum reſcribendo non aperte improbaverit, ſed dixerit retinendas eſſe quinque primas Synodos, & abſtinendum eſſe ab his vocibus contentionem excitantibus, unius aut duarum Voluntatum & operationem; quod hæretici ſic acceperunt, quaſi ab eorum partibus ſtaret, cum opinionem eorum non damnaret expreſſe, ſed æqualiter omnes haberet, ſeu unam, ſeu duas dicerent Voluntates & operationes. *Quartum* eſt, quod diſtinguendum ſit inter Pontifices Romanos & Sedem Romanam, item, inter Pontificem ut hominem privatum, & Pontificem uti ex Cathedra loquentem, id eſt, cum authoritate aliquid definiendo ac fideles obligando ad credendum. Ut enim concedatur, Sedem Romanam ſine errore hactenus perſtitiſſe, nec errori obnoxiam eſſe propter adſiſtentiam Spiritus S. atque idem dicatur etiam de Pontifice Summo ex Cathedra loquente, cui tenentur fideles obedire, ſicut oves Paſtori; id tamen neceſſe non eſt admittere de Pontifice, uti homo eſt, vel Doctor privatus, utpote quem nec apex Pontificatus ſummi hac in parte facit impeccabilem. *Quintum* eſt, quod Honorius rem iſtam non definierit ex Cathedra, cum ad Sergium ſcribens ſilentium magis indicarit de iſta controverſia, quam quemquam moverit vel adſtrinxerit Conſtitutione ſua ad ſic vel ſic credendum, &, ſi erraverit ante adcuratam diſcuſſionem vel Synodicam definitionem, errore magis materiali erraverit. *Sextum* tandem eſt, quod etſi plures antiqua & recentiores Honorium defendant, non eſſe tamen propter id culpandam Synodum, utpote quæ volens omnem Monotheliſmi radicem evellere, omnes Prælatos vel eo infectos, vel de eo ſuſpectos anathematizaverit, ut ita nullus relinqueretur prætextus eum amplius defendendi, nulli parcens, qui vel umbram erroris haberet. Etiamſi igitur coram DEO innoxius fuiſſet Honorius, at ſuſpectum fuiſſe cum de hæreſi apud homines, ac pluribus ſcandalo, qui ex illa occaſione præcipites in barathrum erroris ſe dederint. His ex *Joverio* & *Combefio* expoſitis *Bailius* contra Baronium, arguentem, quod hujus Concilii Acta potius ſint falſata, quam Honorius ab eo damnatus, iterata monet, Exemplaria Actorum ejus integra ad omnes Sedes Patriarchales fuiſſe miſſas, quæ poſtmodum Agathonis Succeſſor Leo ſecundus ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ miſerit, ut videre ſit ex Epiſtolis ejus apud *Binium*, atque hinc fuerit difficile ea à quoquam tot in locis depravari. Porro, judicium in hac Synodo latum contra Honorium fuiſſe ex authoritate ipſius Succeſſoris judicio authoritatem tribuentis, ut ſi prima Sedes judicata quibuſdam videretur, non ab alia, quam à ſeipſa fuerit judicata. Et quamvis Baronius Epiſtolas

Leonis contendat esse spurias ex quibusdam indiciis, non tamen in istis fidem illi adhibendam esse, nec defuisse, qui difficultatibus ejusdem satis fecerint. Interim hanc Synodum ipsam sufficere ad amovendam omnem hæreseos notam ab Honorio, cum in ea probata sit Epistola seu Suggestio Agathonis Papæ, adferentis, *omnes* (quam vero particulam supra Launojus eliminavit) prædecessores suos, ex quo novitas hæretica per Præsules Constantinopolitanos inducebatur, eos observando commonuisse, ut à pravi Dogmatis errore hæretico, saltem tacendo desisterent &c. Honorium procul dubio innuentis, utpote qui Præsulibus istis sese opposuerat, monendo saltem, ut à vocibus unius aut duarum Voluntarum & operationum abstinerent; qua autem in re cum minus egisset, inquit Bailius, nec satis pro officio fratres suos confirmaret in Fide, quæ sic in indivisibili consistit, ut in utramque nefciat claudicare, pœnas tulit in hoc Concilio negligentiæ, non perfidiæ, si rebus tunc dispositis, ut ad hæresin propulsandum in communi plurium ruina etsi minus nocens involveretur. Quamvis aliqua sint recta in Epistolis Honorii, & quæ sensum redolcant Catholicum, ista tam adulatio & palpatio Præsulis hæretici, quod satis provide & circumspecte scripserit, non potest excusari, cum foveat hæresin, maxime in eo, qui omnem hæresin ex injuncto sibi Munere persequi & interimere debebat. Quare non adparet, quod sibi Synodus contradixerit, Honorium damnando ob eam rationem nec quod intolerabilem admiserit errorem, uti contendit *Binius* ad hujus Synodi Actionem decimam & tertiam, (adde Binii, Baronii & Bellarmini perpetuum exscriptorem *Coriolanum*) non adsequendo mentem Honorii & ejus intentionem. Nam, inquit porro *Bailius*, & ea de causa damnata est Epistola Ibæ (etsi multo virulentior) in præcedenti Synodo quinta, quod Theodorum Mopsvestanum laudaret, atque Cyrillum Alexandrinum argueret, sicut & in Epistola Honorius laudat Serhium, è contrario Sophronium, ex Monacho religiosissimo Patriarcham Hierosolymitanum, ac Cyri Alexandrini Monotheliræ capitulis constanter se opponentem, atque ideo Veritatis Catholicæ defensorem acerrimum non plane nihil fugillare videtur, ut per quem inventiones quædam & vocum novarum quæstiones introductæ essent, quam novitatem prætensam, quæ simplicibus posset scandalum præbere, cum auferret Sergius, ipsum laudat. Porro, si Sergium damnat Synodus, & versa vice Sophronium recipit ut orthodoxum, quomodo posset sine contradictione Honorium conspirantem cum Sergio & dissentientem à Sophronio non improbare? Neque etiam tacuit Synodus de Honorio, ut esse neutra posset, cum ejus causa fuerit discussa, & lectæ ejus Epistolæ, ut adeo de eo pronuntiandi necessitas incumberet.

Post Bailium hujus controversiæ examen in Gallia suscepit *Johannes Cabassutius*, iteratam ante hoc decennium edens Conciliorum Ecclesiæ Notitiam, quæ ad hanc Synodum exhibet sequentia: Disceptatur utrum Honorius Papa, hujus nominis primus, qui passim in hoc & sequentibus Conciliis, atque in ipsa S. Papæ Leonis secundi Epistola, simul cum Cyro, Sergio, Pyrrho, Petro, Paulo, Macario nominatim legitur condemnatus, ejusmodi condemnationem sit promeritus? Quæstio hæc omnis de facto est, inquit, coque externo. Neque enim hic agitur, utrum intus animo fuerit hæreticus, sed utrum in sua ad Sergium Epistola, externoque facto fuerit vere reprehensibilis? Equidem Author Annalium conatur eum ab omni culpa purgare, alii è contrario hæreseos eum arguunt. Mea vero est sententia, eum nullatenus fuisse hæreticum, attamen ex pusillanimitate non leviter peccasse, simulatione tunc temporis utendo, quando ex officio incumbebat ei aperte hæresi erumpenti obsistere, ideoque causam tuppeditasse huic Synodo & summo Pontifici suæ condemnationis. Præcipuæ defensionis ejus rationes eruuntur tum ex ipsius ad Sergium Epistola sic contexta, ut quamvis in speciem videatur favere Monothelitarum causæ, possit tamen exponi sensu Catholico; tum etiam ex illa celebri sancti Maximi cum Pyrrho disputatione, in qua Maximus crimen hæreseos ab

Ho-

Digitized by Google

Honorio conatur amoliri, ejuſque Epiſtolam ad Sergium ſenſu Catholico intelligendam ex eo probat, quod poſt ipſius Papæ Honorii & Imperatoris Heraclii obitum Johannes, qui hanc ſub Honorio Epiſtolam ad Sergium manu ſua ſcripſerat, Conſtantinum Auguſtum Monothelitis infenſum literis admonuerat illam Honorii Epiſtolam, dum manu adſerit Chriſti voluntatem & actionem, id tantum ex mente authoris ſignificare, non eſſe contrarias in Chriſto voluntates, ſed humanam Divinæ per omnia obtemperaſſe. Verum Johanni poterat vitio verti Epiſtolæ tam ſuſpectæ ſcriptio, ideo teſtimonium ipſius utpote in cauſa proba merito haberi poſſet pro ſuſpecto. Nihilo minus huic etiam lubens adcedo, ut Honorium ab hæreſi exculem; nec ideo tamen ab omni culpa cenſendus eſt immunis. Hoc vero ſupponendum apud omnes, qui non ſunt illorum temporum Eccleſiaſticæ, atque ut expreſſius loquar, Baronianæ etiam hiſtoriæ rudes & imperiti, Honorium Papam, quo tempore ad Sergium ſcripſit, ignorare non potuiſſe vigentem tunc temporis, graveſque in toto Oriente tumultus ciemem Monothelitarum hæreſin, quam complexi Orientis Patriarchæ & hæreticæ, cui adblandiebantur Imperatoris Edicto freti, atque Catholicos ſibi obſiſtentes crudeliter infectabantur. Jam enim Cyrus in præmium novæ impietatis Heraclio ſatagente ex Antiſtite Phaſidis factus erat Patriarcha Alexandrinus, jamque in Alexandria & omnibus ſibi ſubditis Epiſcopalibus Eccleſiis magna contentione edita, à ſe novem Capitula cum totidem anathematibus curaverat promulgari, in quorum ſeptimo hanc novam quam evidentiſſime proponebat, & acerrime propugnabat. Conſtantinopoli vero Sergius Pſeudo-Patriarcha ſubditorum ſibi Epiſcoporum coacta Synodo in ipſa Civitate Imperiali eandem hæreſin omni ope ſtabiliverat, & Heraclii Eccleſia Præſulum Græcorum ſubſcriptione firmatam toto inſpectante populo pro foribus Templi Sophiæ adfixerat. Tantos rerum motus vel ſola Vulgi fama in Barbaras & remotiſſimas Gentes diſſeminabat, atque ſic etiam multo magis ad aures Pontificis Romani, ad quem ſpectat quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum, ad quem omnes Controverſiæ de fide ſolebant referri; maxime, quando Imperator ipſe, cujus tunc temporis ditioni ac Imperio Roma cum Italia erat ſubjecta, illas excitabat. Quis inſuper neſciat, ſummorum Pontificum conſuetudinem fuiſſe perpetuam, ut ſuos tum Conſtantinopoli haberent apocriſiarios, quamdiu ibi Sedes fuit Imperii, qui omnia ipſis notificarent? Nihil hic immoror circa illas Orientis Provincias, quas olim Pontifices Romani per Vicarios ſolebant regere, utramque puta Cyrum, veterem & novam; Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, utramque Daciam, tam Ripenſem, quam Mediterraneam; Myſiamque, & Dardaniam, quarum meminit in ſuis ad Imperatorem Michaelem literis Nicolaus Papa primus. An enim ex tot Eccleſiis ſaltem aliquis orthodoxus, ſive Prælatus, ſive privatus Sacerdos non extitit ullus, qui tantarum rerum & motuum moneret Pontificem. His autem Orientis Patriarcharum novitatibus ſacrilegis magna jam conſtantia fideique ardore quaſi S. Eccleſiæ murum & propugnaculum oppoſuerat ſeſe Monachus Sophronicus, qui poſtmodum prævalentibus in Palæſtina Catholicis creatus Hieroſolymorum Epiſcopus Orthodoxam in iis partibus procuravit Synodum, in qua hæreſis Monothelitarum fuit damnata. Antequam vero ad Pyrrhum reſcriberet Honorius, Sophronius Monachus adhuc privatus contra hæreſin inſurgentem ſcripſerat ad Cyrum, atque ad Sergium ex remotiore Palæſtina Conſtantinopoli fuerat profectus, poſtquam literis ad eum ſcriptis nihil valuit obtinere. Quin etiam idem Sophronius, Athleta Fidei ſtrenuus & indefeſſus jam ante de his rebus literas ad ipſum tranſmiſerat Honorium, quæ ſæpius in hac ipſa Synodo ſexta commemorantur, & quarum mentio quoque eſt apud Photium Codice poſt centeſimum & triceſimum primo Bibliothecæ. Sane iſta & alia longe plura contigerant ante, quam Honorius Sergio reſcriberet; atque has in cauſa Fidei turbas & molimina, publicaſque illas circa hæc nova religionis dogmata & Imperatoris Edictum toto Oriente promulgatum commotiones poterat fortaſſis ignorare aliquis inte-

Sauromatas, aut inter diviſos orbe toto Brittannos Bubulus vel Agricola, nullatenus, vero in ſublimi univerſalis Eccleſiæ ſpecula conſtitutus à DEO cuſtos & vigil, Epiſcopus Romanus. Deinde, ſanctorum Patrum & ſacrorum Canonum dicit Effatum: Non admittitur excuſatio Paſtoris, ſi Lupus diſpergit oves, & Paſtor neſcit. Sed quia res erat vehementis & urgentis periculi, reſiſtere nefario Principis Edicto, cui Roma cum Italia magna parte obtemperabat, ſiluit, & mali gravitatem diſſimulavit Honorius, verbis uſus ambiguis, ſed tamen in ſpeciem impietati Heraclianæ adſtipulantibus. Defuit officio ſuo, & non adſcendit ex adverſo, neque oppoſuit ſe murum pro domo Domini, ut ſtaret in prælio; atque conſtitutus ſpeculator vidit gladium venientem ſuper terram, & non inſonuit Buccina. Poſt Sergium vero interpellantem, qui flagitioſum Principi ſuggeſſerat Edictum, ſtatimque promulgatum Pſeudo-Synodo Epiſcoporum confirmaverat, in propoſito ſibi ex metu ſilentio perſiſtere Honorio grande creaſſet diſcrimen; Sergius quippe Imperatori adſtabat aſſiduus, qui ſua contemni Edicta iniquiſſimo tuliſſet animo. Cum igitur, uti teſtantur liquido Hiſtoriæ Miſcellæ author Paulus Diaconus, Cedrenus itidem & Zonaras, inter tot tantaſque toto orbe ex Monothelitarum hæreſi, quam Imperator & major Epiſcoporum Orientalium pars fovebat atque promovebat, excitatas orthodoxorum divexationes, Sophronius animum haud deſponderet, ſeque Belli ſacri quaſi Matathias alter, ſtrenuum atque intrepidum ducere exhiberet, tum demum Sergius, cui perſpecta dudum erat Honorii puſillanimitas, hunc interpellat, & apud eum conqueritur de Sophronio, quod duarum in Chriſto voluntatum & operationum adſeveratione totum perturbaret orbem. Hic jam quæro, quid reſpondere debuerit Honorius ſceleratiſſimo, totique orbi notiſſimo hæreſiarchæ, qui Virum ſanctiſſimum eo tantum nomine deferebat, quod inconcuſſam Eccleſiæ fidem circa diſtinctas Chriſti voluntates intrepide tueretur & propugnaret adverſus novum & profanum dogma Monothelitarum, quod ipſe Sergius invexerat & undequaque propugnabat. Ille vero tanquam Mercenarius & non Paſtor vidit Lupum venientem & fugit. Sergio enim Pontifex Romanus hoc ipſum reſpondit, quod Papa Martinus cum Synodo Romana tantopere execratur in Principe Laico Conſtante, nimirum, ſupprimendas eſſe voces unius aut duarum in Chriſto Voluntatum & operationum; ſubjungitque, quod ipſi peræque profitebantur Monothelitæ, duas eſſe in Chriſto diſtinctas & inconfuſas Naturas, ſed tandem, ut ſe ſtudiis Monothelitarum, unicam in Chriſto voluntatem & operationem admittentium, adcommodaret, ita concludit unum eſſe Chriſtum Dominum, Divina vel humana in utriſque Naturis operantem, ut nimirum hac verborum eluſione illorum declinaret inſertationem, tametſi ipſa eadem Catholicum, ſed ab illa quæſtione alienum exprimerent ſenſum. Hæc Epiſtola Honorii fuit lecta in ſextæ Synodi actione poſt decimam quarta, deinde lecta etiam fuit Epiſtola Pyrrhi ad Johannem Romanum Pontificem, qua concertationes de Chriſti voluntatibus vituperat; quibus Epiſtolis duabus perlectis Synodus ambas declarat pernitioſas, & igne jubet abſumi. Eadem Synodus poſt finem actionis poſt decimam ſextæ anathema pronuntiat Theodoſio Pharanitano, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, aliiſque, quos omnes dicit hæreticos. Cum vero juſta Honorium condemnandi cauſa ſubſit, & iſta condemnatio, ſingulariter poſt lectam hac in Synodo ipſius Epiſtolam pronuntietur, & ſubinde iterum cum aliis promiſcue Monothelitis; & cùm non modo exemplaria Græca, ſed Latina etiam Tranſlatio, quam contexuit ipſe Leo Papa, qui primus Synodum hanc Apoſtolica authoritate probavit ac roboravit, quod præſtare non valuerat Agatho, à quo fuerat invicta, morte ſcilicet præventus; præterea, cùm ipſe Leo in ſua, quæ Synodo ſubjicitur Epiſtola de Honorio ſic loqui non dubitet, nimirum, quod Apoſtolicam ſedem non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtraverit, ſed profana proditione Fidem immaculatam ſubvertere conatus fuerit; idemque Leo Pontifex altera ad Regem Hervigium Epiſtola, atque ad Epiſcopos Hiſpaniæ memoriam Honorii iterato damnet; cumque inſuper hæc eadem Honorii

Digitized by Google

norii damnatio nominatim iteretur duabus Synodis ſequentibus œcumenicis, ſeptima & octava tam in Græcis, quam in Latinis Exemplaribus antiquiſſimis, atque adeo illis ipſis, quæ temporum illorum author, Anaſtaſius Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius, harum Synodorum tranſlator edidit, ac ſeptimæ tranſlationem dedicavit Johanni Papæ octavo, octavæ vero editionem Adriano Papæ ſecundo; ac idem Anaſtaſius, qui conſedit inter Synodi octavæ Patres, ac ita geſtorum in ea teſtis fuit oculatus, omnique major exceptione, & hujus Acta, quibus interfuerat, Latino conſcribens ſermone, recenſeat Actione decima, Honorium unà cum Cyro, Sergio, aliiſque à Synodo damnatum & reprobatum, nimiæ fuerit ſane ex addictione partium pertinaciæ, tam multa, tam antiqua, tam ſancta, tam aliena ab omni ſuſpicione teſtimonia toties iterata rejicere, non modo Græcorum, ſed etiam Latinorum, Leonis Papæ & Anaſtaſii, quorum ille Synodum ſextam primus adprobavit & tranſtulit, hic vero in una Synodo conſedit, quæ ipſo eodem teſte Honorium damnavit. His adde Adrianum Papam ſecundum, & Concilium Romanum, cui præſidebat Adrianus, qui ſimul damnarunt Honorium ut Monothelitam, & referuntur, atque adprobantur in octavæ Synodi actione ſeptima. Martinus Pontifex tranſmiſſum ad ſe ab Imperatore Conſtante Typum in Concilio Lateranenſi reprobavit, neque dubitavit, exilium & mortem hac de cauſa ſubire. Quid vero Conſtantis Edictum continebat? Hoc unum, ut communis Pacis gratia omnes à profeſſione, ſeu unius, ſeu duarum Voluntatum Chriſti abſtinerent. Uter igitur laudandus aut vituperandus? Honoriuſne hoc ipſum ſponte decernens, quod Typus Conſtantis; an Martinus in Concilio Lateranenſi, qui Martyrium potius ſubeundum, quam Typum judicavit admittendum? ſi laudandus eſt Martinus, uti citra omnem eſt dubitationem, ergo damnandus eſt Honorius. Pyrrhi etiam Epiſtola in hac Synodo ſexta fuit anathemate notata, eo quod adſereret, removendas eſſe omnes in utramvis partem, ſive unius, ſive duarum Voluntatum concertationes, ut Pax ſervaretur. At hoc ipſum decernit Epiſtola Honorii, & aliquid quoque ſuperaddit, quod in ſpeciem propendere videtur in favorem Principis Monothelitarum Sergii, ad quem Epiſtola fuit directa, etiamſi hoc ipſum, ut ante fuit obſervatum ſenſu Catholico poſſit exponi. Simliter Zeno Imperator, ſtudio, ut prætexebat, communis Chriſtianorum concordiæ, promulgavit Edictum, quod ideirco vocavit Zenoticum, id eſt Reconciliatorium ſanciens, ne ulla deinceps fieret adſertio, ſive unius, ſive duarum Chriſti Naturarum, eo quod illa diſputatio innumeras pareret orbe toto diſſenſiones, ut ſperandum eſſet, ea conſopita reconciliationem animorum ſecuturam. Et tamen, quantam commeruit laudem Felix Papa tertius, qui coacto pariter Concilio hoc damnavit Honorium; quantum vero nomini ſuo labem adſperſerunt, Acacius Conſtantinopoli, Petrus Moggus Alexandriæ, Petrus Tullo Antiochiæ, & poſt hunc Severus, cæterique Epiſcopi, quotquot in Henoticon illud conſenſerunt. Quantæ item perfidiæ rei ſunt judicati in Eccleſia DEI omnes illi ſub Conſtantio Imperatore Epiſcopi, qui ab Arianis eluſi in Synodis Sirmienſi & Ariminenſi formulas Fidei ab Arianis profectas adprobaverunt, etiamſi nihil in eis legeretur hæreticum, ſed communis concordiæ gratia tam Arianorum voces, alterius, diverſæ aut diſſimilis Subſtantiæ, quam Catholicorum vox, Conſubſtantialitatis, ſupprimebatur? Eſt enim memorabile documentum illud Martini Pontificis in Concilio Romano, perfidam & damnabilem eſſe Pacis ineundæ conditionem, qua Doctrina orthodoxa perinde ac hæretica ſupprimitur, cum in Libro Levitici Dominus commoneat Sacerdotes, ut habeant Scientiam diſcernendi inter Sanctum & profanum, inter pollutum & mundum. At, opponet aliquis fortaſſe ipſius Sophronii Exemplum, ſuppreſſioni unius aut duarum Voluntatum conſentientis. Verum, quis rei hujus teſtis? Sergius videlicet, in ſua ad Honorium Epiſtola, à quo eandem poſtulavit adprobari ſuppreſ-

preſſionem. Dignum utique patella operculum! Teſti etiam honeſto in ea, quam proſequitur, cauſa creditur minime; infamis vero & flagitioſi teſtis depoſitio quavis in cauſa habetur pro nulla. Quis ergo fidem habeat hæretico, infami, excommunicato & ſcelesto, circa cauſam teſtificanti, quam adfectu improbo proſequitur? Quin potius contraria proferimus teſtimonia, omni exceptione majora videlicet, ipſius Sophronii Synodicas ipſius ad Sergium & Honorium Epiſtolas, in quibus duas in Chriſto voluntates & actiones conſtanter prædicat, uti & hujus Synodi ſextæ teſtimonium, hanc eandem Sophronii circa diſtinctas in Chriſto voluntates Fidem & certamina non ſemel prædicantis. His tamen circa Honorii lapſum opponitur à non nullis ipſa Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem Epiſtola hujus Synodi quartæ Actioni inſerta, in qua adſeverat, Eccleſiam Romanam à tramite traditionis Apoſtolicæ nunquam aberraſſe, neque novitatibus hæreticis depravatam ſuccubuiſſe, ſuoſque prædeceſſores juxta Domini pollicitationem à Fide nunquam defeciſſe, quin potius in ea fratres confirmaſſe. Verum, ſicut illa Chriſto ad Petrum adſeveratio, rogavi pro te &c. non obſtat, quin ipſe Petrus paulo poſt negaverit Chriſtum; ita nec Agathonis adſertio circa fidem prædeceſſorum ullatenus obſtitit, quin aliqui eorum, ut ipſi teſtantur Baronius & Bellarminus, contra debitam Fidei profeſſionem graviter peccaverint, ut Marcellinus, quod thus idolis adhibuit, & Liberius, dum Arianis in Synodo Sirmienſi facto proprio & ſubſcriptione conſenſit & palam communicavit. Simili pariter infirmitate cecidit Honorius, non quidem, ut probabile eſt, animo fidem abdicando, ſed tamen delinquendo adverſus officium Fidei profitendæ. Denique, ne quid intactam relinquatur, urgent aliqui, prorſus credibile non eſſe, ſi Honorius à Concilio fuiſſet damnatus, Legatos Romanos pro officio nihil in oppoſitum reclamaſſe. Negamus enim, prorſus id fuiſſe ipſorum officii; nec enim decebat eos contra jus ipſum adfectu privato abreptos odioſam & ſuſpectam facere Orientalibus Eccleſiam Romanam, quo tempore ipſi Orientales ingenue multorum Patriarcharum ſuorum damnationi ſuffragabantur. Quin etiam fieri potuit, ut Legati non plane nihil reclamarint. Sed quia id ſpecietenus & dicis cauſa fecerunt, (ſi factum) & ipſa ſuaſit prudentia, grande diſcrimen impendere, ſi ulterius inſiſterent, idcirco non fuit ulla Reclamatio Synodi Actis inſerta. Proclives nimirum erant Orientales ad æmulationem quandam erga Eccleſiam Romanam, ut docet aperte non modo ſubſequentium, ſed antecedentium quoque Seculorum experientia. Perſpicuum eſt enim ex præcedentibus œcumenicis Orientalibus Synodis, duabus Conſtantinopolitanis & una Chalcedonenſi, Orientales non pauca fuiſſe molitos ex æmulatione erga Latinos & Sedem Romanam. Quanta igitur exarſiſſent indignatione adverſus eoſdem, ſi, cum ipſi tanta facilitate tot Patriarcharum ſuorum damnationi adquieſcebant, Romani pervicarius obſtitiſſent, ne unus Papa in eadem cauſa, licet, ut exiſtimo, minoris culpæ reus, merita damnatione cum aliis perſtringeretur? res certe in diſcrimen graviſſimum fuiſſet redacta, ut ex nimia Legatorum Romanenſium pertinacia Orientales animis alienati recuſarent, eorundem Exemplo quodquam adverſus proprios Antiſtites decernere. Unde contigiſſet, ut Synodus præter ſpem humanam feliciſſime inchoata per diſcordiam & ſchiſmata exitu infelici dirimeretur, & ipſa hæreſis majoribus creſceret viribus, ipſaque Eccleſia diſcinderetur.

Poſt hunc quoque in hanc deſcendit arenam *Chriſtianus Lupus*, nihil in ſe deſiderari volens, quo minus ſuper hac Quæſtione mentis ſuæ ſenſa proderet, id quod præſtitit in ſuis ad ſextam Synodum Notis, quibus ultimam hanc adjunxit Controverſiam, ſua methodo decidendam. Eam his proponit verbis, An Honorius Pontifex revera fuerit à Synodo ſexta damnatus? Ait, eſſe Quæſtionem ſcabroſam, in qua malit alios audire. Pergit tamen & obſervat, pro parte affirmativa facere authoritatem præſentium Actorum ſynodalium, quæ binas Honorii ad Sergium literas maturiſſime diſcuſſerint, ſuper illis deliberarint, & tandem una cum perſona damnarint, damnationem quoque

Fidei

Digitized by Google

Fidei Decreto inſeruerint, quam itidem laudarit Sermo adclamatorius ad Principem, uti & Relatio Synodalis ad Agathonem, literæ inſuper Imperatoris Conſtantini ad eundem ac Leonem ſecundum, porro Anaſtaſius in vita ejuſdem Leonis, Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in literis ad Eccleſiam Alexandrinam, Antiochenam ac Hieroſolymitanam in ſeptimæ Synodi Actione tertia lectis & probatis, Theodorus Patriarcha Hieroſolymitanus in literis Synodicis ibidem lectis ac probatis, cui adcedat ipſa Synodus ſeptima in Fidei Decreto per Eccleſiam Romanam confirmato, & in Sermone ad Principes Conſtantinum & Irenen adclamatorio, atque in literis ad Eccleſiam univerſam directis, ſequente Synodo octava generali, & ante eam Adriano Pontifice hujus nominis ſecundo in Synodo Romana adverſus Photium habita apud hanc octavam lecta & adprobata, ipſamet tandem hac Synodo ſexta in relatione ad Agathonem adfirmante, damnatum fuiſſe Honorium, cum expreſſa ejus, id eſt, Agathonis licentia, cui præcipuum pondus addat antiqua Pontificis Romani profeſſio damnans expreſſe Honorium. Sed monet, pro parte negativa facere ipſas haſce literas, in quibus idem Pontifex ac Synodus Romana ab eo celebrata Honorium ab omni hæreſi expurget, lucide, vetentque damnari ullum, niſi à ſe aut Lateranenſi Pontificis Martini Synodo damnatum, inter quos certum ſit non fuiſſe Honorium, ac credendum non eſſe, momentiſſimum hunc Mandatum à Legatis ſpretum fuiſſe aut neglectum; atque hinc Baronium credere, Acta Synodalia à dicto Patriarcha Theodoro eſſe falſata, utpote qui in Eccleſiam Romanam implacabilis pro ſuo nomine eraſo Honorii nomen inter damnatas inſcripſerit, id agens cum Synodo præſenti, quod antehac Theodorus Cæſarcenſis in Cappodocia Archiepiſcopus & Juſtinianus Imperator egerint cum Synodo Chalcedonenſi, eam adſeverantes eſſe purgandam à nævo trium Capitulorum, quamvis hic Theodorus Synodum hanc ſextam non purgandam, ſed ſupplendam eſſe ſibi perſuaſerit addita Honorii damnatione, quam ſuſceperit per Principem ac detentos Pontificis Romani Legatos, errore hoc poſt etiam ad ſeptimam & octavam Synodos propagato. Verum, dura ſunt iſta, ſcribit Lupus, quæ videlicet Legatos Apoſtolicos arguunt manifeſtæ in re longe graviſſima prævaricationis. Quomodo enim Anaſtaſius in vita Johannis quinti, unius è Legatis, eos reducens adfirmat ab omni Eccleſia Romana ſuſceptos ſuiſſe omni cum gaudio tanquam ob vices Apoſtolicas feliciſſime geſtas? Et quando dicit idem de Leone ſecundo, quod ſuſceperit Synodum ſextam, in qua damnati ſunt Cyrus, Sergius & Honorius? Quis Theodorus Librum Pontificalem vitiavit? Proinde labitur Bibliothecæ Photianæ Scholiaſtes, adfirmans, dictæ impoſturæ Anaſtaſium palum adverſari. Quomodo præterea nullus unquam Pontifex Romanus, vel nullus per ea tempora ſcriptor Eccleſiæ hanc impoſturam detexit, arguit, abraſit? Adrianus certe dicens, de Apoſtolicæ Sedis licentia damnatum eſſe Honorium, omnino locutus eſt ex authenticis Eccleſiæ Romanæ archivis. Quis inſuper eum intruſit in Pontificis Romani profeſſionem, à qua damnatur, non quidem ut hæreticus, ſed tanquam talis, qui hæreticæ pravitati præbuerit fomenta. Nimirum, atque hæc eſt Lupi Deciſio & ſententia quaſi inter utrumque media & conciliatrix, Apoſtolici ad Græcorum Synodos ac Principus Legati duplicia paſſim a Pontifice Romano acceperunt Mandata vel Commonitoria aut Inſtructiones, publica ſeu patentalia, & ſecreta. Liquet hoc ex Regeſto ac Epiſtolis Hormiſdæ Pontificis, quas inter etiamnum extat ſecreta Inſtructio data Legatis ad Anaſtaſium & Juſtinum Auguſtos, ac probari etiam poſſet ex literis Gregorii ac Leonis Magnorum. Quapropter duplicia etiam habuerunt Mandata Legati ad Synodum præſentem. Publica ſeu patentalia mandabant damnari ſolas à Martino & Agathone damnatas hæreticorum perſonas, lucideque Honorium exprimebant. Verum, quid ſi orthodoxi Græcorum Epiſcopi illum in profanis hæreticorum diptychis ubique radiantem velint damnatum, alias in Eccleſiarum Pacem non conſenſuri? Eum quippe ut ſuum ebuccinarant ubique mandaces Monothelitæ, & plurimis id etiam orthodoxis perſuaſerant. Hoc ergo in caſu ſecreta Legatorum inſtructio cum

diſpenſatorie damnari & pro plurimorum ſalute immolari, utpote qui aliquid cauſæ dederat, præmiſit. Et ita eſt omnino factum, eoque reſpexit omnino Adrianus, ajens, Honorio poſt Mortem anathema dictum non ab Eccleſia univerſa, ſed ab Orientalibus; Romana namque & omnis Eccleſia Latina ad Anathema iſtud ſolummodo tacuit diſpenſatorie & diſſimulavit, & hinc ipſum ſuis Synodi confirmatoriis Leo etiam inſeruit. Huic ſubjungit Lupus aliam adhuc Quæſtionem, an videlicet hæ Leonis Epiſtolæ tam ad Conſtantinum Imperatorem, quam ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſint legitimæ, cur illas Baronius quoque tanquam ſpurias & ſuppoſitas rejiciat, & quidem primam tribus argumentis, primo, quod dicat, à Conſtantino Imperatore ſcriptum pro Synodo habenda ad Agathonem, cum tamen fuerit ſcriptum ad Donum ejus præceſſorem. Secundo, quod ſibi adverſetur in tempore & indictione, cum data ſcribatur Nonis Maii, indictione decima; & tamen Imperatoris, quibus reſpondet, literas Romam advenisſe dicit Menſe Julio ejuſdem indictionis, atque hinc data eſſe debuit non decima, ſed duodecima indictione. Tertio, quod poſt damnatum cum Monothelitis Honorium addat, & omnes, qui in errore ſuo ſunt defuncti, ſimiliter anathematizamus, utpote quibus verbis videtur adſeri, Honorium in errore defunctum, quod tamen à vero & Leonis pietate penitus ſit alienum. Poſteriorem vero ſub Leonis nomine Epiſtolam quaſi ſuppoſititiam arguere hæc verba in ea, quæ ſignificant, quod de diverſis Conciliis Sedi Apoſtolicæ ſubjacentibus Archiepiſcopi ad ſextam hanc Synodum à nobis ſint deſtinati, cum tamen nullus fuerit miſſus Archiepiſcopus, ſed tres duntaxat Epiſcopi, nec ii à Leone, ſed ab Agathone miſſi. Verum, reſpondet Lupus, hæc non convincere, ad primum obſervans, ab Imperatore Conſtantino pro habenda Synodo fuiſſe ſcriptum omnino etiam ad Agathonem, diſerte id adfirmante ipſo Principe in literis ad Leonem ſecundum, & Gregorio Pontifice ſecundo in literis ad Leonem Iſaurum, teſtante, Principem à Georgio Patriarcha perſuaſum ſcripſiſſe, qui tamen ſedere non experit, niſi ſub Agathone. Ad ſecundum, diem & Conſulem, quod & ipſe fateatur Cardinalis, facillime olim ab imperitis aut negligentibus librariis fuiſſe in numero vitiatos. Ad tertium, clauſulam illam nequaquam extendi neceſſario etiam ad Honorium. Quoad Epiſtolam poſteriorem, miſſos etiam eſſe Archiepiſcopos, ut per Legatos, adfuiſſe enim Legatum Archiepiſcopi Ravennatenſis, & miſſos tres Epiſcopos tenuiſſe vices omnium per Occidentem & Septentrionem Archiepiſcoporum; verba autem illa, à nobis, idem ſignificare, quaſi fuiſſet ſcriptum, à Romanis Pontificibus, atque rem hanc eſſe lucidam, nec Exemplis egere. Inſuper Epiſtolam priorem à Paulo hujus nominis Pontifice quinto, tanquam Synodi confirmationem legitimam typis Vaticanis non ita pridem edi juſſam eſſe. ***Hæc illi poſt Launojum Triumviri***, qui, quamvis non in omnibus cum Launojo, nec ſecum ipſis conveniant, multa hic & ibi proponentes diſſentanea, quæ prolixius examinare, aut in juſtum ordinem redigere, præſentis Inſtituti ratio non patitur, id tamen uno teſtantur ore, privilegium non errandi in perſona Honorii non ita fuiſſe fixum, ut Synodus ſexta non juſtam habuerit cauſam, ejus nomen hæreticorum numero adſcribendi, ac Epiſtolis ejus condemnandi, quod contra Bellarminum Launojus ſuſcepit demonſtrandum.

Additionis Continuatio.

HIſce è variis Authoribus pro Launoii contra Bellarminum Cenſura congeſtis ad manus venit recens edita Pariſiis Monothelitarum Hiſtoria, Scrutiniis octo comprehenſa, opus poſthumum ***Johannis Baptiſtæ Tomagnini***, Veneti, Philoſophiæ ac Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, de quo Typographus ad Lectorem teſtatur, quod diu Romæ vixerit, tantumque profecerit in Studiis ſeverioribus ac Eruditione

Digitized by Google

ne Sacra & profana, ut Franciſcus Barbenius ac Sfortia Pallavicinus, Cardinales ſummam de eo conceperint expectationem. Junctum eſt autem hoc opuſculum proximo poſt primam Editionem anno, ſed abſque Authoris ulla mentione, præfixa tamen Dedicatione ſolemni, *Natalis Alexandri* ſelectis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Diſſertationibus, quem in finem, hic non opus eſt diſcutere. Author ipſe ſub finem Præfationis teſtatur, præcipuum ſibi ſtudium fuiſſe, ut Honorii Pontificis vindicetur orthodoxia, ejuſque Epiſtolæ ſuperſtites in Actis ſextæ Synodi probentur Catholicæ, ſimul tamen, ut etiam infallibilitas Conciliorum mordicus aſſeratur, & caſtitas ſextæ Synodi in facto Honorii probabiliter admittatur, non dubitans, ſufficientia ſibi eſſe in promtu ad utrumque ſatis bene copulandum fundamenta. In gratiam Veritatis erit operæ non plane nullius pretium huc aliqua excerpere, ac videre, quid in hac Controverſia dignum notatu præſtiterit Italus hic Scriptor, labori huic immortuus. Primo Scrutinio prætermiſſo, quod generalia quædam Prolegomena continet, poſtquam in ſecundo monuit, Sergium Monotheliſmi primum authorem, ut Occidentem quoque eodem Veneno, quo Orientem conficeret, ac Honorium quacunque poſſet arte traheret ad ſuas partes, literas ad eum ſcripſiſſe, utque illum promtius illaquearet, ubique Pietatem ſimulaſſe, ſed multa in eis calumnioſe mentitum, non pauca fraudulenter confudiſſe, nec minora ſuppoſuiſſe, licet abſona Fidei, addit, cum Sergio mitius æquo viſum eſſe Honorium egiſſe, neque, ut oportebat, illius errores & calumnias confodiſſe, inſuper non pauca commiſcuiſſe in reſcripta ad illum Epiſtola, atque ſatis obſcure & ambigue locutum præbuiſſe anſam Orientalibus illum calumniandi, & tanquam patronum & fautorem Monotheliſmi capere, licet invitum. Nihil quippe poterat illis, videlicet Monothelitis, eſſe ſpecioſius, ac inde optabilius, quam Pontificem Romanum, nomen univerſo orbi adoratum (vel potius ex nutu proprio adorandum) jactare pro ſe, & ſibi Magiſtrum adſumere, quemadmodum Pyrrhus, Paulus & Macarius non raro in ſuis gloriantur Scriptis. Fateor interim ingenue, mihi nunquam potuiſſe perſuaderi, quod non ignobiles Hiſtorici & Controverſiſtæ, præſertim vero *Albertus Pigbius*, ſupponere viſi ſunt tanquam certam, Monotheliſmum ab Honorio percuſſum anathemate cum Monothelitis fuiſſe. Ecquis enim crediderit, Johannem quartum, Honorio coævum, ac ejus Succeſſorem in Epiſtola ad Conſtantinum, quæ, inter Anaſtaſii Collectanea refertur, in qua totis conatibus vindicat Honorium, de ejuſmodi damnatione ne quidem verbum fuiſſe prolaturum, cum omnia prorſus ibidem congerat argumenta ad illum excuſandum, omiſſurus minime Anathema Monothelitis inflictum, ſi de hac probabiliter conſtitiſſet, eo vel maxime, quod abſque dubio iſta damnatio fuiſſet ineluctabile jugulum petulantiæ Monotheliticæ. Quid vero dicemus de Maximo & Anaſtaſio? Ambo proximi fuerunt Honorio, & ejuſdem propugnatores egregii, conſcribentes pro eodem Apologias, ac nihil pro ejuſdem defenſione relinquentes intentatum; & tamen de commentitio hoc anathemate altum eſt in illis ſilentium. Non abnuo, Maximum in Epiſtola ad Petrum Honorii diligentiam in Monothelitas adhibitam indicaſſe. Adſit, ut arbitrer, Honorum manibus pedibuſque in Monotheliſmum incidiſſe, cum præſertim conſcius ſim, Martinum ſuorum Anteceſſorum vigilantiam in facto Monothelitarum ita extuliſſe, ut viſus fuerit ipſum pariter Honorium comprehendiſſe. Hæc inquam omnia concederim ſponte, cum præſertim ex his nullo pacto valeamus eruere, Monotheliſmum ab Honorio damnatum fuiſſe; diligentiam namque Honorii in hæreticos adhibitam explicuit Agatho in Synodica, ſcilicet longe aliam fuiſſe eam à commentitio anathemate Monothelitis, ut inquiunt, inflicto. Hac in Epiſtola dum Agatho ſcribit, Prædeceſſores ſuos monuiſſe Præſules Conſtantinopolitanos, ut à pravi dogmatis errore hæretico *ſaltem tacendo* deſiſterent, exprimitur apte Honoriana ſilendi œconomia, cum ſolus inter Pontifices Honorius ſilentii Monothelitici diſpenſationem fuerit amplexus. Ex his ergo de hac veritate ſum adeo perſuaſus, ut potius renuntiatim au-

thoritati (ſi quæ forſan violenter ad illud probandum raperetur) Theophanis, Cedreni & Zonaræ, quam adſentiri, Monothelitas ab Honorius fuiſſe damnatos, cum de hoc ne minimum adpareat in Johanne quarto, Maximo & Anaſtaſio, acerrimis & proximis Honorii vindicatoribus veſtigium Non abs re dixi, *ſi quæ forſan violenter ad illud probandum raperetur*; quia id, ſi Græci Authores æqua lance ponderentur, non ita facile deduceretur, ſcilicet Honorium Monothelitis anathema dixiſſe. Quamvis enim in verbis Cedreni, quibus commemorat, quod, cum Imperator Heraclius Sententiam Monothelitarum ad Johannem Papam Romanum perſcripſiſſet eſſe eam ab illo improbatam, neceſſe videatur dicere mendum irrepſiſſe, & loco Johannis ponendum eſſe nomen Honorii, quod tamen non eſt neceſſarium, cum nihil inde ſequatur incommodi: adhuc inferri non poteſt, Monothelitas ab Honorio, damnatos eſſe. Si enim verba Cedreni fideliter è fonte Græco traducantur, ſic ſonant, quod Honorius Sententiam Monothelitarum non receperit, quod ſane veriſſimum eſt, & apud me indubitatum, ſcilicet Honorium, & à fortiori Johannem non recepiſſe, ſive non adprobaſſe Monotheliſmum, Unde phraſis illa, quæ legitur in Cedreno, Monothelitarum Sententiam ab Honorio (vel Johanne) improbatam eſſe, ita videtur explicanda, eam non fuiſſe probatam, quod uti veriſſimum admitto. Dum vero Cedrenus paulo poſt dicit, Sophronium Acta Concilii contra Monothelitas ad Sergium Conſtantinopolis & Johannem Romæ Epiſcopos miſiſſe, fateor ingenue, mendum irrepſiſſe, ac Sophronium non ad Johannem, uti Cedrenus ſcribit, ſed ad Honorium direxiſſe Synodicam, cum Sophronius non tantum ante Johannem, ſed etiam tribus circiter Annis ante Honorium fatis conceſſerit. Nullo autem jure poterit ex hac authoritate Cedreni aliud quid inferri, quam Honorium recepiſſe Sophronii Synodicam, quod ultro conceſſerim. Si autem forte quis dicat, ex ſequentibus Cedreni verbis id erui, quando Johannem Papam Romanum Synodo congregata hæreſin Monothelitarum eſſe deteſtatum ſcribit, exiſtimans, modo eodem Johannis loco Honorium eſſe reponendum, in hoc aperte decipietur. Ponit enim ibi Cedrenus Synodum Johannis poſt Eutheſeos promulgationem, poſt obitum Sergii, poſt electionem Pyrrhi, quæ omnia certe Honorio jam defuncto contigere; ac proinde Synodus illa, de qua loquitur Cedrenus, uti & Theophanes, ſub Honorio nequaquam potuit contigiſſe, cum præſertim paulo poſt addat, Johanni Papæ mortuo Theodorum fuiſſe ſubrogatum, ex quibus aperte liquet, nullum hic in Cedreno errorem irrepſiſſe, ſed ipſum vere de Johanne, non autem de Honorio, cui Severinus ſucceſſerat, eſſe locutum. His addo, quod, ſi ſublato Johannis nomine ſubſtituamus ubique Honorium in authoritatibus Cedreni, uti & Theophanis, eique pariter tribuamus Concilium, immerito Johanni deinde Synodum tradiderimus, cum id, de quo ſilet Anaſtaſius, præcipue conſtat ex hac authoritate Cedreni & Theophanis, eique pariter tribuamus Concilium, immerito Johanni deinde Synodum tradiderimus, cum id, de quo ſilet Anaſtaſius, præcipue conſtat & authoritate Cedreni & Theophanis. Cum ergo Baronius cæterique communiter jure optimo conſignent Synodum Johanni, non eſt, cur ejus nomine ſublato Honorium in præcitatis Græcorum authoritatibus reponamus; fiet enim inde, ut Johannes ſua privetur Synodo, quod à veritate eſt alieniſſimum. Neque hic omittendum, quod Cedrenus & Theophanes, dum hæc Geſta Monothelitarum evolvunt, ſatis indiſtincte res involvunt, & uni tribuere videntur, quæ ſub aliis evenerunt. Unde hi ambo Authores narrato Johannis Concilio ſubdunt immediate, idem factum in Africa, Numidia & Mauritania, & poſt hæc narrant Johannis obitum & electionem Theodori, cum tamen certum ſit è Concilio Lateranenſi, has Synodos ſub Theodoro celebratas fuiſſe, ad quem directæ ſunt etiam Synodicæ. Rurſus idem Cedrenus ibidem Johannis ſucceſſorem facit Martinum, cum inter hos mediet Theodorus, quem ipſomet agnoſcens errorem ſtatuit alibi Theodorum fuiſſe Johannis ſucceſſorem. Præterea Martino ſubſtituit Agathonem, cum inter utrumque ſederint Eugenius, Vitalianus, Adeodatus & Donus, de quibus omnino

ſilet,

filet, cum tamen egregia, nec admodum pauca fuerint executi adversus Monothelitas. Quam ob rem ita illis Authoribus uti debemus, ut sano sint accipiendi judicio, ne, si adfectu nimis indiscreto illos examinemus, in incommoda præcipites irruamus. Majus vero specimen difficultatis prima facie videtur exhibere Zonaras, scribens, quod Sophronii Sententiæ Synodali Johannes Papa sit adsensus, Imperator autem proposuerit Edictum, neque singularem, neque binariam in Christo actionem esse adserendum. Quibus in verbis non dubito dolendum esse nomen Johannis, & substituendum Honorii, cum sit certum, Johannem esse electum Pontificem post Ecthesin sive Edictum ab Imperatore propositum, nec nisi Annis quibusdam ab obitu Sophronii elapsis, uti apud omnes est indubitatum. Nihilo minus adhuc electo Johannis nomine, & loco illius nomine Honorii posito, nihil aliud ad summum ex hac Zonaræ authoritate (quæ non est aliunde) plurimi faciendas deducitur, nisi, Johannem seu Honorium in hoc adsensum esse Sophronio, quod, verissimum est, Honorium sensisse, ut ipse tradit aperte in Epistola ad Sergium. Ecquis autem non videt, ex his inferri non posse damnationem Monotheliſini. Hæc autem omnia ex eo breviter, sed valide confirmantur, quod Honorii nomen in Diptychis à Monothelitis maximo honori habebatur, uti adfirmat Imperator Constantinus in Epistola ad Donum. Inde fit improbabile, Monotheliſinum ab Honorio fuisse damnatum. Nullo quippe modo toleraſſent Monothelitæ, ut Honorius poneretur aut positus retineretur in Diptychis, si semel ab eo fuissent anathematizati; cum sit certum, neminem ex Successoribus Honorii, à quibus aut damnati aut reprehensi fuerunt, in Diptychis fuisse repositum. Quin imo cum Imperator Constans, adfectus à Vitaliana honoribus, illum scilicet Vitulianum reposuisset in Diptychis, tamdiu Monothelitæ sunt reluctati, quamdiu fuit illinc obliteratus; acturi profecto priora in Honorium, si ab eo fuissent anathematizati, quem etiam nullatenus Magistrum jactitaſſent, nulloque fundamento ab eo quæsiviſſent patrocinium. Ex his liquet abunde, damnationem in Monothelitas factam à Honorio simplici magis in Honorium adfectione probari, quam rationibus, quibus omnino destituitur. Hæc Doctor Venetus in Scrutinio secundo habet præter alia. In tertio agens de Synodo sexta aperte monet, in ea non tantum dogmata Monothelizarum esse damnata, sed etiam personas, interque alias Honorium quoque, finita autem Synodo Exemplaria ejus ad Sedes Patriarchales esse decreta, ac unum inter ea Romam, quod defuncto jam Agathone pervenerit ad Leonem secundum, qui Acta Synodi candida suscipiens non solum illa confirmaverit quoad hæreseos præscriptionem, sed etiam quoad personarum, ac præsertim Honorii damnationem, in eum semel, iterum & vice tertia graviter invectus. Et quamvis in Epistola ad Constantinum phrasibus utatur, quibus usa est Synodus in damnatione Honorii, negari tamen non potest, quod eas limite, alibi, Honoriumque potius insinulet pinguis negligentiæ & culpabilis conniventiæ, quam hæreseos. Post verba ex Epistola hac ad Constantinum, uti & alia ad Episcopos Hispaniæ, iterum alia ad Erevigium Regem Gothorum adducta pergit: Hæc in Honorium Leo secundus, quæ ut penitus eludant zelantes Honorii vindicatores, aliqui confictas, aliqui violatas ab hæreticis hasce tres Epistolas adfirmant. Nos autam illhæc adserere non audemus, ne videlicet authoritatem omnium Epistolarum Pontificum Romanorum evertamus, aut saltem enervemus, in quod absurdum fas est impingere, si ea semel via incesserimus. Prætermisso nunc Scrutinio quarto, quod circa Monothelitarum opinionem describendam occupatur, quinto itidem, quod Honorium ab ea alienum satagit defendere, in sexto, quod de Synodi sextæ contra Honorium æque ac Monothelitas Decreto agit, post recensionem eorum, qui de hac quæstione controversa scripserunt, Honorium vel accusantes, vel excusantes, quoad prætensam actorum Synodi à Græcis & Latinis corruptionem ita suam explicat mentem: Cum in omnibus omnino exemplaribus Græcis & Latinis; tum editis, tum manuscriptis, qua veteribus, qua recentibus, Honorii damnationem non semel, non

bis, ſed plures ac multoties, nec unico tantum verbo, ſed periodis longiſſimis exaratam intueamur, quo quæſo, fundamento tot labores & vigilias inaniter inſumemus, ut Synodum hanc toti Antiquitati caſtam & illibatam venditemus ut adulteram & proſtitutam, perinde ac in ipſa nihil in Honorium fuerit actum, ſed poſtea à Theodoro Conſtantinopolitano, vel etiam ab aliis hæreticis ea ſingula, quæ ſpectant ad Honorium, auſu ſacrilego actibus ejuſdem fuerint inſerta? Forſan ignoramus, aut etiam ignorare volumus, ab inani hoc zelo grande hæreticis (qui ita vocantur) oſtium aperiri, ut ſatis adparenter eludant non ea tantum, quæ in eadem Synodo plurima adferuntur in honorem ſedis Romanæ, verum etiam, quæ in reliquis generalibus Conciliis adducuntur aut in hæreſeos damnationem, aut in defenſionem orthodoxiæ. Forſan ita noſmetipſos ipſamque Veritatem prodemus, ut hoc ſolum de Honorii proſcriptione, licet in tota prorſus Antiquitate jam ſtabile, velimus in dubium revocari, cætera vero, quæ Sergium, Cyrum, alioſque reſpiciunt, ut omnino candida, firma validaque retineri. Procul ab animis orthodoxorum ſit zelus hic Veritati pernitioſus! At hæc eſſent forte tolerabilia, niſi ad iſta ſequerentur pejora longe incommoda. Si quippe hac via ſemel inceſſerimus, tres Epiſtolas Leonis ſecundi oportet peſſumdare, qui Synodum ſextam, ut ſcribit Anaſtaſius, ſuſcepit confirmavitque, in quibus ſemel, iterum & vice tertia acriter in Honorium invehitur. Igitur & haſce Epiſtolas ab hæreticis conflictas eſſe, aut turditer violatas dixerimus, ſpecioſis quibuſdam illecti conjecturis, eruis præſertim ex inacceſſis Chronologiæ latebris, quam quiſque ſibi pro cerebro adcommodat, & in qua deviare à Veritate eſt facillimum, ne dicam quaſi neceſſarium, quando res enucleamus antiquiſſimas. Ita eſt. Nempe & haſce Leonis Epiſtolas enervant alii, alii evertunt; evertere etiam, aut ſaltem enervare parati omnia prorſus volumina Epiſtolarum Pontificalium, ſi quidquam in illis adverſus Honorium decerneretur. Quid in hominibus non efficit zelus vehemens, me judice non neceſſarius? Verum, ne videamur plus æquo nobis indulgere, conſulamus Monumenta Antiquitatis, in illis inſpecturi, an Synodum hanc agnoſcant corruptam, qua parte damnat Honorium, an potius id ipſum corroborent? Primus omnium occurrit Agatho Diaconus, ſcriba hujus Synodi, in ſua quadam peroratione, quam è Græco tranſtulit in Latinum & edidit Franciſcus Combefius, ubi non obiter ſed exacte narrans res à Philippo geſtas, ac præſertim Conciliabulum ab eo collectum adverſus hanc Synodum, addit, eum etiam curaſſe pingendas Sergii Honoriique imagines, qui ab hac Synodo fuerunt damnati. Si deinde conſulamus Synodum ſeptimam, quoties in illa inter Monothelitas reperiretur Honorius? Tarafius certe Conſtantinopolitanus, in ſua ſynodica actionis tertiæ ejuſdem una cum Monothelitis illum reponit. In eadem Synodo eademque ejus actione Theodorus quoque Hieroſolymitanus in ſua pariter Enegelica miſcet cum Sergio, Paulo cæteriſque hæreticis Honorium. Epiphanius etiam Diaconus in diſputatione cum Georgio Neocæſareæ Epiſcopo ibidem actione ſexta Monothelitas perſtringens ipſum quoque perſtringit Honorium. Quid autem ad iſta Veterum Monumenta dicemus? Unum profecto ex his tribus, ſcilicet, aut Honorium de facto cum aliis Monothelitis fuiſſe in Synodo ſexta damnatum, uti unanimiter tot Patres adſerunt, aut Synodum ſeptimam non paucioribus, quam ſexta, vulneribus confoſſam ab hæreticis fuiſſe, aut demum Patres Synodi ſeptimæ hanc Synodi ſextæ violationem penitus ignorantes bona fide Honorium Pontificem inter Monothelitas connumeraſſe, Legatoſque Romanos pingui inſcitia & ſomnolentia obductos permiſiſſe, ut innocens Honorius toties à Synodo ſexta non damnatus inter hæreticos adſcriberetur. Primum mihi libens vendicaverim, inquit Doctor Venetus, alterutrum è poſtremis ſibi ſumant adverſarii. Tu Lector, interim judica, quis noſtrum propius accedat veritati. Sed progrediamur ulterius, atque ad Synodum octavam oculos adtente dirigamus, in cujus actione ſeptima Adrianus Pontifex hoc nomine ſecundus ſic inter alia loquitur: licet Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema dictum ſit, ſecundum eſt tamen,

Digitized by Google

tamen, quod fuerat ſuper hæreſi adcuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere. Hanc Adriani manifeſtam authoritatem an quis poſſit apparenter eludere, penitus ignoro; non enim poterit ad familiares violationis latebras effugere. Nam Anaſtaſius in Præfatione ad hanc Synodum octavam diligenter adnotavit, quænam in Synodis corruperit Orientalium hæreticorum pravitas & petulantia; & tamen quod attinet corruptionem harum trium Synodorum in facto Honorii, ne quidem olfecit violationem, quin imo ſemel & iterum ejus proſcriptionem confirmavit, videlicet, in Præfatione ad Collectanea, uti etiam in libro Pontificali, qui communiter eidem adſcribitur. Vide, lector, quam aperte faveat tota prorſus antiquitas adſerentibus, Honorium à Synodo ſexta damnatum fuiſſe. Iterum poſt laudatos Authores hoc confirmantes, ſcilicet, Bedam, Nicephorum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, Humbertum Cardinalem, Photium, Pſellum, ac è recentioribus Adonem Viennenſem, Marianum Scotum, Turrecrematam & alios ad objectiones contrafentientium progreditur, quarum prima provocat ad ſilentium Legatorum ſedis Romanæ, qui in ipſa Synodo ne verbum protuliſſe leguntur in Honorii defenſionem. Ecquis enim, inquiunt, crediderit, Legatos Agathonis ita vigiles in levioribus, ſic in Honorii facto torpuiſſe, ut omnino ſilentes proderent cauſam ejus, & famam maculari convincerent, cum præſertim uti habetur id Agathonis Epiſtola, iidem Legati determinatam ſuſceperint facultatem nihil innovandi mutandive, ſed ſolum tuendi, quæ ſedes Romana jam decreverat? Unde cum nec Martinus in Concilio Lateranenſi, nec Agatho in ſynodica Monothelitas perſonaliter damnando unquam nominarint Honorium, incredibile prorſus eſt, ut Honorius iis præſentibus, nec reluctantibus fuerit damnatus, cum de hoc nullum ab Agathone receperint mandatum. Fateor ingenue, inquit Doctor Venetus, id primo adſpectu eſſe creditu difficile. Verum re hac intimius perſpecta longe difficiliora nobis adponunt deglutienda iidem adverſarii. Demus enim, uti opinantur, Synodum ſextam fuiſſe corruptam, & acta ejus apta atque illibata nullam de Honorio damnationem præ ſe tuliſſe, demus inſuper eam à Theodoro vel etiam ab aliis Monothelitis paulo poſt celebrationem fuiſſe violatam, demus hæc & alia, quantacunque voluerint. Ecquis autem inde crediderit, Epiſcopos Orientis orthodoxos, & ipſum Conſtantinum Pogonatum, ſedi Romanæ obſequentem, & Conſtantino Magno non degenerem, tali tantoque lethargo laboraſſe, ut ſinerent ſuos ob oculos Synodum hanc à Theodoro vel Monothelitis corrumpi, ob quam id ſi tot labores & velitationes obierant, nec ullum prorſus emiſiſſe verbum, ut tanta fraus & calumnia hæreticorum detegeretur? Ecquis inſuper ſibi perſuadeat, Sedem Romanam non niſi poſt Synodum violatam in acta recepiſſe, cum Legati, qui Concilio interfuerunt, quorum unus Johannes Diaconus paulo poſt ſedem Romanam obtinuit, codicem actorum caſtum & legitimum adtulerint? ſi igitur acta Romam ſincera devenerunt, ecquis credet, Pontifices Romanos ita torpuiſſe, ut inde actis corruptis in re tam gravi, & quæ ipſos tantum adtinebat, prorſus adquieverint, nec voculam in evictionem tantæ impoſturæ emiſerint? Quis ulterius credat è prudentibus, Honorium à Synodo ſexta cum Monothelitis non fuiſſe damnatum, & tamen Legatos Pontificis in Synodo ſeptima & octava omnino ſiluiſſe, dum memoria Honorii Encyclicis Epiſcoporum profundebatur vicibus iteratis? Quis demum admittat, Anaſtaſium Virum eruditiſſimum, qui in Præfatione ad Synodum octavam præcipuas aperuit Conciliorum violationes, in hac corruptione graviſſima, & quæ plurimum ad ipſum, utpote defenſorem Pontificum Romanorum ſpectabat, omnino dormiviſſe? Hæc & alia non minora prorſus incredibilia nobis exhibent adverſarii credenda, & acriter poſtmodum conqueruntur, quod illis levioribus vociferati. Mihi ſane non eſt credita difficilius, Legatos Agathonis omnino conniviſſe, ſaltem ad utilitatem Eccleſiæ, ut Honorius, qui validum præbuerat damnationis fundamentum, damnaretur cum Monothelitis; quam Honorium minime damnatum in Synodo per neminem è Pontificibus, Patribus antiquis

&

Digitized by Google

& historicis defensum fuisse, quod ejus adtinet proscriptionem, sed potius per Leonem secundum, Adrianum itidem secundum, Anastasium, Bedam aliosque confirmatam fuisse ejus damnationem. Neque est magis arduum, ut credam, Legatos sextæ Synodi tacuisse, dum Honorius damnabatur; quam Legatos Synodi septimæ & octavæ pariter siluisse, cum Honorius innocens, nec damnatus inter Monothelitas passim reponeretur. Ut vero difficultatem, quam in hoc exercituum adversarii, ex parte minuamus, non opinor improbabile, Legatos Agathonis unà cum Episcopis Synodi in peculiaribus quibusdam congressis Honorii causam evolvisse, & inde rem digestam detulisse ad Concilium, in quo fuerit satis, Epistolas Honorii legendo percurrere, & illas cum suis exemplaribus conferre. Non enim quis dixerit, nisi inepte, omnia prorsus, quæ agitabantur in Conciliis, publicis eorundem actis inseri, cum multa fiant per congregationes (privatas) & collationes, quæ ab actis Conciliorum sunt diversa. Ex. gr. Summe celebris erat Sergii memoria apud Orientales, & maxima viventis authoritas, & tamen nec in Concilio Lateranensi sub Martino, nec in Synodo sexta profertur ab aliquo brevis vocula in ejus defensionem, sed solum prolatis ejusdem Epistolis damnatus est ex illis ut hæreticus, cum tamen non minus essent acres Orientis Episcopi in vindicandis Patriarchis Constantinopolitanis, quam Legati Pontificii in defendendis Pontificibus Romanis. Hic insuper non inepte quis adseruerit, Legatos Agathonis data siluisse opera, dum Honorius damnabatur, ut hac scilicet œconomia Honorio minuerentur opprobria. Quippe cum illi plene agnovissent, Pacem & unionem, quam ipsi unice adfectabant, nullo plane pacto Ecclesiæ reddendam, nisi conniviissent, ut damnatis Patriarchis Constantinopolitanis simul & ipse damnaretur Honorius, quem ille fautorem, nec omnino temere, jactabant ubique; maluerunt penitus silere, ut hac arte quodammodo refunderent totam damnationis invidiam in Orientales, quam inaniter susciperc defensionem ejus, certe nimirum de subscribenda tandem ejus damnatione. Unde quis non videt, futurum longe gravius Honorii dedecus, si Legatis reluctantibus & obnitentibus haberetur damnatus, quam Legatis omnino tacentibus nec vocularn emittentibus, cum ille proscriberetur? Nam ex isto Legatorum silentio semper oriri potest adparens suspicio, Honorii damnationem quasi præcipitanter nec prævio examine sufficienti decretum fuisse, quod plurimum minuit contumelias Honorii, quas non minus augeret inutilis Legatorum defensio, & post hanc damnatio. Si vero nostræ huic conjecturæ nullatenus adquiescant adversarii, qui ipsimet conjecturis ut plurimum vescuntur, eamque ut nimis Metaphysicam rejiciant, tunc proponam porro eorum considerationi, Legatos Constantinopolim missos ob temporum deplorabilium infelicitatem non adeo celebres fuisse in doctrina & rebus agendis, ut omnino debeant abhorrere ab infligenda iisdem aliqua imprudentiæ notula in facto Honorii; si tamen dici potest imprudentia, quod ipsi forte in utilitatem Ecclesiæ atque ad incommoda pejora fecerunt. Agatho Pontifex ante in Synodica ad Constantinum non admodum extollit Legatorum excellentiam, quam potius videtur enervare, quod ipsum adhuc clarius exprimitur in Epistola Synodi Romanæ sub eodem Ahathone adque eundem Constantinum directa. His autem positis non abnuamus fateri, Legatos Agathonis, quos ipse Pontifex adpeliat homines idiotas, eo silentio aliquid humani passos esse, cum saltem agere debuissent, ut censuris mitioribus ageretur in Pontificem. Hoc ipsum tamen factum esse crediderim specialibus Providentiæ divinæ legibus ita decernentibus. Decuit enim, ut Honorius ille, qui silendo tot mala pepercerat Ecclesiæ, medio Legatorum silentio, silentii pœnas erogaret, ac per aliquam ignorantiam & imprudentiam Legatorum evaderet anathema pro salute fratrum, sicque suæ ignorantiæ & imprudentiæ vindicem experiretur ignorantiam & imprudentiam. Quod autem adserunt adversarii, Agathonem in Synodica Legatis licentiam tantummodo sive authoritatem dedisse simpliciter satisfaciendi, in quantum ejus duntaxat injunctum fuit, ut nihil præsumant proferre, augere, minuere vel mutare, sed traditionem Sedis Apostolicæ

licæ à prædeceſſoribus inſtitutam ſimpliciter enervare; libenter conceſſerim, ſcilicet, fuiſſe Legatis poteſtatem reſtrictam aliquid innovandi, augendi mutandive, circa dogmata, cum adhuc recens eſſet in Agathonis memoria, Apocriſiarios Romanos Petri Conſtantinopolitani ritibus illectos adverſus Fidem inſurrexiſſe. Non autem exiſtimo, iiſdem fuiſſe limitatam facultatem damnandi perſonaliter alios, quos nondum damnaſſent Pontifices Romani; alioquin quomodo ſalvabimus damnationem Macarii, Stephani & Polychronii, qui non leguntur damnati ante Synodum hanc ſextam? Unde Adrianus ſecundus in Synodo octava ejuſque ſeptima actione hanc facultatem damnandi Honorium fuiſſe traditam Patribus Synodi ſextæ, ipſiſque Legatis, facetur ſatis aperte. Cum enim dixiſſet, quod Honorio poſt mortem ab Orientibus anathema dictum ſit, ſubjungit, nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuiſſe proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ ſedis authoritas præceſſiſſet. Hanc vero authoritatem ſive facultatem damnandi Honorium, quam Adrianus affirmat Legatis traditam, exiſtimarim iis conceſſam non palam in Synodica, uti Canus ſenſit, ſed privatim in Mandatis ſpecialibus & inſtructionibus Legatorum, uti in negotiis odioſis ſolet fieri; ne ſi eam publice concederet Agatho Pontifex, ex hac ipſa Orientales acrius, præcipue Macarius, in Pontificem Romanum debaccharentur. Niſi fortaſſis dicere velimus, eam includi in propoſitione quadam generica, quæ habetur in epiſtola Synodi Romanæ ad Conſtantium Imperatorem data, ubi poſtquam Patres & Agatho narraſſent errores Monothelitarum, inquiunt, authores extitiſſe Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum, vel qui eis conſentanei uſque ad finem ſunt demonſtrati; his enim verbis poſtremis videtur includi etiam Honorius, & ſi qui forent alii aut Monothelitæ, aut etiam fautores. Nec inſtent adverſarii, nunquam in Synodo ſexta conſtitiſſe, Honorium uſque ad finem perſeveraſſe in opinione ſemel concepta, quod tamen ex Synodi Romanæ verbis modo adductis erat neceſſarium, ut legitime poſſet damnari; hoc enim ſi objecerint, reponam, hæc omnia conſtitiſſe in Congregationibus privatis. Si vero huic reſponſioni non adquieverint, quando ipſi nobis patefacient, quonam Secretario Concilii Lateranenſis conſtituit, Sergium, Cyrum alioſque in ea Synodo damnatos perſeveraſſe in imbibito ſemel errore, tunc & ipſis aperiemus, quanam actione Synodi ſextæ oſtendatur, Honorium uſque ad finem opinioni ſuæ per Epiſtolas expreſſæ adhæſiſſe. Poſt prolixam ad cæteras objectiones reſponſionem, Doctor Venetus de infallibilitate Pontificia mentem ſuam ſic explicat. Sicut non officit candori Eccleſiaſtico, quod nonnulli ex Pontificibus ex illis, qui per plura annorum curricula clavum naviculæ Eccleſiaſticæ rexerunt, omnia prorſus munera ſummi Pontificis exequentes, elapſis retro ſeculis, proh dolor! vitam egerint Baronii judicio peſſimam & nefandam, quod ipſe pluries fatetur, & merito deplorat in Annalibus ſuis; ita pariter non eſt, cur adeo reluctemur affirmare, Pontifices quoſdam, non quidem ut Eccleſiæ capita (ſcilicet per abſtractionem præciſivam) ſed ut homines doctoreſque peculiares vel de facta lapſos, vel ſaltem labi potuiſſe in errorem Fidei peculiaribus ſuis definitionibus & opinionibus, quod ex verbis Adriani ſecundi in ſeptima actione Synodi octavæ colligitur aperte. Multoque minus abhorrere debemus confiteri, quoſdam Pontifices, ac præſertim Honorium, non quidem in errorem fieri, ſed in culpabilem negligentiam lapſos eſſe, qua ſic ſe geſſerint cum hæreticis, ut faventes iiſdem confoverint hæreſes, atque hac de cauſa potuerint damnari; neque ullum inde dedecus oritur Eccleſiæ. At certe nec magnum adeo decus. Et hæc hactenus de facto, ſcilicet, ipſa Honorii damnatione in Synodo ſexta Doctor Venetus, nunc in Scrutinio ſequenti, videlicet ſeptimo progreſſus ad ipſum jus vel juſtitiam damnationis, in genere monens, non modicum decipi, quiſquis exiſtimat, ob hæreſes ſolum damnatos eſſe, quicunque leguntur in Conciliis anathemate quondam vincti, poſſe enim una cum hæreticis damnari eorum fautorem, qui licet in dogmate Catholicus fomentum præbet ejus, cum iiſdem

communicans, vel nimis indulgens erga eos, ſi præſertim ex officio teneatur in eos acriter obniti. Videndum igitur, inquit, an Honorius fomentum dederit Monotheliſmo, & an bene de illo dixerit Leo ſecundus in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quod flammam dogmatis hæretici non uti Apoſtolicam decuit authoritatem, excipientem extinxerit, ſed negligendo confoverit. Et quidem aſpectu primo obfert ſe examinandam ſilentii Honorii œconomia. Nempe adprobavit Honorius & commendavit in utriſque Epiſtolis conſilium Sergii, ſeu potius inventum impietatis de ſilentio qua Catholicis, qua hæreticis adhibendo tum circa unam, tum circa geminas in Chriſto voluntates & operationes; quod etiam conatus eſt Sophronio perſuadere, uti adparet in fragmentis Epiſtolæ ejuſdem ſecundæ. Hanc vero œconomiam quanto fuerint odio proſecuti in omni prorſus circumſtantia Patres orthodoxi, qui viriliter obſtiterunt Monothelitis, argumento poteſt eſſe damnatio Typi per Conſtantem, ſeu verius per Paulum compoſiti, in quo vel ipſa Diogenis laterna nihil unquam invenies damnabile, ſi ſemel demſeris ſilendi diſpenſationem. In hanc quippe tendunt præciſe omnia fulmina à Patribus in hunc Typum contorta, quam ea præſertim de cauſa anathematizarunt, quod cum perfidis hæreticis & Patres orthodoxos abjiceret, & cum virorum ſceleroſorum vocibus, hoc eſt, una voluntate & operatione pariter denegari faceret orthodoxorum doctrinas, id eſt, duas ejuſdem Chriſti voluntates & operationes, quæ ſunt verba Martini Pontificis in Concilio Lateranenſi; qui non minus abſonum arbitrabatur ſilentium in hoc puncto diſpenſare, quam & unam & duplicem à Chriſto expungere voluntatem & operationem. Nec ſatis excuſabilem reddunt adverſarii œconomiam hanc Honorianam, dicentes, nullam à temporibus Honorii fuiſſe definitionem Conciliorum, nullumque Pontificis Romani Decretum aperte ſtatuens, duplicem in Chriſto reperiri voluntatem & operationem; utpote quod nullo modo poteſt adduci ad excuſandum Conſtantis Typum, cum præceſſerit illum Johannis quarti Concilium, clare definiens hanc veritatem; unde diſpenſatio in quæſtione de duplici voluntate Chriſti potuit (juxta partis adverſariæ opinionem) ab Honorio laudabiliter induci, quippe in re adhuc indifferenti; non autem per Typum potuit juberi, cum præceſſiſſet illum Apoſtolica Veritatis definitio. Hæc inquit Doctor Venetus, adverſariorum conjectura non omnino foret contemnenda, quando non ſupereſſent plura Veterum Monumenta ad illam aperte confutandam. Cum vero multa Patrum Scripta adverſus Monothelitas remanſerint DEI beneficio prorſus inviolata, ex illis funditus evertitur. Et quidem primo, quia nullibi Patres Monotheliſmi profligatores, ac præſertim Pontifex Martinus & Abbas Maximus Typi œconomiam exinde impugnarunt, quod per ipſam everteretur Concilium Johannis quarti, ſed quia deſtrueretur doctrina Leonis, Concilii Calchedonenſis, Scripturæ ſacræ ac omnium Patrum; atque ſic eodem modo per eoſdem evertitur Honorii diſpenſatio, cum & hæc ſubſequens fuerit ad Concilium Chalcedonenſe & Epiſtolas Leonis. Deinde, quia Typi œconomia ex eo mordicus impugnabatur à Patribus, quod ſilentium in dogmate unius aut duplicis Voluntatis videbatur negatio, ſicque unanimiter exiſtimabant Martinus, Maximus & reliqui Monothelitarum hoſtes item prorſus eſſe, definire, ne una vel duplex in Chriſto diceretur Voluntas & operatio, ac omnem penitus de Chriſto negare Voluntatem & operationem, quod abſurdum non magis præſumi debet ex œconomia Conſtantis, quam ex Honorii diſpenſatione; quamobrem vel utraque abſolvenda vel damnanda. Denique, quia non minus per œconomiam quam per Typum enervatur doctrina ſanctorum veterum Patrum, qui aſſerunt unanimiter & aperte, duas eſſe in Chriſto voluntates & operationes. Unde ſi Patrum authoritates vehementer impulerunt Martinum & Maximum, ut œconomiam Typi mordicus inſequerentur, cur eædem authoritates Patrum ſatis eſſe non potuerint, ut Honorianam quoque, Fidei adeo pernitioſam & fomentum hæreticis præbentem ejecerint Præſules ſextæ Synodi? Atque tamen hic aliquis inani zelo agitatus, & ita vociferabitur, non tolli per Honorianam ſilendi œconomiam Veritatis Catholicas, neque Patrum voces aboleri, ſed tantummodo ſuſpendi, atque ad tem-

pus.

pus diſpenſari, donec de opportunioribus remediis conſultum foret Eccleſiæ. Dolco, & quidem vehementer, inquit porro Doctor Venetus, orthodoxos Honorii defenſores, ut illius excuſent ſilendi œconomiam, ad eas effugere latebras, ad quas ſemet contulere perfidiores Monothelitæ, Typi œconomiam vindicaturi. Profecto eandem hanc excuſationem inculcant adverſus Maximum dicti Monothelitæ in Collatione ejuſdem cum Principibus in Secretario. Unde etiam ex ejuſmodi œconomia per Typum expreſſa uſquequaque Patres intulere, qua unam, qua duplicem à Chriſto Voluntatem atque operationem excludi, ut evolventi Synodum Lateranenſem, Collationes Maximi Synodum quoque ſextam adparebit, item prorſus arbitrati, de illis ſilere, ac illas negare, quod me judice eſt veriſſimum, quando de veritatibus Fidei agitur à Patribus aperte definitis. Intueor autem hic iterum commotos œconomiæ Honorianæ pios defenſores, plus meritis exaggerantes ſcandala maxima orbi Chriſtiano imminentia, ſi primo impetu decreviſſet Honorius geminas in Chriſto voluntates & operationes. Hæc ergo ut evitaret, inquiunt, conſulto invexit œconomiam ſilendi; atque id reſpexiſſe Honorium, teſtes eſſe putant ejus verba in Epiſtola ad Sergium. Præterea, ſcindenda iterum fuiſſet magno cum Fidei detrimento Eccleſiarum unio & pax Occidentalium cum Orientalibus omnino lanianda, ſi acrioribus remediis obſtitiſſet Honorius ſcintillis & faculis Monotheliſmi emergentibus. Quiſquis igitur animum Honorii habuerit inſpectum, & temporum deplorabilium circumſtantias vindicare cogetur. Honorium à ſuſpecta ſilendi œconomia nedum excuſare. En, quo iterum confugiunt ſilentii Honoriani vindicatores egregii! ſcilicet, qua manu ſublevant Honorium, ea quoque ſublevent oportet Sergium, Cyrum, cæteroſque Monothelitas. Ecquid enim aliud crebrius inculcant Sergius in Epiſtolis, Heraclius in Ecthesi, Conſtans in typo, quam id in utrinque præcipi ſilentium, ut ſcandala ſcinderentur atque Pax fieret Eccleſiæ, quæ per hujuſmodi tumultus laniabatur? Verum DEO permittente factum eſt, ut Monothelitis pacem Eccleſia indignam præferentibus, orbis Chriſtianus per annos plures bello arderet inextinguibili. Levis eſt non raro ponderis ad ingerendam excuſationem, præſertim in Epiſcopis Eccleſiæ, rectus animus & adfectus ordinatus, quando videlicet ex nimia hæreticorum tolerantia prudentius eſt oriundos pertimeſcere, & quidem majores in Eccleſia tumultus & diſſenſiones. Parum cordi erat Eccleſiæ, Honorium ex animo recto ſanxiſſe œconomiam, dum interim eo per conniventiam Monothelitis favente, maximas illa patiebatur rimas; nihilque intererat fidei, ut homines pravi carnales & novitatum amatores, quibus omnia cooperantur in malum, ſcandala paterentur, dummodo veritas Catholica uſque ad ſanguinis effuſionem vindicaretur. Profecto loquendum eſt de veritatibus Fidei lingua etiam occupata, uti locutus olim fuit adverſus Monothelitas Maximus & diſcipulus ejuſdem Anaſtaſius, nihil facientes ſcandala, in quæ homines ſcelerati cœco ſpiritu impellente præcipites offendunt. Minora fortitan credemus molitos eſſe ſcandala & Eccleſiæ ſciſſuras Arium, Macedonium, Neſtorium, Eutychen, alioſque hæreticos nefandos, minora inquam iis, quæ minitabant Monothelitæ? Minime nequaquam? & tamen Patres, Silveſter, Athanaſius, Damaſus, Leo, aliique plurimi rejecerunt, ut nimirum molles, frigidas & Eccleſiæ indecoras hujuſmodi œconomias & diſpenſationes. Et quamis ageretur de veritatibus nondum definitis ab anteceſſoribus, adhuc tamen acriter impetu primo in Eccleſiæ hoſtes inſurrexerunt, parum curantes, quod homines impii ſererent tumultus, dummodo veritas aperte decerneretur. Neque his adquieſcunt tutores œconomiarum, conaturque ſuadere, hujuſmodi œconomiis quandoque uti ſolitos, nec illaudabiliter, ſanctos Patres ac ipſammet Eccleſiam, ex. g. Baſilium in controverſia cum Macedonianis &c. Verum hic quoque ſuppetias exigunt Adverſarii à Monothelitis. Joannes enim Conſtantino-Monothelitarum Baronii judicio anteſignanus, ipſam hanc viam eſt ingreſſus in Epiſtola ad Conſtantinum, in qua, ut excuſet ſilendi œconomiam, quam indulſerat Philippico Bardani, ostendere conatur, quoſdam ex antiquis Patribus, ac inter eos Baſi-

lium, laudabiliter invexiſſe hujuſmodi diſpenſationes. Hæc tamen effugia nullatenus ſufficerunt, quin ipſe ſaperet Monothelitam; unde nec hujuſmodi latebris excuſatur ſatis Honorius. Quidquid autem ſit de hoc, ego, ſcribit Doctor Venetus, non omnes damnarim ſilendi œconomias. Honorianam damnarim, vindicaturus alioquin Baſilianam cum Gregorio Nazianzeno in oratione ſuper hoc negotio. Similem vero huic dicerem Honorianam, quando ſcilicet in re omnino convenientes de voce ſolum decertaſſent orthodoxi & Monothelitæ. Verum, cum res ita ſe non haberet, nec lis eſſet de nomine tantum, ſed re ipſa, cumque nullum ſubſtitueretur Synonymum æque expreſſivum Veritatis orthodoxæ, alia longe eſt diſpenſatio Honoriana, quam Baſiliana. Videtur autem Honorii & Monothelitarum diſpenſatio ſimilis œconomiæ, quam ab Imperatore Conſtantino conati ſunt, inaniter licet, eripere Ariani, quod agnovit Maximus in Collectione. Porro, ut juſtitiam anathematis à Synodo ſexta in Honorium contorti comprobet, non abs re inquit poſſe quem adferre, nimiam cum Sergio hæretico vel jam damnato, vel anathematizatis pejore communicationem, nimiumque favorem ei præſtitum fuiſſe maximo vitio adſcriptum Honorio à Patribus ſextæ Synodi, compertæ quippe ſingulis erant fraudes Sergianæ, quibus invexerat Monotheliſmum, neque latebant ejuſdem conatus in illo firmando validius impenſi, qua etiam de cauſa Sergii acta præ cæteris execrabantur Patres, ac ejus memoria à Synodo ſexta maximis adficiebatur probris. Honorius ergo non modo Sergium ab emerito anathemate reddiderat immunem, verum etiam non merentem laudibus extulerat, atque illius diligentiam, ſeu verius calliditatem nullo jure commendaret. Quid igitur abſurdi, ſi reponatur, hujuſmodi communicationis cum Sergio. & laudes ejuſdem vigilantiæ præſtitas (qui, licet damnatus non eſſet, ejus tamen acta damnandum clamabant) plurimum detrimenti cauſæ Honorii adtuliſſe, adeo ut inter reliquas Propoſitiones damnationis Honorianæ addi potuerit à Patribus, *quia Sergio in omnibus conſenſerat*; cum non arbitrari liceat minus damnabilem, qui favoribus anathematizandum confovet, quam qui communicat cum anathematizato, ſi præſertim ſit is, qui ea proprio Munere in aperiendis & ejiciendis fraudibus hæreticorum longe oculatior eſſe debeat animalibus à Johanne in Apocalypſi deſcriptis. Quia autem conſtat, Martinum & Vitalianum Pontifices, quin & ipſum Synodum ſextam laudibus extuliſſe Conſtantem Imperatorem, licet hæreticum & hoſtem orthodoxorum, poſſet hic aliquis inſultare, dicens. Si Patribus licuit colere Conſtantinum, cum hic aperte in Fidem præliaretur, cur Honorio non licuit Sergium laudare nondum è vivis ereptum, quando præſertim non adhuc palam debacchatus eſt in Eccleſiam? Sique rurſus Johanni quarto fas fuit eundem Sergium jam in hæreſin defunctum adpellare Epiſcopum memoriæ reverendæ, cur & Honorius non potuit eundem adhuc ſuperſtitem neque de pertinacia convictum bene habere & laudibus extollere, quemadmodum de Maximo etiam conſtat, ab ipſo laudatum eſſe Pyrrhum Sergio non meliorem. Cogor iteram hic paucis expendere, ut inſultantes retundam adverſarios, diſcrimen maximum inter modos laudandi, quibus uſi ſunt & Honorius erga Sergium, & reliqui Patres erga Conſtantem, Sergium quoque & Pyrrhum. Do libens ac ſine controverſia, à Martino, Vitaliano aliiſque Patribus honorifice habitum Conſtantem, licet hæreticum ac Eccleſiæ hoſtem, dent tamen & ipſi, nunquam ab iiſdem Pontificibus adprobata fuiſſe Sergii conſilia & Conſtantis inventa Fidei pernitioſa; quin imo ejus Typum fuiſſe turpiter anathematizatum ab illis, qui Conſtantem laudabant. Sique Johannes Sergium commendavit, nunquam tamen ab illo ſunt adprobata ejuſdem dogmata, nec laudati conatus, quos pro Monotheliti excogitarat, imo Ecthefin ab ipſo conflatam rigido anathemate confodit. At vero Honorius non tantum Sergii perſonam ſeu dignitatem Patriarchalem in Sergio laudavit, verum & illius conſilia ſeu fraudes potius in odium Fidei excogitatas adprobavit & fidelibus amplectendas propoſuit. Laudarunt alii in Sergio Majeſtatem Epiſcopalem, ſed ſimul e-

juſdem

Digitized by Google

juſdem errores confoderunt. At Honorius laudavit non tantum perſonæ gradum & dignitatem, quantum ejus calliditatem, nec errores Sergii, quos in Epiſtolis præ ſe ferebat, ullatenus aperuit. Laudavit olim Maximus Pyrrhum, ſed hoc illi fuit ſtudium, ut de ſeipſo loquitur in Epiſtola ad Monachos Siciliæ, non exaſperare, ſed magis lenire Virum laudibus ad aſſentiendum iis, quæ pie ſecundum doctrinam ſanctorum Patrum erant tradita. Unde cum tandem agnoſceret rem deſperatam, projectis laudibus ad Anathemata deſcendit. Non hic autem videtur ſcopus fuiſſe laudum, quibus Sergium donavit Honorius, quippe nec verbum poterit in ejuſdem Epiſtolis reperiri, quo conetur Sergium à veneno imbibito unius in Chriſto Voluntatis expurgare; quin imo de Quæſtione ipſa ſentit viliſſime, quamvis ab ejus veritate penderet firmitas Concilii Chalcedonenſis & Epiſtolarum Leonis. Bene igitur poterunt excuſari Patres ob laudes hæreticis præſtitas, ad eum uidelicet modum, quo paſſim excuſantur, qui laudant Originem, Tertullianum, alioſque à Fide profugos; minime tamen poterit Honorius abſolvi, cujus laudes in Sergii fraudes tendunt, non in ejus dignitatem. Quid ſi inſuper etiam reponatur, ambiguitatem & obſcuritatem Epiſtolarum Honorii cauſam ejus prodidiſſe? Nihil quippe potuit eſſe Fidei pernitioſius, in Controverſia tam gravi, & quæ plurimum ad Eccleſiam intereſſet, quam Honoriana verborum ambiguitas & ſenſus æquivocatio, ob quam non omnino temere viſi ſunt Monothelitæ ad ſuas illum trahere partes, qui, ut objicit Pyrrhus in Dialogo cum Maximo, ex verbis Honorii ſimpliciter acceptis ſibi cum faventem arbitrabantur; ſicut etiam non inepte Conſtantinus aſſeruit, Honorium ſibi contradixiſſe, uti habetur in ſextæ Synodi Actione poſt decimam octava, in Edicto Fidei ab eodem promulgato. Tandem occurrit ad comprobandam præſcriptionis Honorianæ juſtitiam utilitas Eccleſiæ, pro qua deberet eſſe in votis unicuique anathema fieri cum Apoſtolo pro fratrum ſalute. Negari enim non poteſt ſine manifeſta petulantia, per conniventiam erga Monothelitas Honorianam detrimenti pluriſnum paſſam eſſe Eccleſiam. Ecquis igitur alienum arbitrabitur à Legibus Divinæ Providentiæ, ut Memoria Honorii probris adficeretur, qui per indulgentiam culpabilem foverat incendia, non niſi ſudoribus & ſanguine piorum Sacerdotum & Pontificum extinguenda; ideo præſertim, quod nullatenus adquieviſſent Orientales Epiſcopi, ut Sergius, Pyrrhus & alii legerentur proſcripto Honorius autem, quem ut tautorem, nec omnino temere, uſquequaque prædicabant, abſolveretur? Satis ergo fuit conſultum, ut ſimul cum Patriarchis Orientalibus præſcriberetur Honorius, atque ſic demulceretur aures Orientalium ad Synodum hanc ſextam eo alacrius ſuſcipiendam, quam forte repuliſſent, ſi ſpicula damnationis, quæ in Sergium alioſque contorſerit Synodus, conjecta pariter in Honorium non vidiſſent, utpote in cujus Epiſtolis non deeſſent gravia damnationis capita, quæ illam excuſabilem facerent & laudabilem. Hæſit tamen animus non parum, ſic porro ſcribit Doctor Venetus, præ manibus habens & evolvens oculis formulam damnationis, qua in Synodo ſexta proſcribitur cum Epiſtolis Honorius, quippe quod in ea videatur non tantum errore facti, hoc eſt, negligentiæ imprudentiæque, verum & dogmatis inſimulari. Hæc tam diu me detinuerunt, quamvis phraſes longe horribiliores legi contortas in Typum, ſeu verius in Typi œconomiam, quam unice Typus præfert damnabilem. Dicant ergo adverſarii, quid aliud ſit in Typo impetendum, niſi ſola ſilendi œconomia, utpote Fidei plurimum pernitioſa; cum præſertim frequens ſit uſus in Conciliis exaggerandi & pluribus titulis probriſque conficiendi quodcunque extiterit vel futurum agnoſcitur Eccleſiæ damnificum. Nihil inſuper inconſonum, à Patribus ſextæ Synodi juridice damnatum fuiſſe Honorium, cum Maximo eſſet paratus anathematizare Pontificem Martinum, ſi ſemel Typi œconomiæ, quam Honorius expreſſerat, adquieviſſet. Sequitur nunc ultimum hujus Controverſiæ Scrutinium, in quo juxta præſcriptum Lemma leviores quidam Honorii, apſus & nævi ex Epiſtolis ejuſdem aperiuntur. Miror ſane, ſtatim ſub initium ſcribit,

bit Doctor Venetus, nec unquam mirari desinam, Honorium Pontificem, Virum alioqui doctum, quique clerum in multis erudierit Anastasio teste, in Epistolis adserere semel & iterum, neminem à Sanctis Patribus aperte duas in Christo Voluntates & operationes docuisse, sed quodammodo solum balbutiendo id esse professos. Hinc non opinor improbabile, quod in Honorii defensionem scribit Anastasius in Præfatione ad Collectanea, Epistolas sub Honorii nomine, non ab ipsomet Honorio, sed à Johanne Abbate, qui à Secretis erat ei, fuisse ex mandato ejus conscriptas & compilatas, ac proinde in texendis illis Honorium minimas sortitum fuisse partes. Quod vero si dicatur, vindicabitur quidem Honorius ab ignorantiæ nota, non tamen à lapsu imprudentiæ; cum sit inexcusabilis in supremo Antistite negligentia, lites ad Fidem pertinentes, & quæ maximas inducere possunt in Ecclesiam scissuras, privati hominis judicio penitus consignare, cum potius exigat prudentia, ut nihil ab eo decernatur in gravissimis de Fide negotiis absque prævio doctissimorum diligenti scrutinio, quin etiam absque præexistente Fratrum consilio, quæ singula visus est Honorius omisisse & omittendo Ecclesiæ mala peperisse. Quocunque autem modo res hæc se habuerit, certissimum est, Patres sanctos non balbutiendo, ut verba sonant Epistolæ Honorii, sed aperte definiendo, neque ad informandas parvulorum mentes, sed potius ad erudiendos Sapientum intellectus prædicasse geminas in Christo cum Voluntatibus operationes, & consequenter hujusmodi voces nec novas, nec recenter in Ecclesiam invectas esse, sed cum ipsis Ecclesiæ Patribus antiquissimis ortas. Neque hic omiserim observare rursus, quod Honorius in Epistolis adfirmet, nullam in Conciliis haberi definitionem genuinæ in Christo Voluntatis & operationis. An autem hæc ita se habeant, non adeo præcipitanter judicarim; duo tamen nihilo minus adsumo, ut omnino manifesta. unum est, quod in Concilio Chalcedonensi inque Leonis Magni Epistolis fuerit definitum apertissime, in Christo mansisse post unionem ambas Naturarum proprietates & differentias, cum constet, nemine Catholicorum prorsus reluctante, inter Naturæ rationalis proprietates includi Voluntatem seu adpetitum rationalem. Alterum, quod Patres Monothelitarum profligatores ubique supponunt, duas in Christo Voluntates & operationes à Concilio Chalcedonensi definitas fuisse. Quis insuper nobiscum non miretur, nimium perpendens, contemtum, quo processit Honorius in gravissima hac Controversia, ex qua pendebat firmitas Concilii Chalcedonensis & eversio Eutychianorum? Quo jure enim, decernere, quod in Christo manserint post unionem duæ voluntates & operationes, adpellat leve, ineptum, otiosum & grammaticale; atque Veritatem indagantes de una vel gemina voluntate vanos Naturarum ponderatores & otiosos negotiatores? Itane vero ineptum putabimus diserte fateri, quod universa Patrum sanctorum cohors & docet, & orthodoxis prædicat ubique prædicandum? Adserant igitur consequenter, qui plus æquo vindicant Epistolas Honorii, quasi in omnibus sanctæ sint & irreprehensibiles, abs re prorsus & inaniter Sophronium, Johannem, Martinum, Maximum, Agathonem aliosque Sacerdotes orthodoxos pertulisse tot labores, curas & persecutiones, cum satis esset ineptum & leve ex Honorii calculo id sentire & promere, ob quod unice tot labores & ærumnas obiere. Rursus grammaticale putabimus, illud aperte profiteri, quod erat unice necessarium ad defensionem Concilii Chalcedonensis & Epistolarum Leonis, atque ad auferendum probrum Ecclesiæ illatum per Conciliabulum Alexandrinum, de quo omnes gloriabantur hæretici? Ad quid ergo tot Concilia, Romæ, in Gallia, Brittannia, Africa & Asia à Patribus celebrata, tot Encyclicæ huc illucque ab Episcopis super hoc Monothelitarum negotio, tot insuper Legationes & supplicationes ab Africanis, Hierosolymitanis, aliisque ad Pontifices Romanos transmissæ, ut quæstio Grammaticalis, & quæ ad Grammaticos pertineat, dissolveretur? Demum, an otiosos negotiatores nuncupabimus illos, qui tot incommoda ac labores pertulerunt, ut innumeras emerent ani-

animas Christianorum, quas Sergii, Cyri & aliorum infernalium grassatorum tyrannica rapiebat calliditas? Profecto non otiose negotiatur, qui non una tantum, sed innumerabilibus pretiosis Margaritis, id est, animabus inventis omnia vendit, quæ possidet, ac omnia impendit, videlicet labores, sudores, Sanguinem ipsamque vitam, ut eas redimat. Multoque minus ut vanus debet Naturarum ponderator, qui ad defensionem Conciliorum & fidei dogmatum instituit exactam Christi Naturarum considerationem. Hæc autem omnia sunt eo graviora in Honorio, quo minus ipsum latebat, ad illud præcise Monothelitas inducere unam in Christo cum operatione Voluntatem, ut unam pariter cum voluntate ponerent Naturam; & ex oppositio Catholicos ideo duas prædicare cum voluntatibus operationes, ut geminas in eodem Naturas cum operationibus profiterentur. Cur ergo, si res ita se habebat, usque adeo signiter adversus Monothelismum insurrexit Honorius? Consultius certe fuisset, illorum fraudes centenis etiam oculis enucleare, ne Catholici per insidias, sicut exitus comprobavit, raperentur in hæresin; nec satis erat utrinque silentium indicere. Tandem non omitti debet, ut consideretur penitius nimia Honorii facilitas, quam præfert in Epistolis, adsentiendo Sergii consiliis & credendo ejus calumniis, quas confixerat. Nimirum, scribit Sergius, extitisse Sophronium authorem omnium harum dissensionum. Id autem Honorius non solum non arguit, sed ulterius comprobare videtur. Nec satis excusatur objecta facti ignorantia, cum nihil occurrat indecentius, quam Pontificem super aliquo decernere facto, cujus circumstantias nondum intime callucrit. Si enim nascentes Monothelitarum impietates Honorium latebant, cur præcipitem se dedit in adquiescendo Sergii consiliis, absque prius habita per Apocrisiarios diligenti novitatis inquisitione? Quid insuper? Confinxit Sergius in eadem ad Honorium Epistola quosdam Mennæ ad Virgilium libellos, in quibus una prædicabatur in Christo voluntas & operatio, quos etiam ubique locorum promulgavit, uti Maximus aperuit in Dialogo. Anne autem detexit Honorius tantum Sergii imposturam? Nequaquam. Abstulitur hujusmodi probrum Vigilio & Sedi Romanæ inflictum? Minime. Imo altum de hoc est silentium in Epistolis Honorii; unde quod scribendo contundere tenebatur ex officio, visus est comprobare silentio. His addo facilitatem, qua similem Sergii calumniam in Sophronium deglutivit, quod nimirum Sophronius, etiam rogatus, nec unum potuerit exhibere testimonium è Patribus pro gemina in Christo voluntate, cum hoc non solum esset falsum, sed prorsus improbabile, ut scilicet Monachus simplex obniteretur Patriarchis & Episcopis tam acriter, nullo munitus aut sanæ Scripturæ, aut Patrum testimonio. Quid plura? Adfirmat quoque Sergius, neminem ex Patribus prædicasse duas in Christo voluntates; id Honorius etiam adfirmat. Ille adsumit, quod ex determinatione hujus Controversiæ nascerentur Scandala; hoc etiam adsumit Honorius. Sergius inculcat silendi œconomiam ut aptam, eam ut optimam confirmat etiam Honorius. Eam Sergius studet persuadere Sophronio, eandem conatur Honorius Sophronii Legatis imponere. Miscet ille in Epistolis multa Fidei contraria, hæc Honorius impugnat nullatenus. Rapit Sergius Leonem ut hæreseos suæ fautorem ad suas partes, Honorius id nullatenus arguit. Bella movet Sergius in orthodoxos, cùm laudat Honorius. ô convenientiam Antistiti indignam & zelum nimis inordinatum! Quid inde mirabimur, si Patres sextæ Synodi proferunt, quod Honorius eadem senserit, quæ Sergius; sique Leo secundus adfirmat, quod flammam dogmatis hæretici negligendo conflaverit? Has autem & alias plures Sergii calumnias & falsitates non ita promte admisisset Honorius & credidisset, si considerasset secum, ex quibus genitoribus hæreticis sua Sergius traxerit incunabula, sique ad leves hæreticorum Orientalium animos suæ mentis oculos direxisset, atque ad [illegible]tas inde tragœdias, quas orbi orthodoxo plurimas exhibuerat illorum perfidia & pe[illegible]ntia, cum ad illud unice quæstiones sererent in Ecclesia, ut inde tumultus colligerent, & pretiosam Pacem Catholicorum funestarent.

Con-

Continuationis Prosecutio.

EQuidem plus, quam satis videri possit Lectori Veritatis studioso, quod hactenus prolixe post aliorum de Honorii Pontificis Monotheliſmo Censuras à Doctoris Veneti opere posthumo & recenti in gratiam Launoii, ne solus videantur Honorio iniquior fuisse, visum est excerpere. Verum ne rivus hic claudatur facit opus noviter Luci publicæ expositum, sed ante quævis alia elaboratum, si solius Joverii Meditationes excipiantur, *Edmundi* videlicet *Richerii* Doctoris quondam Sorbonici Historia Conciliorum generalium, cujus Librum de Potestate Ecclesiastica & Civili sub initium hujus Seculi editum Goldastus tertio Monarchiæ Tomo cum pluribus ejusdem argumenti lectu dignissimis inserait. Sicut autem antehac Liber de Potestate &c. à Censoribus Romanis atro notatus fuit lapillo, ita eandem censuram hæc quoque opus Historicum post obitum Authoris tandem à tenebris emergens non potuit effugere, quo minus nuper authoritate Pontificis præscriberetur. In promtu causa est, quia pleraque Stylo liberiore ad normam Veritatis Historicæ in eo leguntur scripta, ac inter alia id etiam inprimis, quod Honorii Pontificis Monotheliſmum attinet, dignum omnino, cujus aliqua pars hic etiam legatur, præsertim quia Bellarmini pro Honorio Apologiam adcurato subjicit Examini, ita ut ad hanc Controversiam plane decidendam nihil amplius in posterum videatur deesse, si secundum omnes circumstantias veniat expendenda. Tractat vero eam Doctor Sorbonicus in Historia Synodi sextæ, generatim de ea atque in antecessum observans ex Sulpitii Severi Historiarum libro secundo, quod, quem ad modum in Synodo Ariminensi sub colore Pacis stabiliendæ & novitatis vitandæ, vocabuli nimirum ὁμοούσιος, Fides Synodi Nicænæ homonymiarum & ambiguitatem involueris pene fuit obliterata per Arianos, ita similiter Honorius literis ad Sergium specie Pacis fovendæ Fidem & Decreta Synodi Calchedonensis adversus Eutychem omnino antiquarit. Post ex ipsis Honorii literis, quas adposuit integras, commodius in Tomis Conciliorum legendas, sex articulos format, quibus evidentissime probari putat, eum fuisse Monothelitam. *Primo*, inquit, observandæ sunt personarum circumstantiæ, quæ ansam illi Epistolæ hujus scribendæ præbuerunt, nimirum Cyrus, Sophronius & Sergius. Cyrus nempe primus docuit, Christum unicam duntaxat habuisse voluntatem. Id ubi Sophronius accepit, cum simplex esset Monachus, acriter obstitit Cyro, Patriarchæ tum Alexandrino; qui, scilicet Sophronius, factus postea Episcopus vel Patriarcha Hierosolymitanus, Synodum habuit, atque Synodicam de errore Cyri misit ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, sicut tum moris erat. Ut enim aliquo corporis humani membro laborante, cætera in medicam opem ferre solent membra; sic aliqua nascente controversia in Provincia quadam Episcopi aut eidem adfines, & Sedes potissimum Patriarchales ac Metropolitanæ ad Sanctorum communionem confugere habebant in more, ut controversia finiretur, quandoquidem singulares Ecclesiæ de se invicem sollicitæ esse debent, eamque ob causam Christus illas Aristocratico Regimine voluit gubernari. At vero Sergius non modo Cyrum suis defendit Scriptis, sed Honorium quoque excivit, ut Cyrum tueretur, ac errorem Monothelitarum propugnaret, è contrario autem Sophronii Sententiam damnaret. Et quidem Honorius sub initium Epistolæ ad Sergium, cum de Sophronio facit verba, illum propter Sententiam, quam adferebat, ita habet contemtui, ut contra morem usitatum ne quidem Consacerdotis, co-Episcopi aut Fratris nomine, vel alio aliquo humano & civili titulo eum salutet, quod testimonio est, sententiam Sophronii orthodoxam valde exosam Honorio fuisse. Sed quando Patres sextæ Synodi hanc Sophronii Synodicam, quam Honorius damnavit, laudant atque adprobant, Cyrum vero & Sergium

Digitized by Google

gium, quos propugnabat Honorius atque laudabat, veluti hæreticos damnant, neceſſario ſequitur, Honorium eodem condemnationis telo etiam confodi, dato etiam, (quamvis non conceſſo) quod nominatim non damnatus fuerit à Synodo. *Secundo* notandum, Honorium in Epiſtolæ exordio dulce quidem ac ſpecioſum Pacis nomen obtendere, atque ab omni vocabulorum novitate abſtinendum proclamare, quin & aliquas propoſitiones orthodoxas defigere, interea tamen illas, ut facilius errorem atque venenum inſinuet, quibuſdam æquivocis dictionibus involvere. *Tertio*, cum pro ſuæ opinionis auctoramento ſtatuere, in utraque Natura Verbo carnem eſſe factum, & Chriſti Humanitatem de Cœlo cum Divinitate deſcendiſſe &c. Quid autem clarius dici potuit ad confirmationem erroris Monothelitarum? *Quarto*, dum urget Honorius, nihil ſynodice definitum eſſe de duabus Chriſti voluntatibus earumque operationibus, fallit & fallitur, quia in Synodo Calchedonenſi diſputatum atque definitum fuit, Chriſtum ſecundum Divinitatem eſſe DEO Patri, & ſecundum Humanitatem B. Virgini & nobis omnibus conſubſtantialem &c. Cæterum, eo ipſo, quod Honorius adfirmat, neque ſynodicis apricibus, neque Canonicis authoritatibus hanc controverſiam fuiſſe explanatam, liquido demonſtrat, quantæ tunc fuerint authoritatis apud omnes, & præſertim Romanos Pontifices Synodi atque Canones, & nullo plane modo fuiſſe perſuaſum hominibus, Papam eſſe infallibilem Eccleſiæ Monarcham, utpote quæ opinio tantum invaluit, poſtquam Synodi deſierunt celebrari, in quorum videlicet locum Curia Romana ſuum de Papæ infallibilitate ſubſtituit commentum, ut expeditius de omnibus Eccleſiæ negotiis Monarchice decerneret. Præterea hinc etiam colligitur, nulla ratione alia Honorium, qui in errorem Monothelitarum incidit, poſſe validius excuſari ab errore, quam, quod illum defenderit, antequam eſſet ſufficienter, id eſt, ſynodice, uti tum moris erat, definit; ſiquidem aliqua naſcente controverſia, priuſquam ſit ſufficienter & Synodice explicata & deciſa, neminem, ſi modo unitatem & Pacem Eccleſiæ cum propoſito Eccleſiam audiendi ſervet, vitio aut crimini poteſt eſſe, quod contra Veritatem orthodoxam ſentiat. Ratio eſt, quia tum ignorantia laborat invincibibili, quam ſolam Concilia generalia (N B. loquitur Sorboniſta ſecundum hypotheſes receptas) ſufficienter poſſunt illuminare juxta Apoſtolicam Eccleſiæ primitivæ diſciplinam. Hac inquam ſola ratione Bellarminus & alii Curiales Honorium ab hæreſi liberare poſſunt, quæ tamen excuſatione nolunt uti, ne magnum vulnus & præjudicium infallibilitati Papæ infligant. *Quinto*, quod Honorius ait, Grammaticis eſſe relinquendum, utrum una an duæ Voluntates & operationes dici debeant in Chriſto &c. oſtendit ſe Theologiæ & Philoſophiæ penitus ignarum, quia hoc ipſum, quod Grammaticis relinquit, quantum eſt, non ad Grammaticam, ſed ad Theologiam pertinet. Annon enim eſt Theologorum, adſignare differentiam & proprietates Divinæ ac humanæ Chriſti Naturæ? *Sexto*, ipſa concluſio, qua Honorius ſcribit ad Sergium, Hæc nobiſcum veſtra fraternitas prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus &c. aperte demonſtrat, Honorio propoſitum fuiſſe dogma condere, vel, uti loquuntur recentiores, ex Cathedra decernere ac definire. Quid enim eſt, ſi hoc non eſt, de Cathedra definire, injungere alicui prædicationem publicam alicujus doctrinæ? Et poſtquam hic Doctor Sorbonicus monet, in editione Conciliorum Romana, (recentiores enim non vidit, aut videre potuit) ad marginem notari, quod ultima etiam collectio habet, Maximum in Dialogo cum Pyrrho Honorium defendere, ac Bellarminum teſtari, hunc Dialogum extare in Bibliotheca Vaticana, quem Baronius ad calcem Tomi Annalium octavi ex Verſione Turriani ediderit. (N B. Addo, Combefiſium novæ Editioni operum Maximi Græce cum nova Verſione & Notis inſeruiſſe) ac Binius quoque in ſuam Collectionem conjecerit, cujus etiam meminuerit Photius in Bibliotheca, quamvis prætermittens indicare, eum pro Honorio vel in ejus gratiam eſſe ſcriptum, ſubjunxit: At vero, præterquam, quod hæc, quæ Maximus pro Honorio dicitur ſcripſiſſe, ambigua ſunt & æquivoca, Lectori inſuper relinquo conſiderandum

dum, an ſit rationi conſentaneum, hoc Maximi privatum & ſingulare teſtimonium è Bibliotheca Vaticana in cauſa Curiæ Romanæ pro infallibilitate nuper expromtum opponi & comparari certiſſimo, antiquiſſimo & locupletiſſimo trium Synodorum generalium judicio, quod ipſorum Romanorum authoritate habuit robur. Poſt hæc ulterius commemorat, Agathonem Papam ante finem Synodi ſextæ univerſæ carnis viam eſſe ingreſſum, ac Leonem ſecundum loco illius ſuffectum, qui Literis ad Imperatorem Conſtantinum miſſis Synodum confirmarit, atque Honorium ſimul hæreſeos condemnarit. Romam vero hoc ipſomet mortale vulnus infallibilitati Monarchiæ fuit illatum, ideo Baronius & Binius in Notis ad memoratam Leonis ſecundi Epiſtolam laborarunt eidem dicere repudium. Sed fruſtra quando Honorii damnatio robur habet à communi & Synodico Patrum conſenſu, non autem à confirmatione demum Papali. Deinde, ut argumento ad hominem confodiamus Baronium & alios Curiales, invaluit apud illos Sedem Romanam acta omnium Synodorum ſervaſſe illibata, atque ex ejus ſcriniis, non aliunde, rerum iſtarum veritatem eſſe hauriendam; quod multo magis locum habere debet in Synodo ſexta, quam in omnibus aliis, propterea, quod officium Romanum in Feſto Leonis ſecundi die viceſima & octava Junii in Lectionibus refert, Leonem probaſſe Acta Synodi ſextæ, præſidentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, eamque in Latinum tranſtuliſſe. Hæc enim verba demonſtrant, Curiales eſſe fruſtra in probando, acta hujus Synodi à Græcis, ſedis Romanæ æmulis, corrupta & nomen Honorii falſo in ea conjectum; cùm hic nominatim doceamur, Leonem acta è Græco in Latinum tranſtuliſſe. Quis autem credat, ſedem Romanam ejuſmodi acta à Leone converſa non diligenter adſervaſſe; & ſi animadvertiſſet, Græcos exempla protuliſſe adulterina, non ſtatim illa falſitatis arcuſaturam, ac genuina à Leone ſecundo converſam exhiturum contra Græcorum falſitatem? Hoc autem cum neque anteactis, neque his poſterioribus ſeculis à Baronio, Bellarmino, aut aliis fuerit factum, certiſſimo eſt argumento, Acta Synodi hujus, quæ habemus eſſe integerrima, & nulla extare alia in Bibliotheca Vaticana, quam quæ à multis jam ſeculis ferimus noſtris manibus, quoque ab annis (ſcripſit enim Doctor hic Sorbonicus ſub initium hujus ſeculi) Romæ cum aliis edita ſunt Conciliis. Nemo certe, qui ſtudium atque diligentiam Curialium in tutanda Papæ Monarchia abſoluta novit, unquam ſibi perſuadebit, illos hac in parte tam oſcitantes & negligentes fuiſſe, ut quam primum Acta hujuſmodi, ſi ulla extarent alia, cum diſputatione, quam Maximus habuit cum Pyrrho, non evulgaſſent. Equidem Honorium fuiſſe Monothelitam, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Ecquis enim poſt teſtimonium ſextæ, ſeptimæ & octavæ Synodi generalis hoc in ambiguum vertere audebit, niſi impius, ſuumque privatum & ſingulare judicium judicio totius Eccleſiæ Catholicæ anteponens; atque viam hæreticis omnibus inſtruens ad revocanda in dubium omnia, quæ Conciliis generalibus ſunt definita? His ita expoſitis, Doctor Sorbonicus progreditur ad examen Apologiæ, quam Bellarminus in gratiam Honorii inſtituit, eam excutiens prolixe ac nullitatis arguens. Et quidem *primo* obſervat, quod Bellarminus in gratiam Honorii ſcribens, ſorte confictas eſſe à Græcis Honorii ad Sergium Epiſtolas, idque confirmare tentans, quia hæreticis ſolenne ſit alia permulta adulterare, uti pateat ex actione ſeptima Synodi quintæ, adjectione adverbii forte ſuam peſſumdet cauſam, ac ſeſe hominibus judicio præditis irridendum præbeat. Dato autem, inquit, quod acta Synodi quintæ fuerint corrupta à Græcis, uti fuerunt corrupta, non continuo manet probatum, Honorii nomen irrepſiſſe in acta Synodi ſextæ, præſertim cum videamus ſtatim atque acta Synodi quintæ pro Monotheliſmo auctorando fuerunt producta, Agathonis Legatos exclamaſſe, illa eſſe corrupta. Contra, ubi audiverunt, Maccarium Antiochenum citare Honorium pro ſui erroris tutela, & Epiſtolam Honorii ad Sergium examinari atque damnari conſenſu communi, ſponte dederunt manus Veritati, atque Honorium cum aliis damnaverunt. Inſuper addo, teſtari Epiſtolam Conſtantini Imperatoris ad Donum Pontificem,

ante-

Digitized by Google

antequam ulla eſſet mentio Synodi habendæ, Gregorium Conſtantinopolitanum & Maccarium Antiochenum authores Imperatori fuiſſe, ut nomen Vitaliani Papæ è ſacris Tabulis abradi, atque nomen Honorii juberet retineri; ipſumque Gregorium Conſtantinopolitanum, ubi teſtimonia in ſuggeſtione Agathonis prolata recenſuit, priorem mutaſſe ſententiam, & Imperatorem rogaſſe, ut nomen Vitaliani retineretur in Tabulis. Certe cum in diverſis viginti locis ac amplius nomen Honorii ex profeſſo & native inſitum ſit actis ſextæ Synodi, impoſſibile eſt, illud obreptitium eſſe aut ſuppoſititium, uti liquidò acta mature legentibus conſtabit. *Secundo*, ubi contendit Bellarminus, nullum eſſe in Epiſtolis Honorii errorem, reſpondet Doctor Sorbonicus, eum adſumere pro certo, quod quam maxime ſit controverſum, imo repugnare cum definitione ſextæ Synodi, quæ Honorii Epiſtolas tanquam erroneas, uti revera ſunt, damnaverit, provocatione facta ad ipſam rei demonſtrationem ſupra propoſitam, à qua ſole clarius ſit, Honorium fuiſſe Monothelitam, nec quemquam id poſſe negare, qui ſingulas earum clauſulas examinaverit. Addit, eum in Epiſtola poſteriori ſcripſiſſe quidem utramque Naturam in Chriſto unitate naturali (perſonali) copulatam cum alterius communione operari, at in ſequentibus uti ambiguis plane ac involutis vocibus, ut ſuum tegeret venenum. Hinc falli & fallere Bellarminum à diviſis ad conjuncta argumentantem, & quia non conjunctim, ſed ſeparatim Honorii propoſitiones capiat, eaque dividat, quæ ſimul conjungi debeant & intelligi. Atque ſic pariter promtum eſſe demoliri Andreæ Vallii argutias, qui in libri de Papæ poteſtate ſuprema, Partis ſecundæ quæſtione quarta finxit, Honorium definiviſſe, abſtinendum à nominibus duarum aut unius Voluntatis Chriſti, ſicut Clemens Pontifex octavus ſtatuit, ne quiſpiam in quæſtione de Auxiliis alterutram condemnaret partem; utpote quæ argutia ſatis ex actorum veritate & lectione Epiſtolarum Honorii confutatur. Præterea, Honorius illo tempore non id potuit ſtatuere, quod Clemens octavus, quoniam tum temporis abſoluta Pontificum Imperia non fervebant, ſed omnia Synodis & Ariſtocratio regimine peragebantur in Eccleſia, Pontifices autem ea executioni mandabant, quæ ſtatuta fuerant Synodice. Ad tertium, quo provocat ad Maximi teſtimonium, & quartum, quo Honorii Epiſtolas ab erroribus liberare conatur Bellarminus, jam reſpondit Doctor Sorbonicus. Sequitur hinc *quinto*, quod idem Bellarminus urget, Honorii nomen Actis ſextæ Synodi inſertum ab æmulis Eccleſiæ Romanæ, idque tribus probat conjecturis. Earum prima eſt, quia hoc teſtatur Anaſtaſius in Hiſtoria ex Theophane Iſauro. Secunda, quia mos fuerit Græcorum fere ordinarius corrumpendi libros, quod putat patere ex Synodo quinta, in quam Epiſtolas Mennæ ad Vigilium, & viciſſim Vigilii ad Juſtinianum falſo inſeruerint. Adtexit conquæſtionem Leonis & Gregorii, utriuſque primi, quorum ille Epiſtola poſt octogeſimam tertia ad Monachos Palæſtinæ de nonnullis quæritur, qui aut imperite aut maligne Epiſtolam ejus ad Flavianum ex Latina ad Græcam tranſtulerint linguam; hic vero libri quinti Epiſtola poſt centeſimam & decimam quarta ad Narſen adſerit, Conſtantinopolitanos adulteraſſe Synodum Calchedonenſem, ac idem ſuſpicari de Epheſina, Romanos autem nec acumina nec impoſturas habere. Tertia eſt, Nicolaum itidem primum hoc teſtari in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Si ergo, inquit Bellarminus, Græci corruperunt tertiam, quartam, quintam & ſeptimam Synodum, quid mirum, ſi ſextam quoque corruperint? At, ô plumbeum, reſpondet Doctor Sorbonicus, argumentum! Dato enim, quod Græci quædam Acta Synodi quintæ adulterarint, anne ſequitur, eos hanc quoque Synodum, de qua agitur, interpolaſſe? Scilicet, ex vulgari Dialecticorum axiomate incommodum adferre non eſt ſolvere argumentum. Ante hæc nimirum tempora, quibus abſoluta Papæ infallibilis Monarchia pro dogmate Catholico venditatur, nemini unquam venit in mentem de Actis ſextæ Synodi, qua parte Honorium Monotheliſini convincunt, dubitare. Anaſtaſii vero teſtimonium quod adtinet, ut adverſarium argumento ad hominem debellemus, idem in Hiſtoria Synodi octavæ, Tomo tertio Editionis

privato Concilio. Enimvero (non) ſolum Papa reſpondet de Cathedra, quando Synodum cogit, & eos, qui ſunt Cathedræ in ſolidum participes, libere & Canonice loquentes audit, ſubductiſque ſuffragiis illorum concludit, ut Agathonem feciſſe in negotio præſenti compertum eſt ex Actione quarta Synodi hujus ſextæ. Inſuper hæc Controverſia à Monothelitis excitata jampridem in Synodo Calchedonenſi fuerat adfecta, nec eam prorſus conficere à Patrum Calchedonenſium Decretis erat difficile. Porro, quædam hic adfinguntur Agathoni à Bellarmino, quæ ipſe ſibi non adtribuit in Epiſtola, cujuſmodi eſt, Pontificem, ut Pontifex eſt, non poſſe aliquid decernere contra Fidem. Et quamvis id Agatho ſibi adrogaret, minime tamen id verum eſſet aut Patribus Eccleſiæ probaretur, qui in omnibus Synodis generalibus ſemper Decreta Pontificum Romanorum Canonice examinarent. *Septimo*, ait Bellarminus, Nicolaum in laudata ad Michaelem Epiſtola aſſerere, Pontifices Romanos ne quidem tenui ſaltem erroris rumore unquam fuiſſe adſperſos. At, quomodo hoc verum eſt, ſi in publico & generali Concilio ſæpius adclamatum Honorio tanquam hæretico anathema? Sed, reſpondet Doctor Sorbonicus, non ægrius ferendum, ſi Actis trium Synodorum generalium multo magis credatur, quam uni Nicolao, teſtimonium in propria ferenti cauſa, ac pro Evangeliis non habeantur, quæ à Nicolao dicuntur. Quam multa enim in Scriptis & Epiſtolis Pontificum Romanorum figurate & per ἔκφασιν blandiente Cathedra dicuntur. *Octavo* urget, niſi fateamur, Synodum ſextam ab æmulis Eccleſiæ Romanæ adulteratam fuiſſe, neceſſum eſt, illam errore intolerabili ac impudentia laboraſſe; quippe, quæ nullum aliud habuerit indicium aut validius argumentum erroris Honorii, quam ex ejuſdem Epiſtolis ad Sergium. At illæ, ſcribit Bellarminus porro, teſtantur clariſſime, Honorium ſenſiſſe & docuiſſe duas in Chriſto operationes, & ſolum voluiſſe à nominibus ad tollendum ſcandalum & ſedandum contentionem abſtineri. Doctor Sorbonicus iterato reſpondet, Honorium plane ac perſpicue negaſſe, Chriſtum duas habuiſſe Voluntates & operationes, ac ſpe Pacis, conciliandæ ſuam texiſſe hæreſin more Arianorum, qui omnem movebant lapidem, ut à novitate vocabuli ἰσοσίου abſtineretur, atque ſic Fides Synodi Nicenæ everteretur. *Nono* cauſatur, Martinum Pontifices hujus nominis primum ante, quam Synodus ſexta haberetur, damnaſſe in Synodo Romana Sergium, Pyrrhum & Paulum, Patriarchas Conſtantinopolitanos, nulla Honorii mentione facta, idque adtribui non poſſe perſonarum acceptioni, cum Martinus & cæteri, qui Synodum Romæ celebrabant, viri fuerint ſanctiſſimi. Doctor Sorbonicus reſpondet, cum Honorii factum nihil ſpectaret ad quæſtionem juris, hoc eſt, ad theſin de Monotheliſmi condemnatione generalem, (ſi modo conſtituamus, uti conſtituendum eſt, Eccleſiam collective ſumtam, non unum & ſolum Papam eſſe infallibilem) nihil quidem opus fuiſſe, ut Martinus in hac Synodo Romana infamiam ſui Prædeceſſoris, quaſi pudenda fratris nudaret; & quoniam id non fecit, hoc ejus ſanctitati non derogat, mirumque videtur, Bellarminum tam puerilia potuiſſe non tam ſcribere, quam apud ſe meditari argumenta. *Decimo*, contendit, ſi quis adduci non poſſit, ut credat, Synodum ſextam fuiſſe corruptam, debere cum Johanne de Turrecremata reſpondere, Patres, Synodi Honorium damnaſſe ex informatione falſa, ac proinde in illo erraſſe indicio. Doctor Sorbonicus reſpondet, vel hinc patere, Curiales nullo modo ſcribere ad veritatem, ſed tantum, ut ſuas opiniones imaginarias quæſitis undequaque evaſionibus cavillando tueantur, quæ certe ſummam redolent impietatem, quia hæreticis ſternunt viam, qua omnes omnina Conciliorum definitiones ſuggillent ac evertant. Nam, qua facilitate prætexunt, Synodum hanc ſextam eſſe corruptam, aut Patres Synodi ex informatione falſa Honorium damnaviſſe; eadem quoque Ariani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani &c. cauſabuntur, ſe itidem ex informatione falſa damnatos, & Acta Synodi Nicenæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ &c. corrupta eſſe. *Undecimo* ſupponit, Epiſtolas Honorii melius intellectas à quatuor

Pontificibus Romanis, nimirum, Johanne quarto, Martino, Agathone & Nicolao primo, nec non à tota Synodo Romana sub Martino, quam à Patribus Græcis Synodi sextæ. Hæc cum lego, scribit Doctor Sorbonicus, magnus me subit stupor, quod Bellarminus utatur argumentis tam imbecillibus, nisi forte potius sibi argumenta Scholasticis ad leviter ventilandum, quam rationes adcuratas ad satisfaciendum doctis proposuit suppeditare, facta remissione ad ea, quæ argumento septimo & non fuere opposita. *Duodecimo* fingit, Agathonis Legatos, cum Honorius damnaretur, noluisse in Synodo obsistere & reclamare ad evitandum majus malum, id est, ne impediretur Definitione rectæ Fidei. Ergo jam fatetur Bellarminus, Honorium fuisse in Synodo sexta damnatum. At, quis hoc docuit commentum, noluisse Legatos Agathonis obsistere &c. Profecto, male est causa, quæ tantis indiget actionibus, ut defendatur. Quotusquisque Judicum in Foro civili perferret litigantes, qui cavillationes & evasiones tam absurdas ad sui defensionem usurparent? Sed, tantæ molis erat Romanam condere Monarchiam, eamque infallibilem! *Decimo & tertio*, quoniam Patres Synodi septimæ Decretum Synodi sextæ comprobarunt, & Actione ultima Honorio cæteriſque Monothelitis anathema dixerunt, obtendit Bellarminus, illos ex Actis sextæ Synodi corruptis fuisse deceptos. Quæ responsio, inquit Doctor Sorbonicus, aut impium potius effugium continuat in petitione principii, supponens, non probans, Acta Synodi sextæ adulterata esse, quod est falsissimum. *Decimo & quarto*, quia in Synodo generali octava, ac ejus Actione septima & adlocutione tertia Pontifex Adrianus memonat, Honorium de Sedis Apostolicæ sententia damnatum fuisse, Bellarminus opponit, si Acta hujus Synodi octavæ sint vera, respondendum esse, non aperte Adrianum dixisse, Honorium fuisse hæreticum, sed solum Anathema ei dictum ab Orientalibus, quia de hæresi fuerit adcusatus, atque Orientales non ausos fuisse sententiam dicere in Honorium, nisi consensus adcessisset Sedis Romanæ, si vero Acta dicantur corrupta, sequi, Adrianum fuisse deceptum ex Actis sextæ Synodi depravatis. Sed, inquit Doctor Sorbonicus, nihil aliud promovet Bellarminus, præterquam quod demonstrat, hoc unum sibi fuisse propositum, ut adversetur veritati notissimæ, ac tenebras ludificandis tyronibus & imbecillibus ingeniis effundat. DEUS, bone! Ecquodnam est crimen, Acta trium Synodorum generalium authentica, à Pontificibus Romanis comprobata, & quingentorum ac amplius Annorum lapsu pro veris atque legitimis habita, falsi insimulare, absque ulla ratione valida & manifesta? Hic te, Lector, obsecro, adtende morem Curialium. Dum namque aliquod Concilii Decretum dogmatibus illorum de Papæ Monarchia infallibili & absoluta contrarium opponitur, insurgunt contra, ejusmodi decretum non esse probatum Sedi Romanæ, ut falso de Synodo Constantiensi perhibent. Et ubi nullo plane modo consensum & adprobationem Sedis Apostolicæ in dubium revocare queunt, tum Acta esse adulterina & suppositicia comminiscuntur; cum tamen nulli unquam plura ad imaginaria sua placita confirmanda sint commenti, quam Curiales. *Decimo & quinto*, Bellarminus ad objectionem, quod Patres Synodi sextæ & septimæ, atqui sic etiam Pontifices Leonem & Adrianum, utrumque hujus nominis secundum, eo ipso, quod crediderint Honorium fuisse hæreticum, una simul existimarint, Papam non esse infallibilem, sed errori obnoxium, respondet, illas solum putasse, Papam ut hominem privatum errare posse, quod probabile est, inquit Bellarminus, licet putem probabilius, eum ne quidem ut hominen privatum errare posse. Atque hinc vult efficere, Honorium duntaxat adcusari, quod errarit tanquam privatus homo, & in Literis ad Sergium privatis foverit hæresin. Verum, sic explodit responsum Bellarmini Doctor Sorbonicus, hæc omnia negantur, quæ Bellarminus supponit pro certis, scilicet Papam non posse errare ut Papam; istem & quidem, multo magis negatur, eum non posse errare ut hominem privatum. Insuper id etiam negatur, Honorium ut hominem aut Doctorem privatum literas ad Sergium scripsisse, cum & Sergii

ad

Digitized by Google

ad Honorium & Honorii ad Sergium fuerint dogmaticæ, uti Patres Synodi ſextæ loquuntur ſtatim ſub initium Actionis poſt decimam tertiæ. Hinc argumentor ad hominem: licet Epiſtolæ Sergii & Honorii juxta doctrinam Scholæ Pariſienſis non proceſſerint ex Cathedra, eo, quod extra Synodum ſunt factæ, tamen ſecundum placita Curialium revera ſunt ex Cathedra, quia docent. Papam cenſeri etiam reſpondere & docere de Cathedra, quando aliquid ſcribit & ſtatuit per modum Dogmatis ad Eccleſiam univerſalem informandam & erudiendam, adhibito Concilio aliquo privato, quod ab Honorio & Sergio factum fuiſſe certum eſt, cum nullis ſit tam [illegible] qui non aliquorum hominum ſibi obnoxiorum & adulantium opera utatur. Hinc factum eſt, ut Honorius ſuas ad Sergium literas ita obſignarit: *Hæc nobiſcum veſtra Fraternitas prædicet, ſicut & nos ea nobiſcum unaniniter prædicamus.* Quæ ſatis oſtendunt, eum in animo habuiſſe, dogma condere. Ideo, inter Honorii, Sergii, Cyri & Sophronii ſcripta hoc intercedit diſcrimen, quod illi tres primi (quanquam Cathedræ & Sacerdotii in ſolidum participes, quia erant Epiſcopi), non ex more Eccleſiæ primitivæ, in qua Synodice atque ex ſanctorum communione omnia definiebantur, ſed motu ac ſpiritu proprio, ope Concilii alicujus oligarchici ſuam ediderint ſententiam, unde etiam DEUS in hæreſin illas ruere præcipites permiſit; contra autem Sophronius Cathedram & Synodum conſuluit, ideoque Epiſtola ejus vocatur Synodica à Patribus in Actione laudata. Certe, quando authore Bellarmino ordinarium ad obtinendos adflatus Spiritus S. medium eſt Concilium, parvum aut magnum, unum vel multa, & Honorius cum Sergio & aliis motu proprio ſua decreverunt dogmata, nil mirum eſt, eos tam turpiter ceſpitaſſe; ſiquidem Eccleſia non poteſtate abſoluta vel motibus privatis, ſed Canone debet regi, quia communio ſanctorum, quæ cogi non poteſt, finis eſt Regiminis Eccleſiaſtici. *Decimo & ſexto*, ad Epiſtolam Leonis ſecundi, qua comprobantur Acta Synodi ſextæ, & Honorius cum aliis damnatur hæreſeos, excipit Bellarminus, Epiſtolam Leonis ab iiſdem fuiſſe corruptam, qui ipſa Synodi acta adulteraverint, vel, Leonem ſecutum fuiſſe judicium Agathonis Legatorum, ne confectum diſturbaret negotium, atque, nos non magis ſequi debere unum Leonem, quam quatuor alios Pontifices, ſcilicet, Johannem quartum, Martinum, Agathonem & Nicolaum, præſertim in quæſtione facti, quæ ad fidem non pertinet, nempe, Honorium fuiſſe Monothelitam His argutis punctiunculis, uti vocat Doctor Sorbonicus, quanquam antea jam ſatis ſit factum, iterato tamen venit notandum, Exempla Synodi ſextæ genuina Romæ diligenter adverſata fuiſſe, atque à Leone ex Græco in Latinum tranſlata, atque in rebus ad Hiſtoricam & Quæſtionem facti pertinentibus nefas eſſe aliquid de proprio meditari celebro, cujuſmodi eſt, Leonem noluiſſe definitionem in Synodo ſexta factam contra Monothelitas diſturbare: inſuperque diverſam eſſe rationem quatuor Pontificum, quos nominat Bellarminus, & Leonis atque Achiani utrinque ſecundi. Nam quia (Romano-) Catholici tenentur & adſentiri Romano Pontifici de Cathedra, id eſt, Synodice & Canonice docenti, minime autem, dum aliquid motu privato decernit, (quoniam motus hominis privatus ut plurimum Catholico & univerſali Eccleſiæ ſpiritui & ſanctorum communioni adverſatur) certumque eſt, Leonem & Adrianum ex Actis Synodi ſextæ indubitatis, id eſt, ex communione ſanctorum docere, Honorium fuiſſe Monothelitam, ideo illis indubitata fides eſt habenda, minime autem Johanni, Martino, Agathoni & Nicolao, quippe qui de Honorio vel nihil penitus nominatim & ſpeciatim, vel tantummodo generatim ex ſenſu privato docent, Papam erroribus obnoxium non eſſe, quod vero ipſum eſt poſitum in controverſiâ. *Decimo tandem & ſeptimo* Bellarminus authores opponit authoribus, illos nimirum, quas Onuphrius apud Platinam in vita Honorii enumerat. Sed fallunt hæc in conſequentia probationis, ſicque procedunt à negatione: Authores illi non meminerunt Honorii, tanquam Monothelitæ, ergo non fuit hæreticus, vel Acta Synodi ſextæ & ſequentium, ſcilicet ſeptima & octa-

Digitized by Google

octavæ ſunt corrupta. Quis vel talem docuit Logicam? Profecto qua facilitate & confidentia Onuphrius, Bellarminus, Baronius, Binius & alii Curiales acta Synodorum laudatarum publica perhibent eſſe vitiata, multo majori ratione poſſumus contendere, privatos authores, quos illi ad ſuæ privatæ opinionis defenſionem exhibent, fuiſſe corruptos, atque nomen Honorii conſulto delectum eſſe ex Hiſtoria Anaſtaſii, cum is in actis Synodi octavæ, quæ fecit Latina, adſerat Honorium à Patribus ſextæ Synodi damnatum fuiſſe. Certe, facilius eſt multo, privatorum ſcripta, quam Acta Conciliorum publica, quæ omnium manibus ferentur, vitiare. Cæterum perpende Lector, quidnam deinceps ſanctum atque intemeratum Catholicis erit, quando Acta trium Conciliorum generalium publica & à Pontificibus Romanis comprobata, atque omnium fere gentium & plurium ſeculorum conſenſione auctorata ſuum hodie patiuntur repudium, ut infallibilitas Papæ ac Curiæ Romanæ placita atque commoda adſerantur? Procul dubio enim unico hoc abſurdo per illos dato & ab aliis conceſſo multa ad illud tutandum fingere & more Sophiſtico detorquere neceſſum erit. En, quo ambitio, adulatio & hominibus placendi ſtudium abſtrahit oraculi Apoſtolici immemores: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem!*

Ultimus Pro Honorii Pontificis honore conatus.

POſt debellatos Baronium, Bellarminum, Binium & quoſdam alios, qui cauſam Honorii deſperatiſſimam omni conatu & ſtudio defendendam ſuſceperunt, videbatur res hæc in eo ſtatu eſſe, ut non facile quis poſthac auſurus eſſet eam iterato readſumere, ac inſtar Advocati partes agere Honorii cunctis videlicet rationibus, quæ aliquam habebant in oculis non plane nullorum ſpeciem ita eviſceratis, ut nemo prudens facile credebatur iis fidem adhibiturus. At, cum nulla ſit tam deformis bucca, quæ non aliquando ſuos habeat baſilatores, præſertim, ſi aliud quid lateat, quod ſpem alicujus lucri poſſit præbere; hinc cauſa Honorii, quamvis peſſima, in Aula tamen Romanenſi favorabilis valde, ſi quis eam colore novo poſſet ornare, calamum arripere juſſit, *Franciſcum Marcheſium*, Congregationis Oratorii Presbyterum, hominem in orbe erudito novum, ac nullo antehac publicæ ſcriptionis genere cognitum, qui, ut Eccleſiæ, cujus ſe membrum eſſe profitetur, utilem præſtet operam, ac ſe commendatum ſiſtat, hoc eligit argumentum, in quo primas eruditionis Theologicæ vires experiretur. Hinc nuper Romæ cum permiſſu Superiorum in publicam lucem edidit Vindicias Honorii ſub titulo *Clypei Fortium*, quem ſacræ Hiſtoriæ Profeſſoribus obtulit in Dedicatione, veniens in partes Eccleſiæ laborantis, ut altiores aliquando firmioreſque extruantur aggeres adverſus excreſcentem nimiæ libertatis & irreverentiæ torrentem, uti ſcribit, qui Cedros etiam Libani & Quercus Baſan conetur impellere, id non ſcripturus, ſi hujus phraſeologiæ in Sacris uſitatæ verum adtendiſſet ſenſum; addita per commune ſtudium Veritatis obteſtatione, ne comperta Honorii innocentia, illius illibatum decus honoremque à pleriſque nonnulla ejus verba in pravum detorquentibus temere deturpari ſinant amplius. In Præfatione autem obſervat, hanc controverſiam non ea, qua res tanti indigebat momenti, adcurata diſcuſſione ventilatam, nec cuncta ad amuſſim ponderata, in variis Authorum codicibus ſacriſque Chronologiis eſſe digeſta, ex quibus facti veritas perſpicue poſſit evinci. Et quamvis ſingulari proſequatur Elogio labores eorum, qui in gratiam Honorii ſcripſerunt, non potuit tamen diſſitui, eos argumenta maximi ponderis ab adverſariis producta nondum omnino diluiſſe. Decrevit hinc occurrere triumphantibus acerrimis Eccleſiæ, ac potiſſimum Sedis Apoſtolicæ hoſtibus, ac more victorum de capta præda exultantibus, hac tamen cum præoccupatione, ut Lector purgato ab adfectibus animi oculo hos perluſtret codices, quo facti veritas elucelcat menti ſtudioſæ, timens nempe, ſi

præ-

Digitized by Google

præoccupatum gerat animum argumentis Anti-Honorianis devictum, cum cuilibet rationi adverſæ Honorii innocentiæ faventi aditum certo præcluſurum, imo cuncta abſque conſilio maturo deſpecturum, ac veluti plane fictilia irriſurum. Adcedit hæc etiam præmunitio, quæ ſibi ſatis ſuperque futura ſit, ſi demonſtrare conatus fuerit, Honorianæ damnationis ſeriem nullo adcidiſſe modo, quo in Actis Synodi & à nonnullis Authoribus recenſetur, licet quo pacto ſe res hæc habuerit, & ipſam Hiſtoriæ veritatem in ſingulis ad amuſſim ac ſtylo certo nequeat diſtinguere. Hæc in anteceſſum poſſunt ſufficere Lectori, ut inde prudenter cognoſcat, quid ab hoc *Pammachio* & ejus conatu liceat promittere, qui nec quemvis admittit ad hæc Saera, nec audet ſpondere, ſe rem ad liquidum eſſe ex omni parte deducturum. Optime factum, eſtque hoc candoris plus, quam Romani ſpecimen ſingulare, Lectoris ſimplicitatem inanibus promiſſis non lactare. Quorſum pertinet, quod in fine Præfationis ſperat, ſi cum Orthodoxis, id eſt, Romano-Catholicis ſibi ſit ſermo, eos ſibi adſenſuros in eo, quod ſi non infallibile, valde tamen ſit probabile, Honorium anathematis zelum à Synodo œcumenica intortum effugiſſe. Quæ hujus ſint probabilitatis, ſed non probabiliſſimæ argumenta quibus alii in hac controverſia non leguntur uſi, operæ non plane nullius erit pretium, inquirere hac cum proteſtatione ſolemni, obligatos minime nos fore ad eam conditionem, quam Author hic Romanus à Lectore Romano-Catholico requirit, ut, ſi rationes Honorio vel infenſæ, vel favorabiles æqua lance hinc inde libratæ adhuc in trutinæ æquilibrio videantur conſiſtere, Amor erga Sedem Romanam in partem potius Honorii favorabilem propellat, cum amor Veritatis ſibi potiſſimum hic locum depoſcat. Ne autem prolixitas nimia Lectori faſtidium poſſit creare, agendum erit per Excerpta tantum, videlicet eorum, quæ in aciem hanc nova videbuntur producta, iis plane prætermiſſis, quæ ab aliis dudum ſunt diſcuſſa. Diviſit Author opus hocce ſuum in partes quinque, ex quarum qualibet aliqua erunt notanda. Et quidem in primæ partis capite tertio, ut ſilentium Honorii excuſet, id obſervat, Sophronicum quoque illud ab initio comprobaſſe. Dum vero hoc ſcribit ſine teſtimonio, facillime reprobatur. Capite quinto adfirmat, Honorium, poſtquam Sophronius contra Monothelitas inſurrexit, & Legationem cum Actis Synodalibus ad Honorium direxit, poſtulans hoc dogma definiri, adſperrimas ad Cyrium Sergium literas ſcripſiſſe, eiſque diram minatum fuiſſe, ſed loco probationis nil aliud in promtu habens vel lectori commendans, quam quod *indubie* ſe ita exiſtimare ſcribit, atque putat, id ex verbis Legati, quem Sophronius Romam miſerit, conſtare, quibus ille legitur conteſtatus, ***DEUM excitaſſe Prædeceſſores Apoſtolicoſque Præſules in commonitione &c.*** At præterquam, quod dubia exiſtimatio hujus novitii Scriptoris apud Lectorem qualicunque etiam judicio præditum valde parum poteſt efficere, cujus nempe fides hiſtorica aliis omnino indiget documentis, teſtimonium Legati huc plane non quadrat. Confundit dormitans Homerus duplex iter Legati Sophroniani, unum quod ipſe fingit directum ad ipſum Honorium, quocum hoc negotium Monotheliticum diſcuſſerit, alterum vero, quod poſt obitum Sophronii demum ſuſcepit, uti teſtatur ipſe in oratione ad Patres Concilii Lateranenſis habita, ex qua hyperaſpiſtes Romanus aliquam excerpſit particulam, quaſi primæ Legationis fuiſſent verba; quæ inſuper nullam Honorii faciunt mentionem, ſed in genere provocant ad Martini Papæ, qui Concilio huic præerat, Prædeceſſores, nimirum, quos ipſe ſibi objicit, Severinum, Johannem quartum & Theodorum, contra quos non habuit, quod exciperet, quam quod ſe *non ambigere* iterato monuit, Honorium poſt adcuratiorem de Monothelitarum errore è literis Sophronii & ore Legati (quem forte nunquam vidit) perceptam à priori vocum ambiguarum ſilentio recedentem, comminatorios contra Sergium & Pyrrhum, illius erroris diſſeminatores ſcripſiſſe. Quid vero ſi alii non tantum dubitent & ambigant, ſed omnino inficientur, Honorium retractaſſe ac comminatorias ad Sergium & Pyrrhum ſcripſiſſe literas? Scriptor enim hic novitius nondum ea pollet authoritate, ut prudens Lector Veritatis amans ei ſine teſtimonio id perhibent fidem adhibere teneatur. Ac nullatenus videtur probabile, Synodi ſextæ Patres Honorium

ſocietati hæreticæ in anathemate Synodico adcenſurum, ſi ullam retractationis habuiſſent notitiam, Legatis etiam Romanis eam non ſilentio preſſuris, ſi quidquam tum de ea cuiquam innotuiſſet, quod de Leone ſecundo quoque credendum, qui nullatenus Acta Synodi confirmaſſet, aut permiſiſſet Anteceſſorem inter hæreticos numerari, ſi haſce literas habuiſſet in manibus, quas cùm contra Sergium & Pyrrhum ſcripſiſſe narrat hic author, ſed ſine ullo teſte, cum ab illo tempore, ex quo hæ literæ dicuntur ſcriptæ, nullus unquam vel verbo earum fecerit mentionem uſque ad annum ſeculi currentis octogeſimum, quo forte in ſomno huic Presbytero iſtæ oſtenſæ, ſed ab extus tantum, nec ei conceſſum, ut ad interiora oculos dirigeret. Utinam, ſic noſtrum Voto ejus ſenario conjungimus, iſtæ Honorii literæ extarent, ac acerrimæ in eis admonitiones & conteſtationes, quibus poſſet diſerte demonſtrari, Honorium iſtud dogma pravum coarguiſſe ac reprobaſſe. Addimus, expurgat aliquis ſcrutator Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſedulus, ac è ſcrutis Bibliothecarum eruat tandem exemplar harum Honorii literarum, ſed fide dignum & quod omni ſit majus exceptione, certoque credat, ſe non tantum de Sede Romana meriturum optime, ſed apud quoſvis hiſtoricæ veritatis ſectatores impetraturum laudes non exiguas, ob inventionem ejus documenti, quod maximam lucem adferre poſſet huic controverſiæ, quæ tot eruditorum ingenia varie hactenus exercuit & fatigavit. Interim opus non eſt, ut culpa transferatur in Græcos, prout ab hyperaſpiſte Romano hic factum legitur, ac ſi nimirum ii hoc animadvertentes, quod nempe Honorius per haſce literas ab hæreticorum ſocietate ſe liberaverit, omne ſtudium adhibuerint, ut eas perpetuæ traderent oblivioni ac pene ſupprimerent, eaſque duntaxat ſervarent atque proferrent, quæ verbum quoddam unicum errori Monothelitico quodammodo favens & vocum orthodoxarum ſilentium præ ſe ferebant. Ut enim de fide Græcorum in præſenti non agam, quæ alias non ſemel viſa fuit ſuſpecta; adcuſetur potius inexcuſabilis Romanorum negligentia, qui Pontificis ſui literas, quæ ad ejus innocentiam ſpectabant quam maxime, fide non debita cuſtodiverunt, præcipuum poſthac inſtrumentum, quo ejus orthodoxiam contra Græcorum acuſationes firmiter potuiſſent tueri. Sed non entis nullæ ſunt adfectiones & prædicata, & manebunt hæ literæ tamen inter apocrypha, donec Romano favente cœlo è Codice quodam Vaticano, qui forte adhuc latet ſub pulvere, ſequatur tandem deſiderata dudum apocalypſis. Inter eaſdem veritates hiſtorias noviter inventas referri debet porro, quod hyperaſpiſtes hic Romanus capite ſequenti textu ad prioris figmenti confirmationem habet, Honorium Synodalia Sophronii Acta adverſus Monothelitas ſuſcepiſſe, ac damnationem eorum confirmaſſe. Mirum certe, hominem hunc novitium id auſum eſſe, quod ante ipſum nullus, ſcilicet, tam conſtanter id tanquam vere factum adfirmare, quod nullo teſte poteſt confirmari, & quidem tale, quod non heri vel pridie, ſed jam ante integra decem ſecula factum ſit, cujus tamen nullus Scriptorum ante ipſum meminit. Quorſum pertinebit ea, quæ ſeptimo capite ſcripſit prolixiſſime de indefeſſo Honorii adverſus Monothelitas zelo, in quo uſque ad vitæ finem conſtanter perſeveraverit, adducto iterum nullo ex Antiquitate Eccleſiaſtica teſtimonio fide digno, ex quo hujus narrationis veritas poſſet deduci. Adcedit caput octavum, quod Honorii defenſores ſiſtit, nominatim vero Johannem Papam hujus nominis quartum Honorii, ſed non immediatum Succeſſorem, & *Maximum* Abbatem, quorum uterque ſcriptis orthodoxiam ejus omni conatu ſit tuitus, adductis Anaſtaſii *collectaneis*, quæ anno ſeculi hujus viceſimo demum cura *Sirmondi* in publicam lucem ſunt protracta, & nunc ultimæ collectioni Conciliorum inſerta; quæ tamen an omnimodam mereantur fidem, ac pro authenticis ſint agnoſcenda, nimirum ita, ut documenta prius cognita, Acta præſertim Synodica, quorum authoritatem Romana hactenus Eccleſia habuit indubiam, & quæ magno cum adparatu non ſemel in menſa Solis ſunt expoſita, poſſint vocare in dubium, atque ea facere lectoribus veritatem hiſtoricam quærentibus ſuſpecta, altioris videtur eſſe res indaginis, quam ut tam facile cuivis poſſit perſua-

Digitized by Google

dum, an ſit rationi conſentaneum, hoc Maximi privatum & ſingulare teſtimonium è Bibliotheca Vaticana in cauſa Curiæ Romanæ pro infallibilitate nuper expromtum opponi & comparari certiſſimo, antiquiſſimo & locupletiſſimo trium Synodorum generalium judicio, quod ipſorum Romanorum authoritate habuit robur. Poſt hæc ulterius commemorat, Agathonem Papam ante finem Synodi ſextæ univerſæ carnis viam eſſe ingreſſum, ac Leonem ſecundum loco illius ſuffectum, qui Literis ad Imperatorem Conſtantinum miſſis Synodum confirmarit, atque Honorium ſimul hæreſeos condemnarit. Romam vero hoc ipſomet mortale vulnus infallibilitati Monarchiæ fuit illatum, ideo Baronius & Binius in Notis ad memoratam Leonis ſecundi Epiſtolam laborarunt eidem dicere repudium. Sed fruſtra quando Honorii damnatio robur habet à communi & Synodico Patrum conſenſu, non autem à confirmatione demum Papali. Deinde, ut argumento ad hominem confodiamus Baronium & alios Curiales, invaluit apud illos Sedem Romanam acta omnium Synodorum ſervaſſe illibata, atque ex ejus ſcriniis, non aliunde, rerum iſtarum veritatem eſſe hauriendam; quod multo magis locum habere debet in Synodo ſexta, quam in omnibus aliis, propterea, quod officium Romanum in Feſto Leonis ſecundi die viceſima & octava Junii in Lectionibus refert, Leonem probaſſe Acta Synodi ſextæ, præſidentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, eamque in Latinum tranſtuliſſe. Hæc enim verba demonſtrant, Curiales eſſe fruſtra in probando, acta hujus Synodi à Græcis, ſedis Romanæ æmulis, corrupta & nomen Honorii falſo in ea conjectum; cùm hic nominatim doceamur, Leonem acta è Græco in Latinum tranſtuliſſe. Quis autem credat, ſedem Romanam ejuſmodi acta à Leone converſa non diligenter adſervaſſe; & ſi animadvertiſſet, Græcos exempla protuliſſe adulterina, non ſtatim illa falſitatis adcuſaturam, ac genuina à Leone ſecundo converſam exhituram contra Græcorum falſitatem? Hoc autem cum neque anteactis, neque his poſterioribus ſeculis à Baronio, Bellarmino, aut aliis fuerit factum, certiſſimo eſt argumento, Acta Synodi hujus, quæ habemus eſſe integerrima, & nulla extare alia in Bibliotheca Vaticana, quam quæ à multis jam ſeculis ferimus noſtris manibus, quoque ab annis (ſcripſit enim Doctor hic Sorbonicus ſub initium hujus ſeculi) Romæ cum aliis edita ſunt Conciliis. Nemo certe, qui ſtudium atque diligentiam Curialium in tutanda Papæ Monarchia abſoluta novit, unquam ſibi perſuadebit, illos hac in parte tam oſcitantes & negligentes fuiſſe, ut quam primum Acta hujuſmodi, ſi ulla extarent alia, cum diſputatione, quam Maximus habuit cum Pyrrho, non evulgaſſent. Equidem Honorium fuiſſe Monothelitam, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Ecquis enim poſt teſtimonium ſextæ, ſeptimæ & octavæ Synodi generalis hoc in ambiguum vertere audebit, niſi impius, ſuumque privatum & ſingulare judicium judicio totius Eccleſiæ Catholicæ anteponens; atque viam hæreticis omnibus inſtruens ad revocanda in dubium omnia, quæ Conciliis generalibus ſunt definita? His ita expoſitis, Doctor Sorbonicus progreditur ad examen Apologiæ, quam Bellarminus in gratiam Honorii inſtituit, eam excutiens prolixe ac nullitatis arguens. Et quidem *primo* obſervat, quod Bellarminus in gratiam Honorii ſcribens, forte confictas eſſe à Græcis Honorii ad Sergium Epiſtolas, idque confirmare tentans, quia hæreticis ſolenne ſit alia permulta adulterare, uti pateat ex actione ſeptima Synodi quintæ, adjectione adverbii forte ſuam peſſumdet cauſam, ac ſeſe hominibus judicio præditis irridendum præbeat. Dato autem, inquit, quod acta Synodi quintæ fuerint corrupta à Græcis, uti fuerunt corrupta, non continuo manet probatum, Honorii nomen irrepſiſſe in acta Synodi ſextæ, præſertim cum videamus ſtatim atque acta Synodi quintæ pro Monotheliſmo auctorando fuerunt producta, Agathonis Legatos exclamaſſe, illa eſſe corrupta. Contra, ubi audiverunt, Maccarium Antiochenum citare Honorium pro ſui erroris tutela, & Epiſtolam Honorii ad Sergium examinari atque damnari conſenſu communi, ſponte dederunt manus Veritati, atque Honorium cum aliis damnaverunt. Inſuper addo, teſtari Epiſtolam Conſtantini Imperatoris ad Donum Pontificem, ante-

Digitized by Google

antequam ulla eſſet mentio Synodi habendæ, Gregorium Conſtantinopolitanum & Maccarium Antiochenum authores Imperatori fuiſſe, ut nomen Vitaliani Papæ è ſacris Tabulis abraderetur, atque nomen Honorii juberet retineri; ipſumque Gregorium Conſtantinopolitanum, ubi teſtimonia in ſuggeſtione Agathonis prolata recenſuit, priorem mutaſſe ſententiam, & Imperatorem rogaſſe, ut nomen Vitaliani retineretur in Tabulis. Certe cum in diverſis viginti locis ac amplius nomen Honorii ex profeſſo & native inſitum ſit actis ſextæ Synodi, impoſſibile eſt, illud obreptitium eſſe aut ſuppoſititium, uti liquidò acta mature legentibus conſtabit. *Secundo*, ubi contendit Bellarminus, nullum eſſe in Epiſtolis Honorii errorem, reſpondet Doctor Sorbonicus, eum adſumere pro certo, quod quam maxime ſit controverſum, imo repugnare cum definitione ſextæ Synodi, quæ Honorii Epiſtolas tanquam erroneas, uti revera ſunt, damnaverit, provocatione facta ad ipſam rei demonſtrationem ſupra propoſitam, à qua ſole clarius ſit, Honorium fuiſſe Monothelitam, nec quemquam id poſſe negare, qui ſingulas earum clauſulas examinaverit. Addit, eum in Epiſtola poſteriori ſcripſiſſe quidem utramque Naturam in Chriſto unitate naturali (perſonali) copulatam cum alterius communione operari, at in ſequentibus uti ambiguis plane ac involutis vocibus, ut ſuum tegeret venenum. Hinc falli & fallere Bellarminum à diviſis ad conjuncta argumentantem, & quia non conjunctim, ſed ſeparatim Honorii propoſitiones capiat, eaque dividat, quæ ſimul conjungi debeant & intelligi. Atque ſic pariter promtum eſſe demoliri Andreæ Vallii argutias, qui in libri de Papæ poteſtate ſuprema, Partis ſecundæ quæſtione quarta finxit, Honorium definiviſſe, abſtinendum à nominibus duarum aut unius Voluntatis Chriſti, ſicut Clemens Pontifex octavus ſtatuit, ne quiſpiam in quæſtione de Auxiliis alterutram condemnaret partem; utpote quæ argutia ſatis ex actorum veritate & lectione Epiſtolarum Honorii confutatur. Præterea, Honorius illo tempore non id potuit ſtatuere, quod Clemens octavus, quoniam tum temporis abſoluta Pontificum Imperia non fervebant, ſed omnia Synodis & Ariſtocratio regimine peragebantur in Eccleſia, Pontifices autem ea executioni mandabant, quæ ſtatuta fuerant Synodice. Ad tertium, quo provocat ad Maximi teſtimonium, & quartum, quo Honorii Epiſtolas ab erroribus liberare conatur Bellarminus, jam reſpondit Doctor Sorbonicus. Sequitur hinc *quinto*, quod idem Bellarminus urget, Honorii nomen Actis ſextæ Synodi inſertum ab æmulis Eccleſiæ Romanæ, idque tribus probat conjecturis. Earum prima eſt, quia hoc teſtatur Anaſtaſius in Hiſtoria ex Theophane Iſauro. Secunda, quia mos fuerit Græcorum fere ordinarius corrumpendi libros, quod putat patere ex Synodo quinta, in quam Epiſtolas Mennæ ad Vigilium, & viciſſim Vigilii ad Juſtinianum falſo inſeruerint. Adtexit conquæſtionem Leonis & Gregorii, utriuſque primi, quorum ille Epiſtola poſt octogeſimam tertia ad Monachos Palæſtinæ de nonnullis quæritur, qui aut imperite aut maligne Epiſtolam ejus ad Flavianum ex Latina ad Græcam tranſtulerint linguam; hic vero libri quinti Epiſtola poſt centeſimam & decimam quarta ad Narſen adſerit, Conſtantinopolitanos adulteraſſe Synodum Calchedonenſem, ac idem ſuſpicari de Epheſina, Romanos autem nec acumina nec impoſturas habere. Tertia eſt, Nicolaum itidem primum hoc teſtari in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Si ergo, inquit Bellarminus, Græci corruperunt tertiam, quartam, quintam & ſeptimam Synodum, quid mirum, ſi ſextam quoque corruperint? At, ô plumbeum, reſpondet Doctor Sorbonicus, argumentum! Dato enim, quod Græci quædam Acta Synodi quintæ adulterarint, anne ſequitur, eos hanc quoque Synodum, de qua agitur, interploraſſe? Scilicet, ex vulgari Dialecticorum axiomate incommodum adferre non eſt ſolvere argumentum. Ante hæc nimirum tempora, quibus abſoluta Papæ infallibilis Monarchia pro dogmate Catholico venditatur, nemini unquam venit in mentem de Actis ſextæ Synodi, qua parte Honorium Monotheliſmi convincunt, dubitare. Anaſtaſii vero teſtimonium quod adtinet, ut adverſarium argumento ad hominem debellemus, idem in Hiſtoria Synodi octavæ, Tomo tertio Editionis

Romanæ cavet, ne ulla fides aliis Synodi hujus octavæ Actis habeatur, quam illis, quæ ex Græco in Latinum convertit, atque Scriniis concluſit Romanis. At illa ſunt Acta, quæ in Editione Crabbiana, Suriana, Biniana & Romana (addo, Sirmondiana & Labbejana) leguntur, quæ in ſeptima Actione Synodi hujus octavæ narrant explicate, Honorium in adlocutione tertia adcuſatum fuiſſe de hæreſi, eique ab Orientalibus poſt mortem anathema dictum eſſe. Ex hac teſtificatione cognoſcitur evidenter, Adriani Papæ ſecundi & Anaſtaſii Bibliothecarii ſeculo neminem ambegiſſe, quin Honorius jure damnatus fuerit Monothelitiſmi, quandoquidem Adrianus Papa inſtat, nefas fuiſſe in Honorium proferre ſententiam, niſi primæ Sedis Apoſtolicæ præceſſiſſet authoritas, uti revera, ſi non præceſſit, ſaltem adceſſit. Hæc à me, inquit Doctor Sorbonicus, dicuntur ad hominem, quoniam ex veriſſima Scholæ Pariſienſis doctrina, Eccleſia in Synodum generalem congregata non modo Papam hæreticum, ſed etiam notorie Eccleſiam ſcandalizantem poteſt exauctorare, juxta Seſſionem quartam & quintam Synodi Conſtantienſis. Ita que hinc colligitur, Adriani confeſſione Honorium à ſede Apoſtolica, hoc eſt, Leone ſecundo damnatum fuiſſe hæreſeos, uti clamant Acta. Sed monendus eſt Lector, Binium ad oram hujus tertiæ adlocutionis, ubi refert Adrianus, Honorium ſede Apoſtolica præeunte damnatum, iſtæc notari curaviſſe, ſcilicet, ***Honorius nunquam fuit hæreticus, nunquam erravit***, provocantem inſuper ad Achilleam, uti vocat, Bellarmini pro Honorio defenſionem, nempe anticipatum præjudiciis opinionum, ut propterea videre non potuerit, quam arundinea ſint argumenta Bellarmini, quæ ipſemet ſæpius in ſuas conjecit Notas. Deinde Leo Magnus non certo definit, Epiſtolam ſuam fuiſſe corruptam, ſed tantum ait, in rebus ſubtilibus & difficilibus explicandis, quales erant Myſteria, de quibus in Epiſtola ad Flavianum egit, vix ſibi etiam in lingua ſua quemcunque diſputatorem ſufficere, ac proinde concludit, non temere injiciendam fuiſſe manum ad Epiſtolam hanc Græce reddendam, aitque, ſe ignorare, utrum imperitia tranſlatoris errata fuerint commiſſa. Atque ſic claret, Bellarminum hic perperam Leonis teſtimonium uſurpaſſe, ut imperitos falleret, ac libros efficeret auctiores, quia nihil plane ad rem facit. Cæterum fateor, ſcribit porro Doctor Sorbonicus, me non ſatis intelligere, quidnam Gregorius itidem Magnus per Synodi Calchedonenſis falſationem deſignet, niſi forte Canonem viceſimum & octavum intelligat. Quod ſi ita eſt, non tam ex rei veritate, quam ex præjudiciis certat Prædeceſſorum. Nicolai denique teſtimonium de Græcorum ingeniis eſt in hac cauſa momenti nullius ad id probandum, quod intendit Bellarminus. ***Sexto*** perhibet idem, Synodum ſextam damnare non potuiſſe Honorium hæreſeos, quin pugnaret cum Epiſtola Agathonis Papæ, quæ lecta eſt Actione quarta. Hanc rationem tanti facit Bellarminus, ut Nilum Theſſalonicenſem Epiſcopum ei fatistacere non potuiſſe ſcribat. At nihil ea eſt infirmius atque fallacius, reſpondet Doctor Sorbonicus, quandoquidem nos ea iterum ludificat à diviſis ad conjuncta, atque à ſingularibus ad generalia. Etſi enim Agathonis ſuggeſtio fuerit in Acta ſextæ hujus Synodi relata, & Patres conceptis pronuntiarint verbis, non tam Agathonem, quam ſanctum Petrum fuiſſe locutum, nihilo tamen minus hoc proprie & dogmatice de iis ſolum debet intelligi, quæ privatim ad controverſiam adverſus Monothelitas definiendam ſpectabat, quæque erant ſynodice & Canonice conſtituta, ut ipſe loquitur Agatho, minime autem de aliis permultis, quæ nihil omnino vel parum faciebant ad propoſitum, cujuſmodi ſunt ea, quæ memorat Bellarminus, Papam ſcilicet, uti eſt Papa, errare non poſſe, eique ſoli facultatem decernendi infallibilem concreditam; hæc enim eſt manifeſta petitio principii, ut Patres Synodi ſextæ indicant ipſa praxi, dum & Agathonis & Synodi Romanæ Suggeſtiones examinant adcurate, quod feciſſent nequaquam, ſi eis fuiſſet perſuaſum, Papam eſſe infallibilem. Agatho nimirum ipſe petit, ea tantum pro definitis retineri, quæ decreta eſſent Canonice. Præterea notandum, longe aliud eſſe, loqui de Eccleſia Romana, Cathedra Petri, Sede Apoſtolica, & de ſolo Papa cum ſuo oligarchico & pri-

privato Concilio. Enimvero (non) ſolum Papa reſpondet de Cathedra, quando Synodum cogit, & eos, qui ſunt Cathedræ in ſolidum participes, libere & Canonice loquentes audit, ſubductiſque ſuffragiis illorum concludit, ut Agathonem feciſſe in negotio præſenti compertum eſt ex Actione quarta Synodi hujus ſextæ. Inſuper hæc Controverſia à Monothelitis excitata jampridem in Synodo Calchedonenſi fuerat adfecta, nec eam prorſus conficere à Patrum Calchedonenſium Decretis erat difficile. Porro, quædam hic adfinguntur Agathoni à Bellarmino, quæ ipſe ſibi non adtribuit in Epiſtola, cujuſmodi eſt, Pontificem, ut Pontifex eſt, non poſſe aliquid decernere contra Fidem. Et quamvis id Agatho ſibi adrogaret, minime tamen id verum eſſet aut Patribus Eccleſiæ probaretur, qui in omnibus Synodis generalibus ſemper Decreta Pontificum Romanorum Canonice examinarent. *Septimo*, ait Bellarminus, Nicolaum in laudata ad Michaelem Epiſtola adferere, Pontifices Romanos ne quidem tenui ſaltem erroris rumore unquam fuiſſe adſperſos. At, quomodo hoc verum eſt, ſi in publico & generali Concilio ſæpius adclamatum Honorio tanquam hæretico anathema? Sed, reſpondet Doctor Sorbonicus, non ægrius ferendum, ſi Actis trium Synodorum generalium multo magis credatur, quam uni Nicolao, teſtimonium in propria ferenti cauſa, ac pro Evangeliis non habeantur, quæ à Nicolao dicuntur. Quam multa enim in Scriptis & Epiſtolis Pontificum Romanorum figurate & per κατ' οἰκονομίαν blandiente Cathedra dicuntur. *Octavo* urget, niſi fateamur, Synodum ſextam ab æmulis Eccleſiæ Romanæ adulteratam fuiſſe, neceſſum eſt, illam errore intolerabili ac impudentia laboraſſe; quippe, quæ nullum aliud habuerit indicium aut validius argumentum erroris Honorii, quam ex ejuſdem Epiſtolis ad Sergium. At illæ, ſcribit Bellarminus porro, teſtantur clariſſime, Honorium ſenſiſſe & docuiſſe duas in Chriſto operationes, & ſolum voluiſſe à nominibus ad tollendum ſcandalum & ſedandum contentionem abſtineri. Doctor Sorbonicus iterato reſpondet, Honorium plane ac perſpicue negaſſe, Chriſtum duas habuiſſe Voluntates & operationes, ac ſpe Pacis, conciliandæ ſuam texiſſe hæreſin more Arianorum, qui omnem movebant lapidem, ut à novitate vocabuli οὐσίου abſtineretur, atque ſic Fides Synodi Nicenæ everteretur. *Nono* cauſatur, Martinum Pontifices hujus nominis primum ante, quam Synodus ſexta haberetur, damnaſſe in Synodo Romana Sergium, Pyrrhum & Paulum, Patriarchas Conſtantinopolitanos, nulla Honorii mentione facta, idque adtribui non poſſe perſonarum acceptioni, cum Martinus & cæteri, qui Synodum Romæ celebrabant, viri fuerint ſanctiſſimi. Doctor Sorbonicus reſpondet, cum Honorii factum nihil ſpectaret ad quæſtionem juris, hoc eſt, ad theſin de Monotheliſmi condemnatione generalem, (ſi modo conſtituamus, uti conſtituendum eſt, Eccleſiam collective ſumtam, non unum & ſolum Papam eſſe infallibilem) nihil quidem opus fuiſſe, ut Martinus in hac Synodo Romana infamiam ſui Prædeceſſoris, quaſi pudenda fratris nudaret; & quoniam id non fecit, hoc ejus ſanctitati non derogat, mirumque videtur, Bellarminum tam puerilia potuiſſe non tam ſcribere, quam apud ſe meditari argumenta. *Decimo*, contendit, ſi quis adduci non poſſit, ut credat, Synodum ſextam fuiſſe corruptam, debere cum Johanne de Turrecramata reſpondere, Patres, Synodi Honorium damnaſſe ex informatione falſa, ac proinde in illo erraſſe indicio. Doctor Sorbonicus reſpondet, vel hinc patere, Curiales nullo modo ſcribere ad veritatem, ſed tantum, ut ſuas opiniones imaginarias quæſitis undequaque evaſionibus cavillando tueantur, quæ certe ſummam redolent impietatem, quia hæreticis ſternunt viam, qua omnes omnina Conciliorum definitiones ſuggillent ac evertant. Nam, qua facilitate prætexunt, Synodum hanc ſextam eſſe corruptam, aut Patres Synodi ex informatione falſa Honorium damnaviſſe; eadem quoque Ariani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani &c. cauſabuntur, ſe itidem ex informatione falſa damnatos, & Acta Synodi Nicenæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ &c. corrupta eſſe. *Undecimo* ſupponit, Epiſtolas Honorii melius intellectas à quatuor

Pontificibus Romanis, nimirum, Johanne quarto, Martino, Agathone & Nicolao primo, nec non à tota Synodo Romana sub Martino, quam à Patribus Græcis Synodi sextæ. Hæc cum lego, scribit Doctor Sorbonicus, magnus me subit stupor, quod Bellarminus utatur argumentis tam imbecillibus, nisi forte potius sibi argumenta Scholasticis ad leviter ventilandum, quam rationes adcuratas ad satisfaciendum doctis proposuit suppeditare, tacta remissione ad ea, quæ argumento septimo & non fuere opposita. *Duodecimo* fingit, Agathonis Legatos, cum Honorius damnaretur, noluisse in Synodo obsistere & reclamare ad evitandum majus malum, id est, ne impediretur Definitione rectæ Fidei. Ergo jam fatetur Bellarminus, Honorium fuisse in Synodo sexta damnatum. At, quis hoc docuit commentum, noluisse Legatos Agathonis obsistere &c. Profecto, male est causa, quæ tantis indiget actionibus, ut defendatur. Quotusquisque Judicum in Foro civili perferret litigantes, qui cavillationes & evasiones tam absurdas ad sui defensionem usurparent? Sed, tantæ molis erat Romanam condere Monarchiam, eamque infallibilem! *Decimo & tertio*, quoniam Patres Synodi septimæ Decretum Synodi sextæ comprobarunt, & Actione ultima Honorio cæterisque Monothelitis anathema dixerunt, obtendit Bellarminus, illos ex Actis sextæ Synodi corruptis fuisse deceptos. Quæ responsio, inquit Doctor Sorbonicus, aut impium potius effugium continuat in petitione principii, supponens, non probans, Acta Synodi sextæ adulterata esse, quod est falsissimum. *Decimo & quarto*, quia in Synodo generali octava, ac ejus Actione septima & adlocutione tertia Pontifex Adrianus memonat, Honorium de Sedis Apostolicæ sententia damnatum fuisse, Bellarminus opponit, si Acta hujus Synodi octavæ sint vera, respondendum esse, non aperte Adrianum dixisse, Honorium fuisse hæreticum, sed solum Anathema ei dictum ab Orientalibus, quia de hæresi fuerit adcusatus, atque Orientales non ausos fuisse sententiam dicere in Honorium, nisi consensus adcessisset Sedis Romanæ, si vero Acta dicantur corrupta, sequi, Adrianum fuisse deceptum ex Actis sextæ Synodi depravatis. Sed, inquit Doctor Sorbonicus, nihil aliud promovet Bellarminus, præterquam quod demonstrat, hoc unum sibi fuisse propositum, ut adversetur veritati notissimæ, ac tenebras ludificandis tyronibus & imbecillibus ingeniis effundat. DEUS, bone! Ecquodnam est crimen, Acta trium Synodorum generalium authentica, à Pontificibus Romanis comprobata, & quingentorum ac amplius Annorum lapsu pro veris atque legitimis habita, falsi insimulare, absque ulla ratione valida & manifesta? Hic te, Lector, obsecro, adtende morem Curialium. Dum namque aliquod Concilii Decretum dogmatibus illorum de Papæ Monarchia infallibili & absoluta contrarium opponitur, insurgunt contra, ejusmodi decretum non esse probatum Sedi Romanæ, ut falso de Synodo Constantiensi perhibent. Et ubi nullo plane modo consensum & adprobationem Sedis Apostolicæ in dubium revocare queunt, tum Acta esse adulterina & suppositicia comminiscuntur; cum tamen nulli unquam plura ad imaginaria sua placita confirmanda sint commenti, quam Curiales. *Decimo & quinto*, Bellarminus ad objectionem, quod Patres Synodi sextæ & septimæ, atqui sic etiam Pontifices Leonem & Adrianum, utrumque hujus nominis secundum, eo ipso, quod crediderint Honorium fuisse hæreticum, una simul existimarint, Papam non esse infallibilem, sed errori obnoxium, respondet, illas solum putasse, Papam ut hominem privatum errare posse, quod probabile est, inquit Bellarminus, licet putem probabilius, eum ne quidem ut hominen privatum errare posse. Atque hinc vult efficere, Honorium duntaxat adcusari, quod errarit tanquam privatus homo, & in Literis ad Sergium privatis foverit hæresin. Verum, sic explodit responsum Bellarmini Doctor Sorbonicus, hæc omnia negantur, quæ Bellarminus supponit pro certis, scilicet Papam non posse errare ut Papam; idem & quidem, multo magis negatur, eum non posse errare ut hominem privatum. Insuper id etiam negatur, Honorium ut hominem aut Doctorem privatum literas ad Sergium scripsisse, cum & Sergii

ad

ad Honorium & Honorii ad Sergium fuerint dogmaticæ, uti Patres Synodi ſextæ loquuntur ſtatim ſub initium Actionis poſt decimam tertiæ. Hinc argumentor ad hominem: licet Epiſtolæ Sergii & Honorii juxta doctrinam Scholæ Pariſienſis non proceſſerint ex Cathedra, eo, quod extra Synodum ſunt factæ, tamen ſecundum placita Curialium revera ſunt ex Cathedra, quia docent. Papam cenſeri etiam reſpondere & docere de Cathedra, quando aliquid ſcribit & ſtatuit per modum Dogmatis ad Eccleſiam univerſalem informandam & erudiendam, adhibito Concilio aliquo privato, quod ab Honorio & Sergio factum fuiſſe certum eſt, cum nullis ſit tam [illegible] qui non aliquorum hominum ſibi obnoxiorum & adulantium opera utatur. Hinc factum eſt, ut Honorius ſuas ad Sergium literas ita obſignarit: *Hæc nobiſcum veſtra Fraternitas prædicet, ſicut & nos ea nobiſcum unanimiter prædicamus.* Quæ ſatis oſtendunt, eum in animo habuiſſe, dogma condere. Ideo, inter Honorii, Sergii, Cyri & Sophronii ſcripta hoc intercedit diſcrimen, quod illi tres primi (quanquam Cathedræ & Sacerdotii in ſolidum participes, quia erant Epiſcopi), non ex more Eccleſiæ primitivæ, in qua Synodice atque ex ſanctorum communione omnia definiebantur, ſed motu ac ſpiritu proprio, ope Concilii alicujus oligarchici ſuam ediderint ſententiam, unde etiam DEUS in hæreſin illas ruere præcipites permiſit; contra autem Sophronius Cathedram & Synodum conſuluit, ideoque Epiſtola ejus vocatur Synodica à Patribus in Actione laudata. Certe, quando authore Bellarmino ordinarium ad obtinendos adflatus Spiritus S. medium eſt Concilium, parvum aut magnum, unum vel multa, & Honorius cum Sergio & aliis motu proprio ſua decreverunt dogmata, nil mirum eſt, eos tam turpiter ceſpitaſſe; ſiquidem Eccleſia non poteſtate abſoluta vel motibus privatis, ſed Canone debet regi, quia communio ſanctorum, quæ cogi non poteſt, finis eſt Regiminis Eccleſiaſtici. *Decimo & ſexto*, ad Epiſtolam Leonis ſecundi, qua comprobantur Acta Synodi ſextæ, & Honorius cum aliis damnatur hæreſeos, excipit Bellarminus, Epiſtolam Leonis ab iiſdem fuiſſe corruptam, qui ipſa Synodi acta adulteraverint, vel, Leonem ſecutum fuiſſe judicium Agathonis Legatorum, ne confectum diſturbaret negotium, atque, nos non magis ſequi debere unum Leonem, quam quatuor alios Pontifices, ſcilicet, Johannem quartum, Martinum, Agathonem & Nicolaum, præſertim in quæſtione facti, quæ ad fidem non pertinet, nempe, Honorium fuiſſe Monothelitam. His argutis punctiunculis, uti vocat Doctor Sorbonicus, quanquam antea jam ſatis ſit factum, iterato tamen venit notandum, Exempla Synodi ſextæ genuina Romæ diligenter adverſata fuiſſe, atque à Leone ex Græco in Latinum tranſlata, atque in rebus ad Hiſtoricam & Quæſtionem facti pertinentibus nefas eſſe aliquid de proprio meditari celebro, cujuſmodi eſt, Leonem noluiſſe definitionem in Synodo ſexta factam contra Monothelitas diſturbare: inſuperque diverſam eſſe rationem quatuor Pontificum, quos nominat Bellarminus, & Leonis atque Achiani utrinque ſecundi. Nam quia (Romano-) Catholici tenentur & adſentiri Romano Pontifici de Cathedra, id eſt, Synodice & Canonice docenti, minime autem, dum aliquid motu privato decernit, (quoniam motus hominis privatus ut plurimum Catholico & univerſali Eccleſiæ ſpiritui & ſanctorum communioni adverſatur) certumque eſt, Leonem & Adrianum ex Actis Synodi ſextæ indubitatis, id eſt, ex communione ſanctorum docere, Honorium fuiſſe Monothelitam, ideo illis indubitata fides eſt habenda, minime autem Johanni, Martino, Agathoni & Nicolao, quippe qui de Honorio vel nihil penitus nominatim & ſpeciatim, vel tantummodo generatim ex ſenſu privato docent, Papam erroribus obnoxium non eſſe, quod vero ipſum eſt poſitum in controverſiâ. *Decimo tandem & ſeptimo* Bellarminus authores opponit authoribus, illos nimirum, quas Onuphrius apud Platinam in vita Honorii enumerat. Sed fallunt hæc in conſequentia probationis, ſicque procedunt à negatione: Authores illi non meminerunt Honorii, tanquam Monothelitæ, ergo non fuit hæreticus, vel Acta Synodi ſextæ & ſequentium, ſcilicet ſeptima & octa-

Digitized by Google

præoccupatum gerat animum argumentis Anti-Honorianis devictum, cum cuilibet rationi adverſæ Honorii innocentiæ faventi aditum certo præcluſurum, imo cuncta abſque conſilio maturo deſpecturum, ac veluti plane figitilia irriſurum. Adcedit hæc etiam præmunitio, quæ ſibi ſatis ſuperque futura ſit, ſi demonſtrare conatus fuerit, Honorianæ damnationis ſeriem nullo adcidiſſe modo, quo in Actis Synodi & à nonnullis Authoribus recenſetur, licet quo pacto ſe res hæc habuerit, & ipſam Hiſtoriæ veritatem in ſingulis ad amuſſim ac ſtylo certo nequeat diſtinguere. Hæc in anteceſſum poſſunt ſufficere Lectori, ut inde prudenter cognoſcat, quid ab hoc *Pammachio* & ejus conatu liceat promittere, qui nec quemvis admittit ad hæc Sacra, nec audet ſpondere, ſe rem ad liquidum eſſe ex omni parte deducturum. Optime factum, eſtque hoc candoris plus, quam Romani ſpecimen ſingulare, Lectoris ſimplicitatem inanibus promiſſis non lactare. Quorſum pertinet, quod in fine Præfationis ſperat, ſi cum Orthodoxis, id eſt, Romano-Catholicis ſibi ſit ſermo, eos ſibi adſenſuros in eo, quod ſi non infallibile, valde tamen ſit probabile, Honorium anathematis zelum à Synodo œcumenica intortum effugiſſe. Quæ hujus ſint probabilitatis, ſed non probabiliſſimæ argumenta quibus alii in hac controverſia non leguntur uſi, operæ non plane nullius erit pretium, inquirere hac cum proteſtatione ſolemni, obligatos minime nos fore ad eam conditionem, quam Author hic Romanus à Lectore Romano-Catholico requirit, ut, ſi rationes Honorio vel infenſæ, vel favorabiles æqua lance hinc inde libratæ adhuc in trutinæ æquilibrio videantur conſiſtere, Amor erga Sedem Romanam in partem potius Honorii favorabilem propellat, cum amor Veritatis ſibi potiſſimum hic locum depoſcat. Ne autem prolixitas nimia Lectori faſtidium poſſit creare, agendum erit per Excerpta tantum, videlicet eorum, quæ in aciem hanc nova videbuntur producta, iis plane prætermiſſis, quæ ab aliis dudum ſunt diſcuſſa. Diviſit Author opus hocce ſuum in partes quinque, ex quarum qualibet aliqua erunt notanda. Et quidem in primæ partis capite tertio, ut ſilentium Honorii excuſet, id obſervat, Sophronicum quoque illud ab initio comprobaſſe. Dum vero hoc ſcribit ſine teſtimonio, facillime reprobatur. Capite quinto adfirmat, Honorium, poſtquam Sophronius contra Monothelitas inſurrexit, & Legationem cum Actis Synodalibus ad Honorium direxit, poſtulans hoc dogma definiri, adſperrimas ad Cyrium Sergium literas ſcripſiſſe, eiſque diram minatum fuiſſe, ſed loco probationis nil aliud in promtu habens vel lectori commendans, quam quod *indubie* ſe ita exiſtimare ſcribit, atque putat, id ex verbis Legati, quem Sophronius Romam miſerit, conſtare, quibus ille legitur conteſtatus, ***DEUM excitaſſe Prædeceſſores Apoſtolicoſque Præſules in commonitione &c.*** At præterquam, quod dubia exiſtimatio hujus novitii Scriptoris apud Lectorem qualicunque etiam judicio præditum valde parum poteſt efficere, cujus nempe fides hiſtorica aliis omnino indiget documentis, teſtimonium Legati huc plane non quadrat. Confundit dormitans Homerus duplex iter Legati Sophroniani, unum quod ipſe fingit directum ad ipſum Honorium, quocum hoc negotium Monotheliticum diſcuſſerit, alterum vero, quod poſt obitum Sophronii demum ſuſcepit, uti teſtatur ipſe in oratione ad Patres Concilii Lateranenſis habita, ex qua hyperaſpiſtes Romanus aliquam excerpſit particulam, quaſi primæ Legationis fuiſſent verba; quæ inſuper nullam Honorii faciunt mentionem, ſed in genere provocant ad Martini Papæ, qui Concilio huic præerat, Prædeceſſores, nimirum, quos ipſe ſibi objicit, Severinum, Johannem quartum & Theodorum, contra quos non habuit, quod excuſaret, quam quod ſe *non ambigere* iterato monuit, Honorium poſt adcuratiorem de Monothelitarum errore è literis Sophronii & ore Legati (quem forte nunquam vidit) perceptam à priori vocum ambiguarum ſilentio recedentem, comminatorios contra Sergium & Pyrrhum, illius erroris diſſeminatores ſcripſiſſe. Quid vero ſi alii non tantum dubitent & ambigant, ſed omnino inficientur, Honorium retractaſſe ac comminatorias ad Sergium & Pyrrhum ſcripſiſſe literas? Scriptor enim hic novitius nondum ea pollet authoritate, ut prudens Lector Veritatis amans ei ſine teſtimonio id perhibent fidem adhibere teneatur. Ac nullatenus videtur probabile, Synodi ſextæ Patres Honorium

ſuaderi, præſertim ſi adtendatur, Anaſtaſium, qui Synodo octava generali, in qua Honorii damnatio, facta primum in Synodo ſexta, atque in ſeptima poſtmodum repetita, fuit confirmata, coram interfuit, ejuſdemque Acta prolixe deſcripſit, ſic horum certam habuiſſet notitiam, quæ hodie eidem in editis à *Simondo* Collectaneis adſcribuntur, tanquam ab ipſomet in unum corpus collecta, atque è Græco in Latinam tranſlata, vix ea in Synodo diſſimulaturum fuiſſe, talia nimirum, per quæ Sedem Romanam, cui erat addictus & quam maxime obligatus, ab inſigni hac infamiæ nota, quæ eidem per Honorii damnationem in Synodis antecedentibus factum fuerat inuſta, potuiſſet liberare, tantum abeſt, ut conceſſerit abſque ulla proteſtatione vel contradictione, cujus ne minimum quidem in Actis Synodi legitur indicium. Honorium vice tertia in Synodo univerſali cum hæreticis infamibus damnari, & illud inſuper ſub gravi pœna Anathematis. Hæc obſervatio tanti debet æſtimari jure meritoque, ut, ſi pondus ejuſdem rite perpendatur, hæc recenter inventa facili opera poſſit diſſipare, ac Antiquitati veræ ſuum apud cordatos maneat etiam poſthac æſtimium. Porro, non unus ſunt ejuſdemque commatis, quæ in duobus ultimis capitibus primæ Partis ſcripſit hic Apologetes Honorianus, videlicet, integram ſemper fuiſſe Honorii famam uſque ad tempus Synodi ſextæ, neque tantum in Occidente, ſed inſuper etiam in Oriente apud Græcos, ibi provocans ad Synodum Lateranenſem ſub Martino habitam, hic vero ad teſtimonium Legati Sophroniani, in eadem Synodo de hac Controverſia adverſus Monothelites nomine Sophronii verba facientis. Notari enim debet, utrumque pertinere ad authoritatem negantis argumenti, dum neque Martinus in Concilio Honorium tanquam Antecellorem publice voluit adcuſare, Legatus vero Sophronianus eo vitus fuit eſſe contentus, ſi Eccleſiam Romanam ab Honorii obitu ſciret in hoc Fidei capite orthodoxam, ac errorem Monotheliticum una cum Honorio in ea mortuum & ſepultum. Cæterum, quia Patres Synodi ſextæ conſultum duxerunt, cum errore Authores quoque ejuſdem nominetenus Anathematis ſubjicere, id aliter fieri non potuit, quin cum cæteris Honorius etiam exprimeretur, utpote idem ſentiens cum illis, nec cuiquam ullatenus conſtitit, Honorium ante finem vitæ hunc errorem publico quodam documento retractaſſe, quod hactenus, ſed inaniter, quia ſine omni fundamento & ratione certa, Lectori imprudenter voluit perſuaſum Apologetes Honorianus; nunc in Parte vel Diſſertatione ſecunda plus ultra progreſſus, Arithmeticæ nimirum, & in ea præſertim multiplicationis ſtudioſus, demonſtrandum in ſe ſuſcipiens, duas fuiſſe Græcorum Synodos, quæ in unam per errorem ſint conflatæ, multiplicatis præter neceſſitatem entibus, cum in finem, ut demonſtret, vel potius ex cerebro male ſano fingat, Honorium minime in priori, quam habet pro legitima & univerſali, & cui Sedis Apoſtolicæ Legati interfuerint, ſed in poſteriori, quam vocat pſeudo-Synodum, & quæ demum Legatis hiſce decedentibus à ſolis Orientalibus in præjudicium Eccleſiæ Occidentalis fuerit celebrata, fuiſſe cum Monothelitis damnatum. Hoc ſuum noviter inventum ut aliqua ratione ſiſtat Lectoribus probabile & dignum fide, ne illud ex digitis adcedente morſu videatur exſuxiſſe, provocat ad Vitas Pontificum ſub Anaſtaſii nomine extantes, quibus majorem adhibendam eſſe cenſet Fidem, quam ipſis Conciliorum Actis, quæ tamen, ut paulo ante notavi, conſtanter hactenus, & quidem ſub authoritate Pontificia fuerunt Eccleſiæ commendata, tanquam certa Veritatis Hiſtoricæ documenta, quid ab Apoſtolorum temporibus uſque ad præſens Seculum hic & ibi quoad fidem & mores fuerit decretum. Ne autem ſolo Vitarum teſtimonio videatur niti, alios etiam Authores vocat in ſubſidium, nempe Bedam, Abbonem, Humbertum & alios; quinam vero ſint illi, ipſo neſciente nos etiam libenter neſcimus, utpote anonymos, & quorum ſcripta huc pertinentia forſitan non immerito referuntur inter libros nunquam prodituros, adeoque æternis ſepeliendos tenebris. Pergit, quia mirum hactenus quibuſdam fuit viſum, Legatos Romanæ Sedis, ubi Honorium hæreticis in Synodo perceperint ad-

cenſeri, non fuiſſe contra proteſtatos, ſed ipſomet ſilentio cæteris adſenſum præbuiſſe, *adfirmandum eſſe*. Legatos ab Agathone & Concilio edoctos de calumnia Honorio ab hæreticis impacta, eam brevi & luculento (forte, levi & lutulento) Sermone repuliſſe. Verum, ſi quidvis adfirmare in re facti, & quidem abſque ullo teſte poſthac licebit, Veritas hiſtorica non amplius nuda ſe ſiſtet, ſed variis veſtibus pro cujuſvis genio non tam anate, quam potius deformata turpiter, ac nihil certi amplius erit ſuper. Meminiſſe debuit hyperaſpiſtes, ſi cauſam hanc candide voluit agere, adfirmanti in quavis narratione probationem incumbere, in re præſertim, quam ante Annos mille factam jactitat, cujus tamen nullum teſtem contemporaneum, nec etiam in ſeculis ſequentibus ullum potuit nominare, imprudenter valde exiſtimans, Lectorem fore tam ſtupidum & ſimplicem, ut ſuæ adfirmationi abſque omni contradictione adſurgat, cum ipſe, ſi ulla ratione regeretur, abſque ſtupore id non potuerit ad animum admittere, nec abſque ſingulari imprudentia Lectorum oculis ſubjicere; præſertim quia ſub initium capitis ſexti in hac Parte ſecunda ipſemet, quæ vis Veritatis eſt, coactus fuit agnoſcere, Anaſtaſium, ad cujus authoritatem contra Synodi Acta provocavit, in Vita Agathonis Papæ recolentem Acta hujus Synodi *circa Honorium obmutuiſſe*, quem vero non ſiluiſſe in Actis Synodi octavæ jam fuit obſervatum. Plura ſunt, quæ contra Veritatem hiſtoricam hinc inde Lectori propinat, nimirum, quod Agatho tranſmiſſa Synodi Acta per Legatos acceperit, quem tamen ante adventum eorundem abiiſſe conſtat à Documentis longe certioribus. Atque ſic etiam cadit, quod Agatho hæc Synodi Acta miſerit ad Gallos & Hiſpanos, niſi ex orco cum Ariſtotele fuerit redivivus. Id vero meretur inprimis iterum notari, quod capite octavo refert, literis Synodi ad Agathonem *doloſè* ab aliquo Monothelita nomen Honorii inſertum fuiſſe. Sed, literas haſce Legati acceperunt vel apertas, vel obſignatas. Si illud ſtatuatur, ſtipites oportet eos fuiſſe vel caudices, ſi eas non legerunt ante, quam deferrent Romam; imo, proditores Nominis Honoriani & Sedis Apoſtolicæ, cujus nomine Synodo intererant, ſi fraudem obſervantes non ſtatim reclamarunt, ſolemni proteſtatione interpoſita adverſus id, quod Actis eſſet inſertum, cujus in ipſa Synodo non facta fuiſſet mentio. Si hoc autem, cur Agatho, quod vult Apologetes Honorianus, Acta Synodi corrupta, quod à Legatis potuit doceri, ſubſcribendo confirmavit, eaque ad alias inſuper Eccleſias tanquam novum Fidei orthodoxæ ab omnibus obſervandæ ſpecimen tranſmiſit, & non potius per alios quoſdam, vel eoſdem Legatos Orientalibus remiſit, graviſſima cum expoſtulatione eam ob fraudem, qua meriti fuiſſent Græci, ut omnis poſthac Amicitia & familiaritas denegaretur ipſis, quippe indignis, quibuſcum Vir honeſtus & amans veri quidquam haberet negotii? At, cum nihil horum vel ſimilium legamus factum, nemo non videt, in fumum abire hoc quoque figmentum, quo cauſam Honorii aliquatenus ſtuduit ſuffulcire novitius hic hyperaſpiſtes, non neſcius, Hiſtoricum oportere memorem eſſe, ſcilicet eorum, quæ vel ante narravit vel in ſequentibus narrare cogitat, ne ſibimet ipſi ſit contrarius, ac falſitatem narrationis hac ratione prodat. Nam, ut inſuper nunc Lemma generali hujus ſecundæ Partis cum figmento hoc conferamus, quo Acta Synodi Legatis tradita doloſe per Monothelitas corrupta eſſe ſtatuit Apologete, Honorianus, illo certe opus non fuit, ut duplex ſtatuatur Synodus, ſi hoc locum debuit habere. Eum namque in finem finxit hanc multiplicationem, ut prior tanquam legitima Synodus credatur fuiſſe libera à Honorii condemnatione, poſterior vero tanquam pſeudo-Synodum poſt diſceſſum Legatorum celebrata condemnationem hanc exhibeat. At ſi prioris Synodi Acta quamvis corrupta per Monothelitas id jam præſtiterunt, Legatis Acta ejuſdem abſque ulla contradictione recipientibus, Pontifice etiam Romano eadem per ſubſcriptionem confirmante, atque aliis inſuper Eccleſiis tanquam novum Fidei additamentum commendante, neceſſum non fuit, ut Orientales iterato convenirent, atque hoc negotium jam confectum reaſſumerunt. Hoc quidem negari non poteſt, quod

Digitized by Google

ex Hiſtoria temporis illius & præſertim Tomis Conciliorum, Pandectis & Synodicis eſt manifeſtum, Patres Synodi hujus ſextæ, quia ob cauſæ, quam tractabant, difficultatem plus temporis conſumſerant, quam ab initio cogitabat, ita ut more antecedentium Conciliorum nullos ad Eccleſiæ diſciplinam Canones condere potuerint, quod in antecedente etiam Synodo quinta intermiſſum nullos conſtat, non ita diu poſt iterum Conſtantinopoli convenisſe, ut novis quibuſdam Canonibus Eccleſiæ diſciplinam & ordinem confirmarent, quibus inter alios etiam legitur ſubſcripſiſſe Baſilius Epiſcopus Gortyniorum Metropolis Inſulæ Cretæ, tanquam locum tenens totius Synodi ſanctæ Eccleſiæ Romanæ. Verum, hoc non obſtante, & quidquid ſit de horum Canonum authoritate, quam Curiæ Romanenſis ſatellites ſemper deprimere ſunt conati, id tamen hactenus nemo unquam, anſus fuit, ut antecedentia Synodi Acta diſcerperet, quod novus hic hyperaſpiſtes nefando molimine eſt adgreſſus, ſed eo eum ſucceſſu, ut ipſe oblitus ſui, quod antea magno conatu extruxit, poſtea iterum deſtruxerit, dum rubro nigrum uſquequaque non reſpondet, uti oſtenſum. ac exinde etiam porro poteſt oſtendi diverſitas narrationis, quod agnovit quidem, Acta Synodi prius doloſe per Monothelitas corrupta à Legatis Romanæ Sedis fuiſſe accepta & à Pontifice confirmata, atque alias inſuper Eccleſias tranſmiſſa, poſt autem capite undecimo hujus ſecundæ Partis ſibimet ipſi iterum contrarius ſcripſit, poſt mortem Agathonis Papæ, cujus tempore Synodus ſexta habuit initium, à pſeudo-Synodo Honorium fuiſſe condemnatum. Ficuum porro ſunt folia, quæ cenſuit capite duodecimo, ut Leonis adprobationem infringat. Quamuis enim non potuerit non fateri, victus nimirum vi Veritatis, Leonem Acta ab Agathone jam adprobata confirmaſſe, quæ illa videlicet Legati adtulerant, cum corruptionis quidem fecerit mentionem Apologetes Honorianus, nullam vero correctionis; prius tamen readſumſit commentum, fingens, eum Acta prioris tantum Synodi, non etiam poſterioris confirmaſſe. Sed meminiſſe & hic debebat, quod ipſemet ſcripſit, jam Actis Synodi prioris damnationem Honorii inſertam fuiſſe, quæ ſi poſt Agathonem Leo quoque confirmavit, ſimul damnationem Honorii adprobaſſe credi decet, quia, quod iterato debet moneri, nec Agatho, nec Leo contra ullam corruptionem leguntur proteſtati, quod omnino fuiſſet quam maxime neceſſarium, ſi Sedem Romanam ab hac labe voluiſſent præſervatam. Accedit, Leonem ea confirmaſſe Acta Synodi, quæ ipſemet à Græco tranſtulerat in Latinum, quibus expreſſe damnatio Honorii legitur inſerta. Hinc & illud per ſe cadit, quod capiti ſequenti porro adſuit, Acta Synodi ſextæ tractu temporis, id eſt, poſt obitum Leonis, cum geſtis pſeudo-Synodi fuiſſe confuſa, atque ab Imperatore Juſtiniano, uti & ab Epiſcopis Orientalibus adprobata, utpote quod non tantummodo pugnat cum Actis in Tomis Conciliorum extantibus, ſed etiam inprimis cum tranſlatione Leonis, quæ nullius duarum Synodorum confuſionis meminit. Et, ſi hanc confuſionem largiamur factam, quæ, uti & antecedens corruptio, non niſi cum ſingulari Sedis Romanæ infamia potuit fieri, Antiſtite ejus in numerum non Sanctorum, ſed hæreticorum collocato, potuitne Eccleſia Romana utrumque hoc facinus intolerandum per integra decem ſecula diſſimulare ac pati, ut non tantum corrupta prioris Synodi, ſed poſtmodum quoque confuſa & in unum conflata utriuſque Synodi Acta ſine omnia proteſtatione à Græcis, quorum fides etiam humana ipſis ſemper fuit ſuſpecta, ſibi obtruderentur, quæ perpetua Sedem Apoſtolicam labe adficerent, nunquam apud poſteros eluenda, quidquid etiam poſt nominatos ante Authoritatis Pontificiæ propugnatores novitius hic hyperaſpiſtes tentaverit, Æthiopem videlicet dealbaturus, id eſt, non tam oleum, quo forte non uſus eſt, ſed operam perditurus. Male hinc cum Eccleſia per Annos mille fuiſſet actum, ſi Honorium, caput quondam & Patrem ſuum inter damnatos recenſiſſet, quem ob ſingularem Fidei Zelum contra hæreticos, ſi non inter Sanctos, ſaltem inter Beatos jure debuiſſet agnoſcere; ac pro inexcuſabili iterum negligentia debet reputari, quod ſucceſſo-

res Honorii non majori ſollicitudine de ejus fama fuere ſolliciti, inprimis poſtquam infallibilitas Pontificia cœpit ſtabiliri, ad cujus confirmationem quam maxime pertinebat, ne quis anteceſſorum, atque ſic Honorius etiam turpi hæreſeos nota deturparetur. Nimirum digna fuiſſet Synodus poſterior cum ſuis Canonibus, in qua primum damnatus dicitur Honorius, ut perpetuæ conſecraretur oblivioni ſaltem in Eccleſia Romana, nec unquam permitteretur, ut aliquem inter cæteras Synodos occuparet locum, quem hactenus conſtanter habuit in Tomis Conciliorum authoritate etiam Pontificia adprobatis. Quamvis enim Gloſſas ſoleant adnectere Editores, quibus eam facere conantur Lectoribus ſuſpectam, conſultius tamen fuiſſet, eam omnino Lectorum oculis ſubtrahere, uti conſultius eſt, omnino abſtinere à veneno, quam id cum antidoto adſumere, atque ſic non plane nulli ſe objicere periculo, prout ipſe Apologetes noſter fateri neceſſum habuit, hæc Acta utriuſque Synodi ſic inter ſe contula, prout ipſi fingere adtribuit, magnam poſteris temporibus in utraque Eccleſia peperiſſe confuſionem, quæ facili ratione potuiſſet; imo debuiſſet præcaveri, ſi & contra primæ Synodi corruptionem, & contra utriuſque indebitam confuſionem, quam narrat, juſta proteſtatio ab Pontificibus Romanis fuiſſet facta, ac ſerio proceſſui huic iniquiſſimo contradictum. Id autem quia factum legitur nullibi, & Honorii condemnatio in Synodo ſexta recenſetur tanquam legitima, iterata inſuper & confirmata à Synodis ſequentibus, ſeptima nimirum & octava, quidquid in contrarium objicitur, facillima ratione rejicitur, præſertim quod ultimo hujus ſecundæ Partis capite noſter Advocatus produxit in medium ei non coronidem imponens, ſed turpem caudem adponens, Pontificem ab orthodoxis proſcribi inauditum, quod contra Veritatem Hiſtoricam eſſe ſcriptum, præſens controverſia ſatis teſtatur ſuperque. Ad tertiam nunc diſſertationem ut progrediamur, & hic quædam breves ſtricturæ erunt neceſſariæ, utpote in quibus plures Actorum Synodi ſextæ ac literarum Leonis ſecundi difficultates proponuntur quidem, ſed, uti in lemmate præſcripto facta eſt promiſſio, non ſolvuntur. In anteceſſum monet, zelum Legatorum Sedis Romanæ à Patribus Synodi in literis ad Agathonem commendari plurimum, quod nempe in primo, id eſt, primario Fidei capitulo, de quo actum fuit in Synodo, recte & probe decertarint, ex quo deſumit, eos Honorium defendiſſe; & quia defenſionis nulla in Actis Synodi legitur mentio, ad corruptionem Codicis iterum recurrit. At, deceptum ſe hac etiam conjectura videbit, ſi & hic ad animum vocaverit, Legatos minime id ſilentio prætermiſſuros, ſi defenſionem Honorii tanto ab ipſis zelo ſuſceptam in Actis vidiſſent fraudulenter omiſſam potiſſimam laboris ſui partem, dignam omnino quæ poſteritatis memoriæ commendaretur. Hinc, ſi conjecturæ conjecturam licet opponere, & quidem valde improbabili longe probabiliorem, videtur potius dicendum, Legatos, quia cauſam fidei contra Monothelitarum errores zelo ſingulari dicuntur tractaſſe, in Honorii damnationem eo libentius conſenſiſſe, cum in aperto fuit, eum hujus hæreſeos temetipſum feciſſe participem. De cætero ſequitur nullatenus, Acta Synodi quintæ antecedentis fuerunt à Græcis corrupta, quod in hac Synodo ſexta fuit demonſtratum, ergo idem quoque adcidit actis Synodi hujus ſextæ, quia id in nulla ſequenti Synodo vel Orientalium, vel Occidentalium fuit obſervatum, uſque dum poſt decem ſecula demum hæc corruptio quibuſdam Rhinocerotis naſum habentibus per ſomnum incidit, ut eam certo factam aliis venditare non erubuerint, adcuſantes cometipſo omnes ante ſe, qui corruptionem hanc non adtenderunt, Honorium Pontificem in luto hæreſeos paſſi hærere, ſi non omnino ſuffocari. Paucitas vel pluralitas Epiſcoporum vel ſub initium, vel ſub finem Synodi præſentium, quam defenſor Honorianus facere conatur ſuſpectam, ad rem ipſam nihil vel parum facit, præſertim ſi ex loco ſimilium, atque ad hominem diſputantes, varietatem numeri Epiſcoporum in Synodo Tridentina obſervemus, quam non male quis Lunæ phaſibus diverſis poſſet comparari, ſi aliquo ſplendore Veritatis à Luce Solis Divini fuiſſet gaviſa. Ut autem Honorii cauſam eo majori

jori nisu tueatur, Sergium hæreseos Monotheliticæ primarium propagatorem quoque, & iterato quidem suscepit defendendum contra Patres Synodi, utpote à quibus nullam meritus fuerit censuram ideo, quia nullum antehac Concilium de hac quæstione quidquam decreverit, quamvis agnoscens, Sergium in Conciliis Romanis sub Martino & Agathone cum complicibus jam fuisse proscriptum. Post provocat ad Pyrrhi, testis nimirum omni exceptione majoris, confessionem, quod nimirum diversa fuerit Sergii & Honorii mens, licet eadem protulissent verba. Sed omnes judicent, quibus orthodoxa Veritas curæ est cordique, annon vi Muneris Pontificii Honorius debuerit à verbis etiam Sergii, noti jam tum hæretici, omnino abstinere, vel si iis sensu orthodoxo voluit uti, aperte simul indicare dissensum ab ejus mente, nisi reipsa cum eo consensisset? Figmentum est porro & antecedentibus & consequentibus contrarium, quod loco lemmatis sexto capite præscripsit, Legatos, cum nihil respondisse pro Pontificis Honorii defensione inveniantur, Actioni, quæ Honorii damnationem continet, non adfuisse. Et quidem antecedentibus per id, quod Legatorum fingu arem adtinet zelum, cujus elogium ipsis antea ex mente Patrum Synodi adscripsit, quo certe fuissent indigni, si tunc temporis fuissent absentes, quando eos quam maxime præsentes oportuit esse, cum videlicet causa agebatur sedis Romanæ, à qua etiam instructi erant, si fides habenda huic advocato, quoad Honorii personam, qualiscunque etiam fuerit illa instructio. Consequentibus autem, quia idem statuit incredibile, quod tacuerint Legati, & silentium hoc eorum salvari non posse putat, præsertim quia alios defenderint Pontifices, in defensione vero Honorii eo faciliorem ponere potuerint operam, si alias & posteriores ejusdem produxissent literas, quæ priorem aperuissent sensum pœna mulctandi, si promisissent Honorium absentes etiam damnari ob solam ejus conniventiam erga Sergium & complices; quæ omnia uti meris nituntur conjecturis, ita fortiter impugnant traditionem, quod Legati non interfuerint Actioni, quæ Honorium cæteris adjunxit Monothelitis ob hæresin à Synodo damnatis. Nam ut iterum conjecturis nulla omnino ratione fultis conjecturam Actis Synodi & cæteris Historiæ circumstantiis quam maxime convenientem opponamus, videtur sine omni dubio, Legatos huic Actioni interfuisse & interesse ex officio debuisse. Quod autem nulla legitur in Actis facta vel interposita ab eis protestatio in causa Honorii cum Monothelitis damnati, credibile est, nullam fuisse ab illis factam, quin nec fieri ullam potuisse, quia reatus Honorii erat in luce publica, nullis in manu literis ejusdem posterioribus, quibus priores correxerit, Legatisque nulla ratione excusandis, si eas non publice produxissent. Atque conveniri hic debet Advocatus Honorii, quando apertum interceſſisse dolum scribit in occultatione Epistolarum Honorii, videlicet, posteriorum, quas nemo mortalium vidit unquam: cui hic dolus sit adscribendus, Legatis, an Patribus Synodi? Si illis, male officio Legatorum dicentur functi, id occultantes, quo labem à Sede Apostolica potuissent, & omnino debuissent abstergere; si vero his, cur illi dissimularunt, & non Actis publice inseri eas postularunt, vel si id impetrare in ipsorum non fuit potestate, postmodum eas ad Honorii innocentiam orbi Christiano demonstrandam in perpetuam rei memoriam posteritati commendarunt, Leone etiam, qui antecessorem pro viribus defendere tenebatur, easdem in translatione Actorum Synodi dissimulante, quod nullatenus factum credi posset, si ullam earum ex archivo habuisset notitiam? Nec impertinenter monet Honorii hyperaspistes, quamvis contra semetipsam, Legatos admonere Agathonem debuisse, ubi Honorium à Synodo cum Monothelitis damnari perceperunt, ac Agathonem id nullatenus permissurum, utpote rem Sedi Romanæ infigniter præjudiciosam. Verum à jure vel eo, quod fieri debuit, ad ipsum argumentari factum esse, in Logica etiam naturali non admittitur, nisi pluribus absurdis premi velimus, eo præsertim, quod inde sequetur, si Honorius fuit innocens, cunctos ejus successores debuisse famam & honorem antecessoris contra quosvis iniquos adcusatores tueri; quod tamen factum non esse, usque ad annum hujus seculi vicesimum,

quo

quo Anastasii Collectanea prodierunt, constanter fuit creditum; pauciſſimis quibusdam exceptis, qui sub finem antecedentis seculi instar Gnathonum ad Sedis Romanæ fictam infallibilitatem stabiliendam Honorii causam ausu inaudito antehac & temerario conati sunt defendere, sed infeliciter valde, prout hactenus docuit eventus. Quoad reliqua eadem cl orda iterum oberrat, cum literis Synodi ad Agathonem Honorii nomen falso adpositum scribit, responso jam ante dato, Agathonem de eo ex Legatorum relatione doctum debuisse protestari, nec Acta sic corrupta confirmare, multo minus ea ad alias transmittere Ecclesias, quod supra de eo fuit narratum. Et dum insuper Epistolas Leonis secundi de hoc agentes argumento post Baronium & Binium facit propter suppositionem suspectas, responsi loco id habeat, quod antea etiam fuit observatum, indignas esse eas, quæ toties in Tomis Conciliorum recordantur. Quod autem porro scribit ex epistolis Honorii, videlicet, quæ adhuc hodie leguntur, ac ex earum tenore à Patribus Synodi numero hæreticorum fuit adscriptus, non probari, cum usque ad obitum Monothelitis favisse, solito more negatur, quia ex nullo plane documento contrarium potest ostendere, nimirum, quod ante obitum mutarit sententiam, atque ad sanam errore revocato mentem redierit. Insuper quod arguit, Epistolas Leonis Latine scriptas à traductoribus Græcis variari potuisse, sciat iterum, à posse ad esse nullam apud disputatores æquos valere consequentiam. Sit autem ita, & largiamur ultro, corruptas à Græcis fuisse Leonis Epistolas, annon Latinorum fuit, eas conservare integras, ut fraus Græcorum eo facilius potuisset observari & detegi, Bibliothecariis ob negligentiam nulla ratione excusandis, utpote fidei non bonæ custodibus, præsertim in re tam gravi, quæ summum Sedis Romanæ honorem adtinet, pro cujus tuitione hodierni tam strenue pugnant non quidem primario tanquam pro Aris vel in gratiam ipsius religionis, sed potius tanquam pro focis, in quibus ignem laborant alere perpetuum? Transeamus ad dissertationem quartam, in qua Advocatus Honorii satagit demonstrare, Sedem Apostolicam pœnas Honorio inflictas nunquam habuisse ratas. Varia hic iterum fingit & refingit è cerebro male sano, ac quæ antea probavit, nunc immemor sui reprobat, sibimet non semel contrarius. Concessit supra Agathonem accepta per Legatos Acta Synodi etsi corrupta confirmasse, nunc dicit, eum Honorii nunquam consensisse proscriptioni, sed dogma duntaxat à Synodo sancitum confirmasse. Videat lector judicio præditus, an hæc distinctio conveniat cum narratione priori, quæ Ahathonem absolute acta Synodi confirmasse perhibuit? Posset autem hæc distinctio aliquem habere locum, si ullum ejus indicium ex qualicunque authoris cujusdam testimonio posset ostendi; quia vero nullum potuit laudari, ægrius non feret Advocatus Honorii, si eo usque suspendamus adsensum, donec dem præstet adsertioni. Leonem secundum quod adtinet præterquam quod extra dubium videtur cum acta Synodi damnationem Honorii exhibentia è Græco in Latinum transtulisse, liber Pontificalis, qui post Damasum communiter Anastasio adscribitur, quemque Tomis Conciliorum legimus insertum, in vita ejus Honorium cum Monothelitis damnatum adserit cui vero contrariari putat Advocatus, quod in vita Agathonis hoc prætermissum fuit, atque hinc cum *Natali Alexandro* non veretur suspicari, in hoc Pontificali nomen Honorii dolose adpositum fuisse. At neque contradictio est, cum Honorii damnatio legitur in vita Leonis, quæ in vita Agathonis omittitur, cum videlicet in finem, quia teste Historica Veritate non Agatho, sed successor ejus Leo hujus Synodi acta non tantum subscribendo, sed etiam transferendo confirmavit, adeoque Honorii damnatio potius in hujus, quam illius vita debuit jure commemorari; neque statim ad dolum & fraudem est deveniendum, ubi aliquid recensetur ex actorum veritate, quod oculis vel auribus posterorum ab antiquorum sinceritate degenerantium videtur minus gratum, inprimis quia idipsum, quod ob aliquam fraudis suspicionem rejicitur tanquam minus legitimum, non modo in hujus Synodi sextæ actis, sed septimæ etiam quin & octavæ actis ab eodem Anastasio, qui interfuerat, consignatis legitur, quæ omnia dolose depravata-

pravata fuiſſe, ſilentibus & conniventibus, imo, non advertentibus Romanis, nemo prudens largietur per ea, quæ non ſemel hactenus fuerunt obſervata. De *Breviario Romano*, quod ad Leonis ſecundi authoritatem pertinet, res omni caret difficultate, cum ipſe Advocatus debuerit agnoſcere, in officio Leonis Editionem unam Lugdunenſem exhibere & teſtari. Leonem ſuſcepiſſe Synodum ſextam, prout nempe Acta ejus extabant, atque adhuc hodie extant, cum alia & diverſa ab his hactenus non potuerint in Lucem publicam proferri, alteram vero expreſſum Honorii nomen ſiſtere; ſic Editionem ejus Venetam poſteriorem nullius quidem damnati facere mentionem; priorem vero conſtanter adfirmare, Leonem non modo ſuſcepiſſe Synodum ſextam, ſed etiam ſimul anathemati ſubjeciſſe, quos illa Synodus Conſtantino præſente damnaverat. Porro in Editionibus Vaticanis aliquas ſatis vetuſtas vel ipſum Acta Synodi à Græco in Latinam tranſtuliſſe teſtari, & quidem pleraſque, alias autem, quamvis pauciores præ ſe ferre lectiones ejuſdem, nomina uti aliorum omnium damnatorum, ſic etiam Honorii exhibentes. Præſentis Inſtituti ratio non patitur, conferre varias Breviarii Editiones, de quibus Evangelici adeo non ſunt ſolliciti; ſufficiat poſt Launojum & alios noſtrum quoque Advocatum nominis & honoris Honoriani agnoſcere & teſtari, ſupereſſe Editiones *Romanas*, *Venetas*, *Lugdunenſes* Honorium Monothelitis adcenſentes, quod certe factum fuiſſet nunquam, niſi res hæc in Eccleſia pro certa & indubitata fuiſſet agnita. Quod autem in aliquibus deeſt, non aliunde credi debet proveniſſe, quam quia harum Editionum curatores turpe duxerunt eſſe, nomen Pontificis Romani inter hæreticos legi, de eo quantum in ipſis erat ex amore non Veritatis hiſtoricæ, ſed Sedis Romanæ ſolliciti, ut factum hoc, ſi eſſet poſſibile, memoria poſterorum omnino eximeretur. De *Anaſtaſii Coll. Sanctis*, ad quæ iterato provocat Honorii Advocatus, ſupra itidem fuit obſervatum, ea utpote recenter inventa antiquioribus documentis in Eccleſia hactenus receptis nullum facile præjudicium poſſe errare, præſertim quia Synodi octavæ Acta ab ipſomet Anaſtaſio conſcripta contrarium plane teſtantur. Nec quidquam obeſt teſtimonium Adriani Pontificis hoc nomine ſecundi, quod alias contra Honorium ſolet in medium proferri; utpote qui ſcribens, Honorio ab *Orientalibus* poſt Mortem anathema dictum eſſe, Occidentales non excluſit omnino, ſed ita ſcripſiſſe cenſendus eſt ideo, & quidem ſingulari cum obſervatione, quia Synodi Romanæ in hoc negotio collectæ Honorium Monothelitis adcenſere non ſunt auſæ, ſed illud reſervatum fuit Synodo huic Conſtantinopolitanæ, in qua non quidem ſoli fuere Orientales, quia notum eſt ex antedictis, Legatos Romanæ Sedis adfuiſſe, ſed tamen plerique, quorum in Honorii damnatione conſenſui pauciores non auſi ſunt contradicere, præſertim quia ſuper hæreſi fuerat adcuſatus, uti loquitur Achianus, &, quod conſtat ex Actis Synodi: per Literas ad Sergium ſcriptas convictus, addente inſuper Adriano, quod omnino meretur notari, *quod propter hanc ſolum ſit licitum minoribus Majorem ſuorum motibus reſiſtendi.* Id nunc porro uberiorem requireret operam, quod caput tertium hujus quartæ Partis proponit, & tanquam certum vel indubium præſupponit, non nulla in Actis Synodorum generalium legi à Sede Apoſtolica minime adprobata ut infallibilia, niſi amplioris eſſet res tractationis, ſi ad ſpeciem eſſet deveniendum, hac obſervatione nunc tantum repetita, ſemper Occidentalibus Romanis diſplicuiſſe, ſi quid Orientales Græci pro libertate Eccleſiarum contra prærogativam Sedis ſuæ decreverunt, quod dudum fuit oſtenſum Exemplis Synodorum *Conſtantinopolitanæ*, *Epheſinæ*, *Calchedonenſis*, ad quæ etiam Advocatus noſter provocat, ſed fruſtra & in vanum; quia ſi concederetur iterum ultro, unam vel alteram earum fuiſſe corruptam, non ſequitur tamen, idem Fatum expertam eſſe Synodum quoque ſextam, utpote quod ab ejus celebratione per Annos mille nemini prudentem uſque ad tempora hæc noſtra venit in mentem. Et quia ſibimet ipſi objecit, quod Acta Conciliorum in Editionibus variis etiam à Sede Romana adprobatis legantur una cum

iis, quæ ipsa Sedes Romana nunquam adprobasse dicitur, atque respondet audacter, *textus Conciliorum non ex prototypis Romanis, sed Exemplaribus Græcis esse depromtos & expressos*, ostendit, ad extrema se redactum esse. Nam præter id, quod Præfatio Editioni Conciliorum Romanæ sub initium hujus seculi Paulo hujus nominis tertio Pontifice in publicam lucem prodeunti præfixa testatur aliud plane, annon hoc est adcusasse Sedem Romanam negligentiæ nulla omnino ratione excusabilis, quod orbi Christiano hactenus obtruserit Acta Conciliorum tanto cum adparatu è corruptis tantum Exemplaribus Græcis, cum potuisset, imo debuisset ea ex Prototypis exhibere Romanis integra, ac prout exhibent Veritatem Historicam? Si hæreticus quis ac extra gremium Ecclesiæ Romanensis vivens hoc scripsisset, magnum crimen potuisset videri inusisse Sedi Apostolicæ, dignum, quod atro notaretur lapillo in Judice Librorum Expurgatorio. Mirumque videri debet non immerito, Censores hujus Apologiæ hoc cum aliis pluribus pronuntiatis valde audacibus non observasse, nec Authorem ad lituram ejus adegisse, quod cum summa Sedis Romanæ infamia conjunctum est. In quem namque finem latent Acta Synodorum incorrupta atque custodiuntur in Prototypis Romanis, cur non potius dudum ea publicæ Luci commiserunt, ut Veritatis historicæ sectatores haberent tandem, quo sitim suam sedarent, ac desideriis superinde facerent satis, Græcorum insuper fraudes & dolos in re tam gravi Christiano orbi exponentes? Certe, si quid in gratiam Romanensium candide ac ex amore Veritatis contra hunc imprudentem Advocatum licet proferre, puto cum Lectoris venia dici posse, si quid in Prototypis Romanis extaret aliter sonans, quam Exemplaria Græcorum exhibent, præsertim quod Sedis Romanæ & Pontificum honorem adtinet, eos minime invisuros orbi Christiano aut perpetuis involvituros tenebris, sed dudum ea publicaturos, cum à multo tempore nihil eorum suppresserint, quæ aliqua ratione ad prærogativam Sedis stabiliendam videbantur conducere. Hinc non patet, quid cogitaverit Apologetes Honorianus, dum hoc chartæ commendavit, adeo videlicet absonum atque ab omni veritate alienum, ut nulla ratio videatur posse inveniri, quæ ipsum ad hoc absurdum absurdorum absurdissimum adegit, quo nihil absurdius & ineptius ab homine etiam somniabundo potuit excogitari, tale nimirum, quod simile videtur ei, qui circa Quæstionem testamentariam occupatus, ubi pars adversaria nititur Tabulis fraudulenter corruptis, veras & sinceras in manu habens non auderet proferre coram Judice, quarum productione tamen sine prolixiori mora posset causam perducere ad finem ac colophonem imponere ex voto. En, quo contradicendi in re aperta atque indubia libida novitium hunc Scriptorem deduxit, ea in *Clypeo fortium* pro Sede Romana adducens, quæ non nisi ad summam ejus infamiam referri possunt, & quibus simile quid à centum & amplius Annis nullo Scriptoris Romani calamo excidit! O imprudentiam in Scriptore Romano hactenus inauditam! Verum nec multo prudentius egit hanc causam, quam semel suscepit defendendam, in sequentibus, capite nimirum quarto & quinto, eos refellens, quia media quadam Sententia statuerunt, Honorium à Synodo non propter ipsam hæresin Monotheli-tarum, sed tantum ob negligentiam circa ejus refutationem fuisse damnatum, usus vel abusus Exemplis antiquorum Victoris, Zephirini, Liberii, Siricii, non ausus differi, Honorium in aliquo coargui potuisse, non autem Anathemate percuti, pluribus insuper Exemplis, Zosimi præsertim & Vigilii, Pontificum quoque Romanorum productis, ex quibus id deduxit, si Pontifices alii de inertia non fuerint adcusati, neque Honorium adcusari potuisse, & si de jure non fuerit damnandus, neque de facto ob silentii rationem debuisse damnari, imo, si ob hanc œconomiam damnatus fuisset Honorius, eodem modo cum aliis quoque Pontificibus in posterum posse procedi, Adriani Pontificis testimonio iterum laudato, adfirmantis nempe, Honorium non ob conniventiam, fuisse damnatum, sed propter hæresin. Sit enim ita, obtineat authoritas Adriani contra eos, qui Honorium ab hæreseos labe conati sunt liberare, solam negligentiæ culpam ei im-

Digitized by Google

impingentes, ob quam à Synodo fuerit damnatus, quod agnovit idem Adrianus, num Honorii cauſam conſtituit in ſalvo Advocatus hac illatione? Minime. Nam quia cum à crimine turpis inertiæ & ſilentii in cauſa Fidei contra hæreticos abſolvere non eſt auſus, id certe non parvum, ſed grande in capite Eccleſiæ, cui omnimoda infallibilitas adſcribitur, debet æſtimari, quodque à cæteris Eccleſiæ membris non ita facile poteſt diſſimulare, cum id non ſine periculo & Veritatis præjudicio fieret. Et quam miſerabilis eſt hæc conſequentia. Si Pontifices ante Honorium de inertia non fuere adcuſati, ergo neque Honorius ob eam potuit adcuſari? Imo, ſi ob eam Honorius fuiſſet damnatus, eodem modo cum aliis Pontificibus poſſe procedi? Quaſi diceret, ſi Petrus quondam ad Galli cantum non reſipuiſſet, ergo nec ejuſdem Succeſſoribus reſipiſcendum vel covigilandum eſſe; & ſi Paulus antehac intermiſiſſet officium corruptionis erga Petrum inordinate ambulantem, nemini etiam in poſterum fore licitum dicere ejuſdem Succeſſoribus, *Papa, quid facis?* Addo, quod ad hujus cauſæ ventilationem pertinet quam maxime, ſi Petrus neque ad Galli cantum reſipuiſſet, nec à Paulo admonitus in viam reduci ſe fuiſſet paſſus, manſurum nihilo tamen minus Petrum caput Eccleſiæ, ac neminem omnino auſurum fuiſſe, cum vel adcuſare vel condemnare. Hæc nimirum omnia ſequuntur, ſi deductio Apologetica aliquem habet locum. Quin & hoc porro ſequitur, ſi Synodus Honorium ob inertiam, non vero ob hæreſin damnavit, Sedes autem Romana per tot ſecula nunquam legitur eidem contradixiſſe, eam Juris ſui & Privilegii, quod ei à Chriſto in perſona Petri dicitur conceſſum, oportet valde obliviosam & ſummine negligentem fuiſſe, quod grandem hanc & enormem diſſimulavit in juriam, quæ cum inſigni Sedis Apoſtolicæ infamia eſt conjuncta. Sed ſalva res eſt, habemus præter alios plures confitentem Adrianum, qui Honorii damnationem à Synodo factam hæreſi adſcripſit expreſſiſſime. Atque hinc iterum per ſe cadunt, quæ Advocatus porro non ſine nauſea inculcat, nefas eſſe, dicere, cum hæreticis Honorium communicaſſe, ac nullam ejus rei factam à Synodo diſcuſſionem, quia contrarium eſt in luce publica, & nemo hactenus uſque ad præſens tempus aliter ſenſiſſe legitur. Nihil inſuper juvat cauſam, quando diſtingui jubet tempora, ut Veritas prodatur, dum quod hodie vel cras falſum eſt atque videtur, heri minime potuit eſſe vel videri debuit rectum, ab eo præſertim, qui gaudere dicitur privilegio Infallibilitatis, & qui ratione Muneris, quo fungitur, tenetur diſtinguere inter dextrum & ſiniſtrum, ne Eccleſiam ſibi commiſſam loco Veritatis deducat in errores, atque ſic Paſtor ouium ſit non bonus, non fidelis, ſed Mercenarius fugam capeſſens, aut, quod pejus eſt, turpiter colludens cum Lupis crudelibus, ovile Chriſti per errores evertentibus. Adcedit, quod Apologetes Honorianus ad ſuas quidem partes trahere laboravit, ſed quam maxime adverſus ipſum poteſt inſervire, quod cæteri à Synodo non propter œconomiam fuerint proſcripti; inde enim ſequitur, neque eam, utut ſatis periculoſam & damnificam, anſam præbuiſſe ad Honorii condemnationem, ſed potius ipſam cum Monothelitis ac eorum hæreſi communicationem. Quæ præterea tradit prolixiſſime in capite ſexto & ſeptimo de *Diurno* ac Profeſſionis Pontificiæ formula ibidem extante, quæ Honorium expreſſe Monotheletis adnumerat, provocans ad varietatem Exemplarium, quod videlicet non in omnibus legatur, & quod Editio, quæ Honorii facit mentionem, non ex Vaticano vel alio quodam Codice Romano ſit deſumta, iterum cauſæ difficultatem indicant, ne quid gravius dicam, cum Lectori Veritatis ſtudioſo iterum poſſit ſufficere, ſuper adhuc eſſe Codices, qui nomen Honorii exhibeant, imo, quod Launojus monuit non ſemel, Romæ non ita pridem cura *Lucæ Holſtenii* talem typis expreſſum fuiſſe, qui vero ibi captiores detineatur, dum Magiſtri curiales hodie viventes mallent hujus facti memoriam omnino abolitam ac æternæ commendatam oblivioni. Id inter omnia, quæ cum inſigni faſtidio inaniter coacervavit in his capitibus, dignum eſt obſervatione, quo hunccce ſuum de Divino obſignavit diſcurſum Apologetes, monens, non omnibus è tenebris

nebris recenter effoſſis Codicibus adhibendam eſſe fidem, utpote, quod inprimis etiam in Collectaneis Anaſtaſii ante duodecim luſtra demum à Sirmondo editis, quibus pleraque pars hujus Apologiæ innitatur, locum habere poſſe videtur, quia antehac erant omnino incognita. Tandem, quæ duobus ultimis quartæ Partis capitibus habentur, quia nihil fere novi proferunt, ſed pleraque ſuperius tradita non ſine nauſea lectoris repetant, ex ſupra dictis & reſponſis facile etiam poſſunt dijudicari, ubi duo tantum iterata vice adverſus Advocatum ſibi non ſemper conſtantem nec ſui memorem notabuntur. Prius eſt, quod omnibus Græcorum exemplaribus præferri debeat Codex Romam per Legatos allatus, quem ſupra dixit fuiſſe fraudulenter adulteratum, & tamen ab Agathone ſubſcriptum, atque ſic confirmatum adque Eccleſias tranſmiſſum. Poſterius, quod acta Synodi, quæ nunc extant, non deſumta ſint è Codicibus Romanis, contra quam Notationem ſupra jam ſufficienter dictum eſt. Cætera nituntur, paucis quibuſdam plerunque privatorum teſtimoniis, quibus uti plura poſſunt opponi, ita nullum apud rerum peritos eſt dubium, quin publica trium Synodorum acta tot ſeculis comprobata privatorum teſtimoniis prævaleant. Reſtat nunc majoris operæ labor in quinta & ultima diſſertatione, qua adverſariorum, id eſt, Teſtium Veritatis Hiſtoricæ argumenta diſſolvere conatus eſt Apologetes Honorianus, ſed verum & ille breviter exantlandus, dum perpauca occurrunt, quorum non in antecedentibus jam fuerit facta mentio. Prætermittenda nimirum erunt, quæ contra *Sibrandum, Cluniacum & Forbeſium* adtulit in medium, ac ea ſolum paucis expendenda, quæ *Melchiori Cano, Franciſco Torrenſi, Combefiſio*, & aliis ſuorum, quos nominare duxit inconſultum, prolixe oppoſuit, quibus an Launojus quoque veniat adnumerandus, lector æquus judicabit. Et quidem contra Melchiorem Canum urget inter alia, definitionem ſeptimæ adverſus Honorium ab aliquo fuiſſe depravatam, quia Codex ejuſdem ab Anaſtaſio viſus Honorium non exhibuerit, quod non aliunde, quam ex Anaſtaſii Collectaneis noviter repertis infeliciter conjectat, & tamen in proxime ſequentibus ſui iterum immemor ſcribit, Synodum ſeptimam in hoc facto, ſcilicet Honorium ad exemplum Synodi ſextæ cum Monothelitis damnantem erraſſe. De Octavæ Synodi authoritate itidem contradictorie loquitur, videlicet nolens largiri, Honorii proſcriptionem ex ea poſſe deduci, falſus tamen, Adrianum in ea dixiſſe, quod ei in Synodo ſexta ab Orientalibus anathema ſit dictum, & quidem ſuper hæreſi, adcedente inſuper primæ Sedis authoritate; contra hoc teſtimonium nihilo minus audacter excipiens, Agathonem imperaſſe nunquam ut Honorius damnaretur, nec etiam Legatis dediſſe facultatem, ut ejus damnationi ſubſcriberent. Quid ſi vero Adrianus præter generalem, ſecretam quoque ſtructionem Legatis ab Agathone datam; utpote temporibus illis propior vidit, quam ſucceſſores poſtmodum, utpote ſedi ſuæ parum honorificam abſolverunt, ſolliciti quam maxime, ne in manus poſterorum veniat? Teſtimonium certe Adriani multo plus valet, quam inanis conjectura, quæ nulli omnino innititur fundamento Veritatis, atque eadem facultate rejicitur, qua in medium fuit producta. Dum vero omni alio deſtitutus effugio ipſum hoc Adriani teſtimonium, quod antea diſcuſſit operoſiſſime, facere conatur ſuſpectum exinde, quia in Codice Vaticano non legatur Sedis Romanæ Antiſtites, utpote, utpote Adriani in Cathedra ſucceſſores adcuſat negligentiæ, quod de eo non dudum monuerint orbem Chriſtianum, ſed Spartam hanc poſt plurium ſeculorum decurſus huic Advocato reliquerint exornandam, fideles in hoc errore verſari permittentes, ac ſi de Adriani ſententia eſſent certi, quæ juxta Codicem Vaticanum ab ejus mente fuit plane aliena. Adverſus Franciſcum Torrenſem ſtrenue negando procedit, ac meris falſitatibus animum lectoris tantum non obruit, cauſatus, Epiſtolam Honorii à Synodo ſufficienter non fuiſſe diſcuſſam, adcuſans hac ratione iterum Pontifices Romanos, qui præcipitatam Synodi ſententiam contra Honorium ſuo adprobarunt calculo. Addit, nihil antea de quæſtione & controverſia, quam Monothelitæ moverant à Conciliis

Digitized by Google

liis fuiſſe definitum, ac falſum eſſe, quod Honorii Epiſtola fuerit contra ſanctiones Concilii Calchedonenſis, dum ea fuerit potius pro ſtabilienda Synodi Calchedonenſis ſententia, quod nullus defenſorum hactenus fingere auſus eſt, aliique omnes ex Veritate Hiſtorica conſtanter docuerunt, Honorium ideo cum Monothelitis à Synodo ſexta damnatum fuiſſe, quia eorum opinio ſententiæ Concilii Calchedonenſis adverſaretur, tanquam errori Eutychianorum proxima, imo ex eorum hæreſi progenita. Et quia hactenus ad Codicem Romanum non ſemel provocavit, quem ab exemplaribus Græcis diſſentire jactitavit, utut falſus, cum quoque à Monothelitis corruptum fuiſſe, nunc tandem gemebundus deplorat, eum una cum actis, quæ Anaſtaſius exinde collegit, periiſſe temporum injuria, Græcis fidelioribus longe Codicum ſuorum, quam Romanis cuſtodibus, utut illi non minoribus, ſi non longe majoribus obnoxii fuerint difficultatibus. Mirum vero, ſi Collectanea Anaſtaſii remanſerunt, quod Bibliothecæ in Vaticano cuſtodes non dudum ſuppleverint hunc defectum ex iis, Exemplaria Græcorum in honorem Honorii ac teſtimonium Veritatis hiſtoricæ ex debito corrigentes. Sequuntur animadverſiones *Combefiſii* oppoſitæ, in quibus iterum aliqua occurrunt reciproca animadverſione digniſſima. Combefilius adcuſavit Baronium, quod multa in Annalibus ſuis ad præſens negotium pertinentia neglexerit obſervare. Advocatus Honorii reſpondet, Baronium ideo non omnia obſervaſſe, quia plures poſt eum in lucem publicam prodierint Codices. Locum poſſet habere hæc apologia, ſi Baronius in obſcuro quodam orbis angulo ſcripſiſſet Annales. At dum in manibus habuit Codices Vaticanos non typis impreſſos tantum, ſed etiam manuſcriptos, ad quos etiam provocat ſæpiſſime, exque iis non pauca lectoribus ſuis propinavit, dubium non immerito poteſt videri, an huic excuſationi calvæ aliquid ſit deferendum. Cæterum eadem fere methodo negandi progreditur, qua in antecedentibus, omnia pro falſis habens, quæ opinioni, quam ſuſcepit defendendam, ulla ratione adverſaretur. Hinc tanquam falſiſſimum explodit, quod non plane nulli habent authores Romano-Catholici, ac omnino videtur probabiliſſimum, Honorii nomen in Agathonis ſuggeſtione Legatis data cum Monothelitarum nominibus extitiſſe, cum creditu ſit difficillimum, Legatos vel adſenſuros damnationi ejus, vel eam diſſimulaturos, vel Agathonem acta confirmaturum, vel Adrianum poſtea adſerturum, *Sedis Romanæ auctoritatem adeſſe*, quæ talia ac tanta ſunt, quæ inficiationem hujus facti non modo facere poſſunt ſuſpectam; ſed inſuper etiam habere loco ſigni cauſæ omnino peſſimæ & deſperatiſſimæ, cum ea etiam in dubium vocantur, imo negantur, quæ in clara ſatis luce Veritatis hiſtoricæ ſunt poſita. Nam ſi negaſſe ſufficiat, quæ Teſtes fide digni & quidem ex documentis non obſcuris conſtanter adfirmant, omnis hiſtorica fides in poſterum vacillabit, nec ſuper amplius erit, cui tuto liceat inniti. In eo forſitan non multum à vero abluſit Apologetes, quod negat & falſum eſſe judicat, quod quidam mediæ inſiſtentes viæ in gratiam Synodi Lateranenſis finxerant, Honorii cauſam in Occidente non adeo cognitam fuiſſe, cum minime potuerit eſſe incognita, publice nimirum diſcuſſa, ſic tamen, ut Romani tanquam Sedi ſuæ minus decoram, quantum in ipſis erat, jam non immerito diſſimularint, ſolliciti de eo quam maxime, ut omnium oculis & animis eriperent, atque ſic per ejus oblivionem Sedes Romana à turpi hac labe & infamia in æternum liberaretur. Hoc quoque largimur & concedimus Advocato Legatorum ſilentium fuiſſe omnino inexcuſabile, ſi quidquam fuit, quod ad defenſionem Honorii, ne anathemate percuteretur, potuit inſervire ipſis per omnia indiguis, qui legationis munere fungerentur, ſi Sedis Romanæ, cui erant obligati, honorem tueri pro viribus neglexerunt. Agnoſcimus id etiam lubenter, permulta temporis tractu in hiſtoria Eccleſiaſtica eſſe detecta, quæ antehac latitabant in obſcuro; at iis fidem detrahere, quæ communi conſenſu non in privatorum ſcriptis tantum, ſed actis quoque publicis ab authoritate ſumma confirmatis leguntur tradita, ac ea in dubium vocare, imo tanquam falſa & adulterina omnino rejicere, neque id amore Veritatis, aut ex Documentis fide

dignis, ſed meris ſuſpicionibus omni fundamento carentibus, ac ſpiritu ſolum erga Curiam, unde præmium largius expectatur, adulatorio, eſt audax valde ſalſum & in luce publica intolerandum, adeoque etiam ſine rigidiore cenſura non prætermittendum. De cætero fallitur Advocatus, ſi literas Honorii ad Sergium habet pro privatis, ac inſuper nullum eas admittere errorem cenſet, quia Epiſcopus ſcripſit ad Epiſcopum, neque id privata in cauſa factum eſt, ſed in negotio fidei, Patribus Synodi ſextæ injuriam utrique illaturis, ſi privati ad privatum literas forte interceptas ſumſiſſent dijudicandas, adhuc gravius peccaturi, ſi ob eas Honorium tanquam hæreticum anathemate, & quidem poſt mortem percuſſiſſent, quæ nullum in ſe continuiſſent errorem. In eo etiam grande abſurdum admittit, quod non tantum Honorii, ſed etiam Sergii cauſam ſuſcepit defendendam impudenter ſcribens, Honorium in literis Sergium non de ipſa hæreſi, ſed ignorantia ſaltem potuiſſe inſimulare. Eo uſque progreditur audacia, ut in gratiam Honorii quovis modo in integrum reſtituendi Sergius, Monothelitarum præcipuus, ob hæreſin Eutychianiſmi prolem à Synodis tribus uno ſenſu & unanimi conſenſu damnatus, ob ſolam ignorantiam dicatur culpandus. Hæc ratio diſputandi & antiquitates Eccleſiaſticas illuſtrandi ſi poſthac Romæ valebit, ipſe etiam Eutyches, Neſtorius cæterique hæretici ab Eccleſia proſcripti in ordinem orthodoxorum redigentur, utpote quibus perfacile aliquis torpor & ignorantia in hoc vel illo fidei capite potuit obrepere. Nunc pauca adhuc ſequentur ex iis, quæ contra quoſdam Anonymos notavit Hyperaſpiſtes noſter, inter quæ id occurrit dignum aliqua obſervatione, quod monet, ſiviſſe Pontifices Romanos aliquando, ut poſt longam annorum ſeriem multæ res magni etiam momenti ſint mutatæ, quæ gravem ſecum inducerent novitatem, & aliquam arguerent anteceſſorum in erroribus corrigendis negligentiam. Laudant hoc factum, quicunque Veritatis ſunt amantes, atque in votis habent, ut, quod in rebus momenti minoris factum eſt hactenus, in rebus quoque ipſam fidem & religionis veritatem adtinentibus fiat, an ſenſim liceat pervenire ad errorum agnitionem, qui per tot ſecula Curiam Romanenſem occuparunt. Id etiam ex ante dictis eſt perſpicuum, quod Advocatus iterato ſuggerere eſt auſus, non adeo certum eſſe, Synodum œcumenicam Legatis reluctantibus Honorium damnaturam. Verba hæc dubitanter ſunt concepta tanquam de aliqua re, quæ non vere ſit facta, ſed fieri potuerit, nimirum an Synodus auſura fuiſſet Honorium damnare, ſi Sedis Romanæ Legati fuiſſent reluctati. Hinc inferre videtur Synodum damnaſſe Honorium Legatis non reluctantibus. At ſi injuria per damnationem hanc fuit illata Honorio, & Legati non ſunt reluctati, officio non fecerunt ſatis, digni correptione ſeveriſſima, de qua altum in Hiſtoria ſilentium, ut alia prætermittam, quæ poterant hic urgeri. Tandem in eo conſentiens Advocato, quod contra non plane nullos obſervat, ac eo totam hanc Tractationem obſignat, reprobans, quod aliquibus fuit viſum, nempe, quod ex Honorii lapſu nullum candori Sedis Apoſtolicæ dedecus oriatur; quia ſi obtineat dogma de ſumma authoritate & infallibilitate Pontificis Romani tanquam capitis Eccleſiæ, ad quod omnium membrorum reſpectus perpetuo in rebus Fidei ſit habendus, nulla ſupereſt ratio, ut qui illud omni modo tuentur, ac ſimul vi Veritatis hiſtoricæ agnoſcunt, Honorium legitime cum Monothelitis tanquam hæreticis ob errorem Eutychianum à Synodo ſexta ad normam Synodi Calchedonenſis damnatum & anathemate percuſſum, ac per integra decem ſecula in Eccleſia Romanenſi ſine ulla contradictione pro tali habitum fuiſſe & agnitum, in Grammatica quoque Theologica non fateantur hancce ſuam infallibilitatis Pontificiæ regulam uti in aliorum Pontificum, ſic etiam Honorii perſona paſſam fuiſſe exceptionem, diligenter perpenſuri, an poſthac Eccleſiæ ſalva cum conſcientia hanc regulam non unis exceptionibus obnoxiam obtrudere poſſint, ac orbem Chriſtianum porro ludificare. Sed languet calamus, & forte lectoris quoque oculus animuſque ob copiam rerum, quam hæc quæſtio exhibet hiſtorica, cui adeo prolixam non impendiſſem in deſcribendo & examinando operam, niſi recentiores

ex

ex adverſaria parte Scriptores circa ejus variam diſcuſſionem occupatiſſimos advertiſſem. Præſertim vero ultimus Honorii Advocatus & Hyperaſpiſtes ſilentio non fuit damnandus, utpote qui tanquam alter *Pammachius* omnes & ſingulos, qui pro Veritate hiſtorica adverſus Honorium in acie hactenus ſteterunt, ſuis pedibus ſubjicere tentavit, oſtentans ſupercilioſiſſime *Clypeum Fortium*, quem nunc lector utpote levem, nec adeo terribilem videt manibus excuſſum non fortis & ſtrenui Militis, ſed qui primum in arenam intulit pedem, tentaturus hoc ſpecimine, quid ferre poſſint vires, quidve recenſent, poſthac cautior ex debito futurus, ac omnia probe perpenſurus ante, quam readſumat clypeum fortius muniendum & manu tenendum. Tu, lector, quiſquis es, amans Veritatis, rem hanc momenti majoris conſidera altius, atque ex hoc exemplo memorabili diſce, quid de hac jactata Pontificis Romani infallibilitate prudenter ſit ſtatuendum, ne ſimplicitas credendi te in errores deducat inextricabiles.

Bellarminus *ibid. c.* 12.

INter alios Pontifices vindicandum ſibi quoque contra Centuriatores Magdeburgicos ſumſit Gregorium hoc nomine tertium, aliis vero ſecundum, permittentem in Epiſtola quadam ad Bonifacium viro alium ducere uxorem, ſi propter morbum aliquem uxor propria ei conjugale debitum redde re non valeat, quod tamen Gratiano etiam annotante expreſſe ſit contra Evangelium. At ita reſpondet Bellarminus, non loquitur Gregorius de quacunque corporis imbecillitate, ſed de impotentia perpetua & naturali, per quam Mulier eſt inepta ad Conjugium. Talia enim Conjugia, ſi ex errore ſint contracta, ſe ſentur non eſſe conjugia, & judicio Eccleſiæ ſolvuntur, uti habemus in Decretalibus, ac ita etiam reſpondet Gloſſa. Sed contra hoc eſt, quod Gregorius videtur indicare, primum fuiſſe verum Matrimonium, & non tam ſolvendum quam ſecundum ei ſuperadiendum; ſcribit enim non debere Virum ab Uxore prioris ſubſidium auferre, id eſt, debere eam adhuc ut Uxorem alere & ſuſtentare. Ideo poſſet etiam dici cum eadem Gloſſa, Pontificem dare conſilium, non præceptum, ut eam, quæ videbatur uxor fuiſſe, adhuc ſuſtentet, ſi ejus indigeat providentia, cum nulla ipſius culpa adiderit, ut Uxor illius eſſe non poſſet.

Launojus *T.* III. *Epiſt.* 5. *p.* 10. *& ſeq.*

REſponſum Bellarmini ad objectum Gregorii teſtimonium his exhibet verbis. Poſſet dici cum Gloſſa, Pontificem loqui de quacunque infirmitate, ſed non concedere aliud Conjugium tanquam juſtum, ſed tanquam minus malum; minus enim malum videtur, ut aliquis unam tantum habeat concubinam, quam ut cum multis aliis paſſim ſcorteatur. Vel certe poſſet dici, Pontificem ex ignorantia lapſum eſſe, quod poſſe Pontificibus adcidere, non negamus, videlicet, cum non definiunt aliquid de fide, ſed ſolum opinionem ſuam aliis declarant, uti hoc loco videtur Gregorius feciſſe. Addit Launojus, hæc verba exhibere Editionem Bellarmini Lugdunenſem de anno 1596. & alias præcedentes, quibus, inquit Gregorius, & ſi credimus Gregorio, DEUS ipſe, cujus gratia id, quod conſulenti Bonifacio reſpondet, ſe ſcribit reſpondere, duriſſime tractantur. Scilicet, niſi DEO, certe Gregorio ſoli tribuenda eſt reſponſio, quam ſatis male habet Bellarminus. Verum, non eſt diſſimulandum, quod Bellarminus, cum progreſſu temporis vidiſſet, dictatis iſtiuſmodi ſuam de Pontificio non errandi privilegio ſententiam iri in incommodatum, illa ſuſtulit dictata in poſterioribus operum Editionibus, & alia in illorum locum ſubſtituit. Sed ne in dictatis prioribus perſeveret, in poſterioribus apertam vim facit Gregorianæ ad Bonifacii interrogationem reſponſioni,

quæ

quæ per seipsa lucet; non enim agitur de impotentia, quæ sit à natura, sed quæ Matrimonio jam contracto supervenerit ex infirmitate. Cæterum Bellarminus cum in tam variis partes Gregorii responsionem agitat, authoritatis nihil aut parum defert Gregorio.

Appendix.

His quæ Launojus de Pontificis Romani infallibilitate & privilegio non errandi scitio adversus Bellarminum per aliquot exempla memoratu dignissima disputavit prolixissime, non impertinenter adeo possunt adjungi, quæ idem in peculiari quodam Tractatu de Simonia adversus *Johannem Azorium*, Bellarmini in eodem ordine socium exhibuit, hic per breves tantum lineas repetenda ideo, quia simul Quæstio occurrit, an Simonia pro hæresi sit habenda, & nunc Pontifex Romanus possit esse simoniacus? Et quidem post recensitam priori tractatus parte ex Actibus Apostolorum de Simone Mago Historiam & Synodi Calchedonensis Decretum Simoniæ oppositum, uti & Pontificum Romanorum quinquaginta adversus Simoniam testimonia, insertum quoque Sacramentum illud, quo Pontifices Romani recens consecrati sese ad sacros Canones & Decreta Sedis Apostolicæ servanda solemniter obstringunt, in parte ejus posteriori diversas observationes tradit, quæ hic omnino legi merentur, quamvis non omnes & singulæ, quod Instituti ratio non patitur, sed aliquæ tantum ex earum numero, & potissimum scopo præsenti inservientes. Inter eas tertium occupat locum, quæ docet, multos peccatum simoniæ appellasse hæresin, videlicet Gregorium cognomine Magnum pluribus in Epistolis, & alios; quibus in observatione quarta adjungit, vel potius præmittit antiquos Ecclesiæ Patres, idem de hæresi simoniaca sentientes, nempe Irenæum Lugdunensem, Epiphanium & Augustinum, quos in observatione quinta voluit sequi Synodos complures & Tractatores Ecclesiasticos in seculis posterioribus .ex.gr. Audœnum Rothomagensem Episcopum in libri secundi de vita sancti Eligii capite primo, Aliminum in Epistola post octuagesimam octava, Carolum Magnum libri Capitularium primi numero post decimum nono, Synodum Parisiensem sextam capite undecimo, Hincmarum Remensem Episcopum opusculi post tricesimum tertii capite post tricesimum quinto, Fulbertum Carnotensem in Epistola post vicesimam tertia, Petrum Damiani in libri primi Epistola post decimam tertia, Lambertum Schafnabrugensem in Chronico ad annum seculi post Christum undecimi septuagesimum, Ivonem Episcopum Carnotensem in Epistola post vicesimam septima, Gosfridum Abbatem Vindocinensem libri quarti Epistola octava, & in opusculo de ordinatione Episcoporum ac investitura Laicorum, Hugonem de sancto Victore libri secundi de Sacramentis parte decima Lombardum libri quarti Sententiarum distinctione post vicesimam secunda, Concilium Rothomagense &c. Post observationem sextam, quæ ostendit, quot modis pravitas simoniaca contrahatur, in septima sequente quæritur, cur recentiores quidam Theologi & Juris Canonici Antecessores distinguant inter Simoniam jure Divino & Ecclesiastico prohibitam? Non ita distinguendum est, inquit Launojus, quia Pontifices Romani & Concilia nullum jus proprium statuunt, sed Divinum duntaxat interpretantur & explicant. (N B. Loquitur eruditissimus Sorbonista de eo quod fieri debet, non autem de facto ipsomet, quodve fieri solet.) Divini verò juris interpretatio & explicatio non est jus novum, quod à Divino secernatur. Quis enim quæso, nisi gratis & sine ratione diceret, juris humani explicationem esse legem novam, quæ ab ipso jure explicato distingueretur? Præterea valere debet regula, qua dicitur, ubi jura non distinguunt, nos etiam distinguere non debere. Atqui jura sunt vel jurium instar Pontificum Romanorum, Conciliorum & Tractatorum Ecclesiasticorum testimonia, quæ Divino iure niti constat. Quærendum igitur est, quo fine ac consilio aliqui inter Simoniam Jure Divino & Ecclesiasti-

ſiaſtico prohibitam diſtinxerint? Nulla certe alia occurrit cauſa, niſi ut Curiæ Romanæ Simonia excuſaretur. Hæc facile colligitur è delectorum Cardinalium & Prælatorum Conſilio de Eccleſia emendanda, quod Paulo hujus nominis Pontifice tertio jubente conſcriptum atque exhibitum fuit, in quo Simoniæ etiam fit mentio, & de quo Launojus id inprimis obſervat, quod Petrus Crabbe Editioni Conciliorum ſecundæ illud intulerit, cui inter alios etiam ſubſcripſerit Cardinalis Theatinus, creatus poſtmodum Pontifex nomine Paulus, videlicet quartus, de quo non conſtat, quod unquam hoc Conſilium retractarit. Obſervatio octava confirmat atque tuetur, Pontificem Romanum in hæreſin ſimoniacam incidere vel ſimoniæ vitium poſſe committere. Ut hoc demonſtret, provocat ad teſtimonium Zachariæ Pontificis in Epiſtola ad Bonifacium, ac ea quæ in obſervatione quinta fuerunt laudata, adcedentibus quibuſdam è Schola Doctoribus, nominatim Alberto Magno, & Thoma Aquinate, Facultate inſuper Theologica Pariſienſi, Synodo etiam Baſileenſi. Poſt obſervationem nonam & decimam, in quibus Thomæ Campegii & Ivonis Epiſcopi Carnotenſis de hac Quæſtione ſententiam exponit Launojus, undecima inquirit, qua de cauſa vel ratione ſimonia à tot & tantis authoribus, ac tamdiu hæreſis ſit nuncupata? Poſt adductam vero Goffridi Vindocinenſis & Lombardi ſuper ea ſententiam prolixe etiam atque inprimis refert, quæ in tractatu de Præſulibus Simoniacis Nicolaus de Clemangis ſcripſit addens inſignia duo Elogia, quæ huic authori Eſpenſæus & Sanctesius Theologi quondam Pariſienſes adſcripſerunt. Iterum poſt adductam obſervatione duodecima ſimoniæ à Chryſoſtomo condemnationem, decima & tertia recitat Polydori Virgilii, ſub Alexandro Papa ſexto quæſturam apud Anglos Pontificiam gerentis, ex libri de Inventoribus rerum octavi capite ſecundo verba ad præſens negotium conducentia, hac cum obſervatione: Si quæ hic author narrat, omnia ſunt vera, adparet, Eccleſiam Romanam à tempore Petri uſque ad tempus ſeculi, poſt decimum quinti infinitis propemodum caruiſſe Magiſtratibus, qui ſeculis poſterioribus fuerunt inſtituti. Equidem Virgilius conſilium inſtituendi non ſatis bonum adpetit, quod tamen refellere non poſſum, inquit Launojus, non ſufficio, non valeo. Notum eſt illud: Non omnia poſſumus omnes. Hac mea me confeſſione tueor & involvo. Videmus enim Magiſtratus illos emi, vendi, & cum Dignitatibus Eccleſiaſticis permutari. Res ſic ſe habet: Qui Magiſtratum cariſſime emtum egerit, ſi ad Cardinalatus aut Epiſcopatus honorem promovetur, Magiſtratus is vacat, atque in commoda illius, non qui promovetur, ſed qui promovet, vel promovere curat, redit, rectius cedit. Atque hoc ipſum eſt, quod cum expoſita Eccleſiæ Romanæ antiqua traditione vellem lubenter conciliare, ſcribit Launojus, ſi poſſem. Sed non poſſum, quia traditione hac obruor, nec ab ea recedere, tuta ſcilicet conſcientia, liberum eſt. At quod me ſolatur, ita pergit, illa non ſunt Eccleſiæ Romanæ, nimirum Veteris, nec Sedis Apoſtolicæ, cui adhæreo adhæreboque ſemper, ſed Curiæ & illius Doctorum, de quibus Conſilium ſupra laudatum delectorum Cardinalium & Prælatorum de Eccleſia emendanda pronuntiavit. Quod autem Virgilius Johanni Papæ hujus nominis viceſimo & ſecundo initium Annatarum adſcripſit, ſolus non fecit; ſed nullus eſt Scriptorum, qui illud faciunt, quod ſciam, æqualis vel ætate ſuppar, atque ut tribuatur, vix ſinunt ea, quæ ex Decreto quodam Synodali ſub ejus regimine facto ſunt cognita. Nempe per ſuum in Hiſpania Legatum ſimoniæ crimen vexavit tantopere, ut credi non poſſit eum feciſſe, quod aliqui ſcribunt feciſſe, niſi quod non ita facile crederem, cum tenuerit inanis & flagitioſa Virtutis oſtentatio. Cæterum de impoſitis à Johanne Papa Annatis ſilent Palmerius & Author vitæ Pontificum, qui vixit Avenione; Paulus item Langius qui avaritiam illius in Chronico Citizenſi vehementer valde perſequitur. At ſi quid Langius in Hiſtoricis antiquioribus inveniſſet, quod ad tributum Annatarum ſpectaſſet, ejus non fuiſſet oblitus, cum ex aliis rationibus, tum ex hac quoque, quod Johannis avaritiam magis atque magis adcuſaſſet. Theodoricus à Niem author æqualis, rem propriis uſurpatam oculis aliter narrat in libri de ſchiſmate ſecundi capite ſeptimo, Bonifacio

Pontifici hujus nominis nono originem Annatarum adscribens, quas, inquit Launojus, statuisset nunquam, si certus & indubitatus fuisset Pontifex, qualis non fuit Bonifacius; & Constitutio hæc, quam Gregorius Magnus & alii Pontifices hæresi Simoniaca dixissent pollutam, ad eos tantum pertinet, qui tam in Curia Romana promovebantur, non enim reperio, scribit Launojus porro, dubium, an serio, Pontificem verum ac legitimum, qui postea Constitutionem Bonifacii Decreto ad alios edito extenderit. Præterire insuper non possum, inquit, Platinam narrare, Johannem vicesimum & secundum ante nominatum decimas instituisse, quas alii forsitan converterunt in Annatas, spreti Decimarum usu, quem Philippo Francorum Regi transcripserat. Aliud vero quid est, quod Author operis de Annatis non solvendis apud Nicolaum de Clemangis itidem supra laudatum observat, nimirum, quod Johannes Pontifex reservationem quandam temporalem pro Passagio transmarino & quibusdam aliis necessitatibus suis de omnibus Beneficiis & Dignitatibus, exceptis Abbatialibus instituerit; & hæc videntur certiora, scribit Launojus, quam quæ Platina recensuit, atque fuerunt, ni fallor, in causa, cur Johannes Pontifex inventor Annatarum habitus sit à nonnullis, sed istæ, uti adparet, tum in minoribus tantum sacerdotiis erant constitutæ. Bonifacius autem nonus, qui, uti dictum sedit in schismate, simpliciter Annatas induxit, de quo Platina testatur; utut Scriptor anonymus apud Clemangium de Annatis non solvendis rem istam melius calluerit, atque sic etiam descripserit, quam Platina. Hinc quibus in rebus non concordant, deserendus est Platina, & sequendus author anonymus. Silentio etiam non est prætermittendum, quod Gobelinus Persona in Cosmodromii ætate sexta ac ejus capite post octuagesimum quarto de Bonifacii pravitate simoniaca narrat. Atque hæ Annatæ, quarum author fuit hic Bonifacius, cum referantur ad ordinationem, quæ non fieret, nisi solverentur, aut, quod rarius contingit, satis dato promitterentur, ad hæresin spectant simoniacam. Coactus & dolenter hoc dico, inquit Launojus, quod nollem (id est, mallem non) dicere; sed hanc à me professionem extundit apertissima Veritas. Sed Bonifacius non erat, quod jam fuit notatum, Pontifex certus & indubitatus atque ex eo Sedes Apostolica minus offenditur, & Ecclesiæ Romanæ veteris contra Simoniam traditio nihil aut parum interrumpitur. (N B. Bene hoc haberet, si Annatarum usus cum Bonifacio initium & finem habuisset; at sequentia aliud plane docebunt.) Hinc post observationem decimam & quartam, in qua mentio fit Episcoporum quorundam, quibus non ipsa modo simonia, verum & umbra ejusdem fuit invisa, sequens observatio decima & quinta sistet Pium secundum & Innocentium octavum, de quibus ipse Launojus in lemmate præscripto testatur, quod eis in constitutione de solvendis Annatis fraudulenter fuerit obreptum. Post adductam vero Innocentii constitutionem, qui ad Pium antecessorem provocat expresse, Launojus, in antecessum observat, Pium, cum adhuc esset Cardinalis Æneas, Annatas defendisse in Epistola, quam ad Martinum Mayerum, Præsulis Moguntini Cancellarium de Moribus Germaniæ scripsit, sub prætextu necessitatis ad victum & amictum, hac addita censura: Quasi vero, quæ sunt ad victum & amictum necessaria, Cardinales non possent ex suis titulis percipere? Æneas nimirum ipse duos habebat titulos, & qua Ecclesiæ Romanæ Presbyter, & qua Episcopus Senensis. Ut Presbyter S. Sabinæ titulo præficiebatur; ut Episcopus autem Ecclesiæ Senensi. Hinc S. Sabinæ Presbyterium, inde Senensis Ecclesiæ Episcopatus suis opinor, non carebant reditibus, qui ad Æneæ victum & amictum sufficerent; atque, ut erat Christianus, hisce duobus beato Paulo docente contentus esse debebat. Præterea, Ecclesiæ Romanæ bona & facultates ad alendos & vestiendos illius Presbyteros, Diaconos & Clericos debent insumi, ut sacri Canones & Sedis Apostolicæ Decreta præscribunt. Æneæ autem temporibus vivendum erat Romæ, uti temporibus Gregorii Magni vivebatur, & insuper de fructibus Ecclesiæ docendum erat, quod Gregorius & alii Pontifices tradiderant. Hoc si Majerus dixisset vel scripsisset Æneæ, quid ei respondisset, habuisset omnino

nino nihil. At non excuſo Æneam, ſed Pium, cui & poſtmodum Innocentio fraudulenter obreptum eſſe puto, propter, Sedis Apoſtolicæ doctrinam, ad antiquorum ſtatuta ſemper provocantem. Hoc ubi teſtimoniis Pontificum quadraginta & octo confirmavit, inter quos ultimum occupavit locum Innocentius hic octavus, ſequentia ſubjunxit Launojus: Quamvis conſtituerim Innocentium hunc octavum & Sedem in eo Apoſtolicam tueri, nolo tamen detrahere fidem Hadriano Pontifici hujus nominis ſexto, ſummæ integritatis Viro, qui Pontificem hunc potuit videre, & quis ſub eo Sedis Apoſtolicæ ſtatus tuerit, cognoſcere, hæc in Commonitorio, quod Cheregato oratori ſuo in Germaniam eunti dedit: ſcribere non veritus: *Scimus, in hac Sede ſancta aliquot jam Annos multa fuiſſe abominanda, abuſus in Spiritualibus, exceſſus in Mandatis, omnia denique in perverſum mutata* &c. prout Odoricus Rainaldus exhibet in Annalibus Eccleſiaſticis. Non poſſum, quin mentione Hadriani Pontificis facta hic inſeram, quæ Launojus parte Tractationis prima, ubi eandem Hadriani confeſſionem poſt aliorum Pontificum adverſus Simoniam teſtimonia prolixius adduxit, ex oratione, quam Johannes Baptiſta Flavius de vita Thomæ Cajetani ab Hadriano in Pannoniam miſſi habuit, lectoribus curioſis cum multa obſervatione exhibuit ſequentia: *Non deſunt, qui exiſtiment, non tam ultro ab Hadriano eam legationem Xyſto (ſic vocabatur Cajetanus à titulo) fuiſſe delatam, quam dolo ac fraude hominum quorundam, qui Xyſtum per ſpeciem honoris in Exilium mitti volebant, veriti, ne, ſi cum Hadriano diutius miraretur, eos loco moveret, utpote quorum mores nequaquam cum Xyſti moribus convenirent. Nec vero me fallunt, inquit Panegyriſtes, eorum lepidiſſimi Sermones, dicentium: Iſte Cardinalis S. Xyſti vir quidem bonus eſt, ac plane doctus, (id enim negare non poterant) verum ignorat iſthæc Curialia. Negat, pro Sacerdotiis ac rebus Eccleſiaſticis quidquam accipi oportere, ac gratis danda eſſe cenſet, non primo quidem petentibus, aut iis, qui velocius curſitant, qui, ut ipſe inquit, grabatulos circumvolitant, morientium animas ſedulo accupantur, ac eas recens emiſſas adhuc tepentes deferunt ad Curiam. Multa etiam de Diſpenſationibus, multa de Indulgentiis, ne quidquam relinquat intactum, iſte homo inculcat. Non pretio, non paſſim, non pro cauſa quacunque, non omnibus concedendas. Venalitate nimioque abuſu vileſcere ac pro nihilo habere. Et pleraque alia perſtrepit, non minus inepte, quam ſtulte, ut plane videatur deſipere. Sunt hæc quidem fortaſſe dictu ſpecioſa, ſed quæ, ne ſi ipſe Pontifex eſſet, fieri poſſent. Nam quod de Epiſcopis, de cura Sacerdotiorum eis relinquenda iſte bonus homo adſtruit, quid ſtultius eſſe poteſt? Quid enim aliud eſſet, quam vaſtam in Urbe ſolitudinem facere, ac Pontificatum redigere ad nihilum? Quo pacto Pontifex Romanus tot ac tantes poterit ſuſtinere ſumtus, tanto præſertim ære alieno oppreſſus? Ridiculum eſt, quod gratis donare poſſis, id ipſum vendere non poſſe. Quis hunc tam gravem ac tam moleſtum Cenſorem noſtris cervicibus imminentem poſſet ferre? Abeat, valeat, faceſſat hinc, quo dignus eſt, vel in ſuum Epiſcopatulum Cajetanum. Ibi ſolus regnet cum iſthac rectitudine Conſcientiæ, nobis deſinat eſſe moleſtus. Quin potius in aliquem orbis angulum per ſpeciem Legationis procul mittendus eſt, ne nobis Pontificem hunc ſanctum ſuis ineptiis corrumpat.* En vitiorum, ita Launojus cenſet, & cumprimis Simoniæ cum Virtutibus oppoſitis certamen in Curia inſtauratum, quam Hadrianus Pontifex optimus ſuſceperat expurgandam. Huic operi ſancto liberius vacaſſet atque facilius, ſi Conciliis Cajetani fuiſſet adjutus. Verum, ne adjuvaretur, homines minime boni molitionibus arcanis effecerunt, cauſati, neceſſarium eſſe, ut Legatus in Pannoniam mitteretur; Cajetanum porro eum eſſe Cardinalem, qui hoc Munere fungeretur magna cum laude. Pontifex ſpecie recti deceptus eum in Pannoniam miſit Legatum: atque ſic privatus adjutore tanto Curiæ vulnera non potuit curare, ut voluit. Sed redeundum eſt ad lineam, & quidem ad obſervationem decimam & ſextam, in qua Launojus de Pii ſecundi Conſtitutione id adhuc ſemel monet, eam non exſtare, verum periiſſe ſeu conſilio, ſeu caſu, quamvis ipſe credat, conſilio

ſilio potius, quam caſu id factum eſſe, quia Pontifice tam erudito fuerit indigna, & fortiter refutata ab illo ſeu Theologiæ ſeu Juris Antiſtite, qui libellum de Annatis non ſolvendis apud Clemangium compoſuit ſupra quoque laudatum. Idem in obſervatione ſequenti poſt decimam ſeptima ad ejuſdem Pii vel potius Æneæ Epiſtolam, itidem ſupra laudatam, quam ad Majorum ſcripſerat, aliquam notatu digna excerpſit, monens, fateri eum, in Curia Romana ſeductores & avaros eſſe, in quos pravitatem Simoniacam tranſtulit. Fateri eum porro, Pontifices, cum adſumunt Chriſti Vicariatum, homines remanere, ac propterea falli, errare ac decipi poſſe. Addit, eum in ſequentibus, cum dicit de DEO, *Eum non paſſurum labi & errare Sedem primam, quam ſuo arbitrio regendam retinuerit*, ſecum pugnare, niſi forte ſedentem in prima Sede Pontificem ab ipſa Sede diſtinguat, quo tamen modo ſuos illuderet Lectores; hinc enim Pontifex Romanus committeret Simoniam, ſed prima Sedes non committeret. Præterea, de prima Sede id ſibi ſumit, quod de ſecunda vel tertia Sede ſibi ſumeret, ſi vellet. Scilicet probare non poteſt, DEUM citius eſſe paſſurum, quam prima Sedes erret vel labatur. Inſuper, cum ſcribit, Prælatum minorem, ſi Bonis ſibi traditis abutatur, ſuperioris judicio coercendum eſſe, at, ſi Præſul Romanus abutatur, DEI judicium eſſe expectandum, qui aut illum de medio tollat, vel alio provideat modo, adverſus Eccleſiæ Romanæ traditionem ſcribit. Hanc poſtquam pluribus ipſorum Pontificum teſtimoniis confirmavit, ipſo etiam Æneæ teſtimonio uſus eſt Launojus ex ejus Bulla vel Epiſtola Retractatoria, quam ad Studium Colonienſe miſit, in qua faſſus eſt, opinionem, quæ Concilium ſupra Pontificem ſtatuit, antiquam, quæ vero Pontificem ſupra Concilium ponit, novam eſſe. Quod autem deſeruit antiquam, & amplexus eſt novam, vitium fuit hominis Curiæ Romanæ volentis placere, quod Exemplum haberi non debet ab Eruditis & cordatis dignum imitatione. Gratis nimirum ac ſine omni ratione proponit expectandum eſſe Miraculum, quo Pontifex, qui obduruit ad vitia, & nullum correctioni & admonitioni locum relinquit, de medio tollatur. Denique, placitum eſt omnium auribus & animis abſurdum, Pontificem merito poſſe in Præſules Simoniacos animadvertere, qui ad illius imitationem emerent Sacerdotia, Pontificem vero ipſum totius mali cauſam merito caſtigari non poſſe per Eccleſiam, cujus membrum & filius eſſe cognoſcitur. Quæ autem ulterius ſcripſit de Annatis Æneas, in citata ad Majorum Epiſtola, non Piſcatorie, uti loquuntur Patres, ſed Ariſtotelice ſcripſit, diſputans non Theologice, ſed Philoſophice. Quæ autem ita diſputanter, non unius ſunt aſſis. Scilicet, nullam Novi Teſtamenti Scripturam, nullam Patrum antiquorum authoritatem adducit, imo, Eccleſiæ Romanæ veteris traditionem tacitus oppugnat. Deinde, non diſputat, ut Juris Eccleſiaſtici peritus diſputare debet, dum neque ſacros Canones, neque Pontificum Romanorum decreta ex iiſdem Canonibus promulgata in lucem edit. Porro, cum ait, *Divitias in Eccleſia Romana requiri ad tria tantum, videlicet, ad ſtatum honeſtum & dignitatem tenendam convenientem; ad pauperes alendos & Eccleſias manu tenendas, atque ad coercendos malefactores, qui Fidei ſinceriori obſiciunt*, hoc pacto ſignificat, ignorare ſe vel diſſimulare, quid Eccleſia Romana de Bonis Eccleſiæ cenſeat & decernat. Id ubi demonſtratum ivit Launojus teſtimoniis Gelaſii & Gregorii, utriuſque primi, duplici itidem teſtimonio Ambroſii, de ultima ratione id inprimis obſervandum duxit, quando Æneas Eccleſiæ opus eſſe divitiis ad coercendos peccatores ſcripſit, id eſſe placitum, quod Patribus antiquis fuerit ignotum. Petrus certe & Paulus, cæterique Apoſtoli conſtantia & Fortitudine, non divitiis Chriſtiani Nominis hoſtibus reſtiterunt & fidem diſſeminarunt. Sic Laurentius Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus non Divitiis, ſed pauperum multitudine, quibus Divitias impertivit, Imperatori Valeriano reſtitit. Hilarius etiam Epiſcopus Pictavienſis non auro vel argento, ſed virtute Imperatoris Conſtantii duritiem fregit. Ambroſius quoque Mediolanenſis Epiſcopus non divitiis, ſed Virtute compoſuit clerum & pravos uſus abolevit,

Im-

Digitized by Google

Imperatrici Arianæ reſtitit & prævaluit, atque Imperatorem Theodoſium correxit. Baſilius itidem Cæſareenſis Epiſcopus non divitiis, ſed virtute cum Valente Ariano Imperatore congreſſus eſt. Gregorius inſuper Nazianzenus proſtratam ab Arianis Eccleſiam Conſtantinopolitanam non opibus, ſed Virtute & Doctrina erexit. Adcedunt porro Exempla Martini Turonenſis Epiſcopi Idolorum Templa ſubvertentis, Anaſtaſii Pontificis Romani hoc nomine primi Rufinum & Origenitas percellentis, Hieronymi Jovinianum, Vigilantium, Pelagium profligantis, Auguſtini plures adhuc hæreticos debellantis, Leonis primi Manichæos Romæ in Concilio non modo damnantis, ſed etiam in Exilium pellicurantis, Urbemque Romam ab incendio & cæde in Genſerici direptione liberantis, Symmachi Anaſtaſio Imperatori hæretico reſiſtentis, Gregorii M. multa & magna gerentis non theſauris vel auro & argento, ſed Virtute & Doctrina quod omnino advertus Æneam meretur obſervari, contra quem id etiam porro notat Launojus, Urbanum Pontificem hoc nomine ſecundum & alios Expeditionem in Tevram ſanctam authores non impoſuiſſe Annatas, de quibus is ſermonem inſtituit, idque ideo, quia Pontifices antiqui exactiones hujuſmodi hæreſin Simoniacam adpellarant, quod ex laudatis eorum teſtimoniis eſt manifeſtum. Tandem, Status Pontificum Romanorum honeſtus & dignitas conveniens per Annos à Chriſto trecentos & mille conſervari ſine Annatis potuit, neque igitur opus eſt eis, ut porro retineatur. Hinc unusquiſque Pontifex id ſine Annatis poteſt facere, quod illi ex officio faciendum incumbere Æneas adfirmat. Quin etiam Eccleſia Romana longe plures ex ſe reditus nunc habet, quam olim, cum vel maxime floreret. Nunc pergit Launojus, & obſervatione poſt decimam octava recurrit ad Diploma Julii Pontificis hoc nomine ſecundi, quod Parte Tractationis priori ex Odorici Rainaldi Annalibus Eccleſiaſticis integrum exhibuit, ſequentia exinde notans, videlicet, quod Simoniam non qualicunque modo hæreſin, ſed veram atque indubitatam adpellet, & Pontificem Romanum Simoniace electum, non hæreticum modo, ſed etiam futurum eſſe hæreſiarcham decernat, atque prohibeat, ne Pontifici Simoniace electo mos ullus geratur, & ille à Concilio generali, quod neceſſarium eſſe putat, deponatur. Addit in dicta obſervatione, ſi, quantum diligentiæ ac ſtudii Cardinales ad cuſtodiendam Julii de Pontifice eligendo Conſtitutionem inſumſerunt, tantum ad vitandam hanc hæreſin Simoniacam Curia Romana inſumſiſſet, non opus fuiſſet Hadriani confeſſione, vel etiam illorum Cardinalium & Prælatorum Conſilio, quod Paulo Pontifici hujus nominis tertio datum eſſe ſupra fuit dictum. Sed, ô temporum infelicitas! Ea quippe, Curia ſcilicet Romana, ubi quidam ſederunt Pontifices, & Præceptum Chriſti, *Gratis accepiſtis, gratis date*, & Petri factum, & Synodi Calchedonenſis canonem, & Sedis Apoſtolicæ Decreta, à Præcepto Chriſti, Petri facto & ſexcentorum triginta Patrum Canone promulgata neglexit atque contemſit; idque factum ſilentibus Romanis Cenſoribus, ſeu qui Sacræ Inquiſitionis officium, ſeu qui congregationem Judici Librorum prohibendorum vacantem, ſeu qui congregationem Concilii Tridentini rebus præpoſitam componunt. An vero ſilentium hujuſmodi culpandum vel laudandum ſit, in eadem obſervatione iterum teſtimoniis Pontificum Romanorum deduxit Launojus, in ſequenti decima & nona tandem adgreſſus Johannis Azorii diſputationem de Annatis, è ſecundi Inſtitutionem Moralium Tomi, liberique ejuſdem ſeptimi capite duodecimo deſumtam. Verba ſunt hæc: *Dubitari non poteſt, quin annua penſio ſive Annata omni vitio Simoniæ careat. Nam Pontifex Romanus legem poteſt conſtituere, ut, qui deinceps Beneficium Eccleſiaſticum obtinuerint, integros fructus Anno primo colligendos & percipiendos, vel dimidiam eorum partem ſolvant in ſubſidium hujus vel illius Clericorum ſecularium vel Regularium conventus vel Domus hoſpitalis. Ergo pari ratione poterit reſervare in communem aliam utilitatem. Quidni igitur poterit eos fructus exigere in commune Curiæ Romanæ vel Cameræ Apoſtolicæ commodum, quæ omnium Eccleſiarum utilitatibus inſervit? Adcedit, quod*

Pontifex abſque ulla labe Simoniæ penſiones quotidie Beneficiis, quæ confert, imponit in Clericorum & aliorum indigentium ſubſidium. Non igitur eſt Simoniæ crimen, ſi penſiones hujuſmodi reſervet in ſubſidium eorum, qui in Curia Romana inſervient; nam Annatam ſolvi Romano Pontifici nihil eſt aliud, quam fructus Anno primo colligendos, vel dimidium eorum partem ei reſervari. Nec enim Papa tot & tantis abundat opibus, ut poſſit Curiæ Romanæ Miniſtros honeſte & commode ſuſtentare. Sed ita nunc cenſet Launojus, hoc argumentum minime pertinet ad Theologiam, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione deducitur. Hic certe nec Scriptura, nec authoritas Patrum producitur in medium. Philoſophica ſeu humana Ratiocinatio eſt, qua non regitur Eccleſia. Atque hoc tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Deinde in hoc argumento manifeſto petitur principium, idque ſumitur pro comperto, quod maxime eſt incompertum. Verum, vitioſa hæc eſt methodus diſputandi, quia, qui Pontificem, ut ſua tueatur jura, contenderet indigere, penitus hæc labefactaret. Porro, hoc argumentum non ſpectat ad Juriſprudentiam Eccleſiaſticam, quia ex Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ principiis, Canonibus & Pontificum Decretis non quæritur. Inſuper, hoc argumentum ad communem Eccleſiæ Catholicæ legem non pertinet, quam Silveſter ſecundus in Epiſtola ad Segvinum Senonenſem Archiepiſcopum præſcripſit his verbis: *Sit Lex communis Eccleſiæ Catholicæ Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones DEI Spiritu conſtituti & totius Mundi reverentia conſecrati, uti & Decreta Sedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia.* Hic vero nec Evangelium, nec Apoſtoli, nec Canones DEI Spiritu conſtituti, nec Decreta Sedis Apoſtolicæ leguntur nec legi poſſunt; atque hæc eſt argumenti pernicies certiſſima. Præterea, Azorius de iſta Quæſtione diſputat, contra quam Gregorius Pontifex hoc nomine nonus diſputare vetuit in Epiſtola regulari ad Magiſtros Pariſienſes ſcripta: *Magiſtri & Scholares Theologiæ in Facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed fieri ſatagant Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, Hebræam cum aſotica confundentes, ſed de illis tantum Quæſtionibus diſputent in Scholis, quæ per libros Theologicos & Patrum ſanctorum Tractatus valeant terminari.* Et quidem Azorius Philoſophum ſe oſtentat, quia Quæſtionem tractat philoſophice, quia Ariſtoteles etiam eas poſſet rationes adhibere, quas ille adhibuit, verbis quibuſdam exceptis, quæ apud Chriſtianos, non autem gentiles uſurpantur. Atque ſic quoque motam à ſe Quæſtionem non definit per libros Theologicos & Patrum ſanctorum Tractatus; nullum enim ex iis teſtimonium adfert, nec ullam à libris Canonicis, quos Pontifex Gregorius ratione peculiari nominat libros Theologicos, producit authoritatem, & ſi per eos Gregorius intelligeret Theologos è Schola, qui ipſum præceſſerunt, nullum quoque ex illis locum adducit Azorius, nec poteſt vel potuit adducere. Quin etiam Thomas, vel alius ſub illius nomine, qui poſt Gregorium floruit & ſcripſit, Papam poſſe Simoniam committere adfirmavit in ſecunda ſecundæ, ejuſdemque Quæſtionis centeſimæ articulo ſtatim primo. Adhuc plus ultra, idem Azorius in tractanda hac Quæſtione derogat Decreto Synodi Florentinæ, ubi Pontificis Romani authoritas & probandæ hujus Authoritatis forma traditur, utpote, quæ non permittit, ut Pontificis Romani authoritas philoſophicis æſtimetur Quæſtionibus, uti Azorius, æſtimandam eſſe cenſet, neque ut eadem quibuſcunque rationibus, quæ etiam Theologicæ quodammodo dicerentur, æſtimetur, ſed tantum ſacris Canonibus & geſtis Synodorum univerſalium, quæ non ſunt aliæ, quam primæ ſeptem, quia Synodus hæc Florentina in prima Editione ſui, atque in Editionis privilegio à Clemente Papa conceſſo Synodus octava dicitur. At Canones nullos hic depromit Azorius, de univerſalium Synodorum geſtis ſilet; imo, & geſto Synodorum univerſalium & Canones ſacros ſuæ poſſet opponere Sententiæ, ſed non alienæ & contrariæ. Derogat igitur Synodi Florentinæ decreto, cui derogare non licitum fuit Azorio, Amplius, in Synodo Tridentina à Legatis repulſa eſt Antiſitium non nullorum

inita

Digitized by Google

inſtantia, qui valde, ſed inutiliter contenderunt, ut in Seſſionibus ſingulis hæc adhiberetur formula : *Synodus Eccleſiam univerſalem repræſentans.* Repulſa eſt autem ideo, quia in antiquis Canonibus & Synodis non invenitur. Atque ſic repelli etiam poteſt inque Morboniam amandari, quidquid Azorius de Quæſtione hac diſſeruit ; in antiquis enim Canonibus & Synodis nihil reperitur, quo confirmetur placitum ejus, quin etiam multa reperiuntur, quibus id evertitur. Inprimis notandum, quod Lemma hoc : *Dubitari non poteſt, quin annua penſio ſive Annata omni vitio Simoniæ careat*, pro certo ſibi ſumit Azorius, quod non modo incertum eſt, ſed etiam in Eccleſiæ Romanæ veteris circa Simoniam traditione ſordeſcit vitio Simoniæ, imò ad hæreſin Simoniacam ſpectat. Quin & hoc antecedens, *Pontifex Romanus legem poteſt conſtituere* &c. itidem ſumit pro certo, quod magna indiget probatione, ſi negetur, & quia omnino careret, ſi exigeretur, vel ſecundum Scripturam & Eccleſiæ Catholicæ traditionem, vel ſecundum Juris Eccleſiaſtici principia, Sacros nimirum Canones & Pontificum Decreta ex iiſdem promulgata. Et quando negatur antecedens Enthymematis, neceſſario fieri debet Syllogiſmus, quo probetur ; nam adſumenda eſt minor Propoſitio, quæ in Enthymemate eſt ſuppreſſa, uti norunt tyrones Dialecticæ. At, præ me fero, inquit Launojus, Syllogiſmum, qui formaretur, ſi tamen formari poſſet, adcidentis fallacia cariturum non eſſe, quia a non diſtributo ad diſtributum, id eſt, à genere non diſtributo ad certam ſpeciem procederet, atque ſic vitioſe, etiamſi ſpecietenus procedere videretur non male ; ſi vero hoc vitio non laboraret, alio tamen non careret, quod adpellatur petitio principii. Et, ſi in antecedente de veteri clericorum ſecularium vel Regularium Sodalitio agitur, ſeculares vel regulares Clerici ſuis ſuſtentabuntur reditibus, quibus ſuſtentari ſolent. Quod ſi vetus illud Sodalitium redigatur ad incitas, id faciant Clerici, quod Synodus quarta Carthaginenſis canone poſt quinquageſimum ſecundo decrevit faciendum : *Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo vel Agricultura abſque officii ſui detrimento præparet.* In ſumma, de victu & veſtitu ſibi conſulant ea ratione, quæ neque Conciliis, nec Canonibus ſacris, nec Eccleſiæ veteris traditioni adverſetur. Si autem, de novo Clericorum ſodalitio agitur, hoc non ante fundandum & inſtituendum eſt, quam idonei reditus adſignentur. Quid enim, quæſo, neceſſum eſt, Clericorum vel Monachorum inſtituere ſodalitium, cui reditus honeſti & legitimi non deputentur ? quid opus ad ſubſidium Conciliis, Canonibus ſacris & Eccleſiæ veteris traditioni oppoſitum confugere ? Nempe, à tali fundatione abſtinendum eſt, & qui Clerici volunt fieri, Sodalitia bene fundata ingrediantur. Perſpicuum igitur eſt, antecedens totum, quantum eſt, in juris fictione, quæ legitima & canonica non eſt, conſiſtere. Quocirca mirum non eſt, ſi conſequens perperam colligatur, *Ergo pari ratione poterit reſervare in communem aliam utilitatem.* Admiſſa vero vel ſuppoſita veritate antecedentis recte nihilominus negari poteſt conſequentia, quia communis illa fingitur utilitas ; nam illatus in Enthymemate terminus non eſt ejuſdem cum termino inferente neceſſitatis. Mollienda ſunt uſu verba, & quæ maxime ſunt artis ; atque ſic fallax eſt conſecutio. Et quia ex antecedente tali, quali repræſentavimus, concludit iterum Azorius, *Quid ni igitur poterit* &c. reſpondeat Apoſtolus, facienda non eſſe mala, ut eveniant bona. Nam fructus illi nequeunt exigi, quin Concilia, ſani Canones & Eccleſiæ veteris traditio violentur. Præterea, complexio ſecunda hæc iiſdem ſcatet vitiis, quibus ſcatebat prima. Nunc enim ex una neceſſitate ficta colligitur, alia nunc ex neceſſitate per hypotheſin vera deducitur plane ficta. Poſtremo, fuitne major neceſſitas à tempore Bonifacii, quam ante tempus illud, quo nullus fuit Annatarum uſus ? fuitne minor neceſſitas tempore Pontificum, qui omnes Simoniam execrati ſunt ante Bonifacii ætatem, qui primus invexit Annatas ? Sed rationem non multum ei, quam modo exploſimus, diſſimilem repetit Azorius his verbis : *Pontifex abſque ulla labe* &c. Nimirum, in antecedente ſumitur vera & certa Clericorum, quibus adſignan-

tur

tur pensiones, inopia, quæ nec in Curia Romana, nec in Ministris illius pariter potest sumi, & ideo argumentum concludit fallaciter. Nam Bonorum Ecclesiæ Romanæ pars secunda, quæ Clericis fovendis & sustentandis deputatur, plus-quam sufficit. Deinde, à Bonis Ecclesiæ universim sumtis multa supersunt, quæ ad emendas pro Antistitum Romanorum *propinquis* hæreditates, prædia & ditiones amplissimas insumuntur. Quare Azorius neglectis Historicæ legibus subjungit : *Nec Papa tot & tantis &c.* Nam, qua ætate florebat Azorius, Pontifices Romani pluribus abundabant divitiis, quam antehac abundarunt Pontifices, nominatim Gregorius M. & alii, qui tamen Annatas in Curiæ Romanæ subsidium exegerunt nunquam, imo, tradiderunt ea, quibus Annatæ condemnantur. Tum, Urbanus hoc nomine secundus & alii Expeditionem in Terram sanctam contra Turcas decreverunt, nec tamen in earum subsidium Annatas exegerunt. Quæ vero fingi potest major exigendi occasio, quæ probabilior necessitas ? Concilium quoque Tridentinum & Pontifices Romani, qui per Legatos eidem præfuerunt, noverant utique Curiam Romanam, quibus illa & qualibus Divitiis carebat vel non. At pro Curiæ Romanæ ministris nihil reservavit, ubi, quæ Concilium & ejus præsides hac in materia censuerunt esse reformanda, reformarunt, vel potuis reformare se velle simularunt. Inter alia autem decreverunt, ut, quæ dispensatio gratis facta non sit, pro subreptitia habeatur. Et si nunc porro Methodus Azorii in hac Quæstione tractanda observetur, manifestum evadet, eum hanc Quæstionem imprudenter & inutiliter tractare, contra quam Ecclesia Romana censet tractandam, pronuntiante Nicolao Pontifice hujus nominis primo ad Michaelem Imperatorem, & scribente : *Ecclesia Romana semper sanctorum Patrum authoritates sinceriſſimas in omnibus suis actibus sequitur.* Sed Author iste in hac Quæstione nullas Sanctorum Patrum sequitur authoritates, vel ad confirmandum Lemma, quod sibi sumsit, adhibet, atque sic Ecclesiæ Romanæ morem spernit. Hac in re adversa est Patrum authoritas, tantum abest, ut suffragetur, & Romana per sanctos Patres loquatur Ecclesia. Cæterum, ut ad antecedens, ubi de pensionibus agitur, redeamus, cum illæ ad sublevandam non nullorum Clericorum inopiam Sacerdotiis imponuntur, non tamen omnibus, sed iis tantum, quæ Clericis pro victu & vestitu sufficiunt, nec illud abhorret à quadripartita Bonorum Ecclesiasticorum divisione, quæ Canonum & Sedis Apostolicæ Decretorum ex iisdem Canonibus promulgatorum authoritate confirmatur, in illa enim pars una Clericis fovendis ac sustentandis deputatur. Quare nihil mirum est, si pensiones illæ careant pravitate Simoniaca. At, si pensiones imponerentur ea conditione, ut, qui Beneficii titulum possidet, ordinandus non esset, nisi solveret, (quo modo solvuntur Annatæ) à pravitate Simoniaca eximere non possem, scribit Launojus ? & quo minus possem, obstat Ecclesiæ veteris Romanæ traditio, cui nec Azorius, nec ullus unquam alius respondebit. Cæterum, quæ hactenus disputata sunt, disputari necesse non erat, sed mantissæ loco tantum disputata sunt, ne, qui ex philosophicis rationibus sapere sibi videbatur, in Theologia etiam sibi sapiens videretur. Super autem adhuc sunt non plane nulla observatione digna in disputatione Azorii. Exempli gratia non respondit argumento, quod ita objecit sibi : *Accedit, quod inde Antistites accipient occasionem novas Ecclesiis & Clericis sibi subjectis imponendi pensiones.* Utique non potuit respondere, & suam de Annatis adsertionem ab omni detrimento liberam atque incolumem conservare. Notum est illud, Regis ad exemplum totus componitur orbis. Huc quoque spectat, quod Thomas intrepide adfirmat : *Papa potest incurrere vitium Simoniæ, sicut & quilibet alius homo ; peccatum enim tanto in aliqua persona est gravius, quanto majorem obtinet locum.* Quo posito cæteri Antistites peccarent quidem Annatas imponendo, sed minus graviter quam Pontifex Romanus peccarent, quia minorem in Ecclesia locum obtinent ; deinde, Pontifex Romanus cum authoritate & jure Antistites Simoniacos non posset redarguere, illorum peccatis tacitus consentiret, atque sic

pecca-

Digitized by Google

peccaret, prout ipſi Pontifices Romani teſtantur, quorum teſtimonia quædam produxit ibi Launojus. Sic quando Azorius arguit Panormitanum, ſuppeditat rationem, qua & factum Petri, & Synodi Calchedonenſis canon, & Eccleſi veteris Romano traditio vel arguantur, vel ſaltem ſimplicitatis nimiæ inſimulentur cum damnarunt Simoniam. Verba ejus hæc ſunt: *Ex dictis facile perſpicitur*, immerito Panormitanum damnaſſe tanquam ſimoniam, ſi quis Pontifex Romanus vel ab Epiſcopo, vel ab Abbate, cui præfecturam Eccleſiæ concedit, accipiat; nec enim exigit pecuniam, ut Beneficii collati pretium, ſed in ſubſidium Miniſtrorum, *quorum opera, labore & induſtria utitur quotidie* Nam ſic Petrus, qui nec aurum, nec argentum habebat, juxta doctrinam Azorii potuit à Simone nonnihil accipere, & in proprium, & in Miniſtrorum, quorum opera & labore utebatur, ſubſidium, non vero ut beneficii, quod Simon poſtulabat, collati pretium. Durus ergo fuit Petrus, cùm Simonis intentionem rectam non laudavit, ſed illi dixit, Pecunia tit tecum in perditione; ſimplex vero quod cum facili & innoxia ratione ſibi ſuiſque Miniſtris potuit conſulere, non conſuluerit. Hæc non advertit Azorius, nam ſi advertiſſet, talia non ſcripſiſſet, dum ſcribendo quæ ſcripſit de prudentia Petri, mirum quantum detraxit, & primo Romanorum Paſtori non mediocrem intulit contumeliam & injuriam. Sic quoque Synodus Calchedonenſis quas damnavit ordinationes tanquam ſimoniacas, facili & innoxia ratione potuit non damnare, ſi mentem ac intentionem Epiſcoporum ad finem ab Azorio propoſitum direxiſſet. Sic etiam Antiſtites, qui condendo Canoni in Synodo hac Calchedonenſi dederunt cauſam, ſatis leviter ſunt damnati, cùm obvia & expoſita ratione quam Azorius propoſuit, potuerint excuſari. Sic omnia Gregorii inprimis Magni contra ſimoniam teſtimonia difflabuntur, quod Pontifex invalidus non perſpexerit, ſimoniam eſſe non poſſe, ubi ſimoniam eſſe dixit. An non enim Præſules, quos Simoniacæ hæreſeos adcuſat paſſim, cum Azorio profeſſi eſſent, ſe ab Epiſcopis vel Abbatibus, quibus Eccleſiarum præfecturas concedebant, non exegiſſe pecuniam ut Beneficiorum collatorum pretium, ſed in ſubſidium ſuum & Miniſtrorum, quorum opera labore & induſtria utebantur quotidie? Sic Papa Zacharias hæreſeos ſimoniacæ ſuſpicionem à ſe removiſſet omnem, ſi ſcripſiſſet ad Bonifacium, exactam à ſe quidem eſſe propter Pallia conceſſa pecuniam, verum non ut Beneficii collati pretium, ſed in ſubſidium &c. Sic tota quanta eſt, Eccleſiæ veteris Romanæ traditio circa ſimoniam hac diſtinctione Azorii, adhibita in vanum pulverem fatiſceret, & hujus traditionis adſertores vel ſeveritatis, vel certe ſimplicitatis adcuſarentur. Sic tandem Synodi Tridentinæ Patres, quos partim Azorius videre potuit, ſugillabuntur, ſcilicet, peccatum ſimoniæ quod illi tantopere deteſtantur, (aliud ore, aliud in mente habentes) ſublatum iri de Mundo, ſi facilis & innoxia ejus diſtinctio admitteretur in authoritatem. Atque ſic hactenus abunde & inſulſarum & execrabilium complexionum, quæ ex Azorii doctrina diffluunt ſponte. Verum eſt aliud quoque, quo illo expoſitam Eccleſiæ veteris Romanæ traditionem circa hæreſin ſimoniacam illudit, ſic porro ſcribens: *Neque itidem eſt*, quod Coſmas & Duarenus mirentur, ſi juris Pontificii Doctores Plerique teſtentur, quod Modeſtinus Ictus docuit, legem Juliam de ambitu Romæ locum non habere, quoniam ſicut Magiſtratuum creatio pertinet ad curam Principum, non vero ad populi favorem, ſic etiam Decreta & leges de ſimonia, quæ jure tamen (forte tantum) Canonico ſunt introductæ, in Pontifice Romano, cujus in Eccleſia ſummus eſt principatus, *locum non habent*. Azorius certe hoc in loco ſimilis eſt Theologis, de quibus Concilium delectorum Cardinalium ad Paulum hujus nominis tertium Pontificem conqueritur. Adſentatur nimirum & palpum obtrudit Pontifici Romano, quod ii etiam fecerunt, quorum meminit Concilium ſæpius laudatum; imo, adſentatur longe aliter quando nullum inter regnum & ſacerdotium facit diſcrimen, contra quam Chriſtus expreſſe legitur proteſtatus. Inde Hieronymus notanter ſcribit in triceſima ad Oceanum Epiſtola: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papianus, aliud Paulus noſter præci-*

pit. Et Leo Magnus in Epiſtola poſt quinquageſimam quarta ſcripſit ad Marcianum Imperatorem: *Alia ratio eſt rerum ſecularium, alia Divinarum.* Quapropter et amſi lex Julia de ambitu Romæ in Principibus nullum haberet locum, non tamen ſequitur, Canones de Simonia in Pontificibus Romanis nullum habere locum. Negandam namque hanc eſſe conſequentiam Eccleſiæ veteris Romanæ traditio circa ſimoniam demonſtrat, ubi nominatim Papa Zacharias incidere ſe poſſe in hæreſin ſimoniacam ob conceſſa pretio pallia non diffitetur. Fruſtra etiam confugit Azorius ad novam ſimoniæ diviſionem, quæ ſupra jam fuit exploſa. Canones itidem ſacri & Decreta Pontificum ex iiſdem Canonibus promulgata jus explicant Divinum, & nullum conſtituunt novum, quod ab illo diſtinguatur. His autem omnibus reſponſis ad omnem tergiverſationem aditus præcluditur, & in quacunque ſententia vel opinione, etiam in ea, quæ falſa eſt, dum ſimoniam aliam jure Divino, aliam humano tantum facit ſancitam capitur & irretitur. Et ſane hæc diſputatio Azorii, ut Hieronymi verba huc adplicentur, non ex fontibus Veritatis & ſimplicitate Chriſtiana, ſed ex Philoſophorum minutiis & arte deſcendit. His ita deductis progreditur Launojus ad obſervationem viceſimam, in qua aliorum Curiæ Romanæ adulatorum artificium detegitur ac diſſuitur; Qui Azorii placita ſequuntur, inquit, & cumprimis Gretſerus in examine Myſterii, Pleſſeani, curioſe ac diligenter animadvertunt, hæreticos & Annatas, atque id genus vectigalia condemnare. Enimvero animadvertunt, quo facilius ſuæ conſulant cauſæ, & vix aliter poſſunt conſulere; hoc enim modo ſignificant, Annatas & paria his vectigalia licere ideo, quia condemnant hæretici. Interim neſciunt vel diſſimulant, Patres antiquos, & cumprimis Patres Romanos id hæreſin adpellare ſimoniacam, quod condemant hæretici. Quæ, DEUS immortalis, cœcitas! Quaſi vero liceret nobis Eccleſiæ veteris Romanæ traditionem circa vitium Simoniacum adcuſare ideo, quia hæretici illam laudant traditionem, & reprehendunt, quod in ea reprehenditur. Profecto, ſi quæ eſſet æquitas, laudandi potius forent hæretici, quam adcuſandi, quod in vituperatione pravitatis ſimoniacæ vel hæreſeos ſequantur Pontifices Romanos & imitentur. Annon enim ut alia prætermittantur, Stephanus Pontifex, cum baptizatum ab hæreticis quibuſlibet non rebaptizandum eſſe ſtatuit, hæreticorum utitur exemplo? Sed exemplo hoc utor, inquit Launojus, diſputans ad hominem, nam Stephani Decretum rejicit Cyprianus. Hic autem intereſt tantum noſſe, non continuo improbandum, quod condemnant, qui ſeorſim per religionem ſentiunt à nobis, dum Pontifices etiam Romani, quorum cauſam defendit Gretſerus, diſciplinam hæreticorum aliquando in ſe recipiunt & amplectuntur. Nonne etiam Hieronymus & Theodoretus, duo præcellentes Eccleſiarum Magiſtri in Scripturis exponendis Aquilam, Theodotionem, Symmachum qui à religione Chriſtiana defecerant, nonnunquam citant & ſequuntur? Nonne idem Hieronymus ad Auguſtinum ſcribens, cum Epiſtolæ ad Galatas locum, ubi Petrus à Paulo reprehenditur, tractat, hæreticos jungit Catholicis? Scilicet hæretici in loci hujus expoſitione à Catholicis non diſcordabant. Nonne Auguſtinus traditam à Ticonio Donatiſta methodum Scripturæ interpretandæ docuit, additis vel ſublatis, quæ cenſuit addenda vel tollenda? Non credidit, rejiciendam eſſe illam methodum, quia Trionius Donatiſta tradiderat eam. Nonne etiam Synodus ſexta priuſquam Fidei definitionem conficeret, ſanctis Patribus, qui adlati fuerant, conſentanea hæreticorum protulit teſtimonia. Sic falſa non eſſe omnia, quæ ſcribunt hæretici, habuit perſuaſum. Adeoque rejicienda non ſunt, quando idem ſentiunt cum Catholicis. Quamobrem ſi vere damnanda eſt pravitas vel hæreſis ſimoniaca, à quocunque damnetur, ſive Catholico, ſive hæretico vere damnabitur. Atque ſic artificium adulatorum & Curiæ adulatricis diſſuitur, & in vagum pulverem fatiſcit. Sequitur obſervatio poſt viceſimam prima, quæ in gratiam Sedis Romanæ monet, ea quæ in decurſu ſeculorum occurrunt circa ſimoniam Eccleſiæ veteri aut Sedi Apoſtolicæ contraria, non huic eſſe tribuenda, ſed Curiæ tantum. In hunc cenſum refert Launojus, quæ habet Rudolphus Gla-

Glaber libri Hiſtoriarum quarto capite primo, Baptiſta Mantuanus in Eclogis quinta & nona, Felix Hemerlinus in Tractatu de Matrimonio, Senonenſe Concilium capito ſeptimo. Huc etiam videtur poſſe & omnino debere referri, quod ſupra in obſervatione quinta ex Lamberti Schafnabrugenſis Chronico ad annum ſeculi poſt Chriſtum undecimi ſeptuageſimum adduxit Launojus commemoratione dignum. Scilicet, Epiſcopum Babenbergenſem illo tempore viventem Romam fuiſſe evocatum à Pontifice, & adcuſatum, quod per hæreſin ſimoniacam data pecunia invaſiſſet Epiſcopatum, eum vero multa & pretioſa Munera dediſſe Papæ, & per hæc efferatam adverſus ſe mentem ejus ad tantam manſuetudinem reduxiſſe, ut, qui non ſine periculo honoris & gradus ſui putabatur evaſurus, non ſolum criminis, quod objectum fuerat, impunitatem conſequeretur, ſed Pallium quoque & alia quædam Archiepiſcopatus Inſignia à Sede Romana receperit pro Benedictione. Super adhuc eſt tandem obſervatio ultima, in qua Launojus tria Appendicis loca proponit. Primum eſt, quod poſt Pium Pontificem hujus nominis quintum nullus occurrat Pontifex, qui verbis conceptis veteris Eccleſiæ traditionis contra Simoniam duxerit lineam. Clemens quidem octavus voluit, ut quæ Concilium Tridentinum cenſuit reformanda, reformarentur, ac quæ extirpanda Concilium decrevit vitia, extirparentur; ſed ſimoniam ſpecialiter non deſignavit, atque ſic ultimus fuit Pius, qui Simoniam ab Eccleſia voluit profligari. Secundum eſt, cur Pii Succeſſores hanc lineam adverſus ſimoniam ab anteceſſoribus ductam non continuaverint? Indaganti ratio duplex ſe objicit, vel quia damnandæ ſimoniæ defuit occaſio in Laicis & primi ac ſecundi ordinis Sacerdotibus, quod à ſimonia, quam Pontifices antiqui tam vehementer adcuſarunt, prorſus abſtinuerint; vel quia obſtiterunt nonnulli Theologi & Juris utriuſque Antiſtites iis, de quibus Conſilium delectorum Cardinalium Paulo Pontifici hujus nominis tertio aurem vulſit. Ex duabus autem his cauſis primam alteri vere præferri poſſe, & id omnibus conſtare percuperem, ſcribit Launojus. Tertium addit, quod eſt, hodiernum Curiæ Romanæ ſtatum ejuſmodi eſſe, quibus fuerit temporibus Petri, Gregorii Magni & Zachariæ, quorum nomina ſic audiuntur, inquit, & ita circumſonant, ut aureum illorum Pontificum ſeculum rediiſſe crederes. Atque huic diſciplinæ veteris inſtaurationi, pergit Launojus, manum admovent firmiſſimam duæ Congregationes, una, quæ S. Officii, altera quæ Judicis adpellatur. Hæ nihil indulgent, nihil condonant libris, quibus inſtauratio tam ſancta, tamque à bonis omnibus exoptata interturbaretur,. Et ſi quis ea de re audeat dubitare, Inquiſitorum monumenta perlegat, & librorum prohibitorum Indices, qui ætate noſtra confecti fuere. Nec mirum; intelligunt enim prudentes ac egregie cordati homines, antiquæ hujus diſciplinæ, qua de agitur, inſtauratione viam ſterni, qua qui ſeorſim à nobis per religionem ſentiunt, *ad Eccleſiam Romanam & Catholicam reverti poſſint facilius.* An hæc ultima in laudem Curiæ Romanenſis ſcripta à Launojo fuerint ſerio, an potius ridendo palpum ejus adſeclis voluerit obtrudere, lector judicet ex eo præſertim, quæ adverſus Congregationem Indicis alibi ſcripſit, cum his minime conſentanea. Poſſet autem hoc Elogium Launoji aliquem habere locum, ſi Azorij Inſtitutiones minime morales ob doctrinam de ſimonia veteris Eccleſiæ traditioni contrariam inter prohibitos, vel ad minimum corrigendos poſitæ fuiſſent libros, unde aliqua poſſet hauriri conjectura, ſimoniam non amplius ita craſſe in Eccleſia vel Curia Romana graſſari.

Appendicis Additio.

NUnc placet ſubjungere quædam, quæ *Petrus de Marca* Archiepiſcopus non ita pridem Pariſienſis in opere de Concordia Sacerdotii & Imperii, ejuſdemque libri ſexti capite decimo & ſequenti de Annatis, quæ maximam fere partem faciunt eorum

quæ communiter ad crimen Simoniæ referuntur, notatu digna obſervavit, in quibus etſi non ſingulis Launojum habet adſentientem, non pauca tamen Lectoribus obfert, quæ ad Teſtimonium & confeſſionem Veritatis pertineant. Id ante omnia meretur notari, quod ſtatim ſub initium tractationis monuit, non ambigendum eſſe, quin Avaritia hujus mali ſit origo, quod cœperit invaleſcere Seculo poſt Chriſtum quarto, ſed damnationis Sententia perculſum in Synodo Calchedonenſi obſervat ſimul, ea tempeſtate ordinationes ita peragi ſolitas, ut eodem tempore, quo quis ordinabatur, certæ cuidam Eccleſiæ adſignaretur, atque ſic ordinatio comprehenderet & manuum impoſitionem & Beneficii provitionem. Paulo autem poſt hanc prohibitionem Synodicam fraudibus & dolis agi ceptum eſt adverſus eam, data videlicet pecunia poſt ordinationem. Videbat tum ſub Imperatore Leone Gennadius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui fortiter reſtitit fraudi huic, ac ponens à Synodo Calchedonenſi, decretas intendit Anathemate injecto. Decretum ejus, quod in Synodo Patriarchali Conſtantinopolitano repertum eſt, argumentum damnandi hunc abuſum ſumit ex verbis Chriſti, qui Apoſtolis præcepit, ut, quod gratis acceperunt, gratis darent. Addit, mandatum illud porigi ad Epiſcopos. Porro, oportere illud exequi ſimpliciter atque ad literam, non autem argutiis eludere Sophiſticis, ut fiebat, ne in opus plenum aleæ & periculi ſe darent præcipites. Verba enim evidentiſſima ſunt, inquit, neque diverſas admittunt explicationes. Unde concludit, non licere pecuniam dare, nec ante ordinationem, nec poſtquam ea eſſet peracta, eamque mentem eſſe Synodi Calchedonenſis. Poſtmodum recenſet Marca, quid ævo Juſtiniani Imperatoris juxta ejus conſtitutionem, & ſequenti tempore fuerit moris circa ordinationem Clericorum, uſque ad tempus Gregorii M. de quo memorat, quod in Concilio Romæ congregato decreverit, nihil unquam de ordinationibus dandum eſſe etiam ex traditione chartarum, id eſt, pro expeditione literarum ordinationis. Quippe interpretans Synodum Calchedonenſem, cujus verba eo tantum videntur tendere, ut prohibeant emtionem ſuffragiorum pro electione & ordinatione, ſignificat, ejus Synodi Canone in univerſum prohiberi, ut ne quid unquam accipiatur juris aut emolumenti, non pro expeditione literarum aut conceſſione Pallii, neque eam ob cauſam, quæ prætexi ſolet vocabulo Paſtelli aut Convivii. Hujus vero Conſtitutionis hanc reddit rationem, quia ſicut Epiſcopus manum ſuam, quam ſuper ordinati caput imponit, vendere non debet, ita nec Diaconus vocem ſuam, quam adhibet in lectione Evangelii, neque calamum Notarius, quo utitur ad ſcribendas Confirmationis literas, debet venumdare. Prohibet inſuper, ne ordinatus det aliquid pro ordinatione, Pallio, literis aut Convivio. Si tamen poſt ordinationem acceptaſque literas & Pallium motu proprio & irrequiſitus aliquid gratiæ tantummodo cauſa dare voluerit Clero, licitum id eſſe ait, modo id non fiat ex conventione, quæ præceſſerit. Decretum igitur illud Gregorii prorſus damnat Annatas, quod legitur libri quarti Epiſtola poſt quadrageſimam quarta, & apud Gratianum vice bina: Poſt Conſtitutionem vero hanc in Synodo Romana factam Pontifex hic cupiit, ut prava hæc conſuetudo, quæ in univerſo Occidente vigebat, prorſus evelleretur. Hanc ob rem Epiſtolas ſcripſit urgentiſſimas ad reges, Patriarchas & Epiſcopos. Patet inſuper ex notis Annorum in Epiſtolarum calce poſitis, eum hanc ſuſcepiſſe curam poſt Synodum Romanam, inprimis autem ex verbis Epiſtolæ ad Johannem Epiſcopum Corinthianum ſcriptæ, ubi ait, abolitam fuiſſe in ea Synodo conſuetudinem accipiendi aliquod Lucrum pro Pallio. Unde concludit, non debere ullum Metropolitam ex ordinationibus percipere ullum commodum, id eſt, aliquam utilitatem aut lucrum. Cæterum, Gregorius idem in Epiſtolis hiſce velut fundamentum iſtius prohibitionis laudat Præceptum Chriſti, qui apud Matthæum dixit, *Gratis accepiſtis, gratis date*; item exemplum ejus, quando ejecit è Templo, qui vendebant columbas; & Sententiam à Petro pronuntiatam adverſus Simonem Magum, qui dona Spiritus S. volebat emere. Quibus autho-

Digitized by Google

thoritatibus fretus ſcribere non dubitavit, eum, qui cum pretio ordinat, fieri hæreticum, ordinationes, quæ pretio conſtant, vocans hæreſin Simoniacam. Præjudicium hoc à Gregorio factum ejus momenti viſum eſt in Oriente, ut, licet Metropolitani non ceſſarent à recipiendis Juribus inthroniſticis, quæ Juſtiniani Imperatoris authoritate erant firmata, tamen fuerit decretum, ne Epiſcopus ordinator ea verteret in ſuos uſus, ſed pauperibus Clericis diſtribueret pro eorum alimonia. Laudabilis etiam hæc conſuetudo, ut nihil accipi debeat pro Pallio, neque pro literis confirmationis, vigebat Romæ adhuc Seculo poſt Chriſtum octavo, uti patet ex Reſponſione Pontificis Zachariæ ad Bonifacium Sedis Apoſtolicæ Legatum, qui ad eum ſcripſerat, probra adverſus Eccleſiæ Romanæ Clericos palam ingeri, quod pretia acciperent ex iis rebus. Gravem namque ex hoc ſibi contumeliam generari cenſuit Zacharias, atque inſuper falſus eſt, veram committi Simoniam, ſi quis pretium aliquod accipiat ratione Palli. Verum non ſemper, ſcribit porro Archiepiſcopus Pariſienſis, Eccleſiæ Romanæ Clerici manus ſuas abſtinuerunt ab hoc turpi commercio; nam non toto poſt Zachariam Seculo revocarunt conſuetudinem à Gregorio & Zacharia damnatum. Unde oriebantur Quærelæ Concilii Pariſienſis juſſu Imperatorum Ludovici Pii ejuſque Filii Lotharii Anno Seculi poſt Chriſtum noni viceſimo & nono congregati, quod, cum abuſus quam plurimos vellet corrigere in Eccleſiam Gallicanam invectos, & inprimis crimen Simoniæ, ait, neceſſarium eſſe, ut Imperiali authoritate cum conſenſu Epiſcoporum amputetur in Eccleſia Romana, quoniam ægro capite membra ſuum obtinere non poſſint vigorem. (Stephanus Baluzius, Editor hujus operis poſt obitum Marcæ, intra parentheſin hanc Lectori exhibet Additionem: Tanta priſcis temporibus illis inſederat Pontificibus Romanis cura, pravam conſuetudinem illam abolendi, qua receptum erat pecuniam dari pro ordinatione Epiſcoporum ac reliquorum è Clero, ut etiam quadringentis ferme poſt Gregorium M. annis Benedictus Papa Concilium Romæ celebraverit ea de cauſa, præſente Imperatori Ottone, verbiſque Gregorii uſus ſit ad malum hocce prohibendum.) *Num hæc cum ſequentibus conveniant, judicet Lector.* Pergit Archiepiſcopus, Morbus hic in Curia Romana perſeverabat ac vigebat Anno Seculi poſt Chriſtum undecimi nonageſimo, uti docent Epiſtolæ Ivonis Carnotenſis, à quibus diſcimus, Simoniam in eo ſtetiſſe, quod Epiſcopi & Abbates cogebantur dare pecuniam pro ſua conſecratione aut Benedictione. Reſpondens quippe Richardo, Sedis Romanæ Legato, qui exprobaverit Ivoni, eum connivere cuidam pravæ conſuetudini Eccleſiæ Carnotenſis, ubi Decanus & Canonici quandam pecuniæ ſummam recipiebant in novorum Canonicorum receptione, ait, Capitulum Carnotenſe tueri ſe conſuetudine Eccleſiæ Romanæ. Porro, poſteritas oſtendit, veram eſſe prorſus vaticinationem Ivonis, qui loquens alicubi de prava hac conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, ait, imperium cupiditatis extingui non poſſe, donec Mundi deflagratio conſequatur, & pacatum obtineat Regnum Charitas. Sub Clemente deinceps quinto vivebat magnus ille Juriſconſultus, *Guilielmus Durandus*, Epiſcopus Mimatenſis, Author libri, qui Speculum Juris inſcribitur, unde Speculatoris nomen adeptus eſt. Huic ergo cum à Clemente præceptum fuiſſet, ut in aliquot capita conjiceret ea, quæ digna eſſe judicaret Reformatione, & in Concilio generali, quod Pontifex tum Viennæ in Gallia congregavit, proponerentur examinanda, ille ea tempeſtate compoſuit librum de modo Concilii generalis celebrandi, in quo non omiſit commemorare corruptelam malæ conſuetudinis, quæ in Curia Romana vigebat, nimirum, ut pecunia ab iis acciperetur, quibus Conſecrationis aut Benedictionis Munus conferebatur, quæ deinde dividebatur inter Papam & Cardinales. Id autem damnat ut Simoniacam, neque legitimam putat eſſe diſtinctionem, quam adhibeant Romani ad exemplum Galatarum ævo Patriarchæ Gennadii, ſe nimirum accipere pretium poſt Conſecrationem, non ante eam, quaſi Concilia nihil aliud prohibuiſſent, quam, ne pecunia ad emenda daretur ſuffragia. Durandi verba magni ſunt momenti, ſcribit Archiepiſco-

pus Pariſienſis. Nam poſt laudatum Canonem ſecundum Synodi Calchedonenſis, poſt adducta aliquot loca ex Decreto Gratiani, & titulum Decretalium, in quo damnatur Simonia, addit: *Cum illa, in quibus agitur de Simonia in Novo & veteri Teſtamento, in Conciliis, à ſanctis Patribus & Pontificibus Romanis damnata, non ſerventur, & in Curia maxime Romana, in qua etiam cœtus Dominorum Cardinalium vult habere una cum Domino Papa certam portionem à Prælatis, qui promoventur ibidem, videtur maxime ſuper hoc providendum. Nam hæc hæreſis maxime corrumpit Eccleſiam univerſalem & populos univerſos; & remedia proviſa jam reputantur pro nihilo, cum in Curia Romana publice fiat contrarium, ac ſi non eſſet peccatum committere Simoniam, vel, ſi dare vel accipere poſt non eſſet idem, ſicut dare vel accipere ante* &c. Atque hæc eſt origo vera Annatarum & quoad rem ipſam, & quoad nomen. Unde patet, eas eſſe antiquiores ætate Johannis poſt viceſimum ſecundi, qui eas amplificavit, & ſub alio, quam Conſecrationis nomine recepit. Nam Annatæ priſcæ ab iis ſolummodo exigebantur, qui munus Conſecrationis in Urbe Roma accipiebant; quod in Epiſcopis Provinciarum procul diſſitarum tunc tantum eveniebat, quando electionis illorum illic conteſtabantur, ob quod electus cogebatur eo proficiſci, ut jus ſuum proſequeretur; quo fiebat, ut ibidem conſecraretur. Sane, ſi de Metropolitanis Italiæ agebatur, neceſſarium erat eos Romam ire, ubi debebant confirmari aut ordinari. At Johannes Papa novum tributi genus invenit, quod itidem Annata vocatum eſt, exigendum ab omnibus Beneficiis non electivis, ad ſubveniendum neceſſitatibus Eccleſiæ Romanæ; atque ob eam cauſam reſervavit uſque ad triennium fructus omnium præbendarum, Eccleſiarum Parochialium & Capellarum, quæ intra illud temporis ſpatium vacarent, uti patet ex ejus Conſtitutione extravagantæ. Succeſſores autem ejus hanc legem Annatarum conſervarunt, perpetuamque eſſe ſanciverunt, hoc addito, ut tributum illud exigeretur ab Epiſcopalibus & Monaſteriis, non ſecus, atque ab aliis Beneficiis. Unde factum eſt, ut Beneficia electiva, quibus jugum hoc Annatarum à Johanne Papa impoſitum non fuerat, quod Taxatio Cancellariæ locum teneret valoris Annatarum antiquarum, quæ ex Beneficiis illis percipiebantur, novo hoc tributo fuerint oppreſſa. Illud tamen intercedebat diſcrimen, quod fructus aliorum vacantium Beneficiorum exigebatur per collectores à Sede (non) Apoſtolica deputatos; Annatæ vero & Servitia Epiſcopatuum & Monaſteriorum Romæ in pecunia numerata ſolvebantur, aut ſub obligatione & hypotheca omnium Bonorum mobilium & immobilium Eccleſiæ, quam proviſi faciebant Camerariis Papæ, ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ. Ita enim eos agere neceſſitas præcipiebat, quod eis literæ Apoſtolicæ non ante tribuerentur, quam ſolutio facta eſſet, aut obligatio conceſſa. Magni porro momenti erat hæc Bullarum retentio, ob conſtitutionem Bonifacii Pontificis hoc nomine octavi, qui edixit, ne quis Epiſcoporum, tametſi conſecratus, aut Abbatum, tametſi Benedictus, ullam Muneris ſui partem adtingeret, donec Bullas accepiſſet. Emolumenta porro, quæ ex his juribus proveniebant, multum aucta ſunt ope Reſervationum generalium omnium Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum, quarum proviſio Sedi Apoſtolicæ eſt reſervata. Hinc Clerus Nationis Gallicanæ, Hiſpaniæ & Angliæ impatienter ferebant has novitates; ſed præ cæteris Galliam opprimebant hujuſmodi exactiones, ob immenſum Beneficiorum ejus numerum, ac tandem poſt devoratam multa patientia longam malorum ſeriem movere cœpit lacertos ſub Carolo Rege hujus nominis quinto. Subſidio fuit quintum caput Sanctionis pragmaticæ B. Ludovici Anno Seculi poſt Chriſtum decimi & tertii ſexageſimo & octavo, quo omnes Curiæ Romanæ exactiones ex reditibus Beneficiorum prohibentur, niſi Regis & Eccleſiæ Gallicanæ conſenſus adcedat. Prima igitur libertatis adipiſcendæ ſpes adfulſit ſub Carolo, qui rebus turbatis tentavit mederi Anno Seculi ſequentis octogeſimo quinto per Editum publicum. Procurator enim Regius Majeſtati ejus ſuggeſſit, Collectores (non) Apoſtolicos recipere fructus & reditus primi

Digitized by Google

mi anni omnium Galliæ Beneficiorum, ſive per obitum vacarent, hoc per reſignationem, permutationem, aut alio quovis modo, neque rationem ab eis ullam haberi juris Regaliæ aut Præſentationis ſive ad Regem, ſive ad alium Patronum laicum pertinentis. Carolus igitur ex ſententia magni Conſilii ſui præcepit Propoſito Pariſienſi, Seneſchallis & Ballivis, ut proviſos ad præſentationem Regis aut aliorum Patronorum laicorum frui facerent fructibus ſuorum Beneficiorum, neque paterentur eis moleſtiam quovis prætextu exhiberi à Collectoribus. Validius tamen remedium adhiberi neceſſum fuit anno ſeculi item ſequentis ſexto. Clerus enim Gallicanus Pariſiis authoritate Regia congregatus in modum Concilii apud Regem differuit de variis exactionibus, quæ mandato ſummi Pontificis fiebant, cujus authoritas à Chriſto ſit inſtituta ad ædificationem, non vero deſtructionem Eccleſiæ. *Poteſtatem ejus rei eſſe circumſcriptam limitibus, ut jus ſuum cuique teneatur tribuere, ac juſtum judicare judicium. Unde enim, inquiebant, illi authoritas, Clero tributa imperandi, cui Dominus paſcendum & erudiendum commiſit gregem? An & terrenis ei lucris inhiare permiſit? Inter has autem exactiones commemorant Annatas, ſive reditus anni primi omnium Beneficiorum. Non ſufficere tamen eas, ſed aliam quoque taxationem eſſe inſtitutam, quæ vulgo dicatur* Minuta Servitia, *pro familiaribus & domeſticis Papæ. Adigi enim Epiſcopos omnes ad horum Servitiorum ſolutionem retentione Bullarum, ſine quibus adminiſtrari non poterat Epiſcopatus. Emtionem Beneficii id prorſus videri.* Rex igitur Carolus perpendens, poteſtatem Regiam ad hoc eſſe inſtitam, ut ſuſcipiat Eccleſiæ patrocinium, regnum porro cœleſte attolli ope terreſtris, quoties Eccleſiæ deſtructores authoritate Principum proſternantur, Canones inſuper ſtatuere, ut Regis imploretur auxilium, cum perſonæ ſublimiores Eccleſiæ in publica peccant commoda, Doctores præterea ſanctos docere, Papæ obediendum non eſſe in iis, quæ manifeſte ordinem perturbant Eccleſiaſticum; his de cauſis ex ſententia Concilii ſui decernit, ne deinceps exactiones illæ obtineant in regno, præcipiendo Curiæ Parlamenti & aliis officiariis ſuis, ut conſtitutionis hujus executioni invigilent. Factum eſt inde, ut anno ejuſdem ſeculi decimo & tertio Papa in Galliam miſerit Archiepiſcopum Piſanum, quo curaret illas prohibitiones in irritum mitti. Verum intercedente Academia Pariſienſi ſtatuit Conſilium Regium, ut Conſtitutio Caroli prorſus obſervaretur. Quod ſi Legati Pontifices quempiam ad ſolutionem Cenſuris cogere tentarent, ad futurum ſe Concilium adpellare. Tandem materia iſthæc propoſita fuit in Synodo Conſtantienſi à Nationis Gallicanæ deputatis, qui ea de re differendi occaſionem ſumſerunt è re nata. Cardinales quippe Piſanus, Cameracenſis & Florentinus à Concilio delegati ſunt una cum deputatis quinque Nationum, ut in commune conſulerent, quid opus eſſet facto circa reformationem Eccleſiæ tam in capite, quam in membris. Cardinales vero delegati mentionem inter alia injecerunt Annatarum & Servitiorum minutorum, eaque legitimo jure deberi probare ſunt conati. At licet major pars Delegatorum exiſtimaret, Annatas & illa Servitia aboleri debere, Cardinales tamen obſtiterunt, ne ſententia concluderetur. Deputati itaque Nationis Gallicanæ ſeorſim ob hoc ipſum congregati decreverunt, Annatas omnino tollendas eſſe. Johannes vero de Scribanis, Procurator Fiſcalis Cameræ (non) Apoſtolicæ ab hac Gallorum deliberatione adpellavit non quidem ad Concilium quod tunc celebrabatur, ſed ad ſummum Pontificem futurum; cui adpellationi nomine Collegii Cardinalium adhæſit Johannes Poncenus. Contentio autem illa effecit, ne Synodus Conſtantienſis definiret hanc quæſtionem. Cæterum rationes, quibus nitebantur Galli, hæ inprimis fuere: *Annatas hujuſmodi à Johanne Papa hujus nominis vigeſimo & ſecundo ad tempus certum introductas, quoad Præbendas, Eccleſias Parochiales & Capellas, atque ab ejus Succeſſoribus continuatas certis de cauſis exigi potuiſſe, quamdiu Clerus, Principes & populus eas toleraverunt. At poſtquam cauſæ tolerandi deſierant, veluti peregrinatio tranſmarina, quod paſſagium vocabant ultramarinum, aut alia quapiam Pietatis occaſio, ſolutionem earum juſte negari poſſe. Nam quomodo opponi poſſet præſcriptio aut conſuetudo, cum & frequentes ob hoc ipſum fuerint querelæ*

&

& oppoſitiones. Quod adtinet Annatas Prælaturarum, *ajunt, eas initio nihil aliud fuiſſe quàm eorum oblationem gratuitam, ſecundum quos pronunciatum fuerat in Curia Romana, quique electionis ſuæ confirmationem obtinuerant. Canonibus tamen eſſe vetitum, ne pecunia detur ante, vel poſt promotionem. Quo fit, ut nullum ſit ſtatutum, privilegium, conſuetudo, præſcriptio, aliuſve titulus, qui vim addere poſſet huic Praxi, cum ſimoniaca ſit. Nam Annatas Epiſcopatuum non ab hoc exigi, quod vacent Beneficia, ſed quia conferuntur. Adde quod pecunia, quam proviſi ſolvunt aut promittunt, exigitur ab iis per violentiam & retentionem Bullarum, quo vel unico facinore ingreditur præſcriptio.* In univerſum vero *loquentes de Annatas utriuſque ſpeciei adfirmant, nec Papæ, nec Eccleſiæ Romanæ datam eſſe licentiam imperandi tributa perſonis Eccleſiaſticis, idque eo magis obtinere debere, quod Eccleſiæ ad inopiam hoc pacto redigantur, & Principes populique lædi ſi exiſtiment, cum illæ novitates invehantur abſque conſenſu eorum & cum injuria fundationum à ſe factarum. Adferunt authoritatem conſtitutionis Regiæ eum in finem editæ, ut via deinceps præcluderetur hujuſcemodi corruptelis, ſimoniis ac perniciei, quam tributa hæc inferebant regno. Addunt inſuper, Regem, cum ſubtilitas Curiæ Romanæ artem extorquendi Aurum inveniſſet, in gravem hujus conſtitutionis injuriam, Legatos ad Johannem Papam hujus nominis vicesimum & tertium miſiſſe, qui ſuaderent, ut ei malo remedium adhiberet; ipſum vero hanc petitionem ſilentio tranſmiſiſſe. Itaque licet Regi liberum fuerit, circa hanc materiam edere ſtatuta, noluiſſe tamen præcipere Deputatis, ne negotium iſtud urgerent in Synodo Conſtantienſi.* Et Synodus quidem nova prohibuit tributa, quæ Clero imperabantur per viam Decimæ, Annatæ, aut quamlibet aliam; Annatæ tamen Epiſcopatuum & Monaſteriorum duravêrunt, quoniam ſolutionem earum facilem retentio Bullarum faciebat. Itaque Gallis non eſt ſatisfactum, qui poſt Synodum convenerunt ad Parlementum anno ſeculi illius poſt decimum tertio, ubi fuerunt congregati Eccleſiarum Prælati, & gentes magni Regis Conſilii & Curiæ Parlamenti. In eo Conventu narratum eſt, Deputatis quidem Cleri Gallicani præceptum fuiſſe, ut apud Synodum urgerent adprobationem Conſtitutionum, & quæ fuerant editæ pro abolitione Annatarum & reſervationum; ſed neque Synodum, neque Papam recenter electum, id eſt, Martinum hujus nominis quintum hinc malis, ullum adhibere hactenus voluiſſe remedium, nec ipſis providere. Quapropter fuit Decretum, ut Conſtitutio, quæ anno hujus ſeculi ſexto fuerat edita, mandaretur executioni; dein Edicto Principis renovantur prohibitiones in Conſtitutione ſuperiori comprehenſæ adverſus Curiæ Romanæ exactiones, ſive fierent prætextu vacationis Eccleſiarum, ſive alio colore quæſtio. Aliis præterea literis delegatur aliquot Viris miniſterium cuſtodiendi eluſas. Suæ tamen intentionis ait Princeps eſſe, ut ſummum Pontificem & Eccleſiam Romanam adjuvet in ſuis neceſſitatibus, prout tulerit occaſio. Statim vero ac Carolus hoc nomine ſeptimus in regno Patris eſt inſtitutus, has ejus Conſtitutiones confirmavit dato diplomate, quo juſſit præterea, ut ex lege ageretur adverſus eos, qui contra venirent, non obſtantibus Bullis (non) Apoſtolicis aut Excommunicationibus, quæ harum Bullarum authoritate poſſent ferri. Sed urgentiſſimis precibus Martini Papæ victus illud Diploma revocavit. Sed cum illa revocatio facta eſſet abſque Concilii deliberatione, ejus Executionem ſuperſederi placuit propter interceſſionem Regii in Curia Parlamenti procuratoris. Tandem ingens illa contentio finita eſt in Synodo Baſileenſi, cujus eam ob rem extant Decreta duo. Unum pertinet ad ejus electionem, prohibens, ne ii ad quos electionum confirmationes pertinent, aliquod commodum recipiant ab electis, ſive illud ſub nomine conventionis ſoleat tribui, vel ſubſidii, gratitudinis aut alio quovis colore, non obſtantibus privilegiis aut conſuetudinibus contrariis. Additur in Decreto, curaturos Patres, ut ante Concilii diſſolutionem omnino debite & congruenter provideatur ſuſtentationi Cardinalium & Officialium neceſſariorum. Alterum reſpicit Annatas, prohibens ne deinceps in Eccleſia Romana aut alibi quidquam exigatur ratione Bullarum, ſigilli, Annatarum, communium & muni-

to-

Digitized by Google

torum Scriptorum, aut alia quavis de cauſa vel occaſione, pro electionibus, confirmationibus, conſecrationibus, inveſtitutis, inſtallationibus, aliiſque expeditionibus Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum, aliorumque Beneficiorum & Officiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, ſive pro Pallio, prætextu Privilegii, conſuetudinis vel cujuſcunque Statuti, ſub intentatione pœnarum adverſus ſimoniacos inflictarum; ſolum Scriptoribus adbreviatoribuſque & regiſtratoribus literarum ſeu minutarum, pro ipſorum labore competenti ſalario ſolvendo, uti loquitur Concilium. Et, ſi, quod abſit, Pontifex Romanus, qui præ cæteris Conciliorum univerſalium canones exequi & cuſtodire debet, adverſus hanc Sanctionem aliquid faciendo ſcandalizet Eccleſiam, Concilio generali deferatur; cæteri vero per ſuos ſuperiores ultione digna puniantur. Eugenium porro Pontificem hujus nominis quartum Synodus cenſuit orandum, miſſis primum duobus exinde Cardinalibus, ut Decreta adverſus Annatas & reſervationes edita obſervaret; dehinc alia legatione miſſa per Doctorem quendam Decretorum in oratione communi omnium nomine ad Pontificem habita expoſuit perniciem, quam adfert Annatarum exactio Canonibus contraria, rogans Pontificem, quatenus velit Decretum in Curia ſervari, ac facere, ut alibi etiam obſervetur atque cuſtodiatur, addito, Concilium omnino diſpoſitum eſſe, & jam laborare per modum aliquem eumque honeſtiorem, Pontifici ſummo & Cardinalibus talem facere proviſionem, de qua Sanctitas ejus Dominique Cardinales merito poſſint contentari. Ad quæ auditor rotæ ab Eugenio miſſus ad Concilium reſpondit, mirari ſe ſatis non poſſe, quod in re tam grandi, irrequiſitis & inſciis ſanctiſſimo Domino noſtro ac ſacro Collegio tam cito concluſum fuerit negotium Annatarum; quod ſi unquam in hac materia ſuperſedendum fuit, hoc tempore præcipue ſuperſederi debuerit, quo Eccleſia Romana patia ſit damna innumerabilia. Et ſi qui in his prætenderentur abuſus, his fuiſſe providendum ſine privatione ipſius ſubſtantiæ, aut ſaltem ſimul proviſionem debitam fuiſſe faciendam, ut ſic Juſtitia & Pax obviarent ſibi. Tum recenſitis præſentibus Cardinalium neceſſitatibus, quibus unica hæc vitæ ſuſtentatio præſto ſit, injecta etiam mentione ſumtuum ingentium, quos ſummus Pontifex ſuppeditare teneatur pro Eccleſiæ univerſalis bono, demum concludit, ſuperſedendum eſſe hujus Decreti executione, ſaltem donec aliter fieret ſufficiens proviſio, de qua Pontifex velit eſſe bene contentus juxta deſiderium Concilii, modo taliter fiat, ut ſtabilis & firma permaneat. Sed cum poſtea res eo deveniſſet, ut in divortium inter Pontificem & Concilium deſineret, Eccleſia Gallicana Avarici Biturigum congregata hoc Decretum Concilii Baſileenſis adverſus Annatas eſt amplexa, quod etiam pragmatica Principis ſanctione fuit confirmatum. Sed octavo & ſeptuageſimo poſt ſanctionem hanc pragmaticam anno inita fuere Concordata, quibus cum conſenſu Regis Franciſci hoc nomine primi omnes Eccleſiæ Gallicanæ deliberationes abolentur, & per conſequentiam abolita etiam eſt prohibitio ſolvendi Annatas pro Bullis Epiſcopatuum & Monaſteriorum; ſed tamen ei Annatarum ſolutioni Princeps non conſenſit verbis conceptis, nullum namque in Concordatis extat Decretum, quo Annatarum pro Epiſcopatibus exactio confirmetur. Itaque quoad Annatas Reges noſtri nullo jure ſunt adſtricti, atque ad juris communis obſervationem poſſunt redire, & Eccleſia Gallicana poteſt contendere id, quod ab ea tentatum eſt in Synodo Conſtantienſi, ſcilicet, Annatas ſolvi non poſſe abſque Simonia; quamvis Pontifex reponere poteſt, ineſſe ſibi authoritatem ad purgandam Simoniam; (N B. hoc Ironice ab Archiepiſcopo Pariſienſi ſcriptum eſſe, nemo non videt) ac præterea conſuetudinem illam eſſe præſcriptam ob toleranti um Regum Chriſtianiſſimorum. Unicus autem in Concordatis titulus, ordine & numero poſt quadrageſimum primus illam adtingit materiam Statuerat quippe Leo Pontifex hoc nomine decimus, ut Gratiæ & proviſiones Beneficiorum, Eccleſiarum etiam Cathedralium, nullæ eſſent ipſo jure, ſi verus Beneficii vacantis valor in literis Apoſtolicis non fuiſſet expreſſus. Sed iſthoc titulo modificatus & inflexus eſt rigor illius ſtatuti quoad Gal-

Digitized by Google

liam. Permittit enim Leo, ut impetrantes Beneficia petere poſſint, ut verus Beneficiorum valor in eiſdem literis corrigatur infra Annum à die literarum earundem computandum, ſtatuitque, ut pro hoc valoris augmento Annata ſolvatur Cameræ (non) Apoſtolicæ. Verum, correctiones illæ pro expreſſione valoris neceſſariæ non ſunt, niſi, ut catur obviam periculo impetrationis ſecundæ, quæ tamen, modo nihil aliud peccatum eſſet, non toleraretur in Gallia, cum articulus ille non ſit receptus in regno. Contra vero validum hinc telum peti poteſt adverſus Annatas; quippe, cum à ſummo Pontifice non reſerventur, niſi in caſu expreſſionis veri valoris Beneficiorum, planum eſt, ex hoc titulo locum non eſſe Annatarum ſolutioni, cum moris non ſit, ut ea valoris fiat expreſſio. Hactenus originem & progreſſum Annatarum aperuit Petrus de Marca, docens ex Actis & Hiſtoria temporum antecedentium, quibus cæ contradictionibus fuerint jactatæ. Nunc porro progreditur ad Examen quæſtionis, an pecunia, quæ ſolvitur ob Bullas Epiſcopatuum, quæ vulgo dicitur Annata, eo, reddat Simoniacos, qui eam recipiunt? Antequam vero reſpondeat, proponit, duo eſſe genera Simoniæ, quam vero diſtinctionem ſupra vidimus à Launojo rejectam. Nam vera, inquit, Simonia conſiſtit in eo, ſi quis aliquod pretium temporale recipiat pro re quadam ſacra. Hoc genus Simoniæ vetitum eſt Jure Divino, uti conſtat ex Actuum Apoſtolicorum capite octavo. Alterum genus Jure (non jure) Eccleſiaſtico eſt introductum. Inciditur autem in eam, quando res Miniſterio DEI conſecratæ, aut pro ſuſtentatione Presbyterorum dedicatæ venduntur; quæ licet res ſint non ſpirituales, aliquid tamen ſpirituale habent connexum, uti loquuntur Juris Canonici interpretes & Theologi, id eſt, conſiderantur quaſi pendentes à functione quadam ſpirituali. Priſcis quidem temporibus, quando nimirum ordinationis vocabulo comprehendebantur impoſitio manuum & proviſio Beneficii, inutilis erat diſtinctio illa, quia is, qui Simoniam committebat, in veræ Simoniæ crimen incidebat. Quoad rem ipſam ſic cenſeo, ſcribit Archiepiſcopus Pariſienſis: Si ratio habeatur moris priſci & authoritatis Patrum antiquorum, puram eſſe Simoniam, ſi quis etiam poſt ordinationem recipiat pecuniam, excepto tamen Notarii Salario, quod exhiberi debet ſecundum ejus operam. At ſi novi habeatur juris (non juris) ratio, Annatæ liberari poſſunt à ſuſpicione Simoniæ. Pars prior facile poteſt probari adductis Authoritatibus Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani & Gregorii Magni, Juris Græco-Romani, Zachariæ Pontificis & Synodi Pariſienſis ſub Ludovico Pio, quarum facta jam eſt mentio; quibus addi poſſunt teſtimonia Doctorum, Guilielmi videlicet Durandi, & Deputatorum Nationis Galliæ in Synodo Conſtantienſi, uti & Determinatio Concilii Baſileenſis. Ratio hujus Sententiæ hinc petitur, quod, cum illa detur pecunia reſpectu ordinationis, aut ob confirmationem electionis, gratia Spiritus S. venumdatur; neque poteſt admitti, uti Authores ſupra laudati adnotarunt, illa diſtinctio, an pecunia detur ante vel poſt ordinationem, tametſi verum ſit, mediocrem pecuniæ ſummam accipi potuiſſe pro jure Inſtallationis juxta Juſtiniani Novellam, niſi id quoque prohibitum eſſet à Gregorio M. Sed adverſus hoc poteſt excipi, ordinationem ab aliquot Seculis ſeparatam eſſe à proviſione Beneficii, ideoque praxin illam crimine Simoniæ damnari non poſſe. Verum, reſpondet Panormitanus, diſputans adverſus Papam & Epiſcopos, qui pecuniam accipiunt pro expediendis titulis Beneficiorum, videlicet, ordinationem conferre poteſtatem clavium in habitu, ſed proviſionem Superioris tribuere exercitium in actu, id eſt, executionem ordinationis. Secundum vero Jus novum, quod authoritatem addidit tributis, quæ Beneficiorum poſſeſſoribus imperantur pro neceſſitatibus Eccleſiæ Romanæ & ſuſtentatione Cardinalium, Annatæ ab Epiſcopatibus exactæ liberari quidem poſſunt à crimine Simoniæ, ſed ***non à vitio Avaritiæ***. (NB. Germani proverbialiter hoc dicerent eſſe pellem lavare, & Aquæ non intingere.) Nam poſt conditum Jus illud Curia Romana novo prætextu uſa eſt ad Annatas haſce exigendas, impoſitionis videlicet abſque ſubſidii, cum antea id non ſolveret, non-

nondum evulgato Eccleſiæ Romanæ arcano, poſſe eam ſingulis Eccleſiis imperare tributa. Porro, neceſſitatem illam contribuendi ſumtus Eccleſiæ Romanæ, quæ inferioribus incumbit Eccleſiis, fundamentum eſſe Annatarum adfirmavit Johannes de Scribanis in Synodo Conſtantienſi, diſputans adverſus Deputatos Nationis Gallicanæ, itemque Auditor Rotæ, Eugenii Pontificis nomine Synodum Baſileenſem adloquens. Tanti autem ponderis viſa eſt hæc ratio Gerſoni, qui Conſtantia erat pro Natione Gallicana, ut conatus fuerit excogitare diſtinctionem quandam, quæ legitur in ejuſdem operibus, qua concederet, Annatas quidem legitime ſolvi poſſe, ſed modum eas exigendi non poſſe tolerari. Annatas quippe tolerat titulo ſubventionis, ſed eas Simoniæ ſuſpicione ait laborare, ſi poſſeſſio aut exercitium Beneficii impediatur, donec pecunia fuerit perſoluta, quod fuſe probat in Tractatu de Simonia, & in Tractatus de Poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione octava, alibi tamen temperans hanc materiam, in Tractatus de ſtatu Papæ & Cardinalium conſideratione ſeptima. Sane, Petrus de Alliaco nullam aliam ætate illa probabilem invenit rationem firmandæ Annatarum exactioni, quam contributionem pro ſuſtentatione Curiæ Romanæ, æquumque cenſuit eſſe, ut, quomodo Levitæ contribuebant ſuarum Decimarum decimam pro ſummo Pontifice Judæorum, ſic omnes Beneficiatos debere contribuere Annatas pro ſuſtentatione Papæ. Ego, inquit Archiepiſcopus Pariſienſis, (an ſerio, judicet Lector) paulo audacior Gerſone cenſeo, æquum non eſſe, ut mordicus priſcam teneamus ſeveritatem quoad Annatas, quas Epiſcopi ſolvunt, cum eæ ſint obnoxiæ interpretationi, quæ ipſas liberat à vitio Simoniæ, (*ſed non à vitio Avaritiæ*, uti antea docuit,) titulo videlicet ſubventionis. Modus quippe adigendi ad ſolutionem earum, retentis videlicet Bullis, qui erat lapis Scandali tempore Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis. in conſuetudinem eſt verſus abſque ulla conqueſtione Prælatorum aut Principum, qui ſolutioni huic conſenſerunt ſub titulo Subventionis. (Egregia hæc eſt ratio, ſcilicet.) Ea enim tollitur omnis ſuſpicio Simoniæ, quandoquidem alio reali & legitimo ſolvuntur titulo, cujus natura mutari non poteſt ob modum, qui obſervatur in ſolutione. (Mirum, talia Viro tam erudito & alias valde perſpicaci potuiſſe in argumento hoc excidiſſe. Sed multo magis mirum, ab ejus manu eſſe profecta, quæ leguntur in proxime ſequentibus.) Quapropter, inquit porro, diſcedere cogor ab opinione Duareni & Caroli Molinæi, ſcribentium, exactionem Annatarum eſſe Simoniacam, etiam poſt Concordata. Nam præterquam quod ratio ſuperius adducta liberat Epiſcopos à ſuſpicione Simoniæ, neceſſum eſt, (imo, neceſſum non eſt,) ut univerſi pedibus eant in illam Sententiam ob rationem, quam additurus ſum, quæ maximi eſt momenti, (vel potius, ſi ad ſtateram Veritatis vel antiqui Juris expendatur, nullius omnino.) Immanis quippe & horrenda confuſio turbaret Eccleſiam, ſi omnes iſtæ promotiones eſſent Simoniacæ. Papa quippe eſſet irregularis, & omnibus Epiſcopis eſſet interdictum ſui Miniſterii functionibus. Neque poſſet opponi, Papam conferendo Beneficium diſpenſare ab hoc vitio, quia hæc Simonia, ſi ulla eſſet in eo, Juri Divino, ſuper quo diſpenſari non poteſt, repugnaret, uti ſupra dictum, & præter id Papa non poſſet diſpenſare ſuper crimine, quod committeret ipſe. (Hæc ultima ſicut recte ſe habent, ita nullo plane modo locum habere poſſunt antecedentia, niſi adverſus Paulum permittenda dicantur mala, ut aliquod inde bonum eveniat, vel ad evitandum aliquod majus malum, cui tamen alia ratione commodiori poſſet atque etiam jure deberet ſubveniri, ne ſcilicet titulus Subventionis medium huic cogatur conſtituere terminum.) Attamen, ita ſeipſum aliquatenus corrigens porro ſcribit Petrus de Marca, non aſſentior Petro de Alliaco, neque Johanni de Scribanis, qui in ſuam hanc Sententiam traxerunt omnes fere hujus ætates Interpretes Canonici juris, dum adfirmant, ſummo Pontifici competere ejus imperandi tributa Clero, & perſonas Eccleſiaſticas contribuere debere aliquam partem redituum ſuorum pro ejus ſuſtentatione; jam dudum enim iſta Quæſtio definita eſt in Gallia, ubi pro lege habe-

habetur inuiolabili, ſummum Pontificem imperare non poſſe in Bonis Eccleſiaſticis ullam contributionem abſque expreſſo conſenſu Regis & Eccleſiæ Gallicanæ. Eadem quæſtio in gratiam perſonarum omnium Eccleſiaſticarum definita eſt etiam in Synodo Conſtantienſi. Sed hic obſervandum eſt, Decretum illud fuiſſe deliberatum poſt electionem Pontificis Martini. Etenim, in Seſſione quadrageſima ſtatuitur, ut Pontifex futurus poſt electionem ſuam deliberet cum Concilio de Reformatione Eccleſiæ in capite & membris, & nominatim de Reformatione Curiæ Romanæ, propoſitis eam ob rem articulis octodecim, quorum poſtremus agit de Decimis. Poſt electionem vero Martini Seſſione quadrageſima & tertia publicabantur Decreta à ſummo Pontifice & Concilio ſtatuta de quibuſdam articulis ex octodecim propoſitis, & inter cæteros circa articulum decimarum Papalium. Sed Decretum nomine Martini editum diſcrepat aliquantulum à Decreto Synodi, in eo ſcilicet, quod reſpicit authoritatem imponendi decimas & onera alia: eam namque ad ſe trahit Pontifex, Concilium vero adrogat ſibi. Quoad effectum tamen utroque Decreto idem prorſus ſtatuitur, nimirum, onera illa imponi non poſſe abſque conſenſu Prælatorum. Hæc vero Decretorum diſcrepantia in eadem materia facit, ut credam, inquit Archiepiſcopus Pariſienſis, diviſas fuiſſe Sententias ſummi Pontificis & Concilii, tandemque inter eos ita conveniſſe, ut utriuſque fierent Decreta, quibus ſua Pontifici, ſua item Concilio ſervarentur jura, quod inprimis eſt obſervandum, nec enim antea adciderat. Et ſane prætermitti non debet, Decretum Concilii valde periclitatum eſſe, ac parum abfuiſſe, quin perierit; quippe deſcriptum non eſt in corpora Actorum, ſed in calce poſt confirmationem Conſtitutionum Imperatoris Friderici hoc nomine ſecundi, pudore videlicet prohibente, ne collectores illud omnino ſupprimerent. Sed præterea deſcriptum eſt quoque integrum in Actis Adpellationis Univerſitatis Pariſienſis, de quibus mox. Verba Decreti Pontificii omnino ſunt ambigua; nam præcipit, ne Decimæ & onera alia imponantur Clero, niſi de Concilio, conſenſu & ſubſcriptione Cardinalium & Prælatorum, quorum conſilium commode poſſit haberi; quæ etiam levari non poſſint ſpecialiter in aliquo Regno vel Provincia abſque conſenſu Prælatorum, (illius ſcilicet regni vel Provinciæ) vel majoris eorum partis. Deinde vult evitare celebrationem Concilii generalis, ſibique reſervare poteſtatem imponendi; & tamen prohibet, ne exactio fiat in regnis, niſi cum conſenſu Prælatorum, ſperans videlicet, ſingulos facilius tranſgreſſuros in partes, quam ſi congregarentur. Praxis autem, quæ poſthæc invaluit in Gallia & Hiſpania, evincit, regulam fuiſſe certam. Nam Academia Pariſienſis adpellavit à Commiſſariis executoribus Decimæ unius Anni Galliæ Beneficiatis impoſitæ Decreto Innocentii Pontificis hoc nomine octavi, cui exigendæ prætexebatur Bellum adverſus Turcas, cujuſque pars tertia debere decidere Cameræ (non) Apoſtolicæ, reliquum vero Regi; at iis inquam Commiſſariis adpellavit Academiæ Pariſienſis ad Papam & futurum univerſale Concilium. Inter fundamenta autem Adpellationis duo commemorantur Decreta Synodi Conſtantienſis; nempe, & quod Synodi, & quod Pontificis nomine fuit conceptum, quæ etiam integra in Actis illius Adpellationis ſunt deſcripta. Sic poſtea quoque Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis ab impoſitione Decimæ ab Alexandro Pontifice hujus nominis ſexto imperatæ adpellans ad ipſum melius informandum, ad Concilium univerſale, ad Regem Chriſtianiſſimum, ad Curiam Parlamenti, atque ad illum ſeu illos, ad quos pertinuerit, Adpellationis ſuæ caput arceſſit à libertate Eccleſiæ atque ex Decreto Synodi Conſtantienſis, quo Decimæ impoſitio reſervata fuit Concilio generali. Clerus item Hiſpaniæ adpellans ad impoſitione partis quartæ redituum ex Beneficiis Eccleſiarum, quam Hadrianus Pontifex hoc nomine ſextus imperaverat, adducit Conſtitutionem Martini in Synodo Conſtantienſi editam, nulla prorſus mentione Decreti, quod nomine Synodi fuit publicatum, facta. Porro, ii, quibus cordi fuerunt Eccleſiæ Romanæ negotia, contenderunt, ei competere jus percipiendi decimam redituum Eccleſiaſticorum, ad

ex-

Digitized by Google

exemplum videlicet Pontificum T. V. quibus Levitæ tenebantur tribuere redituum ſuorum decimam, adeo ut etiam Petrus de Alliaco ſupra citatus in illam tractus fuerit ſententiam, quam amplexi poſtea ſunt univerſi Doctores Itali. At Decretum Synodi Conſtantienſis contrariam confirmavit ſententiam, ad eruendam ex animis hominum falſam illam doctrinam ex comparatione Pontificis Judæorum cum Pontifice Romano petitam, ut ait Capitulum Pariſienſe in Actis Capituli laudatæ Adpellationis. Diſcriminis ratio eſt manifeſta. Pontifices namque Legis Judaicæ nullo reditu fruebantur alio; at Diſciplina Eccleſiæ Chriſtianæ alia ratione providit Clericorum ſuſtentationi, diſtributis videlicet Eccleſiis in Dioceſes, ea methodo, ut omnes reditus diœceſeos in poteſtate Epiſcopi eſſent, juxta Canones Antiochiæ & Calchedonis, Decretaque Pontificum Gelaſii & Symmachi. In hac autem generali inſtitutione portio quoque certa Pontificibus Romanis tributa eſt in Diœceſi Romana; qua etiam portione ſibi putarunt ſatisfactum, nullum præterea implorantes auxilium, etiam tunc, quando ſolis Matronarum oblationibus potiebantur, uti loquitur Ammianus. Satis quippe id erat ſub Imperatoribus paganis pro ſuſtentatione Cleri & mille quingentorum pauperum, ſufficiebatque inſuper ſubſidiis, quæ à ſummis Pontificibus mittebantur ad Eccleſias remotas, uti teſtatur Euſebius. Potentia porro eorum crevit ex reditibus lati fundiorum, quæ in Provinciis diverſis Eccleſiæ Romanæ collata ſunt ab Imperatore Conſtantino & Senatoribus Romanis, quorum numerus ab Anaſtaſio Bibliothecario recenſitus eſt. Tantum vero abeſt, ut ea patrimonia non ſufficerent alendo Pontifici Romano ejuſque Clero, ut etiam ex iis reditibus Pontifices priſci alerent in Provinciis pauperum ingentem numerum, præter eos, qui ejus cura alebantur in Urbe, ut conſtat ex diverſis locis Epiſtolarum Gregorii Magni. Quin etiam teſtatur Papa Martinus in Epiſtola poſt decimam ſexta, magnifice eos excreviſſe jus hoſpitii erga peregrinos omnes. Jure itaque potiori Eccleſia Romana hodie cenſenda & poſſidere ultra id quod neceſſarium eſt ſummo Pontifici & Eccleſiæ capiti alendo, poſtquam liberalitate Regum Chriſtianiſſimorum, Pipini, Caroli Magni, & Ludovici Pii locupletata eſt ob conceſſum Sedi Apoſtolicæ Exarchatum Ravennæ, Ducatum Romanum, itemque Spoletanum, aliaque ingenita Patrimonia. Niſi fortaſſis adverſus hæc dicatur Pontificem Romanum ad Principis dignitatem fuiſſe quidem hiſce donis effectum, ſed ſimul etiam præbitas eodem tempore novas prodigendi cauſas. Sed ita reſpondet Petrus de Marca, Clerus non tenetur in eo agnoſcere dignitatem Principis ſecularis. Quanquam, ſi redituum Pontificiorum diſpenſationi modus adhiberetur, ſufficerent haud dubie huic Magnificentiæ & hiſce ſumtibus; neque neceſſarium eſſet ſubjectos Romanæ Sedis aut perſonas Eccleſiaſticas onere tributorum opprimi. Quidam porro jus illud imperandi tributa Clero, quod ajunt ſummo Pontifici competere, ex eo deducunt, quod ſuminam obtineat authoritatem in Bona Eccleſiaſtica; adeo, ut, ſi eis utatur male, graviter quidem peccet, ſed tamen fore validam eorum diſpenſationem. Opinio hæc, ſcribit Archiepiſcopus Pariſienſis, quæ proprietatem Bonorum Eccleſiaſticorum, ſummumque in ea Imperium adſerit Pontifici Romano, exorta eſt ævo Bonifacii Pontificis hoc nomine octavi, authoribus quibuſdam adulatoribus. Sed eodem tempore explosa eſt à Johanne de Pariſiis, qui Baronii proprietatem ait pertinere ad Chriſtum adminiſtrationem Epiſcopis, diſpenſationem vero pro bono Eccleſiæ generali ſummo Pontifici, adeo ut Decreta ejus circa diſpenſationem eorum nulla fuit ipſo jure, niſi fiant ob evidentem Eccleſiæ univerſalis utilitatem. Sane modus hic, qui Pontificiæ poteſtati præſcribitur, prohibet ne Papa bonis Eccleſiæ poſſit abuti; ſed tamen in eo quandam agnoſcit authoritatem, ſecundum quam de his poſſit conſtituere, cum neceſſaria ingruerit occaſio. Verum hic obſervandum eſt, hæc è privato eſſe ſcripta Doctore, qui prudentiæ temperamentum volebat adferre adverſus torrentem novarum opinionum. Fortius aliquid expectari debuit ab Eccleſia in Synodo Conſtantienſi congregata, quæ jus tributa Clero imperandi pertinere ad ſolum generale Concilium edixit, non ve-

Digitized by Google

ro ad Pontificem. Id porro Decretum innititur ſententiæ, quæ ait, proprietatem Bonorum Eccleſiaſticorum pertinere ad Eccleſiam univerſalem, ſive (quod rectius) ad communitatem uniuſcujuſvis Eccleſiæ, diſpenſationem vero unicuique Epiſcopo. Unde ſequitur, eorum, quorum intereſt, conſenſum eſſe neceſſarium, ut in ſumtus extraordinarios, veluti ad ſubveniendum Eccleſiæ Romanæ, ea convertantur. Sed quæcunque tandem ratio fuerit Concilii, ſatis eſt, quod ejus Decreto poteſtas generali reſervatur Concilio imperandi ſubſidia, quoties Eccleſiæ Romanæ neceſſitas poſtulabit. Ex iis, quæ dicta ſunt, poteſt colligi, cum Annata debeantur tantum titulo ſubſidii, quod Pontifex exigere non poteſt in Gallia abſque conſenſu Regis & Eccleſiæ, liberum eſſe Regi & Epiſcopis ſuum revocare conſenſum, eique tributi finem imponere. Solutio enim illa nihil eſt aliud, quam donum ſpontaneum & gratuitum, quod præſcriptioni obnoxium eſſe non poteſt. Atque id eo majoris eſt momenti, quod Annatæ non adprobantur verbis conceptis in Concordatis, & tamen diſerte vetantur in Conſtitutionibus regni, quæ matura deliberatione ſunt factæ à Carolo Rege hujus nominis ſexto, extincto nimirum ſchiſmate & reſidente Papa Martino. Secundum has Conſtitutiones exactio Annatarum prohibita fuit à Concilio Baſileenſi, eique prohibitioni Concordata non derogaverunt expreſſe, quæ id ſolum agunt, ut aboleatur ſanctio pragmatica quoad horum Decretorum Baſileenſium acceptationem, quæ tantum, non tamen ipſa Decretorum ſubſtantia fuit revocata, quanquam videatur fieri injuria æquitati, ſi ſubſidia ſemel conceſſa, niſi conſtiterit manifeſte, ingrati crimen eſſe in Pontifice. Quidquid ſit, Rex tanquam protector libertatum Eccleſiæ Gallicanarum, ac vi etiam authoritatis Regio poteſt prohibere tributa quæcunque, quæ Pontifex ſive titulo Annatarum, ſive alio quolibet modo vellet imperare perſonis Eccleſiaſticis, ac inſuper prohibere, ne a, quorum exactioni conſenſus jam eſt adhibitus, augeantur in poſterum. Hujus axiomatis probatio pendet ex iis, quæ dicta ſunt, quorum vis comprehenditur hoc dilemmate: Annatæ aut accipiuntur reſpectu confirmationis Epiſcopi, aut titulo ſubſidii. Prior caſus laborat vitio Simoniæ. Ad Principem vero ſpectat, providere legibus ſuis, ne Epiſcopi Imperio ſuo ſubjecti crimen Simoniæ committant; adeo, ut de iis rationem ſit redditurus, ſi conniveat. Quare Imperatores Leo & Juſtinianus legibus eam ſuis prohibuerunt ſub magnis pœnis. Et Gregorius Magnus ad Reges Francorum, Childebertum, Theodebertum & Theodoricum, adque eorum Succeſſores ſcripſit, officii eorum eſſe, ut Simoniam in regno ſuo extirpent. Sane Concilium Pariſienſe monuit Ludovicum Pium, ſimoniam, quæ tum in Eccleſia Romana vigebat, ab ea amputandam eſſe Imperiali poteſtate cum conſenſu Sacerdotum venerabilium, id eſt, adhibito Epiſcoporum Italiæ Concilio.. Henricus quoque tertius Imperator prohibuit ſimoniam Edicto in plenariis Gallicarum & Germaniæ Comitiis lato, uti tradit Glaber temporis illius ſcriptor. Eam inſuper Conſtitutionibus ſuis in Gallia prohibuerunt Ludovicus cognomento Sanctus, aliique Reges. In caſu poſteriori Principes ſummam habent authoritatem impediendi exactiones Curiæ Romanæ in Regnis ſuis, quæ adeo pernicioſæ olim fuere, ut Stephanus Tornacenſis jocoſe quidem, ſed tamen exprobrans ſcripſerit in Epiſtola poſt centeſimam ſexageſima & quinta. *Anglico plumbo Eccleſias tegi, Romano nudari.* Et piaculum eſſet in Gallia, ſi quis de hac poteſtate dubitaret poſt Edicta Ludovici modo lemmati, cognomine Sancti, Regumque Philippi pulchri, Philippi Valeſii, Carolorum quinti, ſexti & ſeptimi, & poſt varias Conſtitutiones Regum ſubſequentium. Quod ſi nolint eas in univerſum prohibere, poſſunt tamen eis modum adhibere, ut quoad Inthroniſtica uſurpatum eſt à Juſtiniano, atque ab Iſaacio Comneno quoad jura, quæ Presbyteri perſolvebant Epiſcopo, à quo ordinabantur. Poſtquam autem inita ſunt Concordata, Annatarum & Proviſionum ſumtus ad certum quendam modum fuerunt reducti, adeo, ut niſi is Romæ obſervetur, Rex poſſit prohibere, ne nova ſuperponatur exactio. Quod ſi negotium illud paulo liberius tractare viſum fuerit, rogandus erit Pontifex, ut remittat nova hæc ſubſidia veteribus

Digitized by Google

bus Annatis addita; ipſeque rationem habeat querelarum, quæ fiunt adverſus Miniſtros Curiæ. Hujus rei exemplum dedit Cnutus Anglorum Rex, qui teſte Willelmo Malmesburienſi in geſtis Regum Anglorum, cauſa religionis Romam petiit, obtinuitque, ut Epiſcopi Angliæ liberi eſſent à ſolvendis pecuniis, quæ ab eis exigebantur ratione pallii. At Gallia anno ſeculi antecedentis poſt triceſimum ſecundo remedium his malis ſibi parare ſtuduit hoc modo, propoſitis nimirum & explicatis ſummo Pontifici incommodis, quæ proveniebant ex novis & indebitis exactionibus, quæ exigebantur Romæ pro Bullarum expeditione præter Annatas, quæ modum excedebant, & quarum ſolutio in neceſſitatem erat verſa. Harum rerum proponendarum cura demandata fuit Cardinalibus Turnonio & Gramontio. Sed in Inſtructionibus, quas vocant, ſive Mandatis quæ eis data ſunt, habebatur, Regem fuiſſe rogatum, ut Eccleſiam congregaret Gallicanam, quo finis imponeretur his rebus honeſto prorſus & decoro adverſantibus, utque cuncta revocarentur in eum ſtatum, in quo erant antiquitus; noluiſſe tamen Principem convocare Cœtum, quia ſpem conceperat, futurum, ut Pontifex non ſit toleraturus novas & indebitas exactiones illas. Sic anno ejuſdem ſeculi poſt ſexageſimum primo Præſes Ferrerius ad Pium hujus nominis quartum miſſus eſt, ut eidem ſignificaret querelas à Comitiis Aurelianenſibus Carolo Regi hujus nominis nono propoſitas adverſus Annatas & præventiones, rogaretque Pontificem, ut querelarum hujuſmodi cauſam exſcinderet, quandoquidem Annatæ antehac fuerint prohibitæ variis Regum anteceſſorum Conſtitutionibus, velut contrariæ libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, cum præſertim ab Academia Pariſienſi, aliiſque Regni Academiis reſponſum fuiſſet, eas exigi non poſſe abſque enormi ſimonia. Quantum vero adtinet Concordata, mandatum eſt Ferrerio, ut diſſereret, ea per metum magis, quam alio quodam modo fuiſſe recepta, neque aliter publicata, quam vi neceſſitatis; ideoque illa officere non poſſe libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ. Sed ita aliquatenus antecedentia ſtuduit emollire Petrus de Marca, nullam video neceſſitatem, quæ cogere poſſit ad extrema deveniri, ut nullitas adlegetur Concordatorum; quippe nihil vetat, quin valeant, ut ſupra fuit obſervatum. Præterea ſi id è republica videatur eſſe, ceſſare poſſumus à ſolutione Annatarum, nulla prorſus à nobis vi facta huic pactioni. Tandem anno ejuſdem ſeculi poſt octogeſimum ſeptimo Rex Henricus hoc nomine tertius Romam miſit Cardinalem à Joyoſa, Protectoris negotiorum Majeſtatis Regiæ officium illic impleturum. Ei dedit in mandatis, ut ſe opponeret novis pecuniarum exactionibus, quos Miniſtri Datariæ meditabantur pro expeditione Beneficiorum hujus regni. Eodem anno Parlamentum Pariſienſe vetuit Decreto, ne Banquarii & ſollicitatores majorem ſummam pecuniarum pro Romanis expeditionibus ſolverent, quam quæ ſolita erat.

Additionis Cóntinuatio.

POſt hæc Archiepiſcopi Pariſienſis obſervata placet alia quædam adtexere, quæ contra novam in papatu Romano moralem Theologiam aliqui cordatiores hactenus in hoc etiam puncto notarunt, ut ex uno ſaltem ſpecimine conſtet lectori, quid de toto Syſtemate ſit judicandum. Nolo autem prolixius adducere, quæ *Amadæus Guimenius*, (ſub quo nomine creditur latitare *Theophilus Rainandus*, Scriptor, uti Launojus cenſet ſexta partis quintæ Epiſtola, petulans & audax moralis inter Chriſtianos diſciplinæ irriſor, atque in pleriſque everſor, quique multiplicis ac varii coloris larva indutus, variæ ac multiplicis doctrinæ corruptionem, uti ubi ſunt homines, importat) è Scriptoribus variis ad ſuæ ſocietatis defenſionem collegit, defenſus non ita pridem duplici Apologetico *Honorati Fabri*, Æthiopem dealbare fruſtra conantis; nec etiam Lectori Veritatis ſtudioſo cum nauſea obtrudere, quæ *Ludovicus Montallius* in literis provin-

vincialibus, ac *Wilhelmus Wendrockius* in Notis ad eaſdem, uti & *Paulus Irenæus* in Diſquiſitionibus de morali & politica Jeſuitarum diſciplina ampliſſime congeſſerunt, cum inprimis ſcripta hæc poſteriora propter iteratam in Germania Editionem non adeo ſint rara, nominaque eorum non veros Authores præ ſe ferunt. Ne tamen indicta hæc cauſa adverſus novitios Simoniacæ pravitatis advocatos maneat, placet Launojo Sorboniſtæ & Marcæ Archiepiſcopo, utrique apud ſuos celebri adjungere par aliud ſcriptorum à Recentioribus, qui contra hoc malum ex Zelo ſingulari ſcripſerunt. Prior eſt *Johannes Sinnichius*, Doctor antehac Lovanienſis, qui Saulem edidit Ex-regem, eique inſeruit Vindicias Decalogicas huic Doctrinæ minus Morali oppoſitas, quas Lovanienſes ante hoc Decennium iterata cum adprobatione reddiderunt ſeparatim, inquarum capite viceſimo adpendicis loco ad tertium prioris Tabulæ præceptum egit de hac labe Simoniaca tanquam profanatione rerum ſacrarum cultui Divino contraria, præmittens Facultatis Lovanienſis Articulum ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis reprobatum ordine & numero decimum & quintum, qui ſic habet: Dare pro ſpirituali temporale non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando per temporale ſit ſolum compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contra. Atque id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit motivum principale dandi ſpirituale; imo, etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud æſtimetur pluris, quam res ſpiritualis. In margine citatur *Gregorius de Valentia & Tannerus*. Addit, hunc quoque articulum eſſe inter eos, quos Epiſcopus Namurcenſis Synodaliter interdixerit per ſuam Diœceſin, tanquam novos, periculoſos & ſalutis animarum deſtructivos. Et ſane, inquit, unicuique obvium eſt advertere, vigente doctrina Articuli hujus facile excuſari poſſe omnes promiſcue, qui cenſentur Simoniaci, atque ut tales puniuntur. Unde non male ajebat *Caramuel* in Theologica Morali: Quam multa, quam levia, quam ſuperficialia de Simoniæ ſingulariſſima, graviſſima & profundiſſima materia ſunt ſcripta. Quam multa ſuppoſita, quam pauca radicitus examinata! Si ſcriptor ſit ſcrupuloſus, nulla erit circumſtantia ab hoc contagio libera, ſi audentior, ipſiuſmet Simoniæ conceptus idem erit Platonica, uti dicitur, quæ non erit in rebus. Hæc Caramuel, Sinnichius ſubjungit: De Scriptorum audentiorum numero fuerunt haud dubie, qui Articulum modo relatum procuderunt; quo utique ſemel admiſſo conceptus Simoniæ uſque adeo, exulabit à rebus humanis, atque in Mundum demigrabit Platonicum, ut, ſi Simon Magus, Giezi, Balaamus à mortuis jam reſurget, haud magno labore ſeipſos expurgent, qui tamen non modo Simoniaci, ſed eorum præcipui Patriarchæ reputantur, adeo quidem, ut Adrianus in Quodlibeti noni Quæſtione ſecunda dicat, apud vetuſtiores Simoniam dici *Balaamiam*, qui Balaam Prophetiæ donum vendere voluerit, & Thomas ſcribat in Secunda ſecundæ, venditores ſpiritualium poſſe dici non ſolum Simoniacos, ſed etiam Giezitas. In margine citatur quoque Lombardus è libris ſententiarum. Si autem tres iſti Simoniacorum Patriarchæ immunes habentur à labe Simoniaca, ubinam in Mundo reperientur Simoniaci? Nuſquam utique. De prædictis autem Simoniacorum Patriarchis ſic ſcribit Hugo Victorius in opere de Sacramentis: Simoniacæ hæreſeos contagium jam olim in Balaamo pullulavit, qui propoſito Divinationis pretio ad populum DEI maledicendum porrexit; dehinc hæreſeos hujus duo leguntur Authores emerſiſſe peſtilentes, alter ſub Diſciplina quidem Prophetica, alter autem ſub Apoſtolica, & prior vendentium, poſterior vero ementium author eſſe videtur. Sic Hugo Sinnichius pergit: Quis porro trium iſtorum non ſe poterit expurgare a labe Simoniaca juxta doctrinam articuli ſupra relati. Annon enim Balaamus confidenter poterit adſerere, ſe munus à Rege Moabitico ſibi tranſmiſſum acceptaſſe non ut pretium maledictionis Propheticæ, ſed uti motivum? Neque enim vel rex curabat, nam ille titulo Munus acciperet, dum quoque modo ad maledicendum hoſtibus permoveret eum; nec Balaam admodum curabat, quonam titulo oblatum Munus obveni-

ret.

Digitized by Google

ret ſibi, dum quoque modo ſuam inde philargyriam expleret. Simile argumentum quoque pro Simone Mago militat. Dicet quippe, ſe obtuliſſe Apoſtolis pecuniam, non ſub formali ratione pretii, ſed tanquam motivum, quo voluntatem eorum inclinaret ad conferendam ſibi poteſtatem impertiendi Spiritum S. per impoſitionem manuum. Nec enim ille curabat modum, dum adſequeretur rem quovis modo; nec Petrus reprehendit eum, quod voluerit DEI donum adſequi pecunia ſub ratione emtionis formali, ſed tua, ait, pecunia ſit tecum in perditionem, quoniam exiſtimaſti DEI donum pecunia poſſideri. Numquid enim pecunia poſſidetur, quod pecuniarii Muneris præſtatione per modum illecebræ præmoventis abſque pretii formalitate obtinetur? Numquid etiam poſtremo Giezi profanus magna cum confidentia obtendet, ſe perperam Simoniaci infimulari, cum non alio, quam gratuitæ compenſationis titulo Munus à Naamano popoſcerit & obtinuerit? Neque enim in tota ſerie rei geſtæ ullum extat judicium vel venditionis ex parte petentis, vel emtionis ex parte largientis, ſaltem ſub formali ratione talium contractuum. Naaman namque mundatus à Lepra obtulit Heliſæo munera, non ſub ratione pretii, ſed in recognitionem Beneficii percepti, obſecro, inquiens, ut accipias Benedictionem à Servo tuo. Hanc vero Benedictionem à Propheta recuſatam Giezi ſervus ſubdole emunxit, fingens ſe miſſum à Magiſtro. Qua in re tametſi fraudulenter egerit ac infideliter, ideoque reprehenſionem promeruerit cum pœna, non tamen Simoniacam tranſactionem juxta informalitates ſupra præſcriptas tentavit, nedum perfecit. Unde non dicit Reprehenſor, Accepiſti argentum & veſtes in pretium, ſed ſimpliciter, Accepiſti argentum & veſtes; quo autem fine ea acceperit munera, docent ſequentia, *ut emas oliveta* &c. ubi quidem mentio fit emtionis, non tamen eatenus peractæ, ſed in futurum intentæ, nec ullatenus Simoniacæ, cum nihil ibi intervenerit ſpirituale, ſive per modum pretii, ſive per modum Mercis. Quæ cum ita ſint, adparet profecto, neminem illorum trium, qui communiter Simoniacorum Patriarchæ reputantur, reum fuiſſe criminis Simoniaci, ſecundum eas formalitates, quas Articulus ſupra poſitus expoſcit. Reſtat proinde, ut eædem formalitates illæ nequaquam ad contrahendam Simoniæ labem de jure requirantur, de jure Divino inquam, quod utique tunc unicum in hac materia viguerat, quando prædicti tres Patriarchæ Pabem Simoniæ incurrerunt, nondum in eam rem conditis Eccleſiæ canonibus. Quapropter præfatus novorum Caſuiſtarum articulus non ſolum in Belgio, ſed etiam in Gallia reprobatus eſt, ſignanter ab Archiepiſcopo Senonenſi, cujus de eo Cenſura extat hujus tenoris: Hæc doctrina, quæ Simoniæ contra Jus Divinum crimine omnes eos liberat, qui pecuniam propter Sacerdotia vel dederunt, vel acceperunt, modo pecunia habeat locum motivi, non pretii, tota falſa, nefaria, impia eſt, hæreſin Simoniacam toties à Conciliis & Pontificibus damnatam ſubdole renovans, atque ad implendam Lupis Eccleſiam & corrumpendam ejus in ipſo fonte, hoc eſt, Sacerdotum ordine ſanctitatem inventa. Et quando Theologi ac Canoniſtæ tria Munerum genera diſtinguunt, quibus ſpiritualia Simoniace adquirantur, omnino ſupponunt, impertinens eſſe, an ea munera impendantur ſub formali ratione pretii, an duntaxat ſub ratione Motivi. Volunt enim conditores Legum, ut rerum ſpiritualium diſpenſatores excutiant manus ſuas ab omni munere quia norunt probe, quam verum ſit illud, Munera excœcant oculos ſapientum. Ne igitur oculi eorum, quibus diſpenſatio rerum ſpiritualium eſt concredita, acceptatione munerum obturentur, juſſi ſunt excutere manus ſuas ab omni munere, ſive à lingua ſive ab obſequio, ſive à manu. Unde in Canone Pontificio ſcriptum eſt: Qui res Eccleſiaſticas, non ad hoc, ad quod ſunt inſtitutæ, ſed ad Lucra propria, munere linguæ, vel obſequii indebiti, vel pecuniæ largitur vel adipiſcitur, Simoniacus eſt, cum principalis intentio Simonis fuerit ſola pecuniæ avaritia. Et Petrus Damiani in prima libri ſecundi Epiſtola tractans Sententiam hanc Propheticam, *qui excutit manus ſuas ab omni munere* &c. ſcripſit: Prophetica hæc Sententia ſic exponi-

tur, ut tria dicantur Munerum genera, ſcilicet, à manu, obſequio, lingua; ſiquidem munus à manu eſt pecunia, munus ab obſequio eſt obedientia ſubjectionis, munus à lingua eſt favor adulationis. In margine ſimul citatur Thomas ex Secunda ſecundæ. Quod ſi forte quis contendat, debere pactum intervenire, ut datio vel acceptio Munerum hujuſmodi cenſeatur Simoniaca, reſpondet idem Author Epiſtola ſequente, ſcribens: Sunt non nulli, qui vel antequam Conſecrationis exhibeant miniſterium, vel ante deciſum cauſæ negotium nullum pacti ſunt commodum, poſtmodum vero tanquam à debitoribus exigunt, & extorquendis Remunerationibus vehementer inſiſtunt. Hi ſe non dubitent crimen Giezi incurrere, qui, poſtquam Naamam curatus eſt, jamque revertens, de Dono Spiritus S. auſus eſt pecuniam poſtulare. Aliud exemplum Simoniæ abſque pacto incurſæ adſignat *Adrianus* in Simone Mago, & ante eum *Armacanus* ab ipſo citatus, ſcribens: In facto Simonis Magi nullum fuit pactum, ſed pecuniam obtulit, & poteſtatem ſibi petiit dari, concludens, etiam, cum ſine pacto fit, à Simonia liberum non haberi.

Hæc in Vindiciis Decalogicis contra Simoniacos Doctores Sinnichius Lovanienſis; contra quas etſi quidam *Guilielmus le Maire*, munitus Adprobatione *Nicolai du Bois*, itidem Lovanienſis edidit *Stateram*, in hac tamen materia nihil habuit, quod opponeret, quam ut Gregorium de Valentia atque Tannerum non rite dixerit citatos, ea autem cum Gloſſa, quæ Stateriſtam hunc poteſt in ruborem dare, hujus præſertim abſurdi profeſſorem, quo totam hanc de Simonia doctrinam magis pertinere ſcribit ad ſpeculationem, quam ad Praxin, cum ſcribere debuiſſet plane contrarium, videlicet, eam magis pertinere ad Praxin, quam ad ſpeculationem, hoc addito, quod inſuper ingenue fuit faſſus, hanc de Simonia doctrinam, contra quam poſt & præter alias calamum ſtrinxit Sinnichius non eſſe novam, ſed à pluribus antehac traditam, quorum nomina ibidem non pauca adpoſuit, conſultius omnino facturus, ſi hoc labore ſupersediſſet, poſtquam ignorare non potuit, hanc eandem de Simonia doctrinam cum hiſce ſimilibus de Alexandro Pontifice hujus nominis ſeptimo in Bulla peculiari proſcriptam fuiſſe.

Sequitur nunc alter, novæ hujus Doctrinæ Moralis inſectator acerrimus, *Johannes Baptiſta Gonetus*, ordinis Prædicatorum, in Academia Burdigalenſi Anteceſſor, qui *Clypeum Theologicæ Thomiſticæ* contra novos ejuſdem impugnatores in Gallia & Germania edidit, ac Tertio ejus Tomo peculiarem Tractatum *de opinionum Probabilitate* inſeruit, poſt Sinnichium hujus etiam doctrinæ de Simonia cenſuram adponens, Lectori hic quoque communicandam. Theſis, quam ſibi ſumſit impugnandam, hæc eſt: Dare pecuniam, vel aliud quid temporale pro Beneficio ut Motivum, quo voluntas collatoris ad illud conferendum inducatur, non eſt Simonia, ſi non detur ut pretium Beneficio æquale. Eam præter Valentiam & Tannerum adſcripſit Gonetus etiam Eſcobario cum aliis recentioribus Caſuiſtis, ita cenſens: oppoſitum colligitur à Thoma, in Secunda ſecundæ ſic docente: Antequam alicui adquiratur jus in Epiſcopatu, vel Dignitate quacunque vel Præbenda, per electionem vel proviſionem ſeu collationem, Simoniacum eſſet adverſantium obſtacula redimere pecunia; ſic enim penia ſibi pararet viam ad obtinendam rem ſpiritualem. Et quibus verbis hoc argumentum conficio: Per pecuniam ſibi viam parare ad obtinendam rem ſpiritualem juxta Thomam vera eſt Simonia. Sed qui dat pecuniam ut incitamentum temporale, quo collatoris animus ad conferendum inducatur Beneficium, pecunia viam ſibi parat ad obtinendam rem ſpiritualem; ea enim utitur tanquam medio ſeu inſtrumento ad excitandam & flectendam collatoris voluntatem, ut conferat Beneficium. Ergo, vere Simoniacus eſt. Unde Eccleſia ſemper pro ſceleratis & Simoniacis habuit eos omnes, qui pecunia ſibi ad Sacerdotium & alia Eccleſiæ Miniſteria aut Beneficia viam muniunt, atque hanc nundinationem quavis arte & quovis colore fucatam adpellavit ſeclus Simoniacum. Hinc generatim negant Canones fas eſſe, per Pecuniam ad dignitates Eccleſiaſticas pervenire, uti

ti patet ex Canonibus Apoſtolicis, quorum triceſimus ſic habet: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per Pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur. Hinc etiam vetant generaliter, ne quis ad conſequenda Eccleſiæ munia aliquid obferat vel promittat, uti conſtat è Concilio Toletano ordine octavo, in quo ſic habetur: Si quis pro percipienda Sacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore Anathematis ſe moverit opprobrio condemnatum. Item in Concilio Melphitano, quod Seculo poſt Chriſtum undecimo fuit celebratum, ſtricte vetatur, ne quis dato vel promiſſo vel pretio, vel Servitio ea intentione impenſio Epiſcopalem nitatur adſequi dignitatem. Confirmatur hoc exinde: Cum Petrus Simonem Magum de ſcelere Simoniæ increpavit, de hoc cum reprehendit, quod DEI donum pecunia poſſideri poſſe exiſtimaſſet. Sed quod muneris pecuniarii præſtatione per modum illecebræ permoventis obtinetur, tam bene pecunia poſſidetur, ac illud, quod per ipſam ſub formalitate pretii ſumtam adquiritur, uti per ſe patet. Ergo, qui dat pecuniam ut Motivum, quo voluntatem collatoris ad conferendum ſibi Beneficium inducat, tam bene (potius male) Simoniæ labe inficitur, quam qui illam præbet ut pretium Beneficio æquale. Confirmatur amplius: Si neceſſario requiratur ad Simoniam, ut Pecunia per modum pretii æqualis Beneficio obferatur vel conferatur, tam rarum erit Simoniæ vitium, ut ab ejus labe omnes Simoniaci facile ſe poſſint purgare, dicendo ſcilicet, ſe temporale pro ſpirituali dare non tanquam pretium, ſed tanquam Motivum. Imo, & ipſe Simon Magus, omnium Simoniacorum parens, eadem diſtinctione ſeu præciſione Metaphyſica ab eodem ſcelere poterit excuſari facile. Nam, cum pro impetranda Gratia impertiendi Spiritum S. per impoſitionem manuum, Apoſtolis obferendo pecuniam vendendi aut emendi, vel pretii verbis nequaquam fuerit uſus, dici poterit, eum obtuliſſe pecuniam Apoſtolis non ſub formali ratione pretii, quo talem emeret poteſtatem, ſed duntaxat tanquam Motivum, quo eorum voluntatem ad eam ſibi conferendam inclinaret. Neque enim curabat modum, ſed tantum, ut rem quovis modo adſequeretur. Similiter à labe Simoniaca purgari poſſet Balaam Propheta &c ac idem de Giezi & aliis omnibus Simoniacis cum proportione poſſet dici, Ergo, ſi ſtandum ſit novorum Caſuiſtarum doctrinæ, atque ſi diſtinctio pecuniæ in rationem Motivi & pretii valeat, ſufficienſque ſit ad vitandam Simoniam, peccatum Simoniæ à rebus humanis exulabit, & in Mundum demigrabit Platonicum, vel ſolum à bardis & ſtupidis, qui diſtinctiones illas & præciſiones Methaphyſicas capere nequeunt, committeretur. Nec valet, quod aliqui Recentiores dicunt, eum, qui pecuniam, vel aliud quid temporale pro Beneficio per modum illecebræ permoventis, non vero per modum pretii Beneficio æqualis confert vel obfert, non quidem committere Simoniam contra Jus Divinum, quia ad hanc requiratur, quod temporale pro Spirituali detur ut pretium, tamen eſſe reum Simoniæ contra jus poſitivum, quia Leges & Canones Eccleſiæ id vetent. Non valet, inquam; quia Thomas in quartum Sententiarum docet, quod, ſi Judex ſpiritualis aliquo Munere, ſive parvo, ſive magno flectatur ad faciendum aliquid, Simoniacus ſit coram DEO. Ejus verba ſunt hæc: Dicendum, quod Eccleſiæ judicium eſt quantum ad exteriora; & quia non eſt probabile, quod animus Judicis ſpiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro Munere parvo, ideo in parvis muneribus Judici datis non judicat committi Simoniam, ſed apud DEUM, qui Cor videt, Simonia eſt in parvis & magnis Muneribus, ſi animus Judicis flectatur ex eis. Quibus verbis Thomas docet aperte, committi Simoniam contra Jus Divinum, quando Muneribus ſive parvis, ſive magnis inducitur aliquid ad ſpirituale quod conferendum. Ibidem ait, quod, qui dat aliquid ſpirituale, ſi principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad Judicium Divinum, committat Simoniam & rogatus, & rogans, ſi hoc intendat. Unde ſuares in peculiari Tractatu de Simonia pro hac Sententia Thomam & alios antiquos Theologos & Canoniſtas refert, ſcribens: Sæpiſſime legimus apud Authores,

tam Theologos, quam Canoniſtas, mentalem committi Simoniam, quoties per ſpiritualem actionem vel dationem principaliter adquiſitio alicujus commodi temporalis intenditur. Ita tenent, Hoſtienſis, Panormitanus, Navarrus, Covarruvias, Cajetanus, Major, Durandus, Altiſiodorenſis, Adrianus, Antoninus, Corduba, Gerſon &c. Addo, ſcribit Gonetus porro!, quod cum Eccleſia non poſſit mutare naturas rerum, nec efficere, ut Simonia ſit, quod Simonia vere non eſt, ſi oblatio pecuniæ per modum illecebræ ad conferendum aliquod beneficium permoventis careat labe Simoniæ, ex eo præciſe, quod Eccleſiæ legibus & canonibus vetetur, Simoniaca dici non poſſit. Id explicari & illuſtrari poteſt exemplo & doctrina novorum caſuiſtarum deſumto, qui communiter docent, contractum ab Hiſpanis Mohatra dictum, (quando nimirum aliquis egens pecunia credita emit à Mercatore merces pretio ſummo, & ſtatim ei pecunia numerata revendit pretio infimo) non eſſe uſurarium vere, & labe uſuræ reipſa carere. Sicut ergo ſi talis contractus Eccleſiæ legibus & Canonibus prohiberetur, quemadmodum per leges civiles vetitus eſt, inepte quis diceret, Mercatores illum exercentes contractum non eſſe quidem uſurarios, uſura videlicet contra Jus Divinum, ab uſura tamen contra jus Eccleſiaſticum immunes non eſſe; quia cum Eccleſia non poſſit mutate naturas rerum, ſuis legibus & Canonibus nequit efficere, ut uſura ſit, quod vere non eſt uſura. Ita ſimiliter, ſi oblatio pecuniæ per modum illecebræ ſeu incitamenti ad conferendum aliquod beneficium permoventis revera ſit expers labe Simoniæ, ex eo quod Eccleſiæ legibus & Canonibus vetetur, vere non erit Simoniaca, nec eo nomine, niſi nugando & terminis abutendo poterit donari. Unde inepta plane ad oppoſitum & chimerica videtur diſtinctio illa Simoniæ in Simoniam juris Divini & Eccleſiaſtici, quam ad vim rationum præcedentium eludendam Caſuiſtæ recentiores excogitarunt. Atque ſic ex dictis confutata etiam manet alia Eſcobarii adſertio, qua docet, Simoniacum non eſſe, qui promiſſa ſine intentione ſolvendi pecunia pervenit adſolvendum. Cum enim pecunia viam ſibi parare ad obtinendam rem ſpiritualem vere ſit ſimonia ſecundum Thomæ doctrinam, & ille, qui pecunia promiſſa ſine intentione ſolvendi pervenit ad Sacerdotium, ea ſibi viam ad obtinendum illud non minus paraverit, quam ille, qui pecuniam exhibuit de facto; planum eſt, illum non minus eſſe ſimoniacum, nam utrobique pecunia eſt ratio, cur beneficium conferatur. Unde in Concilio Melphitano ante laudato non modo vetitum eſt, ne pro Beneficio obtinendo detur pecunia, ſed etiam ne promittatur. Confirmatur id inde: Quod in judiciis eſt corruptio, id in obtinendis Beneficiis eſt Simonia. Sed non minus corruptor eſt judicii, qui argentum pollicitus eſt judici, nec præſtitit, quam qui promiſit & præſtitit; igitur etiam non minus eſt Simoniacus, qui promiſit, cum ſolvere nolit, quam qui promiſit & ſolvit.

Bellarminus *l.* V. *c.* 7.

PRobaturus, *Pontificem Romanum habere poteſtatem ſummam temporalem indirecte*, rationibus utitur quinque, *quarum* prima *hæc eſt*: *Poteſtas civilis ſubjecta eſt ſpirituali, quando utraque pars eſt ejuſdem reipublicæ Chriſtianæ. Ergo poteſt Princeps ſpiritualis imperare temporalibus, & diſponere de rebus illis in ordine ad bonum ſpirituale; omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo.* Secunda: *Reſpublica Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta & ſibi ſufficiens in ordine ad finem ſuum, tales enim ſunt omnes reſpublicæ bene inſtitutæ. Ergo debet habere omnem neceſſariam ad finem conſequendum. Sed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas utendi & diſponendi de rebus temporalibus, quia alioquin poſſent mali Principes impune hæreticos favere & religionem evertere. Igitur & hanc habet poteſtatem.* Tertia: *Non licet Chriſtianis infidelem tolerare Regem aut hæreticum, ſi conetur ſubditos pertrahere ad ſuam hæreſin vel infidelitatem. At judicare, an Rex pertrahat ſub-*

ſubditos ad hæreſin, necne, pertinet ad Pontificem, cui & commiſſa religionis cura. Ergo Pontificis eſt judicare, Regem eſſe deponendum vel non. Quarta: *Quando Reges & Principes veniunt ad Eccleſiam, ut fiant Chriſti, recipiuntur expreſſo cum pacto, vel tacito etiam, ut ſcripta Chriſto ſubjiciant, & polliceantur, ſe Chriſti fidem ſervaturos & defenſuros, etiam ſub pœna Regni amittendi. Ergo cum fiant hæretici, aut religioni obſiſtunt; poſſunt ab Eccleſia judicari, & deponi quoque à Principatu, nec ulla eis fit injuria, ſi deponantur.* Quinta: *Cur Petro dictum eſt, Paſce oves, data eſt illi facultas omnis, quæ Paſtori eſt neceſſaria ad gregem tuendum. At Paſtori neceſſaria eſt poteſtas triplex, nimirum; una circa lupos, ut eos arceat omni ratione, qua poteſt; deinde circa arietes, ut, ſi quando cornibus lædant gregem, poſſit eos recludere & prohibere, ne gregem ulterius præcedant, tertia circa oves reliquas, ut ſingulis pabula tribuat convenientia. Ergo hanc triplicem poteſtatem habet etiam ſummus Pontifex.*

Launojus T. VI. *Epiſt. ult. p. 402. & ſeq.*

DE his Bellarmini rationibus pro Pontificis Romani poteſtate ſumma temporali indirecta breviter ſic cenſet. *Prima*, inquit, non eſt Theologica, quia ex duobus veræ Theologiæ principiis, (loquitur iterum ad ſuam hypotheſin) ſcriptura nimirum & Eccleſiæ Catholicæ traditione haud colligitur, ſed philoſophica eſt tota, & & hanc ob cauſam in materia tanti momenti ſpernenda eſt. *Secunda* iiſdem inquinatur vitiis, & dum in ejus uberiori expoſitione utitur verbis Chriſti, Ecce. duo gladii, peccat in Synodi Tridentinæ regulam. Cum inſuper ex ordine Patrum unius Bernhardi hæc verba in hunc ſenſum explicantis authoritate nititur, eidem opponit Cæſarii, ejuſdem cum Bernhardo ætatis & ordinis ex ſecunda in ſecundam Adventus Dominicam Homilia interpretationem, his verbis: *Duplex poteſtas duo ſunt gladii, quas Petro præſentavit Dominus, illo reſpondente ſatis eſt. Unus eſt ſpiritualis, qui Papæ collatus eſt à Domino; alter materialis, quem tenet Imperator, ſimiliter à Deo collatus. Hoc duplici gladio regitur & defenditur Eccleſia DEI.* Igitur ut ſpiritualis gladius Papæ, ſic materialis Imperatori à Domino collatus eſt. *Tertia* ſimilis eſt primæ, & cum in ejus expoſitione Bellarminus utitur teſtimonio è Deuteronomii capite decimo & ſeptimo, ubi prohibetur populus eligere Regem, qui non ſit de fratribus ſuis, itidem in Fidei Tridentinæ regulam peccat. *Quarta* iis nititur fundamentis, quæ nulla Eccleſiæ ſuſtentantur traditione, & dum in ejus expoſitione adhibentur Verba Chriſti, ſi quis venit ad me, & non odit patrem &c. in eandem Fidei regulam peccat. *Quinta* ducitur ex verbis. Paſce ovas, in qua iterum ab eadem regula receditur, dum nullus eſt Tractatorum Eccleſiaſticorum, qui hunc locum ad Regum depoſitione flexerit, provocatione facta ad Epiſtolas, è quibus ſupra pleraque huc pertinentia ſunt addu&ta.

Hæc ibi Launojus breviter, alibi autem, videlicet Epiſtola Partis ſeptimæ octava, tertiam in ſpecie rationem uberius examinandam adgreditur, de ea iterato obſervans, philoſophicam eſſe potius, quam Theologicam, quippe quæ nec Scriptura, nec traditione ab initio derivata fulciatur, & extra hoc ſchammatis genus Theologo non liceat excurrere, ſi nomen ſuum velit retinere; & cum Bellarminus perſpexerit, rationem ſuam vacillare. occupatum ſuiſſe quidem, ut ſuſtentetur, ſed eometipſo labefactatam concidiſſe. Ita videlicet eam fulcire ſtuduit, ſcribens: *Quod ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, Dioeletianum, Julianum Apoſtatam, Valentem Arianum ac ſimiles, id fecit, quia vires deerant Chriſtianis.* At ita reponit Launojus, defueruntne ad annum 730. quo Leo Iſaurus ſacris imaginibus bellum indixit acerrimum, ſtatuens, ut illæ de templis ejicerentur ac diffingerentur? Ejectæ ſunt & diffractæ, nec Chriſti Servatoris dignitati, nec Beatæ Virginis Mariæ honori parcitur. Quomodo tunc ſe geſſit junior Gre-

Digitized by Google

gorius, cum Oriens & Occidens religionem Chriſtianam coleret impenſe, & Chriſtianis vires idoneæ ſuppeterent? Vix ullum fuit tempus, quo latius diffuſa fuerit Eccleſia. Anne Pontifex Leonem Iconomachum abdicavit Imperio, vel Chriſtianis ſuaſit aut præcepit, ut illum deponerent & alium ſubſtituerent? Minime. Nimirum è Chriſti ſchola talis evaſerat, ut adprime cognoſceret, reddenda eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & DEO, quæ ſunt DEI. Quo factum, ut huic quidem juſſioni Imperatoriæ ſubjectum ſe ſentiens acceptas à Leone literas ad Occidentis Principes perferri curaret; inde autem Divinæ etiam juſſioni ſubjectum ſe ſentiens Imagines ſacras pro viribus tueretur, & momenta rationum refelleret, quas Leo adhibebat. Divina eſt ſtatera, cui jura Fori & Poli adpendebat Pontifex, æquilibritatem hujuſmodi & ἰσοσταθμίαν accipiens à Gregorio Magno, ejuſque libri ſecundi Epiſtola poſt ſexageſimam ſecunda ad Mauritium Imperatorem ſcripta. Ne autem ſint hæc omnia, Gregorius ipſe Pontifex hoc nomine ſecundus quæſtionem abſolvit in poſteriori ad Imperatorem Epiſtola, in qua poteſtatis ſuæ limites ſic defugit: *Pontifex nec introſpicienci in Palatium, nec Regias dignitates deferendi habet poteſtatem.* Et interjectis quibuſdam: *Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem Exercitus omnis creaturæ, ſedentem in cœlis Chriſtum, qui eſt ſuper omnes Exercitus Virtutum ſupernarum, ut immittat tibi Dæmonem, ſicut Apoſtolus ait, tradere hujuſmodi Sathanæ ad interitum carnis, ut ſalvus ſit ſpiritus.* Hi ſunt termini, quos Gregorius ſibi & Pontificiæ authoritati diſpoſuit, memor Scripturæ ſacræ & traditionis Eccleſiaſticæ, quæ itidem non aliter terminos diſponit. Videlicet utriuſque regulæ violatorem eſſe credidit, qui hos moveret terminos. Hoc ipſum amplius demonſtravit, cum Imperator ei mortem minaretur, ſic in priori ad Leonem Epiſtola ſcribens: *Quod ſi nobis inſolenter inſultes, & minas intentes, non eſt nobis neceſſe tecum deſcendere in certamen. Ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet in Campaniæ regionem Pontifex Romanus, tum vade, ventos proſequere.* At quoniam Imperator Gregorio propoſuerat exemplum Martini deceſſoris, quem Conſtantinus vinctum juſſerat adduci Conſtantinopolim, reſpondet, *Conſtantinum eſſe trucidatum & in peccato interiſſe, Martinum vero beatum eſſe &c. Atque utinam DEI munere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus.* Hæc ille, cum Chriſtiana per Imperium religio vigeret, & peridoneis ad Imperatorem deponendum (ſi fas fuiſſet) viribus abundaret. Quin etiam, quod permirum fortaſſe videbitur, non ſolum contentus fuit Gregorius ſeipſum in officio continere, ſed alios quoque continuit, quantum potuit. Nimirum in Italia fuere populi & Magiſtratus, quos Leo propter Imaginum ſacrarum defenſionem ita vexavit & torſit, ut de ejurando nomine Imperatorio & obedientia, ac de creando Principe novo ſuſceperint cogitationem. At Gregorius compreſſit illorum impetus, atque à conſilio hujuſmodi deterruit. Fuit quoque in Thuſcia audax homo Tiberius nomine, qui arrepta occaſione ſe pro Imperatore venditavit. Verum Gregorius ſtandum eſſe ſemper à Leonis Iſauri partibus, & ejiciendum procul Tiberium conſtituit, ita ut ſtatim de Imperio, & ſic quoque de vita dejectus ſit Tiberius. Hanc quæſtionem hiſtoricam quia Launojus in antecedente hujus ſeptimæ Partis Epiſtola ſe prolixius tractaſſe monet, ex ea notatu digna ſtatim excerperentur, ubi prius ulterior reſponſio Launoji ad ea Lectori commendabitur, quæ Bellarminus porro ad rationem tertiam adtulit, ſcribens: *Quod Chriſtiani jure potuiſſent id facere, id eſt, deponere Imperatores Ethnicos & infideles, patet ex Apoſtolo, qui prioris Epiſtolæ ad Corinthios capite ſexto jubet conſtitui novos Judices à Chriſtianis temporalium cauſarum, ne cogerentur Chriſtiani cauſam dicere coram Judice Chriſti perſecutore; ſicut enim novi judices conſtitui potuerunt, ita & novi Principes ac Reges propter eandem cauſam, ſi vires adfuiſſent.* Atqui hæc ſunt omnino, reſpondet Launojus, quæ Gregorii authoritate ductu, ſapientia & confeſſione oppreſſa & obruta jam vidimus. Præterea aliud eſt, ad lites dirimendas eligere arbitros, aliud vero, hæreticos Principes deponere, & Chriſtianos in locum illorum ſubrogare. Inſuper comparatio, quam Bellarminus tam ſollicite in-

Digitized by Google

inſtruit, eſt ſoboles privati ſpiritus, quem orthodoxi in heterodoxis quotidiè reprehendunt, & ut omnium hæreſium parentem adcuſant. Profecto, è tanta Patrum nube, quanta fuit Scripturæ hujus explicatrix, nullum ſimilem adornavit comparationem. Novus & perverſus loci hujus Paulini ſenſus eſt, quem Patres Tridentini in Seſſione quarta obliterant, & reſpondens Seſſioni in profeſſione Fidei articulus expungit. Mitto, hanc ipſam comparationem legibus Dialecticorum repugnare, dum manifeſtum adcidentis fallaciam involvit, qua in Poteſtatem Pontificiam & Eccleſiaſticam egere putaret, ut vigeat, de utrumque mereretur, & totius explodendus eſſet theatris.

Ante, quam plus ultra fiat progreſſus, per brevem quandam *Additionem* juvat contra Bellarmini rationem à Launojo infirmatam illuſtre Lectori Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſo teſtimonium Tertulliani commendare, qui de Chriſtianis ſui temporis ac eorum nomine inter Perſecutiones graviſſimas capite trigeſimo & ſeptimo Apologetici perſecutores tyrannos ita legitur adſcripſiſſe: Si hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque unius tamen loci & finium ſuorum gentes, quam totius orbis. Heſterni (alias, externi) ſumus, & omnia implevimus veſtra, Urbes, Inſulas, Caſtella, Municipia, Conciliabula, ipſa Caſtra, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis relinquimus Templa. Cui Bello non idonei, non promti fuiſſemus, copiis etiam impares, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam Diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum à vobis abrupiſſemus, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcunque civium amiſſio, imo etiam & ipſa deſtitutione puniviſſet. Procul dubio expaviſſetis ad veſtram ſolitudinem, ad rerum ſilentium, & ſtuporem quendam quaſi orbis mortui. Quæſiviſſetis, quibus imperaretis. Plures vobis hoſtes, quam cives remanſiſſent; nunc enim pauciores habetis hoſtes præ Chriſtianorum multitudine. *Rigaltii* ſuper hoc Teſtimonium Gloſſa hæc eſt: In tanta multitudine, toties tamque atrociter vexata mirabilis fuit Patientiæ Chriſtianæ Conſtantia, quæ non Arte aliqua Præpoſitorum ſeu factione, ſed datæ Chriſto Fidei ſola Religione continebatur. *Hæc ibi egregie.*

Nunc ad rationem quintam Bellarmini ut deveniamus, ejus Examini rigoroſo præmittit Launojus prolixam tractationem Hiſtoricæ Gregorii Pontificis hoc nomine ſecundi, contra Leoni Iconomacho à ſe excommunicato prohibentis vectigalia ſolvi ab Italis, ac proinde cum parte Imperii mulctantis, cujus compendium ac caput ſequens exhibebitur, nobis hac vice contentis ea excerpſiſſe, quæ circa rationem Bellarmini quintam digna notata obſervavit, ad cujus confirmationem Bellarminus hæc tria adduxit argumenta. *Primum hoc eſt*: Lupi, qui Eccleſiam Domini vaſtant, ſunt hæretici, ut patet ex capite Matthæi ſeptimo, Adtendite à falſis Prophetis. Si ergo Princeps aliquis ex ove aut ariete fiat Lupus, id eſt, Chriſtiano hæreticus, poterit Eccleſiæ Paſtor eum arcere per Excommunicationem, & ſimul populo jubere, ne ſequantur eum, ac proinde cum dominio in ſubditos privare. *Secundum*: Paſtor poteſt arietes furioſos ovile deſtruentes ſeparare & recludere. Princeps autem eſt aries furioſus ovile deſtruens, quando eſt Catholicus fide, ſed adeo malus, ut multum obſit Religioni & Eccleſiæ, ex. gr. ſi vendat Epiſcopatus, diripiat Eccleſias &c. Ergo poteret Eccleſiæ Paſtor eum recludere vel redigere in ordinem ovium. *Tertium*: Paſtor poteſt ac debet omnes ſuas oves ita paſcere, ut eis convenit. Ergo poteſt ac debet Pontifex omnibus Chriſtianis ea jubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum juxta ſtatum ſuum tenetur, id eſt, ſingulos cogere, ut hoc modo ſerviant DEO, quo juxta ſtatum ſuum debent. Debent autem Reges DEO ſervire Eccleſiam defendendo, puniendoque hæreti-

Digitized by Google

reticos & ſchiſmaticos, uti docet Auguſtinus, Leo & Gregorius Magni. Ergo poteſt ac debet Regibus jubere, ut hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per Excommunicationem, aliaſque commodas rationes. *Launojus* in genere, quia huic rationi quintæ Bellarminus fundamenti loco ſubſtravit verba Chriſti ad Petrum. Paſce oves meas, monuit, violari profeſſionem Fidei Tridentinam, cum hæc verba ad Principes ſuprema poteſtate ſua privandos detorquentur, & violatores incurrere in pœnam & reprehenſionem Concilii ejuſdem Seſſione quarta decretam, ac hujus criminis rerum eſſe non modo, utut primario, Bellarminum, ſed Svarezium quoque ac Recanum, & alios quoſdam, qui cum ſequentes hæc verba ad jus Principum deponendorum detorqueant. *Ad ipſam Bellarmini ratiocinationem*, qua Pontifici hoc jus & poteſtatem adſcribit, reſpondet, Ergo habebunt hanc poteſtatem ii etiam, quos Pontifex Fratres & Coepiſcopos appellat, utpote qui paſcendarum ovium poteſtatem acceperunt cum Petro ut ſcribit Ambroſius, vel in perſona Petri, ut ſcribunt Chryſoſtomus & Auguſtinus, nec ab illis diſſentiunt Patres cæteri. Huc quoque ſpectat Præfatio, quam Eccleſia in Feſtis omnium Apoſtolorum canit: *Æquum & Salutare eſt, te Dominum ſuppliciter exorare, ut gregum tuum, Paſtor æterne, non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iiſdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præeeſſe Paſtores.* Nec dubitandum eſt, quin ad normam verborum, Paſce oves meas, &, *Paſcite gregem, qui in vobis eſt &c.* exarata ſit hæc Præfatio. Hinc efficitur, ut quidquid Bellarminus ex hiſce verbis colligit, id reliquis Paſtoribus & Epiſcopis futurum ſit commune, quod novum & abſonum animis atque auribus omnium videbitur. *Ad primum* in ſpecie argumentum contra Lupos directum reſpondet, id non unus tantum Pontifex Romanus, ſed & cæteri Pontifices, quia Paſtores ſunt Eccleſiæ, perficient, & Principem hæreticum communione fidelium ac imperio in ſubditos privabunt; hoc enim ex Bellarmini ratiocinatione ſequitur, aut nihil ſequitur, niſi Bellarminus arcendorum hoc modo Luporum poteſtatem ad unum Pontificem Romanum per fallaciam adcidentis reducat, ubi in Concluſione diſtribuet neceſſario, quod in præmiſſis diſtributum non erit, &, ne aliter fieri poſſit diſtributio, res ipſa & Patres laudati impedient, quamvis Bellarminus adhuc cauſam obtineret, ſi Chriſtus ingentem, expeditum & omnibus neceſſariis rebus inſtructum, quo Pontifices uterentur, certo quodam in loco reliquiſſet Exercitum. *Ad ſecundum*, quod contra arietes furioſos inſervit, & iſtud pertinet ad omnes Epiſcopos & Eccleſiæ Paſtores, niſi velit Bellarminus unum tantummodo eſſe Paſtorem Eccleſiæ, ſcilicet Romanum, & cæteros Paſtores Romani hujus vicariam gerere præfecturam, quod ſi contendat, ſecum & cum Pontificibus Romanis pugnabit. Deinde ex hoc argumento concludi non poteſt ſine accidentis fallacia, Principem Fide Catholicum, ſed adeo malum, ut multum obſit Religioni & Eccleſiæ, deponi poſſe. Johannes certe Pontifex hoc nomine duodecimus vendebat Epiſcopatus, patrabat homicidia, & tandem arietum pene omnium fuit furioſiſſimus, & tamen Baronius, Bellarminus & alii ὁμοψηφεὶ Concilium adcuſant Romanum, à quo de Sede Romana fuit deturbatus. *Ad tertium*, circa cujus finem quia Bellarminus nominat commodas rationes, quibus Rex poſſit cogi ad obediendum Pontifici, notat Launojus, & ſimul miratur, Bellarminum inter eas non collocare Decretum, quo Principes dominio in ſubditos priventur. Nimirum, uti porro ſcribit, Diſputator oblitus eſt, ut ſecundum, ita & tertium argumentum, ex verbis, *Paſce oves meas*, quæſitum, debere eo ſpectare, ſi quo ſpectare debeat. Argumentum certe hoc vel ad nullum Pontificem & Paſtorem Eccleſiæ, vel ad omnes pertinet, & eodem, quo præcedentia, vitio ratiocinii inquinatur & ſic Author à ſuo deflectit Scopo. Cæterum, nec Auguſtinus, nec Leo vel Gregorius Magni aſſirmant, Principes à Pontifice Romano fidelium communione & imperio in ſubditos poſſe privari, ſi hæreticos & ſchiſmaticos negligant caſtigare. Profecto, niſi cum Bellarmino mihi res eſſet, admodum mirarer, cur, cum ea in ratione, ſcilicet

quin-

quinta, de abdicandis per Pontificem Romanum Regibus agatur, Auguſtinus, Leo & Gregorius ut hujus rationis fautores adducantur, nam in ſeipſum crudelis eſt, qui ſuam tantopere contemnit famam. Dum vero Bellarminus non ſolus ita ſtatuit, ſed conſentientes in hoc etiam habuit *Suarezium* inprimis & *Becanum*, inde Launojus de illis quoque quædam obſervavit, hic minime prætermittenda. De priore ſic ſcribit: *Suarezius* abdicationem Principum in verbo, Paſce, putat comprehendi, nec longam adhibet diſputationem, ut id ſuis Lectoribus perſuadeat. *Chriſtus*, inquit, *qui bene & optime omnia fecit & inſtituit, hanc Petro contulit poteſtatem, eamque ſub verbo*, Paſce, *& ſub poteſtate ligandi & ſolvendi comprehendit; Ergo per illam poteſt Principem ſuo privare dominio, ne ſubditis noceat, & hos à juramento fidelitatis ſolvere.* Injuriam facit non mediocrem Patribus antiquis & Evangelii Johannis Interpretibus, id non advertentibus, quod Chriſtus tam bene inſtituit. Et quidem primum Gregorio Nazianzeno, qui tam multa contra Julianum Imperatorem edidit adhuc viventem. Deinde Cyrillo Alexandrino, qui contra eundem jam vita functum ſtrinxit calamum, & inſuper Johannis Evangelium Commentariis illuſtravit. Tum Gregorio Papæ primo, qui oblatam memorandæ poteſtatis hujus occaſionem nactus eſt, cum ſcripſit ad Imperatorem Mauritium, ut legem DEO, ſicuti credit, adverſum revocet aut emolliat. Præterea, Gregorio juniori vel ſecundo, qui Chriſtum Petro id poteſtatis genus dediſſe adeo non novit, ut faſſus fuerit palam, ſe nec introſpiciendi in Palatinam, nec Dignitates Regias deferendi habere poteſtatem. Inſuper, Gregorio Papæ tertio, qui æque ac Deceſſor pro Imaginum ſacrarum defenſione cum Leone Iſauro dimicavit. Denique Nicolao & Hadriano ſecundis, quibus multæ cum Regibus Galliæ fuerunt contentiones. Tunc, neque id, quod Chriſtum bene feciſſe Author hic adſerit, traditum à Majoribus acceperant Eccleſiæ Patres & Pontifices antiqui, neque verbum, Paſce, ita intellexerunt, quomodo idem Author docet intelligendum eſſe, & exinde in libri ſexti de forma juramenti fidelitatis capite quarto ſibi fine ulla ſumit controverſia, *poſt Sententiam condemnatoriam Regis de Regni privatione latam pro legitimam poteſtatem poſſe eum, qui tulit Sententiam, vel cur ipſe commiſerit, Regem privare Regno, etiam interficiendo illum.* De Becano hæc habet: *Becanus* in compendium mittit, quidquid Bellarminum ſupra prolixius differentem habuimus, & dicit, Romanum Pontificem, cum deponit Reges, jure deponere, quia ex officio Paſtoris deponit, ſecundum verba, *Paſce oves meas.* Ad hæc comparatione cum Paſtore ovium ratione carentium facta ſubjicit: *Lupos arcet omni modo, quo poteſt.* Hinc autem efficitur, ut, ſi Paſtor ovium ratione carentium fanda, ferro, breviori ſclopo Lupos poſſit prohibere & prohibeat, Paſtor ovium ratione præditarum Lupos, id eſt, hæreticos aut Principes iniquos ſimiliter ſit prohibiturus, idque niſi per ſe, certe per alium, uti Suarezius proponit. Cæterum, Bellarminus, Suarezius & Becanus, uti & adſeclæ illorum, iſtiuſmodi fraudes ſophiſticas non commiſiſſent, nec verba Chriſti ad Petrum, *Paſce oves meas*, in tam abſurdas, tamque legi Chriſtianæ contrarias argumentationes & complexiones intuliſſent, ſi Patribus Tridentinis in Seſſione quarta modum interpretandi Scripturas decernentibus morem geſſiſſent, & relatum ſupra ex Fidei profeſſione articulum ſincere, uti Catholicis Theologiæ Profeſſoribus convenit, obſervaſſent. Sed quia neutrum fecere, iis omnibus, qui ſeorſim à nobis per Religionem ſentiunt, Concilium Tridentinum deſpectui & ludibrio exponere, & eos ad Eccleſiam redire geſtientes ab emittenda Fidei profeſſione, Exemplo ſuo, velint nolint, peſſimo deterrere veriti non ſunt.

Idem argumentum contra eoſdem *Suarezium & Becanum* prolixius, & peculiari iterum Epiſtola, nimirum hujus ſeptimæ partis undecima tractat Launojus, oſtendens, eos hanc poteſtatem Papæ ſubditos à juramento fidelitatis præſtito Regibus abſolvendi adſcribere per abuſum quoque verborum Chriſti ad Petrum, *quodcunque ſolveris ſuper ter-*

ram &c. atque hac etiam ratione illum Tridentinæ Fidei professionis articulum violare, qui ad interpretationem Scripturæ S. Patrum unanimem consensum requirit, quem ideo violari non deberi putat primo, quod necessarius ut ad imponendum finem iis quæstionibus, quæ in perpetuas lites, rixas & tergiversationes alias pertraherentur; deinde, quod articulo huic sua debeat constare veritas, ne ad dubitandum de cæteris ullus præbeatur aditus; tum, ne communionis Catholicæ adsertores & vindices offendantur; denique, ne hæretici ex eo rejiciendæ professionis Fidei ansam arripiant, cum viderint illam à Catholicis contemni Theologis. Post hæc in genere notata adducit Pontificum Romanorum, Cardinalium, Patrum & Ecclesiæ Doctorum, antiquorum pariter & recentiorum testimonia, de concessa Petro ligandi & solvendi potestate sincerius loquentium. Ex ordine Pontificum primus est *Philippus*, non quidem ipse Pontifex, sed Cœlestini Pontificis Romani personam gerens in Synodo Ephesina, inque ejus Actione tertia hæc loquens: *Seculis omnibus notum est, quod Petrus claves regni cælestis accepit, solvendique ac ligandi potestas ipsi data est.* Non dicit, Seculis omnibus notum est, quod potestatem solvendi subditos à juramento fidelitatis præstito Regibus acceperit. Eadem est Synodi Ephesinæ, quæ in dicentem Presbyterum Sedis Apostolicæ Legatum consensit, ac sedis ipsius Apostolicæ, sicque etiam universalis Ecclesiæ, cujus repræsentatio per Concilium celebrabatur, circa verborum Christi intelligentiam traditio. Sequuntur Leo M. Gelasius, Vigilius, Gregorius M. Gregorius secundus, Zacharias, Hadrianus primus, Leo nonus, Alexander tertius, Innocentius tertius, Gregorius nonus, Innocentius quartus, Nicolaus quartus, Adrianus sextus, Paulus tertius, Clemens octavus. His succedunt Cardinales, ad Clerum Romanum specialius pertinentes, nominatim Robertus quidam Pullus, Robertus Cotton, Parisiensis antehac Theologus, Odo Abbas olim Urticampensis & Episcopus Tusculanus, Jacobus Vitriacus, Hugo de S. Caro, Henricus, Episcopus quondam Ostiensis, Dominicus Jacobatius, Thomas de Vio, Caspar Contarenus, Nicolaus Pelveus, Stanislaus Hosius, ipse Bellarminus, Petrus Gondius, omnes & singuli hæc Christi ad Petrum verba de clavium potestate sic interpretantes, ut intra pœnitentiæ Sacramentalis limites coerceant, nec à sensu Ecclesiæ Romanæ recedant, nec ad jus Regum deponendorum & subditorum à juramento fidelitatis absolvendorum protrahant. In his subjunguntur Patres & Ecclesiæ Scriptores, Origenes, Cyprianus, Firmilianus, Cappadociæ Episcopus apud eundem, Hilarius, Pacianus, Ambrosius, inprimis circa causam cum Theodosio apud Theodoretum, de qua proxime uberius agetur; porro Amphilochius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Facundus Hermianensis, Beda, Dungalus, Rabanus, Hincmarus, Radulphus Flaviacensis, Theophylactus, Anselmus, Gerardus Leodiensis Episcopus, Ivo, Rupertus Tuitiensis, Brunus Signiensis, Radulphus Ardens, Hugo de S. Victore, Gratianus, Lombardus, Bandinus, Reihardus de S. Victore, Petrus Cantor, Guilielmus Antisiodorensis, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Vincentius Bellovacensis, Thomas de Aquino, Augustinus Anconitanus, Alvarus Pelagius, Liranus, Bartholomæus Pisanus, Baptista de Trovamala, Baptista Salias, Johannes Tabiensis, Occam, Testatus, Petrus Sutor, Maldonatus, Lucas Brugensis, Michael San-romanus, quibus præter Manualia adduntur Ecclesiæ Romanæ *Officia*, in quibus ligandi & solvendi potestas circumscribitur ligandis & solvendis *Animabus*, uti & Missalia, Breviaria, & Diurna, quæ usui Romano sese adcommodarunt, è quorum numero unius meminit Launojus, cujus editionem & reformationem Gregorius post decimum tertius hoc nomine Pontifex confirmaverit, atque hac confirmatione suum fecerit, hoc porro observans, esse Ecclesias non plane nullas, quæ orationem, in qua hujus potestatis occurrit mentio, habent quidem, sed absque hac voce, *animabus*, recitant. Verum ex usu earum, inquit Launojus, hac in parte corrigendus non est Ecclesiæ Romanæ usus, qui ab antiqua & solida descendit traditione; quin etiam harum Ecclesiarum usus est corrigendus, quippe qui ab Ecclesiæ Romanæ usu fundatissimo desecit.

Ad-

Addit hoc etiam in rituum Eccleſiaſticorum inſtauratione, quæ Romæ ſub Clemente octavo curata eſt, vocem, *animabus*, ex hac oratione ſublatam eſſe; ſed an recte fuerint ſublata, multa me cogunt dubitare, inquit Launojus. Primo, vox hæc vetuſtiores Clemente Pontifices, videlicet Gregorium Magnum, Julium ſecundum, Paulum tertium, Gregorium decimum tertium ut Patronos & abprobatores ſibi vindicat, primo in Sacramentario, ſecundo in Diplomate quodam, tertio in Miſſali Romano, quarto in Diurni cujuſdam confirmatione eam exhibentibus. Igitur Clemens ſi tollendæ ejus author fuit pugnat cum deceſſoribus, nec poteſt non cadere, quia unus multis non poteſt obſiſtere. Atque hæc indignitas Sedis Romanæ cultorem graviter debet commovere; res enim eo adducitur, ut ſedes & ſedens contemnantur, & Fides quæ ibi ponenda eſt, minuatur. Secundo vox hæc ad Eccleſiæ Romanæ & Sedis Apoſtolicæ authoritatem confugit, in qua dum Petri Cathedræ Feſtum agebatur, immenſo tempore retenta, & inter Miſſarum ſolemnia & conſecrata, atque ſic invaluit & irroboravit. Tertio, vox hæc ad librum Sacramentorum Gregorii, Julii ſecundi Conſtitutionem & Miſſale Ambroſianum ſe recipit, quæ loca ſunt tutiſſima. & ſi ea Miſſalis & Breviarii correctores novi luſtraſſent, admota conſcientia non egiſſent, quod egerunt, dum antiquitatis potius, uti mos olim fuit Romanis, quam novitatis adſertores eſſe voluiſſent. Quarto, vox hæc in Miſſali & Breviario defendit ſe adverſus correctores novos antiquitate, atque ad ſui præſidium advocat Philippum Presbyterum, Sedis Apoſtolicæ in Synodo Epheſina Legatum, uti & ipſam Synodum, dicta Philippi non modo audientem, ſed adprobantem quoque, quin & cum cæteris Pontificibus Hadrianum hoc nomine primum, cujus Epiſtola ad Conſtantinum & Irenen, quæ in ſeptimæ Synodi ſecunda Actione lecta fuit & adprobata, vocem, *peccata*, ejuſdem plane ſenſus in Verbum Chriſti adplicatione exhibet Quinto, demus, quod officiorum Eccleſiaſticorum correctores dari volunt ſibi, Leonem quartum orationis, quæ in Feſto Cathedræ Petri legitur, authorem eſſe primum, nec illi hanc vocem intuliſſe, & factum id eſſe per eos, qui tranſcripſerunt, non tamen ſequitur continuo, eam fuiſſe expurgendam, ſiquidem ex Eccleſiæ Romanæ ſenſu, quem perpetua conſignabat traditio, fuerat adjecta, ut, quid ligandum vel ſolvendum eſſet, magis explicaretur & firmius conſervaretur. Quod autem ſic adjicitur, removeri ſtatim non debet, niſi quis velit eum Græcis è Symbolo Eccleſiæ Romanæ, quod hodie decantatur, removendum eſſe, Filioque, quia Symbolo Concilii primi Conſtantinopolitani minime fuerit adjectum. Verum, quæ ligandi & ſolvendi poteſtas ad liganda & ſolvenda hominum peccata, vel ad ligandas & ſolvendas illorum animas ex omni memoria erat definita, hanc Correctores in gratiam Theologorum Curiæ adulatorum voluerunt relinquere indefinitam, ut quidquid adulatores illi ſub poteſtate ligandi & ſolvendi comprehenderent, ab Eccleſiaſticæ traditionis rudibus & ignaris recte comprehenſum putaretur, & inprimis liberatio Sacramenti, quo ſubditi ſuis obligantur Principibus. Atque hoc eſt, cui nequit bonum adſcribi factum, tam propter ea, quæ de perpetua Eccleſiæ Romanæ & Sedis Apoſtolicæ traditione, quam propter ea, quæ de Patrum doctrina in exponendis Chriſti ad Petrum verbis ſupra & alibi ſunt obſervata, utpote qui Patres & Tractatores Eccleſiaſtici, ac celebriores è Schola Theologi, qui cum Eccleſia Romana hic conveniunt, hæc verba de poteſtate ligandi & ſolvendi peccata exponunt, nec extendunt ad liberationem Sacramenti, quo ſubditi ſuis tenentur Principibus; atque ſic recentiores, qui eo uſque extendunt, Profeſſionis Fidei Tridentinæ articulum de interpretatione Scripturarum violare non metuunt, ut ſuam conſtabiliant opinionem. Hæc hactenus notanter Launojus, qui in ſequentibus porro ea examinat Gregorii ſeptimi & Innocentii quarti teſtimonia, quæ opinioni contrariæ videntur inſervire. Meretur hoc argumentum, ut exinde etiam huc aliqua adponantur, ut lectori conſtet, quid de hac objectione ſit ſtatuendum. Gregorii verba huc facientia ex Epiſtola libri octavi viceſima & prima ad Hermannum Epiſcopum Metenſem hæc ſunt, quibus verborum Chriſti

ad Petrum exhibere voluit ſenſum: *Num quid Reges hic ſunt excepti, aut non ſunt de ovibus, quas DEI Filius Petro commiſit? Quis, rogo, in univerſali hac conceſſione ligandi atque ſolvendi à Petri poteſtate excluſum ſe exiſtimat, niſi forte infelix ille, qui regum Dominii portare nolens, Diaboli ſe ſubjicit oneri, in numero ovium Chriſti recuſat eſſe &c.* Et primo quidem, inquit reſpondens Launojus, tota verborum ſeries & contextio, quæ Chriſti ad Petrum verba in hac Epiſtola Gregorii circumſtant, ſeu in ſe conſiderata, ſeu in Eccleſiæ Romanæ ſenſu ſumta, ſolam ligandi & ſolvendi poteſtatem in ligandis & ſolvendis criminibus ſitam, aut, quod idem eſt, eam tandem objiciunt excommunicationem, pœnam videlicet ultimam, quæ à Petri & reliquorum quoque Apoſtolorum Succeſſoribus poſſet infligi. Deinde ſi relata Chriſti ad Petrum verba extendat, quod non facile credendum, ad liberationem Sacramenti, quo ſubditi ſuis obligantur Principibus, talis erit Expoſitio, quæ nec ex Romanæ, nec ex aliarum Eccleſiarum traditione derivatur, ſed potius privata, quæ, quia privato ſpiritui tranſcribitur, corruit & retineri non poteſt. Tum, Gregorio huic Zacharias & Nicolaus primus occurrent. Ille primo Conciliorum Galliæ Tomo in prima ad Bonifacium Epiſtola, ſcribens: *Non aliud convenit nobis prædicare, præter quod à ſanctis Patribus edocti ſumus.* Hic in quinta ad Michaelem Imperatorem Epiſtola ſcribens: *Eccleſia Romana ſancta, Catholica & Apoſtolica, caput omnium Eccleſiarum, ſemper ſanctorum Patrum authoritates ſinceriſſimas in omnibus ſuis actibus ſequitur.* At ſancti Patres Gregorium hunc non edocuerunt, cum ille Henrici Imperatoris hoc nomine quarti ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit, neque in hoc abſolutionis actu ſinceriſſimas Patrum ſanctorum authoritates ſecutus eſt. Quarto, Gregorius ipſemet occurrit ſibi pluribus Epiſtolarum locis. Primus eſt libri primi Epiſtola poſt triceſimam quarta ad remedium, *ubi provocat ad ſanctorum Patrum authoritatem.* At nulla, inquit Launojus, Patrum ſanctorum concedit authoritas, ut Pontifex Romanus ſubditos Principum à juramento fidelitatis eximat. Secundus eſt libri ſecundi Epiſtola quinquageſima ad Sancium, in qua teſtatur, *quod Sedes Apoſtolica numquam ſoleat in Decretis & Conſtitutionibus ſuis à Canonicæ traditionis concordia diſcedere.* At, reſpondet Launojus, in Canonicæ traditionis concordia nihil invenitur, quo vel Regum depoſitio, vel abſolutio Sacramenti, quo ſubditi tenentur Regibus, vindicetur. Tertius eſt ejuſdem libri ſecundi. Epiſtola poſt ſeptuageſimam quinta ad Suerium, *in qua officium Paſtorale in DEI & proximi dilectione, quaſi in fundamento conſiſtere ſcribit.* Non igitur, inquit Launojus in depoſitione Regum, vel in liberatione Sacramenti, quo populus Regi ſuo obſtringitur; quis enim unquam adſeruit, Regum depoſitionem vel ejuſmodi liberationem, veluti fundamentum eſſe, cui Paſtorale officium innititur. Quartus eſt libri quarti Epiſtola ſexta ad Henricum, ubi ſcripſit, *Si quando judicium de negotiis Eccleſiaſticis facimus vel facimus, non nova aut noſtra proferimus, ſed à ſanctis Patribus per Spiritum ſanctum prolata ſequimur & exercemus.* Quod autem, reponit Launojus, erga Henricum Imperatorem præſtitit, novum & inuſitatum fuit, dum nullus Deceſſorum ejus ullum Regem depoſuit, aut illius ſubditos à Sacramento fidelitatis abſolvit. Poſtremo, ſi Gregorius Pontifex hæc Chriſti ad Petrum verba ſic intellexit, ut inde potuerit ſubditos à juramento fidelitatis abſolvere, ſubreptum vel obreptum illi fuit, quod verum eſſe poſſe docuit ipſe libri noni Epiſtola poſt trigeſimam prima ad Haganonem ſcribens: *Multa ſubripi poſſunt nimis ad ſingula intentis, utpote diviſis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus arctamur vehementer; & ſi quid forte fuit ſubreptum, optat magis animus corrigere, quam ab æquitate & tramite rationis deviare, vel aliis corrigenda relinquere.* Neque vero, ita pergit Launojus, in hac tantum Epiſtolæ particula, ſed & pluribus aliis ſequentibus Gregorio Pontifici ſubreptum vel obreptum fuit. *Primo* enim ſcribit: Sancti Patres Eccleſiam Romanam tam in Conciliis generalibus, quam in Scriptis cæteris & geſtis ſuis Matrem adpellaverunt univerſalem. At neque id fecerunt in ſeptem primis univerſalibus Conciliis, nec etiam in ſcriptis ſuis, in qua facti quæſtione

ſolos

ſolos oculos eſſe judices, monet Launojus. *Secundo*, laudat Gregorius Pontifex Julii Papæ ad Orientales Epiſtolam, non quam refert Athanaſius, ſed quam neſcio quis malæ fidei ſcriptor Julio ſubjecit, quod ex Conſulari nota planiſſimum eſt, dum, quibus annis Julius Romanam adminiſtravit Eccleſiam, Felicianus & Maximianus Conſules nunquam comparent ſimul, ac præterea in hac Epiſtola quædam leguntur, quæ in primum Julii annum cadere non poſſunt, inſuper etiam aliqua Epiſtola huic ſunt inſerta, videlicet, quod Sedes Apoſtolica habeat poteſtatem ſingulari privilegio ſibi conceſſam, aperire & claudere januas Regni cœleſtis, quibus voluerit, *fontibus nempe & malis perinde, ut inſontibus & bonis*, quod ſerio unquam ſcripſiſſe Julium, & mente adtenta laudaſſe Gregorium quis crederet? *Tertio*, idem Gregorius profert ex undecimo Gregorii Papæ libro Epiſtolam numero decimam ad Sanctorum, quam vero ſuppoſititiam, vel certe interpolatam eſſe, ſemel atque iterum ſe probatum dediſſe monet Launojus. *Quarto*, in medium edit idem Clementis Epiſtolam ad Jacobum Domini fratrem, quam tamen, inprimis, quia Jacobus multis ante Annis, quam Clemens renuntiaretur Pontifex, eruditos dudum pro apocrypha & ſuppoſititia agnoviſſe & probaſſe, ſcribit Launojus. *Quinto*, Gregorius hoc quoque habet in Epiſtola: Si ſpeciale aliquod de Principum perſonis requiratur exemplum, Innocentius Papæ Arcadium Imperatorem, quia conſenſit, ut Chryſoſtomus à ſua Sede pelleretur, excommunicavit. At, inquit Launojus, Excommunicatio hæc, ſi contigiſſet, memoratu digniſſima, Scriptorum æqualium & ſupparium, quotquot fuerunt, nominatim Idatii, Proſperi, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Palladii, qui vitam Chryſoſtomi edidit, ſilentio obruitur, cum tamen non taceatur Ambroſii cum Theodoſio Eccleſiam Mediolanenſem ingredi voletem poſt cædem Theſſalonicenſium congreſſio, de qua omnes loquuntur. Conficta proinde eſt Innocentii ad Arcadium Epiſtola poſt ætatem Dionyſii, à quo relata fuiſſet in codicem Canonum, ubi complures referuntur Epiſtolæ Innocentii, in quarum non plane nullis de Chryſoſtomo mentionem facit Innocentius. Quis Author fuerit ejus, ſcire non intereſt, ſufficit ſcire, illam eſſe ſubditiam, quamvis Georgius, Alexandrinus qui ſeptimo vixit ſeculo, primus laudator ejus & architectus eſſe credatur, à quo Photius, Glycas, Nicephorus & cæteri eam ut germanam acceperunt & decepti ſunt Præterea, fuerit excommunicatus ab Innocentio Arcadius, vel non, nihil id omnino conduit ad Henrici Imperatoris abdicationem à Gregorio ſuſpectam, vel ad liberationem Sacramenti, quo populos Imperatori obſtringebatur; niſi quis velit idem eſſe, privari Imperio, ac privari communione fidelium, quod perabſurdum eſſet atque perridiculum. *Sexto*, cum Gregorius hic ſeptimus refert, quæ Gregorius Magnus libri quarti Epiſtola poſt trigeſimam prima ad Mauritium ſcripſit, adcurati Relatores leges negligit. Sic autem refert: *Conſtantinus M Imperator, omnium Regum & Principum orbis totius fere Dominus, in ſancta Synodo Nicena poſt omnes Epiſcopos ultimus reſidens, nullam Judicii Sententiam ſuper eos dare præſumſit, ac illos etiam vocans DEOS non ſuo debere judicio ſubeſſe, verum ſe ad illorum pendere arbitrium judicavit.* Gregorius M. autem ſic habet: *Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtorica, quod cum piæ memoriæ Conſtantino Principi adcuſationes contra Principes Epiſcopos oblatæ ſcripto fuiſſent, libellos quidem adcuſationis adceperit, ſed eoſdem, qui fuerant adcuſati, Epiſcopos convocans, in eorum conſpectu libellos, quos adceperat, incenderit, dicens, Vos Dii eſtis à DEO vero conſtituto, ite, & inter vos diſcutite cauſas veſtras, quia dignum non eſt, ut judicemus DEOS.* Non ergo ſcribit Gregorius M uti eam inducit ſcribentem Gregorius ſeptimus, quod docet mutua utriuſque loci collatio. Præterea Gregorius M. non dicit, quo in loco ſederit Conſtantinus Imperator in Synodo Nicena, & ſe dixiſſet, aliter certe dixiſſet, quam Gregorius ſeptimus, nimirum uti Euſebius tradidit libri tertii de Vita Conſtantini capite decimo, ſcribens: *Signo quodam dato, quod Imperatoris introitum indicabat, conſurrexiſſe omnes dicuntur. Imperator deinde tanquam cœleſtis DEI Angelus quidam purpureo & niti-*

nitido Veſtitu, velut clare Luminis fulgore ſplendens, per medium intrat conceſſum. Et poſt alia: *Simul atque ad ſummum Synodi locum pervenit, primum in medio Conventu creatus ſtetit, ac, cum parva quædam Sella ex Auro fabricata illi eſſet poſita, non prius conſedit, quam Epiſcopi id innuiſſent, idemque omnes poſt Imperatorem facilitaruut.* Septimo, Gregorius ſeptimus Decreta Symmachi Papæ hæc exhibet: *Quod de Sede Apoſtolica præliabovimus, in Decretis Symmachi Papæ, licet experimento ſciamus, ſic continetur: Ille, ſcilicet B. Petrus, perennem Meritorum dotem cum hæreditate Innocentiæ miſit ad poſteros.* Et poſt pauca: *Quis ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ Dignitatis adtollit, in quo ſi deſint Bona per Meritum adquiſita, ſufficiunt, quæ à loci deceſſore præſtantur.* Atqui hæc non extant in Symmachi Papæ Decretis, quæ habet Codex vetus Canonum Eccleſiæ Romanæ. *Octava*, Gregorius ſeptimus ſic loquitur de Ambroſio, quod etſi non Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis Theodoſium Imperatorem excommunicans excluſerit ab Eccleſia. At non excluſit ſimpliciter ab Eccleſia, ſed à Mediolanenſi tantum, uſque dum egiſſet de peccato Pœnitentiam. Deinde, non excommunicavit Theodoſium, ut videre ſibi videtur Gregorius, quia non invenit contumacem, ſed talem potius, qui eſſe ſe peccatorem ſentiens, omnem Emendationis ſpem præberet, & admonitionibus Paſtoris locum præberet ampliſſimum. *Nono* denique, Gregorius ſeptimus Ambroſio hæc verba adſcribit à Paſtorali: *Honor & ſublimitas Epiſcopalis adæquari nullis poteſt comparationibus. Hinc, ſi Regum fulgori compares & Principum Diademati, longe erit inferior, quam ſi metallum plumbi ad Auri fulgorem compares; cum videas Regum & Principum colla ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculata eorum dextra, orationibus quoque eorum credant ſe communiri.* At, nullum exaravit Ambroſius librum, qui Paſtorale inſcribitur. Deinde, quæ citat Gregorius ſeptimus, non habentur in aliis Ambroſii operibus. Hæc autem omnia hactenus de Gregorii ſeptimi ad Helmannum Metenſem Epiſtola in diverſis capitibus obſervata palam oſtendunt, Gregorio inter ſcribendum vehementer obreptum vel ſubreptum eſſe, niſi fortaſſis, quod creditu facilius, Gregorii Scriba hanc de ſuo compoſuerit Epiſtolam. Sequitur authoritas Innocentii Pontificis quarti, quam adverſariæ opinionis Patroni ex Sententia contra Fridericum Imperatorem in Concilio Lugdunenſi lata repetunt, hiſce verbis conſtantem: *Privilegium, quod Petro & Succeſſoribus ejus in ipſo tradidit Chriſtus, videlicet*, Quodcunque ligaveris &c. *in quo utique authoritas & poteſtas Eccleſiæ Romanæ conſiſtit, pro viribus diminuere, vel ipſi etiam Eccleſiæ auferre fategit Imperator, ſcribens, ſe Gregorii Pontificis Sententias non vereri, latam ab eo Excommunicationem in ipſum non ſolum contentis Eccleſiæ clavibus non ſervando, verum etiam per ſe ac officiales ſuos & illam & alias Excommunicationis vel Interdicti Sententias, quas idem omnino contemſit, alios non ſervare cogendo*: Et poſt aliqua multa: *Nos itaque ſuper præmiſſis & compluribus ejus exceſſibus nefandis cum fratribus noſtris & Concilio, deliberatione præhabita diligenti, cum Chriſti vices licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in Petri perſona dictum ſit*, Quodcunque ligaveris &c. *Principem memoratum, qui ſe Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit indignum, quique propter iniquitates ſuas à DEO, ne regnet vel imperet, abjectus eſt, ſuis ligatum peccatis & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino oſtendimus & denuntiamus, ac ſententiando privamus, omnes, qui juramento fidelitatis ei tenentur adſtricti, à hujuſmodi juramento in perpetuum abſolventes.* At, ita reſpondet Launojus, in relatis ſemel atque iterum Chriſti ad Petrum verbis duo ſunt advertenda. Primum eſt, quod in iis authoritatem & poteſtatem Eccleſiæ Romanæ Innocentius adfirmat conſiſtere. Credo id, inquit. Sed Eccleſia Romana, Concilia, Patres & Tractatores Eccleſiaſtici illam ligandi & ſolvendi poteſtatem definiunt in criminibus, nec ultra proferunt vel ad Reges Principatibus ſuis abdicandos, vel ad ſubditos Sacramento fidelitatis liberandos; neque in citatione priori videtur Innocentius diſſentire. In poſteriori autem aliter ſe habet, in qua Pontifex Evangelii verba porrigit ad Reges deponen-

Digitized by Google

ponendos & ſubditos à juramento fidelitatis abſolvendos, talia nimirum duo capita, quæ Eccleſiæ Romanæ patrocinio & Patrum ſanctorum ſuffragiis retro Apoſtolos verſus deſtituntur. Hinc fit, ut cavendum ſit maxime, ne verba hæc, *ſuper præmiſſis & pluribus Friderici nefandis exceſſibus cum noſtris fratribus & Concilio, deliberatione præhabita diligenti*, ad Verba Chriſti, *Quodcunque ligaveris &c.* transferantur, ſed ad illud, quod antecedit, ut ipſa Verborum præ ſe fert ſeries & connexio, ad nefandos ſcilicet Imperatoris exceſſus, quorum facta fuerat mentio & declaratio. Neque dubium eſt, quin, ſi veniſſet in deliberationem, utrum Chriſti verba, *Quodcunque ligaveris &c.* ad Reges deponendos & ad ſubditos à juramento fidelitatis abſolvendos extendantur, inventum & judicatum eſſet, non extendi per Eccleſiæ Romanæ, Patrum ſanctorum & illuſtrium à Schola Theologorum traditionem; quo fit, ut Innocentio, qui tam variis Friderici vexationibus occupabatur, obreptum vel ſubreptum eſſe negari vix poſſit; quod confirmatur ex ſimilibus Chriſti ad omnes Apoſtolos verbis capite apud Matthæum decimo & octavo extantibus, (N B. addantur verba fere eadem capite apud Johannem viceſimo) quæ quia Apoſtolis, atque ſic etiam ſucceſſoribus illorum, Epiſcopis dicta ſunt, quis unquam illis ex hoc loco jus Regum deponendorum & ſubditorum fidelitatis eximendorum adtribuit? Paria nimirum ſunt in diverſis Matthæi capitibus verba, ſi pluralem excipias numerum, & parium eſt eadem natura & potentia, nec major ſecundum Leges. Præterea, Innocentius in hac contra Fridericum Sententia Concilium hoc Lugdunenſe nunquam univerſale œcumenicum vel generale nominat, neque id ab eo factum in literis, quibus Archiepiſcopum Senonenſem vocat ad illud, uti & Capitulum Senonenſe, Regem Franciæ, Epiſcopos Angliæ, & Epiſcopum Oſtienſem. An reipſa tale potuerit nominare, pronuntiatu facile non eſt. Cur non adciderit, ratio plauſibilis adferri non poteſt; poteſt autem, cur rebus ita compoſitis addi nequiverit, ſi recepta Concilii univerſalis notio ſit retinenda, atque in hoc rei cardo vertitur. Pontifex quidem ad Concilium hoc vocavit Regem Galliæ, Archiepiſcopum Senonenſem & ejus Capitulum, item Angliæ Epiſcopos & Epiſcopum Oſtienſem; ſed nondum adparuit, eum cæteros Italiæ, Siciliæ, Germaniæ, Arragoniæ, Caſtellæ & Luſitaniæ Antiſtites ad illum vocaſſe. Odoricus certe Rainaldus, Annalium Eccleſiaſticorum Continuator, qui hac in parte Regeſtum Epiſtolarum Innocentii laudat, nullam laudat, qua illi fuerint vocati. Orientales mitto, qui non vocati fuerunt. Quin & Bellarminus Concilium, quod ex quibuſdam Galliæ & Angliæ Epiſcopis ac Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus evaluit, œcumenicum adpellaret, rationem ejus redditurus per ea, quæ ſcripſit libri de Conciliis primi capite poſt decimum ſeptimo, ubi conditiones ad Concilium generale exponit. Et ſi quis dicat, eam ejuſdem Libri capite quinto hoc Concilium Lugdunenſe in numero univerſalium ponere, Palmerii, Platinæ & Onuphrii authoritate, notari debet, eum, quod hic ſcripſerat de Concilio Lugdunenſi, tacite in loco antea citato, ubi conditiones Concilii generalis expoſuit, retractaſſe, cum eæ conditiones ad hoc Concilium Lugdunenſe non quadrent, vel ſecum pugnare; præterea, Platinæ & Palmerio imponere, quorum neuter hujus Concilii tanquam œcumenici meminit, Onuphrium vero fortaſſis eas conditiones, quos Bellarminus requirit, non adtendiſſe, atque ſic Bellarminum ad eas compelli anguſtias, quibus ſe nunquam potuerit vel potuiſſet expedire, fidem quoque quoad Palmerium & Platinam liberaturus nunquam, niſi præterendo, quæ crimen augeat, indiligentiam. Inſuper, Bellarminus alium tractandi modum ſuppeditat, cum ſupra libri de Pontifice Romano quinti capite poſt decimum primo Honorii Papæ cauſam egit, locutus de Synodo ſexta, in qua damnatus legitur, proponens Sententiam Johannis à Turrecremata, docentis, Patres ejus Synodi Honorium damnaſſe quidem, ſed ex informatione falſa, ac proinde in eo erraſſe Judicio. Et quamvis, inquit porro Bellarminus, Concilium generale legitimum non poſſit errare, uti nec erravit hocce ſextum in Fidei dogmatibus definiendis, errare tamen

tamen potest in Quæstionibus de facto. Itaque tuto dici potest, hos Patres deceptos ex falsis Rumoribus & non intellectis Honorii Epistolis immerito Honorium hæreticis connumerasse. Sic, Launojus nunc addit, ad imitationem horum de Concilio Lugdunensi pronuntiare possumus, quamvis id errare non potuerit in definiendis Fidei dogmatibus, quæ Juris est Quæstio, errare tamen potuisse in Quæstione de facto, scilicet in lata contra Imperatorem Sententia, atque sic tuto dicere, Patres Concilii, cum Imperatorem abdicarunt dignitate propria, & subditos à juramento fidelitatis absolverunt, fuisse deceptos Evangelii verbis, per antiquam Ecclesiæ Romanæ & Patrum sanctorum traditionem non intellectis. Sed, quod mirum, erroris hoc genus confirmatur ex hujus Scripturæ Interpretibus & Theologis, qui post Concilium floruerunt, siquidem omnes vel pene omnes hæc Scripturæ verba in ligandis & solvendis, criminibus determinarunt, & nulli, vel pauci ad jus Regum deponendorum & subditorum à juramento fidelitatis eximendorum protraxere, quod planum ante est factum. Atque hic est tractandi & disputandi modus, quem Turrecremata & Bellarminus, ambo Cardinales ultro nobis objiciunt. Quin etiam multo facilius fuit, veram Epistolarum Honorii, quam verborum Evangelii intelligentiam adsequi. Nimirum, Epistolæ erant tantum duæ, quæ una volvi sæpius ac revolvi potuerunt hora, atque ad sensum per naturam rerum & vocum omnium inter se junctarum intentum & commeantem deduci. Replicandæ autem fuerunt Ecclesiæ Romanæ Pontificum & Cardinalium Epistolæ & Scripta fere innumerabilia, replicandi sanctorum Patrum, Tractatorum & illustrium & Schola Theologorum Commentarii, ut genuinus verborum Evangelii sensus perquireretur & adsereretur; ad quod opus, uti par est, exequendum insumendi dies & Menses toti fuissent, nec pauci. Rem ipsam quod attinet, hanc demum ita circumscribimus, ut nullus calumniæ locus merito possit patere; quippe in Synodo Florentina non solum definita est Pontificis Romani potestas, sed ejus etiam exercendæ fines ac limites præscripti sunt, atque sic aditus ad omnem intercluſus manet usurpationem, eam videlicet, quæ jus regum deponendorum & subditorum à juramento fidelitatis eximendorum posset prætexere, utpote cujus nulla plane in Synodo hac mentio fuit facta, non omissa tamen provocatione ad gesta Conciliorum generalium & sacros Canones. His autem ita constitutis, nec spreta Ecclesiæ Gallicanæ circa Synodum Florentinam deliberatione, si verba Christi ad Petrum, *Quodcunque ligaveris &c.* in gestis Conciliorum universalium & sacris Canonibus eo usque extendantur, ut jus Regum deponendorum & subditorum à sacramento fidelitatis eximendorum coerceant, id salvo meliori judicio retinendum esse videtur, & sic Synodus Florentina latam ab Innocentio in Concilio Lugdunensi sententiam contra Fridericum Imperatorem emendasse censeri debet, dum posterior Synodus derogat priori.

Additio.

HUic tractationi de potestate Pontificis Romani in temporalibus ante, quam specialia quædam Exempla à Bellarmino hanc in rem proposita subjiciantur. Examini à Launojo, juvat interserere quædam è prolixo ejusdem Tractatu de *Regia in Matrimonium potestate*, vel de jure Seculari Principum Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus, utpote in quo Bellarminum inprimis præter alios hoc ipsum jus Ecclesiæ & ordini Ecclesiastico adscribentes sibi sumsit impugnandum, quod factum ab eo in primæ Partis ac Articuli ejus secundi capite octavo, ubi ex professo disputavit contra Bellarmini caput in primo de Sacramento Matrimonii *libro* tricesimum & secundum, non indignus, qui Lectori hic etiam sistatur. Summa capitis est, *Causas matrimoniales ad Ecclesiæ judicium pertinere.* Ut vero viam expeditiorem suis

Ad-

Digitized by Google

Adſertionibus ſternat Bellarminus, à diviſione cauſarum Matrimonialium orditur, quæ ſic habet: *Catholici diſtinguunt de cauſis matrimonialibus. Quædam enim ſunt omnino politicæ*, uti, *de dotibus, Succeſſionibus, hæreditatibus &c. Quædam ſunt omnino ſpirituales*, uti, *de partibus Sacramenti, Benedictione ſacerdotali* &c. *Quædam ſunt partim Politicæ, partim Spirituales*, uti, *de gradibus Cognationis, Divortiis, impedimentis. Quatenus enim contractus Matrimonii naturalis eſt, materia eſt Politiæ; quatenus (vero) idem contractus eſt fundamentum Sacramenti & res Conſcientiæ ſpiritualis eſt.* Sed, ita Launojus cenſet, inprimis excedit in eo Bellarminus, cum, quæjus eſt diviſio, eam tribuit Catholicis. Vix enim apud antiquiores Bellarmino Theologos eam reperias; imo, cur reperiretur, nihil fuit opinor. Nimirum, ex Synodo Tridentina Bellarminus (non) cœpit hujus diviſionis argumentum, ubi de cauſis Matrimonialibus Canone eſt editus revera indefinitus, atque ab aliis quibuſdam non probe acceptus. De hoc Canone Launojus egit capite tertio antecedente, ex quo ad meliorem rei totius intelligentiam huc pertinentia debent repeti. Decretum Synodi ita ſonat: *Si quis dixerit, cauſas Matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Ad illud, quia Juri Regio poterat oppoſitum videri, varie reſpondet Launojus. Primo, inquit, in his verbis nihil eſſe, quo jus ſtatuendorum Matrimonii impedimentorum Chriſtianis aut infidelibus (etiam) Regibus adimatur, quod vel unicum, ſed diſertis expreſſum verbis quærimus, nec (tamen) invenimus. Sed, quæ conſecratio hæc: Ex Synodo Tridentina cauſæ Matrimoniales ſpectant ad Judices Eccleſiaſticos; ergo hoc Concilium vel Eccleſia, ut ajunt, Principes Chriſtianos illa ſpoliavit poteſtate, quam & communis opinio Doctorum & ipſi Pontifices adeo neceſſarium in Principibus exiſtimarunt. Provocat hic Launojus ad eorum teſtimonia, quæ prolixius in Parte prima Lectoribus exhibuit. Secundo reſpondet ex Adamo Tannero, Johanne Sothaello & Horatio Lucio, hoc Canone Tridentino non plus definiri, ſed idem, quod in aliis, quorum hi faciunt expreſſam mentionem, de quibus itidem in antecedentibus oſtendit, quod nihil omnino contra Regiam Poteſtatem in Matrimonium definierint! Et certe, addit Launojus, in Synodo Tridentina de abroganda Principibus authoritate ſanciendi leges Matrimonium dirimentes nulla propoſitio, nulla (quoque) Conſultatio eſt habita, quod obſervaſſe, ductam ex hoc Canone objectionem diluiſſe eſt. Tertio, ex Bellarmino & aliis cauſas Matrimoniales in tria genera dividentibus ſequi, hoc Canone nihil eſſe definitum definite, cum (ipſi) cauſas quaſdam Matrimoniales ad Magiſtratum Politicum concedunt pertinere, de quibus tamen Judices Eccleſiaſticos alios indicaſſe Libri Decretalium docent; quo fit, ut, data libertate cauſas Matrimoniales in diverſa partiendi genera, alius poterit eas in duo tantum genera diſtribuere, politicas ſcilicet atque ſpirituales. Illæ ſunt, quæ ad diſponendum contractus Matrimonialis valorem concurrunt, quæque ſemper eſſent eædem, tametſi nulla Sacramenti ratio huic contractui ſupperadderetur, cujuſmodi ſunt cauſæ, quæ ad impedimenta dirimentia, dotes, ſucceſſiones & hæreditates ſpectant. Hæ autem, quæ vel ad Matrimonium, qua Sacramentum eſt, pertinent, (quod Launojus ex recepta inter ſuos hypotheſi loquitur) vel quæ ex Legum ad contrahendum inſtitutarum violatione ſequuntur. Peccata ſiquidem, quæ ex Legibus (mere) civilibus violatis emergunt, in foro Conſcientiæ Judices ſpectant Eccleſiaſticos, quorum eſt eo in foro pro tali genere peccatorum imponere Pœnitentiam, &, ſi neceſſum eſt, communione Sacramentorum privare. Atqui hæc duo genera cauſarum ſpiritualium ad Tribunal ſpectant Eccleſiaſticum. De his vero cauſis Matrimonialibus, non de aliis Canonem eſſe intelligendum, ipſa rei natura, & rerum, quæ ad Fidem pertinent, definiendarum conditio declarant. Poſt hæc urget Launojus contra Bellarmini diviſionem, eam non eſſe legitimam. Cauſæ ſiquidem Matrimoniales tertii generis non-niſi ex accidenti ſunt ſpirituales, puta, quæ ad impedimenta jure humano ſancita pertinent, cum hæc aliquando non fuerint, at-

que Matrimonium fuerit verum & legitimum in ratione contractus Politici, & in ratione Sacramenti. Deinde, primi generis causæ non minus sunt Spirituales atque Sacramentales, quam causæ generis tertii, cum Matrimonium inditumque ei Sacramentum sequantur, illæ autem, quæ pertinent ad impedimenta, antecedant. Hac vero supposita causarum Matrimonialium divisione, quæ à divisionis bonæ legibus deficit, ita concludit Bellarminus: ***Causas primi generis non negamus ad Politicum Magistratum pertinere.*** Hic à Principibus reverendæ sunt Bellarmino gratiæ, quod istud propter Bonitatem suam negat minime; nam si negaret, continuo, cur id faciat, optimas suppeditaret rationes. Hinc labori suo pepercit, inde curandis Regum seu Magistratuum politicorum opportunitatibus censuit indulgendum. Sed pergit, scribens: ***Causas secundi generis nemo potest negare ad solam Ecclesiam pertinere.*** Dicendum fuisset rectius, inquit Launojus, ad solum Sacerdotium, quam, ad solam Ecclesiam pertinere, ut ita Sacerdotium à Regno seu Magistratibus distingueretur. Nam Ecclesia Christianos & Catholicos Principes & Magistratus publicos in sua Definitione continet, sive communem ab initio Religionis veræ apud Patres, Synodos, Pontifices Romanos & Theologos illustriores definitionem, quæ est fidelium seu Catholicorum congregatio, sive privatam Bellarmini & ejus sequacium consideres. Sed pergit Bellarminus: ***Causas tertii generis dicimus ad Magistratum Politicum posse pertinere, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum, simpliciter autem eas ad Principem Ecclesiasticum pertinere.*** Verum Bellarminus juxta censuram Launoii hic contra divisionem suam in tertio causarum genere concludit; causæ enim tertii generis, cum sint partim Politicæ, partim spirituales, pertinent quoque partim ad Magistratum Politicum, partim ad Ecclesiasticum. Qui vero sic agit, uti hæc Bellarminus, non sincere, sed fraudulenter agit. Deinde causas primi generis in hoc solum vult differre à causis tertii generis, quod illæ ad Magistratum Politicum simpliciter pertineant quidem, hæ autem possint pertinere, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum. Verum hæc assertio nulla est, cum & propter peccata, quæ in dijudicandis causis primi generis possunt admitti, & propter ultimi finis subordinationem causæ primi generis non minus, quam tertii cum tali subordinatione pertineant ad Magistratum Sacerdotalem, atque sic Propositio hæc universim sumta laborat ambiguo sensu. Quod si vero per hanc subordinationem Bellarminus intelligat factam ab Ecclesia concessionem, repugnabit Petrus à Soto, qui vere affirmateque dicit, Leges civiles in causis Matrimonialibus, & potissimum in Impedimentis ex Pietate (certe) & voluntate Principum Ecclesiæ cessisse, ut nullum jam Matrimonium censeatur illegitimum, quod Ecclesia non judicat tale. Repugnabit Catharinus, qui pronuntiat intrepide, Principes posse circa Matrimonium tanquam circa suam & non alienam materiam suis Legibus providere, quidquid non est contra Legem DEI & Naturæ. Hi vero Theologi duo interfuerunt Synodo Tridentinæ, cui Bellarminus non interfuit. Repugnabit autem porro etiam Okamus, qui profitetur, ad Imperatorem, quantum ad illa, de quibus Sacræ non loquuntur literæ, causam pertinere Matrimonialem. Repugnabunt itidem omnes Theologi, quotquot dixere, vel Gregorium M. vel Alexandrum secundum, vel Innocentium tertium, vel Honorium tertium Principibus publicis jus statuendorum Matrimonii impedimentorum adcurisse; quamdiu enim in eorum Sententia non fuit ademtum, tamdiu ad illos simpliciter pertinuit. Enimvero, qua ratione Bellarminus causas primi generis ad Magistratum Politicum simpliciter pertinere probat, eadem & nos probamus causas tertii generis ad eundem simpliciter pertinere. Ea hæc est, ***quia quotidie intra Ecclesiam Catholicam coram Judice Seculari causæ hæ aguntur.*** Nos dicimus, quia eædem olim quotidie coram Judice seculari agebantur, de quo testantur omnes Matrimonii leges ab Imperatoribus conditæ, & Judicia à Magistratibus Politicis, quoad leges Romanæ viguerunt, exercita, item Codices Theodosii & Justiniani, quin & formulæ Cassiodori, quibus usi sunt Reges, cum de prohibitis

Con-

Digitized by Google

Conſobrinorum gradibus & impedimentis diſpenſarunt. Cæterum, Bellarminus Eccleſiam commemorans Catholicam ludit, dum eam mox pro ſolo Sacerdotio, ut ſupra jam fuit obſervatum, nunc autem pro fidelium ſeu Catholicorum cœtu accipit. At vero hic modus tractandi non vacat captione, ſed ab ea cavendum eſt. Dum inſuper tertiam adſertionem in duas diſtribuit partes, obſervari debet, quod primam ejus partem non probaverit, quæ tamen ob ſui gravitatem probanda omnino videbatur. Periti ſiquidem & cordati eſt Theologi, nihil adfirmare ſine vera probatione. Timuit forte, uti par erat, ne primæ Partis argumenta Principiorum nimirum haverent, aut partem ſecundam deſtruerent. Nam in me recipio, ſcribit Launojus, Bellarminum partem ſecundam his funditus everſurum eſſe rationum momentis, quibus ad plenum & perfectum pars prima adſeretur. Quæ enim in Bellarmini propoſitione adparet diviſio, vera non eſt, cum non ſit in membra oppoſita; atque ſic pars prima vere non poteſt adſtrui, quin ſecunda deſtruatur. Diviſio hæc igitur nihil eſt aliud, quam captio quædam miſera, nec ſatis ingenioſa cavillatio. Secundam partem ſequentibus confirmat rationibus. Prima eſt ex Canone Tridentino ſupra citato. At, cum hoc Canone non magis altera pars adſertionis, quam prima probetur, videat Bellarminus, quid definite ex eo probetur. Condonandum eſt illi, quod in hac propoſitione peccavit. Interim ſi legiſſet Canonem Africanum, qui in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ eſt numero & ordine poſt centeſimum ſecundus, eam correxiſſet, atque ſic adornaſſet: Si Princeps ſecularis poteſt Epiſcopis Africanis judicibus de Matrimonio jam contracto non diſſolvendo legem ferre ſimpliciter, multo magis poterit de Matrimonio adhuc contrahendo legem ſimpliciter & ſine ulla ſubordinatione ad Magiſtratum Eccleſiaſticum ferre, niſi forſan, ut Antiſtitum id poſtulantium votis obſecundet. Ratio ſecunda ſic habet: *Matrimonium eſt Eccleſiæ Sacramentum; ergo cauſæ Matrimoniales tertii generis ſpectant ad Judices Eccleſiaſticos.* Launojus reſpondet, Theologos, quorum teſtimonia in antecedentibus copioſe ſatis adduxit, hanc negare conſecutionem, illudque argumentum à Dominico Soto *cavillum* adpellari. De jure Principum vero cavillari non videtur æquum. Deinde, ex illo antecedente non minus recte concluderetur, ergo cauſæ Matrimoniales primi generis ſpectant ad Judices Eccleſiaſticos; cum ſic à non diſtributo ad diſtributum concluderetur, quemadmodum in argumento Bellarmini concluditur. Ubique autem ſunt fallaciæ. Nullam certe hic rationem reperio Theologicam, quæ, uti gravitas materiæ poſtulat, è Scriptura & derivata ab initio Eccleſiæ traditione depromatur; vitioſam potius reperio argumentationem, & nihil præterea. Tertia ratio hæc eſt: *Apud Chriſtianos non ſeparatur contractus Matrimonii legitimus à Sacramento Matrimonii*, cum omnis contractus Matrimonii ſit legitimus hoc ipſo ſit Sacramentum Matrimonii. Ergo judicare, an contractus aliquis Matrimonii ſit legitimus, eſt judicare, an ille contractus ſit Sacramentum? Sed de Sacramentis judicare ſpectat ad Eccleſiam, *igitur & de tali contractu judicare ſpectat ad Eccleſiam.* Launojus reſpondet, hanc inprimis ratiocinationem vitio Syllogiſmi pſeudographi laborare. Etenim in antecedente, quod inter Theologos eſt dubium, ſupponitur pro comperto, contractum ſcilicet Matrimonii inter Chriſtianos non ſeparari à Sacramento Matrimonii. At ſeparari adfirmant omnes illi, qui non contrahentes, ſed Presbyterum faciunt hujus Sacramenti Miniſtrum, nec in parvo numero, nec pretio, nominatim Guiſielmus Pariſienſis, Jodocus Clichtoveus, Johannes Gropperus cum Patribus Synodi Colonienſis, Synodus Cameracenſis, Melchior Canus, Edmundus Augerius, Johannes Benedictus, Guilielmus Eſtius, Franciſcus Sylvius: Johannes Scribonius, qui expreſſe teſtatur, non Bellarmini, ſed Cani potius opinionem eſſe communem, ſcribentis, opinionem contrariam eſſe falſam & commentitiam, quamque Tridentini juniores confixerint, ut civilem hunc humanum contractum Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum eſſe tuerentur. Præterea hoc ipſum adfirmant, qui, cum à contrahentibus

tibus abeſt neceſſaria Sacramenti conficiendi intentio. Matrimonium valere quidem dicunt in ratione contractus, non autem in ratione, quod hic adtenditur, Sacramenti. Ad horum opinionem uti probabiliorem & judice Rebello communiorem adcedit Baſilius Pontius. Quod cum ita ſit, iniquo certe ferendum eſt animo, Bellarminum hujus diſceptationis Hiſtoriam ignoraſſe, vel potius diſſimulaſſe. Sed ignorantia vel diſſimulatio nocere non debet Veritati. Quod autem conſequens adtinet, illud antecedente collapſo, neceſſarium eſt, ut quoque concidat. Verum, quia pleraque tam ad ſacerdotium, quam ad regnum ſpectantia involvat, in eo diutius paulo hærendum eſt, ut iis, quæ ſunt involuta, explicatis adpareat, quæ ſint Sacerdotii, quæ vero ſint regni. Ergo conſevuens involurum, quia duplex eſt, debet explicari. Unum eſt ejuſmodi: ***Ergo judicare, an aliquis Matrimonii contractus ſit legitimus, eſt judicare, an ille contractus ſit Sacramentum.*** Hic Bellarminus à duobus diverſis ac diſtinctis, unam facit propoſitionem. Aliud eſt judicare, an aliquis Matrimonii contractus ſit legitimus; an aliquis contractus jam legitime factus ſit Sacramentum, aut potius materia Sacramenti. Sicuti aliud eſt judicare, an aliquis liquor ſit aqua naturalis; aliud, an liquor, qui aqua naturalis judicatur, ſit à Chriſto ad Sacramenti dignitatem evectus. Porro autem, quod in Sacramento poſterius eſt, Sacramenti nempe dignitas, & quæ ad eam pertinent, quia ad judices ſpectat Eccleſiaſticos, prius quoque ad eoſdem ſpectare concludit Bellarminus; qua in re alii plerique aut fallunt, aut falluntur. Quaſi vero ejuſmodi fallaciis Eccleſia Chriſti indigeret. Nam judicare, an contractus Matrimonii ſit legitimus, cum judicare ſit, illi vel huic convenire vel non convenire legitimam Matrimonii definitionem, quod nimirum Inſtitutione legali vel moribus Provinciæ contrahitur, iſtud judicii genus ad Magiſtratum pertinet politicum. Quemadmodum namque è legibus ſcriptis oritur, ut ait Imperator, ut alii ſint filii naturales, alii autem legitimi; ſic ex iiſdem legibus ortum eſt, ut alius eſſet contractus Matrimonii legitimus, alius vero illegitimus. Et quamvis ad Eccleſiam, qua ſocietas eſt Clericorum, pertinet judicare, an aqua naturalis ſit materia Baptiſmi, tamen ad eam non pertinet judicare, utrum hic liquor, de quo, an ſit aqua, dubitaretur, aqua naturalis eſſet nec ne; cum ad Phyſicorum potius tunc judicium, quam Sacerdotum illa dubitatio remitteretur. Alterum conſequens illud eſt: ***De Sacramentis judicare ſpectat ad Eccleſiam, igitur & de tali contractu judicare ſpectat ad Eccleſiam.*** Dicere noluit, quod tamen dicere debuit, (ſi mentem ſuam rite voluit exprimere) ad Eccleſiam, quam ipſe definivit, quia nempe Eccleſia ab illo definite, includit Magiſtratus ſeculares Chriſtianos. Sic à non diſtributo ad diſtributum optime concluditur. Scilicet! Res ita poteſt explicari. In rebus ad hanc quæſtionem pertinentibus judicium duplex requiritur integrum & perfectum, unum civile, alterum vero Eccleſiaſticum. Hoc ut intelligatur, ſciendum eſt, ad judicium perfectum requiri duo, & ſatis eſſe, nimirum diſcutiendi facultatem & judicandi poteſtatem ſignificandi ſubditis judicatum. Ad Magiſtratus autem ſeculares pertinet judicium contractus Matrimonialis, num ſcilicet juſtis Principum legibus, quas de contrahendo ſanxerunt, conſentiat vel repugnet, ut, ſi conſentiat, validum, ſi repugnet, invalidum pronuntient. Sic conſequenter de rebus aliis, quæ Matrimonium in ratione veri validique contractus ſupponunt, quæque contractum tanquam proprietates quædam naturales ſequantur. Ad Eccleſiaſticos vero judices pertinet Matrimonium, quatenus eſt Sacramentum; debent quippe judicare, an inter infideles æque ac Chriſtianos ſit Sacramentum, an producat gratiam, quo in ſtatu Conjuges eſſe debeant, ut congruentem huic Sacramenta gratiam conſequantur, utrum idem ſit à Chriſto inſtitutus Sacramenti miniſter, qui contractus civilis ſit necne, utrum contractus civilis legitime factus ſit evectus ad honorem Sacramenti novæ legis, & cæteræ ejuſmodi egregiæ cumprimis hominibus Eccleſiaſticis dignæ Quæſtiones & judicia, quæ à Magiſtratibus politicis attentari nefas eſſet. Cæterum duo hæc judiciorum genera, quorum illud, nimirum civile neceſſario antecedit Eccleſiaſticum, ab Hincmaro & Epiſcopis

ſcopis Galliæ depinguntur graphice in cauſa non diſſimili, uti legitur apud Hincmarum in opuſculi, quod de divortio Regis Lotharii compoſuit, Interrogatione quinta, ubi hæc extant: *Fœmina quædam genere non ignobilis, de quibuſdam inhoneſtis inter ſe & virum proclamavit ad Imperatorem publice, quam Imperator deſtinavit ad Synodum ut inde auctoritas Epiſcopalis decerneret, qui eſſet agendum. Sed generalitas Epiſcoporum ad judicium laicorum & conjugatorum remiſit eam, ut ipſi inter illam & conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant vel eſſent cogniti, id eſt, propriam haberent cognitionem, & legibus ſeculi ſufficientiſſime præditi, eorumque judiciis legalibus Fœmina ſe ſubjiceret, & quod de quæſtione decreviſſent, ſine repetitione teneret. Si vero crimen aliquod eſſet, inde modum pœnitentiæ poſt illorum judicium ab auctoritate Epiſcopali depoſceret, ſecundum quod Canones præfixerunt, ei imponere non negarent. Nobilibus autem Laicis placuit diſcretio Sacerdotalis, quia de ſuis Conjugibus eis non tollebatur judicium, nec ab ordine Sacerdotali legibus civilibus inferebatur præjudicium, & legem proclamationi fœminæ protulerunt, ac judicio legali terminum contulerunt quæſtioni.* Exemplum hoc eſt illuſtriſſimum, quo Galliarum Antiſtites & quæ ſua, & quæ aliena ſunt, declararunt. Certe, ſi Bellarminus veterem hanc Antiſtitum Gallicanorum diſciplinam vidiſſet, ſine dubio placita ſua aliter diſtinxiſſet ac variaſſet. Sed miror, cur ea non viderit, quæ geſta ſunt in Synodo Tridentina, cum de Matrimoniis clandeſtinis reſcindendis ageretur; nam ſi vidiſſet, multa, quæ dixit, non dixiſſet. Ibi, cum variæ à Doctoribus fieri poſſe declararetur, ecce, *Camillus Campegius*, Dominicanus eam invenit & propoſuit, quæ pluribus arriſit, non mutari videlicet Sacramentum, etiamſi quis efficiat, ut, quod Sacramenti eſt materia, deſinat eſſe Sacramenti materia; qui autem contractum Matrimonii civilem ſuſtulerit, perſonas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo dixit effecturum, ut contractus Matrimonii non poſſit amplius ſupereſſe Sacramenti materiæ, non ſecus, ac ſi quis efficeret, ut, qui liquor vera eſt aqua, aqua deſinat eſſe, non mutaturum eſſe dixit Baptiſmi materiam, ſed effecturum duntaxat, ut, quæ nunc aqua ſufficit ad baptiſmum, ad eundem poſtea non ſufficiat, vel potius idonea ſit. Campegio autem, cui difficultates omnes facile ſolventi adplaudebatur à quampluribus reclamavit *Antonius Soliſius*, non quod Campegii vera non eſſet ſpeculatio, ſed quod eam ad inſtitutum adplicari non conveniret, quia contractus ejuſmodi ſic nullos & irritos facere pertineret ad Magiſtratus ſeculares. Quare, inquiebat, cavendum erat diligentiſſime, ne, dum Eccleſiæ (elicere voluit, Sacerdotio) facultatem reſcindendi Matrimonia clandeſtina vellent concedere, eam poteſtati ſeculari permitterent & adſererent. Hæc in Synodi Tridentinæ Hiſtoria habet Paulus *Paulus Servita*, cui Pallavicinus quia non contradixit, circa eum narraſſe credendum eſt. Sed, quid ſecutum eſt? Inventus à Campegio reſcindendi Matrimonia clandeſtina modus placuit omnino Patribus Tridentinis, iis inſuper habitiis, quæ Soliſius contra Campegianæ ſpeculationis uſum diſſeruerat. Patres nimirum Tridentini, cum, uti adparet, voluerunt frequentibus Conjugii clandeſtini malis abſolute & ſimpliciter occurrere, dignitati ſacerdotali ſatis ſe crediderunt perſpicere, ſi jure Principum intermedio occurrerent; intelligentes, Sacerdotium non eſſe gratia ſui, ſed ſalutis fidelium, cui à Sacerdotibus non habito ad ullam ſui propriam opportunitatem reſpectu ſit providendum. (O utinam hoc ſemper fuiſſet obſervatum ab iis!) Quo factum eſt, ut Patres iidem, cum non alius efficacior reſcindendi Conjugii clandeſtini modus potuerit inveniri, eum, qui à Campegio inventus & propoſitus fuit, ſint amplexi, etiamſi contractus Matrimonialis reſciſſionem Magiſtratibus Politicis ſubjiceret. Noverant quippe Principes & Magiſtratus ſeculares computari inter nobiliores Eccleſiæ partes, quæ in fidelium ſeu Catholicorum cœtu conſiſtit veriſſime, in quo frater à fratre adjuvatur, & Eccleſia corpus unum eſt, in quo multa ſunt membra, quæ eundem non habent actum, ac unum facit membrum, quod alterum non facit, & nihilo tamen minus id corpus totum facere dicitur & intelligitur. Hæc omnia ſi Bellarminus adtendiſſet, minus ſince-

ram diſputandi & tam varie diſtinguendi rationem prætermiſiſſet, magis æquabilem inter regnum & Sacerdotium ſervaturus diſtributionem. Sequitur quarta ratio Bellarmini: *Etſi miſi Matrimonium non eſſet Sacramentum, tamen, quia res eſt Conſcientiæ, ex Legibus Divinis pendens, ad Paſtorem animarum ſine dubio pertineret, quemadmodum Quæſtiones de Cambiis, cenſibus, aliiſque contractibus, in quibus interdum abſcinduntur uſuræ, ab Eccleſia judicantur. Ergo, ſic enim concludi debet, cauſæ Matrimoniales tertii generis pertinent ad Judices Eccleſiaſticos.* Launojus reſpondet, Argumentum hoc à jure Poli ad jus fori migrare, quod genus fallaciæ Viro tam ſincero, qualis haberi voluit Bellarminus, eſt indignum. Quamobrem licet Sacerdotes vel Paſtores animarum judicent de peccatis, quæ in omnibus his contractibus committuntantur, illorum tamen non eſt, Cambiorum, cenſuum aut aliorum contractuum Leges inſtituere, neque de natura illorum cognoſcere. An autem ſic ratiocinentur Epiſcopi apud Hincmarum, videat Bellarminus, qui & inſuper cauſas Matrimoniales primi generis ad Magiſtratum ſecularem pertinere ſimpliciter adſerit, quamvis in iis perinde, ac in Cambiis & cenſibus fraudes & peccata poſſint latere. Author nimirum hic, ubi cum Dialecticorum Legibus non pugnat, ſecum pugnat, atque ſic egregium eſt ſpectaculum, in quo certamen Andabatarum repræſentat. Porro, quinta Ratio petitur ab eo ex praxi totius Eccleſiæ. Sic autem ſcribit Bellarminus: *Ipſemet Chriſtus cauſam* de Divortio & Repudio non remiſit ad Magiſtratum Politicum, ſed ipſe judicavit, apud Matthæum capite quinto & poſt decimum nono. Deinde Paulus prioris ad Corinthios capite ſeptimo cauſam Conjugii inter fidelem & infidelem ſimiliter cognovit, nec eam *ad Magiſtratum rejicit*. Launojus reſpondet primo, illa, quæ Chriſtus fecit & Paulus docuit, ad praxin totius Eccleſiæ referenda non eſſe. Deinde, ſi quis ea expendat ſerio, nihil cum cauſis Matrimonialibus tertii generis commune ea habere. Denique, deductam exinde conſecutionem nulla unquam Eccleſiæ traditione iri confirmatum. Subjungit vero Bellarminus: *Plena ſunt Conciliæ* & Pontificum Reſcripta legibus & Sententiis in cauſas Matrimonii, ſiquidem ex Epiſtolis Decretalibus poteſt cognoſci; & ſemper fuit in Eccleſia hæc conſuetudo, ut de ejuſmodi non Reges, ſed *Pontifices conſulerentur*. Launojus iterum reſpondet, argumento hoc non alium, quam ipſummet Bellarminum offendi, cum plena ſint Imperatoribus Reſcripta Legibus & Sententiis in cauſas Matrimoniales, quæ ab eo primi generis dicuntur, quales ſunt de Dotibus, Succeſſionibus, hæreditatibus, donationibus inter Virum & Uxorem, alitque. Atqui de his cauſis differens Bellarminus ſic concludit: *Cauſas Matrimoniales primi generis non negamus ad Magiſtratum ſecularem ſimpliciter pertinere.* Quonam igitur pacto expoſitum à Bellarmino diſcrimen inter cauſas Matrimoniales primi & ſecundi generis, uti vocat, reperiemus in Praxi, cum Magiſtratus Eccleſiaſticos de utriuſque videamus indicaſſe? Ex Bellarmini profecto & ſequacium adſertionibus ſic aliquis poteſt apud ſe ratiocinari: Video ex una parte plena eſſe Pontificum Reſponſa Legibus & Sententiis in cauſas Matrimonii, quæ à Bellarmino & aliis quibuſdam vocantur primi generis; ex altera reperio Bellarminum in eundem & alios adſerere, quod hæ cauſæ primi generis ad Magiſtratum ſecularem pertineant ſimpliciter, ac *quod eadem poteſtas ad Tribunalia duo diverſa æque immediate & proprie non poſſit ſpectare*, prouti docet Bellarminus ejuſdem libri capite poſt viceſimum primo. Inde colligo, Pontifices de cauſis Matrimonialibus primi generis indicaſſe vel per liberam partium ſubjectionem atque compromiſſum, vel per tacitam Principum ceſſionem, vel denique per uſurpatam in eas cauſas juriſdictionem. Cæterum, hæc collectio cum ſit conſentanea plane, ſibi nimirum, qua ex praxi concludam, cauſas Matrimoniales tertii generis aliter pertinere ad Pontifices: Sic autem Bellarminus inſtat porro: *Cur non potius ad homines doctos, quam ad Pontifices iſtæ referebantur cauſæ, ſi conſultoris Sapientia, non Judicis authoritas quæratur in Sacerdo-*

tibus;

tibus ? At hinc interrogationi, ſcribit Launojus, non Bellarmino minus, quam nobis neceſſario reſpondendum eſt. Matrimoniales enim cauſæ, quæ ab illo primi generis adpellantur, ad Pontifices aliquando ſunt relatæ, ad quos tamen pertinere ſimpliciter non poſſe adſerit, *cum eadem res ad Tribunalia duo diverſa nequeat æque immediate pertinere*, ita docente Bellarmino. Bellatminus vero oculos, vel quis alius nomine & loco ejus, flectat, ſi lubet, in titulum de Donationibus inter Virum & Uxorem, in Adpendice Concilii Lateranenſis tertii, ac ejuſdem capite ſeptimo, ubi Pontifex de Succeſſionibus, Reſtitutione natalium, aliiſque id genus infinitis decernit; & quæ huic interrogationi dabitur reſponſio, eadem ſuis reddetur authoribus. Si tamen ego, ſcribit porro Launojus, cogerer primus reſpondere, non tamen reſponderem, ſed efficerem, ut Pontifices reſponderent. Expendamus igitur, num in Reſcriptis Pontificum Sapientia conſultoris, an Judicis authoritas quæratur; atque ob rem eam conſulamus ibi Lemma de Sponſalibus, atque de Matrimonio contracto. Inde poſtquam aliquot Reſponſiones, in loco proprio commodius, quam hic legendas, adduxit Launojus, ſic pergit: Dicet nunc quis, ex his Reſponſionibus omnino liquere, qua ratione ad Pontifices plerumque ſit itum, & utrum Conſultationibus illis reſpondentes conſultorum vel Judicum perſonam ſuſtinuerint? Sed cum alia loquendi forma ſint uſi, aperi nobis, quid ſentiendum. Optime. Id enim eſſe tibi ſentiendum reſpondeo, quod Bellarminus reſponderet eſſe ſentiendum, ſi quæreres ex eo, cur in cauſis plane civilibus ita loquatur Pontifex ibidem, pronuntians: *Mandamus, quatenus veritate cognita Matrimonium inter ... celebratum præcipias inviolabiliter obſervari, & proles earundem denunties eſſe legitimas.* Conſideret hic Bellarminus, quid reſpondeat quærenti, num Pontifex conſultoris, an Judicis perſonam ſuſtineat. Si perſonam conſultoris Pontificem ſuſtinere reſpondet, id ipſum eſt, quod in argumento negat, & quod hoc tamen loco ex ſuis reſpondere debet principiis, cum de cauſis Matrimonialibus primi generis reſpondeat Papa, quas ad Magiſtratum civilem ſimpliciter pertinere adſerit Bellarminus. Si vero perſonam Judicis Pontificem ſuſtinere reſpondet, contra ſemet ipſum reſpondet, cum in cauſis Matrimonialibus primi generis, quæ ex ſe non ſunt Fori Eccleſiaſtici, judicet Pontifex. Rurſus dicet quis: Nolo tecum amplius de re ea certare, ſed doce me, cur hæ cauſæ potius ad Pontifices, quam ad homines doctos fuerint delatæ? Vellem tibi utique ex Sententia Bellarmini reſpondere, qui hac interrogatione ſua & tua modo conſtringitur. Sed illius vel alterius reſponſionem præſtolatus dico primum, tuam & Bellarmini interrogationem id ſupponere, quod in Pontificibus vitio & crimine vix vacaret, eos nimirum haud eſſe Viros doctrina & Eruditione præſtantes, cum inter homines doctos & Pontifices diſtinguas, inter quos diſtinguendum non eſſe Paulus jubet & Sacri Canones. Quod cum noviſſet adprime Gregorius Pontifex hoc nomine decimus & tertius, literarum Studia nunquam intermittebat, etſi gravibus curis diſtentus, illaque non ſemel ex ore ejus Sententia eſt audita, nullum magis decere, plura ſcire, quam Pontificem Romanum, uti ſcribit Dominicus Tempeſta, Romanus in vita ejus. Deinde, non improbabiliter dici poſſe, id eam ob cauſam eſſe factum, quod facilior adſenſus detur iis, qui ſummam cum doctrina pari tenent poteſtatem. Adde quod ſummo Pontifici fere ſemper adhærerent peritiſſimi quique Doctores, quorum opera & ſtudio in ſuis reſponſionibus & Synodis utebantur. Ita Launojus contra Bellarminum, ut Poteſtatem Regium in Matrimonium vel Jus Principum Secularium Chriſtianorum in ſanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus tueatur. Eadem methodo uſus eſt in proxime ſequentibus contra Pontium, Hurtadum & Dianam, quin etiam contra Henricum Caniſium, Juris utriuſque quondam in Academia Ingolſtadienſi Profeſſorem, quorum argumenta itidem prolixiſſime examinat eundem in finem. Conſultum vero non videtur, hæc omnia producere, quod forte non abſque nauſea Lectoris fieret, ac Examen Anti-Bellarminianum hac quidem vice ſpecimenis loco adductum poſſit ſufficere.

Op-

Oppoſuit autem huic Tractatui Launojano bienhio poſt ejus Editionem Apologema Romæ *Dominicus Gelaſius*, Rubenſini Epiſcopus, olim Conſultor Sacræ Congregationis-Judicis, & in Univerſitate ibidem Sacrorum Canonum Profeſſor. pro Poteſtate Eccleſiaſtica in Matrimonium, ac, uti Titulus præ ſe fert, pro vetuſtiſſima, univerſaliſſima & Catholica doctrina de Jure Eccleſiæ in Legibus ſanciendis Matrimonium fidelium impedientibus & dirimentibus, nec non in ipſis diſpenſandi, in hac ipſa Inſcriptione Launoii doctrinam vocans ſingularem, novam, improbabilem & omnium Conciliorum œcumenicorum Decretis ſacriſque Canonibus repugnantem. Forte & hic liber in paucorum manus venit, adeoque non præter rem erit, in gratiam Lectoris innocenter curioſi ea hic excerpere, quæ ad defendenda Bellarmini argumenta produxit in medium, ut ex mutua collitione Ignis antiquæ & Evangelicæ Veritatis oculos ingenuæ mentis candidatorum illuſtret. In anteceſſum vero notandum venit, Romanum hunc Profeſſorem hyperbolico nimis Elogio Bellarmini argumenta vocare *oracula*, qualia non eſſe, Launojus in Examine rigoroſo ſufficienter oſtendit. De cætero mirum videtur non immerito, quod, dum Launojus ſcripſit, Bellarminum à Synodo Tridentina propoſitæ Diviſionis inter cauſas Matrimoniales mere politicas, mere ſpirituales & ex utriſque mixtas vel compoſitas argumentum deſumſiſſe, non obſervaverit, deeſſe particulam (non) in contextu, quam ſupra ſupplevi ex neceſſitate. Nam qui potuiſſet alias Launojus rite Bellarminum adcuſare, novam eſſe hanc diviſionem, ac omni authoritate Doctorum carere, ſi Decretum Synodi Tridentinæ loco fundamenti habuiſſet. Oportet ſuperficiarium valde hunc Conſultorum ac Librorum Cenſorem fuiſſe, qui Sphalmata Typothetarum, quæ ex ipſa lectione adcurata poſſunt obſervari & corrigi, non adtendit, atque ſic mentem Authoris omnino pervertit. Provoco hic ad Lectoris æqui judicium, annon hæc particulæ Sententiæ & Cenſuræ Launoji, quam Diviſioni Bellarminianæ oppoſuit, neceſſario ſit inſerenda, ut verus & integer pateat ejusdem ſenſus? Nec eſſe dignum eſt, quod porro in laudes Bellarmini hic ſcripſit, *non eſſe inter Doctores Catholicos, qui Bellarminum non agnoſcet Virum ſuper eruditiſſimos Sapientiſſimum, ipſumque non fatetur fuiſſe flagellum hæreticorum, evidenter id demonſtrantibus Liberariis laboribus, quibus figmenta & artes Novatorum enervaverit, Machinas proſtraverit, impiaque ipſorum Scelera adperuerit.* Solus enim labor hic Launojanus in paucis quibuſdam Controverſiis ſatis ſuperque docet, quid de cæteris prudenter ſit expectandum, ſi Examine ſimili eſſent diſcutiendæ. *Vincentius* certe *Baronius*, Scriptor ordinis Prædicatorum, in opere Apologetico adverſus *Rainaudum* & alios meminit libri cujuſdam Memorialis, quem Cardinalis *Bentivolus* ediderit, in eo commemorans, quod ex ore Cardinalis *Perronii*, exceperit, judicantis, quod *Bellarminum argumenta Adverſariorum protulerit factiora, quam apud ſuos extent Authores*, teſtantis inſuper, *cum in Hiſpania prohibitum, quod ab ejus lectione aliquid mali timerent Catholicis, quia validiſſimis Adverſariorum argumentis ſolutiones dederit debiliores.* Hoc idem alibi Launojus quoque ex authoritate Baronii adduxit, quod certe cum Galeſii Parentatione convenit minime. Adcedit, viros adhuc Bellarmino non defuiſſe ex Romano-Catholicis, qui in quibuſdam Controverſiis maſcule ſe eidem oppoſuerunt. Quas in Controverſia Reipublicæ Venetorum adverſus Paulum hoc nomine quintum Pontificem una cum Baronio habuerit Antimachos, è Scriptis conſtat, quæ Goldaſtus fide bona operi Monarchico inſeruit. Sic eodem tempore in Anglia expertus eſt Antagoniſtam valde rigidum, nomine *Rogerum Widdringtonum*, qui ſe Catholicum Anglum vocavit, ac nomine Romanenſium in Anglia tum temporis viventium ad eundem Pontificem edidit Diſputationem Theologicam de Juramento Fidelitatis, potiſſimaque Bellarmini, uti & Gretſeri, Leſſii, Becani aliorumque contra illud argumenta adcurate diſcuſſit. Imo, evolvantur Scripta Scholaſticorum poſt ejus obitum in lucem publicam edita, & plura occurrent documenta, à quibus erit manifeſtum, quam egre-

gie

Digitized by Google

gie non raro hic Moloſſus à propriis ſuis catellis fuerit adlatratus. Nec hodie etiam inter recentiores deſunt exempla eorum, qui hinc inde Bellarmini diſputationes vellicare non deſiſtunt. Hos inter non ita quidem Romæ prodiit *Raimundus Capiſcenus*, ab aliquo tempore Palatii Apoſtolici Magiſter, nunc purpura ob ſingularia in Eccleſiam merita donatus, qui in Controverſiis celebrioribus præter alios Scholæ Doctores Bellarminum quoque in materia de cultu Imaginum examini rigoroſiſſimo ſubjecit, quod ſi obſervaſſet, Galeſius, ſine dubio à nimia Bellarmini commendatione abſtinuiſſet, utpote indebita plane ac valde ſuſpecta, quæque non immerito riſum, vel potius ſeriam indignationem lectori rerum perito poteſt movere. Sit autem ita, fuerit Bellarminus *Flagellum hæreticorum*, quos vocant, ſed eo ſenſu, quo antehac Hunnorum Rex vel tyrannus Attila flagellum Chriſtianorum ipſe ſe eſſe profeſſus eſt; utut hoc flagellum ab hæreticis, quibus peccatum erat, ita jam DEI gratia ſit diſſolutum, ut nullus ab eo, tanquam ſcopis vere diſſolutis, ſuper amplius ſit metus Sed pergamus, viſuri, quid ad diviſionem Bellarmini contra Launoji cenſuram pro viribus defendendam produxerit Epiſcopus. Nempe, dum Launojus ſcribit, Principes Chriſtianos Bellarmino gratias debere, quod cauſas quaſdam Matrimoniales tanquàm mere civiles eorum Foro ceſſerit, *hi oxie* (vide lector, ſi vacat, hanc rudem ironiam) id ſcriptum cavillatur. At, non jocari tantum hic voluiſſe Launojum, ſed ſimul etiam ſerio hoc negotium tractare, patet exinde, quia ſibi rem eſſe ſcivit cum homine, qui jus Pontificium ſupra jus omne Politicum auſus eſt extollere, in hac præſertim Controverſia innixus Decreto Synodi Tridentinæ, quod ſine omni diſtinctione, & quidem ſub anathematis fulmine (quamvis bruto) cauſas Matrimoniales ad judices traxit Eccleſiaſticos. Hinc non potuit non Launojus nomine Principum ſecularium Bellarmino debitas adſcribere grates, quod ex liberalitate ſingulari ejus aliquas adhuc cauſas reliquit in Foro tantum ſeculari decidendas. Quod vero cauſas adtinet, quas Bellarminus dixit eſſe tantum ſpirituales, atque ſic judicavit ad ſolam pertinere Eccleſiam, non male cenſuit Launojus, dicendum rectius fuiſſe, ad ſolum eas pertinere Sacerdotium, idque propter receptam ab antiquo definitionem Eccleſiæ, quæ cum dicatur eſſe *Congregatio fidelium*, Principes Chriſtianos omnino etiam referri debere ad eam cenſuit, niſi quis eos numero fidelium velit excludere per ſummum nefas. Galeſius hanc vocat *criſin*, ſed ſenſu minus critico, quia hanc vocem in vitio habet, quæ prudentum judicio inter ſcriptoris præſertim Polemici laudes refertur quadam hic Epiſcopus-Conſultor caret, conſultius fuiſſet abſtinere à Launoji ſcriptoris judicioſiſſimi impugnatione, quam judicii defectum in omnibus fere libri paginis tam crepiter prodere. Egregium hujus rei ſpecimen præbet in hoc examine ſecundi generis cauſarum Matrimonialium, quod Bellarminus dixit ad ſolam pertinere Eccleſiam, Launojus autem prudenter cenſuit, ex hypotheſi Bellarmini rectius dicendum fuiſſe, illud ad ſolum pertinere Sacerdotium. *Quænam*, inquit Galeſius, *eſt differentia inter Eccleſiam & Sacerdotium?* Si hoc neſcit, indignus eſt officio Profeſſoris, Conſultoris & Epiſcopi, quem Tyrones in Logica poſſent informare, eam eſſe juxta definitionem ſupra laudatam inter Eccleſiam & Sacerdotium ex omnium qualicunque etiam judicio præditorum conſenſu differentiam, quæ eſt inter totum & unam ejus partem, adeoque quæ prædicantur de toto, non poſſe ſimili modo tantum de una ejus parte cum excluſione cæterarum prædicari. Auget hoc abſurdum diſputator paradoxus, quod negare quidem non audet, Principes Chriſtianos in definitione Eccleſiæ (*perinde* ſcilicet, ac Sacerdotes) contineri, & tamen ſicut nullam agnoſcit differentiam inter Eccleſiam & Sacerdotium, ita eam tueri ſatagit inter Sacerdotium & Magiſtratum. Nam (loquor ad hominem) ſi nulla eſt differentia inter totum & unam ejus partem, (maneamus enim intra terminos ab ipſo diſputatore inepto poſitos) qualem prudenter fingere poterit inter ipſaſmet partes totius? Et quamvis ſtatuat cum Bellarmino, ante quem nullus id ſuit auſus, Eccleſiam, quæ dicitur eſſe congregatio

fidelium, uni (tantum) capiti, Pontifici Romano, non Christo, quod Paulus quondam docuit esse subordinatam, adeoque sicut in corpore humano Caput, ita etiam in Ecclesia Pontificem Romanum esse membrum inter omnia præcipuum, necdum tamen procedit negotium, quia nunquam est auditum, ut pro toto corpore intelligatur caput, estque mera petitio principii, qua cunctæ disputationes modernorum pro Monarchia Papali turgent, *Pontificem principaliter gerere Ecclesiam universalem*, quod nulli veterum Ecclesiæ Doctorum venit in mentem, nec etiam venire potuit, dum laudatus modo Paulus ipsemet diligenter Christum tanquam Caput ab ipso Ecclesiæ corpore distinguat, nec usquam legatur Christus ipsam repræsentare Ecclesiam vel ejus membra, nisi in persecutione Saulitica, quorsum Paulus idem alicubi etiam respexit, quæ consideratio tamen huc quadrat minime. Cadit hinc illatio, qua Crisin Launoji studuit eludere, scribens, Congregationem fidelium non prædicari de Principe laico, uti de capite ejusdem, sed uti membro in spiritualibus Pontifici tanquam Capiti subordinato, dum prior pars ejus per se quidem est extra dubium, posterior autem supponitur adhuc demonstranda, etsi ponat eam inter argumenta Veritatis Catholicæ infallibilia, de quibus tamen antiquis Ecclesiæ Doctoribus ne quidem per somnum quidquam venit in mentem. Progredimur nunc ad genus tertium causarum Matrimonialium, quas dum Bellarminus fatetur esse mixtas, & scribit, eas *posse* ad Magistratum pertinere, sed cum subordinatione ad Judicem Ecclesiasticum, ad quem simpliciter pertineant, Launojus iterum non præter rem statuit, Bellarminum hic minus sincere, sed fraudulenter, imo etiam adversus semetipsum ac propriam divisionem & diversam partium ejus rationem egisse, primum genus quidem mere Politicis, secundum vero spiritualibus adscribens Judicibus simpliciter, in quo videlicet utriusque consistat differentia, de tertio etiam largiatur ultro, id esse ex duobus mixtum, hoc subintellecto, quod ideo pertineat ad mixtum quoque Forum, & nihilo tamen minus scribat expresse, *simpliciter*, illud ad Forum pertinere, Ecclesiasticum, & non nisi cum subordinatione *posse* pertinere ad Magistratum civilem, id est, uti Episcopus mentem Bellarmini declarat, posse Magistratum aliquid disponere in gradibus Cognationis; divortiis & Impedimentis juxta distinctionem & declarationem ab Ecclesia factam, nimirum quatenus ille contractus non egrediatur terminos materiæ civilis, dum *simpliciter* loquendo causæ tertii generis etiam pertinent ad Principem Ecclesiasticum, quia quando inter Catholicos dicitur Matrimonium, simul dicitur Sacramentum. At, quidquid dicat hic Promachus Bellarmini, manet, exque adductis adhuc magis manifestum est, minus sincere ac fraudulenter Bellarminum causas tertii generis cum causis primi & secundi generis confudisse, harum cuivis simplicem respectum ad certum quoddam Forum vel Judicem adscribendo, & dum illas ad mixtum debuit referre, iterum contra expressam propriæ divisionis rationem simplicem respectum Judici (non proprie Principi) Ecclesiastico deferens, ea ductus causa, quia Matrimonium apud Catholicos sit Sacramentum, (quod Launojus non vocavit in dubium) quamvis simul agnovit, habere illud etiam *terminos materiæ civilis*; quo certe respectu non potest tantum, sed omnino debet etiam referri ad Judicem Politicum, neque id juxta declarationem ab Ecclesia factam, quæ terminos suæ jurisdictionis non egreditur? sed quatenus regulis contractum politicorum in talibus controversiis standum est. Potissimam Launoji rationem adversus confusam disputationis Bellarminianæ methodum, qua offendit, eundem esse respectum primi generis causarum cum causis tertii generis, si argumentum Bellarmini valeat, prætermittit *Galesius*, quia, quod responderet, non fuit in promtu. Eodem silentii velo tegere potuisset testimonia *Soti & Cathrini*, ad quæ Launojus provocavit, quia eidem eripere nequivit: Non *Soti*, cujus verba huc quam maxime pertinentia reliquit omnino intacta, scilicet, quamvis nullum jam (non olim) Matrimonium censeatur illegitimum, quod tale non judicat Ecclesia, id tamen non fieri jure, multo minus antiquo, sed *ex Pietate*, & (mera) *voluntate Principum*, quod satis

ſatis eſſe potuit ad demonſtrandum, per Subordinationem, cujus mentionem fecit Bellarminus, non intelligi debere factam ab Eccleſia conceſſionem, quaſi, quidquid Magiſtratus civilis agit in cauſis Matrimonialibus, agat, ex indultu Eccleſiæ, cum potius Principes ceſſerint jure ſuo, quorſum Launojus hic reſpexit. Non etiam *Catharini*, cujus verba adeo ſunt clara, nimirum Principes circa Matrimonium tanquam circa ſuam & non (quam negandi particulam, neſcio, an fraudulenter omiſerit Conſultor, num vero id incuriæ Typographi ſit imputandum) alienam materiam ſuis Legibus providere, ut nulla omnino ratione potuerint obfuſcari. Neque *Okami*, qui dum ſcripſit, ad Imperatorem pertinere cauſam Matrimonialem, quantum ad ea, de quibus Sacræ non loquuntur Literæ, divitionem Bellarmini quoad genera duo priora adprobavit, inſinuans ſimul genus tertium ex utroque mixtum, ſed Senſu ſano, non Bellarminiano vel Galeſiniano intellectum. Turpiter vero iterum Judicii defectum prodit Conſultor Romanus, quando ab hac Limitatione Doctorum, quatenus præter jus Imperatoris in cauſis Matrimonialibus præſertim adtendi volunt Jus Divinum tam Naturale, quam politivum in Sacro Bibliorum Codice revelatum, anſam non ſumit, ſed imprudenter arripit invehendi contra Principes politicos, poteſtatem ſibi vindicantes in rem ſacram, cum hæc ſint diſparata, & Logicorum pueri de ſimilibus ſoleant pronuntiare, hoc eſſe argumentari, vel potius argutari à baculo ad angulum, & controverſiæ ſtatum omnino evertere. Minime enim juxta Sententiam *Okami & Catharini*, Principes politici poſſunt argui, quod poteſtatem indebitam ſibi vindicent in rem ſacram, quando verſantur *circa rem ſuam*, & quæ ad eos ex omnium conſenſu pertinent. Non loquor de invaſione Tyrannica & μεταχειρισμῷ ejus quædam Exempla etiam in Sacris leguntur Pandectis, ſed ſemper cum præſenti pœna per DEI Vindicis manum inflicta; nec inficias eo, talia hodiernum hic & ibi occurrere, quæ quamvis ad tempus manent impunita, experiuntur tamen ſuo tempore & loco vindicem DEI oculum. Verum hæc Inſtituto præſenti non conveniunt, quando Magiſtratus ſecularis verſatur circa Matrimonium tanquam contractum civilem juxta primum genus Bellarmini, ac intra terminos materiæ civilis ſecundum Galeſii explicationem, adeoque dici non poteſt falcem ſuam immittere in Meſſem alienam, providus circa rem ſuam, & quæ ad Munus ſuum pertinet quam maxime, uti *Catharinus & Okamus*, prudenter ſunt locuti, quorum uti & *Soti* mentem in laudatis à Launojo teſtimoniis Conſultor non adtendit, aut fraudulenter itidem diſſimulavit; quod etiam ab eo factum, quando prætermiſit omnino mentionem à Launojo factam Theologorum, qui de Pontificibus quibuſdam Romanis expreſſe ſunt teſtati, eos Principibus politicis jus ſtatuendorum Matrimonii impedimentorum *ademiſſe*, ex quo Launojus legitime deduxit, tamdiu jus illud ad Principes politicos pertinuiſſe, quamdiu id illis non fuit ademtum à Pontificibus Romanis, vel, uti *Petrus à Soto* rem ſtilo mitiori explicavit, uſque dum Principes ex Pietate ſingulari (nili forte etiam aliqua Superſtitio interceſſit) & libera Voluntate (ne Eccleſia cum Politia, & hæc cum illa periculoſe collideretur) Eccleſiæ id *aſſerunt*. Sic etiam non habuit in theſauro Eruditionis Profeſſoriæ, quod opponeret adplicationi cauſæ vel rationis, quam Bellarminus primo generi adpoſuit, Launojus vero ad tertium quoque genus certo cum reſpectu referri poſſe oſtendit. Ut autem porro tertii generis brevem Anatomiam à Launojo inſtitutam ponderemus, ac contra Cenſorem iniquiſſimum & ſimul vaniſſimum defendamus, verum eſt omnino, Bellarminum hujus tertii generis vel Propoſitionis partem primam non probaſſe aliqua ratio vel argumento; non quod opus non fuerit in re omnibus perſpicua & extra dubitationis aleam poſita, ſed, quod Launojus non obſcure ſubodoratus eſt, quia Bellarminus prævidit, primæ partis probationem parti ſecundæ vel poſteriori noxiam fore, perutilem è contrario. Juri Principum politicarum, quod Bellarminus ſi non omnino deſtruendum, ad minimum valde diminuendum eſſe putavit, Ju-

iis Pontificii defenſor acerrimus. Quod adtinet probationem Partis ſecundæ vel poſterioris, dum Bellarminus provocavit *primo* ad Decretum Synodi Tridentinæ diro Anathemate munitum, bene monuit, Launojus, illud non tam ad ſecundum, quam potius ad primam Propoſitionis Bellarminianæ partem pertinere. Addo, Patres Tridentinos in hoc Canone non ſine cauſa ſingulari abſtinuiſſe particula tantum excluſiva, ne crabrones irritarent inter Politicos, ſi illos in univerſum ab omnibus cauſis Matrimonialibus excluſiſſent, ipſomet agnoſcente Bellarmino, *quotidie intra Eccleſiam Catholicam haſce cauſas agi coram Judice ſeculari.* Quod vero omiſſum fuit à Patribus Tridentinis, Judicum Eccleſiaſticorum tantummodo, nullam vero Politicorum mentionem in Decreto facientibus, prudenter ſuo Canoni inſeruerunt Patres quondam Africani, quam Bellarmino oppoſuit Launojus, Sacrorum Canonum Profeſſore novum ſpecimen inſulſiſſimæ abſurditatis Lectoribus præbente, quando id factum eſſe nugatur, non quaſi Patres Africani authoritate Legum Imperialium indegiſſent, ſed ut *pœna civilis timore* Decretum legis Eccleſiaſticæ in poſterum ad obſervantiam redigeretur. Si cum pueris vel idiotis judicio omni deſtitutis rem habuiſſet *Galeſius* ipſe puer vel idiota, in ſe ſuſcipiens officium judicandi de re ſibi incognita, inſtar cæci judicantis de coloribus, vel ad exemplum Sutoris ultra crepidam judicii terminos ſuperciliose extendentis, poſſet ejus imprudentiæ adſcribi. At Epiſcopum & Conſultorem contra Virum omni ex parte eruditiſſimum publice ac coram orbe Erudito & in facie Eccleſiæ tam viliter nugari, & quidem cum permiſſu & privilegio Superiorum, inque Urbe Roma, quæ Sedes quondam fuit omnigenæ Eruditionis, hodie etiam pro Sanctitatis Sede vult communiter haberi, videtur eſſe res omnino intolerabilis, quæque non niſi turpem maculam inurit iis, quorum nutu & indultu hæc talia prodeunt in lucem publicam. Nempe provocant Africani Patres in Decreto ad cauſam Matrimonialem pertinente ad Legis Imperii iteratam promulgationem; at hoc factum eſſe, perſuaſum vult eruditis hic Canonum ſacrorum Profeſſor; quorum ipſe nondum percepit ſenſum, non quaſi ejuſdem authoritate opus habuiſſent, ſed pœnæ civilis tantum timore. Idem eſt, ac ſi quis diceret, *Galeſium* Juri Regio circa Matrimonium, quod Launojus defendit acerrime, Jus Eccleſiaſticum circa id ipſum oppoſuiſſe, non quaſi Eccleſia ejus authoritate vel ſcriptione opus habuerit, ſed ut Launojus timeat, atque in poſterum ad obſervantiam Eccleſiæ debitam, utpote filius ejuſdem redigatur, & poſthac a tali Scriptionis genere, quod Romanis videtur injurioſum, abſtineat. Hæc nimirum eſt illa Criſis, ſubqua Launojo fuit ſuccumbendum. Miſeros vero Patres Africanos, omneſque quondam Eccleſiæ Doctores & Epiſcopos, quibus ſollicita incubuit circa, ut junctis cum Magiſtratu ſeculari manibus Diſciplina & Eccleſiaſtica & civilis intra terminos boni ordinis conſervaretur per Decreta & Canones Synodicos, ſi non alios bonæ Mentis & legitimi ſenſus interpretes habebunt, quam hic Profeſſor Romanus ſe hoc ſpecimine ſtitit, indignum Cathedra & inidoneum plane, cui Munus tam grave in publico committatur. Non fruſtra hoc dici vel ſcribi, multo minus in contentum Authoris, qui ſemet ipſum contemtui nugis infantilibus expoſuit Lectori, teſtabuntur porro ſequentia. Dum namque Bellarminus poſteriorem ſuæ Propoſitionis partem de ſimplici & abſoluto cauſarum Matrimonialium mixti etiam generis ad Principem Eccleſiaſticum reſpectu hac ratione *ſecunda* ſtuduit confirmare, quia Matrimonium ſit Eccleſiæ Sacramentum, ac præter id, quod Launojus dixit, Theologos à ſe laudatos hanc non admittere conſequentiam, quin & inſuper Dominicum a Soto hoc argumentum vocare *cavillum*, hoc etiam notanter obſervavit, pari ratione cauſas Matrimoniales tertii primi generis dici poſſe ſimpliciter referre debere ad Principem Eccleſiaſticum, *Galeſius* ad hanc inſtantiam reſponſurus relabitur infantili modo ad Quæſtionem, an Matrimonium tanquam contractus (civilis) legitimus inter Chriſtianos ſeparari poſſit à Sacramento, & quis ſit ordinarius ejuſdem Miniſter, ſtatuens, ante Synodum Tridentinam

ad

Digitized by Google

ad eſſentiam hujus Sacramenti præſentiam Presbyteri non fuiſſe neceſſariam, adeoque cauſam hujus Sacramenti Miniſterialem poſt Synodum Tridentinam variare, quæ tamen omnia ad præſens Inſtitutum pertinent minime, niſi quod nova hac diſputatione gladium præbet, quo jugulum ejus petatur, ac una cum Bellarmino penitus confodiatur. Nam ſi ex mente Bellarmini cauſæ Matrimoniales mixti generis ſimpliciter requirunt Judicem Eccleſiaſticum, *quia Matrimonium eſt Eccleſiæ Sacramentum*, ex mente Galeſii etiam cædem requirunt quoque Judicem Politicum, quia Matrimonium ex omnium conſenſu eſt contractus civilis, & talis, quidem, qui à Sacramento inter Chriſtianos juxta ejuſdem Galeſii Sententiam non poteſt ſeparari, quamvis agnoſcere cogatur, plures eſſe Doctores Scholæ, qui docent contrarium, quos ipſe tamen, qua pollet judicii acrimonia, in errore verſari exiſtimat, ſimul ſtatuens, quod exinde elicitur, Matrimonium inter non Chriſtianos eſſe contractum minime legitimum, quam vero controverſiam una cum antecedente de Miniſtro hujus Sacramenti nunc meam non facio, præſertim quia de utraque actum eſt antehac & nuper modo in *Vindiciis tum Antithomiſticis*, *tum Auguſtinianis*, ac utrobique Fratres Cadmei inter ſe fuere commiſſi. Sequitur Reſponſum Launoii ad *Bellarmini* rationem, quod partim conſiſtit in oſtenſione ἀσυναξίας Bellarminianæ, partim in duplicis Exempli adductione, quorum prius ex Hincmaro, poſterius ex Hiſtoria Synodi Tridentiſiæ deſumtum eſt. ἀσυναξίαν ſuo prætermiſit pede hyperaſpiſtes Bellarminianus, diantem ſuum in luto erroris hærere prætermittens. Cæterum, quod Paulo Servitæ non contradixerit Pallavicinus, quod narrationem de Matrimoniis Clandeſtinis per Magiſtratum ſecularem reſcindendis, agnoſcere quidem detrectavit Conſultor, ſed contrarium demonſtrare non potuit, uti omnino debuit, ſi Antagoniſtam criminis falſi voluit convincere. In Hiſtoria autem, quam Hincmarus recenſuit, aliquid inveniſſe ſibi viſus eſt, quod aliquatenus videtur ad rem pertinere, nimirum, quod Imperator cauſam Matrimonialem, quam fœmina quædam detulit ad eum, ad Synodum Epiſcopalem remiſit. Verum in eo ſimul erravit Doctor Canonum, quod Remiſſionem ab Epiſcopis ad Tribunal Laicorum & conjugatorum factam putat ideo, quia non fuerit cauſa Matrimonialis. Nam ſi ſeriem Narrationis expendamus rite, alio plane ratio hujus Remiſſionis indicabitur. Refert nempe Hiſtoricus, fœminam ad Imperatorem proclamaſſe de *quibuſdam inter ſe & virum inhoneſtis*; qui quia ad aures ſuas Voto Caſtitatis obligatas minus pertinere indicarunt tum temporis Epiſcopi Galliarum, ad Tribunal *conjugatorum* prudenter remiſerunt, tanquam ad eos, qui de rebus hiſce melius, quam cœlibes poſſent judicium ferre. Hodie, inprimis poſt quam *Thomæ Sanchezii* ſpiſſum opus de Matrimonio cum aliis hiſce ſimilibus non ſemel prodiit in Lucem, & quidem ſub Elogio, tanquam & Confeſſariis & cauſarum Matrimonialium Judicibus Eccleſiaſticis perquam utile & neceſſarium, non opus eſt amplius, ut Remiſſio fiat ad Tribunal conjugatorum, cum ipſimet Judices Eccleſiaſtici in talibus cauſis adeo ſunt, ut palmam Laicis facile poſſint præripere, ad minimum facere aliquatenus dubiam, inprimis ſi Theoriæ adjungatur Praxis vel Experientia, quæ in Sententia Judicem facere poteſt certiorem. Quæ porro ad *quartam* Bellarmini rationem reſpondit Launojus, ſine Vindiciis reliquit, adeoque adhuc ſtant firma. Eo prolixior autem fuit poſtmodum in defendenda Bellarmini ratione *quinta*, quamvis ubi plurimum ſe commovit, parum promoviſſe videtur, utut non plane vel omnino nihil, quod in gratiam Veritatis venit agnoſcendum. Antequam vero id oſtendatur, præmitti debet neceſſario, prudenter Galeſium diſſimulaſſe factum à Bellarmino diſcrimen inter Pontifices & homines doctos, quod Launojus vitio non carere notavit, futurum nempe *Galeſium*, quia ſine riſu vix potuiſſet hanc differentiam vindicare. De cætero, non multum promovit, provocans ad Conciliorum & Pontificum Romanorum Decreta ad cauſas Matrimoniales pertinentia, quia Launojus contra Bellarminum ſimul provocavit ad Conſtitutiones Imperato-

rum Chriſtianorum circa eaſdem cauſas ſollicite occupatorum, unde nimirum conſequitur, eandem utrobique rationem eſſe. Non tamen plane nihil profecit, exempla Chriſti & Pauli de iiſdem cauſis agentium à Bellarmino producta defendens contra nimia liberum & temerarium Launoji pronuntiatum reſpondentis, ea ad totius Eccleſiæ praxim non pertinere, quod ab eo in gratiam Theſeos de jure Regio ad defendendum ſemel ſuſcepto ex nimio erga eandem zelo, atque ſic ex præjudicio & opinione ſemel imbibita profectum eſſe credi debet, cujus plura in docto alias & illuſtri ſcripto hoc proſtant documenta. Nam quod Coronidis & quaſi alicujus *Interventimis* loco jam monendum eſt, Evangelici, uti in pleriſque fidei capitibus & controverſiis, ita quoque in hac quæſtione inter ſcyllam & charybdin, id eſt, Launojum & Bellarminum à Galeſio defenſum media incedunt via, atque hoc jus Matrimoniale nec mere politicum, nec mere Eccleſiaſticum, ſed ex utroque mixtum eſſe ſtatuunt, uti poſthac inter alios egregie deduxit *Johannes Gerhardus*, Theologorum Confeſſionis Auguſtanæ poſt *Lutherum & Chemnitium* facile Choragus, in locis, uti vocat, Theologicis, quod idem docuerunt, qui peculiares de Conjugio libros ediderunt, nominatim *Menzerus & Tarnovius*, quibus veniunt adjungendi *Havermannus & Weberus*, quorum ille de jure Epiſcopali, hic autem de jure Conſiſtoriorum ſcripſit, quorum opera dum *Abaſverus Pritſchius*, Jureconſultorum hodie Chriſtianiſſimus, non ita pridem juri Eccleſiaſtico ex variis Authoribus collecto inſeruit, ſimul adprobavit, ac eorum ſententiam de cauſis Matrimonialibus mixti generis ad Forum Conſiſtoriale è perſonis Politicis & Eccleſiaſticis conſtans pertinentibus ſuam omnino fecit, quod nuper quoque factum à *Johanne Bruvemanno*, Jureconſulto itidem nominis Celeberrimi, in Tractatu poſthumo ejuſdem argumenti, videlicet de jure Eccleſiaſtico, poſt obitum publicato, quibus jure ſuo venit adcenſendus *Theodorus Reinkingius*, cujus celebre opus de Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico, ad quod ipſe in Politia, quam inſcripſit, Biblia non ſemel provocavit, in plerorumque eruditorum verſatur manibus; ut adeo, quicunque ex ordine Politicorum & Jureconſultorum Statui Eccleſiaſtico minus propitiorum de facto jus Matrimoniale in caſibus mixtis ad ſe tantum trahunt, Theologis plane excluſis, nihil aliud faciant, quam ut expulſa per Lutherum & Fides ejuſdem Paraſtatas παπισμεία per vim reintroducant & Eccleſiæ tyrannico more obtrudant κατεξουσία atque ſic fideles Eccleſiæ cives ab uno liberati jugo alterum non multo levius, ſi non certo quodam modo gravius nunc ferre cogantur, è carbonaria incidentes in calcariam, DEO hujus αυτοδικίας poſthac vindice futuro.

Bellarminus *ibid. cap.* 8.

EAdem de poteſtate Pontificis Romani in temporalibus Theſin exemplis confirmaturus, poſt duo priora è V. T. deſumta, tertium eſſe voluit Ambroſii, de eo obſervans, quod cum Epiſcopus eſſet Mediolanenſis, ac proinde paſtor & Pater ſpiritualis Theodoſii Imperatoris, qui Mediolani Sedem ſuam ordinarie tenuerit, primum excommunicaverit eum propter cædem, quam Theſſalonicæ à militibus fieri imperaverat, deinde præceperit ei, ut legem ferret, ne ſententiæ latæ de cæde vel bonorum publicatione eſſent ratæ, niſi poſt triginta dies ad eorum pronuntiatione, ut nimirum, ſi quid per iracundiam præcipitanter dictaſſet, intra tot dierum ſpatium poſſet revocare, teſte Theodoreto quinti Hiſtiarum libri capite poſt decimum ſeptimo. Atqui, inquit Bellarminus, non potuit Ambroſius excommunicare Theodoſium propter illam cædem, niſi prius cauſam cognoviſſet atque dijudicaſſet, licet criminalis eſſet, atque ad Forum pertineret externum. Non potuit autem cognoſcere & dijudicare cauſam ejuſmodi, niſi in externo etiam Foro legitimus Judex Theodoſii fuiſſet. Præterea, Imperatorem cogere ad Politicam Legem ferendam, & formam Legis ei præſcribere, an-

ennen oſtendit manifeſte, Epiſcopum poſſe interdum uti poteſtate temporali, in eos etiam, qui ſuper alios poteſtatem acceperunt; & ſi Epiſcopus quilibet id poteſt, quanto magis Princeps Epiſcoporum?

Launojus *T.* VII. *Epiſt.* 10.

POſtquam hujus facti hiſtoriam ex Theodoreto prolixiſſime recenſuit, ſequentia ad eam notavit contra Bellarminum. Primo, inquit, Bellarminus hanc Hiſtoriam non legerat, vel, ſi quando legit, eum oblitus erat, dum adſumſit ad confirmationem lemmatis. Quidquid id eſt, ſive legerit, ſive non, exemplo hoc, ut ille vocat, vel Narratione, quæ prorſus Divina eſt, abutitur & errat vehementer. Quis enim, quæſo, inter hanc Narrationem & lemma præſcriptum nexus, quæ conjunctio, quodnam vinculum? Videlicet narratur à Theodoreto commiſſum ab Imperatore facinus, narratur expoſita Imperatori per Ambroſium magnitudo facinoris, quod objurgatione & emendatione longa digniſſimum fuit; narratur ſuſcepta lubenter, & pie acta à Reo pœnitentia, narratur etiam reddita Epiſcopo Mediolanenſi obedientia, eaque tanta, quanta fingi excogitarique potuit. An autem ideo, quia ſic ſe res habet, Pontifex Romanus de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum diſponendi ſummam obtinet poteſtatem? Profecto hoc non philoſophari eſt, ſed ſomniare, ex Narratione memorata jus illud colligere, aut ex actæ Pœnitentiæ modo, quem tenuit Theodoſius, vel quem reliqui tenent peccatores, vel tenere poſſunt, id inferre in complexionem, quod intulit Bellarminus. Cui, præterquam Bellarmino, vel alii, alia cogitanti omnia, venire poteſt in mentem Regum vel etiam Plebejorum Pœnitentiæ agendæ modum adhibere, ut probet, Pontificem Romanum in ordine ad Bonum ſpirituale ſummam habere poteſtatem diſponendi de rebus omnium Chriſtianorum temporalibus. Deinde, Bellarminus nec in Ambroſium, nec in ſeipſum inſpexit, ſcribens, Ambroſium excommunicaſſe Theodoſium. Non in Ambroſium, qui ſecundi de officiis libri capite poſt viceſimum ſecundo docuit, *Excommunicationem tardius eſſe faciendam.* Conſtitiſſetne autem ſibi Ambroſius, ſi Theodoſium, non dico repugnantem & inobſequentem, ſed audientem & omnibus Monitis diligenter obtemperantem excommunicaſſet, hoc eſt, precibus Eccleſiæ & ſocietate fidelium privaſſet? Secutuſne eſſet conſilium, quod cæteris præbuit Sacerdotibus Nempe, voci Paſtoris obedientem excommunicaſſet Theodoſium, quem ne quidem excommunicaſſet contumacem, niſi fortaſſis tardiſſime, re ordatus nimirum, quod ipſe in Epiſtola poſt quinquageſimam octava de Magiſtratu criminoſo ſcripſit: *Mores malueruni indicatiores eſſe circa Judices, ut, dum gladius eorum timeretur & reverteretur, furor ſceleruni non incitaretur.* Quin & Auguſtinus, Ambroſii diſcipulus, in eandem cum majoribus & Magiſtro deſcendit ſententiam, cum capite tertio Homiliæ poſt viceſimam octavæ è numero Homiliarum quinquaginta ait: *Paruimus aliquando, & non novimus, niſi loqui; excommunicare & de Eccleſia ejicere timuimus enim, ne ſtatim pejor fiat, qui caditur.* Hæc autem cum ita ſint, Ambroſius non minus prudenter cum Theodoſio Imperatore, quam cum Magiſtratu criminoſo egiſſet. Nunc vero quid fiet Bellarmino & ejus lemmati? Videlicet, ſanctiſſimus Eccleſiarum Doctor Imperatori nullum dixit anathema, nec ſi eum precibus Eccleſia & cœtu fidelium privare denuntiavit, ſed Templi Mediolanenſis ingreſſu duntaxat eum prohibuit uſque dum propter admiſſum crimen pœnas à ſe repetiviſſet, quod præſtitit Imperator Antiſtiti ſuo obſequentiſſimus, id quod diſcendum eſt ex ipſomet Ambroſio ac ejus oratione, quam habuit de obitu Theodoſii, in cujus toto contextu excommunicationem, de qua loquitur Bellarminus, nemo inveniet vel leget, cum tamen Ambroſius, quomodo ſe erga Theodoſium geſſerit, melius quam alius quiſquam cognoverit, & quidquid hoc eſt, in clariſſimum principa-

cipalis obedientiæ & vindicatæ religionis iverit exemplum. Si autem pro Bellarmino quis dicat, Scriptores alios rem hanc fortaſſis ita narrare, ut ſtare poſſit, quod Bellarminus ſibi ſumſit demonſtrandum, reſponſi ergo habeat, vel dicat cauſam, cur Bellarminus ſolum adtulerit Theodoretum, & alios præterniſerit? Quia tamen, inquit Launojus porro, quærenda eſt veritas & adſerenda, cui non præſcribitur, ideo alios præterea adduxit, idem cum Theodoreto narrantes, ex. gr. Paulinum in vita Ambroſii, in cujus deſcriptione nullus eſt excommunicationis locus, qua perculſum ab Ambroſio fuiſſe Theodoſium contendit Bellarminus. Publica quidem exigitur ab Imperatore per Ambroſium Pœnitentia priuſquam ingrediatur Eccleſiam; Imperator eam agere non renuit, ſed ea ultro defungitur, remotus ab Eccleſiæ ingreſſu, & communione Sacramentorum, ſed non dicendus ideo excommunicatus, uti dicitur à Bellarmino, alioquin omnes pœnitentes dicerentur excommunicati. Huic ſuccedit Rufinus, Presbyter Aquilegienſis, apud quem itidem ne ullum quidem eſt verbum de Excommunicatione, ſed tantum, quod Epiſcopis decernentibus Imperator publicam egerit Pœnitentiam in conſpectu totius Eccleſiæ. Auguſtinus quoque non ſolum in opere de Civitate DEI, ſed etiam in Homiliæ poſt quadrageſimam nonæ ex numero Homiliarum quinquaginta capite itidem tertio, hujus Hiſtoriæ faciens mentionem non meminit excommunicationis. Idem de Sozomeno hanc Hiſtoriam narrante dicendum, qui non alia habet, quam apud laudatos legitur Scriptores, quod præſens adtinet Inſtitutum. Concurrunt omnes inter ſe, ut explicent, qua Chriſtiana libertate & conſtantia Ambroſius ſe cum Theodoſio, & qua patientia & animi demiſſione Theodoſius ſe cum Ambroſio geſſerit, & nullus eorum meminit illius excommunicationis, qua Theodoſium ab Ambroſio perculſum fuiſſe Bellarminus ſcripſit. Neque verba Sozomeni, quibus teſtatur, *quod Ambroſius inſimulans Imperatorem ab Eccleſia arcuerit, atque à communione ſeclu ſerit*, quemquam debent commovere. Quam enim Bellarminus ſtatuit excommunicationem, eam minime ſignificant, ſed ingreſſus tantum in Eccleſiam prohibitionem, & à communione Sacramentorum amotionem, uſque dum Imperator publicam egiſſet pœnitentiam, quod pœnitentibus univerſis eſſe commune neſcit nemo, niſi hoſpes in Hiſtoria Eccleſiaſtica. At Bellarminus non hoc duntaxat, ſed aliud quid aſperius intellexit, hujus autem intelligentiæ defenſionem nec apud Theodoretum, quem laudavit unicum, nec apud alios eandem Hiſtoriam recenſentes potuit invenire & oſtendere. Verum cominus adcedendum eſt ad Bellarminum, utpote qui non magis in ſeipſum quam in Ambroſium inſpexit, dum in tertii de Eccleſia militante libri capite tertio Theodoſium jure excommunicari non potuiſſe his tradit verbis: *Excommunicatio non poteſt ferri, niſi in contumaces & incorrigibiles, ut Auguſtinus docet capite ſexto libri de vera religione, eo idem omnes etiam Theologi deducunt ex Matthæi capite poſt decimum octavo.* At Imperator reum ſe agnovit, contumax non fuit. Humilitatem & modeſtiam præ ſe tulit admirabilem, & crimen admiſſum emendare lubenti prolixoque voluit animo. Sic Bellarminus uno in loco deſtruit, quod ædificavit in alio, atque ſic cum Ambroſio, Auguſtino ac omnibus Theologis, quin & ſecum ipſo pugnat, & pugnando miſere corruit. Qui caſum adjuvent, reperiret multos; qui retardet, neminem. Baronius certe, qui quæſita ubique occaſione, quod ornandæ augendæque Pontificis Romani inſerviat dignitati, prætermittit nihil, hanc ita recenſet Hiſtoriam, ut de Pontifice Romano nullum injiciat verbum, ſcribens: *Theodoſius Imperator Mediolani ob cladem Theſſalonicenſium perpetratam ab Ambroſio repellitur ab Eccleſia, ac non niſi acta publice pœnitentia in eadem admittitur.* Quibus verbis non id, quod Bellarminus excommunicationis genus exponit, neque ad Romanum traducit Epiſcopum, cui de rebus omnium Chriſtianorum temporalibus diſponendi ſummam tribuat poteſtatem. Neque vero negandum eſt, Theodoſium certo quodam modo excommunicatum fuiſſe, ſed non eo, quem Bellarminus innuit, verum, quo eum ab Ambroſio remotum ab Eccleſia & Sacramentorum communione poſt laudatos ſupra Scriptores Facundus

Digitized by Google

dus Hermianenſis libri pro detenſione trium Capitulorum duodecimi capite quinto teſtatus eſt. Præterea Bellarminus ad Hiſtoriam Theodoreti, quam laudat, non ſatis advertit, cum ait: *Ambroſius præcepit Imperatori, ut legem ferret.* Et paulo poſt: *Coegit Imperatorem ad ferendam legem Politicam.* At in Hiſtoria Theodoreti nec præcipiendi, nec cogendi ullum adparet veſtigium. Ambroſius dicit quidem Theodoſio, *Scribe Legem*; ſed Theodoſius prædixerat Ambroſio: *Tuum eſt Medicamenta oſtendere & temperare; meum vero, quæ adhibebuntur accipere.* Tum Ambroſius inquit: *Quoniam judicium iracundiæ permittis, atque ſic non ratio, ſed furor ſententiam profert, ſcribe legem &c.* Quibus ſubjungit Theodoretus: *Conſilium hoc amplectens Imperator, ſtatim conſcribi juſſit legem.* Bellarminus hinc, ut ſatis liquet, non Veritati, ſed ſuæ inſerviit cauſæ, dum hiſtoriæ Theodoreti imponit, ac ea profert ex eo in medium, quæ Theodoretus præ ſe non fert, ut deinceps hoc concludat modo: *Præterea Imperatorem cogere &c.* Ex tot antecedentibus quæ conſecutio, ſeu potius, quæ fallacia? His autem ita conſtitutis certum eſt, Bellarminum in quæſtione, quam de abdicandis per Antiſtitem Romanum Principibus inſtituit, Hiſtoria Theodoreti, quam laudavit, immoderate abuſum eſſe & turpiter erraſſe. Deinde, eum Scriptores alios, qui de Theodoſii & Ambroſii facto ſcripſerunt, ne diſceret, quod diſcendum erat, diſſimulaſſe. Præterea, cum à ſeipſo diſcrepare, dum lemma proponit ſuum, & dum illud probat, ſingulare facit lemma, & uni Romano Pontifici proprium, ſed lemmatis probationem Epiſcopis omnibus communem reddit per Ambroſium, nec ſatis aliunde contorta & aculeata, nimirum, ignoratio Elenchi & fallacia accidentis, quæ ſi caverentur, uti debent caveri, Bellarminus argumento vacuus prodiret. Ut omittatur nunc, aliud eſſe, Imperatorem ingreſſu Eccleſiæ & communione fidelium, aliud eſſe, Imperio privare. Hæc enim ſi Bellarminus conjungit, quæ reipſa minime conjunguntur, nullus eſt; ſi autem ſeparet, quæ reipſa ſeparantur, captus eſt, atque jus excommunicandi Principis ad jus deponendi Principis inepte & abſurde transfertur. Quod autem illa duo minime conjungantur, liquido patet tum ex aliis, tum ex eo quoque, quod Theodoſius Ambroſio teſte novam adeptus victoriam ſe à conſortio Sacramentorum aliquamdiu abſtinuit, nec tamen Imperio ſe privavit.

Bellarminus *ibid.*

PORRO Theſin ſuam de Pontificis Romani in temporalibus poteſtate ac jure Principes etiam abdicandi confirmaturus, provocat inſuper quoque ad Privilegium Gregorii Pontificis hoc nomine primi, quod Monaſterio ſancti Medardi dicitur conceſſiſſe, habeturque in fine Epiſtolarum, quod hæc inter alia continet verba: Si quis Regum Antiſtitum, Judicum, vel quarumcunque perſonarum ſecularium hujus Apoſtolicæ authoritatis & noſtræ præceptionis Decreta violaverit, cujuſcunque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore ſuo privetur.

Launojus.

DE hoc Privilegio non uno in loco diſputat. Et primo quidem ante plus, quam viginti Annos ſingularem edidit Diſquiſitionem, vel potius Inquiſitionem, quam falſo id Gregorio M adſcribi demonſtrare ſcripſit, iis rationibus adductis, quarum pondera perbrevem quandam Epitomem hic adducentur. *Prima eſt*, quod Privilegium hoc non legatur in antiquis Epiſtolarum Gregorii codicibus manuſcriptis, qui Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi ætatem præceſſerunt, ac certo certius ſit, in Codicibus Romanis, quas Gregorius hic ſeptimus habuerit, non extitiſſe, quia alias in Epiſtola ad Hermannum Metenſem, id æque, ut Privilegium Xenodochii Auguſtodunenſis laudaſſet, ut

abdicationem Henrici Imperatoris hoc nomine quarti confirmaret, dum quæ ex Privilegio Xenodochii laudavit, eadem in Privilegio Monaſterii repetuntur & inculcantur, &, ſi verum eſſet hoc Monaſterii Privilegium, prius fuiſſet conceſſum, quam Xenodochii, uti Sirmondus obſervavit primo Conciliorum Galliæ Tomo. Cum vero, ſic pergit Launojus, corpus Epiſtolarum Gregorii typis mandatum eſt Literæ Anno MDVIII. tunc ad calcem libri Epiſtolarum duodecimi ſubjectum eſt hoc Privilegium Monaſterii S. Medardi, quod forſan Monachus aliquis rerum ſuarum ſatagens ſuppeditavit. Hunc locum, quoties iterata eſt poſtea Epiſtolarum editio, uſque retinuit, dum Romæ opera Gregorii omnia ederentur ſub Sixto Pontifice hujus nominis quinto; tunc enim è calce libri Epiſtolarum duodecimi ad ſecundum eſt revocatum, & inter Epiſtolam trigeſimam octavam & nonam interpoſitum. Hoc cum adprime noſſet Cardinalis Perronius, authoritate hujus Privilegii ſe uti nolle in oratione ad tertium Regni Francorum ordinem aperte declaravit, dicens: *Uti nolo Bullis Monaſterii Sueſſionum, quoniam inſertæ non ſunt Regeſto Epiſtolarum Gregorii, ſed ex Tablino Monachorum S. Medardi ſunt erutæ, & tanquam opus alienum additæ poſt finem Regeſti, ut manifeſtum eſt tum ex antiquis eiuſdem Regeſti Editionibus, tum ex teſtimonio, quod Gregorius Pontifex ſeptimus qui ante quingentos vivebat Annos, accepit ab Epiſtola ad Senatorem, nullæ Bullæ Sueſſionenſis facta mentione.* Secunda, quod ipſe Titulus & Inſcripto Privilegii Gregorio M. id abjudicet. Sic autem habet: *Gregorius omnibus Epiſcopis. Pretioſiſſimis lapidibus in diademate Chriſti merito nitentibus, omnibus ſanctæ DEI Eccleſiæ membris, quorum univerſale caput eſt Chriſtus, Gregorius, licet ſanctæ Sedis Romanæ Pontificio ſublimetur, humillimus tamen ſervorum DEI Servus.* At Pontifex hic in Epiſtolarum libris duodecim ne unam quidem habet Epiſtolam, cui titulum præfigat ſimilem. Deinde, nullus eſt Pontifex Gregorio hoc vetuſtior, aut tempore proximus, qui ſimilem unquam titulum in quocunque uſurparit opere. Tum, non memini me legere, ſcribit Launojus, inter Pontifices Romanos recentiores ullum eſſe, qui Epiſtolam vel Privilegium inſcripſerit pari modo. Nimirum, Privilegii ſuppoſtor novo & inuſitato voluit uti titulo, ut Lectores raperet in admirationem, & falſo huic Privilegio fidem commodius ſua quidem Sententia conciliaret. *Tertio*, quod hujus Privilegii ſuppoſtor, poſtquam adhibuit exordium Epiſtolarum, quas Gregorius libro earundem undecimo ad Senatorem Abbatem, ad Theſſaliam Abbatiſſam & Luponem Abbatem ſcripſit, hæc inaudita Seculo Gregorii adjungat: *Juxta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum ſcriptum Regum Brunichildis ac Nepotis ejus Theodorici, Monaſterio ſanctæ DEI Genitricis Mariæ ac Beatorum, Petri Apoſtolorum principis, nec non proto Martyris Chriſti Stephani, quod eſt in Sueſſorum Civitate ſitum, ubi ſanctus Medardus Requieſcere, & Vir venerabilis Gairaldus Abbas præeſſe videtur, hujuſmodi Privilegia authoritatis noſtræ Decreto indulgemus.* Quod enim Monaſterium S. Medardi nunc dicitur, nec ante Gregorium, nec tempore Gregorii dicebatur Monaſterium ſanctæ DEI Genitricis Mariæ. Et Beatorum Petri ac Stephani, ſed duntaxat Templum & Baſilica S. Medardi. Id ubi teſtimoniis Gregorii Turonenſis, Fortunati Presbyteri, qui Gregorio antiquiores fuerunt vel æquales, inſuper Fredegarii, Eginhardi, Synodi Sueſſionenſis, Adonis, Viennenſis, Annalium S. Bertini, Regionis, Aimonii, & aliorum quorundam anonymorum demonſtravit Launojus, porro ſic ſcripſit: Tantum abeſt, ut, quæ S. Medardi Baſilica dicitur ante Gregorium Papam vel ejus tempore, S. Mariæ, Beatorum Petri & Stephani Baſilica diceretur, ut uſque ad Annum poſt mille ſexageſimum talis nunquam fuerit dicta, quod argumentum eſt Privilegii adulterini certiſſimum. Præterea, ſi Beati Medardi Baſilica ſtatim dicta eſt Beati Sebaſtiani Baſilica, poſtquam hujus Martyris habuit reliquias, cur B. Mariæ, Petri & Proto Martyris Stephani Baſilica non aliquando diceretur, ſi ab initio Deiparæ, Petro ac Stephano fuiſſet dicata? Hæc ratio, quæ decretoria eſt, confirmatur adhuc authoritate Monachis

nou

Digitized by Google

non ingrati, & hac in parte omni exceptione majoris, nimirum, Hadriani Valesii, qui in Disceptatione de Basilicis, quas primi Francorum Reges condiderunt, de Basilica S. Medardi caput sextum instituit, & quæcunque suo & Monachorum studio potuit colligere, per octo paginas in unum congessit & addensavit; sed Author ibi nullus est, nullum quoque testimonium, in quo memoratus in Privilegio titulus legatur. Deinde, Valesius non posset alium, præterquam Medardi titulum imponere huic Basilicæ, nisi vellet à seipso dissentire, dum uni Medardo hanc Basilicam adsignat. *Quarto*, ex Authoribus productis colliguntur non nulla, quorum primum confirmat Privilegii suppositionem. Nullus enim Author est Gregorio Papa vetustior, nullus æqualis, nullus ætate suppar, qui Basilicam S. Medardi adpellet Monasterium, quod silentii genus non adcideret, si Basilica S. Medardi fuisset ab initio Monasterium. Nam, ut Authores Papæ Gregorii æquales vel ætate suppares omittantur, Gregorius Turonensis solet Basilicus vocare Monasteria, quando Basilicæ sunt Monasteria, præsertim, si de Basilicis, quæ Monasteria sunt, pluries loquatur. At Gregorius Turonensis de Basilica S. Medardi loquitur sexies. Quod autem soleat Basilicas vocare Monasteria, quando Basilicæ sunt Monasteria, ipse testis est pluribus in locis. Præterea, Author ille, qui Gesta Francorum usque ad Theodoricum Regem hoc nomine secundum perduxit, semel, iterum & tertio Basilicam S. Medardi nominat, & nuspiam indicat esse Monasterium, etiamsi Basilicam significat esse Monasterium, cum Basilica est reipsa Monasterium. Deinde, quoniam Basilica, quæ ab initio Monasterium non fuit, ævi progressione fieri potest Monasterium, non defuerunt Authores, qui Basilicam S Medardi dicerent esse Monasterium, cum illa in Monasterium evasit; tum, ubi Monasterium S. Medardi Reliquiis S. Sebastiani cœpit illustrari, Monasterium S. Medardi & S. Sebastiani veritatum est. Hic non bene disceptaret, qui S. Medardi Basilicam ab initio dictam esse S. Medardi & S. Sebastiani Monasterium contenderet, sive quia multa Authorum vetustorum Volumina ævum consumsit, à quibus pleraque Recentiores acceperunt, sive quia ætatem novo Scriptori prisca narranti obesse non oportet, sive quia ex Recentioribus discuntur, quæ apud Veteres frustra quæsiveris, sive quia Recentibus de re veterrima non raro credi oportet. Hi sunt Valesii communes loci, qui materiæ nulli conveniunt, quibus fabulæ etiam adstrui possunt, & quibus verum à falso nequit discerni. Occurrit quidem Valesius in Disceptatione de Basilicis jam citata, & dicit capite laudato, æqualem esse Scriptorem, qui Medardi Basilicam vocet Monasterium, scilicet, Venantium Fortunatum in Vita Medardi, quam Johannes à Bosco publici fecit juris. Sed hunc libram Fortunati non esse, cum alia, dum maxime duo demonstrant. Inprimis Author Barbaris utitur vocabulis, quibus nunquam usus legitur Fortunatus. Deinde, Medardus dicitur à Remigio in Episcopum consecratus, qui tamen Remigius ante ex hac vita migravit, quam Medardus crearetur Episcopus. Hic error est Fortunati, qui æqualis fuit Medardi, sed imperiti cujusdam Scriptoris eo longe Recentioris. Unde quamvis hic Scriptor S. Medardi Basilicam vocaret Monasterium rationi nostræ nihil officeret; nam vocaret Monasterium, quia suo tempore erat Monasterium. Et tamen non vocat Monasterium, sed tantum meminit caternæ fraternæ, quæ Sacrosancta Missarum solemnia publice percoleret. At Valesius hanc catervam fratrum esse putat idem ac congregationem Monachorum, quasi vero Canonici, qui dicuntur Regulares, non olim hodieque adpellarentur Fratres. Illud si non sit ἀσύνθετον, nullum erit unquam; sed in Actibus Apostolicis & in Epistolis Pauli, qui passim dicuntur fratres, Christiani, erunt tunc Monachi, quando Valesii communes loci ante relati adhibebuntur. Occurrit autem porro Valesius, & aliam proponit S. Medardi vitam, quæ apud Surium quoque huic tribuitur Fortunato. Sed eam nec Fortunati esse, nec etiam posse, se demonstrasse scribit Launojus in suis ad libros octo Rerum Francicarum Notationibus, addens hic, esse opus Radbodi Noviomensis Episcopi, qui Annis post

Fortunatum quingentis eo amplius floruit, Basilicam Medardi vocans Monasterium, quia suo tempore erat Ministerium. Atque sic qui seculis posterioribus Medardi vitam concinnarunt, quia Basilicam illius videbant esse Monasterium, ab initio Monasterium fuisse putarunt. Verum ex communibus Valesii locis potest probari, Medardi basilicam ab initio potius fuisse Cœnobium, in quo Clerici degerent, teste quodam Authore anonymo sermonis de primo Templi S. Medardi statu, & laudato ante Radbodo, ea narrans de hoc Templo quæ Clericis conveniunt potius, quam Monachis, qui tunc temporis omnes pene erant Laici. *Quinto*, Suessiorum nomen, quod in privilegii contextu semel atque iterum usurpatur id Gregorio Magno recentius esse demonstrat; qui enim ante Regem Dagobertum hoc nomen usurpaverit, invenies neminem, atque corruptum est lapsu temporis nomen, quo Hincmarus in vita Remigii à se reconcinnata utitur, quo utuntur & alii, sed qui Rege Dagoberto fuerunt posteriores, utpote quod demum sub initium stirpis tertiæ Regum fuit usitatum. *Sexto*, tempore Gregorii Magni basilicam S. Medardi fuisse Monasterium, & hujus Abbatem Gairaldum, nisi privilegium, quod excutimus, testetur, nemo testabitur, Monumentum vetus confirmabit nullum, atque erit adsertio omni probatione vacua per annos quadringentos & amplius, etiamsi tunc Vir venerabilis dicatur. Præterea Gairaldus nomen est quod Gregorio Pontifice nec apud Italos, nec apud Gallos, nec apud Hispanos, nec apud Germanos versabatur in usu. *Septimo*, notanda est solutio, qua non semel Johannes Papa in hoc privilegio vocatur Dominus, qui modus loquendi Gregorium non adtinet, utpote qui Decessores suos nusquam Dominos appellat, uti constat ex Epistolis, imo non est facile, ante vel post Gregorii tempus ullum nanciscì Pontificem, qui Decessores suos adpellitaverit Dominos. *Octavo*, ἀνυπερόπτως mirifice produnt ea, quæ in hoc privilegio leguntur de Rege Theodorico, qui tamen illo tempore, quo privilegium dicitur scriptum, Rex non erat, qui insuper etiam subscripsisse legitur. Unde Baronius difficultate rei victus fatetur, subscriptionem Regis Francorum Theodorici his non congruere temporibus, in eam inductus sententiam, ut statueret, hanc subscriptionem postea adjectam fuisse. At si Baronius, qui certa de causa retinere vult S. Medardi privilegium, suam probaret sententiam, ostenderetque vetus aliquod Manuscriptum, quod Theodorici Regis subscriptione careret, Baronio consentirent indubio, inquit Launojus, & rationem hanc, quæ decretoria est, tollerem è medio. Sed non tollam, quamdiu, quod probatu necessarium est, Baronius, aut pro eo Monachus aliquis vel Clericus non probaverit. Deinde, vana est conjectatio Baronii, qui integrum non legerat privilegium, in quo semel atque iterum Regis Theodorici mentio injicitur, quod nulla ratione Sophistica potest dealbari. Legerat ille tantum privilegii finem, quod in Pontificis Romani commodum inclinat, & Regis Theodorici subscriptionem, qua clauditur privilegium. *Nono*, ea privilegii verba, quibus consensu omnium Pontificum Romanorum decernere scribitur Gregorius, produnt non ipsius Gregorii, sed Suppostoris insulsitatem. Nimirum, omnes intelligit Romanos Pontifices, qui vel Gregorium præcesserunt, vel ejus fuerunt æquales, vel eidem successerunt. Quidquid horum intelligat, plus quam ridiculus efficitur. Si primum, Petrus quoque, & quotquot Romanæ Sedis Episcopi usque ad Gregorium fuerunt, in Medardi privilegium consenserunt. Si secundum, Gregorius Collegas plures Romanæ Sedis Episcopos simul habuit, qui pariter consenserunt. Si tertium, Pontifices Gregorio posteriores alii jam consenserunt, videlicet, qui mortui jam sunt, alii non consenserunt, videlicet, qui nondum creati sunt, quod insulsitatum opinor satis est. *Decimo*, idem Suppostor hoc Decretum scribit confirmatum voluntate totius Romani Senatus. Verum, quid voluntas Romani Senatus ad Monachos S. Medardi? In rebus certe Ecclesiasticis nihil decrevit unquam Gregorius, quod Decretum voluntate Romani Senatus dicatur. *Undecimo*, idem hoc Decretum favente omnium Galliæ Episcoporum judicio factum dicit. At, si ad hoc Privilegium intervenit omnium Galliæ Episcoporum judicium, dicendum, quod vel coacta sit ex omnibus Gal-

Digitized by Google

Galliæ Epiſcopis aliqua Synodus, vel quod omnes Galliæ Epiſcopi ſex tantum fuerint, quo tempore Gregorius conceſſit Privilegium. Si primum dicatur, probari non poterit; ſi ſecundum, omnino falſum erit, quem plures tunc fuerint Epiſcopi in Gallia, quam ſex, qui huic privilegio dicuntur ſubſcripſiſſe. *Duodecimo*, dum Gregorius aliquid decernit, non ita decernit, uti hic ſuppoſitor ſub ejus nomine ſcribit, authoritate Divina vice Petri Apoſtolorum Principis, quod ex pluribus Epiſtolis ejus eſt manifeſtum; quorſum adcedit, quod Pontifices Gregorio ſuppares ea non utantur formula & dubium, utrum inter recentiores inveniantur multi qui utantur. Et ſane, poteſt congruenter dici authoritate & vice Petri; vix autem authoritate Divina vice Petri, de quo res ipſa loquitur. *Decimo & tertio*, Conditor privilegii non excludit Epiſcopi Sueſſionenſis curam & juriſdictionem, quam inprimis tamen voluit excludere. Id conſtat ex ſequentibus verbis, quibus decernitur, ut nullus Archiepiſcoporum vel Archidiaconorum fratres Baſilicæ præfatæ de ordinatione Abbatis ſui vel graduum Eccleſiaſticorum adſumtione inquietet. At his verbis Archiepiſcoporum & Archidiaconorum, non Epiſcoporum Sueſſionenſium amolitus eſt juriſdictionem. Quapropter etiamſi concederetur, verum eſſe privilegium, id tamen Epiſcopis Sueſſionenſibus nihil incommodaret. *Decimo & quarto*, quæ ſequuntur, in alia re Epiſcopi Sueſſionenſis juriſdictionem excludunt, ſed contra Eccleſiæ diſciplinam, quæ tempore Gregorii obſervabatur. Verba ſic habent: Conſecrationes quoque fontium & ſcrutinii myſteria in ipſo celebrent Monaſterio, Chriſmatis quoque ac Olei, Altaris, Calicis, Corporalis, à quocunque voluerint Pontifice, expectant. At in Arelatenſis Monaſterii privilegio, quod Vigilius conceſſit, & Gregorius confirmavit, uti & in Auguſtodonenſis Xenodochii privilegio ab eodem dato, nulla talis adparet indulgentia. In privilegio Lirinenſi, quod ante Gregorii tempus eſt conceſſum, res ita ſe habet: Ut Clerici atque Altaris miniſtri à nullo niſi ab ipſo (Pontifice Diœceſano) vel cui ipſe injunxerit, ordinentur; Chriſma non niſi ab ipſo ſperetur. Huic quoque rei poſt Gregorium contradicit Marculfus in formula Privilegii: Altare in ipſo Monaſterio prædictus benedicat Epiſcopus. Hæc ergo non ſunt Gregorii, ſed Suppoſtoris, qui non ſolum Gregorio, ſed etiam Marculfo poſterior eſt. *Decimo & quinto*, huc ſpectat indigna Pontifice tam illuſtri ratio qua genus hoc privilegii munitur: Ne tantus honor à quoquam Rectore ullius occaſionis cauſa vel neceſſitate intermittatur, ne vileſcat tantæ ſublimitatis locus. Quaſi vero tantus honor intermitteretur, & Monaſterium vileſceret, tametſi benedictionem Chriſmatis, Olei & Altaris ab Epiſcopo Sueſſionenſi deberent expectare Monachi. Viluitne Monaſterii Lirinenſis dignitas, cum Chriſma benedictum accepit ab Epiſcopo proprio. Igitur tam fertilis ratio non eſt Gregorii, ſed obſcuri cujuſdam Monachi, qui confecit hoc privilegium. *Decimo & ſexto*, hic expendenda eſt omnium impoſturarum impudentiſſima, quæ Gregorio adfingitur, dum in hoc privilegio Monaſterium S. Medardi caput Monaſteriorum totius Galliæ eſt conſtitutum. Quis enim hoc unquam à tempore Gregorii uſque ad annum Chriſti poſt mille centeſimum audivit vel legit, Monaſterium S. Medardi omnibus reliquis Galliæ Monaſteriis fuiſſe præfectum, & jus aliquando eis dixiſſe. Nimirum quando Ludovicus Pius S. Monaſterium S. Dionyſii in antiquum voluit reſtitui ſtatum, quærendus & adhibendus fuit ſine dubio Abbas S. Medardi, ſi qua veritate hoc nitatur privilegium. At ille nec quæſitus fuit, nec adhibitus, ſed potius Metropolitanus aliique Epiſcopi, uti ex Imperatoris diplomate colligitur. Huc accedit Conſtitutum de monaſteriis Regni Francorum, quæ Regi militiam, dona, vel ſolas orationes debent, in quo non recenſetur hoc monaſterium S. Medardi, quod omnino recenſeri oportuiſſet, ſi caput monaſteriorum totius Galliæ fuiſſet conſtitutum. *Decimo & ſeptimo*, privilegii conditor cum ait, Sedes Romana omnium perſonarum ſervitio caret, non recordatur eorum, quæ Gregorius de ſuo erga Imperatorem obſequio paſſim ſcribit in Epiſtolis. *Decimo & octavo*, nec apud Gregorium, nec illius ævo, Romæ in uſu erant nomina Manſorum ingenuorum & ſervilium, utut non incognita

gnita sint in formulis Marculfi, & in Capitularibus Caroli magni, quæ impostor Romam reduxit ad Gregorium & ejus tempora. *Decimo & nono*, postquam obscurus Scriptor semel atque iterum dixit, monasterium S. Medardi esse monasterium S. Mariæ, Petri & Stephani, in quo Medardus quiescat, significet, Villas omnes, quæ monasterio sunt datæ, non S. Mariæ, Petro & Stephano, sed Medardo datas esse. Atqui hoc est factum non Papæ sapientissimi, sed Monachi inconsiderati, qui privilegium supposuit. *Vicesimo*, quæ sequuntur ad ætatem vel tempus Gregorii non pertinent: De Altaribus juxta institutionem Domini Papæ Johannis Apostolica authoritate confirmamus, ut qui fuerit Rector monasterii præfati, fiat præterea Præsul Altarium & omnium Ecclesiarum sibi pertinentium. Et primo quidem apud Gregorium ubinam invenies istud, Apostolica authoritate confirmamus? Sunt Epistolarum ejus libri duodecim, ubi ne una quidem est, quæ hanc formulam diserte repræsentet. Deinde monasterii Rectorem simul esse Rectorem Parochiarum, quid habet commercii cum Ecclesiæ disciplina: quæ tunc in Gallia viguit? Quis quæso nos nos docebit, tempore Gregorii fuisse in Gallia monachos S. Benedicti, qui Parochiarum Ecclesias regerent & administrarent. Suppostor ergo parum tolerabilem usum sui temporis ad tempus Gregorii transtulit, ut confirmaretur. *Vicesimo & primo*, Larvatus homo Lectores suos ludificat, dum qua ratione sceleratus Abbas sit deponendus, præscribit: Subjungimus & aliud Edictum si causa criminis castitatis Abbas est deponendus, non prius deponatur, donec depositores authoritatem Apostolicam requirant, & ita sint tres Metropolitani cum suis suffraganeis, & Abbates quam plurimi. Inprimis Romani Pontificis Edictum; Depositores & suffraganei sunt nomina, quæ nusquam inveniuntur apud Gregorium. Deinde, hæc Abbatis judicandi forma quonam Canone veteri sancitur vel defenditur? Præterea quis crederet, velle Gregorium, ut Abbas graviori quam Episcopus sententia judicaretur? Videlicet unius Provinciæ Episcopi, quibus præsit Metropolitanus, deponunt Episcopum. Sed in hoc privilegio trium Provinciarum Episcopi debent convenire, ut deponant Abbatem. Postremo quinam sint illi tres Metropolitani cum suis suffraganeis, non designatur. *Vigesimo & secundo*, in hoc privilegio, ut jam fuit observatum, fit mentio suffraganeorum, quæ vox nec ante Gregorium, nec ætate ipsius Gregorii in usu fuit Ecclesiæ. Nimirum, is passim loquitur de Archiepiscopis & Metropolitanis, item de jure Metropolitanorum. Et quamvis hac voce utendi occasio sese offerat sexcenties, ille tamen ne semel quidem utitur ea in libris Epistolarum. Quare nota hæc est falsitatis in privilegio, quod huic Pontifici adtribuitur. Hæc vox, quæ ad vitia sermonis Latini pertinet, post Gregorium est nata, quæ jam dudum in vulgus emanaverat, cum subjectum est privilegium. Quin & Gregorius Turonensis Gregorii Papæ æqualis nunc Provinciales, nunc cumprovinciales vocat Episcopos, nusquam suffraganeos. *Vigesimo & tertio*, Gregorius nunquam statuisset, quæ porro sequuntur in privilegio: Monachis hanc proponimus sententiam, ut nullus eorum invidia aut odio Abbatis, quod absit, comprimatur, vel personarum externarum censura plectatur. Sic ultima hac Decreti clausula Monachi impunitatem consequerentur, derogareturque Conciliis omnibus, quæ pro correctione Monachorum Canones sanxerunt. Qui factum tale tribuit Gregorio quis fuerit Gregorius, ignorat. Videlicet, postquam Monachus, qui hoc privilegium supposuit, Monasterii & Abbatis causam egit, suam quoque voluit agere, & Gregorium impunitati Monachorum faventem & secum ipso pugnantem exhibuit. *Vigesimo & quarto*, cum multa sint, quæ in hoc privilegio à temporis Gregoriani disciplina degenerant, tum nihil æque ac ista, quæ sic exprimuntur: Quod si Monachus perseverante contumacia fuerit abscissus, præcipimus illi, ut peccatorias accipiens literas, quodcunque voluerit, ingrediatur monasterium, aut causa hujus pœnitentiæ licentiam sedis Apostolicæ petat, & susceptis à Domino Papa literis liber suum repetat monasterium. Sic impostor Monachus non est oblitus sui, sed Gregorii, cui tam aliena adscripsit. *Vigesimo & quinto*, subscriptiones Episcoporum examinantur.

Ex.

Digitized by Google

Ex. gr. Eutherius Arelatenſis Archiepiſcopus ſubſcripſiſſe legitur huic privilegio ad annum Chriſti poſt quinque ſecula nonageſimum & quartum, qui tamen non erat Epiſcopus Arelatenſis, ſed Virgilius, quod conſtat ex Gregorio, qui non ſemel ſcripſit ad eum. Præterea Ætherius, non Eutherius, Lugdunenſis erat Epiſcopus, non Arelatenſis, ad quem Gregorius itidem literas ſcripſit. Sic leguntur ſubſcripſiſſe duo Portuenſes Epiſcopi, Gregorius & Felix, qua fraude nil ſtupidius. Porro ſubſcripſiſſe legitur Auguſtinus Cantuariorum Epiſcopus, quo tempore is nondum erat Epiſcopus; quod itidem dici debet de Mellito Lundoniæ Epiſcopo. Inſuper ſubſcripſiſſe legitur Eulogius, Epiſcopus Alexandrinus, quem nulla plane Hiſtoria Romam iviſſe confirmat; & dum Gregorius plures ad eum dedit literas, nunquam Romæ eum fuiſſe ſignificat. Et ſi quæ cauſa eum traxiſſet Romam, præſertim, ut ipſe per ſe ſua contra Agonitas Scripta exhiberet Gregorio, non exhibuit ipſe per ſe, ſed miſit, uti Gregorius ipſe teſtatur. Deinde, ſi Romæ fuiſſet Eulogius, non ſubſcripſiſſet demum decimus & ſeptimus, ſed, cum eſſet ſecundæ Sedis Epiſcopus, ſecundus, id eſt, primus poſt Gregorium ſubſcripſiſſet. Nimirum, in Privilegii ſubſcriptione deterior non fuiſſet Præſulis Alexandrini conditio, quam in ſubſcriptione Conciliorum. Hoc ignorabat Monachus qui hoc Privilegium confinxit. Legitur etiam ſubſcripſiſſe Dominicus, Carthaginenſis Epiſcopus. Sed aliquando Romæ Dominicum nunc fuiſſe, nunquam probabitur, niſi ex hac ſubſcriptione, quæ eſt manifeſta principii petitio. Deinde, ſi Romæ fuiſſet Epiſcopus Carthaginenſis, itidem non ſubſcripſiſſet demum decimus & octavus, utpote qui, ut eſt in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, Romanæ Sedis Legatos in Conciliis Carthaginenſibus præceſſit, & qui in ordinandis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis paria fere cum Alexandrino habuiſſe videtur Privilegia. Subſcribentium numero adcenſetur etiam Sutellius, Burdegalenſium Epiſcopus, qui tamen, quis eſſet vel fuiſſet, nemo ſciret, niſi hoc extaret Privilegium. Quare ſi ponatur in Catalogo Antiſtitum Burdegalenſium, fit illud ſine omni Veterum teſtificatione; nam hujus Monachi fides, qui hoc finxit Privilegium, fides eſt impoſtoris. Tunc vero, cum hoc Privilegium dicitur ſcriptum, Gundegiſibus regebat Eccleſiam Burdegalenſem, ut ex Gregorio Turonenſi colligitur. Ad hunc ordinem refertur quoque Flavius Remorum Epiſcopus. At, neque in ſubſcriptionibus Conciliorum, nec in ullis Eccleſiaſtico rei Monumentis ullus invenitur Flavius, qui tempore Gregorii Eccleſiam Remenſem adminiſtravit. In genere tandem ut de his Epiſcoporum ſubſcriptionibus feratur judicium, nunquam perſuadebitur, tot Epiſcopos, quot ſubſcripſiſſe hic leguntur, eoſque ab Urbe remotiſſimos, Romæ hoc tempore, quod huic Privilegio adſcribitur, fuiſſe niſi Gregorius eos per literas erraſſet; quis enim Conventum talem negotiis Eccleſiaſticis, quæ incognita forent, tribueret, vel in fortunam ac ſortem conjiceret? Gregorium vero tot Epiſcopos, ex tam variis & diſtantibus locis evocaſſe, nemo, niſi teſtimonio & ratione vacuus adſeret. Sed detur evocaſſe. Nonne Gregorius Privilegium hoc ſe in Synodo diceret conceſſiſſe, non ſolum, quia rei congrueret veritati, verum etiam, quia ex ordine Pontificum Romanorum vix ullus peræque, ut ille Synodos amavit & commendavit, negotia quoque Eccleſiaſtica in Synodis tractavit, atque ab aliis in Synodis juſſit tractari. *Vigeſimo & ſexto*, Theodoricus rex etiam huic Privilegio Romæ legitur ſubſcripſiſſe, quo tamen ivit nunquam, uti nec Bunechildis Regina, niſi hoc ex ipſa ſubſcriptione confirmetur. Quo videlicet Anno Theodoricus legitur ſubſcripſiſſe, Annos nondum erat natus bene multos, neque tunc Romam facile ſe conferre potuit, ut huic Privilegio ſubſcriberet. Deinde, nondum rex erat vivente Patre Childeberto. *Viceſimo & ſeptimo*, huic Privilegio tandem quoque legitur ſubſcripſiſſe Petrus ſanctæ Romanæ Sedis; ſed quis ille Petrus, & qualis fuerit, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Defenſor, Regionarius, Notarius, non ſignificat Suppoſtor, quod à moribus Eccleſiæ Romanæ abhorret: *Viceſimo & octavo*, Fraus ultima eſt in ultimis Privilegii verbis: Datum VII. Calendas Junii, Anno ob Incarnatione Domini DXCIV. Indictione un-

de-

decima. Sed apud Annales Ecclesiasticos Judicio undecima in Annum antecedentem incidit. Hæc est nota falsitatis, qua Privilegium concluditur, & conclusum in Morboniam amandatur. *Vicesimo & nono*, Chronicon S. Medardi, quod nuper in lucem fuit editum, significat aperte, Privilegium istud nondum fuisse confectum Anno MCXXXI. quo in Abbatem S. Medardi consecratus est odo. His observatis prolixissime Launojus subjungit Corollaria quædam, quibus hoc Privilegium de suppositione adhuc magis suspectum facere nititur. *Primum* Suppositoris modum agendi generalem exponit. Videlicet, Architectus Privilegii, inquit, libros Epistolarum Gregorii percurrerat, cum illud exararet. Hinc initium ejus transcripsit ex Epistola libri undecimi decima, quæ Xenodochochii Augustodunensis Privilegium repræsentat. Deinde, non multo post transcripsit verba, quibus, ne Reges, ne Antistites, ne cæteri qualibet dignitate prædíti bona Xenodochii diripiant vetatur. Tum sub finem transcripsit execrationes & diras, quibus, qui illa diripiat Bona, devovetur. Postremo, subscribentem facit maximam Episcoporum partem, ad quos Gregorius identidem scripsit. Verum, an illi ante hunc Annum, quo Privilegium consignatur, de hac vita migraverint, vel ipsomet hoc Anno adhuc vixerint, vel post cum Episcopi esse cœperint, non adtendit, ratus sufficere, si nomen Episcopi, quod subscripsit, apud Gregorium haberetur. *Secundum* Xenodochii Augustodunensis Privilegium expendit. Meminit ejus in antecedenti tractatione Launojus, tanquam gemini. Nunc id suspectum sibi ex duobus confirmat capitibus. Prius in hoc consistere putat, dum inter alia hoc in Privilegio leguntur sequentia: Necesse est, ut si quæ contra Abbatem surrexerit querela, non solus Civitatis Augustodunensis Episcopus examinat causam, sed aliis sex Episcopis suis adhibitis subtili hoc investigatione perquirat. Quid hoc est? Episcopus Augustodunensis adhibeat alios sex Episcopos suos. Atqui cum Metropolitanus non sit, Episcopos adhibere non potest, & si Metropolitanus esset Lugdunensis primæ, tot Episcopos adhibere non posset. Hunc locum quo magis considero, inquit Launojus, eo magis fraudem objicit. Scio, unum posse dici; sed non audio, qui diceret, Gregorium ignorasse, quot habeat Episcopos Lugdunensis prima, & quinam ex iis sit Metropolitanus. Doctorum nempe vel indoctorum nemo nescit, Episcopum Lugdunensem præesse tantum Episcopis quatuor, nimirum, Augustodunensi, Lingoaensi, Cabillonensi, Matisconensi. Difficultatem rei nec minuit, nec tollit idem cum impresso vetus & probæ notæ Codex Epistolarum Gregorii manuscriptus, quem habet Bibliotheca Thuana. Alterum vel posterius his verbis: *Si quis Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque secularium hanc Constitutionis paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se Judicio Divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat.* Atqui, congruere rationi non videtur, ut in eodem Privilegio sint Edita duo, quorum unum pœnæ nihil, alterum gravissimam omnium pœnam contineat. Edictum prius, ut inter se contendantur ad veritatem rei, sic habet: *Hujusmodi Privilegia præsentis nostræ authoritatis Decreto, indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes, nullum Regem, nullum Antistitem, nullum quacunque præditum dignitate, vel quenquam alium de his, quæ Xenodochio à suprascriptis præcellentissimis nostris filiis Regibus jam sunt donata, vel in futuro à quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie, minuere vel auferre, sive suis usibus adplicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione posse concedere, sed cuncta, quæ ibi sunt oblata, vel obferri contigerit, perenni tempore illibata & sine aliqua inquietudine volumus possideri, eorum usibus tamen, pro quorum sustentatione gubernationeque sunt concessa, modis omnibus profutura.* Verum, in Edicto posteriori nihil aliud vetatur, quam quod in priori vetitum est. Non est ergo Rationi vel Exemplis consentaneum, ut si Edicto priori nulla decernitur pœna, posteriori demum decernatur, neque decernatur tantum, sed summa etiam decernatur, qua nimirum, ut post Gregorium Pontificem

cem hoc nomine ſeptimum Baronio & Bellarmino placet, Reges *honore ſuo ac dignitate priventur & abdicentur*. Quamvis enim Bonorum Xenodochii direptio culpa ſit graviſſima, ea tamen Gregorio omnium Pontificum manſvetiſſimo nunquam digna eſſet viſa, cui abdicatio Regum vel Regni decerneretur. Præterea, ſatis adparet, Edictum poſterius ſuccreviſſe Privilegio ſeu Epiſtolæ. Poſtremo, nullum eſt crimen Regum, Principum, Imperatorum, cui pœna hoc Privilegio decreta veniſſet in mentem Gregorio, ſi adtendantur ea, quæ libri ſecundi Epiſtola poſt ſexageſimam ſecunda ſcripſit ad Imperatorum Mauritium. Me quod adtinet, ſcribit porro Launojus, non poſſum hanc Epiſtolam cum ultima Privilegii Auguſtodunenſis clauſula conciliare. Quare Privilegium vel totum eſt ſubditicium, vel, quod verius credo interpolatum. Sive autem hoc, ſive illud ſit, Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi tempus antecedit, qui citat in Epiſtola ad Hermannum Metenſem. Porro, interpolari tunc potuit, cum Eccleſia lacertos movere cœpit, & ſua repetere Bona, quæ Reges & Principes invaſerant, cum quidam Caroli Martelli memoriam infamarunt, & Eucherio Aurelianenſi viſum tribuerunt, quod Baronius & Sirmondus in numerum fabularum redegerunt. Deinde, Privilegii ſuppoſitio vel interpolatio confirmatur ex opuſculo Hincmari poſt quadrageſimum ſexto, hac Inſcriptione: Quæ exequi debeat Epiſcopus, & qua cura tueri res & facultates Eccleſiaſticas, in quo eadem cum Auguſtodenſi formula legitur, laudatur etiam ſemel atque iterum Gregorius, nec tamen laudatur illius pro Xenodochio Auguſtodunenſi Privilegium, quod ſine dubio laudaretur, ſi, quale nunc extat, tale tunc extitiſſet. Sed quoniam Gregorius authoritatis magnæ ſemper fuit in Eccleſia, non nulli perverſe Religioſi vel totum illi adſcripſerunt Privilegium, vel interpolarunt, & interpolato relatam adjecerunt clauſulam. *Tertium* memoratæ in utroque Privilegio formulæ ſenſum duplicem exhibet. Nimirum, formulæ hujus, per quam Reges & Principes ſua dignitate privantur, duplex ſenſus adferri ſolet ab iis, qui non examinant; an verum ſit Privilegium, ſed ſupponunt. Gregorius ſcilicet ſeptimus formulam hanc non laudat ex Privilegio S. Medardi, quod nondum extabat, ſed Auguſtodunenſi, quod extabat, intelligitque de poteſtate, quæ ſibi quæſita ſit Regum abdicandorum. Gregorii interpretationem ſequuntur Thomas Waldenſis, Baronius, Bellarminus, & qui hos exſcribunt, eorumque teſtimonia putant eſſe certiora, quam ea, quæ apud Sagram. Verum, ſunt alii, qui Gregorium non imperantem, ſed imprecantem accipiunt, quaſi admoneat Reges, Principes, Epiſcopos, Judices & omne genus hominum, ne Bona Xenodochio & pauperibus conceſſa diripiant. Quod ſi vero diripuerint, Chriſtum, cujus membra ſunt pauperes, fore Vindicem, qui eos & ſuis dignitatibus & æterna privaturus ſit vita. Quis quæſo alium daret huic formulæ Senſum, qua Epiſcopi quatuor Provinciarum utuntur? Et ſi nemo poſſit alium dare Senſum, quis Gregorii Pontificis ſeptimi, Valdenſis, Baronii, Bellarmini ſenſum Gregorio M. dabit in poſterum, cum ſit eadem ejus & non nullorum Galliæ Antiſtitum formula? Eritne hæc formula aliter atque aliter accipienda, quia cum alia atque alia perſona, alii atque alii Antiſtites uſurpant? Imprecandi formulæ pares inveniuntur in Conciliis quibuſdam Toletanis, nimirum, quarto, ſexto, ſeptimo & octavo. S. quoque Radegundis ad rerum Monaſterii ſui conſervationem ſic imprecatur in Epiſtola, quam ſcripſit ad Epiſcopos apud Gregorium Turonenſem. Sic Hiſtoria Benarnenſis binas non diſſimiles imprecandi formulas repræſentat, unam in literis, quibus Monaſterium S. Severi apud Vaſcones fundatur, alteram in charta S. Johannis Pinnatenſis. Vetus inſuper Codex manuſcriptus tabularum S Petri Carnotenſis tot habet ejuſmodi formulas, quot pene ad conficiendum ſufficerent libellum, in quibus Epiſcopi & optimates imprecantur. Cæterum, quæ hic diſputo, ſcribit Launojus, ad hominem diſputo. Nam ſi Privilegium S. Medardi falſum eſt, uti perſpicue oſtendi, ei de nulla interpretatione adcommodandum eſt; & ſi Privilegium Xenodochii Auguſtodunenſis ſubditicium vel interpo-

Digitized by Google

latum est, uti contendo, eludendæ sunt prius rationes, quam ut exponatur, quid sibi velit hæc formula. Interum excusandi sunt Gregorius Pontifex septimus, Thomas Valdensis & Perronius Cardinalis in oratione ad tertium Regni ordinem, qui Privilegio Augustodunensi sunt prius usi, quam in illius veritatem inquirerent. Huc adcedit, quod forte non habuerint memoratum Hincmari Remensis opusculum: quod si habuissent, Gregorii verba fuissent aliter interpretati. Baronius autem vix potest excusari, cum Privilegii S. Medardi falsitatem non suboluit modo, sed etiam deprehendit ex Subscriptionibus. Cæteri, videlicet Bellarminus, Schulkerius, Suarezius, Becanus itidem aliquatenus possunt excusari, quod Privilegii S. Medardi veritatem non examinaverunt. Hic duo sunt notanda. Prius est, quod cum Anno hujus Seculi post decimum tertio Petri, Abbatis Cellensis Epistolas ederet Sirmondus, illi ad Epistolam libri quinti vicesimam & primam certæ quædam exciderit nota; qua Medardi Svessionensis Monasterium S. Gregorii Papæ testimonio clarissimum vocavit. Posterius, quod cum Anno ejusdem vicesimo & nono antiqua Galliæ Concilia emitteret in lucem, Privilegium istud primo non intulerit Tomo, quod, si tunc habuisset pro vero, peræque ut alia Gregorii Privilegia intulisset; ac præterea, si suo tempore Petri Cellensis Epistolæ fuissent recusæ, notam supra adductam expunxisset, ipsomet hoc adfirmante, ubi de ea sermo cum illo fuit institutus. Hæc sunt animadvertenda, tum, ne Viri celebritas opponatur, tum, ne Sirmondo tribuatur amplius, quod pridem adhibitis cogitationibus secundis esse Sirmondi desiit. Jacobus præterea Gretserus in Examine Mysterii Plessiani videtur eatenus Privilegium hoc defendere, quatenus ab Adversario impugnatur, aut ratio improbabilis depromitur ex eo, sic scribens: *In hoc Privilegio Græciæ opes sitæ non sunt, quod, etsi apocryphum esset, haud tamen ideo evinceretur, S. Gregorium universalis Ecclesiæ curam non gessisse.* Verum enim vero, num Theologi jam memorati examinare debuerint Privilegium, ex quo, si Rex fratres Monasterii inquietaverit vel turbaverit, deponendorum à Pontifice Romano authoritatem confirmant, viderint ipsi. Annon enim pœna omnium gravissima culpæ leviori imposita suspicionem fraudis potuit, vel etiam debuit injicere? Nimirum, Gregorius Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, cæterarum gentium Reges de Sede, Principatu & possessionibus deturbabit, si *S. Medardi fratres inquietaverint.* Verba sunt è postrema Privilegii clausula, quam Becanus refert integram, aliis eam omittentibus, ne referendo fortassis erubescant. Et sane Theologi præ cæteris Doctoribus & Magistris inquirere debent in monumenta, ex quibus suas depromunt rationes; hoc inquam facere debent, non modo, quia celeberrimæ Professionis excellentia requirit, sed etiam, quia Romani Pontificis authoritas vel Ecclesia hominum mendacio non eget. Si enim egeret, Ecclesia Christi non esset, quia non esset columna & firmamentum Veritatis. *Quartum* argumenti ex Subscriptionibus desumti inutilitatem ostendit. Ferdinandus scilicet Ughellus, qui Italiam edidit Sacram, catalogo Episcoporum, qui huic Privilegio subscripsisse dicuntur, male consuluit, dum ex eo hunc vel illum hujus vel illius Sedis Episcopum fuisse confirmat. Vir nimirum bonus, vel potius simplex, Privilegium S. Medardi perinde admittit in authoritatem, ac si certo certius foret, quod tamen est falso falsius. Quare qui Episcopus non habet aliam sui probationem, quam quæ ab hoc sumitur Privilegio, nullam habet. In eandem quoque [illegible] incurrit Claudius Robertus in Gallia Christiana, & cum sequentes Fratres Sammarthani, qui eam cum augmento ediderunt. Hi enim, dum agunt de Monasterio S. Medardi, non adlegant modo hoc Privilegium, sed adlegatum quoque id à Gregorio Pontifice septimo dicunt, quod à veritate prorsus abhorret. Præterea, in serie Archiepiscoporum Burdegalensium sic scribunt: *Volunt quendam Sutellium Burdegalensem Archiepiscopum subscripsisse Privilegio S. Medardi Monasterio à Gregorio Pontifice dato, cujus Cœnobii meminit Gregorius Pontifex septimus in Epistolis.* Legerunt scilicet adpositam margini notam, quæ Privilegium S. Medardi indicat, sed ipsas Gregorii

rii Epiſtolas non legerunt, utpote in quibus de hoc Privilegio ne gry quidem extat. Sive igitur Binius, ſive quis alius notam margini adpoſuit, ſine dubio erravit. Si vero Claudius Robertus & Fratres Sammarthani Peronio Cardinali ad tertium Regni ordinem peroranti credidiſſent, à hujus Privilegii citatione abſtinuiſſent. Sed apud illos plus valuit fallax Binii vel alias cujuſdam nota marginalis, quam vera Cardinalis obſervatio. *Quintum* agnoſcit profectum ex iis, qui Privilegium hoc rejecerunt. Hi numerantur duo, laudatus modo Cardinalis Perronius, & David Blondellas, qui quamvis, ſcribit Launojus, ſeorſum à nobis per Religionem ſentit, hac in re tamen non ſentit, alioquin Perronius non conſentiret. Res nimirum eſt mere hiſtorica, quæ fidem non tangit. Sunt autem homines quidam ita perverſe Religioſi, ut ſuis adſertionibus ſatis ſuperque conſultum eſſe putent, ſi poſſint dicere, eas ab hæreticis improbari. Non curant inſuper, utrum adſertiones principiis, quam tractant, Artis vel Scientiæ conveniant, aut non. Factioſi ſunt diſputatores, quorum conſilium Eccleſia, nullius indigens falſitatis probavit nuſquam. Nam ſæpe numero contingit, ut, dum ſuffragium quis ſuum denegat æmulis, illud deneget Veritati, quod facti genus nunquam probabunt boni, nunquam probabit etiam Eccleſia. *Sextum*, quæ ad rationem numero quartam pertinent, adſerit magis magiſque. Cum hujus operis Editio præcipitabat ad finem, ſcribit porro Launojus, commodatus eſt mihi Codex manuſcriptus Monaſterii Muſicari, ubi plures extant Vitæ Sanctorum, & in his quoque Vita Medardi, de cujus antiquitate & Authore ſic cenſet Hadrianus Valeſius capite ſexto Diſceptationis de Baſilicis, ut eam vocet omnium vetuſtiſſimam, regnante Theodeberto juniore, Sigiberti nepote à loci Monacho contextam. At, Valeſius Hiſtoriæ leges negligit, ſcribens, eum, qui vitam Medardi ſcripſit, loci Monachum fuiſſe ut inde probet, Baſilicam Medardi jam tum fuiſſe Monaſterium; ſcilicet, ut ſuis inſerviat placitis, non Veritati hiſtoricæ, quæ tamen omnium diſceptationem unicus debet eſſe Scopus. Vita hæc authorem præ ſe fert nullum, eſt omnino ἀνώνυμος ex orationis ſerie cum, qui compoſuit, uti Monachum, ita & Clericum, & contra licebit colligere. Sed quisquis edidit, de Monaſterio, quod primus inchoaverit Chlotarius, & Sigbertus Chlotarii filius abſolverit, item de Monachis, quos inſtituerit Sigbertus, ne verbum quidem habet, habiturus ut adparet, ſine dubio, ſi vitæ hujus Scriptor regnante Theodeberto floruiſſet, utpote quo tempore, quid Chlotarius & Sigbertus feciſſent, ignorare non potuit, & quo tempore, ſi verum eſſet Privilegium, duo Pontifices, Johannes tertius & Gregorius M. hoc Monaſterium S. Medardi clariſſimum jam effecerant, & omnium Galliæ Monaſteriorum caput conſtituerant. Scilicet! Equidem Valeſius ipſe Diſceptationis de Baſilicis capite primo ſibi geſtit concedi, ſuburbanam Marcelli Baſilicam primis temporibus Matrem Pariſiorum non fuiſſe, quia Gregorius de ea locutus Eccleſiam Pariſiacam non adpellat. Idem ſexto rerum Francicarum libro nititur perſuadere, Chlodoveum miſſo cœlitus chriſmate non fuiſſe unctum in Regem, quia Gregorius de ejus Baptiſmo & Regno locutus rem uſque ad eo mirandam ſilet. Sic vita Medardi vetuſtiſſima Monaſterium & Monachos ſua obruit taciturnitate, & compuniet eorum vocem, qui Baſilicam Medardi ab initio Monaſterium, & Monachos ibi à Sigiberto collocatos fuiſſe clamant. Omnium vero Conſecutionum par eſt ratio, niſi forte ex parte hujus Vitæ ſit major ac efficacior. Atque ſic Valeſius opprimitur mole ſuarum obſervationum, quas ipſe rariſſimas adpellat. *Hæc hactenus* è prolixiſſima Inquiſitione Launoji breviter libuit excerpere, non ideo tantum, ut inidoneitas Exempli, quod Bellarminus ad demonſtrandam Pontificis Romani in deponendis Regibus & ſubditis à fidelitatis debitæ juramento abſolvendis poteſtatem præter alia in medium produxit, oſtenderetur, ſed ut ſimul anſa præberetur eruditis in ſimilia hujuſmodi Priuilegia, quæ alibi etiam Monachi magna cum pompa ſolent crepare, adcuratius inquirendi. Equidem Launojus apud Monachiſmi ſuperſtitioſos cultores parvam hoc Examine ſuo rigoroſiori gratiam inivit, hic & ibi crabroni-

Digitized by Google

bus irritatis, à quorum aculeis tamen hoſtilibus adeo non fuit abſterritus, ut potius de novo laceſſitus Examen hoc ſemel atque iterum readſumſerit. Scripſit nimirum poſthac opus prolixum, quod vocavit Adſertionem Inquiſitionis in Privilegium hoc S. Medardi, percarum in Bibliothecis Eruditorum, & cujus, ut ſupra jam monui, poſt rapinam Bibliothecæ Poſonienſis hoſtilem & omni ex parte injuſtiſſimam nullo labore compotem me fieri potuiſſe hic iterato teſtor. Neque deſeruit hanc cauſam, poſtquam ei ſe inſeruit *Antonius Dadinus Alteſerra*, Juriſconſultus & Anteceſſor Tholoſanus, qui Epiſtolas Gregorii cum Notis & obſervationibus edidit, defendens hoc Privilegium S. Medardi, cui Launojus duplicem oppoſuit Epiſtolam, quarum prior ſub initium, poſterior ſub finem ſeptimæ partis legitur, utraque non pauca obſervatu digna comprehendente, quæ tamen huc referre prohibet copia & prolixitas. Non vero circa hoc tantummodo Privilegium Examini Veritatis hiſtoricæ ſubjiciendum fuit occupatus, ſed contra hujus generis alia quoque eruditum & acrem ſtrinxit Stylum, nominatim contra Chartam Immunitatis, quam Germanus Pariſiorum Epiſcopus Monaſterio ibidem ſuburbano dediſſe fertur, quam Inquiſitionem prolixiſſima itidem Adſertione munivit atque defendit. Talem quoque Inquiſitionem ſcripſit in Chartam Fundationis & Privilegia Monaſterii Vindocinenſis, item in Privilegia ordinis Præmonſtratenſis & Capituli Laudunenſis, ut plura ejus his ſimilia nunc ſilentio premam Scripta, ex quibus forte in ſequentibus aliqua in gratiam Lectoris curioſi erunt delibanda, ubi grata ſe obtulerit occaſio. Præivit laudabili hoc Exemplo Sorboniſta hic natione Germanus ſuis Germanis, ne ſuperciliosis Privilegiorum jactatoribus Monachis & Cœnobitis facilem præberent fidem. Hinc non ita pridem hanc eandem aleam poſt *Heiderum*, Reipublicæ Lindavienſis Conſiliarium tentavit *Couringius*, edita in publicum illius Diplomatis Cenſura, quod Imperatori Ludovico Cœnobium Lindavienſi ſolet ferre acceptum, re per plures Annos ſub Judice & Lite moleſtiſſima pendente, ad quam methodum ſi alia etiam examinarentur, nullum eſt dubium, quin prætenſa ſimilium Privilegiorum Monachalium & clauſtralium antiquitas apud multos in valde recentem & muſteam vere novitatem ſit mutanda & plane tranſſubſtantianda.

Bellarminus *ibid.*

AD confirmationem ſuæ opinionis de poteſtate Pontificis Romani Reges, Principes & Imperatores Solio dejiciendi & ſubditos à juramento fidelitatis abſolvendi poſt adducta jam utitur etiam Exemplo Gregorii Papæ hec nomine ſecundi, de quo narrat, quod Leoni Iconomacho à ſe excommunicato prohibuerit ab Italis ſolvi vectigalia, ac proinde mulctaverit tum aliqua parte Imperii. Addit fateri hoc Magdeburgenſes, ſed reprehendere Gregorium ob id, eumque proditorem ſuæ ipſius Patriæ dicere. Reſpondet vero, nullum eos proferre Scriptorem, qui factum hoc vituperet, cum è contrario multi habeantur, qui id laudarint ut ſanctum & legitimum, videlicet Cedrenus, Zonaras, & alii omnes Hiſtorici, qui res horum temporum geſtas conſcripſerint.

Launojus *T.* VII. *Epiſt.* 7.

ANte, quam hæc Bellarmini verba ſubjicit Examini, Baronii non multum diſſimilia producit, quæ ſic habent: *Hiſtorici omnes Græci, & idem Theophanes ait, Leonem à Gregorio privatum eſſe tributorum Italiæ exactione. Teſtatur id Cedrenus & alii. Zonaras Romæ (uti par eſt credere) Synodice hæc eſſe facta tradit.* Nunc quæritur, an iſta, quæ Theophanes & Zonaras narrant, vera ſint, an falſa? Reſpondeo,

Digitized by

deo, mihi falſa eſſe videri. Et primo quidem Zonaras, dum meminit anathematis ſynodici, ſignificat, Concilium Romanum tunc ſub Gregorio fuiſſe celebratum, in quo, quæ recenſet, geſta fuerint. Atqui nullum celebratum eſt Concilium, in quo geſta hujuſmodi reperiantur. Sed Zonaras fieri voluit Concilium, quod inter tanti momenti faciendum eſſe duxit, ut narratio, quæ æqualium vel ſupparium authorum teſtimonio deſtituitur, fucatur ac coloretur. Deinde Zonaras injurioſe tractat Gregorium, quem facit inobſequentem Chriſto, dicenti, Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; repugnantem Paulo, ſcribenti, Omnis anima poteſtatibus ſit ſubdita, &, Reddite tributum, cui tributum debetur; repugnantem Petro, monenti, Subjecti eſtote omni creaturæ &c. Quis autem ſibi perſuadebit, voluiſſe Gregorium, qui ſanctus atque in Scripturis eruditus erat Pontifex Chriſto, Paulo & Petro ſic refragari, ut non ſolum vectigal, quod Imperatori jure Reipublicæ debebat, reddere noluerit, ſed etiam impedierit, ne alii redderent? Conſiderata re nemo id ſibi perſuadebit unquam, ſed omnes exiſtimabunt, fabuloſam eſſe Zonaræ narrationem. Præterea, Gregorius in traditione Patrum per quam verſatus erat, & probe noverat, quid antehac ſcripſerit Athanaſius in apologia ad Conſtantium Imperatorem hæreticum, & Hoſius Cordubenſis Epiſcopus ad eundem, quid dixerit Liberius in Dialogo ad eundem, & Ambroſius ad Valentinianum, itidem quid ſcripſerit Gregorius anteceſſor ad Mauritium & Phocam, Martinus quoque primus ad Theodorum, & hujus ſucceſſor Agatho in Epiſtola Synodali, qui conſtanter docuerunt, Imperatoribus parendum eſſe in iis, quæ ad Imperium & rempublicam pertinent; neque tantum id docuerunt, ſed exemplo etiam ſuo confirmarunt, tantum abeſt, ut ſe Imperatorum obedientiæ ſubduxerint vel impediverint, ne illis tributa penderentur. Quin etiam Liberius & Martinus Petri documentis convenienter paſſi ſunt exilia, tametſi forent injuſtiſſima, non repugnantes vel reſiſtentes, imo diligenter caventes, ne ab aliis reſiſtatur & homicidia perpetrentur. Sic Gregorius magnus ita ſe ſubditum agnoſcit Imperatori, ut ei minorem gerat in lege promulganda, quam putavit iniquam & ipſi DEO contumelioſam eſſe. Agatho etiam Imperatoribus obedientiam & tantam ſubjectionem, quanta vix eſſe poteſt, exhibuit in re, quæ non modo ad Imperium, ſed ad Eccleſiam quoque ſpectavit. Quis autem crederet, Gregorium ſecundum, horum omnium memorem, id præſtitiſſe, quod Zonaras ſcripſit? Inſuper Gregorius hic ipſe non obſcure ſignificat, ſe Patrum doctrinæ & Sedis Apoſtolicæ traditioni adhæſiſſe in Epiſtolis duabus ad Leonem Iſaurum Imperatorem, ex quibus duo potiſſimum veniunt obſervanda. Unum eſt Gregorium ipſummet illatam ſibi à Zonara & alium poſt eum Hiſtoricis injuriam ulciſci ac repellere. Nam fieri non poteſt, ut quis has percurrat Epiſtolas legendo, & non ſtatim Zonaram ac conſentientes ſibi Hiſtoricos adpellet calumniatores. Pontifex præceptum Chriſti ſecutus Imperatori reddit, quæ ſunt Imperatoris, & DEO, quæ ſunt DEI. Nam licet quæ DEI ſunt, defendat acriter, nuſquam recedit tamen ab eis, quæ Imperatori debentur jure Reipublicæ. Quin etiam de fovenda inter Imperatorem & populos Pace omnem ſuſcipit cogitationem, tantum abeſt, ut ſibi ſumat, quod Zonaras & alii ſuis conſignarunt monumentis. Alterum eſt, Gregorium ea objicere, quibus Zonaræ & conſentientium ſibi Hiſtoricorum error deprehenditur. Recenſet nimirum, qua ratione certi quidam Occidentis populi audito, quod Imperatoris juſſu ſubverſæ fuerint Imagines ſacræ, fecerint ſeditionem, & in locum veterum Magiſtratuum novos ſuffecerint. Hæc autem & alia cum minus bene intellexiſſent Zonaras & ei conſentientes Hiſtorici, quod tunc reipſa fuit geſtum, aliter narrarunt, quam vere narrandum fuit. Scilicet, Gregorius Imperatori nec obedientiam, nec penſionem tributorum detrectavit, quod cum feciſſe Zonaras ſcripſit cum ſequacibus. Occidentales etiam populi, quorum meminit Gregorius, Imperatori quidem detrectarunt obedientiam, ſed an penſionem quoque tributorum detrectaverint, Pontifex ſilet in hac Epiſtola. Aliud eſt, populos hos terre non potuiſſe, ut Imagines ſacræ ſubverterentur; aliud, eos recuſaſſe tributa

Digitized by Google

[illegible] [illegible] [illegible] [

cos prodidiſſe, Leonem à Gregorio Pontifice privatum eſſe exactione tributorum Italiæ. Sic Baronius cum Damaſceno, cum Authore Vitæ S. Stephani, cum Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano congreditur tam infeliciter, ut vincatur. Sed infelicius adhuc congreditur cum duobus Sedis Apoſtolicæ Præſulibus, Gregorio nimirum ſecundo & tertio, qui ſeſe à Theophanis, Cedreni & Zonaræ calumnia defendunt; & tunc ille cogitur de collocato apud Triumviros hoſce præſidio & ſtatione ſua decedere, & ſe in fugam ab Urbe turpiſſimam conferre, utens hominum armis, qui Eccleſiæ Romanæ communionem deſeruerant, & ſeorſim ab ea ſibi fecerant caſtra, ac ſimul Sanctæ & eximiæ pulchritudinis illius Inſignia, quæ ex Patrum doctrina & Sedis Apoſtolicæ traditione repetuntur, devenuſtaverant. Atque habet inſuper Baronius infelicitatis ſuæ ſocios, quotquot impactam à Cedreno & Zonara Pontificibus Romanis ſanctis & immerentibus Viris, calumniam admittunt in authoritatem, ut illorum tribuant Succeſſoribus, quod illi nunquam ſibi ſumſerunt. *Sigebertus* quidem in Chronico de facto teſtatur, at *Sigfridus* Presbyter in Epitome hanc narrationem ſuo obruit ſilentio. *Platina* quoque ſequitur Sigebertum, ſed *Sigonius* id refellit tacitus in libris de regno Italiæ. His contra Baronium obſervatis nunc breviter Bellarminum quoque Launojus perſtringit, id videlicet addentem, quod Baronius prætermiſit, nimirum quod Gregorius non tantum perhibuerit Leoni vectigalia ab Italis ſolvi, atque ſic Imperii parte mulctaverit, *ſed inſuper quoque eum excommunicaverit*, laudato itidem poſt vel præter Zonaram Cedreno, hoc factum & referente, atque ut ſanctum & legitimum laudante, de quo tamen obſervat Launojus, quod excommunicationis nullam plane fecerit mentionem, atque ſic etiam de facti hujuſmodi conditionibus ſiluerit. Subjungit autem Launojus tres alios teſtes, & quidem è Bellarmini ſocietate, hanc Hiſtoriam aliter deſcribentes. Primus eſt *Gretſerus*, in examine Myſterii Pleſſiani ſcribens expreſſe: *Tantum abeſt, ut Gregorius ſubditos contra Leonem inflammaret, vel ad defectionem ſollicitaret, ut (potius) quam diu potuit, poteſtatem ejus & authoritatem præſtiterit ſalvam, atque hinc captam à Longobardis Ravennam eidem per Venetos curaverit reſtituendam.* Secundus eſt Turſellinus in Epitome Hiſtoriarum in eo quidem adcedens Bellarmino, quod Leonem à Gregorio perculſum anathemate teſtatur, ſed ab eo recedens in hoc, quod non dixit, Gregorium Romanos, Campanos, Ravennates & Pentapolitanos ab Imperio Leonis abrupiſſe, è contrario non plane nullam aperiens cauſam erroris, in quem lapſi ſunt Theophanes, Cedrenus, Zonaras, & conſentientes iis Hiſtorici. Tertius eſt *Gualterius*, in tabula Chronologica perhibens quidem, quod Gregorius Leonis impietati reſtiterit animo forti, abſque tamen additione, quod ita reſtiterit, ut eum communione fidelium privaverit, ac inſuper prohibuerit, ne ei vectigalia ſolverentur in Italia.

Libet additionis loco hic contra Baronium & Bellarminum addere, quæ *Petrus de Marca*, Archiepiſcopus non ita pridem Pariſienſis in opere de Concordia Sacerdotii & Imperii ad hanc obſervavit Hiſtoriam, à principio ejuſdem ſecutus, ut ipſe teſtatur communem, quam vocat opinionem de excommunicatione Leonis, at poſtmodum re adcuratius perpenſa aliter judicans de ea, his nimirum verbis ex libri tertii capite undecimo deſumtis: Leo Imperator infenſus Gregorio, non ob novas opiniones, ſed quod novum agi cenſum in Provincia Romana non pateretur. Cenſus ille, cujus exactionem Gregorius impedivit, erat capitatio ſimilis ei, quam Siciliæ & Calabriæ indixit. Miſſo deinde Edicto, quo Imagines dejici præcipiebat, Pontifici ſuam Leo pollicetur gratiam, ſi definitioni nefariæ ſubſcriberet, aliqui eum ſuo gradu quantocius, depellendum minatus. Gregorius ſtatim ſe adverſus hoſtilem Principis animum parat, monetque Pentapoleos & Venetiarum exercitus, ut ab ea ſibi caveant impietate. Omnium mentes ad Pontificem tuendum inclinatæ ab Exarchi obſequio deſciſcunt, & ſuo delectu quiſque ſibi Duces præficiunt. Tunc ergo Ducem Romana quoque Provincia, quemadmodum & cætera, ſuo arbitratu, id eſt, Procerum delectu habuit, qui eodem uteretur jure in Republica admi-

ſuaſum eſſe volebant, Occidentem rebelaſſe, Epiſcopo Romæ, quem averſabantur, inſtigante.

Bellarminus *lib.* 1. *de Concil. cap.* 5. & 17.

Poſtquam ordine longo recenſuit Concilia, quæ vocat generalia, atque à Pontifice Romano dicit adprobata, demum prætermiſſa definitione Concilii univerſalis, ex conſuetudine Eccleſiaſtica collegit conditiones quatuor, quæ ſufficiant & requirantur ad illud. Prima eſt, ut evocatio ſit generalis, ita ut innoteſcat omnibus Provinciis majoribus Chriſtianis. Secunda, ut ex Epiſcopis nullus excludatur, undecunque veniat, modo conſtet, eum eſſe Epiſcopum, & non eſſe excommunicatum. Tertia, ut adſint per ſe, vel per alios quatuor præcipui Patriarchæ præter ſummum Pontificem, videlicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, quia iſtis ſuberant alii omnes Epiſcopi. Porro, hæc tertia conditio non omnino neceſſaria, ſed tantum ad bene eſſe judicabatur. Nam Synodus tertia ſine Patriarcha Antiocheno damnavit Neſtorium, & Synodus Chalcedonenſis ſine Patriarcha Alexandrino omnia fere concluſit, & nunc non neceſſarii ſunt iſti Patriarchæ, quia hæretici, vel certe ſchiſmatici ſunt. Quarta, ut ſaltem ex parte majori Provinciarum Chriſtianarum aliqui adveniant, &, ſi quidem in Oriente ſit Concilium, ſemper viſum eſt ſufficere, ſi ex Provinciis omnibus Orientis multi conveniant Epiſcopi, ex toto autem Occidente mittantur aliqui à Pontifice ſummo, qui locum ſuppleant aliorum; & è contrario, ſi celebretur in Occidente, conveniant ex omnibus Provinciis Occidentis multi, ex Oriente autem pauci nomine aliorum.

Launojus *T.* VIII. *Epiſt.* 11.

ITa de hac Bellarmini Tractatione judicat, ſcribens: Quot Synodi celebratæ ſint univerſales vel œcumenicæ, numerare eſt difficile, ſi facti, difficilius vero, ſi juris conditio ſpectetur. Et quia utriuſque difficultatis ratio in eo videtur eſſe poſita, quod Synodos univerſales alii aliter numerent, alii aliter atque aliter definiant, ſeparatim de utraque agendum, Quoad priorem, quæ in facti conditione verſatur, notandum *Primo*, Scriptores Græci, nimirum Photius, Nilus, Libellus Synodicus Synodum Nicenam poſteriorem adcenſent Synodis univerſalibus, quod idem faciunt Pontifices Romani in Profeſſione fidei, quam edere ſolent poſt electionem; è contrario Scriptores Galli antiquiores, videlicet, Annales Francorum duplicis generis à ſeculo octavo ad nonum, Author Vitæ Caroli magni, Eginhardus, Hincmarus, Regino Prumienſis eam non adcenſent. *Secundo*, quæ ad Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum reſtituendum, atque ad Photium è contrario deponendum Synodus eſt celebrata, hanc octavam & univerſalem habent in citata fidei profeſſione Pontifices Romani & Libellus Synodicus; verum nec octavam, nec univerſalem habent Photius, Cedrenus & Zonaras, atque his, quod majus eſt, adjungo Synodum Florentinam, quæ in prima ſui editione, Latina pariter & Græca, atque in Pontificio editionis privilegio Synodus octava, ἑβδόμη inſcribitur, ſic non inſcripta, ſi Patres Florentini illam Synodum octavam & univerſalem agnoviſſent. *Tertio*, Synodum eam prætermitto, quæ, ut eſt in fine Libelli Synodici, Ignatio vita functo, & Johanne octavo Pontifice Romano, ad Photium reſtituendum eſt coacta, quæ uti ab aliquibus vocatur octava & œcumenica, ſic ab aliquibus pſeudo-octava & non œcumenica vocatur. Quidquid id eſt, ut hi, ſic & illi cauſam adſerendi, quod adſerunt, in medium proferre non dubitant. *Quarto*, Eccleſia Gallicana nec Florentinum, nec Lateranenſe Concilium, quod Leo decimus habuit, Conciliis univerſalibus

adnumerat. De Florentino id testati sunt in Tridentino Antistites Gallicani, & Pio quarto Caroli Cardinalis Lotharingi opera significaverunt. Lateranense Academia Parisiensis in Provocatione adversus Concordata Bononiensia pro sacrarum Electionum & Juris communis defensione vocat Cœtum quendam non in Spiritu D E I congregatum. *Quinto*, Bellarminus, & qui eum sequuntur, cum Synodo Florentino concordat minime, quæ in citata Editione vocatur octava, quam vero Bellarminus, quique eum sequuntur decimam sextam adpellant.

Expedita sic facti quæstione, planum est, Synodos universales à scriptoribus Catholicis aliter atque aliter censeri, ab unis plures, ab aliis numerari pauciores. Et cum res ita sit, notata ab initio difficultas in apertam se prodit lucem, quæ juris conditione haud minuitur, sed modo duplici augetur. Prior in ea consistit ratione, quam Patres & Tractatores Ecclesiastici reddunt, cur Concilia de quibus loquuntur, sint vel fieri possint universalia. Posterior eos adtinet è Schola Theologos, qui varias universalis Concilii definitiones tradiderunt. Ad priorem, quia duplex adhuc est, sequentia sunt notanda. *Primum*, quod post Ecclesiam Gelasius Cyzicenus apud Photium in Bibliotheca Synodum Nicenam vocavit magnam & universalem, ex omnibus quasi orbis Romani Provinciis congregatam. *Secundum*, quæ ratio apud Eusebium & Gelasium facit, ut Synodus Nicena vocetur universalis, hæc eadem apud Patres Concilii Romæ sub Damaso coacti facit, ut Synodus Ariminensis vocari non possit universalis. Post mentionem hujus Concilii è Sozomeno & Theodoreto, item Epistola Damasi & cæterorum Romæ præsentium Episcoporum ad Episcopos in Illyrico, quæ in Collectione Holstenii bipartita legitur, Launojus ita de hac Synodo judicat: Tria sunt, propter quæ non possit universalis dici. Prima ratio est, quia Romanus Antistes, cujus præ cæteris omnibus juxta Theodoretum expectanda seu expetenda fuit sententia, nec adfuit, nec in Decretum Synodi consensit. Secunda, quod Antistites alii bene multi minime consenserunt. Tertia, quod non plane nulli ex iis, qui interfuerunt & coacti succubuerunt, postmodum sententia meliore suum sibi factum displicere fuerunt testati. Hæc cum ita sint, Concilium Ariminense non fuit universale, ac eam ob causam Niceno nullum inferre potuit præjudicium. Major quidem ibi, quam hic fuit Episcoporum numerus, sed ex omnibus orbis Christiani provinciis non fuit congregatus, atque sic non fuit Concilium universale. His ita constitutis, Bellarminus capite sexto libri hujus primi hoc Concilium Ariminense reprobatum jure potuit dicere, sed universale non potuit vocare. Præterea, Nicenam Synodum sequitur Constantinopolitana, quæ prima vocatur, & universalis reipsa non est, si ad ea exigatur, quæ est Eusebio & Gelasio Cyziceno de Nicena Synodo sunt observata, & proxime ex Innocentio & Leone, utroque hujus nominis Pontifice primo observabuntur. Nam in hac Synodo Constantinopolitana nullus Episcoporum Occidentalium adfuit, & tamen inter Synodos universales, eaque secunda est numerata ævi progressione, id obtinens, quod ab initio non habuit, atque id perfacile, quia paulo post Romæ Synodus est celebrata; ubi damnatæ à Synodo Constantinopolitana hæreses iterum damnabantur in Confessione fidei, quam describit Theodoretus. *Tertium*, Innocentius Pontifex hoc nomine primus cum cæteris Italiæ Episcopis, in literis ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, quarum Palladius in Dialogo de Vita Chrysostomi meminit, & Augustinus in tertii contra duas Pelagianorum Epistolas capite duodecimo significant, universale Concilium esse, quando Orientis & Occidentis Ecclesiarum Præsides in unum congregantur. *Quartum*, Theodosius junior in suis ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum literis, quæ partis primæ Actorum Ephesinæ Synodi capite post trigesimum primo leguntur, ipsa etiam Synodus Ephesina in actione tertia, quinta & sexta, iterum in relatione Concilii ad Imperatores, quin & Cyrillus in apologetico ad Theodosium, itidem describunt universalem Synodum ab Episcoporum Orientis & Occidentis conjunctione. *Quintum*, Leo quoque primus in tribus Epistolis rationem universalis

Sy-

Synodi ſic deſcribit, ut Sacerdotes omnium Provinciarum congregentur. *Sextum*, Facundus Hermianenſis Epiſcopus libri de tribus Capitulis quinti capite quinto rationem reddit, cur Calchedonenſe Concilium fuerit univerſale, & rationem reddendo ſignificat, quid univerſale ſit Concilium, ſcilicet, quod totius Eccleſiæ conſenſu ſit firmatum. Huic Facundo præiverat Felix Papa tertius in Epiſtola ad Vetranionem Epiſcopum, quæ legitur in appendice Codicis Theodoſiani. Cæterum obſervationes, quæ ſupra de Synodo ſecunda univerſali ſunt in medium prolatæ, efficiunt, ut Synodus quinta itidem ſatis diu mutaverit, & Concilii generalis vi ac nomine caruerit. Nempe, nec Vigilius Papa, qui tunc verſabatur Conſtantinopoli, nec Occidentales Epiſcopi eidem interfuerunt, & tamen poſtea pro generali eſt habita, uti teſtatur Gregorius magnus, quia nimirum ſecuta eſt Synodum Calchedonenſem in omnibus. Sic illa, inquit porro Launojus, œconomia fuit opus, ut quæ Synodus authoritatis incertæ per annos ſat multos extitit, generalis & quintæ Synodi vim nomenque conſequeretur. Exinde etiam contigit, ut ipſe Gregorius libri primi Epiſtola poſt viceſimam quarta ſcripſerit ad Johannem Conſtantinopolitanum, ſe hoc quoque Concilium pariter venerari; uti & in Diurno Romano, ac exhibita in eo fidei profeſſione, quam Pontifices recens creati olim emittebant, univerſalibus adcenſetur Conciliis. *Septimum*, Maximus Conſtantinopolitanus Monachus, in diſputatione, quam cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano inſtituit, præcipuas univerſalis Concilii conditiones ita demonſtrat, ut provocet ad leges, Canones ſynodicos & jura Eccleſiaſtica, atque ſic quæcunque contra hæc celebretur, pro univerſali non ſit habenda. *Octavum*, Stephanus junior, uti in Vita ejus legitur apud Damaſcenum, appellationem Synodi Conſtantinopolitanæ, quæ ſuſtulerat Imagines, ut facto conciliaret fidem, ac Synodum univerſalem ſe vocabat, ferre non potuit, hanc ob cauſam, quia quinque ſedium primarum Epiſcopi neque per ſe, neque per Legatos interfuerunt. *Nonum*, Synodus Nicena poſterior idem tradit, actione quinta probans ea, quibus huic Synodo Conſtantinopolitanæ notio univerſalis Synodi fuit ablata. Carolus Magnus ſeu quis alius ſub ejus nomine, libri de Imaginibus tertii capite poſt decimum primo cenſet, eam Synodum univerſalem non eſſe, quæ Provinciarum circumjacentium Eccleſias non conſuluit, contendens, hoc in more Eccleſiaſtico poſitum eſſe, ut non ante Synodus ulla, quæ diceretur univerſalis, aliquid de Dogmatibus decerneret, quam quid ſuper iis ſentirent Provinciarum circumjacentium Eccleſiæ, per Antiſtites earum præſentes, vel per Epiſtolas eorum creſceret. *Undecimum*, Hincmarus Remenſis eandem materiam ex iiſdem operibus Caroli retractat opuſculi poſt quinquageſimum quinti capite vigeſimo, atque ſic Eccleſia Gallicana jam tunc illa univerſalis Synodi conditiones, quæ in libris Caroli explicantur, in ſe recepit. *Duodecimum*, Synodus Conſtantienſis ſeſſione poſt trigeſimam nona formulam Profeſſionis fidei compoſuit, quæ à Pontifice Romano mox eligendo fieret, in qua Synodi univerſales undecim tantummodo recenſentur; nec memini me legiſſe, addit Launojus, qui ante hujus Concilii tempus Concilia plura vel pauciora, ſcilicet univerſalia ſimul & ſemel in Occidente nominaverit. *Decimum & tertium*, Eugenius Pontifex hoc nomine quartus in proœmio Synodi Florentinæ ſe cum Imperatore & Patriarcha Conſtantinopolitano, adcedentibus Patriarchis & Cardinalibus Romanis tum præſentibus univerſalem Synodum conſtituere putavit, atque ſic ad mentem hujus Pontificis univerſale Concilium perſonis plus minus viginti idoneis conſtaret. Hæc autem, ſcribit Launojus, eſt nova & inaudita omni retro verſus Apoſtolos tempore Concilii celebrandi, quod univerſale diceretur, methodus; & ſi cum iis, quæ ex variis Authoribus jam ſunt propoſita, contendatur, rei ad ſolvendum propoſitæ difficultas non minuitur, ſed creſcit. *Decimum & quartum*, Caſpar Gardinalis Contarenus illuſtrium Conciliorum ſummam, eamque Paulo Papæ hujus nominis tertio dicavit. In hac univerſales Synodos tantummodo novem numerat, Græcas octo primas, & nonam vocans Florentinam, quæ apud Lati-

nos facit celebrata. Atque sic Contarenus hic aliter ac Synodus Constantiensis numero subducit Synodos universales ; sed, quod notandum est maxime, nec Lateranensem, nec Lugdunensem, nec Viennensem agnoscit ut universales. Cæterum difficultas hæc augetur magis, si, quæ à pluribus è Schola Theologis definitione universalis Synodi traduntur, considerentur paulo diligentius. Equidem, qui ab Hincmari tempore ad Seculum usque duodecimum aut circiter universalis Concilii rationem exposuerit, offendi, neminem, scribit Launojus ; sed ab ista postmodum ætate multæ occurrunt definitiones universalis Concilii, quas & Theologi & Canonici Juris Antistites diversis conscripserunt temporibus. Eminet inter eas, quam habet Glossa in caput primum distinctionis post decimam septimæ, quæ Concilium universale apud Turrecrematam in libri Summæ tertii capite duodecimo definit, quod à Papa vel ejus Legato cum Episcopis celebratur. Alias habent Occamus, Thomas Waldensis, Johannes Gerson, Rostatus, Concilium Senonense, Melchior Canus, Clemens Monilianus, Dominicus Bannes. Et postquam Bellarmini conditiones supra exhibitas repetiit, hæc subjunxit Launojus : Quamvis octodecim universalia numeravit Concilia Bellarminus, tamen per conditiones ejus, in specie primam & quartam multa ex iis sunt tollenda, ut ex. gr. Lateranensia secundum & quintum, Lugdunense primum & Viennense. Et quidem primo in iis non fuit Evocatio generalis, quæ omnibus Christianis majoribus Provinciis innotuerit; deinde ex Oriente toto nulli interfuerunt Antistites, tantum abest, ut aliqui interfuerint, quemadmodum quarta exigit conditio, vel ut Antistites ex omnibus Christianis majoribus Provinciis fuerint evocati, prout priora postulat conditio. Præterea, Bellarminus, dum Concilia universalia numerat octodecim, à Constantiensis Concilii Patribus & à Contareno recedit multum ; sed dum necessarias ad Concilium universale faciendum conditiones exequitur, ad eos adcedit propius, in uno trutinam popularem, in altero Stateram Aurificum adhibens, postea quam pugnavit secum. Usque adeo difficile est non nunquam Summis etiam atque eminentibus Viris certum in scribendo modum tenere, & Veritatem, unicum adcuratæ potissimum Scriptionis scopum adsequi. Sed vix adsequitur, qui facile pronuntiat ; & is facile pronuntiat, qui ad pauca respicit, cum ad multa respiciendum est, &, quod pejus est, opiniones novas pro veteribus obtrudit, ac in veterum defensores acriter invadit. Cæterum, quidquid Glossa & Authores nominati ante Bellarminum de Concilii universalis notione tradiderunt, universalibus, quæ fieri possent, Synodis convenirent potius, quam omnibus Conciliis, quæ, ut adparet, facta sunt, & quæ pro universalibus nunc ab unis, nunc ab aliis Authoribus habentur. Atque hinc manifestum est, summa veritate niti, quod ab initio fuit propositum, negotiosum esse & arduum, si non prorsus *addiram*, quot sint universalia Concilia, certo apud omnes ac definito quodam numero comprehendere, si utrumque tractationis caput adtendatur. Et quia Concilii Lugdunensis primi mentio proxime facta est, quod Bellarminus itidem inter generalia recensuit, repeti hoc omnino debent, quæ supra ad libri de Pontifice Romano quinti caput septimum contra rationes Bellarmini pro jure deponendi reges, præsertim contra tertiam ex Epistola peculiari de hoc etiam Concilio sunt depromta, utpote quibus constabit, an hoc Concilium Lugdunense primum jure & secundum ipsius Bellarmini conditiones generalibus sit adcensendum. His potest addi, quod *Matthias Ugonius*, Episcopus Phamagustanus in Synodica, Venetiis ante Annos duodecim plusquam centenos cum adprobatione Pauli Pontificis hoc nomine tertii publicata de Conciliorum generalium celebratione observavit, cujus Monita si adtendantur & adplicatur ad ea, quæ Bellarminus sub hoc nomine recensuit, maxima diversitas adparebit, per quam aliquot eorum hoc Catalogo erunt eximenda.

Di-

Digreſſio ex Hiſtoria Conciliorum generalium Edmundi Richerii, de Synodo Antiochena.

EAm Bellarminus libri de Conciliis primi capite ſexto inter ea refert Concilia, & primo quidem loco, quæ à Sede Romana ſint vel fuerint reprobata, cui adſtipulatur Baronius, & ex eo Binius cum aliis, qui horum veſtigia in pleriſque ſequuntur, rationibus non ſemper ex debito adtentis. His uti in aliis, ita hic etiam maſcule contradixit & ſcripſit Doctor ille Sorbonicus, neque id ſine cauſâ, quam quintuplicem Lectoribus eruditis ad expendendum propoſuit, brevi ejuſdem Hiſtoria ex more præmiſſâ, in qua id præſertim notatu dignum, quod obſervavit, etiamſi Synodo huic & Orthodoxi & Ariani interfuerint, his hæreſin ſuam occultantibus, ſeque orthodoxos profitentibus, illos tamen, videlicet Orthodoxos numero Arianos ſuperaſſe, deque Canonibus condendis inter ſe conveniſſe, & plures optimas & ſanctiſſimas pro Canonum Nicenorum explicatione Regulas ſtatuiſſe, quæ communi Eccleſiæ Catholicæ conſenſu tandem receptæ, atque in Codicem Canonum univerſalis ſint conjectæ. Id autem, ſic ſcribit: primum daret ex Synodi Epheſinæ partis ſecundæ Actione ſeptima, ubi Patres ſtatuunt, Canones non tantum Nicenos, ſed etiam Antiochenos debere in memoriam revocari, ex illis intelligentes ſextum, ex his vero nonum, decimum & tertium, item viceſimum & ſecundum, utpote quibus docetur diſerte, unumquemque Epiſcopum ſuis Parochiæ terminis ſe continere, nec alienas invadere Parochias debere. Atque hoc primum eſt argumentum pro Canonibus Antiochenis, nimirum, quod Eccleſia eoſdem receperit, atque ii laudentur à prima Synodo Epheſina. Secundum ducitur ab Actione undecima Synodi Chalcedonenſis, ubi Leontius Magneſiæ Epiſcopus è Codice Canonum Eccleſiæ univerſalis regulam nonageſimam quintam & ſextam, id eſt, Canonum decimum ſextum & ſeptimum Synodi Antiochenæ citavit, qui duo eodem ſimiliter ordine & numero citantur in Codice Canonum Dionyſii Exigui, quo ante Decretum Gratiam Eccleſia Romana utebatur; idque argumento eſt certiſſimo, & Eccleſiam univerſalem in Conciliis generalibus & Romanam his Canonibus Antiochenis velut Sanctiſſimis & Canonice factis uſam ſuiſſe. Tertium petitur à Synodo Aquilgranenſi prima Seculi poſt Chriſtum noni, utpote cujus Synodi Canon poſt ſeptuageſimum quartus Canonem Synodi hujus Antiochenæ duodecimum refert integrum, qui etiam laudatur in Decreto Gratiani; factumque eſt, ut hic Canon in Decreto Gratiani authoritate Gregorii Pontificis hoc nomine poſt decimum tertii recognito integer atque illibatus fuerit relictus abſque ulla admonitione vel nota, atque id quidem jure, quoniam omnino conformis eſt diſciplinæ Eccleſiæ primitivæ Canonibus Nicenis præſcriptæ, an ſexta Synodo Carthaginenſi explicatæ & confirmatæ. Quartum eſt, quod Leo Pontifex hoc nomine quartus Diſtinctione viceſima apud Gratianum modo laudatum Canones hoſce Antiochenos inter eos enumerat, per quos judicent & judicenter Epiſcopi; unde Gratianus idem in locis pluribus eoſdem in ſuum conjicit Decretum, de quo videnda inprimis Diſtinctio poſt decimam ſexta. Quintum denique, quod Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus Turraconenſis, vir doctiſſimus, atque in lectione Conciliorum & Patrum antiquorum verſatiſſimus in libri de Gratiani emendatione primi Dialogo poſt decimum primo de his Canonibus Antiochenis ſcripſit, conſtare, eos eſſe receptos atque in corpore Canonum poſitos ante Synodum Chalcedonenſem, adprobatos etiam præter Leonem à Paſchali ſecundo in Synodo Romana, fortaſſis propter Decretorum utilitatem. Contra hæc (poſt Bellarminum) Binius in Annalibus Baronii quatuor præprimis objicit, ut probet, hos Canones Antiochenos eſſe ſpurios. Primo dicit, Patres Synodi Chalcedonenſis Regulam nonageſimam quin-

tam & sextam non ex Codice Synodi Antiochenæ, sed ex alia quadam collectione pridem ante communi authoritate Ecclesiastica & facta & adprobata citasse. Secundo, Canonem in specie duodecimum in ea factum esse contra Athanasium. Tertio, Innocentium Pontificem hujus nominis primum in Epistola ad Clericos Constantinopolitanos in causa Chrysostomi scripsisse de eodem hoc Canone agentem, illos Canones, qui à Canonibus Nicenis discrepant, atque ab hæreticis compositi esse deprehenduntur, rejici ab Episcopis Catholicis, nec iis obtemperandum esse, sed eos potius contemnendos, quomodo ante in Concilio Sardicensi à Prædecessoribus Episcopis factum sit. Quarto, Gratianum non debuisse memoratum Canonem duodecimum in suam inferre collectionem. Verum, ita respondet Doctor Sorbonicus, in genere, frustra laborat Binius, quondam tam certum est, quam quod certissimum, hos Canones Antiochenos ab Ecclesia Catholica probatos atque receptos fuisse, atque id merito, quidem cum in nulla Synodo alia vix unquam utiliores ad Ecclesiæ disciplinam optima constituendam fuerint conditi; quæque in contrarium, opponuntur à Baronio: futilia eoque fine sunt inventa, ut Jus commune & Regimen Aristocraticum Ecclesiæ, quod hisce Canonibus Antiochenis clarissime explicatur & munitur, proclivius convellatur, atque absoluta asseratur Monarchia. Primum vero in specie argumentum Binii, est mera petitio principii imaginaria, cui si detur locus, simili commento poterit illudi Canonibus Nicenis. Enim vero, cum consensu omnium collectio Codicis Canonum, de qua hic agitur, exordium faciat à laudatis Canonibus Nicenis, propter Synodi Nicenæ excellentiam, dato, quod laudetur aliquis Canon Nicenus, opponi poterit atque excipi, cum non è Synodo Nicena, sed ab alia collectione antiquiore pridem ante communi authoritate Majorum facta robur habere, quod vero ridiculum esset effugium. Certe, cum solemne sit Baronio, omnibus Canonibus & Scriptoribus indicere bellum, quos putat Aristocratico Regimini Ecclesiæ & Disciplinæ Apostolicæ patrocinari, nullo versor in dubio, quin, si aliquam vel tenuissimam Rimam potuisset nanciscì, qua Canones Nicenos redderet dubios atque incertos, eam invaderet avidissime, ut absolutæ velificaretur Monarchiæ, in cujus rei confirmationem ea possunt promi, quæ de Canonibus Nicenis Combustis & Arabicis nuper inventis comminiscuntur ei similes. Ad secundum tria sunt notanda. Primo, esse vero-simile, tempore Chrysostomi Canones Conciliorum nondum fuisse compactos in unum corpus & ordinem, certisque numeris distinctos, & consequenter Ecclesiam Catholicam vivente Chrysostomo Canones Antiochenos minime adhuc adprobasse; hoc enim dehinc factum videtur circa tempus primæ Synodi Ephesinæ, à qua hi Canones laudantur, qua responsione vastissimus Baronii impetus ruit omnino. Secundo, Patres, videlicet Tertullianum, Athanasium, Hieronymum, Chrysostomum & alios (Augustino & Basilico, utpote mitissimo præditis ingenio exceptis) sæpe ingenio calente inter altercandum cum adversariis non-nulla dicere vel scribere, quæ pro veris aut dogmaticis nequaquam haberi, sed considerate examinari & capi debent. Tertio denique, duodecimum Canonem Antiochenum, si, uti oportet, capiatur, nec ulla in re Canonibus Nicenis, nec etiam causæ Athanasii incommodare, sed etiam potius plurimum juvare. Et quidem quod adtinet Canones Nicenos, hunc Canonem Antiochenum iis non repugnare, manifestum est inde, quod Patres Nicæni Canone quinto statuant, omnes controversias secundum Jus commune illuc audiri ac definiri oportere, ubi nascuntur, & illos, qui alicujus judicio fuerint offensi, posse ad Provincialem, atque à Provinciali ad generalem Synodum provocare. Præterea, ex eadem disciplina Canonum constat, quando Regularia, hoc est pure Ecclesiastica tractantur, nec Imperatorem, nec Laicos interesse debere. His autem duabus positis conditionibus duodecimum hunc Canonem Antiochenum quadrare, nemo nisi ceritus potest negare. Ex quo patet porro, Patres Antiochenos hoc Canone nec potuisse, nec voluisse etiam impedire, quo minus damnati in Synodo particulari ad majorem,

jorem & ampliorem provocarent Synodum, cum idem Canon hoc nominatim edicat. Tandem, cum iidem Patres Antiocheni tenerent, Synodum Nicenam authoritate Conſtantini M. fuiſſe indictam, & Antiochenam hanc authoritate filii Imperatoris Conſtantii, qui eidem quoque ut Præſes intererat, profecto rationi repugnat, illos voluiſſe Imperatoribus interdicere, quo minus authoritate ſua poſthac Synodos indicarent; cum Experientia doceat contrarium. Quid ergo voluit ſibi Patres Antiocheni, damnatum prohibentes moleſtiam creari in Synodi auribus Imperatorum? Hoc nimirum, ne contra Canones Imperator ſeſe Regularibus immiſceat, ac ne via facti abdicatos in Synodo reſtituat. Quocirca, nunquam adquieverunt Orientales in facto Athanaſii prius, quam eſſet reſtitutus in Concilio Sardicenſi. Atque hoc clariſſime demonſtrat veram duodecimi Canonis Antiocheni explicationem, ad cujus normam Concilium Sardicenſe indictum & celebratum fuerat. Idem pariter eſt judicandum, quod tertium Binii argumentum adtinet, de Chryſoſtomo, quem Socrates memorat provocaſſe ad Concilium generale, & revocatum ab Imperatore, nec prius Urbem ingredi voluiſſe, quam coram Judicibus majoribus ſuam probaſſet innocentiam, at tamen violentia populi ſeditionem agitantis coactum fuiſſe concionari & Sacra celebrare. Unde, cum per Chryſoſtomum non ſteterit, quo minus cauſa ejus Canonice tractaretur in Synodo, idque exoptaret, atque ob hanc cauſam provocarit ad Synodum generalem, certe, adverſus Leontii calumnias validioribus ſe tutari poterat argumentis, quam repudiatione Canonum Antiochenorum, qui cauſæ ejuſdem opitulabantur. Cæterum, Binius de ſuo adtexuit ingenio, Chryſoſtomum reſpondiſſe Leontio, Canonem Antiochenum merito per Concilium Sardicenſe ſublatum fuiſſe; hoc namque Chryſoſtomum dixiſſe, neque Socrates, neque quiſquam alius refert, quantum ex publicis conſtat documentis. Quartum & ultimum de Gratiano argumentum, quod ille videlicet in collectionem ſuam non debuerit hunc duodecimum Canonem Antiochenum conjicere, levius eſt, quam ut morari debeat aliquem; ſicut etiam quod in Editione Conciliorum Romæ facta ex ſenſu Baronii Canones Antiocheni fuerunt abraſi. Et poſtquam Doctor Sorbonicus ipſos Canones Antiochenos cum quibuſdam Adnotationibus lectori exhibuit, totam hanc tractationem ſequentibus verbis abſolvit & obſignavit. Legat omnia, qui volet, Concilia nulla reperiet, in quibus ſanctiores aut ſalubriores Canones pro optimo Regimine Eccleſiæ, quam in hac Synodo Antiochena, ſint conditi.

Digreſſionis hujus Adpendix ex Antiquitate Illuſtrata Immanuelis Schelſtratenſis.

JOhannes quidem Cabaſſutius in altera Notitiæ Conciliorum Editione Lugdunenſi Synodum hanc Antiochenam adpellavit pſeudo-Synodum, ejuſdemque Canonibus tantum aliquibus, non vero omnibus Eccleſiæ uſum & adprobationem indulſiſſe authoritatem. At, ubi diſputationem laudati Doctoris Antverpiani legit, ac ejus rationes ſufficienter ponderavit, in Editione noviſſima hujus Noritiæ non altero tanto tantum, ſed pluribus Additionibus auctæ hanc ſuam mentem & Sententiam mutavit, agnoſcens, omnes & ſingulos hujus Synodi Antiochenæ Canones Eccleſiam adprobaſſe, ſolis contradicentibus quibuſdam, quamviis piis & eruditis horum Seculorum Doctoribus, qui quartum, duodecimum, decimum & quintum Canones tanquam perfidiæ Arianæ fœtus averſentur, quorum vero opinionem egregie refellat Immanuel hic Schelſtratenſis, & iis quidem argumentis, quæ dignatus eſt ſuæ huic Notitiæ ſequentibus inſerere verbis, omnino dignis, quæ hic etiam legantur. Primo, inquit, hanc ob cauſam, quia Synodus hæc Antiochena paſſim Synodi Nicenæ meminit honorifice, & multis Canonibus ejuſdem adſtruendis ſuam quoque authoritatem impendit, vocatque ſan-

Digitized by Google

sanctum & magnum Concilium apud Niceam congregatum Canone primo, quo tempus celebritatis Paschalis secundum præscriptum Nicenum indicitur. Ita Canon Nicenus post decimum sextus de non suscipiendis alterius Ecclesiæ Clericis renovatur tertio Canone Antiocheno. Atque sic alii plures. Secundo, quia Synodus Calchedonensis huic Synodo Antiochenæ conciliavit authoritatem, quando ejusdem Canones observari præcepit. Tertio, quia seculis proxime sequentibus Ecclesiæ Canones hosce Antiochenos fuit venerata, eorumque secuta est authoritatem & præscripta. Etenim post Synodum Chalcedonensem, cujus vel sola sufficeret authoritas, uti sunt Canone quarto Synodi hujus Antiochenæ Episcopi Pisidiæ in Epistola ad Imperatorem. Gregorius quoque Pontifex in Concilio septuaginta Episcoporum texens indicem librorum apocryphorum non meminit Canonum Antiochenorum. Imo perantiquus Ecclesiæ Romanæ Codex, unde ille regulas Disciplinæ Ecclesiasticæ solebat haurire, & cujus mentio frequens occurrit in veterum Pontificum Romanorum Epistolis, cujus etiam meminit in suæ Collectionis præfatione Dionysius Exiguus, confusionem ejus causam esse dicens novæ collectionis; ille inquam Codex vetustus, simulque ista collectio Dionysiana Canones hos Antiochenos complectentur, quemadmodum & collectio Isidoriana. Martinus quoque Braccarensis in Capitulari Canonum Græcorum, quod anno seculi post Christum sexti septuagesimo & secundo concinnavit, similiter etiam Cresconius Afer in Breviario eosdem inseruerunt. Præterea Hadrianus Pontifex hoc nomine primus Codicem Canonum Romæ usitatorum obtulit Carolo magno ad usum Ecclesiarum in Gallia, anno seculi post Christum octavi octogesimo & tertio, in quo iidem continentur; ipseque Carolus in Capitulari Aquisgranensi ad Cleri reformationem anno seculi ejusdem octogesimo & nono eosdem promulgavit observandos. Jungendus his est Leo Pontifex hoc nomine quartus in Synodo Romana ad hanc Synodum Antiochenam provocans; qui etiam rescribens ad Episcopos Britanniæ inter Canones, per quos regendæ sint Ecclesiæ, hos quoque Antiochenos recensuit, uti constat ex distinctione vicesima apud Gratianum. Adcedunt alii Canonum compilatores adprobati, utpote Bucchardus, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, ipseque Gratianus, qui suis passim collectionibus hos etiam Canones inseruerunt. Et quando Antonius Augustinus meminit Paschalis secundi in Synodo Romana, ea non videatur alia fuisse, quam Lateranensis secunda sub eodem habita, utpote in qua cum aliis adlegatur quoque Canon è Synodo hac Antiochena. Quod vero Julius Papa in causa Athanasii, & Innocentius hoc nomine primus in lite Chrysostomi Canonem Antiochenum, quo utrumque depositum & extorrem furor adversariorum implacabilis conabatur opprimere, damnant ut injustum, de nullo ex viginti quinque Canonibus, qui adhuc supersunt, debet intelligi, qui omnes ab Ecclesia in authoritatem sunt recepti jam ab usque Synodo Calchedonensi, uti docent supra laudati Codices Canonum, quibus olim utebatur Ecclesia Romana, & quem edidit Justellus, & quem publicavit Quesnellus, uterque Antiquitatis venerandæ, quemadmodum & citatæ itidem collectiones antiquissimæ Dionysii Abbatis & Isidori Mercatoris, quæ Canones hosce Antiochenos tanquam ab Ecclesia adprobatos & regiminis Ecclesiastici regulas protulerint. Et, qui maxime omnium suspectus videri posset Canon quartus, is lectus & adprobatus fuit in actione quarta Synodi Calchedonensis, & plane justus sacroque Regimini conformis est, quemadmodum & duodecimus, qui tamen vellicari cœpit tantum ultimo hoc seculo à Scriptoribus quidem Ingenii, meriti & peritiæ profundissimæ, Baronio, (Bellarmino) Perronio, aliisque Viris clarissimis. Quisnam vero tandem est ille Canon Antiochenus à Pontificibus Romanis Julio & Idnocentio rejectus? Ille utique, quem seorsim ab Episcopis Catholicis Ariani paulo post Synodum dirempta consentiente. Constantio Principe procuderunt, quo tempore Gregorium Alexandriæ Episcopum loco Athanasii sacrilega manuum impositione crearunt. Canon autem tunc ab eis conflatus refertur à Palladio in vita Chrysostomi sequentibus ver-

Digitized by Google

verbis: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, ſive juſte, ſive injuſte depoſitus, ex ſeipſo abſque Synodo redierit ad Eccleſiam, hic jam excuſationis non habeat locum, ſed omnino expellatur.* Res quidem, ita de ſuo adjungit Notitiæ ſcriptor, eſſet exempli deterrimi, gravemque introducens anarchiam & confuſionem, ſi quis à Judice legitimo exauthoratus authoritate privata ſe poſſet iterum ſtabilire. Certe poſt Chriſti condemnationem ſuſpectius, flagitioſius, contumelioſius nullum fuit judicium, quam quo Athanaſius fuit oppreſſus in Synodo Tyria ab Epiſcopis tum ob immane odium ſuſceptis, tum incompetentibus, nec ullam in eum poteſtatem legitimam aut juriſdictionem habentibus; & tamen Athanaſius, ut ait Epiſtola Epiſcoporum Alexandriæ & Ægypti ſynodica, ad Imperatorem adſcenderat, rogans, ut Synodus indiceretur legitima, inſuper recurſum habens ad Julium Pontificem Romanum, quod poſtmodum à Chryſoſtomo quoque factum. Ita de hac Synodo Antiochena *Cabbaſutius* ad mentem Doctoris Antverpiani contra triumviros Cardinales ac alios, imo ſemetipſum, quo ingenuam ſibi inter paucos ſupereſſe mentem teſtatus eſt, non indignum ratus, agnoſcere errorem, ac fateri, per quem profecerit. Verum, quæ in antiquitate illuſtrata brevioribus lineis ſcripſit *Schelſtratenſis*, prolixius paulo poſt cenſuit elaborandum, edito Tractatu peculiari ſatis magno, in quo id ſibi ſumſit negotii, ut, quemadmodum ſub hujus ſeculi initium *Ferdinandus Mendoſa*, Hiſpanus, juſto itidem Commentario, qui nunc poſt iteratam Editionem Lugdunenſium ultimæ collectioni Conciliorum legitur inſertus, Synodum Illiberitanam ab omni ſuſpicione adverſus Baronii, Bellarmini & aliorum adcuſationes ſtuduit liberare, conatus ſuos pro adprobatione commendans Clementi Papæ hujus nominis octavo, ſedem Romanam tunc occupanti; is Synodum hanc Antiochanam pro Arianorum Synodo à multis habitam, tanquam omni ex parte ſanctam, utque ab omni labe adſperſa puram Eccleſiæ, ejuſve capiti putatitio, Innocentio hujus nominis poſt decimum primo ſiſteret. Equidem labore primo meritus eſt, ut in numerum Canonicorum Antverpienſium ſuſciperetur, factus Eccleſiæ ibidem Cathedralis Cantor, hoc titulo monitus, ut poſthac ad Notas Eccleſiæ vel ſedis Romanæ pergeret canere. An vero aliquod honoris argumentum hoc novo opere ſit impetraturus, vel jam impetraverit; item an Synodus hæc Antiochena, pro qua adverſus Purpuratos, de ſede Romana magis longe meritos, tanquam pro foris & aris pugnavit, majorem poſthac in Eccleſia authoritatem ſit habitura, exploſis aliorum rationibus, docebit tempus. De Ferdinando certe Mendoza non conſtat, quod ullum à Clemente Papa ob exantlatos in gratiam Synodi Illiberitanæ labores acceperit præmium, vel quod Synodo huic majus aliquod æſtimium adceſſerit. Et ſi aliud exemplum inſuper licet adjicere, hactenus non licuit indagare, qua mente apud Romanos fuerit antehac ſuſceptum *Sirmondi* ſtudium, qui Synodum Arelatenſem primam pro Conciliorum univerſalium primo ac juxta Auguſtini ſententiam plenario voluit haberi, Johanne Launojo, Doctore Pariſienſi id duobus diverſis Tractatibus proſequente, è quibus ſupra pleraque notatu digna in gratiam Lectoris curioſi fuerunt excerpta, ut hoc etiam exemplo manifeſtum fiat, quid in Hiſtoria Conciliorum ſuper adhuc ſit, ſi quis ad pleniorem ejus notitiam velit pervenire. Id unicum adhuc reſtat obſervandum, quod Schelſtratenſis primum ſe jactaverit, qui auſus ſit tractare hoc argumentum contra receptam à pleriſque opinionem, ignarus videlicet eruditiſſimæ de eodem diſputationis, quam plura ante luſtra Hiſtoriæ Conciliorum generalium inſeruit *Edmundus Recherius*, Doctor Sorbonicus, unde potiora jam ſunt excerpta; ne quid dicam de ſumma Conciliorum, quam *Bartholomæus Caranta* Ordinis Prædicatorum, ſeculo ſuperiori edidit, in qua expreſſe legitur, quod Synodus hæc Antiochena fuerit adprobata à Synodo Trullana atque per Papam Dionyſium, meritus ob id cenſuram *Bailii*, qui in ampliori ſumma Conciliorum Gratiani quoque authoritatem ſugillavit, quia in Decreto ſynodum hanc Antiochenam inter Concilia à Catholicis habita recenſuit.

Appendicis Mantissa è Dissertationibus Ecclesiastico-Historicis Natalis Alexandri.

EOdem videlicet tempore, quo Doctor Antverpianus publicavit Antiquitatem illustratam, hic etiam Doctor Sorbonicus oculis eruditorum exposuit Dissertationes Ecclesiasticas, in quibus præter alia de hac etiam Synodo Antiochena suæ mentis sensu duxit exponenda. ipsam Synodum quidem quasi hæreticam rejiciens Canones vero sub ejus nomine extantes acriter defendens, præsertim contra objectiones scriptoris cujusdam Galli, Davidis, qui in libro Gallice conscripto de Judiciis Episcoporum Canonicis Canones hosce Antiochenos post alios novis quibusdam, ut videri voluit, rationibus reprobare conatus est, quas cum Alexandri responsionibus huc juvat adponere. Nimirum, quod adprobatio horum canonum inprimis etiam nititur authoritate Dionysii exigui, prout ex adlegatione Richerii & Schelstratensis manifestum est, utpote, qui ex codice canonum Ecclesiæ Græcæ, quem in gratiam Ecclesiæ Occidentalis donavit Latinitate, hos etiam canones Antiochenos excerpsit, quod argumento est, illos & in Ecclesia Græca viguisse, atque à Latina pariter susceptos & adprobatos fuisset David hic citatus excepit, illam collectionem Græcam ejus fidem Dionysius Exiguus sit secutus, sibi adornatam videri ab aliquo Schismaticorum Orientalium, qui Johanni Antiocheno adhæserunt; conjecturam hoc fulciens argumento, quod Synodi Ephesinæ canones huic codici non fuerint inserti, fraus autem hujusmodi ab aliis non potuerit proficisci, quam ab iis, quibus Concilium illud fuerit exosum, quod ab eodem damnationis sententiam retulissent, adcedente ea etiam suspicione, schismaticos Ephesini sub Johanne Antiocheno Conciliabuli Episcopos propugnasse hos canones Antiochenos ex præjudicato erga Patriarcham suum ac Statuta Prædecessorum adfectu, atque sic ab Origine horum canonum vitiata virus hoc esse transfusum in collectionem Dionysianam. Respondet autem Alexander, hariolari Davidem. Nam, inquit, schisma illud Johannis Antiocheni & Orientalium breve fuit, redintegrata paucos post annos Pace inter ipsos & Cyrillum, nec varia fuit Episcoporum illorum disciplina à cæteris tempore Synodi Chalcedonensis, in qua prolatus est codex continens canones hosce Antiochenos cum cæteris canonibus conciliorum præcedentium, ut juris canonici Orientalis collectio omnium Ecclesiarum Orientalium usu recepta & adprobata, non vero non Ecclesiæ solius Antiochenæ propria. Unde quamvis ab aliquo schismaticorum Orientalium adornata fuisset illa collectio, quod adseritur quidem à David, verum non probatur, nihilo tamen minus hi canones Antiocheni ab Ecclesia sunt recepti, quia eam adprobando Synodus Chalcedonensis & Ecclesia universalis fecerunt suam. Quod autem canones Ephesini in collectione Dionysii Exigui desiderentur, non probat ipsos abfuisse à codice Orientalis Ecclesiæ, quo is fuit usus; illos enim exhibet codex vetus Ecclesiæ universalis à Justello editus, sed colligitur duntaxat, Dionysium aliqua ratione motum illos neglexisse, quæ ea fuit verisimiliter, quod illi canones Ephesini disciplinam Ecclesiæ universalis non spectarent, sed Nestorianos tantum, eorumque ac Pelagianorum fautores, qui schisma fecerant adversus Synodum, atque sic etiam Decreta Synodi adversus eos pro re nata fuerint edita. Canonem in specie duodecimum quod adtinet à Chrysostomo & Innocentio Pontifice rejectum, uti etiam à Julio, respondet Alexander, eum constanter tunc explosum fuisse, quia nec Antiochenæ, nec aliarum Orientis Synodorum canones ab Ecclesiis Orientalibus adhuc fuerint recepti, nec etiam ab Ecclesia Constantinopolitana, quæ, cum Diœcesi Thraciæ esset addicta, canonibus Synodi Ancycanæ, Neocæsarienſis, Gangrensis, Antiochenæ & Laodicensis, utpote editis ab aliis Diœcesibus non tenebatur. Hinc neque Chrysostomus, qui Episcopus erat Constantinopolitanus, neque Innocentius, qui Diœceses Occiden-

cidentis regebat, hos canones admittere voluerunt, maxime propter odium Authorum quia ab Arianis in Conciliabulo hoc Antiocheno dominantibus fuerant (vel videbantur) editi, & inter alios hic duodecimus quoque, promulgatus quippe (uti videtur) ad opprimendum (innocentem) Athanasium. Equidem Chrysostomus contra objectionem ex hoc canone adversus se factam dupliciter excepit, primo, se majori Episcoporum numero fultum repetiisse Sedem suam, ut hac etiam parte satisfaceret Canoni huic Antiocheno, cujus authoritas adversus ipsum urgebatur; deinde canonem hunc esse rejiciendum, utpote ab Arianis conditum. Verum, canones hos universales in Synodo Chalcedonensi recepit Ecclesia, non existimans, in odium Arianorum esse eos rejiciendos, tum, quia nihil est in illis, quod Fidei repugnet, ac Disciplinam lædat Ecclesiasticam, vel quod Arianis ullo, faveat pacto; tum, quia incertum est, an soli hisce Canonibus edendis operam dederint Ariani. Porro, quanquam Ariani canonem hunc duodecimum condidissent ad opprimendum innocentem Athanasium, nihil tamen causæ ejus nocere Episcopis (ibidem) Catholicis potuit videri, nec aliquid contra æquitatem decernere, cum futuris duntaxat negotiis formam clare censendus esset, non vero præteritis, qualis erat causa Athanasii. Subjungit Alexander, qua voluit videri ingenuitate, per quem profecerit, agnoscere, hoc responsum esse Petri de Marca, Archiepiscopi Parisiensis. Addit autem pro confirmatione responsi, versionem Latinam Epistolæ Julii Pontificis, ad quam in hoc argumento facta est etiam provocatio, è Textu Græco emendandum esse, quo videlicet significatur, Gregorium Ecclesiæ Alexandrinæ invasorem ad Sedem illam fuisse evectum triginta & sex mansionibus ab Alexandria, id est, Antiochiæ, quod male vertit interpres ad triginta & sex suffragia. Verum, etsi duntaxat Episcopi totidem Ariani, vel etiam quadraginta, uti Palladius ait, Synodi huic Antiochenæ interfuissent, non tamen sequitur, ab illis (tantum) solis editos fuisse Canones hosce, siquidem Episcopi nonaginta, ipsomet Athanasio teste, eidem interfuerunt, à quibus quinquaginta fuerunt orthodoxi. Cur vero non his etiam Editio Canonum tribuatur. Denique Julius Pontifex non improbavit (simpliciter) Synodum Antiochenam, nisi quoad ea, quæ adversus Athanasium gesta sunt in ea ab Arianis, & quoad Gregorii intrusionem in Sedem Alexandrinam, uti ex verbis ipsius patet, quæ à Davide in sensum detorquentur plane alienum. His aliam jungit objectionem adversus hos Canones Antiochenos Natalis, desumtam ex iis, quæ in Synodo Romana sub Hilario Pontifice, Leonis M. Successore, sunt gesta Annis circiter sexdecim post Synodum Chalcedonensem. Scilicet, Episcopi Hispaniæ Sedem Apostolicam circa quatuor Disciplinæ capita consuluerunt. Duo priora spectabant Episcopum quendam, nomine Silvanum, qui duos contra Canones ordinaverat Episcopos, unum, non expectata electione & adsensu plebis; alterum extra Provinciæ (nimirum) suæ fines positum. Duo autem posteriora spectabant Episcopos, nomine Nundinarium & Irenæum, quorum unus obitu imminente alterum sibi in Episcopatu Barcinonensi designaverat Successorem. Porro, cum Epistolæ Hispaniensium Episcoporum legerentur in Synodo Romana, Episcopi ibidem congregati lectionem illius, quæ factum Silvani spectabat, frequentibus interturbarunt adclamationibus, quibus violatam à Silvano disciplinam postulabant conservari. At, quod spectabat designationem Successoris à Nundinario factam, licet Canone post vicesimum tertio Synodi hujus Antiochenæ hujusmodi designationes fuerint prohibitæ & damnatæ, nemo tamen Episcoporum illam authoritate Canonum contendit esse rescindendam. Præterea, Synodus hæc Romana de facto Nundinarii loquitur velut de novo atque in Ecclesia hactenus inaudito. Verum, si Canones Antiocheni ab Ecclesia universale jam fuissent adprobati, Patres Synodi hujus Romanæ & Pontifex Hilarius procul dubio laudassent illum Canonem Antiochenum, quo designationes hæ fuerunt prohibitæ, nec nomen & inauditum dixissent malum, quod jam olim Canonibus Ecclesiasticis necessum fuisset cohibere. Illud itaque est argumento, Canones Antiochenos in Codicem Ecclesiæ universalis tunc

temporis nondum relatos fuiſſe. Reſpondet autem Alexander, argumentum hoc nullius eſſe ponderis, quia ſit negativum. Nam, inquit, non ſequitur, Patres Synodi Romanæ nullos Canones agnoviſſe legitimos, quibus Succeſſoris deſignatio prohiberetur Epiſcopis, quia laudarunt nullos. Imo, colligitur recte, ipſos factum Nundinarii non fuiſſe improbaturos, niſi ſancitæ Canonibus Eccleſiaſticis diſciplinæ vulnus intuliſſet graviſſimum. Cum itaque ſolis Antiochenæ Synodi Canonibus illud diſerte vetitum eſſet, conſequens eſt, Canones illos fuiſſe notos & acceptos Synodi Romanæ Patribus & Hilario Pontifici. Novum vero dici potuit malum, quia hucuſque in Occidente fuerat inauditum pene, quamvis olim graſſaretur in Oriente, Synodi autem hujus Antiochenæ Canonibus repreſſum. Poſtquam vero hactenus Alexander hic Natalis Canones Antiochenos tanquam legitimos & adprobatos defendit Concluſione prima, ſecunda jam porro tanquam vero ſimile defendendum ſuſcepit, eos Synodi ejuſdem fœtus non eſſe, idque ob orationes duas, quarum prima deſumitur ex convenientia Canonis poſt decimum tertii & poſt viceſimum ſecundi, qui, dum idem omnino decernunt, non videntur ei in eadem Synodo editi. Secunda ſic habet: Plures ex Canonibus Antiochenis ſpirant diſciplinæ ſanctioris ſtudium. Non igitur eſt veroſimile, quod ab hominibus Spiritus S. deſtitutis atque à Pietatis veræ ſenſu alienis, quales erant Euſebiani, fuerint conditi. Gregorii namque ordinatio & intruſio diſerte damnatur Canone poſt decimum nono, utpote quo irrita decernitur ordinatio Epiſcopi, quæ facta ſit præter Synodum & præſentiam Metropolitani, & cui Epiſcopi comprovinciales vel omnes, vel plurimi non præbuerint adſenſum. Deinde, Euſebii Nicomedienſis variæ ab uno Epiſcopatu ad alium migrationes Canone poſt viceſimum primo luculentius percelluntur, quam ut in Concilio, cui dominabantur Euſebiani, conditus poſſit exiſtimari. Denique videtur incredibile, Canonem undecimum, quo Aulæ Imperatoriæ aditus abſque conſilio & literis Metropolitani atque Antiſtitum eumprovincialium prohibetur Epiſcopis, ab Epiſcopis Aulicis, quales erant Euſebiani, promulgatum fuiſſe. Probabile igitur eſt, Canones in variis Conciliis Antiochiæ celebratis editos in unam tranſcriptos fuiſſe Synodum confuſoſque, & iſtas leges ſanctiſſimas moribus Euſebianorum adverſas ab ea Synodo editas non fuiſſe, quæ Anno Seculi poſt Chriſtum quarti quadrageſimo & primo fuit celebrata, & in qua factio ipſorum erat ſuperior, ſed in alia forte, quæ ſub Euſtathio ſit celebrata. Atque hæc conjectura confirmatur ex Theodoti Laodiceni & Anatolii Emiſſeni ſubſcriptionibus, quorum prior Anno iſtius Seculi poſt triceſimum quinto, poſterior item (quamvis paulo) ante Synodum Antiochenam fato functus erat.

Mantiſſæ Coronis ex opere Petri de Marca, Archiepiſcopi Pariſienſis, de Concordia Sacerdotii & Imperii.

HUic coronidi præbuit anſam non modo Natalis hic Alexander, ſed Immanuel quoque Schelſtratenſis, quorum uterque in hujus argumenti tractatione ejus fecit mentionem, ex cujus obſervatione lubet excerpere, quæ leguntur in libri tertii, atque capitis tertii ſectione tertia, ubi in genere notatur, Canones hoſce Antiochenos varie Eruditorum ingenia torſiſſe, utpote, ſcribit, qui concoquere non poterant, quo pacto refelli poſſent à Chryſoſtomo & Innocentio tanquam ab Arianis editi, cum certum ſit, eos in cenſum Canonum adſcriptos fuiſſe ab Eccleſia univerſali, & prælatos in Synodo Chalcedonenſi tanquam Canones à Patribus editos. Et quidem Baronius, qui ſibi perſuaſit, integram Synodum Antiochenam ex Arianis conſtitiſſe, putat, Canones in Synodo Chalcedonenſi laudatos ex alia Canonum collectione, quam è Synodo Antiochena petitos fuiſſe. Alii cenſuerunt, (in margine adponitur nomen Marci Antonii

Digitized by Google

tonii de Dominis,) in cauſa Chryſoſtomi non ipſum Canonem duodecimum Synodi Antiochenæ, ſed alium quendam ab hæreticis in altera quadam Synodo Antiochena confictum fuiſſe explosum; cum tamen è Socrate & Paladio ſatis conſtet, agi de Canone duodecimo Synodi Antiochenæ. Aliis (in margine habetur nomen Samuelis Petiti) placuit, non omnes Canones Antiochenos, ſed ſolummodo hunc duodecimum à Chryſoſtomo oppugnatum fuiſſe, quaſi ſolus ille fuerit conflatus ab Arianis adverſus Athanaſium. Hanc conjecturam eo juvari putant argumento, quod ex hac Sententia verus eliciatur modus conciliandi numeros Canonum juxta collectionem Zonaræ & Balſamonis cum collectionis antiquæ numeris, quæ fuit prolata in Synodo Chalcedonenſi. Et enim in illa collectione veteri Canon Antiochenus poſt decimum ſextus numeratur ordine poſt nonageſimum quintus à Canone primo Synodi Nicenæ, qui calculus eſt abſque errore, ſi expungatur Canon duodecimus Synodi Antiochenæ. At vero in collectione Johannis Zonaræ idem Canon Antiochenus poſt decimum ſextus numeratur ordine poſt nonageſimum ſextus ob male admiſſum Canonem hunc duodecimum in collectione Recentiori. Sed non erat, ſcribit Petrus de Marca, cur eruditus Vir nodum quæreret in ſcirpo; apertiſſima eſt enim ratio diſcriminis in numeris inter collectionem utramque, à Viris eruditis prolata, atque ab ipſo laudata, quæ nequit ſincere refutari. Nempe, peccatum eſt in collectione Johannis Zonaræ quoad numerum Canonum Synodi Neocæſarienſis, quos quindecim recenſet, diſtracto in duos Canone poſt decimum tertio, cum revera quatuordecim tantummodo Canones Synodi hujus Neocæſarienſis numerent Theodoretus (vel quicunque alius eſt Author) in Synagoge Canonum, vetus item Interpretatio Latina ſtatim à Synodo Chalcedonenſi edita, Dionyſius quoque Exiguus, Epitome Hadriani, Cretconius & Photius in Nomocanone, quorum authoritati error non debet opponi, qui irrepſit in collectionem Zonaræ. Deinde, cujus decreto rejectaneus ille canon omnia Eccleſiæ univerſalis exemplaria invaſiſſet, ſi daremus, eum à codice chalcedonenſi præſcriptum fuiſſe. Addere licet, nihil iniqui illo canone duodecimo Synodi Antiochenæ conſtitui, nec eum ad detrimentum Athanaſii potuiſſe trahi, niſi per ſummam injuriam; cum futuris negotiis formam dare cenſendus fuerit, non vero præteritis, qualis erat cauſa Athanaſii. Quare damnatio Athanaſii decreta Antiochiæ (an autem præciſe in illa Synodo?) non eo canone (ſolo) nitebatur, uti docetur, cum de Athanaſii damnatione agitur ex profeſſo. Itaque ſola ſupereſt ratio conciliandi Chryſoſtomi & Innocentii cum authoritate legitima canonum Antiochenorum, quod ſcilicet nondum erant recepti neque in Occidente, neque in Thracica Diœceſi. Certum eſt quidem, (quod in antecedente ſecunda Sectione obſervat Archiepiſcopus Pariſienſis) Patres, qui Antiochiæ convenerant, majori ex parte orthodoxos fuiſſe, cum è numero Epiſcoporum, ex quo conventus ille conſtabat, triginta tantum partes Euſebianas ſequerentur, clanculum hæreſi faventes Arianæ, quamvis aperte à communione Catholica non diſceſſiſſent, uti conſtat ex Epiſtola Julii Pontificis apud Athanaſium. At tamen apud poſteros ſuſpicione hæreſeos Arianæ laborarunt, quod in eo conventu Euſebiani primas tenerent partes, atque eo ad Fidem Conſubſtantialis convellendam conveniſſent, eoque propoſito expulſionem Athanaſii in Synodo Tyria decretam antehac judiciis ſuis ex omnium conſenſu confirmaſſent; quod eos deinde ad illam impulit neceſſitatem, ut orthodoxi æque ac Semi-ariani ab Occidentalibus in concilio Sardicenſi diſceſſerint, unde etiam Eccleſiis Occidentalibus cœtum Orientalium Arianæ impietatis infamia notandi occaſio data eſt, præcipue, cum Georgium Cappadocem Arianum ſubſtituerint Athanaſio, quod ultimum etſi ab Epiſcopis Arianis fuerit conſtitutum, uti Julius obſervat, dedecus tamen nefarii hujus facinoris ad omnes Epiſcopos, qui Synodo intererant, redundavit. Hæc ibi Author celebris, qui poſtmodum quoque libri ſeptimi & capitis in eo ſecundi ſectione quinta & ſexta, uti de authoritate canonum Antiochenorum id genere, ita in ſpecie etiam

de ensu canonis duodecimi egit. Sed possunt hæc in præsens sufficere, usque dum alia obcurrat occasio, hæc & similia prolixius discutiendi, ne coronis cæteras Digressionis partes videatur superare. Atque sic habes, Lector Veritatis-Historicæ amans, quatuor vel potius quinque Viros, qui adversus Bellarminum & sequaces Synodi Antiochenæ & canonum in ea decretorum authoritatem, quamvis non una & eadem ratione studuerunt confirmare, eundem sibi præfigentes Scopum, ad quem vero via contenderunt diversa. Nobis hic etiam, utpote ad hominem tantummodo disputantibus, potest esse satis, si spectatorum officio fungentibus licet intueri, quomodo vulpes non Samsonicæ caudis colligatæ in Agro Philistæorum hinc inde grassentur, ac fratres Cadmei mutuis se conficiant vulneribus, dum in eo sunt occupatissimi, ut pro foris & acris pugnent, ac Ecclesiam, cujus se profitentur filios, iis depingant coloribus, ne ulla adpareat macula, vel ruga, sed potius ut sit ex omni parte perfecta.

Bellarminus *ibid. cap.* 9. & 10.

AGit de utilitate vel etiam necessitate Conciliorum, de generalibus præsertim statuens, ea esse utilia, & suo quodam modo necessaria, non tamen absolute & simpliciter.

Launojus *T.* III. *Epist.* 4.

UT hanc Bellarmini thesin examinet, multa præmittit, quibus docere vult, necessaria esse Concilia, tum ad configendam doctrinæ novitatem, tum ad temperandos christianorum mores, atque ad dijudicandos Episcoporum lites. Primum hujus rei documentum capit ex capite decimo & quinto actuum Apostolicorum, sic scribens: Apostoli omnes habent Concilium, ut ei controversia, quæ Hierosolymis de observandis quibusdam Legis Mosaicæ ritibus erat excitata finem imponant. Sed quoniam Numine Divino impleri homines omnia rerum gerendarum momenta cognoscunt, & propter rem illam habent Concilium, videntur ejus necessitatem indicare. Quis enim diceret, Apostolos hinc tyrannico terrore oppressos, illinc in fundanda ubique gentium Ecclesia occupatissimos id tum fecisse, quod utiliter quidem, sed citra ullam necessitatem potuit fieri? Etsi quis circunstantias hujus Concilii perspiciat & pertentet ex omni parte, observabit sine dubio de necessitate conciliorum esse eo differendum modo, quem Synodus quinta exponit in collatione octava, ubi occurrunt duo, quæ curiose ac diligenter debent animadverti. Prius est, quod pro dirimenda Religionis controversia exemplum proponitur Apostolorum, qui communi consensu protulerunt sententiam, & eam ad gentes scripserunt hoc modo: Visum est Spiritui sancto & nobis &c. Posterius, quod adseverat Synodus quinta, in communibus de fide disceptationibus non aliter posse, quam in Concilio generali Veritatem manifestari. Cum igitur Synodus quinta exemplum secuta Apostolorum adserat necessitatem Conciliorum, recentiores quidam Theologi non possunt non graviter peccare, qui contrarium docere non verentur. Notasse tamen sufficit, Bellarminum, qui vires omnes ad elevandam Conciliorum necessitatem insumit, dissimulare non potuisse, quin ex hoc actuum Apostolicorum loco necessitas eorundem probetur, capiti undecimo proxime sequenti hoc lemma præfigentem, Concilia Episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria, his in ipso Textu insertis, quod, cum Apostoli seorsim singuli etiam potuissent definire controversias, tamen ne viderentur ordinarium & ab ipsomet Christo demonstratum negligere medium, non sine Concilio controversiam de legalibus exortam definire voluerint. Sed Johannes Bagotius ejusdem cum Bellarmino societatis, adhuc multo sincerius agit, cum libri Institutionum

Digitized by Google

num Theologicarum quarti diſputatione tertia univerſalis Concili neceſſitatem ex hoc Apoſtolorum facto probat. Poſt prolixam ſeriem Pontificum Romanorum adducit Launojus, qu omnes hic conſentiunt, nominatim Cornelii Julii primi, Liberii, Damaſi primi, Siricii, Innocentii primi, Cœleſtini primi, Leonis primi, ex cujus Epiſtolis plura proferuntur teſtimonia, Hilarii, Felicis tertii, Gelaſii primi Symmachi, Hormiſdæ, Bonifacii ſecundi, Vigilii, Gregorii primi, qui itidem in Epiſtolis plura ſuppeditat teſtimonia huc pertinentia, Theodori, Martini primi, Agathonis, Nicolai primi, Johannis octavi, cujus teſtimonia numero ſuperant antecedentia, Stephani noni vel decimi, Nicolai ſecundi, Alexandri ſecundi, Gregorii ſeptimi, cui itidem plura adſcribuntur teſtimonia, Urbani ſecundi, Paſchalis ſecundi, Gelaſii ſecundi, Eugenii tertii, Alexandri tertii, Innocentii tertii, Gregorii decimi, Clementis quinti, Martini quinti, Clementis ſeptimi, Pii quarti hæc ſubjungens: Sic providentia DEI factum eſt, ut invitis & repugnantibus Curiæ Romanenſis adſentatoribus ipſi Pontifices Concilia generalia non Salutaria modo vel utilia, ſed etiam neceſſaria judicarent. Atque hæc eſt Apoſtolicæ traditionis linea, nunc que videor mihi videre celeberrimum quendam Pontificum Romanorum conſeſſum, cui Petrus præſidet, ac una omnium voce decernit, celebrationem Conciliorum ad ſanciendas res Fidei & Diſciplinæ non utilem modo, verum inſuper quoque neceſſariam eſſe. Conſeſſui huic adcedunt Romanus ille cleruſque tempore Cypriani & Sede vacante omni Virtutis genere floruit; & quotquot Pontifices Romani, cum initiati ſunt, eam Fidei profeſſionem ediderunt, quæ in Eccleſiæ Romanæ Diurno legitur. Hinc nimirum dubitare non licet, quin Pontifices obligati Sacramento paruerint Nicenæ Synodo, & Annis ſingulis concilia, quoad fieri potuit, celebraverint, etiamſi ad nos omnia eorum Monumenta non pervenerint. Scilicet adprime noverant, Leonem M. obſervaſſe, nihil contra Reverentiam Canonum paternorum, contra S. Spiritus inſtituta, contra Antiquitatis Exempla tentandum eſſe, & Sanctorum Patrum Canones Spiritu DEI conditos & totius Mundi reverentia congregatos ita cuſtodiendos eſſe, ut à Regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumtione diſcedatur. Noverant Leonem, cum ſcribit hæc, de Canonibus Nicenis inſtituere Sermonem. Præterea, qui veterum Patrum Commentarios evolvet, qui omnia Conciliorum volumina replicabit, neceſſitatem habendorum in Eccleſia Conciliorum inveniret adſertam. Nec vero Pontifices aliter ſentire poterant, niſi, quod abſit, cum Licinio Chriſtianæ Religionis adflictore ſentirent adverſus Eccleſiam, de quo Euſebius in primi de Conſtantini Vita libri capite poſt quadrageſimum quarto teſtatur, quod lege promulgata impedierit, ne ab Epiſcopis Concilia celebrarentur. At Sedes Apoſtolica non aliter ſenſit unquam quam quod univerſa tunc per urbem ſentiebat Eccleſia, tantum abeſt, ut cum Licinio conſpiret, quorum fortaſſis Eccleſiæ Romanæ adulatores conſpirant. Sed Apoſtolica Sedes vel Eccleſia Romana, ut adparet, nec conſpirat, nec id fecit unquam, quo conſpirare judicatur. De Sede loquor Apoſtolica, ſcribit notanter Launojus, non de Curiæ Romanæ Theologis, qui conciliorum utilitatem Pontificibus Romanis nunquam exponunt, de Eccleſiæ Romanæ circa conciliorum celebrationem traditione nunquam ſcribunt, ac de eorum neceſſitate ſilent plane. Nunc ut expendantur, quæ Bellarminus de hoc argumenti genere ſcripſit, utrum exploratæ Sedis Apoſtolicæ traditioni conſentiat, vel ab ea diſſentiat, vel, ut aliquando ſolet, ἀμφισβητῶς, notandum eſt, quod is capite citato priori conciliorum celebrandorum cauſas ſex enumerat, ſcilicet novam hæreſin, quæ damnetur, excitatum inter Pontifices Romanos Schiſma, quod tollatur, communem Eccleſiæ totius hoſtem, cui ſit reſiſtendum, hæreſeos in Pontifice Romano ſuſpicionem, quæ examinetur, de Pontificis electione dubitationem, quæ removeatur, generalem denique Reformationem abuſuum & vitiorum, quæ in Eccleſiam irrepſerunt. At ſilentio prætermiſit obſervationem Canonis Niceni, quo fuit ſtatutum, ut Annis ſingulis per unamquamque Provinciam bis

in

in Anno Concilia celebrentur. Intoleranda hæc ἀτοπία eſt, cujus hic reum ſe prodit Bellarminus. Deinde, in capite citato poſteriori Lemma ſibi ſumit, quod complicatur certis quibuſdam verbis, quæ Pontifici Romano cuicunque ſecundum neceſſitatem conciliorum pronuntianti ſecum facerent. Nam nullum apud relatos Pontifices eſt teſtimonium, nulla plane Sententia, quam Bellarminus per iſtud non enervet, atque à propoſito non deflectat. Verba hæc ſunt Academiæ volaticæ, ubi pro arbitrio quidvis negatur vel adſeritur, non Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ ſimplici, nuda & communi oratione declaratur. Bellarminus quidem Lemma ſuum confirmat ex eo, quod primis trecentis Annis Eccleſia caruit conciliis generalibus, nec tamen periit. Sed primo hoc argumentum urget Pontifices Romanos, in quorum gratiam tamen ſcripſit Bellarminus de conciliis generalibus, eorum minuens neceſſitatem. Dicit nimirum Bellarminus, generale concilium non eſſe ſimpliciter neceſſarium. At Liberius Papa ſic quondam ſcripſit ad Conſtantium Imperatorem, ut neceſſarium eſſe ſignificet concilium. Sic Innocentius Pontifex hoc nomine primus de eadem neceſſitate conciliorum ſcripſit ad clerum & populum Conſtantinopolitanum. Idem fere ſcripſit ad Theodoſium Leo & Synodus Romana. Synodus item quinta, quam adprobarunt Pontifices Romani, in Collatione octava profitetur ingenue, non poſſe aliter, quam in communibus de Fide diſceptationibus (quæ in generali fiunt concilio) manifeſtari Veritatem. Gregorius quoque Magnus ſimilia fere habet in Epiſtola ad Johannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, uti & Nicolaus primus in Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos, Gregorius porro ſeptimus ad Epiſcopos Provinciæ Mediolanenſis, Innocentius præterea tertius ad Philippum Galliæ Regem, Gregorius etiam decimus in Indictione Concilii Lugdunenſis numero & ordine ſecundi, Clemens inſuper ſeptimus ad Franciſcum Galliæ Regem, & Pius tandem quartus, adſerens, Concilium Tridentinum fuiſſe opus ſalutare & neceſſarium. Tum, Bellarminus in variis rei neceſſariæ acceptionibus ludit, & in verbis præſcripti Lemmatis ad caput citatum poſterius præſtigioſam conſtituit machinam, in qua nunc ſe prodit in lucem, nunc occultat ſe, & tandem conciliorum generalium frequentationem redigit ad ſimplicem & abſolutam rerum naturalium conditionem, quæ ſumma eſt in Philoſophando fallacia. Quippe alius eſt rerum moralium ſtatus, quo æſtimandi ſit conciliorum generalium celebratio, alius vero naturalium, ubi, quod abſolute & ſimpliciter neceſſarium eſt, perpenditur. Fraus illa & tergiverſatio ſi de Bellarmini diſputatione detrahatur, Diſputatio hæc veluti magno quodam labefactata motu concidit, & Author operis pene Siparium ab omnibus argumentis vacuus & nudus adparebit. Denique, primis Eccleſiæ Annis trecentis concilia generalia fuerunt neceſſaria, ſed ne tunc temporis calamitoſiſſimi fierent, horrendæ Chriſtianorum vexationes obſtiterunt. Uno verbo, neceſſaria fuerunt ſemper concilia generalia, ſed ea non potuerunt ſemper congregari, & quo tempore potuerunt congregari, & ut congregarentur, fuit opere pretium, ſunt congregata, ut inter omnes de concilio Niceno liquet; quæ rerum momenta quatuor cum diſſimulat Bellarminus, dolo malo ſic ſtatuit: *Quemadmodum Annis illis primis trecentis Eccleſia ſine Conciliis generalibus manſit incolumis, ſic etiam potuiſſet ſine dubio aliis trecentis, & rurſus aliis ſexcentis, atque in aliis mille incolumis permanere; Nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreſes, Schiſmata & vitia, atque abuſus, quæ tamen omnia Eccleſiam Catholicam, tametſi Conciliorum, generalium præſidio deſtitutam opprimere non potuerunt.* Sic dolo malo ſtatuit, cum, quod vir animo præditus ſincero libenter agnoſceret, non agnoſcit. Nam annorum illorum trecentorum intervallo, celebrata ſunt diverſis in locis concilia, & prout Imperii barbaries tulit, nunc parva, nunc latis magna, quæ generalibus pleriſque poſſent æquiparari, cujus rei Exemplum eſt de celebrando die Paſchali illuſtriſſimum, quod Euſebius libri Hiſtoriarum quinti capite voſt viceſimum ſecundo recenſet, plurium conciliorum Provincialium hac de controverſia habitorum faciens mentionem, quæ omni annon gene-

generali concilio æquantur, annon universim idonee repræsentant Ecclesiam, si præsertim adtendantur tum multitudo Præsulum, tum disjunctissima maximeque diversa loca, in quibus ea fuere coacta? Deinde Eusebius concilium Antiochenum, quod Pauli Samosatensis hæresin confinxit, & Paulum de sua Sede dejecit, libri septimi capite itidem post vicesimum secundo, ita describit, ut expresse habeat, Episcopos pene infinitos una cum Presbyteris & Diaconis ad illud fuisse coactos, ita ut vix ac ne vix quidem aliquis potuerit enumerare. Sed quoniam ibi cum Paulo actum est mitius, eodem teste in capite sequenti aliud ibi fuit coactum, ubi quoque Episcopi numero prope infiniti fuerunt convocati, dum è contrario potuerunt numerari, qui primis Synodi Tridentinæ Sessionibus interfuerunt. Hilarius certe, Pictaviensis Episcopus magis definite, quam Eusebius de numero Episcoporum Antiocheni seu prioris, seu posterioris concilii loquitur, cum in Epistola de Synodis octoginta Episcopos interfuisse scribit. Jam Bellarminus non advertit, Tridentinum haberi generale concilium, etiamsi Sessionibus non nullis Episcopi octoginta non interfuerint: hoc inquam Bellarminus non advertit, quo facilius sua de non necessitate conciliorum placita constitueret. Niceni vero Patres persuasi, necessaria esse concilia, decreverunt, ut quotannis in unaquaque Provincia Synodi semel atque iterum celebrentur, quæ omnes Synodis universalibus non possunt non æquiparari, maxime si Synodus universalis commode non possit celebrari. Ad hanc observationem extabescit opinio Bellarmini, qua concilia non esse necessaria absolute metaphysicis suis & formalibus argutiis per repetitam toties Annorum trecentorum subductionem contendit, expositam Sedes Apostolicæ traditionem oppugnat, & omnes curas ac cogitationes refigit, quas relati Pontifices Romani in congregandis itidem Synodis suo quivis tempore confixerunt. Porro autem non semper est necesse, universalia congregari Concilia, vel alia etiam plura, quæ tantumdem essent. Et primo quidem necesse non est, Concilium universale cogi, cum readcenditur hæresis, quæ à Concilio universali jam est extincta, ut laudati Pontifices, Felix tertius & Gelasius hoc nomine primus docent. Deinde quando hæreseos materia tam auribus & animis omnium est absona, ut sua sponte dissiliat, vel quando hæreseos Authores magni non sunt nominis in Ecclesia, & manu leviſſima comprimuntur vel ab Ecclesiasticis Tractoribus & Episcopis Diœcesanis, qui contra illos scribunt, vel à Synodis provincialibus, quas celebrant Episcopi. Apud Philastrium, Epiphanium, Augustinum, Theodoretum Exempla hæreseos & hæreticorum ejusmodi occurrunt, quorum aliqua postquam Recensuit Launojus, sic tandem concludit: His Exemplis instruimur, semper in Ecclesia DEI fuisse persuasum, ad hæreseos & hæreticorum, qui alicujus essent nominis confutationem Requiri Synodus. Quocirca nemini mirum videri debet, Licinium, hostem Christianorum infensissimum reputasse secum, fore, ut, si tollerentur ab Ecclesia Synodi, Religio sancta funditus extirparetur. Quæ omnia si Bellarminus plane novisset, non dubito, quin Vir optimus de Conciliorum necessitate scripsisset aliter, quam revera scripsit, & derivatam ab initio Sedis Apostolicæ traditionem, quæ, si ulla, suis splendescit monumentis, adamasset maxime & pugnacissime defendisset.

Additio prior.

AD hanc de conciliorum necessitate & utilitate doctrinam referri potest atque debet hæc etiam Quæstio, annon utile, imo necessarium sit, ut concilium de iis agat controversiis, quæ illo tempore inter Ecclesiæ Doctores ultro, citroque, pro & contra cum multo animorum motu agitantur, cum videlicet in finem, ut omnis in Ecclesia lites abscindantur, ac idem ab omnibus doceatur? Et quia Quæstio hæc generа-

neralis eſt, lubet ſubjungere unam & alteram ſpecialem, & interrogare, annon Synodus Tridentina Seculo priori celebrata inter alias hanc quoque Controverſiam jure debuerit dirimere, quæ tum inter Scholæ Doctores vehementer fuit agitata de *Contritione & Adtritione*, quibuſdam pro illa, aliis pro hac tanquam pro aris & focis acriter diſputantibus, præſertim quia Lutherus ipſe, contra cujus Doctrinam Synodus hæc ptæcipue fuit congregata, anſam huic ventilationi præbuit? Ipſa tractatio Controverſiæ huc non pertinet, de qua prolixe antehac fuit actum in Vindiciis Thomiſticis, longe prolixius autem in Auguſtinianis, in quibus quia mentio facta fuit Launoii ejuſve Libri de *Mente Synodi Tridentinæ* circa Contritionem & Adtritionem in Sacramento Pœnitentiæ, nimirum, quod Auguſtini Sententiam & Authoritatem adtinet, lubet nunc ire hac occaſione plus ultra, & dum Sorboniſta laudatus hoc in libro id ſolum egit, ut demonſtraret, Synodum Tridentinam duplici Theologorum de Contritione & Adtritione opinioni nullum feciſſe præjudicium, *ſed utramque Doctoribus Scholæ liberam reliquiſſe*, breviter inquirere, an Synodus hæc omnes ſui temporis Controverſias definire volens ſatis ex eſſe ſuo fecerit officio, hanc Quæſtionem relinquens indeciſam, quæ non plane nullius erat momenti atque ponderis? Scriptionis occaſionem Launojus dicit fuiſſe exortam in Eccleſia Catalaunenſi de hac re contentionem, ad quam Synodus Tridentina in contraria trahebatur ſtudia, inquit. Erant enim hinc, qui *Adtritionem* reliquis Sacramenti Pœnitentiæ partibus junctam ſufficere ad rei purgationem adſererent; erant autem inde, qui negarent, & *Contritionem* ſuo intellectam ſenſu requiri publice docerent. Utrique vero, etiamſi diſſiderent inter ſe & diſcordarent quam maxime, uti adparet, in hoc tamen uno conveniebant, quod à Patribus Tridentinis ſecundum ſe pronuntiatum eſſe vellent, atque ſic *mutuam erroris notam* inurerent ſibi. Sorboniſta autem in ſe recipit, nihil eſſe ab illis ſecundum utroſque pronuntiatum, & duobus εἰς ὑμᾶς de Contritione & Adtritione placitis, quæ tunc occupabant Scholam, nullum eſſe factum ab iis præjudicium. Quo igitur tempore haberi cœptum eſt concilium, celebres erant duæ inter Theologos de Contritione & Adtritione opiniones. Nam alii tradebant, Contritionem, actum videlicet charitate formatum exigi, vel, ut *Sacramentum Pœnitentiæ valeat*, vel, quod reipſa in idem fere recidit, ut fructus Sacramenti percipiatur; alii ſcribebant, Adtritionem, actumvidelicet charitatis expertem; ſatis eſſe, &, ut valeat Sacramentum, & ut ejus percipiatur fructus. Hæc eſt illa diſputatio Scholaſtica, in qua Synodus Tridentina neutri Theologorum Sententiæ fecit præjudicium, ſed utramque ſuis adſertoribus liberam demiſit. Atque hoc ſe oſtenſurum promittit Launojus, exiſtimans, ſalvam tunc fore pacem in Eccleſia, & nullum utrinque locum calumniæ. Librum vero dividit in partes duas, in quarum una explicat rationes octo, quibus omne præjudicium putat removeri; in altera totidem tractandi modis exponit, hanc Quæſtionem à Concilio ſic liberam Theologis eſſe relictam, ut, quam vellent, Sententiam amplecterentur impune. Monet autem in anteceſſum, quamvis duo hæc ad eundem pertineant Scopum, ea ſe tamen exequi ſingillatim, ut res eadem ex duobus veluti capitibus declaretur magis magiſque; neque diſſimulat, quod probe notandum, in illa mutuæ probabilitatis amplitudine id demum evenire, ut dimicans pro *Contritione* opinione præclariora quædam rationum momenta habeat, quæ pugnanti pro Adtritione opinioni deſunt omnino. Cæterum, inquit porro, in hoc opere non Juris, ſed facti Quæſtionem adtingo, quam Doctores illi, quorum nomina adducentur, Juris Quæſtionem adtingant. Non enim, quid de Contritionis neceſſitate, vel de Adtritionis facultate ſeu ſufficientia in Pœnitentiæ Sacramento definiendum fuit in concilio, ſed quid definitum, atque ſic quæ Scholis & ipſo tempore concilii atque ſub concilium libertas ſentiendi conceſſa vel ablata ſit, quæro. Qua in materia qui peccaret, non erroris in fide, ſed in rebus geſtis ignorantiæ culpam incurreret. Hæc loco Proœmii Launojus præmiſit, progreſſus poſt ad Partem libri primam,

capi-

Digitized by Google

capite ejus *primo* docet, Synodum Tridentinam nihil aliud in votis habuiſſe, quam ut novam Lutheri doctrinam (uti quidem, non tamen omnibus videbatur) in hac etiam materia percelleret, qualis neutra erat tunc Theologorum opinio de contritione & adtritione. Quis enim crederet, aut ſaltem aliis perſuaderet, eo coactum fuiſſe concilium, ut, quam opinionem Lutherus cum pleriſque Theologis habuiſſet communem, aliqua ex parte damnaret; perſuaderet autem nemo, cum, quod de adtritione ſeu contritione cenſuit Lutherus, id longe diverſum ſit ab iis, quæ de contritione vel adtritione docerent ſcriptores catholici. Lutherus cenſuit, *Contritionem imperfectam, quæ dicitur adtritio, hominem facere hypocritam & magis peccatorem*; Catholici vero ſcriptores aliqui contritionem, quæ charitate ſit formata, neceſſarium eſſe Sacramenti Pœnitentiæ partem, aliqui autem non neceſſariam, ſed adtritionem, quæ charitatis ſit expers, partem idoneam Sacramenti eſſe adfirmabant. Hic nomen Partis non ſtricte ſumo, ſed prout includit id quoque, quod apud nonnullos Johannis Scoti adſeclas vocatur diſpoſitio. Illi enim, cum in abſolutione ſola eſſentiam ſacramenti conſtituant, actus pœnitentis non partem ſacramenti, ſed diſpoſitionem adpellant; quæ ad modum loquendi magis, quam ad rem ipſam referuntur. Ea tamen ſunt animadvertenda, ne quid in Veritatis Theologicæ Hiſtoria deſideretur. Hæc igitur in ſcholis catholicorum controverſa dudum non adtigit Synodus Tridentina, cum novum Lutheri dogma profligavit; *connexæ* enim non ſunt iſtæ Propoſitiones, contritio imperfecta, quæ dicitur adtritio, hominem facit hypocritam & magis peccatorem; &, contritio imperfecta, quæ dicitur adtritio, ad partem Sacramenti ſufficit. Sed ex damnatione prioris tantum ſequitur, quod imperfecta contritio, quæ dicitur adtritio, hominem non efficiat hypocritam & magis peccatorem, non vero, quod Sacramenti pars ſit idonea; Contritio autem imperfecta, quæ dicitur Adtritio, perfectæ contritionis argumentum eſſe poteſt. Nam, quis non videt, actum Contritionis imperfectum eum eſſe poſſe, quo ad perfectiorem fiat gradus, ſive dum augetur, ut quidam Theologi voluere, ſive dum mutatur objectum, uti nemo diſſentit. Hinc ſcopum Concilii adſequetur, qui non ex opinione anticipata, aut ex levi ſono verborum Concilii, ſed tum ex rei definiendæ momento, tum ex intentione definientis æſtimabit, quæ definiuntur. Hunc autem adſecutus ſcopum facile damnatam Lutheri novitatem à relata duplici Theologorum opinione diſcernet; qui vero tergiverſaretur, Concilio faceret injuriam, eamque graviſſimam. Eo enim ſpectaret tandem, ut vellet Concilium dimiſiſſe viam, quam antiquæ Synodi & authoritate ſua & Inſtitutionibus Apoſtolicis munierunt. Ita in genere de Inſtituto Concilii ſcripſit Launojus capite primo. Nunc pergit capite *ſecundo*, magis ad ſpecialia deveniens, atque obſervat, quod in Seſſione ſexta, quæ habita fuit de Juſtificatione, Concilium dedita caverit opera, ne quid opinionibus Scholaſticorum fieret præjudicii. Id certiſſime putat conſtare tum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod ipſum Pœnitentiæ Sacramentum ſpectat. Ea ſuper re poſtquam *Vegæ* Scriptoris Hiſpani teſtimonium adduxit Launojus, ideo, quia huic Seſſioni interfuit, id porro obſervavit, Patres Tridentinos noluiſſe controverſiam de Contritione & Adtritione inter Theologos agitatam hactenus dirimere, ac, ne dirimerent, aut dirimere voluiſſe videantur, cum modum præparationis ad juſtificationem traderent, *non Contritionis, ſed Deteſtationis* nomen uſurpaſſe, nec etiam ſignificaſſe, *quid in Scripturis, quid apud Tractatores Eccleſiaſticos*, quid apud Theologos contritio ſimpliciter dicta ſignificet. Addit Launojus, ſe teſtimonio hujus Authoris eo lubentius uſum, quia alibi pro adtritione adverſus contritionem pugnet, ea nihilo minus moderatione, quæ catholicum & amantem veritatis Theologum deceat & decuiſſet quoque recentiores quoſdam *Vegæ* diſcipulos, ſi quæſtionem hanc ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinentem ſuis remota factione momentis expendiſſent. Hæc autem, ſic porro Launojus, relata & explicata intentio concilii præbet rationem invictiſſimam, qua demonſtretur, concilium, cum modum præparationis ad Juſtificationem traderet, uti contritio-

nis, ita & adtritionis nomen excluſiſſe, & ea quidem de cauſa, ne ſcholaſticorum controverſias definire videretur. Præterea, hoc adhuc evidentius confirmat *emiſſum adtritionis nomen*, quo dolor imperfectus de peccatis exprimitur. Nam ſi conſideretur opinio ſcholaſticorum, qui veram Sacramenti partem faciunt contritionem, imperfectus ille dolor de peccatis, qui dicitur adtritio, reliquis ad juſtificationem diſpoſitionibus adſcribi potuit ſine ullo talis opinionis detrimenti, quoniam, quæ hac in opinione eſt diſpoſitio ad Sacramentum Pœnitentiæ, vera pars non eſt ejuſdem; adtritio tamen reliquis ad juſtificationem diſpoſitionibus non eſt adſcripta, quod in opinione ſcholaſticorum, qui eſſentiam ſacramenti in ſola conſtituunt abſolutione, quæ ad ſacramentum eſt diſpoſitio, reipſa pars eſt ſacramenti, in qua pœnitentis juſtificatio peragitur. Quæ omnia Synodus cum videret, in qua nimirum plures erant ſcholaſtici, *Sanciendæ inter eos Concordiæ gratia* contritionis & adtritionis nomen à toto Juſtificationis negotio prudenter excluſit. Proſcriptum hunc diſcurſum Launojus capite *tertio*, ſic ſcribens: Si recenſitam ſcholaſticorum controverſiam dirimere, aut quovis modo adtingere voluiſſent Patres Tridentini, ſine dubio verſatus fuiſſet mos ille, quo de rerum definiendarum argumentis inſtituuntur diſputationes, & variæ habentur Conſultationes. Sed diſputatum eſſe, vel in deliberatione poſitum, utrum contritio in ſacramento Pœnitentiæ ſit neceſſaria, nec ne, aut utrum adtritio cæteris Sacramenti partibus juncta ſufficiat, vel non ſufficiat ad obtinendam culpæ Remiſſionem, nec ipſum ſignificat Concilium, neque Scriptores ii, qui Concilio æquales vel ſuppares fuerunt. Enimvero proditum eſt memoriæ, Theologis Franciſcani ordinis metuentibus, ne opinio de efficacia clavium tangeretur, cum de Abſolutione ac ejus effectu Canones ederentur; Concilium reſpondiſſe, ſe ſuis Canonibus non alia, quam dogmata hæreticorum configere, tantum abeſt, ut receptam Scholis Catholicorum opinionem cum novitatibus Lutheranorum de induſtria configeret, aut configendam arbitraretur. Hæc autem obſervatio, cum vera ſit, neque certiori rerum in Concilio geſtarum hiſtoria queat refelli, ejuſdem ſenſui & inſtituto contradicunt ii, qui, *quod Adtritio reliquis Sacramenti partibus juncta ſufficiat ad Inſtitutionem*, non nihil Seſſionis poſt decimam quartæ capite quarto ſignificatum, aut, quod minus ferendum eſt, definitum eſſe, vel prope definitum; falſa perinde ac fallaci ſubtilitate argutantur, quæ videlicet Patrum Tridentinorum menti & ſcopo non adcommodatur, ac obſervatum motum rerum in Conciliis definiendarum negligit, ac apud incautos efficit, ut, quam Patris Tridentini controverſiam tangere noluerunt, tetigerunt, aut, ſi non definierunt, certe propemodum definierint. Quod vero reliquum eſt, nemo neſcit, ex iis ſaltem, qui aliquid in hoc argumento ſcire poſſunt, Quæſtionem de Abſolutionis efficacia & de vi clavium neceſſario connexam eſſe cum iis, quæ de Contritione & Adtritione ſecundum varias Theologorum opiniones traduntur; ac proinde, ſi vel levis injecta fuiſſet ſuſpicio, voluiſſe Patres Tridentinos aliquid de ea decernere, contra quam receptæ ferebant in Scholis Theologorum Sententiæ, tunc ea de re quærentibus reſpondiſſent idem, quod de Abſolutionis efficacitate ac de Canonibus ad eam ſpectantibus reſponderunt. Capite *quarto* hæc porro habet Launojus: Si Patres Tridentini opinionem eorum, qui Adtritionem in Sacramento Pœnitentiæ, ſive pars, ſive diſpoſitio vocatur, ad Juſtificationem ſatis eſſe dicebant, quovis modo confirmaſſent, nihil fuiſſet cauſæ, cur Melchior Canus & Ruardus Tapperus, qui itidem Concilio interfuernnt, de prima parte Pœnitentiæ ſeorſim à Concilio ſenſiſſent ac ſcripſiſſent, ille in parte quinta Relectionis de Pœnitentia, hic autem in Explicatione Articuli quarti Lovanienſis de Contritione. Igitur incertum atque in dubio poſitum eſt placitum illud Theologorum, qui addictionem Sacramenti partem eſſe tradunt. Certum vero & indubitatum Canus & Tapperus cur non dicerent, quod certum & indubitatum videretur concilio? Noverant quippe Viri prudentes & docti, non eſſe tractatum à Patribus, num adtritio in propriam Sacramenti partem veniret? Hinc

de

Digitized by Google

de contritione & adtritione loquuntur ſecundum Scholæ libertatem, & quando dicunt, adtritionem ſufficere, idque verum eſſe, jure opinantium in materia probabili utuntur. Ita Salmero Tomi undecimi Tractatu decimo & octavo refellit ſententiam Lombardi, Alenſis, Bonaventuræ & aliorum iis concordantium de modo abſolvendi atque de vi clavium, nec tamen laudat concilii Decreta, quibus hujuſmodi ſententiæ falſitas convincatur. Quis autem prudens & adtentus credat, Salmeronem in re tantiponderis prætermiſiſſe authoritatem concilii, quæ ſine dubio fuiſſet decretoria. Prætermiſit autem, quia geſtorum concilii particeps certo ſcribat, nullum in eo caput eſſe, nullum canonem, qui adverſus Lombardum, Alenſem, Bonaventuram & ſectatores eorum poſſet merito converti. Hoc argumentum, quod ad perſuadendum videtur efficax, confirmatur ex iis recentioribus, qui, cum concilio non interfuerint, & penitus ignorent, quid in eo diſputatum ſit hac de re, Concilii capita & canones Lombardo, Atenſi, Bonaventuræ & aliis opponunt, quia ſpecietenus poſſunt opponi. Infitialis quidem eſt conjectura de Salmerone, ſed iis veſtita conditionibus, ut apud cordatos vicem ajentis poſſit tenere. Sequitur caput *quintum*, in quo quatuor Societatis Theologi producuntur, nominatim Suarezius, Comildus, Becanus & Sanchezius, de quibus monet Launojus, quod primus eorum adfirmet, non eſſe certum, & poſſe falſum eſſe, adtritionem cum Sacramento ad juſtificationem ſufficere; ſecundus, non uſque adeo certum eſſe, pœnitentis adtritionem eſſe ſatis; tertius, adcedentem ad confeſſionem conſultius futurum, qui ſcit, ſe non eſſe contritum, ſed adtritum duntaxat, ſi vero conteratur; quartus, ſententiam de adtritionis ſufficientia forte non eſſe veram, &, qui ei ſe credit in articulo mortis, *exponere ſe periculo damnationis*. Quis autem ſanæ mentis homo, inquit Launojus, ita ſentiret de ea Theologorum opinione, quam habitis ultro citroque diſputationibus concilium confirmaſſet? Exiſtimarunt Viri ſagaces, nullum huic opinioni à concilio pondus authoritatis additum vel detractum eſſe, ſed eam pro eo, ac valet, atque ſuis nititur adſertoribus, relictam. Caput *ſextum* hoc addit: Si, quando Synodus Tridentina novitatem Lutheri perculit, una quoque finem impoſuiſſet memoratæ Scholaſticorum controverſiæ, ac ſtetiſſet à partibus eorum, qui adtritionem volunt eſſe partem Sacramenti idoneam, nihil admodum eſſet, cur qui Calvino reſtiterunt, eum non acriter reprehenderent. Sed tantum abeſt, ut, qui reſtiterunt ei, doctrinam concilii objecerint, *ut potius veræ contritionis neceſſitatem adſeruerint*. Inter eos Principatum tenet Bellarminus, qui libri ſecundi de Pœnitentia capite decimo verba Calvini refert, nec tamen refellit. Scilicet, de contritione, quæ prima pars Sacramenti ſit, ſermonem inſtituens ſequitur primo ſententiam eorum, qui veræ & perfectæ in Sacramento contritionis neceſſitatem adſerunt; deinde ſibi facile perſuadet, concilium nihil judicaſſe ſecundum eos, qui contritionem imperfectam, id eſt, adtritionem docuerant eſſe partem primam Sacramenti Pœnitentiæ ſufficientem. Quare, ut conſentiat ſibi, dum capite poſt decimam octavo laudat ſeſſionis decimæ & quartæ caput quartum, ubi legitur, *Altritionem ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere*, his verbis non aliam, niſi remotam diſpoſitionem neceſſario debet intelligere. Cum ergo Doctores catholici non reprehenderunt Calvinum, ſignum eſt, *eum expoſuiſſe receptiorem Theologorum ſententiam*, quam vexaret, ac ſuis cavillationibus laceſſeret. Verum, ut libere dicam, quod ſentio, ſcribit Launojus, ea adverſus contritionem argumenta proponit Calvinus, quibus, qui pro contritione pugnant, cum incommodentur ſoli, poſſunt gloriari, ſe omnino ſentire & pugnare cum Eccleſia, quam ille tanquam hoſtis invaſit. Et certe vix alia apud eos, qui contritionem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſarium eſſe negant, & contra adtritionem ſatis eſſe ajunt, inveniuntur momenta rationum, quæ petantur ab abſurdo. Hæc tamen ſic porro Launojus, non ideo animadvertuntur, ut ſcholaſticis, qui adtritionem uti legitimam Sacramenti partem defendunt, concilietur invidia, ſed ut, quod res eſt, ſincere agnoſcatur. Præterea, nec poteſt, nec debet hoc modo invidia creari ſententiæ, quam

vidii concilium, & tamen neque probavit vel improbavit, ſed in ſcholis libere diſputandam reliquit; ita ut, ſi refellenda ſit, oppido refellatur *argumentis, quæ ad ſimplicitatem, priſcum Chriſtianorum adparatum*, non vero ad invidiam, factioſorum commune perfugium, componantur, & Veritas rationibus humanis, (cur non potius Divinis?) non verborum contumeliis adſeratur. Succedit caput *ſeptimum*, id exhibens: Quo tempore Clemens Pontifex hoc nomine octavus *Raimundum Pennafortium* in ordinem Sanctorum retulit, ejuſdem Raimundi ſumma Romæ fuit edita, in qua communis de perfectæ contritionis neceſſitate opinio adſeritur, atque ex effectu clavium confirmatur. Hæc autem ſumma commendatur valde ab ordine Prædicatorum, qui illam Clementi Papæ dedicarunt; quod etiam in judicio delegatorum ad Raimundi in numerum Sanctorum referendi cauſam Præſulum conſtat factum. At credi vix poteſt, hoc ita Romæ factum eſſe, ſi quid Raimundi contrarium ſumma contrarium Synodo Tridentinæ haberet, quod omnino haberet, ſi, quod de ſufficientia adtritionis non plane nulli docent, Synodus adſeruiſſet modo quovis. Vetus quidem eſt liber, ſed noviter editus, atque ut omni adcommodatus tempori probatus; nullis (quemadmodum aliquando fit in omnibus Veterum) atteriſcis notatus circa id quod *de neceſſitate contritionis* atque de clavium efficacia tradit, ut ab hac doctrina amplectenda Lector abſtraheretur. Ut verbo dicatur, quod Commiſſariorum ſuggerit ſententia, Raimundi doctrinæ bonitas una fuit è cauſis, quibus relatio illius in numerum Sanctorum videtur inniti. Tandem caput *octavum & ultimum*, Partis primæ hanc exponit ſententiam. Si recenſitam Theologorum controverſiam dirimere voluiſſet concilium, ſecundum eos potius, qui contritionem neceſſariam, quam alios, qui non neceſſariam, ſed adtritionem ſatis eſſe ad Sacramentum Pœnitentiæ adſerunt, pronuntiaſſet. At, cum iſtud non fecerit, aliud, quod eſt oppoſitum, multo minus feciſſe credendum eſt, ſcilicet, adtritionem Sacramento junctam ſufficere ad juſtificationem, vel, ad Sacramentum Pœnitentiæ contritionem requiri non neceſſario. Cur autem ita pronuntiaſſet, producti ſupra Theologi ſuadent, & præſertim Suarezius, eam objiciens rationem, quæ, ſi vera eſt, (uti revera eſt; & cur vera non ſit, nulla dubitandi ratio in contrarium poteſt adferri) rem ipſam conficit. Verba ejus hæc ſunt: Licet opinio probabilis ſit, adtritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen certa non eſt, atque poteſt eſſe falſa. Ergo, qui ſciens & videns ita ſe permittit mori, voluntarie periculo æternæ damnationis ſe exponit, cum opinio illa nec valde antiqua, nec multum communis ſit. Hic ſtatuendum primo, Patres Concilii definitione nulla eam opinionem, quæ non eſt certa, & poteſt eſſe falſa, atque adeo hominum ſaluti periculoſa, voluiſſe confirmare, ac ei ſententiæ, quæ certa eſt, & nunquam falſa vel periculoſa poteſt eſſe, minus favere. Sententiam vero, quæ contritionem cum Sacramento Pœnitentiæ exigit ad juſtificationem, certam eſſe ac tutam docet Suarezius, & univerſi conſentiunt Theologi. Deinde, cum opinio, quæ pugnat pro adtritione, nec valde antiqua ſit, nec multum communis, conſectarium eſſe, ut ſententia, quæ contritionem poſtulat cum Sacramento, valde ſit antiqua & multum communis. Hic notandus eſt ſeculi ſuperioris exitus & hujus initium, ſub quo ſcripſit Suarezius; nam ab eo tempore pugnantium pro adtritione opinio crevit plurimum. Neque alias de opinione adtritionis multum ille diffideret, ſi ſententia, quæ pugnat pro contritione, non eſſet vetuſtior & communior. Poſtremo, Suarezii de adtritione judicium, nulla poſſe refelli traditione, quæ à Chriſto ad tempus, quo ſcripſit Suarezius, legitime decurrerit. Contra vero, quæ hic de *neceſſaria in Sacramento contritionis antiquitate & univerſitate* diſputandi cauſa ſupponuntur, plerique diverſarum ætatum Theologi valde confirmant. Hinc à ſeculi præcedentis periodo uſque ad tempora Apoſtolis proxima plures recenſet authores Launojus, qui à parte Suarezii ſteterunt, quorum nomina juvat hic adponere eo ordine, quo per retrogreſſum eos adduxit. Fuerunt autem Petrus Sutor è Theologo Pariſienſi Carthuſianus, Thomas Illyricus Minorita, Guilielmus Pepinus ex Ordine Prædi

cato

Digitized by Google

catorum, Ludovicus Vivaldus Ordinis ejuſdem,, Stephanus Bruliſer Minorita, Ambroſius Tarviſinus, Ægidius Carlerius, Alphonſus Teſtatus, Thomas Waldenſis, Marſilius Pariſienſis, Bertrandus Agerius de Turre, Johannes Baconus, Johannes Bromiardus, Thomas de Aquino, Albertus Ratisbonenſis, Cæſarius Heiſterbarenſis, Innocentius Pontifex hoc nomine tertius, Guilielmus Antiſiodorenſis, Johannes Sarisberienſis, Bernhardus Clarevallenſis, Radulfus Ardens, Goffridus Vindocinenſis, Rupertus Trutienſis, Brunus Siguienſis, Anſelmus Cantuarienſis, Radulphus Flaviacenſis, Concilium Duziacenſe ſecundum, Paſchaſius Radbertus, Hacino Halberſtadenſis, Chriſtianus Druthmarus, Concilium Abdilonenſe, Theodulphus Aurelianenſis, Beda Venerabilis, Gregorius M. Fulgentius, Eucherius Lugdunenſis, Leo M. Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, ahryſoſtomus, Tertullianus, quibus ſubjungit Scripturæ loca, hoc idem requirentia. Atque hactenus Pars prior demonſtrationis, quæ continuatur nunc porro in poſteriori, videlicet Synodum Tridentinam reliquiſſe liberam utramque de Contritione & Adtritione opinionem, in cujus capite *primo* iterum Launojus provocat ad Vegam Scriptorem Hiſpanum & Dominicum à Soto, itidem Hiſpanum, quorum uterque Synodo interfuit Tridentinæ. De primo obſervat, quod hanc materiam copioſiſſime tractaverit, ac Scholaſtici recentiores vix de ea quidquam adtingant, quod ille non adtigerit; hoc tamen addito, cum ex ratione & Patrum authoritate multa habere, quæ non ſatis conſiderate perpenderit. Poſt adducta ejus verba hæc duxit notanda. Primo, cum non omnium Authorum meminiſſe, qui eandem cum Magiſtro & Bonaventura Sententiam defenderunt; cur autem non meminerit, ignorari, cum alias præter eos multi etiam alii potuiſſent laudari. Deinde, cum Sententiam, cujus meminit, liberare à calumniis eorum Recentiorum, qui neceſſitatem Contritionis in Sacramento Pœnitentiæ rejiciunt, atque adtritionem in eo ſatis eſſe ad Juſtificationem judicant cum eo. Qua in re liquet optima ratione, aliud eſſe, Veritatem Theologicam ſuis adſerere momentis, aliud vero, eos, qui ſine partium ſtudio conantur adſerere, calumniis inſectari. Quod ſi Vega quinque Theologos, quos in hac Sententia verſari tantum fortaſſis moverat, ab iniquis adverſariorum impreſſionibus defendit, quid non fuiſſet facturus, ſi cæteros etiam noviſſet? Sententiam, niſi fallor, ſuam mutaſſet, quia ubi corpus, ibi congregantur aquilæ. Præterea, optimam ab eo viam indicari, qua celebrium quinque Authorum (ſcilicet poſt Magiſtrum Sententiarum Bonaventuræ, Occami, Majoris, Bielis & Alenſis) opinio defendatur in Eccleſia Catholica; quod nunquam feciſſet, niſi & antiquitas opinionis & opinantium præſtantia exigeret, atque id viſum fuiſſet Patribus Concilii, quando materiam de Juſtificatione tractarunt. Nempe, Juſtificationis argumentum cum Sacramento Pœnitentiæ & reipſa conjunctum eſt, & conjunctum eſſe Synodus Tridentina in præfatione Seſſionis laudatæ judicavit. Quocirca Vir optimus id ſcriptis tradendum eſſe judicavit, quod ſine Veritatis hiſtoricæ incommodo non potuit reticere. Denique, eum opinionem illorum, quam ſequitur, probabiliorem ac Scripturis & Patribus conſonam magis exiſtimaſſe; quod quidem fieri ſolet pro jure opinantium in materia, cui nulla Eccleſiæ definitio certa prævit, quemadmodum contra Theologi graves illi, *qui neceſſitatem Contritionis in Sacramento Pœnitentiæ requirunt*, ſuam pro eodem jure opinantium Sententiam probabiliorem, Scripturis & ſanctis Patribus conſonam magis arbitrantur, & quidem rectius multo, ſi vera ſunt, quæ de hujus Sententiæ celebritate, univerſitate & conſenſione ſcripſit Raimundus ſupra laudatus. Sed, ita cenſet porro Launojus; illa ſunt opinantium jura in materia probabili, ut ſuam quiſque Sententiam oppoſita probabiliorem, & Scripturis ſanctiſque Patribus conſonam magis poſſit judicare. Illud autem eſt manifeſtum tum in aliis Scholæ placitis, tum in eo quoque, quod modum producendæ per Sacramenta gratiæ ſpectat. Verum, an hæc aut illa opinio ſit reipſa talis, quæ à ſuis adſeritur Authoribus, non facti, ſed juris eſt Quæſtio, ex Scripturis, earum analogia & Eccleſiæ perpetua traditione dijudicanda. Nunc de ſecundi, videlicet

Do-

Dominici à Soto sententia advertit Launojus, cum, licet Magistri, Sententiarum & sequacium opinionem non teneat, nec tamen dicere, eam repugnare Synodo Tridentinæ, quin etiam docere, in ea opinione vere adfirmateque dici posse, quod pœnitentem Sacerdos absolvat. Hæc autem cum ita sint, scribit Launojus, & Vega ac Sotus oppido confirment, ii valde sunt redarguendi, qui, cum rerum in Concilio gestarum minime fuerint participes, docere tamen non verentur, Magistri Sententiam Doctrinæ & Canonibus Synodi Tridentinæ adversari, neque Magistri tantum, sed innumerabilium etiam Doctorum, qui ante & post Magistrum varios de Pœnitentia & clavium efficacitate tractatus ediderunt Capite *secundo* ad probationem Lemmatis adducit eos Scriptores, qui itidem Synodo Tridentinæ interfuerunt, & tamen in eadem Sententia de Contritione perseverarunt, quod non fuisset factum, si in favorem Sententiæ de Adtritione aliquid fuisset decretum. Hos esse dicit, Fridericum Nauseam, Episcopum Viennensem, Franciscum Reihardotum, Episcopum Atrebatensem, Simonem Vigoreum, Archiepiscopum Narbonensem, Gentianum Hervetum, Johannem Antonium Pantusam; Cornelium Jansenium Gandavensem, Guilielmum Cassadorum, Martinum Rithovium, Simonem Vercepæum &c. His capite *tertio* adjungit alios, qui Synodo Tridentinæ quidem non interfuerunt, at ab eo tempore, quo cœptum est celebrari, de Sacramento Pœnitentiæ scripserunt, adeoque, quid hac de re in ea fuerit sancitum, ignorare vix potuerunt. Eos nominat, Johannem Mariam Verratum, Claudium Grillandum, Claudium Spinæum, Johannem Arboreum, Stephanum Paris, Johannem Medinam, Gabrielem Puterbeum, Marianum Victorium, Franciscum Picartum, Franciscum Sonnium, Johannem Ferum, Edmundum Augerium, Gabrielem Præteolum, Robertum Corceonum, Johannem Maldonatum; Georgium Bustium, Petrum Emoltam, Petrum Divolium, Cornelium Mussum, Franciscum Samarinum, Christophorum Silvestranum, Johannem Paulum Palanterium, Hugonem Burlatum, Benedictum à Benedictis, Jacobum Gualterium, Guilielmum Lindanum, Johannem Macherentinum, omnes & singulos Contritionem perfectam in Sacramento Pœnitentiæ requirentes, id non facturos, si Adtritionem sufficere Patres Tridentini statuissent. Horum numero adcenset capite *quarto* eos, qui, si non perfectam reipsa Contritionem, eam tamen requirunt, qua talis bona fide credatur. Id docere ostendit Petrum & Dominicum à Soto, Ferdinandum Velosillum, qui Concilio interfuerunt, uti & Josephum Anglem, Theologum Complutensem, id non docturos, si Concilium aliter præscripsisset docendum. Adcedit capite *quinto* alius probandi modus, videlicet ex usu Ecclesiarum, in quibus post inchoatam Synodum non aliter, *quam à peccatis (vere) contritis absolvit Sacerdos.* In hunc finem adducit Institutionem Romanam baptizandi, librum de Sacramentis juxta Ecclesiæ Lugdunensis usum, Rituale Senonensis Ecclesiæ, Catechuminum juxta ordinem Ecclesiæ itidem Romanæ & morem Ecclesiæ Bononiensis, porro, Rituale Catalaunensis Ecclesiæ, item Ecclesiæ Aurelianensis, Carnotensis & Urgelitanæ. Quorsum referuntur Martinus Navarrus, Cardinalis Toletus & Henricus Henriquet, de quibus observat Launojus, quod maluerint nomen *Contriti* removere, quam illud Sophistica quadam atque ab Ecclesiasticis Traditionibus aliena subtilitate convolvere, & vocabulum vita sua, quæ tota est in usu posita, privare. Quam ob rem, inquit Launojus, finendum est, eos Recentiores intus sibi canere, qui in hujus nominis explicatione non modo ab Adversariis, sed à suis etiam amicis dissentiant. Nunc autem Scriptores iidem sunt excusandi, scribit Launojus porro ad alteram quoque partem se inclinans, quod plurium Ecclesiarum, & cumprimis Romanæ consuetudinem paulo severius adpellarint; credendum est enim, fore, ut, si tot Ecclesiarum, & Romanæ præsertim cognovissent morem, eum potius confirmassent, quam momentis nescio quibus improbassent. Veruntamen, ut Absolutionis formam ita censerent corrigendam in materia, quæ nondum est definita per Ecclesiam,

jure

Digitized by Google

jure opinantium utrunque permittunt. Sequitur caput *sextum*, alium probandi modum exhibens, videlicet. Synodum Tridentinam nihil in hac Controverſia definiviſſe, deſumtum ex iis, quæ de *Contritionis neceſſitate* in Diplomatibus Indulgentiarum habentur. Hujus rei cauſa adducit Bullam Pauli hoc nomine tertii, qua Munus Generalis in Societate explicat, Bullas itidem Sixti quinti, Clementis & Urbani utriuſque octavi, Jubilæa indicentium, adcedentibus teſtimoniis Jacobi Naclanti & Renati Benedicti. *Septimo* capite iterum alius explicatur modus ad hoc demonſtrandum, ex ea locutione deſumtus, qua homo pœnitens ex adtriti dicitur fieri contritus virtute Sacramenti, quam adhibuiſſe Launojus teſtatur Carolum Borromeum Cardinalem & Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui etiam Synodo interfuit, Gabrielem Palæotum, Alphonſum Salmeronem, Johannem Viſverium, Ludovicum Granatenſem, Johannem Molanum. *Octavum* tandem & ultimum caput Partis ſecundæ cum adhuc inſuper modum probandi exhibet, qui deſumitur ex ratione illa diſciplinæ, quæ in confeſſione & abſolutione criminum reſervatorum poſt Synodum Tridentinam obſervatur. Ubi duo notantur, primum, quod ipſam adtinet diſciplinam; alterum, quod de diſciplinæ hujus ratione agit, quæ redditur à Theologis, ut eam eſſe legitimam demonſtrent. De primo agi docet Launojus à Franciſco Samarino in Sacerdotali, Johanni Maldonato in opere de Pœnitentia, Rituali Eccleſiæ Pariſienſis, Bartholomæo Ugolino in Tractatu de Poteſtate Papæ & officio Epiſcopi; de ſecundo autem agere Henricum Gandavenſem, Petrum Paludanum, Angelum Clavefium, Paulum Soncinatem, Petrum Tartaretum, Johannem Coletum. Addit Launojus, qui hujus Diſciplinæ rationem reddiderunt, vixere quidem ante Synodum Tridentinam, ſed cum reddiderunt rationem Diſciplinæ, quæ & in Romana, & in aliis Eccleſiis poſt illam viguit, idem eſt, ac ſi poſt illam vixiſſent. Ex iis vero, qui poſt Synodum Tridentinam vixere, neminem adtuli, ſcribit Launojus, quia non memini me legiſſe, qui hujus Diſciplinæ traderet rationem, quamvis invenerim facile, qui ipſam exponeret diſciplinam, neque enim, qui diſciplinam exponit, diſciplinæ rationem continuo ſubjungit. In hac autem ratione diſciplinæ, quæ conſenſu communi eſt reddita, tria obſervantur, quæ ad præſens faciunt inſtitutum. Inprimis venit notandum, qua in re Sacramentis conſiſtat Abſolutio, nimirum, non in remiſſione culpæ, quæ per Contritionem ſupponitur remiſſa; ſed partim in Reconciliatione pœnitentis cum Eccleſia, partim in remiſſione alicujus partis pœnæ, quæ poſt culpam remiſſam ſupereſt luenda. (NB. Launojum hic etiam ſcripſiſſe ſecundum, hypotheſes Synodi Tridentinæ.) Deinde, quod ſic dividatur abſolutio Sacramentalis, ut unus Sacerdos à reſervatis, alter à non reſervatis abſolvat peccatis. Tum demum, quod dividendæ hujus abſolutionis conſuetudo in Romana & aliis Eccleſiis omnibus ſervetur; ex quo nullus ſubeſſe poteſt error, aut ſi ſubeſſet, haud facile deinceps Eccleſiæ generalis Privilegium non errandi defenderetur. Hæc autem omnia cum ſupponant neceſſitatem Contritionis in Sacramento, judicium eſt certiſſimum, à Synodo Tridentina liberam eſſe relictam Scholis de Contritione & Adtritione Sententiam. (NB. Quæ ratio hujus connexionis ſit, non adeo patet; apertius autem ſibi conſtant, quæ nunc immediate ſtatim ſequuntur.) Veruntamen in hac libertate ſentiendi non poteſt ambigi, uti ex hactenus dictis eſt manifeſtum, quin opinio, quæ dimicat pro Contritione, aliam, quæ pro Adtritione pugnat, *argumentorum & bonitate & pondere*, atque ſi dicendum, quod rei veritas requirit, dogmatis Catholici notis pene omnibus antecedat. His in utraque parte ſic expoſitis ſubjungit nunc porro Launojus quaſdam obſervationes de iis, quæ in contextu tractationis videbantur minus commodum occupare locum. Et *prima* quidam agit de tribus Sacramenti Pœnitentiæ partibus, uti nimirum juxta doctrinam Synodi Tridentinæ conſiderantur, notans, eas accipi non debere tanquam partes Phyſicas, ſecundum Johannis Maldonati obſervationem, quia in Scripturis & apud antiquos Eccleſiarum Magiſtros non ipſe numerus, ſed

res tantum numerata inveniatur. Quidquid autem ſit, tres Pœnitentiæ partes, Contritio, confeſſio & ſatisfactio diligenter quidem ac ſtudioſe ſunt tractandæ, ſcribit Launojus, ſed prima diligentius ac ſtudioſius, dum ſecunda & tertia ſine prima nihil unquam proſunt ad Salutem, prima vero ſine aliis in actu ſpectatis aliquando prodeſt ad Salutem, quod verbis Synodi Atrebatenſis exponitur. *Secunda* ex capite ſeptimo Partis prioris repetit, quæ ibi de Summa Raimundi fuere dicta, hoc addito, illius Doctrinam à pluribus Magiſtris æſtimatam fuiſſe tanti, ut eam ſuos in uſus & Commentarios cupide derivarint, inprimis quoad hanc de Contritionis neceſſitate Quæſtionem, è quorum numero nominatim laudantur Guido Baiſius, Bartholomæus Piſanus, Baptiſta Trovamala, Baptiſta Salius, Johannes Tabienſis. Hi Authores, inquit Launojus, uti doctrinam Raimundi, ita & fortunam ejus ſequuntur. Quæ enim doctrina in Raimundo fuit probata tam magnifice, in his quinque Scriptoribus non poteſt non pari modo probari. Hoc autem ſic conſtituto, antiqua de Contritionis neceſſitate & uſu clavium traditio novam hic accipit & conſtantiam & firmitatem, ſublatiſque è Synodo Tridentina præjudiciis amplius confirmatur. Obſervatio *tertia* recenſet eos, qui in hujus Quæſtionis tractatione quoad mentem Synodi Tridentinæ modum diſputandi exceſſerunt. Nominantur inprimis Paulus & Michael de Palatio, quorum hic ſcripſit in quartum Sententiarum, huic Controverſiæ finem impoſuiſſe Synodum, ille in caput Matthæi decimum & ſextum, ſuper hac re jam opinari non licere, quippe quæ ſit ab hac Synodo definita. Quis enim unquam, ſic cenſet Launojus, in animum induceret, hos Authores duos noviſſe melius, quid definiverit Synodus, quam Fridericus Nauſea, Viennenſis Epiſcopus, qui in Seſſione decima & quarta ſententiam dixit, quin & alii Doctores atque Epiſcopi, qui itidem Synodo interfuerunt, cumque aliis communicarunt. Exceſſerunt vero & alii recentiores, qui vel ſeſe duobus hiſce ducibus commiſerunt, vel qui ſui opinionibus nimium inſervierunt. Ex horum numero iterum duo nominantur unus eſt Henricus Doctor Salmanticenſis, ſtatuens, per Synodum Tridentinam admitti opinionem de Adtritione, & quaſi veram in Academiis Italiæ & Hiſpaniæ practicari, atque ſic Magiſtros Salmantienſes eam recepiſſe. At falſo ſibi perſuaſis Henricus, id à Synodo factum eſſe, quod factum non fuit. Deinde, ſi verum eſt id, quod de Academiis Italiæ ſcripſit, certum id quoque eſt, quod iis reſtiterint, & pene fugientem antiquam de Contritione Sententiam omni ſtudio ac induſtria retinuerint magni nominis Theologi, quos inter Buſtius, Silveſtranus, Palentorius & Benedictus à Benedictis eminent. Præterea, Cenſores Romani, qui Alphonſi Vivaldi aureo Candelabro manum adpoſuerunt correctricem, paſſi ſunt eam Henrici Sententiam à Vivaldo confutari. Inſuper, ſi veritate etiam nititur, quod de Academiis Hiſpaniæ ſcripſit, iis pariter reſtiterunt magni nominis Theologi, & inprimis Suarezius, ac ante eum Dominicus à Soto, qui Synodo interfuit. Alter eſt Vaſquezius, qui de hoc argumento non ſatis meditate ſcripſit. Cum enim docet, *eam opinionem eſſe de Fide*, qua dicitur, Eccleſiæ claves ad peccatum quoad culpam & pœnam æternam dimittendam directe pertingere, conſequenter debet docere, Sententiam oppoſitam eſſe hæreticam. Hæretica eſt igitur doctrina Raimundi, quæ, dum ille in Album Sanctorum à Clemente hujus nominis octavo Pontifice eſt relatus, laudatores habuit tam egregios. Hæretica eſt igitur doctrina communis, quam Raimundus ipſe teſtatur ſe ſequi. Hæretica igitur eſt doctrina Alenſis, quem ſcribunt aliqui juſſu Innocentii Pontificis hoc nomine quarti Theologiæ ſummam edidiſſe, editamque ab hoc eodem Pontifice & ſeptuaginta Viris Eccleſiaſticis adprobatum eſſe. Hæretica igitur eſt doctrina ejuſdem Magiſtri, cujus unius lectionem Thomas de Aquino commendavit aliquando cuidam interroganti, quis eſſet optimus addiſcendæ Theologiæ modus? Hæretica igitur eſt doctrina Pontificum Romanorum Gregorii M. Innocentii hujus nominis tertii & quarti, qui negarunt, quod Vaſquezius aſſeruit. Hæretica igitur eſt doctrina illorum omnium,

qui

Digitized by Google

qui capite ultimo Partis prioris ſunt laudati. Hæretica quoque tandem eſt doctrina, cui plures notæ dogmatis Catholici conveniunt, è contrario autem Catholica, cui nullæ vel pauciores conveniunt. Deinde dicit Vaſquezius, Magiſtrum Sententiarum eſſe primum Authorem illius opinionis, cui maculam hæreſeos inuſſit. At ipſius Magiſtri lectio & propoſitæ in Parte prima traditionis ſeries huic adſertioni repugnant. Accedunt alii plures Theologi, qui ob id Sententiam Magiſtri amplectuntur, quod Ambroſii, Hieronymi & Auguſtini fuerit, quod teſtatur Johannes Celaja, Hiſpanus, in quartum Sententiarum. Vaſquezius porro ſcribit, Magiſtri Sententiam ſequi Hugonem de S. Victore; at, Hugo ſcripſit ante Magiſtrum. qui Hugonis Sententiam ſequitur partim, partim refellit, quod inconſequenter ſit Philoſophatus. Tandem, hujus Sententiæ, quam indicat eſſe hæreticam Vaſquezius, fautores adſignat antiquiores, magni nominis Theologos, Magiſtrum, Antiſidorenſem, Alexandrum, Bonaventuram, Occamum, Marſilium, Argentinatem, Abulenſem, Gabrielem, Majorem, Medinam, qui & communem eſſe Sententiam ibi profitetur; illius autem opinionis, quam docet eſſe Catholicam, paucos nominat defenſores, eoſque Magiſtro, Antiſiodocenſi, Alexandro & Bonaventura recentiores, nempe, Scotum, Paludanum, Silveſtrum, Adrianum, Canum, Ledeſinam, quos pro Adtritione cognita contendit pugnare. Sed, inprimis removendus eſt Paludanus, qui, licet dicat, Adtritionem ad Confeſſionis valorem ſufficere, ad percipiendum tamen ejus fructum ſufficere negat; ac ſequitur duntaxat opinionem Thomæ Aquinatis, qui contendit, iterandam non eſſe confeſſionem, etiamſi fieret ſine charitate. Deinde, removendus eſt etiam Adrianus, cujus cogitationes ſecundas non vidit Vaſquezius. Tum removendus eſt quoque Canus, qui ait quidem, verum eſſe, quod Adtritio ſufficiat, ſed addit etiam, certum id atque indubitatum non eſſe. Scotus hanc Quæſtionem, uti plures alias, tractat *philoſophice, non Theologice*; hoc eſt, non utitur rationibus, quas ſcriptura & Eccleſiæ Traditio ſuppeditant, quo fit, ut pleriſque Scoti ſcriptis non conveniat vera Theologiæ Scholaſticæ definitio. Id obſervare poterit facile, qui volet in perlegendis illius Commentariis non plane nihil operæ ac ſtudii collocare. Reliqui duo ſcriptores, Silveſter & Ledeſma Quæſtionem hanc pari fere modo tractant. Quare, ex horum teſtimoniis nihil aliud colligi merito poteſt, niſi, quod eorum temporibus pugnans pro Adtritione opinio docebatur in Scholis, & tolerabatur in Eccleſia quod ultro conceditur. Tribus autem prioribus remotis; ſuper adhuc ſunt tres hi poſteriores, ſcilicet, Scotus, Silveſter & Ledeſma. Atque hoc ipſum eſt, quod non ſatis meditate ſcriptum à Vaſquezio fuit obſervatum. Nam dogma Fidei non ita ſtatuitur, *ut longe plures habeat oppugnatores Catholicos, quam Patronos.* Obſervatio *quarta* proponit in ſpecie Sententiam Thomæ Aquinatis, monens de ea, quod cum aliis quidem conveniat, ut vero etiam ab aliis diſſentiat. Convenit reipſa cum aliis, quod nullam admittit Sacramenti vel Confeſſionis fructum, niſi Confeſſionem vera præcedat vel ſequatur Contritio. Diſſentit vero, quod non putat opus eſſe, ut Confeſſionem præcedat Contritio, ſed eatenus valere confeſſionem, quatenus iteranda non eſt, quando fit à pœnitente non contritio, quem adpellat fictum, contra eos diſputans, qui talem repetendam eſſe confeſſionem prætendebant, ut quæ judicio illorum nulla eſſet atque invalida. Me quod adtinet, ſcribit Launojus, non poſſum ſtare à Thomæ partibus, qua in re ab aliis diſcordat; inprimis, quia Sententiam hancce ſuam *nulla authoritate Scripturæ, nullo Patrum teſtimonio* confirmat, ſed adhibita tantum inter Confeſſionem, uti eſt Actis Virtutis, & uti eſt pars Sacramenti diſtinctione tres aliorum rationes declinat. Alii vero ſuam, uti adparet, opinionem ſtabiliunt loco Scripturæ, quem ipſe Thomas adducit, quamvis ipſum non convincit, uti alios, inprimis Auguſtinum, Bernhardum, Gratianum & Lombardum. Hæc autem cum ita ſint, tutius eſt, aut certe prudentius, Sententiam eorum, qui à Thoma refelluntur, quam ipſius Thomæ amplecti. Nam, qui refelluntur, *habent illuſtrem*

ſtrem Scripturæ locum, quo nituntur, atque conſentaneam ſibi ejus apud alios interpretationem, quibus caret Thomas. Præterea, diſtinctio Thomæ Magiſtris omnibus antiquis fuit ignota, quin etiam cum Auguſtino, Bernhardo, Gratiano & Lombardo directe pugnat; tum, potius eſt Philoſophica, quam Theologica, quia eam ex Scriptura & Eccleſiæ traditione deducit. Sola igitur dicentis nititur authoritate, quæ niſi volentem, vel juratum cogit neminem. Quidquid ſit, non perſpicio, inquit Launojus porro, quenquam poſſe in hanc Thomæ Sententiam tuta tranſire Conſcientia. Neque enim temporis ſpatium, neque Privilegium Regionis, neque patrocinia perſonarum id unquam efficient, ut Quæſtiones Theologicas, eas præſertim, quæ pertinent ad Sacramenta, ſola ratio Philoſophica, vel Scriptura doctrinæ Platonis, Ariſtotelis, vel alterius cujuslibet juncta definiat. Quare ſi definiendæ ſunt, Scriptura & Eccleſiæ Catholicæ Traditione ſunt definiendæ. At, qui ſecus fecerit, eam ad verum muniendum inſiſtet viam, qua nunquam ad id perveniatur, & qua largiſſima duraturis in perpetuum altercationibus ſuppetat materia; atque ut ſuppetat neceſſario, in verba Magiſtrorum contraria docentium non-nulli ſtudioſiſſime, atque uti credunt, ſanctiſſime jurant, Quæſtiones ſine diſciplina moventes, ut Paulus ait, & nunquam ad Scientiam pervenientes. Ita nihil tam videtur certum & ſtatutum ac Veritati aptum, quod non ſtatim diverſiſſimam abeſſe adpareat à vero. Obſervatio *quinta* readſumit opinionem Vegæ, de qua Partis poſterioris capite primo fuit actum ac notatum, eum multa in ſuam de Adtritione diſputationem congeſſiſſe, quæ non ſatis diligenter ponderaverit. Inter hæc duo potiſſimum occurrere monet Launojus non omnino negligenda. Unum, quo ſcribit, Hilarium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Theophylactum, Cyrillum & Bernhardum opinioni ſuæ patrocinari. At, Hilarius inprimis veram animi compunctionem à peccatore exigit in Enarratione ſuper Pſalmum centeſimum, decimum & octavum. Chryſoſtomus autem, Auguſtinus & Bernhardus ab opinione hac tam ſunt alieni, quam qui maxime. Cyrillus vero à Theophylactus poteſtatem clavium duntaxat, non modum ejus, exercendæ adtingunt, de quo quid reipſa ſenſerint, ex communione cum aliis Eccleſiarum Magiſtris æſtimandum eſt religioſius, ne iis opinio, quam non habuerunt, violenter impingatur. Verum enim vero Cyrillus non plane nihil adtingit modum, quo hæc remittendorum criminum poteſtas debeat exerceri. Dum enim libro duodecimo in Johannem ea exigit in Catechumenis, quæ veram, uti adparet Contritionem important; certe non minorem in pœnitentibus requirit diſpoſitionem, ut iis ignoſcat Eccleſia. Alterum eſt, quo Vega etiam ſcribit, ſe eam tueri Sententiam, quæ pœnitentibus favorabilior ſit, & dignitatem Sacramentorum novæ Legis commendet magis. Sane, non ea opinio eſt defendenda, *quæ favorabilior, ſit pœnitentibus*, ſed quæ Scripturis, Patribus, & perpetuæ Eccleſiarum Traditioni ac diſciplinæ conſentiat magis. Favor enim, qui pœnitentibus debet impendi, è principiis Theologiæ, non meditationibus Philoſophicis eſt repetendus. Ad principia Theologiæ, non vero gratiam pœnitentiam ſtatuendam eſt conditio pœnitentiæ; quam, qui peccarunt, ſi velint eſſe ſalvi, neceſſario debent ſubire. Alioquin, cur Vega non eam tuetur opinionem, quam à Gabriele & Luthero adfictam Doctori ſuo ſubtili conqueritur, & quam *Clemens Moniliamus*, ex ordine Minorum Cardinalisin prima Inſtitutionum Theologicarum parte tenuit. Cur, inquam, non defendit illam, cum longe adhuc favorabilior ſit pœnitentibus, dignitatem Sacramentorum magis commendet, & Eccleſiæ claves altius & magnificentius, ſi ita loqui fas eſt, adtollat. Docuit quippe, ad Gratiam conſequendam per Sacramentum ſatis eſſe, ei obicem non ponere, id eſt, actu non peccare in ejus ſuſceptione, & illud intendere juxta Eccleſiæ intentionem ſuſcipere. At in alia libri hujus Editione, hanc opinionem ſuſtulit, atque ſic ſcripſiſſe doluit. Verum, ſi prius illud Moniliani placitum, quod perperam Scoto tributum fuiſſe conqueritur, tueri recuſet Vega, ei, quam recuſationis daturus eſt rationem, continu-

Digitized by Google

nuo licebit exponere. Quod vero Sacramentorum Legis novæ dignitatem & clavium poteſtatem attinet, ea *ex Authoris voluntate & Inſtitutione pendet tota*, quæ non ex commoditatibus pœnitentium, ſed Doctrinæ ſacræ principiis. Scriptura & Traditione eſt metienda. Vallatus eſt hic campus, in quo pugnant Theologi; non apertus, in quo liceat expatiari. Hinc nobis nec evagari, nec finem & modum tranſire permittitur. Obſervatio *ſexta* ſiſtit quoſdam Scholaſticos, qui, ut, quod animis imbiberant, probarent, Annis poſt Synodum Tridentinam plus minus triginta varie contra veterum Theologorum morem & doctrinam definierunt ac diviſerunt Contritionem & Adtritionem, atque ſic Quæſtionem alias difficilem novis obſcuritatibus obtuſcarunt, qua de re conqueritur *Hieronymus Llamas*, ex ordine Ciſtertienſium Theologus, in Confeſſariorum & pœnitentium Inſtructione. Eam ob rem, qui, quod de contritione ſimpliciter dicta Authores ante citati, Vega, Tapperus & Canus obſervarunt, ſuarum partium tenaces improbant, id ſibi ex Authoribus antiquioribus, vel æqualibus certe putabunt improbandum, aut ſi, quod effici nequit, non efficiant, Solem in Meridie patiantur lucere. Obſervatio *ſeptima* eorum facit mentionem, qui in exponenda mente Synodi Tridentinæ aliter errarunt, rem Sacramenti cum Sacramento confundentes. Synodus enim docens, Sacramenti Pœnitentiæ vim in forma præcipue ſitam eſſe, non de re Sacramenti, quæ interior eſt contritio, ſeu gratia reconciliationis cum DEO loquitur, ſed de Sacramento, quod ſcilicet externum eſt Symbolum. At iſtud communis tunc inter Scholaſticos ſententia in ſola Abſolutione collocabat. Hæcque opinio tum alibi, tum inprimis apud Theologos Bononienſes perſeveravit, ſi enim Sacramentum Pœnitentiæ definierunt Johannes Paulus Palenterius & Julius Gemellius. Nequæ hæc opinio fuit nova, ad eam enim ante Scotum, cui ut Authori à quibuſdam tribuitur, reſpexit Robertus Pullus, Cardinalis & Eccleſiæ Romanæ Cancellarius, quam ſecutus eſt æqualis Innocentio Pontifici hujus nominis tertio Stephanus Langtonus ſeu Anglicus, ex Cancellario Pariſienſi Archiepiſcopus Cantuarienſis. Scotus quidem cum his illuſtribus Magiſtris concordat in Sacramento, ſed in re Sacramenti ab iis diſcordat, atque ut diſcordat, in vanas, quaſdam argutias abdit ſe, nec ullis plane rationibus utitur, quæ aliquid habeant pretioſi vel adcerſiti. Ad illam ergo communem de hujus Sacramenti eſſentia opinionem, quæ tunc invaluerat, non ad opinionis privatæ præjudicium ſunt expendenda, qui in Synodo Tridentina ſunt decreta. Qui ſecus fecerit, ſibi, non Synodo canet, atque Synodum ſibi, non vere ſe aptabit Synodo, propriiſque ſtudiis, non Veritati Theologicæ inſervit. Obſervatio *octava* docet porro, non minus eos falli, qui ex ejuſdem Synodi verbis argutantur, & miris quidem, ut Launojus ait, modis, ut probent, Synodo viſum fuiſſe, Adtritionem reliquis Sacramento partibus junctam proxime ad Juſtificationem ſufficere. Sed laborant inaniter, & præter Synodi mentem diſputant. Ad hæc ſunt ex veteribus non pauci, qui fere pari loquuntur modo, uti Synodus loquitur, etiamſi credant, Contritionem perfectam ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri, nominatim Thomas Argentinenſis ex ordine Eremitarum S. Auguſtini. Obſervatio *nona* oſtendit, falli etiam eos, qui pro Contritione pugnant, & Synodum trahunt ad partes ſuas, atque non minus à Synodi mente & ſcopo deflectere, quam qui dimicant pro Adtritione, & ſuam eſſe Synodum adſeverant; ſiquidem Synodus cum utriſque verſari & neutris adcedere voluerit, contenta ſcilicet, inductam ab hæterodoxis novitatem (uti videbatur Antiquariis non admodum vetuſtis) abjicere, & Antiquitatem novitati contrariam retinere. *Hæc fuit Concilii ſobrietas.* Inter eos autem, qui pugnam pro Contritione ex authoritate Synodi adornant, duo præſertim eminent, Franciſcus Silvius & Michael San-romanus, qui, cum neceſſariam in Sacramento Contritionem eſſe docent, id omnino præſtant, quod eminentiſſimi quique Doctores ante & poſt Synodum Tridentinam præſtiterunt; ſed cum id à Synodo ſancitum eſſe colligunt, illius metam prætervehuntur, & ma-

xime Silvius, qui id unum ſibi propoſuiſſe videtur, ut ex hac Synodo tantum adſereret contritionis neceſſitatem. San-Romanus vero præter Synodum adhibet Lazari exemplum & Auguſtini teſtimonium, duo ſcilicet genera probationis, quibus alii etiam communiter utuntur Magiſtri, modumque ſolvendorum ac ligandorum pœnitentiam demonſtrant. Præterveeti igitur Synodi metam dicendi ſunt, cum ad eam rite intelligendam non adceſſerint, quemadmodum ad intelligendam ſcripturam adcedendum eſſe docuerunt Eccleſiæ Doctores. Verum enim vero, ſi quis eam Synodi mentem & intentionem, quæ ſupra rationibus optimis fuit indicata, circumſcriberet, & non plane nihil ab eo de illa Theologorum controverſia definitum ſupponeret, fatendum eſſet ingenue, Silvium & San-Romanum viciſſe; tunc enim petitione principii non niterentur eorum argumenta, qua modo nituntur. At hoc genere fallaciæ non indiget Veritas Theologica; nam ſpectatis duntaxat Synodi verbis multo validius pro contritione, quam alii pro adtritione dimicant, quod facile conſtabit, ſi partis utriuſque diſputationes campum prodeant in apertum, & ratio rationi, authoritas authoritati committatur. Sed iſta hypotheſis non eſt facienda, cum id, quod res eſt, tum ex meta Synodi, tum ex illis adjunctis debet quæri. Nimirum veritus non propriis cujuſquam utilitatibus, ſed ſuis ponderibus ac momentis eſt metienda. In obſervatione *decima* ſic pergit Launojus: Quamvis Synodus hanc quæſtionem Theologis dimiſit liberam, atque in partem alterutram nihil determinavit, ea tamen *cautione & prudentia* tractavit materiam, ut niſi quis advertat diligenter, in hanc vel illam partem facile divolvatur. Nempe, mediam tenet viam Synodus neque hæret in confiniis; ſed qui non mente ſequitur adtenta, ad confinia ſenſim ſine ſenſu divertit. Id adcidit tum aliis, tum quoque *Martino Navarro*, celebri Moralis Theologiæ Magiſtro, qui multos Synodi Patres potuit videre, vocans ad parte Sotum ſupra citatum, qui vero id tantum ſcripſit, *videri* Synodum ſenſiſſe, ad ſacramentum Pœnitentiæ requiri pœnitentiam de peccatis propter amorem DEI, eo quod peccatum ſit ejus offenſa, & quod à pœnitente putetur eſſe contritio, vel ſaltem non credatur non eſſe contritio; cum revera nullum ſit Synodi caput, nulluſque Canon, ex quo queat concludi legitime, adtritionem, quæ putetur eſſe contritio, requiri potius, quam ſufficere adtritionem, quæ talis agnoſcatur. *Sotus*, ſcilicet veterem de contritione ſententiam voluit retinere, & quo facilius retineret, eam *aliquo Synodi hujus odore* imbuendam eſſe duxit, quod videtur ideo factum ab eo, ut Vegæ opinionem de adtritione redderet improbabilem. Verum hac ſubtilitate non fuit opus, cum neceſſitas hujus contritionis in ſacramento ſatis apte ſcripturis & Eccleſiæ perpetua traditione confirmetur. In obſervatione *undecima* ſic legitur: Sunt, qui, ut adtritionem probent partem eſſe ſacramenti legitimam, ex contritionis neceſſitate confeſſionem minus eſſe neceſſariam concludunt. Sed falluntur procul dubio, cum vera contritio votum confeſſionis importet. Deinde, quidquid eſt hac in re difficultatis, enodarunt tum alii, tum maxime *Johannes Arboreus*, qui in Theoſophia adverſus Lutherum (quaſi is neceſſitatem confeſſionis vocaſſet in dubium) ſingula confeſſionis momenta ad præſuppoſitam contritionem diligentius expoſuit. In obſervatione *duodecima* ſequitur: Qui opinionem Magiſtri ſententiarum, Bonaventuræ, Raimundi & aliorum de modo abſolvendi refellunt, prorſus abutuntur Canone Synodi, qui non alium, præter Lutherum fecit. Ubi notandum, quod Launojus, neſcio, unde Lutheri & Novatorum, quos vocat ſententiam de contritione aliter plane exponat, quam in ſcriptis eorum exponitur, quod cum ſumma conjunctum videri debet injuria, alias fortiter repellenda. Succedit obſervatio *decima & tertia*, in qua hæc habentur: Certum eſt, non plane nullos ex iis, qui Veterum opinionem de neceſſitate contritionis in ſacramento retinuerunt, modum loquendi de abſolutionis forma non retinuiſſe. Et quidem ii Doctores mutato loquendi modo ſic diſputant, ut omnem tollant inconſequentiæ ſuſpicionem. Sunt vero alii, qui, niſi cominus eoſdem inſpicias, *ita* diſſerunt vel differre videntur, ut aliquando videantur locuti cum inconſequentia. Exempli

pli gratia nominantur Marianus Victorius & Alphonſus Salmero. Illum intricavit mota inter Hugonem Victorinum & Magiſtrum ſententiarum controverſia ſuper effectu contritionis; cujus momentum non ita probe tenuit; atque ſic à Mariano mutatum eſt aliquid in modo docendi, nihil autem in doctrina. Hic difficultatem circa abſolutionem movit quidem, ſed indiſſolutam reliquit, non indicans, quò in culpæ remiſſione DEUS, quò ſacerdos, & qua ratione pertingat. Hunc vero intricatum loquendi modum tria, uti videtur pepererunt. Primum eſt, quod quidam uni ſe addixerunt Thomæ, qui licet reipſa & ſpectatis omnibus nec à Præceptoribus, Alberto & Alenſi, nec à communi temporis illius ſententia, quam Raimundus expoſuit, receſſerit, formam abſolutionis tamen aliter expreſſit, mentemque præterea non plane nullis ita fecit dubiam, ut in varias ducatur partes. Imo ſunt etiam è recentioribus, qui, quam formæ abſolutionis, uti credunt, dedit interpretationem, rejiciant. Secundum, quod alii timuerunt, ne in damnatum à Synodo dogma Lutheri incurrant. Sed dogmate Lutheri non bene intellecto timuerunt, ubi timendum non erat. Certum eſt quidem, neminem celerius opprimi, quam eum, qui nihil timet; ſed hic nullus fuit timoris locus. Nam ad novitatem doctrinæ, quam Lutherus indixit, (uti putabatur falſo) non vero ad doctrinæ, quam à majoribus acceptam Doctores Catholici adſerebant & poſteris conſignabant, antiquitatem erat timendum. Tertium, quod quidam hinc falſo crediderunt, verba hæc, *Abſolvo te à peccatis*, omni retro ætate uſurpata fuiſſe, dum à Sacerdotibus abſolverentur pœnitentes ac Eccleſiæ reconciliarentur; atque ſic non eo ſenſu ea accipientes, quo acceperunt, qui quo tempore eadem veteribus abſolvendi formulis fuerunt indita, vixerunt. Inter eos Alenſis Doctor irrefragabilis dictus, atque poſt eum Innocentius Pontifex hoc nomine quartus ſic acceperunt, ut abſolutionem per denuntiationem explicarent, à qua explicatione non multum receſſit Thomas, cui abſolvere fuit idem, quod ſacramentum abſolutionis impendere. Obſervatio *decima & quarta* itidem repetit ex antecedentibus, quæ notata fuere ad illam loquendi formam, qua ex adtrito dictum fuit fieri contritum, addito, eam à non plane nullis aliter exponi, atque ſic quidem, ut à communi opinione recedatur, hoc nimirum ſenſu, ut adtritio ſimplex ſacramento juncta efficiat peccatorem juſtum, vel, ut poteſtas clavium prævia tantum adtritione remiſſionem culpæ primo per ſe & directe operetur, id eſt, æquivaleat contritioni. Obſervatio *decima & quinta* ad caſus reſervatos progreditur, circa quos duo obſervantur, quibus eorum diſciplina comprehenditur. Unum eſt recepta dudum per Romanam & alias Occidentis Eccleſias conſuetudo, qua pœnitens, qui reſervatos & non reſervatos habet caſus, ſic duobus confitetur ſacerdotibus, ut ab uno unam uno in loco nonnunquam remotiſſimo conſequatur abſolutionem. Alterum Theologicæ rationi conſentaneus explicandæ illius conſuetudinis modus. Hæc autem duo ita ſunt inter ſe comparata, ut quas primum objicit difficultates, eas omnes diluat ſecundum; neque occurrit aliud quidquam, quo brevius & facilius diluantur. A gravi nimirum temeritate non ſunt eximendi, qui morem univerſe receptum & pluribus ſeculis frequentatum adcuſant, quem Eccleſia gravibus de cauſis induxit. Perſuaſum quippe habuit, homines à perpetrandis atrocioribus flagitiis eo magis deterreri, quo laborioſius veniam eorum abſolutionemque obtinerent; &, cum modo unum, modo alterum adirent ſacerdotem, majori pudore ac verecundia frangerentur. Ita in re partem eſſe Pœnitentiæ non modicam Patres adfirmarunt, ſcholaſticis non abnuentibus, Thoma præſertim Aquinate. Verum, Verum, ante annos centum & ſeptuaginta nunnulli fuere Doctores, qui, cum piam hanc conſuetudinem propriis momentis minime perpenderint, illius abrogandæ viam ſuis diſputationibus volaticis aperuerunt; quibus vero Johannes Major, Theologus Pariſienſis communem Eccleſiæ conſuetudinem & ſaniorem Theologorum opinionem prudenter oppoſuit. Tum abhinc annis fere octuaginta quam dimicans opinio pro adtritione non bonitate rationum juxta ac Authorum multitudine fuit corroborata, diſciplina caſuum reſervatorum quibuſdam

in

Digitized by Google

in locis aliter cœpit tractari. Ex opinionis enim illius principiis diſputatum fuit, peccâtum unum remitti ſine alio, & tamen gratiam cum peccato conſiſtere non poſſe, &, uti confeſſionem, ita & abſolutionem, quæ pertinet ad ſacramentum, dividi non poſſe; atque ſic factum eſt tandem, ut caſus reſervati perinde ac non reſervati apud unum duntaxat deponantur ſacerdotem, à quo beneficium abſolutionis impetraretur. Hoc modo grave negotium illud, quod antea inter pœnitentem & ſacerdotes duos, quorum unus ab altero multum ſæpe diſtabat, tranſigebatur, nunc inter pœnitentem & ſacerdotem unum tranſigitur. Sed, quod maxime notandum, in diſciplinæ veteris mutatione homines à committendis, quæ reſervabantur, criminibus non magis (ſi non multo minus) quam ante deſiterunt, quod cum alia teſtantur multa, tum id quoque, quod nec numerus Sacerdotum ab expiationibus, nec turba pœnitentium decreſcit. Tandem obſervatio *decima & ſexta* explicat cauſas, quibus dimidio abhinc ſeculo & ultra factus eſt major pro adtritione, quam contritione opinantium numerus. Primum tenet locum *non intellectamens & intentio Synodi Tridentinæ*, quæ ſic ſectariorum placita damnavit, ut Catholicorum nullam de adtritione vel contritione ſententiam ſimul voluerit damnare. Quidam namque hoc non adſecuti perperam crediderunt, à Synodo judicatum eſſe ſecundum eos, qui adtritionem ſacramenti partem ſeu præparationem ad illud legitimam fecerunt; quo ſic conſtituto pro adtritione juxta ac dogmate Catholico pugnarunt, contrariam opinione labe hæreſeos adſperſerunt, & libros Rituales ad ſuam adcommodarunt opinionem, iis, quæ efficere viderentur, expunctis. Deinde ſuccedit non ſatis moderata ratio diſputandi contra Novatores, qui poteſtatem clavium vel funditus ſuſtulerant, vel nimium depreſſerant, (neutrius criminis rei, ſi ſententia eorum rite ponderetur.) Nam fuerunt è Catholicis, qui, ut hunc errorem oppugnarent, in aliud extremum inclinarunt, & poteſtatem clavium nimis extulerunt. In Ethica Virtus inter extrema duo vitia conſiſtit, atque, ut defectus corrigatur, exceſſu non eſt opus, ſed mediocritate, ad quam Virtus perpetuo debet revocari. Sic in Theologicis doctrinæ novitas, quæ hæreſin facit apud Chriſtianos, refellenda non eſt alia novitate, ſed antiquitate, quæ unam à Catholicæ Fidei Notis conſtituit. Tum adeſt tractata à quibuſdam perfunctorie Scripturarum, veterumque Patrum & Eccleſiæ Doctorum Theologia, quæ ad dogmatum Eccleſiaſticorum confirmationem ſemper fuit neceſſaria, aliquos enim reperias, qui, dum hanc quæſtionem tractant, neque Scripturarum, neque Patrum meminerunt. Poſtremo adjungitur ſacramentum illud, quo nonnulli in authoritatem & verba Magiſtri, quem ſequuntur, jurant, & tum demum credunt ſe valde doctos eſſe & ſubtiles, ſi quælibet illius placita tanquam oracula defendant.

Brevis Cenſura.

LIbuit ex opuſculo Launoji inter hos fere triginta annos ſcripto breviter excerpere, non quaſi hæc quæſtio de contritionis neceſſitate vel adtritionis ſufficientia huc proprie credatur pertinere, quando de Conciliorum neceſſitate & utilitate agitur, ſed quia certo quodam reſpectu huc poteſt referri, nempe, ſi conſideretur ex una parte Conciliorum neceſſitas, quam urget hæreſium & diſſenſionum in Eccleſia ſcandalum, quia, ubi nulla hæreſis vel diſſenſio in Eccleſia, tanta Conciliorum neceſſitas eſſe non videatur, & ſcandala morum adverſus diſciplinam modo faciliori poſſint è medio tolli; ex altera autem parte Conciliorum utilitas ad lites ſedandas, quæ inter ejuſdem Fidei & religionis Profeſſores ſuper uno vel altero doctrinæ puncto poſſunt oriri, & non plane nunquam ipſomet facto oriuntur. His nempe in genere præſuppoſitis, ſi ad ſpeciem ſit eundum, quæritur non immerito, an non controverſia, quæ circa contritionem & adtritionem inter Theologos Eccleſiæ Romanenſis antehac agitabatur, hodieque adhuc non ſi-

ne

Digitized by Google

ne ſingulari animorum motu agitatur non in occulto, ſed publice & in ſcriptis omnium oculis atque huic etiam cenſuræ expoſitis. ejus videri debuerit momenti Patribus Synodi Tridentinæ, de qua ſerio cogitarent, ut authoritate ſynodica certi quid de ea ſtatueretur, nec cuivis liberum maneret vel contritionem quaſi neceſſariam, vel adtritionem quaſi ſufficientem in Pœnitentiæ ſacramento ad impetrandam à DEO abſolutionis gratiam eligere? Quamvis enim dicatur, Synodum hanc tantummodo ad errores Lutheri configendos & anathemati ſubjiciendos fuiſſe congregatum, porro quæritur tamen, annon more Conciliorum prioribus poſt Chriſtum ſeculis celebratorum videri debuerit conſultum, quia & quodammodo neceſſarium, de ea etiam agere controverſia, quæ multum diſtraxerat animos doctorum ſub uno capite viventium; inprimis quia Lutherus ipſe præbuit anſam, quando adtritionem utpote hypocriticam & contritionem quam maxime imperfectam expreſſe rejecit? Sorboniſta noſter Launojus in hoc argumento præter conſuetudinem lubricus eſt atque ambiguus valde, quaſi neſciverit, ubi pedem figat ac immotus ſubſiſtat, non pauca tamen in prolixa ejus tractatione Lectori adtento ſuppeditans, quæ clare ſatis oſtendunt & aperiunt mentem ejus, utut hinc inde nimis involutam; nempe, Patres Tridentinos conſultius facturos, ſi certum Canonem de hac quæſtione edidiſſent, & quidem in gratiam contritionis, quam quod rem dubiam & indeciſam reliquerunt, anſam tot diſputationibus præbentes, quæ per Decretum potuiſſent tolli. Colligemus ea breviter, ut, quam utilitatem Synodus Tridentina Eccleſiæ in hac controverſia momenti non plane nullius, ſed majoris adtulerit, perſpiciatur. Scilicet, utramque de contritione & adtritione opinionem liberam reliquit Doctoribus ſcholaſticis, de quibus tamen Launojus teſtatur, *quod ſibi nautuam erroris notam inuſſerint*. Annon igitur ex officio debuiſſent Patres Tridentini de eo eſſe ſolliciti, ut poſt diligens examen ſtatuerent, quænam ſententia Verbo DEI magis eſſet conſona, atque ſic omnis error ejuſve imputatio ex Eccleſia proſcriberetur? Nimirum, non agebatur de aſini umbra aut lana quadam caprina vel alia re nihil æſtimanda, ſed de *fructu & valore Sacramenti Pœnitentiæ*, quem dum alii tantum contritioni adſcribentes adtritioni omnino denegabant, alii autem ab adtritione etiam ſola derivabant, operæ pretium erat indicare, quænam ex his opinionibus propior eſſet Veritati, ne mentes pœnitentum in dubio verſari, ac de fructu & valore cogerentur dubitare? Locum hic certe non debuit habere reſpectus eorum, qui pro adtritionis ſufficientia non aliter, quam pro aris & (multo magis quidem) pro focis pugnarunt, ſi modo ad dictamen conſcientiæ fuiſſet obſervatum, ſententiam pro contritionis neceſſitate *quædam præclariora rationum momenta habere*. Minime autem conſtat, quid Launojus habuerit in animo, dum Patres Tridentinos propter omiſſionem deciſionis aliqua ex parte excuſaturus ſcripſit, Lutheri ſententiam adverſus adtritionem & quorundam ſcholaſticorum opinionem pro adtritionis ſufficientia *non eſſe connexas*; verum namque id eſt, non eſſe connexas, ſed potius contrarias & ſibimet repugnantes. At minime ſequitur, Synodi Patres officio feciſſe ſatis ex aſſe, dum Lutheri ſententiam reprobarunt, & non ſimul expreſſe decreverunt, quænam ex opinionibus ſcholaſticorum inter ſe diverſis eſſet potiſſimum eligenda, ut omnis è medio Eccleſiæ auferretur contentio, & conſcientia pœnitentium in tuto collocaretur, deque fructu non amplius dubitare cogerentur ac in ambiguo verſari. Sed quia utriuſque opinionis Patroni Synodo interfuerunt, ne lites inter eos ſererentur, qui ad Lutheri errores configendos convenerant, res manſit non modo indeliberata, & abſque ulla diſcuſſione, ſed etiam quod neceſſarium fuit, indeciſa, intra quos ambiguitatis terminos admodum hodie conſiſtit. In tantum vero Patres Synodici ex hoc reſpectu non Divino, ſed humano abhorruerunt à hujus quæſtionis diſcuſſione & diremtione, ut, teſte Launojo, cum traderent modum præparationis ad juſtificationem, non *Contritionis*, (ne videlicet adtritionis Patronos offenderent) ſed *Deteſtationis* nomen (utpote generalius, quod utrique opinioni videretur favere) uſurparint, nec etiam indicarint, *quid in Scripturis, quid apud Tractatores Eccleſiaſticos, quid apud Theologos* contritio ſimpliciter dicta ſignificet.

Digitized by Google

Imo, addit Launojus, Synodum concordiæ inter ſcholaſticos Doctores ſanciendæ gratia nomen contritionis & adtritionis à toto juſtificationis negotio *prudenter* excluſiſſe. Verum judicent cordati, annon hæc prudentia carnis fuerit, & num hæc diſſimulatio nominum contrariorum vel diverſorum ad veram & ſinceram inter Eccleſiæ Doctores concordiam potuerit inſervire, quos poſt Synodum majori animorum motu hanc quæſtionem tractaſſe, quam ante eam eſt manifeſtum ac in luce publica expoſitum. Hæc de cætero non male Launojus contra Patronos adtritionis obſervat, *quod ſenſui & inſtituto Synodi Tridentinæ contradicant*, ſcribentes, vel falſa & fallaci ſubtilitate argutantes, opinionem, quod adtritio reliquis ſacramenti partibus juncta ſufficiat ad juſtificationem, capite quarto ſeſſionis poſt decimam quartæ definitam, vel ad minimum *prope definitam eſſe*. Inde etiam notat, *Sanctarium* poſt alios minime ſcripturum, opinionem de adtritionis ſufficientia *forte non eſſe verum*, &, qui ei ſe credit in articulo mortis, *exponere ſe periculo damnationis*, ſi ea in Synodo fuiſſet definita; &, ſi id eſſet, potuiſſent, qui Calvino reſtiterunt, Synodi authoritatem rejicere, quod tamen ab eis factum non eſt, qui potius veræ contritionis neceſſitatem deſeruerint, quam, utpote receptiorem Theologorum ſententiam Calvinus vexarit atque ſuis cavillationibus laceſſiverit. Neque id prætermittendum, quod porro Launojus monet, opinionem de adtritionis ſufficientia, ſi refellenda ſit, oppido refelli argumentis, quæ ad ſimplicitatem, *priſcum adparatum Chriſtianorum* componantur; utpote quod ad ipſum Patribus Synodi debuit, vel ad minimum potuit anſam præbere, ut doctrinam Eccleſiæ in hoc etiam capite ad priſcam Chriſtianorum *ſimplicitatem* reformarent, nec quibuſvis inventionibus novitiis, ab antiqua ſinceritate deviis, eamque plurimum corrumpentibus locum relinquerent. Et qui potuiſſet *Raimundi* in Canonem Sanctorum relati doctrina de contritionis neceſſitate confirmari Romæ, ſi opinio de adtritionis ſufficientia Tridenti fuiſſet Synodice definita? Adcedit *antiquitas & univerſitas* doctrinæ de contritionis neceſſitate de primis poſt Apoſtolorum tempora ſeculis ſerie continua per Eccleſiæ Doctores uſque ad Synodum Tridentinam traditæ, cui ſecundum Launoji mentem vix auſi fuiſſent Patres in ea congregati per adprobationem deciſivam adtritionis tanquam ad ſacramentum Pœnitentiæ ſufficientis contradicere. Id inſuper quoque meretur hic aliquam conſiderationem, annon antiquitas & univerſitas doctrinæ de contritionis neceſſitate, per tot ſecula continuo ab Eccleſiæ Doctoribus traditæ, potuerit haberi vel agnoſci à Patribus ſynodicis, qui traditionem Eccleſiæ perpetuam jactant alterum eſſe fidei Chriſtianæ principium, *inſtar certæ alicujus definitionis Eccleſiaſticæ*, & poſita hac, num jus illud probabilitatum, quod novitii Doctores novo more prætendunt, adhuc aliquem habere potuerit locum, atque ſic per conniventiam adhuc liberum jure meritoque manſerit, eam eligere opinionem, quæ videretur huic vel illi *probabilior*, prout nempe Authoris, quem quivis ſequendum ſemel adſumſit, magiſterium perſuaſerit, adcedente inprimis ſententia probabiliore, quam contritionis neceſſariæ defenſores *Scripturis & Patribus magis* eſſe luculenter demonſtrarunt. Et ſi Patres Synodici viverent adhuc, vix poſſent ſe excuſare à reatu inſignis negligentiæ ob intermiſſam hujus controverſiæ deciſionem & contritionis neceſſariæ à tot ſeculis in Eccleſia traditæ confirmationem, poſtquam uſus *Eccleſiæ* ab illo tempore obtinuit, ut pœnitentes non aliter, quam à peccatis (vere) contritis abſolvat Sacerdos, adtritionem tanquam contritionem omni ex parte imperfectam eometipſo rejiciens, non rejecturus, ſi eam Synodus expreſſe ſufficientem judicaſſet. Si inſuper *Diplomata Indulgentiarum* aliqua gaudent authoritate, quam eorum Nundinatores magnifice deprædicant, ex iis etiam conſtabit, Synodum pro contritionis neceſſitate ſententiam dicere obligatum fuiſſe, ſi ad imitationem Conciliorum veteris Eccleſiæ huic quæſtioni controverſæ finem imponere voluiſſet, uti omnino debuiſſet. Quin & hoc quoque Patres Synodicos adtendere oportuiſſet, quod Launojus iterato revocat ad animum, hanc ſentiendi libertatem ideo videri debuiſſe intolerabilem, quia contritionis neceſſitas præ ſufficien-

Digitized by Google

ficientia Adtritionis manifeſte prævalet *argumentorum bonitate & pondere, imo dogmatis Catholici Notis pene omnibus.* Sententiam Vaſquezii quod adtinet, quam ſatis acriter perſtringit Launojus, ac ſi Contritionis tollat, eamque Sententiam habeat pro hæretica, iis nunc relinquimus, qui ejuſdem partes defendunt, ne videlicet hæc Cenſura prolixior evadat. Addo judicium ejus de methodo *Scoti*, ſicut in aliis; ita in hac etiam Tractatione, eam *magis Philoſophicam, quam Theologicam* eſſe cenſens; utpote quod ipſum movere debuiſſet Synodum Tridentinam, ut aperte Sententiam pronuntiaret, ac miſſis ſubtilitatibus philoſophicis ſimplicitatem Theologicam amplecteretur: inprimis quia non neſcivit, ſi hypotheſium propriarum voluit eſſe memor, *pro Fidei dogmate non habendum, quod plures habeat Catholicos oppugnatores, quam patronos*; Thoma poſt Scotum quoque non adtendendo, utpote qui itidem, *nulla authoritate Scripturæ, nullove Patrum teſtimonio* munitus hanc Quæſtionem diſcuſſerit, diſtinctiuncula quadam contentus, dum alii, quos refellit, illuſtri teſtimonio Scripturæ ſuam confirmarint Sententiam. Nihili præterea ducit merito Launojus folium illud ficus, quo *Vega* opinionem pro ſufficientia Adtritionis valde ſuſpectam de latente aliquo errore conatus eſt obvelare, ſcribens, eſſe eam *pœnitentibus favorabilierem*; quia Synodus, cui interfuit Vega, ſi laudem Theologicæ & Chriſtianæ ſinceritatis voluit obtinere, omnino non favorem hominum, ſed potius authoritatem Scripturæ ac Patrum & perpetuam Eccleſiæ traditionem jure debuit reſpicere, ex qua nimirum de voluntate & inſtitutione Authoris conſtat, ad quam ſolam actiones Sacramentales ſunt referendæ. An vero laudanda ſit *Sobrietas* Concilii, quam Launojus ſibi hic iterum non ſatis conſtans commendat, quod tantum Lutheri novitatem rejecit, in medio autem relicto, quod de Adtritionis ſufficientia adverſus neceſſitatem Contritionis in Eccleſia docebatur, adhuc eſt in dubio; imo, ſi omnia, quæ hactenus fuerunt ex Launoii obſervationibus tradita, rite ponderentur, manifeſtum erit, Patres Tridentinos in adiaphoria hujus Controverſiæ officio ſatis ex aſſe non feciſſe, ſed potius *ebrios* ex reſpectibus humanis neſciviſſe, quid in bivio opinionum diverſarum conſtituti decernerent, ac quorſum ſe abſque partium offenſione tuto conferrent. Idem cenſeri debet de commendata ab eodem Launojo (ſerio, an ex joco ſcribente, dubium) Synodi *cautione & prudentia*, quam videlicet ita deſcribit, eam in tractatione hujus materiæ ſic fuiſſe adhibitam, ut, niſi quis diligenter advertat, in *hanc vel illam partem facile devolvatur*, quod Martino præſertim Navarro ſcribit adcidiſſe. Quid enim? Anne hæc dici poteſt vel debet prudentia & cautio, quæ Theologos deceat Chriſtianos, aliorum Doctores, atque ad viam Veritatis & æternæ Beatitudinis ductores, rem, quæ cum periculo erroris & hinc æternæ damnationis eſt conjuncta, illa tractare, ut, non dicam, Laicus & ſimplex, ſed Doctor etiam, iſque non vulgaris & ſemidoctus, ſed celebris & præ aliis excellens, qualis Martinus ille Navarrus fuiſſe commemorantur, veram ejus mentem non poſſit adſequi? Procul ſit hæc prudentia fallax & cautio minus cauta, per quam ad immotam pervenire non datur certitudinem, ſed ab utroque latere non niſi incerta ambiguitas occurrit. Quod vero *Sotus*, quem plures alii ſequuntur, veterem de Contritionis neceſſitate Sententiam *aliquo Synodi hujus odore* duxit imbuendam, feciſſe cenſendus eſt ideo, ut oſtenderet, quid eam facere oportuerit, ſi abſque aſpectu perſonarum, prout par eſt juſtumque erat, finem huic Controverſiæ voluiſſent imponere, atque in gratiam Veritatis ſuæ mentis ſenſa exponere. Neceſſarium id debuiſſe videri, exinde inprimis etiam conſtat, quia Launojus ipſe in ultima obſervatione fatetur, primam & potiorem cauſam, cur poſt Synodum Tridentinam opinio de ſufficientia adtritionis communior facta ſit, quam ſententia de Contritionis neceſſitate, eſſe vel hactenus fuiſſe *non intellectam mentem & intentionem Synodi*, quæ ſi eam ex officio & debito clarius expoſuiſſet, præcavere potuiſſet ſcandaloſam de Adtritione diſputationem, quæ ideo, præſertim, quia pœni-

tentibus favorabilior eſt, mentes plerorumque occupavit, utut juxta aliorum Sententiam cum periculo æternæ damnationis ſit conjuncta. At hiſce non obſtantibus debuit hæc Controverſia manere indeciſa, ac debebant ſimplices in Eccleſia eſſe contenti, quod dogma Lutheri fuit ſubjectum anathemati, quidquid de cætero Doctores Scholaſtici inter ſe diverſi & plane contrarii vel de Contritione, vel de Adtritione traderent, quovis ſine ulteriori Examine Magiſtri & Confeſſarii, quo utebatur, Sententiam & opinionem tanquam probabilem ſequente. Videlicet non poterant Patres Synodi rebus ſic ſtantibus unam altera in totum rejecta ſententiam eligere, quia utraque ſuis gaudebat Patronis etiam in Synodo præſentibus. Quamvis enim neceſſitas Contritionis ob Scripturæ & Patrum Eccleſiæ authoritatem præ Adtritionis ſufficientia videbatur probabilior & hinc quoque in praxi tutior, non deerant tamen magni nominis inter ſuos Viri, qui non erant permiſſuri, ut una præ altera gauderet prærogativa. Multo minus fieri poterat per rationem ſtatus, quæ in hac Synodo primas tenuit, ut Adtritionis ſufficientia per ſingulare Decretum omnino tolleretur è medio, etſi omnes unanimiter conſenſiſſent, quia alias Lutheri propoſitio de Adtritione hypocritica non potuiſſet damnari. Alia his ſimilia lubens prætermitto, dum hæc, quæ Launoii diſputatio ſuppeditavit, ex qua ad hominem hic fuit diſputatum, ſufficienter poſſent docere, a Synodo Tridentina, uti in pluribus aliis, ſic etiam in hoc capite Eccleſiam non eam cepiſſe utilitatem, quam expectabat, animis ſimplicium in ambiguo relictis circa illud, quod quam maxime neceſſarium erat, ut expreſſe decerneretur, quia de fructu & valore Sacramenti Pœnitentiæ agebatur.

Adpendix poſterior.

HUc quoque non impertinenter adeo refertur ejuſdem Launoii Diſſertatio *de mente Synodi Tridentinæ circa Satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ*, eam præſenti Inſtituto de Conciliorum utilitate inſerviturum proponens Quæſtionem, an à Synodo hac Eccleſia eam habuerit utilitatem, ut, quia Scopus Synodi primarius fuiſſe dicitur, dogmata Lutheri tanquam errores ipſa novitate ſuſpectos condemnare, atque ſic Eccleſiæ antiquam Doctrinæ ſinceritatem reſtituere, in hoc etiam capite ad ipſam Praxin pertinente Antiquitatis orthodoxæ veſtigia fuerint obſervata, quæ ex Monumentis fide dignis ac omni exceptione majoribus omnium oculis adhuc ſunt expoſita? Eo memorabilior autem & notatu dignior hæc quoque eſt Diſquiſitio, quo majori animorum motu eam ipſomet Synodi Interpretes agitare inter ſe Launojus docet, non aliter multo & melius convenientes, quam Vulpes Samſonicæ caudis colligatæ, & tamen fœdiſſime Vineam Eccleſiæ Chriſti devaſtantes. Aliqui, ſic ſcribit Launojus in Præfatione, confidenter aſſerunt, Concilium ſtatuiſſe reipſa, ut, quæ à Sacerdotibus audita Confeſſione imponitur ſatisfactio, ante Abſolutionem fiat, &, niſi fiat, unam vel alteram rerum conditionem ſi excipias, caſſum atque irritum fore Abſolutionis Beneficium, quod impertiretur. Alii vero contendunt, & ſummo quidem opere, Concilium ſex vel ſeptem aperuiſſe vias, quibus agendæ ante Abſolutionem ſatisfactionis modus reſtituatur, qui ab antiqua Patrum traditione profectus jamdudum obſervari deſierat. Duo autem ſunt, inquit Launojus porro, quæ de modo agendæ ſatisfactionis diſputant utrique. Unum adtinet veterem Eccleſiæ diſciplinam, in qua ſic adminiſtratum eſſe volunt Pœnitentiæ Sacramentum, ut ſatisfactio injuncta exploretur prius, quam daretur Reconciliatio, niſi periculum Mortis interveniret. Alterum ſpectat maxime Synodum Tridentinam, ubi vel ſimpliciter definitum eſſe dicunt, at in uſum revocetur illa vetus Diſciplina, vel certe, ut revocetur, pluribus in locis eſſe indicatum aperte. Primum à ſuæ Diſſertationis argumento removet Launojus ideo, quoniam,

Digitized by Google

niam, inquit, licet illud genus Diſciplinæ obtinuiſſe quondam, & tantundem ætatis obtinuiſſe demus, quantum adfirmant, tamen, quemadmodum potuit, ſi viſum fuiſſet expedire, ſic etiam non potuit à Concilio reſtaurari, Ecquis enim eſt, ſic pergit Launojus, rerum in hoc Concilio geſtarum æſtimator prudens, qui dicere audeat, priſcum ab illo certis Anni temporibus baptizandi morem fuiſſe reſtitutum, vel de eo iterum reſtituendo cogitatum fuiſſe, quamvis Siricius, Leo & alii ex Apoſtolica traditione eum manaſſe multo certius adſeverant? Hoc ergo velut ἀδιάφορον ſe hic prætermittere monuit Launojus, atque alterum tantummodo adgredi, quod totum haud in juris, ſed in facti conditione verſetur: Scilicet, an Concilium definierit, vel tantum ſignificaverit quibuſdam in locis, ut in Sacramento Pœnitentiæ, quæ injungitur, aut convenienter injungenda eſt, ſatisfactio agatur ante Abſolutionem: Neutrum à Patribus Concilii factum ſe demonſtraturum promittit Launojus, & ea quidem methodo, qua poſſit demonſtrari, neque id factum, neque ut fieret, ſignificatum eſſe. Atque hoc demonſtraſſe, inquit, id demonſtratum erit quoque, communem, qui ante Concilium, & ipſius Concilii tempore ſervabatur in Eccleſia morem agendæ poſt Abſolutionem ſatisfactionis ſuppoſitum, & tertio ſaltem conſenſu retentum probatumque fuiſſe. Hujus ſententiæ rationes octo proponit in ipſa Tractatione Launojus, quorum primum depromit è capite decimo & quarto Seſſionis ſextæ, in quo Sacramenti Pœnitentiæ partes eo recenſentur ordine, ut ſatisfactio poſtponatur Abſolutioni, non præponatur, omnino præponenda, ſi Concilium judicat eſſe præponendum, ſignum etiam aliquod hujus Judicii daturum, ſignificans potius, ſatisfactionem ex ordine Retinendam eſſe, quo fuit recenſita. *Secundam* rationem deſumit ex iis Authoribus, qui ſtatim poſt publicatam hanc Seſſionem ſextam, & ante publicatam Seſſionem decimam & quartam de Pœnitentia ſcripſerunt, inter eos nominans Franciſcum Epiſcopum Urgebitanum in Manuali, quod Lugduni fuit editum, uti & librum de Sacramentis juxta uſum Eccleſiæ Lugdunenſis, Synodum Moguntinam Provincialem in Methodo Doctrinæ Chriſtianæ, quin etiam in Inſtitutione ad Pietatem Chriſtianam, quam hæc Synodus edendam promiſit, è quibus ſcriptis conſtare dicit variam peragendæ ſatisfactionis conditionem, & Authorem inprimis libri hujus Inſtitutionis de reſtituendo peragendæ ante Abſolutionem ſatisfactionis uſu nullam ſuſcepiſſe cogitationem, quam non prætermiſiſſet, ſi aliquam illius ſuſcipiendæ viam Synodus Tridentina aperuiſſet, contentus hinc eum ſequi ordinem, quem Synodus in Seſſione citata tradiderat. *Tertiam* rationem quærit ex rebus in Concilii Seſſione decima & quarta traditis, quæ ipſam de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam per capita novem & Canones quindecim propoſuit. Et ibi quidem duobus ultimis demum capitibus actum fuit de ſatisfactionis neceſſitate, fructu & operibus; hic autem tres quoque ultimi Canones poſt cætera Doctrinæ de Sacramento Pœnitentiæ capita ad ſatisfactionis deſcriptionem relati fuerunt. *Quartam* rationem indagat in ſcriptis eorum, qui in eadem Seſſione decima & quarta tulerunt ſententiam, inter quos nominatim exprimit Fridericum Nauleam Viennenſem, Jacobum Naclantum Clodienſem, & Nicolaum Pſalmium Viterbienſem Epiſcopos, illum in Catechiſmo, quem Sedis Apoſtolicæ ad Synodum Legatis dedicavit, iſtum in Tractatu de Indulgentiis, hunc in Manuali, omnes & ſingulos idem ſcribentes, quod in Synodo dixerunt & unanimiter decreverunt. *Quintam* rationem petit ex eorum authoritate, qui quidem Synodo interfuerunt alias, verum in hac Seſſione decima & quarta Sententiam tuliſſe non leguntur, è quibus nominat Hoſium Epiſcopum Varmienſem in Confeſſione Fidei Catholicæ, Nicolaum Pelvæum Archiepiſcopum Senonenſem in Manuali, Euſtachium Bellajum Epiſcopum Pariſienſem in Synodo particulari, Guilielmum Caſſadorum Epiſcopum Barcinonenſem in ordinario, Franciſcum Richardotum Epiſcopum Atrebatenſem etiam in Manuali ac ejuſdem Adpendice, Hieronymum Burgenſem Epiſcopum Catalannenſem, & hunc in Manuali, uti

& in Statutis Synodalibus, Johannem Venatorem Epiſcopum Lexovienſem in Synodo itidem Diœceſana, Martinum Rithovium (Epiſcopum Iprenſem) in Manuali quoque, Simonem Vigoreum Archiepiſcopum Narbonenſem in Sermone quodam ſingulari, Claudium Sanctesium Epiſcopum Ebroicenſem, in Synodo quadam ſpeciali, Johannem Soares Epiſcopum Conimbricenſem in Commentario ad caput ſeptimum uti & decimum quintum Matthæi, Petrum à Soto in Lectionibus de Inſtitutione Sacerdotum, Melchiorem Canum in Relectionibus, de Pœnitentia, Dominicum à Soto in quartum Sententiarum, Gratianum Hervetum in Catechiſmo, Cornelium Janſenium in Concordia Evangelica ejuſdemque capite quadrageſimo & quarto, Alphonſum Salmeronem &c. uno ſenſu & conſenſum idem ſcribentes, quod in Synodo Tridentina noverant fuiſſe decretum. *Sextam* rationem accipit ex eorum teſtimonio, qui poſt publicatam hanc Seſſionem decimam & quartam de Pœnitentia ſcripſerunt, nominatim Caſparis Cantarini, de quo monet, etiamſi fortaſſis ante hanc Seſſionem objecit, ejus tamen de Sacramentis libros duobus Annis poſt illam Florentiæ in Lucem publicam prodiiſſe, hoc addito, eum à Paulo Pontifice hujus nominis tertio pro Eccleſia reformanda in Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum fuiſſe adſcitum, quemque in componendis illorum temporum diſſidiis plurimum laboraſſe neſciat nemo. Huic ſubjungit Synodum Bellovacenſem & Senonenſem, Gabrielem Præteolum in ſumma Doctrinæ Chriſtianæ, Ruardum Tapperum in Articulis Lovanienſibus, Manuale Eccleſiæ Lemovicenſis, Alphonſum à Caſtro in opere adverſus hæreſes; Gabrielem Putherbeum in libro de Pœnitentia, Guilielmum Lindanum Epiſcopum Ruremundenſem in Panophia Evangelica, Synodum Sueſſionenſem, Marianum Victorium, librum Sacerdotalem ad uſum Eccleſiæ Venetæ, Maximilianum à Bergis, Epiſcopum Cameracenſem in Manuali, Johannem Monlucium Epiſcopum Valentianum in Inſtitutione Sacramentali, Franciſcum Sonnium Epiſcopum Buſcoducenſem in Tractatu de Pœnitentia, Catechiſmum quoque Tridentinum, Georgium Ederum Theologum Colonienſem in Partitionibus Catecheticis, Carolum Borromæum in Concilio Mediolanenſi primo, eadem cum ſupra nominatis tradentis de ſatisfactione. *Septimam* rationem colligit ex iis, quæ Johannes Gropperus Archidiaconus Colonienſis in Inſtitutione Catholica ſcripſit, cujus verba huc pertinentia poſtquam adduxit Launojus, hæc ſubjunxit: Quamvis aliter ea poſſint intelligi, quam velint adverſarii, intelligimus tamen ad eorum mentem, qui hunc maxime adducunt Authorem, ut probent, revocandam nunc eam eſſe Diſciplinam, in qua ſatisfactionem ſeu publicam, ſeu privatam antehac Reconciliationem anteceſſiſſe ſcribunt. Quibus ita ſuppoſitis duas eſſe cauſas dicimus, cur doctus & prudens Vir, qualis erat Gropperus, ſuam adſertionem è Synodo Tridentina debuerit confirmare, ſi, ut illi contendunt vehementer, Synodus revocandam cenſuit illam Diſciplinam, vel ſaltem illius revocandæ ullam aperuit viam. Una eſt; quod hac ratione Adſertionem, quæ ſingulatis (attamen non nova) erat inter Scriptores Catholicos, non ſolum defendiſſet à novitatis (præter debitum impactæ) invidia, verum etiam, ut in pretio ac uſu haberetur ab omnibus, effeciſſet. Altera, quod recenti eoque firmiſſimo ductus argumento priorem de ritu Satisfactionis agendæ ſententiam mutaſſet, ne videlicet cogitationes ſecundæ, quæ in aliis ſolent eſſe ſapientiores, in ipſo viderentur deteriores. Iterum poſt aliqua ejuſdem verba ex *Enchiridio Inſtitutionis Chriſtianæ* de ritu ſatisfactionis agentia ſubjicit Launojus, ea cum cæterorum illius ſeculi Theologorum placitis convenire, ac præterea ejuſmodi eſſe, ut ab iis Vir doctus & probus diſcedere poſtmodum non debuerit, (quemadmodum neceſſario eum diſceſſiſſe ſcribunt aliqui) niſi cujuſdam omni exceptione majoris authoritate tuiſſet coactus. Quo autem tempore ſententiam priorem mutaſſe eum volunt ii, qui poſteriorem oſtentant, (ſi tamen illam illam noverint priorem) nulla ejuſmodi authoritas

Digitized by Google

ritas occurrebat, præterquam Synodi Tridentinæ, qua cum uſus non ſit, dum ſcripſit *Inſtitutionem Catholicam*, nec revera potuerit uti, ſignum eſt manifeſtiſſimum, Synodum neque receptam de ordine ſatisfactionis agendæ conſuetudinem mutaſſe, nec inſuper ullam de ea mutatione cogitationem ſuſcepiſſe. Quin etiam, quod ad Gropperum ſpectat, eum quidem aliquando Tridenti de adpellationibus diſputaſſe obſervatum reperitur, ſed de mutanda agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis conſuetudine quidquam diſputaſſe, vel etiam, ut diſputaretur, optaſſe, nuſquam reperitur obſervatum. Quare ex aliis, tum ex hoc quoque facile eſt, ea, quæ ſcripſit in Inſtitutione Catholica, cum iis, quæ in Enchiridio Inſtitutionis Chriſtianæ ſcripſit, conciliare, ſi modo patiantur (adverſarii) ut, quæ clariora ſunt, lucem adferant obſcurioribus. Nam in Inſtitutione Catholica non agit de tribus Pœnitentiæ partibus, quæ ſic inter ſe componantur, ut non prius Eccleſiæ & Altari quis reconcilietur, quam expleverit ſatisfactionem, quæ audita confeſſione pro publicis vel occultis criminibus debet injungi, ſed integram Sacramenti Pœnitentiæ naturam exponit, quæ in eo ſita ſit (videlicet juxta doctrinam Romanenſium) ut peccata non relaxentur rite, niſi audita confeſſione Sacerdotes congruam imponant ſatisfactionem, eamque pœnitentes ſuſcipiant implendam. Hujus autem ſatisfactionis impoſitionem & ſuſceptionem cum à quibusdam negligi Gropperus animadverteret, illorum incuriam graviter redarguit, & recte ſcribit omnino, peccata non relaxari rite, niſi facta Exomologeſi pro conditione peccatorum imponatur ſatisfactio, quæ juxta receptam Eccleſiæ (Romano-) Catholicæ morem expleatur; quæ omnia maxime concordant Enchiridio, ubi pro criminibus aliter atque aliter in Eccleſia ſatisfieri tradit. *Nam pro publicis, quæ in Eccleſiæ ſcandalum veniunt, Pœnitentia imponitur, quæ ante abſolutionem eſt explenda.* Quod genus diſciplinæ cum videret non adcurate ſervari, de ſacerdotibus inde conquerendi occaſionem accipit. Pro ſecretis vero criminibus ſatisfactio ante abſolutionem imponitur quidem, ſed poſt abſolutionem implenda demum, quod in Eccleſiæ more ac Inſtituto poſitum eſſe dicit, nec ullatenus reprehendit, imo, retinendum eſſe confirmat. *Octavam* denique & ultimam rationem haurit ex iis authoribus, qui Synodo Tridentinæ fuerunt ſuppares, atque poſt eam de propoſitæ diſſertationis argumento ſcripſerunt, nominatim Edmundo Augero, Martino Navarro, Matthæo Galeno, Synodo Neapolitana, Petro Caniſio, Synodo Patavienſi, Theodoro Pelzano, Conventu Melodunenſis Eccleſiæ in Gallia, Synodo Vappincena in Inſtructione Curatorum, libro Rituali Eccleſiæ Printinæ, Concilio Burdegalenſi, Synodo Thelſpergenſi & Spoletina, Concilio Remenſi, Synodo Bituricenſi, Dionſio Peroneto, Synodo Pitorienſi, Johanne Molano, Synodo Vicentina, Georgio Buſto, Nicolao Thuano, Synodo Placentina, Johanne Lenſæo, Manuale Eccleſiæ Aurelianenſis, Johanne Langhecrucio, Synodo Veneta, Julio Gemello, Synodo Collenſi, Manuali Eccleſiæ Venetæ, Roberto Bellarmino, Franciſco Toleto, Manuali Eccleſiæ Pariſienſis, Paulo Boudotio, Renato Benedicto, Henrico Henriquez, Manuali Eccleſiæ Carnotenſis, Alexandro Peſantio, Manuali Eccleſiæ Cabillonenſis, Thoma Stapletone, ſacramentali Eccleſiæ Ferrarienſis, Manuali Eccleſiæ Burdigalenſis, Jacobo Bajo, Manuali Eccleſiæ Gebennenſis, quorum omnium verbis prolixe & per paginas plures adductis duo inprimis advertenda cenſet Launojus. Unum eſt, fieri non poſſe, ut tot tantique Authores, qui vel Synodo Tridentinæ interfuerunt, vel ab iis, qui intererant, edocti fuerunt, quique tam variis temporibus ac locis de ritu agendæ poſt abſolutionem pœnitentiæ ſcripſerunt, hujus Synodi doctrinæ aut de eo re Canonibus contradixerint, ſeu vias plures, quibus obeundæ ante abſolutionem pœnitentiæ ritus inducerentur, ignoraverint, vel etiam cognitas ſuis occluſerint documentis. Alterum, figmenta & velut idola ſpecus eſſe, quæ de ritu peragendæ ante abſolutionem ſatisfactionis Synodo Tridentinæ quavis ratione adtribuitur. Hæc hactenus per octo capita Launojus, non alium in finem, quam ut contra ſuæ communionis ſcriptores quoſdam oſtendat, Synodum Tridentinam nihil de ſatisfactione,

Digitized by Google

ctione, quæ præstatur ante, sed post absolutionem definivisse. Nunc capite sequenti nono expendit illorum momenta, qui, ut satisfactio præcedat absolutionem, contendunt à Synodo Tridentina definitum esse, de quibus etiam capite decimo producit Facultatis Theologicæ Parisiensis judicium. Capite autem undecimo proponit ac itidem expendit septem vias ejusdem Synodi Tridentinæ, quibus alii impletionem satisfactionis ante absolutionem exigi posse contendunt; quibus capite duodecimo adcedunt sex Animadversiones ad totius dissertationis confirmationem pertinentes, quæ tamen nunc quidem brevitatis studio prætermittuntur, iis tantum subjunctis, quæ ultimo capite circa quæstionem juris observavit, scopo præsenti inprimis inservientia. Juris quæstio hæc est, inquit, *Utrum revocandus sit mos antiquus, quo ante absolutionem seu reconciliationem Altaris datam injuncta peragebatur satisfactio?* Sic autem respondet: Quin revocari possit, non dubito, quia, quod semel factum est diu multumque, quo minus adhuc fiat, nihil potest intercedere; siquidem ordo ille, quo ante vel post datam absolutionem peragitur satisfactio, res est obnoxia mutationi. Id tantum venit in deliberationem, utiliusne ante, quam post absolutionem impleatur satisfactio? Quæ enim mutantur in Ecclesia, cum præsertim mutantur Canone, in melius, non in pejus mutantur (vel potius, debent mutari, quia contrarium est in aperto.) Post adducta quædam in hanc rem ex jure Canonico ejusdemque extravagantibus verba, quibus Ecclesia rationabiliter & consulto nonnulla dicitur ordinare, quæ postmodum suadente subditorum utilitate revocat, atque in melius (modo non ut plurimum in pejus) commutat, subjungit de suo Launojus. Hæc est regula, hæc præscriptio, hæc norma, ad quam dirigi perpendique debet quæstio juris, in qua dicerem, *antiquos mores præstare recentibus*, si antiquorum & recentium spectetur origo. Antiqui mores enim, quibus ante reconciliationem implebatur satisfactio, ab Apostolis vel certe hominibus Apostolicis manarunt; recentes vero, quibus post reconciliationem impletur satisfactio, *non tam communi Decreto Ecclesiæ*, quam disciplinæ sanctioris remissione sunt inducti. Non enim memini ullum me Concilium legisse, in quo Sacerdotes Ecclesiæ decreverint, mutandum esse veterem agendæ satisfactionis ordinem; sed temporis progressione sensim & sine sensu mutatus est, & mutatum probavit Ecclesia, (scilicet Romana in hac Synodo Tridentina,) cum *sciens & prudens* de sacramento Pœnitentiæ, cujus pars est satisfactio, præcepta dedit Christianis. Atque hæc est prima ratio, quæ ex antiquorum & recentium in hoc negotio rituum origine comparatur. Deinde, quæ secunda est ratio, voluntas satisfaciendi, quæ ad consequendum absolutionis beneficium est necessaria, multo melius cognoscitur à Sacerdote, cum jungitur satisfactioni, quam cum ab ea separatur; plures sunt enim, qui adepti reconciliationem Altaris postea satisfacere negligunt, aut tepide & languide faciunt, quod promiserunt. Tum, quæ tertia ratio est, modus implendæ Pœnitentiæ ante, quam post absolutionem frequentiores in peccata lapsus reprimit & retardat; quod, si cum omnibus adjunctis consideretur, unicuique occurret cogitanti. Præterea, quæ quarta est ratio, in antiquo ritu communionis percipiendæ major difficultas pœnitentem efficit humiliorem & cautiorem. At, humilitate Virtutes comparantur & infiguntur altius, & cautione diligentius vitantur peccata. Ad extremum, quæ ratio est quinta & ultima, est peccati genus aliquod, furtum scilicet, in quo, si reipsa fieri potest satisfactio, hæc ante absolutionem exigitur, nimirum, sublatæ rei restitutio, cum præsertim pœnitens non stetit promissis, aut negligentius stetit. Hoc postquam variis Synodalibus Decretis confirmavit, sequentia subjecit Launojus: Quæ igitur absolvendi forma in uno peccati genere servatur, in cæteris etiam posset servari, quandoquidem, si res ex seipsa consideretur, uti oportet, eadem sit ratio omnium peccatorum, ac nullum possit adferri discrimen, quod tum facile retorqueretur, quodque semel retortum non involveret disputatorem quemlibet acutum, eundemque constringeret. Quis enim probaret, potiorem esse proximi quam ipsius DEI rationem?

Ve-

Verum, hiſce concludit Launojus hanc diſſertationem, propoſitæ & ſuis rationibus communitæ in Eccleſia antehac diſciplinæ inſtauratio unius & alterius, vel plurium etiam hominum privatorum opus non eſt, ſed Concilii generalis, cui omnes Chriſtiani parere tenerentur; &, quæ ad auſteriorem agendi vivendique modum pertinent, haud eadem facilitate reſtituuntur in ſtatum priſtinum, qua pridem ab illo receſſerunt. Siquidem homines quærunt, quæ ſua ſunt, mollia nimirum & languida, non quæ Chriſti, laborioſa videlicet atque aſperiora, & hic conſequens, non antecedens adtenditur facultas. Poſſet quidem (atque deberet) illa vetus diſciplina, quæ paulatim mutata eſt, paulatim ad uſum primo inductum rediret, ſed illud genus perfectionis mores nominum vix quidem ferunt; quia dum rediret, rixæ plauſibiles, controverſiæ diſſenſionum & variarum opportunitatum (cur non & importunitatum?) Plena, ac diverſa per viam occurrerent impedimenta, quæ curſus ſui veſtigium inflecterent & alio avocarent, ac tandem remorarentur. Ideo neceſſarium eſſet Concilium generale vel plura Provincialia, quæ generali æquivalerent, ubi totius Chriſtiani nominis repræſentatio celebraretur. Ut & hic brevis ſubjungatur Cenſura, dum Launojus ad reſtaurationem diſciplinæ veteris in exhibitione ſatisfactionis ante abſolutionem dicit eſſe *neceſſarium* aliquod Concilium generale, vel plura etiam Provincialia, & ingenue fatetur, antiquos mores Eccleſiæ in hoc quoque puncto recentioribus præſtare, ab Apoſtolis nimirum vel Apoſtolicis hominibus manantes, his non tam communi Eccleſiæ Decreto, quam *Diſciplinæ ſanctionis remiſſione* inductis, agnoſcens inſuper, illos magis conducere ad cognitionem Sacerdotis circa pœnitentis animum, quam hos; quin & plus inſervire ad lapſus in peccata reprimendos, ac pœnitentem efficere humiliorem & longe cautiorem, atque ſi in peccato furti id obſervatur, ut nulla ſequatur reconciliatio, niſi prævia ſatisfactione ei præſtanda, cui ablatio eſt facta, id multo magis neceſſarium eſſe in peccatis, quibus immediate DEUS læditur, non immerito quæritur. Annon his rationibus bene conſideratis fuerit neceſſarium certo quodam modo, ut (de utilitate maxima nunc ſileo) Patres Synodi Tridentinæ, qui *ſcientes & prudentes* dicuntur Chriſtianis de ſacramento Pœnitentiæ præcepta dediſſe de eo eſſent inprimis etiam ſolliciti, qua ratione collapſa vetus diſciplina circa ſatisfactionem ante reconciliationem Eccleſiæ præſtandam reſtauretur; & num ſuo ex aſſe fecerint ſatis officio, quod ſenſim mutatum (at non in melius, ſed pejus) Pœnitentiæ ordinem ſuo adprobaverunt conſenſu, deſerentes *auſteriorem illum agendi vivendique modum*, qui tam diu, multumque in Eccleſia à temporibus Apoſtolorum obtinuit, omnino in priſtinum reducendus ſtatum, ſi veræ antiquitatis gloriam uti in capitibus doctrinæ, ſic etiam in praxi diſciplinæ ſibi voluerunt adſcriptam, eo nimirum non adtento, quod homines plerique non quærant quæ Chriſtus requirit, adſpectu exteriore *laborioſa & aſperiora*, ſed quæ carni ſunt accepta, ſcilicet mollia & languida, atque hinc vix admiſſuri hoc genus perfectionis Chriſtianæ, cum ſine reſpectu perſonarum ſtatuere debuiſſent, quod Eccleſiæ Apoſtolicæ viſum fuit conſultius, nec impoſſibilis hæc reſtauratio potuerit videri, etſi forte non parum difficilis, dum, *quod ſemel factum eſt*, atque per tot ſecula cum inſigni commodo Eccleſiæ obſervatum fuit, communi Eccleſiæ, quam Tridentini Patres dicebantur repræſentare, conſenſu & potuerit & debuerit omnino in integrum reſtitui? Quid reſponderi poſſit ad hanc quæſtionem, ex obſervationibus Launoji formatam, ut Synodus hæc officium feciſſe dicatur; nihilque prætermiſiſſe, quod ad bonum Eccleſiæ videbatur pertinere, forte non erit in promtu, niſi quid Advocatus cauſæ nullatenus favorabili ex locis utropicis velit improbabiliter ſuccurrere.

Additio prima.

UTrique huic Adpendici lubet unam & alteram subjungere Additionem, quæ inutilitatem Synodi Tridentinæ porro luculenter poterunt ob oculos ponere, Launojo iterum dure, quamvis & hic non sine aliqua correctione, ubi nimirum suis hypothesibus videtur inservire, idque præjudicio quodam abreptus defendere, quod omnino nequit defendi. Prima desumitur ex libro, quem scripsit de *Sacramento Unctionis Infirmorum*, in cujus titulo quamvis nullam fecit mentionem acturum se de *mente Synodi Tridentinæ*, quod alias ab ipso fuit observatum, quando libros de Adtritione & *Satisfactione*, uti ex Adpendicibus proxime antecedentibus est manifestum, edidit. non tamen neglexit in ipso opere ad ejus authoritatem provocare, & quidem ita, ut hic quoque fuerit ingenue fassus, Synodi mentem non fuisse, controversiam de hoc Unctionis, uti vocatur, Sacramento inter Doctores Scholasticos agitatam dirimere vel ostendere, à quorum partibus staret, vel cunctis fidelibus standum sit, sed Lutherum tantummodo, ejusdemque sequaces ob rejectum hoc Sacramentum in Ecclesia antiquiori plane incognitum Anathemati subjicere. Bonum scilicet factum, omnium bonorum & prudentum calculo dignum, quia ex ratione status politica profectum; ne Unitas Doctrinæ, quæ inter notas Ecclesiæ veræ refertur, quidquam sic patiatur detrimenti. Ante vero, quam huc nos deducat Launojus, non plane nullius erit operæ pretium, aliqua ex ejus libro satis prolixo excerpere, quæ totum hæc negotium non parum facere possunt suspectum. Et quidem in primæ statim Partis, quæ hujus Sacramenti Institutionem & usum in Ecclesia interruptum exhibere debebat, observatione *secunda* testatus est, Disciplinam ungendorum (non præcise lethaliter decumbentium, sed quorumvis.) infirmorum in primis Ecclesiæ seculis *infrequentiorem* fuisse, quam in posterioribus Hujus rei quidem causas sufficientes se dedisse putat Launojus, sed Examen earum docebit, esse hæc quoque ficus folia, quæ nuditatem frustra jactatæ Antiquitatis tegere non possint. *Dicit*, Unctionem non fuisse datam iis, qui publicam egerant Pœnitentiam, cum incidissent in Morbum. Quid si vero Morbus fuisset lethalis, an Sacramentum hoc, quod ideo dicitur Unctionis extremæ, quia in extremo Mortis periculo olim fuit datum, ei jure potuit vel debuit negari, cui nunc atque in illo temporis articulo Sacramenta proprie sic dicta, nimirum Baptismus & Eucharistia non denegabantur? *Dicit* porro, Unctionem hanc quoque non datam fuisse iis, qui variis agitati persecutionibus ad Ecclesiæ vulnera perveniebant. Quis enim, inquit, omnes enumeraret Christianos, in quos sævitum est à tempore Neronis usque ad Imperium Constantini? At, licitum namque est, aliam opponere Quæstionem, num omnes Christiani illo tempore Persecutionis per tria secula durantis gladio Carnificis perierunt, nulline manum ejus evaserunt, placide domi morientes, qui, ut Sacramento Eucharistiæ tanquam Viatico, uti quondam vocabatur, iterum refecti, hoc etiam Sacramento Unctionis extremæ nullatenus debuerunt privari, si tale quod fuit tum post Apostolorum, gratia quadam sanandi extraordinaria præditorum tempora usitatum vel cognitum in Ecclesia fuit? *Dicit*, denique, unctionem hanc etiam non fuisse datam iis, qui vitam summa cum Virtute conjunctam atque à peccatis immunem egerant. Sed, quamvis singulare donum Sanctitatis omnino denegari non possit Seculis prioribus præ sequentibus & hisce ultimis, uti semper omnia in Mundo inter homines post Lapsum videmus ruere in pejus, non immerito tamen dubitatur, an nullus fuerit Sanctorum illius temporis, qui tantam sibi fuerit ausus adscribere Sanctitatis perfectionem, ut non semper majori Gratia à DEO ac Pietatis incremento opus esse sibi lubens & humilis agnoverit. Et, quod bene notandum, quia hæc unctio ad Vitæ productionem ac sa-

Digitized by Google

ſanitatem reſtituendam inprimis etiam prodeſſe creditur, plane non debuit intermitti; quando homines extraordinaria Sanctitate conſpicui lethaliter decumbebant, ſed omnino & ſingulari ſtudio adhiberi, ut fideles eorum opera & laudabili præſertim Exemplo ulterius gauderent ac fruerentur. Atque ſic videt Lector judicare doctus, rationes, ob quas *infrequentiorem* in primis Eccleſiæ ſeculis uſum vel diſciplinam hujus Unctionis vult fuiſſe Launojus, id plane non efficere, quod tentavit; qui inſuper totum hoc negotium valde fecit ſuſpectum, quando originem hujus Sacramenti oſtenſurus ſcribere fuit coactus, certum eſſe quidem, morem hunc ungendi quondam obtinuiſſe, *ſed unde, & quo tempore cœperit obtinere, incertum eſſe*. ac ſuper ea re malle ſe judicium ſuſpendere, quam temere, quod neſciat, pronuntiare. Laudanda eſt omnino hæc ingenuitas, atque optandum, plures eſſe inter Romanæ Sedis adſeclas, qui eam preſſo pede in hac & aliis ſimilibus Controverſiis ſequerentur. Maximum vero præjudicium exinde naſci huic Sacramento, nemo non videt. Si enim origo ejus eſt incerta, neque conſtat, quando habuerit initium, quale hoc erit Eccleſiæ Sacramentum? Equidem corrigere ingenuam hanc confeſſionem vel emollire conatus eſt Launojus, ſcribens, *Cave, nec ex Unctionis uſu rariori nullum colligas uſum.* Verum, vix emplaſtrum hoc teget vulnus, quod confeſſione ſua huic Sacramento inflixit; præſertim ſi adtendatur, non modo *rariorem & infrequentiorem* fuiſſe hujus Sacramenti uſum in primis Eccleſiæ ſeculis, ſed *omnino nullum*, teſtimoniis Patrum, ad quæ provocat, id minime demonſtrantibus, quod debebant, prout in ſpecie & nominatim de teſtimonio Auguſtini non ita pridem fuit oſtenſum in *Vindiciis* ad Doctrinæ ejus demonſtrationem ſcriptis, de cæteris vero idem antehac prolixiſſime docuit *Dallæus* in peculiari contra hoc Sacramentum poſtremis demum temporibus Eccleſiæ obtruſum opere. Sic palpum quoque obtrudit Romanenſibus, quando obſervatione *tertia* amplius ſcribit ſatis confidenter & abſque ſufficienti teſte, eos, qui olim rexerunt Eccleſiam, in ungendis oleo hocce ſacro infirmis cum adjunctis precibus plus operæ ac ſtudii poſuiſſe, *quam in indaganda ſubtiliter hujuſque ritus origine*; non parvam ſimul fidis in Eccleſia antiqua Doctibus inferens injuriam, ac ſi quidquam in officii ſublimioris functione agendum ſuſcepiſſent, de cujus inſtitutione non fuiſſent certi, unde manaret, præſertim quia ex hypotheſi partis adverſariæ non agitur de Ritu aliquo, qui inter adiaphora poſſit recenſeri, ſed eo, quem ſtatuunt eſſe Sacramentalem, & cui ſingularis quidam effectus adſcribitur. Scribit porro, Patres antiquos & Tractatores Eccleſiaſticos quidam omnes hanc unctionem infirmorum à Jacobo derivatam dixiſſe, ſed utrum Jacobus eam à Chriſto inſtitutam acceperit, vel ipſe Jacobus inſtituerit, docente cum primis Spiritu Sancto, *eos non inquiſivisse*. Oportet iterum Doctores hos atque Scriptores valde negligentes & incurios fuiſſe, in re Sacramentaria (loquor iterum ad hypotheſin partis adverſariæ) non primum adtendiſſe fontem, cum tamen videamus in Regno Naturæ eam adhiberi ſollicitudinem, ut in quibuſvis rebus ad ipſam originem earum liceat penetrare, iis felicium elogio celebratis, qui poſſunt primas rerum cognoſcere cauſas; quod quia multo magis in Regno Gratiæ ſit neceſſaria, ubi de via ſalutis æternæ agitur, ac Conſcientia hominis eam deſiderantis extra dubium poni debet, nemo prudens negabit. Nunc ſequitur *Concordia diſcors*, oſtendente ulterius Launojo, quam egregie in hoc Scrutinio conveniant, qui circa illud fuerunt poſteris temporibus occupati. Nominatim de *Amulone*, Epiſcopo ante hæc octo ſecula Lugdunenſi; quem Trithemius vocat *Hamulum*, cujuſque opuſcula ultimæ & Scriptorum Eccleſiaſticorum collectioni ex Editione Sirmondi ſunt inſerta, obſervat, cum, quando de tradenda infirmis Unctione loquitur, Chriſtum & Jacobum conjungere. Verum in proxime ſequentibus addit, recentiores pleroſque, & omnes fere, præſertim vero Synodum Tridentinam, & ante hanc Senonenſem, præceptum Unctionis *Evangelio abjudicare*, ac ei duntaxat certam manuductionem & inſinuationem quandam adtribuere. Demum, inquit porro, poſt

Annum Chriſtum milleſimum à Magiſtris quæri cœpit, utrum Chriſtus Unctionem infirmorum inſtituerit, an Jacobus? Igitur Eccleſia per integra decem Secula neſcivit, cujus inſtitutioni hoc debeat Sacramentum, fueritne illud originis Divinæ vel humanæ? Huic autem Quæſtioni, ſic pergit Launojus, qui reſponderunt primi, Unctionis hujus inſtitutionem frequentius Jacobo, ratius autem Apoſtolis apud Marcum tranſcribunt, nominatim Hugo de S. Victore, Magiſter Sententiarum, Petrus Senonenſis Archiepiſcopus, Robertus Corzon Sedis Apoſtolicæ Legatus, Alanus Monſpelienſis; qui &, an Apoſtoli id ſuo ſenſu, non inſtituto Præceptoris, & an Jacobus quoque id ſuo ſenſu, non per Spiritum, qui Apoſtolus erat docturus, omnia fecerint aut conſtituerint, *nihil adfirmant*. Ergo, quod porro ſequitur, juxta horum diſſimulationem Eccleſia Chriſti per tam longum tempus in dubio fuit, an hoc Sacramento uteretur, ſi pro ritu Sacramentali agnovit, ad præceptum Sponſi, dum vero inſtitutum eorum, qui libere hunc ritum videri poterant in Eccleſiam introduxiſſe. Belle ſcilicet omnia procedunt, ſi Sanctus hic locum habet Dubitantius, cujus authoritate cuncta incertis nitantur ſuſpicionibus & Doctorum conjecturis. Sed nondum ſatis dubiorum, plus ultra enim nos ducit Sorboniſta, ſcribens: Non multo poſt cum Theologicæ Quæſtiones agitatæ ſunt argutius, & adhuc ſubtilius, à Magiſtris itum eſt in ſententias diverſas; tunc enim alii Chriſto, alii Jacobo adſeruerunt, quod Alberti, Bonaventuræ, Scoti, Thomæ & aliorum ſcripta declarant, & declarando ita pugnant inter ſe, ut, etiamſi poſſent convenire inter ſe, *nollent tamen*, cui diſſenſioni fidem faciunt eadem ſcripta certiſſimam, nec ullus unquam negabit, niſi qui illa inter ſe non contulerit, & ingenuitatem amiſerit cum fronte. *Ennu'pes Samſonis*, ô utinam non lupos, caudis, non capitibus, inter ſe colligatis, & tamen titionibus contentionem non parvam Agro Eccleſiæ cladem inferentes. Eo gravius autem ferri debuit hæc Concordia diſcors, quo pertinacior fuit hujus contentionis Zelus, dum etiamſi juxta mentem Launoii potuiſſent convenire inter ſe, nimirum ſi Spiritu Veritatis & Manſuetudinis, & non potius Gloriæ inanis fuiſſent acti, Victoriæ videlicet cupidi, ne alter alteri ceſſiſſe videatur, noluerint tamen, ſpiritu contentionis adeo animum eorum obſidente, ut de nulla re minus fuerint ſolliciti, quam qua ratione inter ejuſdem Eccleſiæ filios in Quæſtione momenti non minoris, ſed ritum Sacramentalem adtingente Concordia poſſit iniri. Si meæ mentis ſenſa libere licet aperire, breviter addo Cenſuræ Launoii, eos non tantum noluiſſe, ſed inſuper etiam *non potuiſſe* in unam convenire Sententiam, niſi à parte utraque in gratiam Aletheæ tandem agnoviſſent, neque à Chriſto, neque à Jacobo inſtitutum eſſe hoc Unctionis Sacramentum. Redit autem in ſequenti obſervatione *quarta* Launojus ad priſtinam & aliàs ſolitam ingenuitatem, quàndo diſſimulari nec poſſe, nec debere contendit, quin hæc diverſitas, qualis in eorum ſcriptis legitur, non plane nihil importet offenſionis. Et poſtquam proteſtatus eſt, ſe neque pro hac parte, neque pro illa pronuntiare, ſed hiſtorice tantum loqui, id tamen præ ſe ferre monuit, è ſcriptura & Traditione, duobus Theologiæ (apud Romanenſes) principiis, alterum apud eos non comparere. Quodnam ſit illud, in proxime ſequentibus explicat, ſcribens: Pro Traditione, quæ ex antiquis Patribus, vel ex perpetuo uſu Eccleſiarum derivatur, *nudæ & pugnantes inter ſe rationes comparent*. Nudæ quidem, quia nativis coloribus & ornamentis carent; pugnantes vero, cum id, quod una Thomæ ratio ædificat, altera Bonaventuræ deſtruit, uti mutua utriuſque docet contentio. At, ita Launojus infert, ſi quæ ratio legitimæ traditionis præſidio munita foret, concidere & labefactari non poſſet. Iterum addo breviter, utroſque non ſolum in ſuis ratiocinationibus deſtitui præſidio Traditio, ſed etiam ipſius Scripturæ, ſi eorum adtendatur Sententia, qui olim de origine hujus Inſtituti minus fuerunt ſolliciti. Ne vero nimis rigoroſe hanc Scholaſticorum diſſenſionem exagitaſſe videatur Launojus, malam apud eos gratiam initurus, qui Decretis inhærent Tridentinis, in obſervatione ſequenti *quinta*

co-

cogitationes Pacis & Concordiæ inter Doctores à se invicem quoad originem hujus Sacramenti dissentientes sanciendæ susceipit, ostensurus, quamvis de Authore non conveniant, in eo tamen eos convenire, quod Sacramentum sit vere ac proprie sic dictum, quod inprimis putat notandum contra Lutherum ac ejus sequaces, qui hanc unctionem infirmorum è numero Sacramentorum sustulisse dicuntur; in quo tamen fuisse ex antiquioris Ecclesiæ doctrina hactenus non potuit demonstrari, quod sufficit, ut novitas ejusdem agnoscatur. Et qui possit hæc unctio jure haberi sacramentum proprie sic dictum, de cujus Authore primario adhuc inter Theologos Ecclesiæ Romanensis sub judice lis est, qui judex tamen per Synodum Tridentinam definire non est ausus, à quorum partibus propior stet Veritas, neque post eam legitur quidquam ea de controversia definitum, forsitan ex eodem respectu, quem in quæstionibus de adtritione in sacramento Pœnitentiæ, & satisfactione ante vel post absolutionem obtinuisse supra dictum? Sequitur observatio *sexta*, sistens authoritatem Theophylacti & œcumenii, Marci & Jacobi testimonia sic interpretantium, ut à traditione Ecclesiastica, ut minus antiqua, sed valde recenti, quæ unctionem infirmorum habet pro sacramento, recedere non videantur. Mirum vero non immerito videtur, Launojum, scriptorem alias insigniter perspicacem Lectori Veritatis studioso ansam obtrudere & in hoc negotio sacramenti commendare Authores post integra decem secula & ultra docentes, eosdemque Græcos, quos non nescivit in hac ipsa quæstione à Doctoribus Latinis multum, plus, plurimum differre. Nec enim potest ullatenus juvare, quod in gratiam eorum finxit, quorum favorem studuit impetrare, utrumque ex nominatis Interpretibus Græcis illo tempore suos edidisse Commentarios, quo *Euchologium* Græcorum omnes Orientis Ecclesias pervaserit. Sit enim ita, quamvis dubitandi rationes sint non paucæ, quæ recentius longe statuere jubent esse hoc Euchologium, quo hodie superbiunt Consensus cum Ecclesia Græcanica perpetui jactatores superciliosi, at vani; neque tamen id, vel consentientes cum laudatis Authoribus evincent, quod vidit Launojus; dum, etsi utrinque huic infirmorum unctioni ad imitationem Apostolicam tales adscribuntur effectus, qui aliquam sacramenti rationem videntur habere, ipso tamen sacramenti termino non utuntur, nec uti possunt, nisi Latinis auribus videri velint se insinuare, alias non semel terminis utentes, quos à Latinis mutuo acceperunt. Observationem *septimam* quod adtinet, in qua testimonium quoddam Innocentii Pontificis hoc nomine primi & Augustino coævi, vindicare pudet Launojus, præter ea, quæ in *Vindiciis Augustinianis* prolixæ circa verum ejus sensum sunt adducta, id tantum nunc notetur, quando Pontifex sacri Chrismatis usum omnibus in universum Christianis in sua aut suorum necessitate licitum esse scripsit? qui hodie locum non habet, Launoji instantiam, si modo eam Lutheranis voluit oppositam, uti omnino videtur, de aqua, quam vocant, benedicta valde frigidam esse, quia usum ejusdem multo minoris æstimamus, quam sancti Chrismatis, utpote cujus postremi usum merito in maximo haberemus pretio, si hoc tempore Dona sanationis extraordinaria adhuc valerent, uti temporibus Apostolorum. Exempla ad quæ ex Actis Sanctorum provocat Launojus, parum movent, utpote insigniter suspecta, & quibus non raro ipsimet in Papatu prudentiores fidem adhibere detrectant, destituti nimirum testibus omni exceptione majoribus, quorumque authoritas omne dubium posset tollere in conscientia. Succedit *octava* observatio, quæ præsentis vere est Instituti, quia actionem Synodi Tridentinæ de hac controversia exhibet, monente Launojo, Theologos post eam non ita, quemadmodum antiquiores, de ea locutos esse vel scripsisse. Notat autem, se intelligere sessionem Concilii decimam & quartam; nam inchoato jam Concilio, inquit, Peresius docuit, *Jacobum promulgasse Sacramentum unctionis extremæ, seu per Spiritum sanctum institusse*, quo videlicet modo postremo, addit, Bonaventura & alii sunt locuti. Sed qui post illam sessionem pari modo scribat vel loquatur, hactenus offendi neminem. Pergit, Synodus quidem Tridentina in Alberti & Thomæ sententiam

ſuis excludatur à Concilio, Albertus & Thomas non immerito poſſent argui, quod opinionem ejus refellentes ex profeſſo eam non acrius damnarint, vel non perviderint, quod acrius damnari poſſit. Præter id enim, quod de ſententia Thomæ in *Vindiciis* antehac pro eo ſcriptis prolixe fuit obſervatum, notari debet, quod tamen cum antecedentibus quaſi ad hominem à nobis diſputatum venit intelligendum, ſi Bonaventura ſenſit aliter, quam poſteris temporibus fuit à Synodo Tridentina definitum, vel potius juxta mentem quorundam definiri debuiſſet, eum jure acrius haberi & tractari à parte adverſaria non potuiſſe quia utrique verſabantur in materia, uti vocant hodie, *opinabili*, quæ majorem vel minorem admittit probabilitatem, ac ante definitionem Eccleſiæ in utramque partem licet de ea diſputare. *Ultimum* ſuper adhuc eſt, nempe, quod ipſa ſanciendi dogmatis conditio hoc ipſum videatur exigere, nimirum, ut Synodus Tridentina cum ſententia Bonaventuræ conveniat. Hoc ut aliquatenus demonſtret, id urget, quod in antecedentibus etiam ab ipſo factum novimus, ut ex Actis Synodi Tridentinæ manifeſtum eſſe doceat, eam placita tantum Lutheri & Calvini damnaſſe, quæ cum doctrina Bonaventuræ nihil habeant commune. Sed, annon meminit Launojus, Bonaventuram negaſſe, à Chriſto inſtitutum eſſe hoc ſacramentum, quod idem negarunt Lutherus & Calvinus cum adſeclis? Atque ſic quando Synodus Tridentina Canone ſtatim primo eos anathemate feriit. qui hoc negarunt, quæritur non immerito, an Bonaventura cum ſuis ſectoribus eodem fuerint tacti, qui Luthero & Calvino in hoc capite præluſerunt? Cæterum, largiamur hoc iterum, quod idem ſupra liberalitas noſtra conceſſit, ac Pallavicinus quoque in Hiſtoria Synodi Tridentinæ voluit obſervari, Patres in ea congregatos voluiſſe tantum novitates (antiquitates potius debuit ſcribere) ſectariorum condemnare, ita ut nullum quæſtionibus inter Theologos controverſis imponerent finem; at eadem recurrit quæſtio, quæ in antecedentibus, videlicet, an Eccleſia ab hac Synodo eam habuerit *utilitatem*, quam jure expectabat, nempe, ut non tantum controverſiæ adverſus Lutherum & ejus ſequaces, ſed ea etiam, quæ inter Doctores ſcholaſticos à multo tempore agitabantur, præſertim quæ ad materiam ſacramentalem pertinebant, debito tractarentur ſtudio, atque ſi fieri poſſet per partium æquanimitatem, omnino finirentur; & quia hoc Synodus Tridentina non præſtitit, ipſis fatentibus, qui ejus Hiſtoriam poſteritati commendarunt, an officio ad normam & imitationem Conciliorum primis poſt Apoſtolorum tempora ſeculis celebratorum fecerit ex aſſe ſatis, quando Eccleſiam ac fidelia ejus membra (iterum diſputo ad hominem) intra ſacrum & ſaxum, id eſt, in bivio & ambiguo reliquit, ut nemo ſciat, cui ex duabus parti tuto ac ſine dubio, atque ſic etiam abſque omni metu erroris ſit conſtanter adhærendum? Quid hyperaſpiſtæ Tridentini ad hanc quoque quæſtionem ſint reſponſuri, non conſtat. Inter id cum Launojo pergamus, & ſuperpondii loco, ut Fratrum Cadmæorum in hoc etiam puncto *Concordia diſcors* pateſcat magis videamus, quid in obſervationibus, quæ porro ſequuntur, contra Bellarminum & Coninkium Lectori veritatis ſtudioſo propinaverit, ad antecedentium illuſtrationem non plane nihil inſerviturum. Igitur in obſervatione *nova* Bellarminum adcuſavit, quod diſputans de Authore ſacramentorum Catholico *inconſulto* admiſcuerit hæreticis, nempe, Cyprianum, Hugonem, Lombardum, Alenſem, Bonaventuram & Marſilium, eum in finem, ut eos omnes Synodo Tridentinæ objiciat, & catholicos in gratiam hæreticorum ab ea damnatos confirmet. Ex hoc enim fit credibile, ſcribit Launojus, Cyprianum, ſeu potius Authorem ſermonis de ablutione pedum, Hugonem de ſancto Victore, alterum ſui ſeculi Auguſtinum, Lombardum Theologiæ ſcholaſticæ Principem, Alenſem, Doctorem uti vocant communiter irrefragabilem; ſanctum Bonaventuram & Marſilium anathemate nunquam percutiendos fuiſſe, niſi (Lutherus &) Calvinus poſtea in illorum de ſacramentorum authore opinionem tranſiviſſent. Equidem Bellarminus de Notis Eccleſiæ agens, inter eas conſpirationem in doctrina cum Eccleſia antiqua, & conſenſionem membrorum inter ſe commemorat. Sed horum re-

igitized by Google

cordatus non est, cum de Sacramentorum authore scripsit. Præterea pugnat cum ea docendi methodo, qua Sacramentorum quorundam characterem esse aliquod spirituale signum animæ impressum defendit. Tantum enim abest, ut Durandum, Scotum & Gabrielem, qui non ita sentiunt, hæreticis adeo liberaliter conjungat, ut potius modis omnibus conetur, illos ab hæreticorum (si tales sunt) castris avellere, atque cæteris Doctoribus Catholicis Conciliare. In observatione sequenti *decima* progreditur ad *Ægidium Coninkium*, ejusdem cum Bellarmino Societatis Theologum, de eo notans, quod hunc errorem Bellarmini olfecerit quidem, atque Catholicos in hac materia ab hæreticis distinxerit, sed tamen *longe gravius erraverit*, quam ipse Bellarminus, ita tractans hanc Quæstionem, ut persuadere velit, Synodum Tridentinam ex seipso, non accepta ab hæreticis occasione nominatos à Bellarmino Theologos damnasse. Hoc autem, sic arguit Launojus, si sic adcidit, indicta damnati sunt causa. At, quis author, vel, quænam Historia recenset, ita damnatos esse tot Theologos? Estne enim credibile, Theologos ordinis Franciscani, qui Synodo aderant, cum hoc argumentum de Unctione extrema tractabatur, magis indormivisse rebus suis, quam ubi materia clavium agitabatur? Nempe, Franciscani tum summo opere caverunt, ne in materia clavium Bonaventura tangeretur, idque, ne ullatenus fieret à Concilio, petierunt; quibus responsum est, Novatores tantum in hac materia, non vero Bonaventuram & sequaces iri perculsum. Quare, si vidissent iidem Franciscani, in hoc argumento Unctionis extremæ periclitari Bonaventuram & sequaces, pari statim modo restitissent. Verum, restitisse non leguntur, quia animadverterunt, factum esse nihil, quo doctrina Bonaventuræ & sequacium luderetur. (NB. Huc debent referri, quæ paulo ante ex primo Canone Tridentino de extrema Unctione fuerunt observata.) Sed pergit Launojus contra Coninkium, cui, dum distinxit inter Institutionem hujus Sacramenti *mediatam*, quam Christo adscripsisse videtur Bonaventura, Concilio autem loquente de *immediata*, adfingit monstra, eo quod Bonaventura neque de hac, neque de illa fuerit locutus, atque sic omnes alii, qui vel ante vel post illum ejus cum eo fuerant Sententiæ; & talia quidem monstra, quæ non probe debellaverit. Nam, inquit, dicentibus, Concilium de mediata vel immediata institutione intelligi posse, duo respondet. Unum est, quod sua sponte dissilit, nempe, id ipsum, quod illi maxime negant, ex definitionis natura institutionem immediatam esse intelligendam. Alterum vero, voces istas, *mediate & immediate*, quia iis Philosophi duntaxat atque Scholastici utuntur, in dogmaticis Conciliorum definitionibus non adhiberi. Hoc autem tum audacter respondet, luculenter prodit, se vel non legisse Canones Synodi Tridentinæ, vel si legit, non meminisse, vel si meminit, turpiter dissimulasse, ut Lectoribus suis faceret fucum. Hæ enim voces, *permissive*, *realiter*, *formaliter*, non sunt in usu, nisi apud Philosophos & Scholasticos, & tamen ipsis Fidei definitionibus illigantur. Addantur voces, *Substantialiter & Sacramentaliter*, quas idem non-nisi Philosophi & Scholastici usurpant. Sed, quando decretoriæ sunt voces, iis utuntur Concilio, ubicunque & quomodocunque antea fuerint in usu. Id postquam Exemplis ex ipsa Synodo Tridentina desumtis ostendit Launojus, hoc subjunxit: Quare vehemens est conjectura, Synodum Tridentinam, cum ab his vocibus, *mediate & immediate*, abstinuit, noluisse propagatam pluribus seculis inter Doctores Scholasticos controversiam dirimere, quando maxime, ut dirimeret, sanciendi adversus Novatores (sed semper ad Antiquitatem Ecclesiasticam provocantes) dogmatis conditio non (imo vehementer) postularet, (quod duplex Quæstio ante proposita docuit sufficienter.) Cætera, quæ Coninkius adjecit, non sunt assis unius, judice Launojo. Quis enim dixit unquam, ab Ecclesia tolli vel mutari posse Sacramentum illud, quod à Christo insinuatum, atque à Spiritu S. per Apostolos institutum esset, uti Bonaventura locutus est cum suis? Et certe hic Author fecisset multo laudabilius, si, quam operam posuit in separandis à Concilio

Digitized by Google

cilio veteribus Theologis, eam in iis posuisset cum eodem conjungendis, (si modo per diversitatem Sententiæ potuisset.) Nam observatione *undecima* regreditur ad Bellarminum Launojus, ei novum peccati genus in hujus argumenti tractatione exprobrans, quod videtur commisisse in explicatione testimonii ex Marco desumti, scribens, de eo non omnes convenire, an, cum Apostoli infirmos oleo ungebant atque curabant, unctio illa fuerit Sacramentalis, an solum figura quædam & adumbratio hujus Sacramenti? Nam, inquit Bellarminus, qui tuentur priorem Sententiam, ut Thomas Waldensis & Alphonsus de Castro, ea ducuntur ratione, quod Beda, Theophylactus & Oecumenius in Commentariis Marci & Jacobi videantur dicere, eandem esse Unctionem, cujus fit mentio in loco utroque. Sed profecto, hoc addit porro Bellarminus, probabilior est Sententia posterior, quæ est *Ruardi Tapperi* &c. Deinde priorem Sententiam pluribus argumentis refellit. Launojus respondet, quod eam refellat, non queror, sed quod, cum refellit eam, refellat quoque Theologorum Sententiam, qui ex sola Marci authoritate dixerunt, Unctionem infirmorum esse Sacramenti à Christo institutum, scilicet Scotus, Baconus & alii. At, si Bellarminus illorum Sententiam rejiciat, ex antiquioribus Theologis vel nullos, vel certe paucos habebit, qui dixerint, Unctionem esse Sacramentum à Christo institutum. Quo posito, Bellarminus ex una parte rejicit Sententiam Theologorum, qui testimonio huic innixi docent, Unctionem esse Sacramentum à Christo institutum; ex altera autem parte deputat errori illam quoque Theologorum Sententiam, qui hanc Unctionem esse Sacramentum à Christo insinuatum atque à Spiritu S. per Apostolos institutum adfirmat. Sed improbata utraque sententia, Sacramentum hoc à Christo proxime & ἐμφύτως institutum esse quomodo ex Traditione Veterum probaturus est unquam? Et certe nescio, an in disputando major comitti possit ἀβελτερία. Id autem, quod adjicit Bellarminus, Theologo videtur indignum plane. Scribit enim, eo nomine gratiorem esse sibi Sententiam *Ruardi Tapperi*, quia videat Lutherum, Calvinum & Chemnitium esse in sententia priori, videlicet, eandem esse Unctionem apud Marcum & Jacobum. At, ita respondet Launojus, sententia prior, quæ est Waldensis, cujus opera solemniter adprobata fuerunt à Martino Pontifice hujus nominis quinto, uti & Bedæ, Theophylacti & Oecumenii, non debuit rejici odio Lutheri, Calvini & Chemnitii, sed amore Veritatis; hæc enim sunt studia partium, quibus Religio Christianæ simplicitatis eminentissimæ nec indiget, nec indiguit unquam. Quæ in scriptis Lutheri, Calvini & Chemnitii nova sunt adjicio, quæ autem antiqua & Patrum antiquorum, retineo? & eos hæc non retinuisse in Pace & Communione Ecclesiastica, vehementer doleo, & eo magis quidem, (addere hoc potuit Launojus, imo debuit) quo majori cum impetu Lutherus & ejusdem sequaces ob antiquæ Veritatis publicam professionem per fulmen Anathematis Romani Ecclesia fuerunt ejecti, quamvis ex ea tanquam Apostatica & Antichristiana capite DEI mandato tenebantur. Sed pergit Launojus Bellarmini methodum disputandi plane contrariam sic ulterius castigare: Bellarminus primi de Sacramentis in genere libri capite post vicesimum sexto Stephani Pontificis hoc nomine primi Decretum de hæreticis non rebaptizandis amplectitur, etiamsi Pontifex decretum hocce suum ex recepta inter hæreticos, ut sibi fumit, disciplina confirmet, sed in libri de Sacramento extremæ Unctionis capite secundo Doctorum Catholicorum, Bedæ, Theophylacti, Oecumenii, Thomæ Waldensis, Alphonsi de Castro & aliorum sententiam rejicit, quia Luthero, Calvino & Chemnitio placuit. Idem Bellarminus cum de Baptismo hæreticorum agit, repudiat Cyprianum, qui Stephanum ob exemplum ab hæreticis desumtum adcusavit; verum de Sacramento Unctionis extremæ differens, horum oblitus, quem ante repudiaverat tractandi modum, tacitus æmulatur, quod vel ofcitanti occurrit. Rem vero ipsam quod adtinet, Beda & Theophylactus Evangelium Marci & Epistolam Jacobi adducunt quidem, non item Oecumenius, qui tantum Jacobi Epis-

piſtolam adducit ; non ſimul Evangelium Marci ; atque hinc fallitur , qui ei hoc adſcribit. Deinde, quamvis Beda & Theophylactus eandem apud Marcum & Jacobum ſignificant eſſe Unctionem , non tamen modo eodem utrobique factam eſſe ſignificant, quod Bellarminus & alii [illegible] non animadverterant ; & qui eorum teſtimonia paulo diligentius expendet , facile hoc obſervabit. In obſervatione *duodecima* præter morem valde turpiter ſe dedit & Lectori erudito proſtituit Launojus , contra Lutherum & Calvinum , memoratæ apud Jacobum Unctionis effectum totum & unicum in ſanatione corporis conſtituenter agens : quando nimirum ad perpetuam Eccleſiæ traditionem provocavit , quæ ab initio ſemper peccatorum remiſſionem conjunxerit , & tamen non niſi duo teſtimonia potuit ad confirmationem adducere , unum ex Seculo poſt Chriſtum nono , videlicet Synodi Cabilonenſis , alterum à duodecimo , Guilielmi Antiſiodorenſis , quæ , utpote nimis recentia morem ab Apoſtolis derivatum , ſi non antiquiora è prioribus Seculis adcedant , nullatenus poſſunt confirmare. Quamvis enim ſub initium Tractationis teſtimonia quædam adduxit vetuſtiora , ea tamen penitius inſpecta negotium hoc conficere non poſſunt. Ut de Origene nunc ſileam , cujus Homilia ſuper Leviticum hanc in rem citata Græce nunc non extat , ut judicium de ea poſſit ferri , teſtis ſecundus , nempe Victor Antiochenus verbis ab ipſomet Launojo laudatis habet expreſſe , dici poſſe , Orationem omnia , quæ Jacobus adſcribit Unctioni , efficere Orationem , oleum vero eorum ; quæ fiunt , externum tantummodo Symbolum eſſe. Sic Teſtis tertius , nimirum Chryſoſtomus , verbis itidem à Launojo adductis , precum à Sacerdotibus tanquam Parentibus quibuſdam ſpiritualibus faciendorum præſidio uti remiſſionem morbi , ita peccatorum adſcribit , nixus authoritate ipſius Jacobi , precationem Fidei in deſcriptione Unctionis notanter ab hoc effectu commendantis. De Innocentio Pontifice , teſte quarto , nihil opus eſt addere , cum ſupra fuerit indicatum , in Vindiciis Auguſtinianis teſtimonium ejus eſſe examinatum. Ad plura ut fiat progreſſus , minime opus eſt , dum ex jam dictis manifeſtum eſt , fruſtra Luthero antiquam Eccleſiæ Traditionem quoad effectum Unctionis objectam fuiſſe. Quæ obſervatio ultima in prima hac Tractationis parte habet de ipſius Sacramenti nomine , an Unctio infirmorum ſimpliciter , Unctio extrema dici debeat , quamvis non plane nihil eſſet in promtu , quod poſſet adferri , fratribus Cadmeis hic etiam minime conſentientibus , quia tamen res eſt momenti non adeo magni , hic brevitatis cauſa prætermittuntur , progreſſu facto ad partem Tractationis ſecundam , quæ hujus Sacramenti , formam explicat , vel potius , ſi ex vero dicendum & ſcribendum eſt , implicat , dum alias forma ſecundum Canonem Philoſophorum dat eſſe rei , ac propriam ejus eſſentiam deſcribit , ad minimum debet deſcribere , niſi & hic locum habeat , quod communiter ad ignorantiæ defenſionem ſolet dici , proprias rerum formas eſſe amiſſas. Id certe ex prolixiſſima deſcriptione formæ hujus Sacramenti , quam Launojus ex variis Ritualibus ad nauſeam uſque Lectoribus propoſuit , patebit , eam non eſſe uniuſmodi , ſed multifariam , & ſucceſſu Seculorum pluribus incrementis auctam , quod in obſervationibus ſubjunctis ingenue teſtatus eſt. Hinc obſervatio quarta hoc Lemma exhibet , à tempore Gregorii M. ad Seculum uſque nonum accepto à majoribus extremæ Unctionis ritui ſuccreviſſe orationes , quibus modo una , modo plures corporis partes deſignentur Unctæ. Sic obſervatio ſeptima habet , non eoſdem ubique in Unctione infirmorum , atque in Oratione inter ungendum fuiſſe mores. Nona oſtendit , à Seculo decimo uſque ad undecimum in Eccleſia frequentiorem fuiſſe uſum formæ vel Orationis indicativæ , quam deprecativæ , utpote quæ , ſcilicet deprecativa primum fuerit ſubjecta indicativæ in Pontificalibus ſeu Ritualibus Libris. Undecima docet è contrario , poſt Seculum duodecimum frequentiorem fuiſſe uſum , deprecativæ , quam indicativæ. Addit decima & tertia , Seculo ſuperiori in Eccleſiis illuſtrioribus indicativam præſtitiſſe quidem , ſed in non-nullis ſub finem ejus , & in omnibus ſub exordium iſtius plane

iterum

Digitized by Google

iterum concidiſſe. Decima & ſexta monet, de forma deprecativâ eſſe quædam certa quidem, alia autem eſſe incerta. Sequens decima & ſeptima cenſet, Paludanum de uſu utriuſque diſputantem rectius indicaſſe, quam ipſum Thomam & Bonaventuram. Decima & nona addit in tradendis extremæ unctionis ritibus erratum eſſe quidem à Scholaſticis quibuſdam, ſed in ipſius Sacramenti adminiſtratione erratum non eſſe ab Eccleſia. En Harmoniam Eccleſiæ cum Doctoribus. Tædet hæc omnia diſcutere, cum Lector judicio præditus qualicunque non adeo difficulter ex hiſce lemmatibus poſſit judicare, cui fundamento totum hoc negotium innitatur. Id prætermitti non debet, utpote ad præſens inſtitutum pertinens quam maxime, quod obſervatio ſequens prima poſt viceſimam tradit de Synodo Tridentina ac ejus ſententia, quod attinet unctionis extremæ formam, quæ etſi antiquæ videatur non ex aſſe conſentanea, Launojus tamen eum in ſenſum commodum accipi debere ſentit. Digna, inquit, res, in qua teſe cujuſvis eruditi ac ſapientis Theologi induſtria exerceat, & antiquos hujus ſacramenti intus cum hodiernis ita conciliet, (ſi modo aliquam admittant conciliationem) ut in antiquis nihil, quod fuerit neceſſarium, temere requiratur, atque in hodiernis nihil ſit ſupervacaneum, quod inconſulto exprobretur. (N B. Artis maximæ id erit opus, & dolores oportebit varie inter ſe miſceri, ne fraus novitatis adpareat.) Videamus autem, quid Launojus in gratiam Synodi Tridentinæ, quæ Decretum Eugenii Pontificis hoc nomine quarti poſt Synodum Florentinam Armenis ſuperinde datum ſecuta eſt, è promtuario ingenii felicis protulerit. Dico, inquit primo, neque Eugenium, neque Synodum Tridentinam improbaſſe unctionis extremæ ritum & diſciplinam, quæ ſex primis Eccleſiæ ſeculis in Urbe & alibi frequentabatur; (ſi modo aliqua fuit in uſu,) ab hoc autem ritu, ſcilicet antiquiori illa abeſt, forma, cujus Concilium meminit poſt Eugenium. Quin etiam eo confidentius dico, ritum veterem, de quo Gregorius loquitur in Sacramentario, à Concilio improbatum non eſſe, quia qui illud rexerunt, noluerunt quidquam adferere, quod antiquis Eccleſiæ Romanæ moribus & inſtitutis adverſaretur. (Ô utinam hoc ita facile probari poſſet, quam facile à Launojo ſcriptum eſt!) Deinde dico, neque Eugenium, neque Concilium improbaſſe formam indicativam, qua utebantur, qui Romæ & alibi auctо Gregorii ſacramentorum codice & aliis Pontificalibus libris ante ſeculum decimum utebantur. Cur autem non improbaſſe dicam, omnino facit, quod nihil offendam ab Eugenio vel Concilio geſtum, quo eam improbaſſe ſuadeatur. Hac enim in re ſuſpicari aliquid factum, cum nihil adfert ſuſpicionem facti, non leve temeritatis argumentum eſſet. Tum dico, Eugenium Armenis quidem, quid faciendum eſſet, præſcripſiſſe, ſed quid alii tunc facerent, non improbaſſe, imo potius tacite recepto aliorum uſui conſenſiſſe. Nam quæ per Germaniam, Italiam & Galliam Eccleſiæ forma utebantur indicativa, ex qua Eugenii Decretum exiit, eadem uti non deſtiterunt. Præterea Eugenii Decretum non eò conditum eſt, ut dogma fidei ſanciret, ſed ut probatam Romæ ſacramentorum Diſciplinam Armenos doceret. Non enim adprobante Synodo Florentina, cui interfuerunt Græci, conditum eſt, ſed poſt diſceſſum illorum, & maxime eo tempore, quo Pontificem illum Synodus Baſileenſis depoſuerat, & quo major cum dignitatis retinendæ, quam dogmatum fidei ſanciendorum cum & ſollicitudo vexaret, cum noti ſint labores, quos pro retinenda dignitate ſuſcepit, ignoti autem, quos in replicandis ſacrorum Rituum codicibus, atque in recognoſcendis Eccleſiarum moribus inſumſit. Et certe neſcio, utrum aliquis ſcriptor ante annum milleſimum & quingenteſimum hoc Eugenii Decretum laudaverit, atque in authoritatem admiſerit. (Qui ergo factum, quod ipſa Synodus Tridentina id ſuo adprobavit conſenſu?) Ulterius dico, ſcribit Launojus, Synodum Tridentinam probaſſe quidem formam deprecativam, quæ ab anno Chriſti milleſimo in Romana & aliis quibuſdam Eccleſiis invaluerat, ſed non improbaſſe indicativam, quam Romana prius conſuetudo per annos ſat multos tenuerat, & quum à majoribus accepta plurium Eccleſia-

rum diſciplina tunc conſervabat. Nimirum, in Concilio magna diſputatio non eſt inſtituta de extremæ unctionis forma, cum Theologi, Thomæ & Scoti ſectatores ſuper forma deprecativa conſentirent, nullam moventes quæſtionem, utrum præſtaret indicativa vel antiquitate, vel alia ſimili ratione. Quod de una, id quoque de alia factum eſſet, ſi de ea convenſſent inter ſe. Quocirca ſapienter nonnulli philoſophantur è recentioribus, qui hanc formarum varietatem animadvertentes ſcribunt, non eſſe quidquam jure Divino determinatum, quod facit *Martinus Becanus*, qui tamen rem ipſam non tam probe calluit, dum in animum induxit, formam deprecativam eſſe vetuſtiorem, quam revera eſt. Denique dico, Chriſtum circa formam unctionis extremæ in ſpecie nihil definiviſſe, ſed eam rectoribus Eccleſiarum reliquiſſe definiendam, prout res ipſa ſuis librata ponderibus exigeret, ac fidelium pietati expediret. His ita conſtitutis, Eccleſia pro accepta facultate a Chriſto potuit formæ priori alia tantum atque alia addere, vel ſublata priori forma ſubrogare aliam, quâ & efficacia & effectus ſacramenti magis magiſque ſignificaretur. Si primum ex hiſce duobus admittitur, in antiquis ſolemnibus verbis nihil mutatum, ſed iis duntaxat adjectum aliquid, quo ſenſus planior eſt redditus. Si vero ſecundam, aliquid in verbis mutatum eſt quidem, ſed nihil in ſenſu ac doctrina. Ita Launojus, de quo mirum valde, potuiſſe ei, utpote Viro alias ſagaci talia in mentem venire, ut Synodi Tridentinæ in hoc etiam capite authoritatem manu teneret, niſi potius Romanenſes ſuos adunco voluit naſo ſuſpendere, cum videatur incredibile, eum non ſubolfeciſſe ſummam abſurditatem ratiocinationis, qua Concordiam diſcordem voluit conciliare. Quid enim, ut unum hoc moneam, dici poteſt abſurdius, Chriſtum Eccleſiæ aliquod commendaſſe Sacramentum, omiſſa formæ ejuſdem expreſſa definitione, quam Eccleſiæ Rectoribus liberam reliquerit? Prævidens enim hujus formæ futuram per ſecula diverſitatem, annon conſultius longe fuiſſet, certam Sacramenti formam determinare, quam humanæ mutationi eam relinquere obnoxiam. Alia inſuper monenda nunc prætermitto, Lectoris judicio ea committens, uti & quæ Launojus idem in ſequentibus libri partibus de iteratione ac petitione hujus Sacramenti, uti & de ſtatu ac ætate eorum, quibus hoc Sacramentum ſit exhibendum, porro de ejuſdem Miniſtro, partibus item corporis, quæ ſunt vel ſint ungendæ, quin etiam inſuper de ordine precum, danda poſt unctionem Euchariſtia, aliiſque pluribus non neceſſariis per partes prolixiſſime deduxit, in quibus ſingulis tot occurrunt diſcrepantiæ, ut videatur ſtudio exemplum ſingulare diſcordis Concordiæ Lectoribus voluiſſe ob oculos ponere, ut de ſimilibus idem poſſit fieri judicium, quæ Synodus Tridentina, prout officium ad imitationem Conciliorum ſeculis prioribus celebratorum & Pax Eccleſiæ requirebat, adeo non ſuſtulit, ut potius plenam quibuſvis reliquerit ſentiendi & agendi libertatem.

Additio ſecunda.

EAm exhibet peculiaris itidem Launoji liber & diſſertatio *de veteri ciborum delectu in Jejuniis Chriſtianorum*, & maxime in Quadrageſima, cui in Præfatione cauſam dediſſe ſcribit graviſſimam, uti vocat, circumſeſſionem, quæ Anno hujus Seculi quadrageſimo & nono ab octavo die Januarii uſque ad initium Quadrageſimæ Urbem Pariſiorum adflixerit, ubi intercluſis Sequanæ, Matronæ ac Oiſiæ portubus, & vocatis pluribus ad exitium & vaſtitatem pagis adciderit, ut & Annona in Foro facta ſit carior, & rerum præterea celebrando, uti moris eſt, jejunio neceſſariorum copia deſideraretur. Hæc enim, inquit, cum Epiſcopus Pariſienſis adtenderet, pro ea, qua gregi ſuo invigilat, cura certis quibuſdam Quadrageſimæ diebus carnium indulſit eſum, ob idque confecit Diploma, in quo omnes Indulgentiæ cauſas & conditiones adpoſuit. Sed quia non ſatis aperte ſignificavit, ſe jejunii legi eos ſolvere, qui carnibus uterentur, orta eſt inter mul-

multos quæstio; utrum, ex quo in subsidium annonæ, atque in locum ciborum Quadragesimalium, qui deficiunt, carnes substituit, lege jejunii continuo solvantur, qui carnibus concessis sobrie, uti par est, vescerentur, & qui alias jejunio forent obnoxii? Ego, scribit Launojus, in hac dubia & ancipiti Quæstione Antistitis judicium opperior, sed donec pronuntiaverit clarius, eorum, qui carnibus utentes eximi jejunio negant, sententiam amplector, atque ex literis Indulgentiæ, quoad licet, confirmo. Non est tamen animus, eos adcusare, qui aliter sentiunt, adfirmantque, Episcopum non concedendæ solum carnis, sed etiam jejunii solvendi feciſſe veniam, & sua ipsorum fide viventes non jejunant illis diebus, quibus manducant carnem. Cur enim, quæso, certis ea non posset esse in eadem fide & pace jejunandi hic, & illic non jejunandi diversitas, quam plures olim Ecclesiæ apud Epiphanium & Socratem, quam una Africæ Ecclesia apud Augustinum, quam Constantinopolis apud Gregorium Protosyncellum servavit? Porro significat Launojus, se in hoc libro vel dissertatione materiam jejunii universam ab aliis copiose tractatam non retractare; sed ea tantum è Conciliis, Patribus & quibusdam Scholæ Magistris delibare, quæ agitandæ huic rei potissimum inserviant, vel demonstrent, *esum carnium, ovorum & casei jejunio vero & Ecclesiastico non semper opponi.* Hac in re, sic ulterius præmanet, nulla disciplinæ, quæ ad tam certum tempus & locum præstituitur, novitas est timenda, vel ex hoc maxime, quod antiquitate Christiana bene corroboretur, atque ut deinceps adpareat, vanam esse eorum opinionem, qui tradunt, quacunque carnium manducatione jejunium impediri, seu, uti loquuntur apud *Bonacinam*, lege jejunii non eos omnes teneri, quibus concessum est in die jejunii carnis comedendæ privilegium. Vanam se hanc opinionem dicere, monet Launojus, quia solis Authorum juniorum nominibus adornetur, sed tamen solidæ rationis careat præsidio, imo manifestum petat principium, id pro ratione adferens, quod in quæstione positum esse norunt Dialectici. Ad hoc, scribit amplius, fraudis Sophisticæ genus qui descendunt, eos vel fucum pati, vel aliis facere necessum est. Audio tamen, ita pergit, esse quosdam, qui, cum hoc videant, suam nihilo serius opinionem non deserunt, sed confugiunt ad calumniam, arma scilicet eorum, qui vincuntur. Nempe clamitant, *eos, qui contra sentiunt, favere iis, qui ab Ecclesiæ communione discesserunt.* Itane vero? Bellarminus igitur favet hæreticis, cum objicienti Chemnitio, Catholicos horam nonam aut vesperam more antiquorum non amplius expectare, cum tempore jejunii sese reficiunt, ita respondet secundi de Bonis operibus libri capite secundo: Quamvis hæc ita sint, & probabilem causam suæ habeant consuetudinis, qui jejunium solvunt hora sexta, fatendum est tamen, illos facere melius, qui more veteri non ante horam nonam, atque in Quadragesima non ante vesperam capiunt cibum. Sic, inquam, Bellarminus favet sectariis, qui, dum jejunant, veterum more jejunant, id est, *non ante vesperam capiunt cibum.* Non autem ita ineptiunt, qui Veritatem quærunt solius Veritatis gratia. Quamobrem illud, quod ad opinionis suæ defensionem clamitant, & supra Synodum Tridentinam sapiunt, si, *qua moderatione de jejunio & ciborum delectu sit locuta*, semel agnoscant. Tu vero, quisquis es, qui resistis, consulerese, procul abjiciendum esse Bellarmini consilium, ne, qui sequeretur illud, bene agendo sectariorum jejuniis faveret? Adfirmaresne, Bellarminum minus prudenter respondisse Chemnitio, scribentem: Non deesse inter Catholicos, qui unica omnino refectione contenti nihil omnino cibi degustent, nisi vel hora nona, vel sub vesperam; neque enim ignorant, *Jejunium tanto perfectius esse, quanto diutius refectio sive Cœna differtur?* Profecto, addit Launojus, qui verum dicit, non favet iis, qui à Veritate desciverunt, sed & ipsam evertit religionem, quæ nec falsitate indiget ad sui patrocinium, neque cum illa potest consistere. Cæterum, aberrant in eo sectarii, quod, præter publicum ab Ecclesia (Romano-) Catholica dissidium, *dum jejunant, carnes sine ulla necessitate manducent*, & & consuetudinem Ecclesiæ ejusdem, in qua, qui jejunant, carnibus & aliis abstinent, con-

contemnant, ac inſuper Catholicos jejunantes Superſtitionis adcuſent, inque errorem Manichæorum incidiſſe mentiantur. Quare, qui utrinque diſputando ſciens calumniatur, Veritatem non adſerit, ſed Bellum indicit Charitati, quæ germanus character eſt Religionis Chriſtianæ. Hæc omnia in Præfatione Launojus habet, de quibus quid candidi ſentiendum ſit, paucis indicabitur, ubi quædam fuerint excerpta ex ipſa etiam Diſſertatione, in qua poſt adducta è Documentis & Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtimonia, quæ ad hoc argumentum pertinere videbantur, nominatim, poſt adductum Canonem Synodi Laodicenæ, Exemplum Spiridionis apud Sozomenum, locum Philoſtorgii à Photio commendatum, Cyrilli item Hieroſolymitani, Epiphanii, Chryſoſtomi, Theophili Alexandrini, Hieronymi, Auguſtini, Socratis, Gennadii, Concilii Aurelianenſis primi, Fulgentii, Synodi Toletanæ numero quartæ & octavæ, Bedæ, Theodulphi Aurelianenſis, Rithamni Corbejenſis, Concilii cujuſdam Anglicani; item Quintilineburgenſis, Nicolai Sueſſionenſis, Alexandri Pontificis hoc nomine tertii Theodori Balſamonis, Concilii Andegavenſis, Gregorii Protoſyncelli &c. varias iterum pro more Lectoribus commendat obſervationes, uberiori materiæ illuſtrationi inſerviturus, quarum *prima* exhibet finem Jejunii, ſcilicet, ut adflicta & macerata caro ſubjiciatur intellectui, & purgatis vitiorum ſordibus, ſervatiſque aliis, quæ frequentat Eccleſia, Chriſtianus tempore præſertim Quadrageſimale, ad Paſcha rite celebrandum præparetur. Huic autem fini, ſcribit Launojus, cum magis contrarius ſit eſus carnium, quam aliud ciborum genus quodlibet, ex eo factum eſt, ut, quibuſdam Regionibus exceptis, fideles inter jejunandum carnibus ſemper abſtinuerint. *Ad illam generalem carnium abſtinentiam adceſſit abſtinentia Vini*, quam inter Latinos Toletana Synodus quinta ſanxit Canone peculiari, inter Græcos autem Laodicena, ſi modo ξηροφαγία, ſeu *victus aridus*, quem vel quam decernit, intelligatur ex Epiphanio, Cyrillus item Hieroſolymitanus & Theophilus Alexandrinus, aliique deſignant. Poſt Carnium & Vini abſtinentiam ſecuta eſt *abſtinentia Piſcium*, quæ quidem aut nunquam, aut parum inter Latinos, ſed apud Græcos ex recepta plurium Eccleſiarum conſuetudine eſt ſervata; quam apud eoſdem Græcos excepit *abſtinentia ovorum & caſei*, quam multorum etiam Eccleſiarum uſus conſecravit. Hæc autem multiplex abſtinentia & Eccleſiaſticarum in ea conſuetudinem diverſitas inter alia forſan effecit, ut Synodi Tridentinæ, Patres non ediderint legem, *qua jejunantibus abſtinentiam à certis quibuſdam cibis, qui, nominarentur, præſcriberent*, ſed ſufficere crediderint, ſi Jejunia & delectum ciborum, quos uſus apud ſingulas obtinet Eccleſias, commendarent, atque, ut ab Epiſcopis populo DEI commendarentur, decernerent. Hiſce præſuppoſitis obſervatio *ſecunda* docet, Eccleſias fuiſſe non-nullas, in quibus, qui jejunabant, carnibus veſcebantur, nec tamen ab aliis diſſidium fovebant. Ex Epiphanio enim & Socrate manifeſtum eſt, non-nullas inter Chriſtianos fuiſſe regiones & Eccleſias, in quibus, qui *jejunabant*, avibus vel variis ciborum generibus utebantur, &, qui differenter jejunarunt, litem inter ſe de Jejunii violatione nullam moviſſe, aut alios ſuum prætuliſſe aliorum jejunio, ſed ſummam potius Pacem atque Concordiam ſervaſſe. Et revera, ſi quod ab iis tunc ſuſceptum eſt certamen, non fuit aliud, niſi ut *quiſque pro ſua Pietate* & ritu jejunandi Divinam ſibi conciliaret Miſericordiam. Atque hæc animorum conſenſio in diverſa ratione jejunandi viguit inter antiquos, uſque dum eam Photius inter cætera Latinis auſus eſt Jejunii violati dicam ſcribere ideo, quod in Quadrageſima Caſeum & ova manducarent, aliquibus è Latinis demonſtrantibus, Photium in Eccleſiaſticis conſuetudinibus, quæ vel ab ipſis Græcorum Scriptoribus diverſæ memorantur, peregrinum ac hoſpitem, aut certe malevolum eſſe. Obſervatio *tertia* notat, Patres Eccleſiæ conſuetudines Eccleſiarum in Jejunis diverſas probaſſe ac docuiſſe, eas ad Sponſæ ornatum pertinere, adducto Auguſtini teſtimonio, de quo in loco. Hinc ſequitur *quarta*, oſtendens nullam fuiſſe conſuetudinem *ab Apoſtolis* derivatam, qua, dum jejunaretur, diffuſæ per Orien-

Orientem & Occidentem Eccleſiæ ad unum & certum aliquod cibi genus adſtringantur, quod ipſe Bellarminus non diffitetur, ſecundi de Bonis operibus libri capite decimo, ſcribens, ſemper in Eccleſia Orientali leges jejunandi fuiſſe *ſeveriores, quæm in Occidentali*, teſte Baſilio in oratione ſecunda de Jejunio, pueros quoque, & viatores, & omnes omnino homines edictum Jejunii ſuſcipere,; neque ſolum à carnibus & iis, quæ ex lacte conficiuntur; ſed etiam à *Vino & piſcibus* in Quadrageſima ſolitas abſtinere, adcedente teſtimonio Chryſoſtomi, Cyrilli & Theofili Alexandrini. Severiores ergo, ſic ſubſumit Launojus, cum ſint leges Græcorum in cibis Quadrageſimalibus, quam Latinorum, nullam vir doctus agnoſcit, quæ omnibus eundem ciborum præſcribat delectum. Addit, *quin etiam nec omnes & ſingulos Occidentis Eccleſiæ eadem lex ſeu conſuetudo jejunandi tenuit*, quod Synodus Toletana numero quarta & Anglicana incertæ, uti vocatur, editionis capitula pateſaciunt, atque confirmat hodiernus & Caſeo & ovis abſtinendi mos, quem antiquitus alium fuiſſe, Latinorum ad objectiones Photianos Reſponſio concedit. Id ergo relictum eſt variis Eccleſiæ moribus & inſtitutis, quæ pro locis & temporibus temperare ſapientum eſt Epiſcoporum. Hæc autem omnia cum Facultas Theologica Pariſienſis certo noſſet, in Articulis, quos Seculo ſuperiori circa Religionis Chriſtianæ dogmata edidit, delectum ciborum & abſtinentiam à carnibus non adſcripſit Conſtitutionibus *Apoſtolicis, ſed Eccleſiaſticis*. Obſervatio *quinta* habet, in diebus Dominicis Quadrageſimæ priorem tenuiſſe conſuetudinem, ut liber ciborum delectus permitteretur, ſed poſteriorem paulo ſeveriorem feciſſe, ut *adimeretur*. Nam in Dominicis Quadrageſimæ, ſcribit Launojus, factum eſt contra, atque in pleriſque Eccleſiarum inſtitutionibus ſolet fieri. Primis enim Eccleſiæ Seculis non neceſſarii, ſed liberi erant omnes cibi, quibus in Dominicis Quadrageſimæ fideles utebantur, quod prohibita iis diebus abſtinentia ſeu Jejunium convincit, imo & ipſa hilaritas, qua apud Epiphanium jubentur tranſigi. Ad hilaritatem vero ſupra cibos cæteros valde carnium conducere eſum, quis ignorat? Ne quid dicatur nunc de lautitiis & condimentis uſque quaque exquiſitis, quibus & *adparati piſces carnibus præferuntur*, &, niſi Lex, at certe finis Jejunii Eccleſiaſtici ſæpe numero fraudatur. Apud Latinos certe diei Dominicæ jejunium interdicit Concilium Aurelianenſe quartum, deque eo teſtatur Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Paulinus & Sidonius; ſed illud longo poſt tempore oſtendit Hiſtoria Godfridi Ambianenſis Epiſcopi, qui ante Annos ab hinc plus minus quingentos eſum carnium à Dominicis in Quadrageſima voluit prohibere, unde factum eſt, ut populus Ambianenſis audacter dixerit, *Epiſcopum de ſuo corde dura fingere & inaudita proferre, ſe adſueta nec velle nec poſſe relinquere*, quibus verbis acceptam à Majoribus carnes manducandi conſuetudinem ſignificant, quod itidem duo Theologi Pariſienſes, Alenſis & Magiſter Martinus diſputando non-nihil ſuſtentarunt. Ut autem die Dominico pranderetur olim, in cauſa fuit primum dies ipſe Dominicus, utpote Libertatis Chriſtianæ, lætitiæ & exultationis dies; deinde multum adjuvit hæreſis Manichæorum, qui diem Dominicum fecerant eſurialem ac Jejunio deputaverant, Auguſtino teſte. Verum enim vero, cum poſtea homines experierunt abuti carnibus, & immoderate intemperateque vivere, invaluit uſus, ut in Dominicis Quadrageſimæ carnes non amplius manducarentur; *atque ſic ex malis moribus ortæ ſunt leges bonæ, quæ hodiernum magna cum veneratione ſervantur*. Sed & alia fuit aliquando hujus Diſciplinæ ſtatuendæ ratio, ſcilicet *pietas Epiſcoporum*, qui ex Monaſteriis ad Eccleſias tranſierunt. Cum enim in Monaſteriis abſtinerent à carnibus, in Eccleſia pariter exemplo vel Præcepto abſtinendum cenſuerunt. Huc adceſſit ſtudium populorum, quorum non-nulli jejunia Monaſteriorum ſunt imitati, vel cum iis etiam de auſteritate Quadrageſimalis abſtinentiæ contenderunt. Obſervatio *ſexta* proponit, ab antiquis maxime diſtingui duo hæc, Jejunium ſeu Quadrageſimam ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia præcipi, & hoc aut illud ciborum genus nominatim præſcribi, *à pleriſque autem Scho-*

Scholaſtis confundi. Nempe, apud Epiphanium & Socratem, ſcribit Launojus, æque dicuntur jejunare, qui, cætera ſi paria ſint, piſcibus & avibus veſcuntur, aut etiam ſine eorum diſcretione reficiuntur, quam qui his abſtinent. Cætera ſi paria ſint, inquam. Id propterea dicitur, quia Chryſoſtomus octava in Geneſin Homilia ſic ſcripſit de Jejunio: Jejunium dico abſtinentiam à vitiis. Abſtinentia enim à cibis propter hoc recepta eſt, ut vigorem Carnis refrænet, & Equum moderanti facile faciat parere. Quippe Jejunatum ante omnia oportet iram refrænare, Manſuetudinem & Lenitatem addiscere, habere cor contritum &c. De cætero, apud Raſiamnum & alios, qui Græcorum objecta diluerunt, Latini, qui Caſeo & ovis, utuntur, Quadrageſimæ Jejunium peragunt non minus, quam Græci, qui Caſeo & ovis non utuntur. Sic apud Bellarminum Occidentales & Orientales juxta (vel, ſimul) Quadrageſimam obſervant, quamvis hi à Piſcibus, Vino & aliis abſtineant, à quibus illi non abſtinent. Ita hoc tempore audito nomine Quadrageſimæ, vel intellecto Jejunio Paſcha præcedente intelligitur numerus dierum quadraginta, quibus Jejunatur; ſed olim audita eodem nomine Quadrageſimæ, vel intellecto Jejunio Paſcha præcedente non intelligebatur numerus dierum quadraginta, uti ex Irenæo, Socrate & aliis conſtat. Attamen, qui tunc celebrabant Quadrageſimam, non minus celebraſſe dicendi ſunt, quam qui nunc celebrant. Pari ratione cum apud Hieronymum, Leonem & alios dicuntur fideles per Quadrageſimam jejunare ex Apoſtolica Traditione, *colligi nec poteſt*, *nec debet*, ab illis omnibus cibis quibus Græci omnes quondam & Latini temperarunt ſibi, hodieque temperant, abſtinentiam ex eadem Apoſtolica Traditione, *à qua non licuerit diſcedere*, manaſſe. Hinc obſervatio *ſeptima* urget, etſi Jejunium Quadrageſimale, prout recepti ſunt pridem ritus Eccleſiæ apud Occidentales, Carnium, ovorum & caſei abſtinentiam includat, tamen, ubi ex Urbis alicujus obſidione, aut alio neceſſitate cibi Quadrageſimales deficiant, & Epiſcopi carnium, ovorum caſeique eſum indulgeant, tunc qui cibis quadrageſimalibus utentes tenerentur Jejunare, eoſdem ipſos carnibus, ovis & caſeo utentes Jejunio quadrageſimali non minus obnoxios videri; imo, publica ingruente calamitate, cum bonis operibus, & præ cæteris Jejunio placandum ſit DEI Numen, *augeri potius obligationem Jejunii*, non vero remitti conceſſis ad veſcendum iis, quæ in alia rerum & temporum conditione prohibentur. Quod autem, ſic pergit Launojus, verum eſſe poſſit jejunium illorum, qui Caſeo & ovis in Quadrageſima utuntur, docet Beda, Theodulphus Aurelianenſis, quin etiam ipſa Occidentalis Eccleſia, quæ illo tempore, quo Photius eam vanis adpetit. criminationibus, inter cibos Quadrageſimales referebat Caſeum & ova. Huc quoque ſpectant Capitula Eccleſiæ Anglicanæ, in quibus itidem adprobatur Jejunium Quadrageſimale eorum, qui Caſeum & ova manducant. At veterem illam Eccleſiæ Occidentalis diſciplinam quis arguat, niſi cum Photio velit in argumentum Schiſmatis trahere, quod diverſis Majorum in eadem Fide conſuetudinibus eſt adſcribendum; Deinde pluribus modis vindicandum eſt eorum jejunium, qui deficiente ciborum quadrageſimalium copia veſcuntur carnibus. Inprimis enim veteres non-nulli bene Chriſtiani, cum ita jejunabant, credideruut ſe jejunare, atque ab aliis, qui non ita jejunabant, jejunare tamen crediti ſunt, quod adprime confirmant Spiridion apud Sozomenum, Epiphanius & Socrates. Nimirum, res iſtæ ſunt morales, quæ *ex Inſtituto, ſeu ex variis hominum moribus* pendent, non ex Regulis Metaphyſicorum, quibus naturæ rerum inviolabiles definiuntur. Unde falſi ſunt recentiores, quidam Theologi, qui carnium abſtinentiam ad Jejunii ſubſtantiam ita pertinere dicunt apud *Bonacinam*, ut, qui abſolute carnes comedit, jejunare non teneatur, (vel potius, non dicatur.) At iſte modus philoſophandi prodit, Authores hos non admodum verſatos in antiquis Jejuniorum ritibus, quos Epiphanius & Socrates in ſuis conſignarunt Monumentis. Nempe, quod ad Jejunii ſubſtantiam pertinet, omni debet jejunio convenire. At, non convenire abſtinentiam à carnibus, docent

cent Epiphanius & Socrates. Ne quid nunc dicatur de jejuniis *Judæorum*, quæ multa erant & valde difficilia; in quibus vero, quod à carnibus abstinuerint ex præscripto legis, nusquam traditur in Veteri Instrumento. Daniel quoque *ex arbitrio*, non ex Imperio Disciplinæ Mosaicæ jejunium illud fortitan peregit, quod capite decimo Prophetiæ descripsit. Præterea, si ex communi & generaliori abstinentia à certo genere cibi substantia jejunii Quadragesimalis definiatur, ad ejus substantiam spectabit quoque ab ovis abstinentia, quæ pluribus abhinc annis Græcos inter & Latinos communis est. Hanc vero Dialecticam quis pateretur, nisi cum Photio veterum Occidentalium Quadragesimale jejunium exsufflaret. Insuper Azorius, Filinccius & alii adfirmantes, carnium abstinentiam sic ad jejunii substantiam pertinere, ut, qui absolute carnes comedit, jejunare non teneatur, hoc lemma suum nec Theologice, nec Canonice probant. Ut modo priori probarent, Scripturam & Ecclesiæ Catholicæ traditionem, posteriori autem, sacros canones & Sedis Apostolicæ Decreta ex iisdem Canonibus promulgata adferre deberent, quod factum non est, sed hisce prætermissis & insuper habitis ad volaticam sese conferunt Academiam, & Philosophicis, id est, peregrinis argutationibus quæstionem hanc decidunt, ac de salute hominum pronuntiant, & tunc demum congerunt authores, qui eam non aliter tractarunt. Quod autem vulgo dicitur, *Jejunii lege solutos esse, quibus carnes manducare permittitur*, non attendunt, qualecunque dictum hoc eos tantum attinere, qui ægra, non qui bona utuntur valetudine; atque sic non solum per miserabilem, sed etiam per irridendam accidentis fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter concludunt, quod turpissimum est ac vitiosissimum. Adhuc amplius unica refectio & hujus sumendæ tempus vespertinum in jejunio Quadragesimali sunt duo, quæ supra annos abhinc plus minus quadringentos servavit omnis ætas; & tamen nemo nescit, non expressa, sed tacita solum concessione Ecclesiæ, & certa quadam rerum humanarum tolerantia factum esse, ut primum, quæ refectio tunc fiebat sub vesperam, postea fieret ad meridiem; hinc inde, ut Cœnula, quæ tunc nulla sumebatur, nunc sub noctem sumatur. Horum vero duorum *maxima, uti notum est*, *mutatio* si non impedit, quo minus qui reficitur ad meridiem in Quadragesima, & sumit postea Cœnulam, dicatur jejunare, multo minus impediret unica, eaque moderata refectio carnium, quas cognita communium Quadragesimæ ciborum penuria Ecclesiarum Præpositi permitterent; multo, inquam, impediret, cum hoc genus jejunii irreprehenso veteri nonnullarum Ecclesiarum ritu fulciatur, illud vero jejunium, in quo hora refectionis est mutata, nullum habeat, quantum ex publicis constat Monumentis, ullius Ecclesiæ veteris morem, quo sustentetur. Nisi autem sint, uti esse certum est, fingatur saltem, qui cibos quadragesimales præcipuos fastidiant, atque his visis aut gustatis nauseæ molestiam suscipiant, an liberi & immanes illi forent ab observatione jejunii, quod corpus subigit, vitia comprimit, & mentem elevat? Adfirmabitne quis, futuros immunes & liberos, etiamsi non habeant domitas libidines, sed iis tanquam hostibus vexentur impudentissimis? Recipietne quis, eos tuto carnibus usuros esse, quibus ante vel post Quadragesimam uti fas est, & bene facturos, si non jejunent in esu carnium? Contenderne quis, cum peccaturum, qui hisce hominibus, quæ de variis ritibus jejunandi memorat Socrates, exponeret, atque ad jejunandum hoc vel illo ritu adhortaretur? Spondebitne quis, eos posse fastidium & nauseæ molestiam in bonam fortunam religiose ac sine periculo ducere? Profecto, varia rerum, temporum & personarum conditiones postulant, ut modus jejunandi [illegible] aliter atque aliter, sed ita tamen ut commendatus in Scripturis & Patribus jejunii sit, ac proinde ipsum etiam retineatur jejunium. Sed porro fingamus [illegible] inter Christianos patentem late Regionem, in qua nulli ex [illegible] carnes reperiantur, nec esculenta Quadragesimales, quarum [illegible] esse, possit adfirmari aliunde; quis modo diceret, illam regionem lege jejunii Paschæ antecedentis esse solutam, aut, qui spectatus à Doctoribus, finem jejunii sture non posse cum unica & moderata carnium

refectione, quæ ibi ad veſperam, quemadmodum antehac ad meridiem, uti nunc temporis ſumebatur? Verum, ut citra hypotheſin redeatur ad propoſitum, aliud eſt omnino, eſum concedere carnium, ubi deficiunt, ubi in Quadrageſima conſueti; aliud autem, eos ſolvere jejunii lege, qui alias poſſunt ac debent jejunare, quod innuere videtur Epiſcopus Pariſienſis in litteris Indulgentiæ. Quod ſi vero aliter intelligat, non repugno, ſcribit Launojus, quin uſu carnium conceſſo eximat lege jejunii, quoſcunque eximere ſe poſſe judicabit. Octava tandem obſervatio agit de quadam recenſione hiſtorica, quam exhibent Theophanes, Hiſtoria Miſcella, Anaſtaſius Bibliothecarius, Georgius Celdrenus & Nicephorus, utut quoad circumſtantias inter ſe minime convenientes, de Imperatore videlicet Juſtiniano, qui tempore quodam valde difficili, turbato inſuper Feſto Paſchali in Urbe Byzantio carnes vendere mandavit, populo renuente etiam per errorem, cum hebdomade non neceſſaria jejunarit. Quamvis autem hoc factum vocet in dubium Launojus, idque de cauſis momenti nonnullis, videlicet, quia inter Conſtitutiones Juſtiniani nulla legitur hujus Decreti mentio, nec probabile videtur, vel Epiſcopum tunc Conſtantinopolitanum cum Clero huic rei conſenſum præbuiſſe, vel cæteros in Oriente Epiſcopos, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum, alioſque tantæ indormiviſſe cauſæ, vel etiam inſuper Epiſcopum tunc Romanum cæteroſque in Eccleſia Occidentali Antiſtites Imperatores dicto audientes fuiſſe, neque hoc factum ſuis inſeruerunt Hiſtoriis Procopius, Evagrius, Victor Tunnonenſis, Agathias, Continuator Marcellini, Author Chronici Alexandrini, Beda, Zonaras, utut admiſerint Baronius, Bellarminus & Petavius; nihilo tamen minus ſuam de eo ſententiam ſic proponit, ut, ſi vere id factum ſit, ſtatuat Imperatorem ideo adcuſari non poſſe, cum ſumma id poſtulaverit neceſſitas; laudandum vero populum quoque & merito quidem, quod carnes vel cinere, vel edere noluerit, credens, poſſe ſe in eo quamvis difficile tempore Quadrageſimam peragere, etiamſi à carnibus &c. abſtineret. Cur autem, inquit Launojus, in narratione hac neque Epiſcopi, neque Cleri Conſtantinopolitani fit mentio? Reſpondet, ſi Juſtiniano conſentiebat Epiſcopus & Clerus, ex populi facto nihil aliud colligitur, *niſi populus Dux Præfectuſque habeatur religionis*? Serione, an vero joci cauſa hoc ultimum ſcripſerit Sboniſta, ipſe optimus verborum & ſuæ mentis interpres novit, quamvis ultimum fore videatur probabilius. Equidem contra hunc Launoji de veteri ciborum delectu diſſertationem Ordinis Dominicani Scriptor aliquis, nomine *Joannis Nicolai* edidit Tractatum, exprobrans illi vehementer, quod uſum omnium cum jejunio conſiſtere poſſe contendit. Sed quia Launojus ipſe in altera Editione hyperaſpiſten adjunxit huic diſſertationi, non opus eſt ulteriori diſquiſitione, quamvis forte non deeſſet, quod Inſtituto præſenti poſſet inſervire. Quin & nuper modo *Natalis Alexander*, ejuſdem cum Johanne Nicolao Ordinis, ſuis ad ſecundum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeculum Diſſertationibus ordine quartam inſeruit hoc idem argumentum prolixiſſime tractantem, verum nulla mentione Launoji facta, quem alias non ſemel ſibi propoſuit antagoniſtam, in quem ſtringeret calamum, ſed præſcripto tantum *Johannis Dalæi* nomine, quem ſibi ex ex profeſſo hic ſumſit oppugnandum, hac tamen cum Articuli ſecundi concluſione, *Abſtinentiam à carnibus jejuvii Eccleſiaſtici ſemper fuiſſe partem, & apud veteres Chriſtianos in diebus eſurialibus lege publica præceptam.* Scopus Tractationis non patitur, hoc ipſum nunc excutere, id vero inprimis requirit, ut juxta methodum in Appendice duplici & Additione prima obſervatam inquiratur, an quia Conciliorum utilitas eo etiam dirigi de jure debet, ut ritus Eccleſiaſtici hic & ibi bene inter ſe conveniant, ii præſertim, qui conſcientiam hominis ſub reatu criminis obligant, ac peccare cenſentur cum debito ſatisfactionis, qui circa eoſdem impingat, Synodus Tridentina non debuerit in hoc etiam expreſſe ſententiam dicere, quid propric ad jejunium pertineat, quod ad publicum DEI cultum non parvum habere reſpectum creditur, anque ſuo in hac etiam re ſatis ex aſſe fecerit officio, quod omne hoc negotium commiſerit liberæ Epiſcoporum

porum diſpoſitioni, qui, cum non ſint unius ejuſdemque genii, prout experientia teſtatur, libertate hac non raro abutuntur, & populum vel nimis rigoroſe adſtringunt, vel juxta mentem aliorum juſto liberalius tractant, ipſimet indulgentes genio? Nam ſtante hac adeaptoria inter Scholaſticos quoque Doctores variæ diſputationes ſunt exortæ, ad genium hujus vel illius loci conformatæ, quæ potuiſſent, imo, ad concordiam in hoc quoque puncto ineundam omnino debuiſſent per aliquod Decretum Synodale tolli, ut una omnium Eccleſiæ filiorum eſſet ratio jejunandi, non tantum ratione temporis, ſed etiam perſonarum, quibus eſſet jejunandum, inprimis vero ciborum, à quibus in jejunio abſtinendum. Sicut enim prudens Mater familiæ, quod Elogium ei in ultimo Proverbiorum Salomonis capite adſcribitur; inter alias de domus ſuæ ordinata conſervatione curas hanc non ſinit eſſe poſtremam, ut juſto tempore ſuis præbeat cibum, nec cuivis liberum ſit, quovis tempore cibum capere, eundemque pro libitu, ſed cunctis parem, uti quondam DEUS Iſraelitas in Eremo per annos quadraginta eodem cibo ſine reſpectu perſonarum paterne & ſimul miraculo conſervavit; ita dum Eccleſia Romanenſis tanquam Mater ſollicita hanc quoque curam in ſe ſuſcepit, ut liberis non ſolum de cibo ſpirituali, ſed etiam corporali certas præfigeret leges, juſtum videri debuit, ut inter illos ſimul aliquam obſervaret æqualitatem, neque rem hanc adminiſtratoribus relinqueret liberam. Si etiam enim antehac quoad celebrationem Feſti Paſchalis Victor Pontifex Romanus officio Patris ex debito functurus, neceſſariam eſſe duxit inter unius Eccleſiæ filios harmoniam, ſuique Muneris eſſe judicavit, ut certum aliquod tempus definiat, in quo ſinguli fideles convenirent, neque hoc contentus, anathema etiam minatus eſt iis, qui aliud tempus obſervarent; minoris certe momenti non debuit videri hoc negotium eſuriale, in quo progreſſi ſunt eo ejuſdem rigoroſi defenſores, ut peccatum mortale credatur committere, qui abſque Epiſcopi diſpenſatione peculiari tempore jejunii carnem deguſtavit, non confeſſione ſolum prævia nimirum con- vel juxta quoſdam latiores ſola adtritione, ſed etiam impoſita per Confeſſarium ſatisfactione, non raro ſatis dura, prout Sacerdotis ſuperſtitio vel alia urget ratio expiandum. Hæc breviter pro more hactenus conſueto ad hominem dicta vel ſcripta ſunt, ut conſtet, qua de cauſa hæc etiam quæſtio *de ciborum delectu* Tractationi de Conciliorum utilitate ſubjungatur, eum videlicet in finem, ut manifeſtum fiat, Eccleſiam à Synodo Tridentina nullam in hoc quoque puncto utilitatem hauſiſſe, utpote ſub diſpenſatorum varia libertate derelictam. Docet id non obſcure Sorboniſta noſter, cauſam indicans ſuæ diſſertationis de hoc argumento, videlicet diſpenſationem Epiſcopi Pariſienſis, in cujus gratiam hunc in ſe ſuſcepit laborem, ut grande Paradoxum defenderet, (quod in Viro judicii alias magni videri poteſt mirum) per indulgentiam carnis legem jejunii ſolutam non eſſe. Grande paradoxum, dico, quod ipſimet agnoſcunt jejunatores, quos contrariam amplectî ſententiam non neſcivit, nominatim *Natalis Alexandri*, cujus jam facta eſt mentio. Accedunt alia, quæ ipſemet partim in Præfatione, partim in ipſa diſſertatione ſuppeditavit. Putat quidem, ſi è Conciliis, Patribus & quibuſdam Scholæ Magiſtris delibaſſe, quæ demonſtrent, eſum carnium &c. vero & Eccleſiaſtico jejunio non ſemper opponi. Sed eometipſo, dum inter jejunium verum & Eccleſiaſticum diſtinguit, anſam præbet ſuſpicandi, aliter de vero, aliter autem de Eccleſiaſtico loqui fas eſſe jejunio. Verum namque quod adtinet, omnes, qui titulum de *Verborum ſignificatione* unquam inſpexerunt, fateri coguntur, jejunium vere & proprie ſic dictum requirere abſtinentiam non à carne tantum, ſed ab omni in univerſum cibo & potu. Sacras certe literas ſi cum ſtudio evolvamus, nullum aliud nobis obrueret jejunium, quam quod nunc abſtinentia ab omni plane cibo & potu fuit conjunctum. Eatur in rem præſentem, ac examinentur probe per circumſtantias exempla Sanctorum, qui leguntur jejunaſſe, & negotium hoc erit confectum. Jejunium vero Eccleſiaſticum, uti vocatur, quod conſiſtit in abſtinentia à carne ac iis, quæ ullatenus ad carnem referuntur, prudentiores ſemper *æquivoce* dici jejunium ſtatuerunt, imo.

Digitized by Google

ſi vera rebus nomina debent imponi, luſorie tantum, de quo teſtatur Colloquium Eraſmi ſub titulo, ἐχθυοφαγία. Hinc eo majus abſurdum videri debet, quod Launojus, contra mentem ſuam, uti credere par eſt, defendere in gratiam Epiſcopi Pariſienſis auſus eſt, *Eſum carnis vero non opponi Jejunio*; cum tamen ea hinc inde ſua Diſſertatione ex antiquis Eccleſiæ Monumentis exhibuit, quæ contrarium plane ſuadent. Adhuc vero magis mirum eſt, quod contraſentientibus hanc imputat calumniam, quaſi ſtatuant, eos, qui à ſuis ſtant partibus, iis favere, qui ab Eccleſiæ communione diſcuſſerunt, cum, ſi res juſta lance ponderetur, contrarium potius ſit verum, quod ipſum evincit Bellarmini ab eo citati teſtimonium, ingenue fatentis, *eos facere melius, qui more veteri non ante veſperam capiunt cibum*, adeoque nec Carnes. More veteri, ſcripſit notanter Bellarminus, ut indicaret, veteribus præ Recentioribus, utpote prudentioribus juxta ſignificationem veram non fuiſſe Jejunium, niſi cum per integrum diem abſtineretur ab omni cibo, atque ſic etiam potu, quod conſtat. Alterum adcedit ejuſdem Bellarmini teſtimonium, porro notanter ſcribentis, *Jejunium tanto perfectius eſſe, quanto diutius Refectio ſive Cœna differatur*, quæ dilatio certe omnis cibi, inprimis vero Carnis abſtinentiam requirit. In quo autem conſiſtat Moderatio Synodi Tridentinæ circa Jejunium & delectum ciborum, Launojus non indicavit, adeoque cuivis reliquit liberum divinare. Præter id autem, quod videri poteſt Moderatio in hoc conſiſtere, quia hæreticos ab interminationem vel potius juſtam irriſionem Jejunii hujus hypocritici & vere pſeudo-Eccleſiaſtici, non ſubjecerunt Anathemati Patres ibidem conſcripti, alias non valde benigni vel Moderationis laudi digni; hoc forte etiam ad aliquam referri debet Moderationem, quod tranſgreſſionibus Jejunii hujus Eccleſiaſtici nullam impoſuit pœnam Synodus, eamque quoque Epiſcopis liberam relinquens. De cætero, graviter iterum à vero aberrat eruditiſſimus Sorboniſta, dum ſectarios in eo ſcribit errare, quod, dum jejunant, carnes ſine ulla neceſſitate manducent, conſuetudinemque eorum, qui, dum jejunare dicuntur carnibus tantum & aliis quibuſdam abſtinent, contemnant, ac inſuper Manichæiſmi & Superſtitionis adeuſent. Nullus enim Sectariorum, quos ita cum aliis ex more ſolito vocat, unquam carnes manducans, vel alio etiam cibo potuve utens ſe dixit jejunare. Atque hoc ipſum eſt, cur Jejunium hoc æquivoce ſic dictum contemnunt, quod in ſola carnis abſtinentia dicitur conſiſtere, manente uſu piſcium & aliorum quorumvis præter Carnes eſculentorum, uti & Vini generoſioris, utpote quod luſui in re ſeria videtur ſimile. *Manichæiſmi* reatum quod adtinet, ſubterfugere cum minime poſſunt jejunatores Romani, ſi ex propriis ipſorum hypotheſibus agatur; quippe qui agnoſcentes, Paulum in quarto capite poſterioris ad Timotheum Epiſtolæ contra ciborum quorundam proſcriptores agentem vaticinando Manichæos deſignaſſe, non poſſunt negare, ſi modo regulas Conſequentiarum Dialecticas admittant, uti ſimilia ſunt prædicata, idem quoque genus definitionis convenire. De Superſtitione itidem non eſt, ob cujus adcuſationem conquerantur Romanenſes, tanquam grandis inferretur injuria, dum in ea collocant ſingularem DEI cultum, quod à DEO ſub hac ratione, quæ prætenditur, nullibi in Sacris legitur præſcriptum, atque ſi radiis candidæ Veritatis exponatur, non-niſi res ludicra debet haberi, prout jam fuit paulo ante obſervatum. Fiet de porro manifeſtum, ſi ipſa Launoii veſtigia premamus, ex ejuſdem obſervationibus breviter excerpentes ea, quæ ad præſens Inſtitutum poſſunt inſervire. Si enim ipſa vellemus Authorum teſtimonia ſubjicere examini, quæ ex Antiquitate Eccleſiaſtica poſt alios adduxit, prolixioris eſſet operæ, ab aliis dudum præoccupatæ, nominatim à *Johanne Dalleo* ſupra laudato, de quo nullum eſt dubium, quin poſthac habiturus ſit hyperaſpiſtem. Et quidem *prima* ſtatim obſervatione, dum Jejunii finem eſſe dicit carnis adflictionem, cuivis prudenti dijudicandum relinquitur, num ad eam requiratur crudæ tantum Carnis, & non potius Piſcium varii generis, ac delicatorum

Digitized by Google

corum quorumvis eduliorum, inprimis autem Vini generosioris abstinentia? Agnoverunt id olim fideles, quos ipse Launojus commemorat præter Carnes etiam a Piscibus & vino abstinuisse, hac tamen addita confessione ingenua. *hanc abstinentiam aut parum, aut nunquam inter Latinos*, sicut apud Græcos fuisse servatam, quam nec dum hodie servant, nullatenus videlicet ex Lege Synodi Tridentinæ ad eam obligati, quæ rigorosiorem hanc jejunandi rationem inter Græcos, à longo temporum decursu usitatam mollioribus Ecclesiæ filiis noluit præscribere, ne Mater dura haberetur, utut Vitrici Sacerdotes & Confessarii non raro satis duriter excipiant eos, qui etiam à Carnibus abstinere Jejunii tempore detrectant. Dum vero in *secunda* observatione commendatur antiquorum concordia ex eo, quia nemo alterum ob diversam jejunandi rationem damnavit, optandum esset, ut idem adhuc hodie observaretur; atque dum insuper ex Evangelica discimus Historia, Christum suos erga Johannis Baptistæ discipulos ob Jejunii intermissionem excusasse, æquum esset, ut eadem ratio valeret hodiernum, nemine alteri in hac re adiaphora cum onere Conscientiæ quidquam imponente. *Photium* Latinis exprobrasse Casei & ovorum manducationem non debet videri mirum, quia & horum abstinentiam ad Jejunium verum & perfectum pertinere cum Græcis aliarum quoque Ecclesiarum usus agnovit, ipsomet fatente Launojo. Quid de Augustini circa hanc Quæstionem authoritate sit statuendum, quam observatio *tertia* exhibet, ostensum est non ita pridem in Vindiciis pro ejus orthodoxia scriptis. De *quarta*, quæ iterato concedit, severiorem semper fuisse jejunandi apud Græcos, quam Latinos rationem, id inprimis notandum, quod agnoscit, ipsam jejunandi consuetudinem non esse Apostolicam vel ab Apostolis derivatam, sed Ecclesiasticam: non addens tamen, an hæc consuetudo ortum traxerit ab Ecclesia vel Communioni orthodoxa, num vero hæretica, quod posterius videtur non improbabile, si cum Pauli Oraculo supra laudato conferatur ex Ecclesiastica Historia origo Jejuniorum certe quadam Lege præscriptorum non nisi ab hæreticis, quam de Manichæis præsertim agnoscunt Interpretes Pauli communiter, quos ante indicavi. Ad observationem *quintam* varia congeruntur, quæ non unius sunt commatis, nec ejusdem æstimii. Jugum inprimis, quod fidelibus in die Sabbathi fuit impositum, non potuit non videri impertinens, & antiquorum consuetudini plène contrarium. Hinc etiam non sine causa Episcopum corde durum vocarunt subditi, quos ad hoc onus per vim voluit adigere, & libertate antiqua privare; præsertim si ex numero eorum fuit, qui ad imitationem Pharisæorum, quibus id Christus notanter exprobravit, Leges aliis præscribendo, eas ne minimo quidem adtingunt digito, & dum pauperibus injungunt ex abusu potestatis Carnis privium, ipsimet Curios externa facie simulantes, inter lautitias ciborum & condimenta usque quaque exquisita, pisces que delicatius adparatos, atque hinc non immerito carnibus præferendos vivunt Bacchanalia, curantque cuticulam pro vicibus, qua ratione, annon lex ipsa, multo magis vero finis Jejunii fraudatur, simpliciores etiam poterunt indicare? Grata interim mente suscipiunt Evangelici, qui in hac Quæstione Romanenses Manichæismi accusant, uti supra dictum, quod fatetur Launojus, contra factam ante exprobrationem, hanc hæresin non parum adjuvisse libertatem fidelium antiquorum in custodienda & præservanda die Dominica a lege Jejunii, ne videlicet similis viderentur hæreticis, si hilaritatem hujus diei rigore Jejunii fregissent. Si vero abusus Carnium fecit, ut ex malis moribus bonæ nascerentur Leges; quod porro in hac observatione infertur, ne quid dicam de Piscibus, qui non unius generis & speciei, nec parce nimis adponuntur, quosve apud antiquos præ carnibus in summis habitos fuisse deliciis, post alios ex Authoribus probatis ostendit *Ramirezius* in Spicilegii caoite quadragesimo & tertio; annon potius vini abusus, qui Jejunium non parum dehonestat; inter malos mors debuit referri, ex quo bona loco nasceretur, si ad veterum à Vino abstinentiam fuisset aliquis respectus? De Pietate Episcoporum quoad Jejunii rigorem non est, ut prolixius agatur.

tur. Sit ita, inveniantur aliqui, qui cum maxima Superſtitione obſervant Jejunia, ac alios una ſecum huic rigori ſubjiciant; at certum eſt quoque, plures eſſe, qui modo ſupra dicto & legem & finem Jejunii minime adtendunt. Examinentur miniſtri ſervique ſervorum, qui in Palatiis & Aulis Epiſcoporum verſantur, luculentum præbituri ipſa etiam facie teſtimonium, nihil minus, quam jejunia in iiſdem celebrari, ac merum eſſe luſum non Ingenii, ſed ipſius Praxeos, qua ſimpliciores fraudulenter ſeducunt, palpum ipſis obtrudentes, ac ſi omnia ſerio agerentur. Circa obſervationem *ſextam* Launojus iterum ſuimet oblitus æquivoce nimis & improprie jejunandi voce utitur, ex antiquorum teſtimoniis evincere volens, tum eos jejunaſſe, qui cibis quibuſdam ſunt uſi, quam eos, qui ab omni cibo per integrum diem ad veſperam uſque abſtinuerunt tempore Quadrageſimali, cum id Authorum, qui, nomine & verbotenus adducuntur, mens nunquam fuerit, nec prudenter credendum ſit, Doctores hoſce Eccleſiaſticos, à Simplicitate Apoſtolica nondum adeo procul remotos, tam infantiliter & præter rationem credidiſſe, Jejunium poſſe dici, quando varii adſumuntur cibi, cum Græca præſertim vox, quæ Jejunium deſignat, uti notum eſt Eruditis, omnem à cibo quovis abſtinentiam requirat, ac Latini, quibus à non plane nullo tempore alia jejunandi ratio placuit, non immerito apud Grammaticos tanquam inſignis Etymologiæ abſurditatis rei habeantur, quod vocibus, quæ ipſam rerum proprietatem debent ſignificare, ex Judicii defectu perque errorem omnino intolerandum, notionem adeo paradoxam adfingant, contra omnium antiquorum teſtimonia, quæ, ſi ad lucem Veritatis exponantur, aliud plane docebunt. Videlicet, non idem eſt, dicere vel ſcribere, aliquos tempore Quadrageſimali, quo ſolebat ſingulare jejunium celebrari, his vel illis uſos fuiſſe cibis, ac ſi dicatur vel ſcribatur, illos eo tempore, quo diverſis uſi ſunt cibis, jejunaſſe. De priori res certa eſt, poſterius eſt abſurdum abſurdorum abſurdiſſimum; & qui hoc aliis vult perſuaſum, non tantum laudatis Scriptoribus, à ſingulari acumine Judicii commendatis grandem faciunt injuriam, ſed etiam de illis dextre minus ſentiunt, quos in eundem ſeducere ſtudent errorem, ipſimet gravibus occupati præjudiciis, utut in aliis bene ſatis oculati, quod inprimis de Sorboniſta Launojo verum eſſe, pluribus conſtat documentis. Idem debet notari ad obſervationem *ſeptimam*, quæ eandem fere, nec ſine nauſea recoquit cramben, judicium Philoſophiæ, vel potius ad Theologicæ Moralis provocans, quia hæc res pendeat ex hominum moribus. Bene, ſtemus huic judicio, & certam nobis promittere poterimus victoriam, ſi illud adtendatur, quod omnino debet adtendi, tam Philoſophos, quam Theologos, ubi de Moribus agunt, eos non ita deſcribere, prout vident eos à diverſis diverſimodo formari, qua ratione vix poſſent certis quibuſdam regulis, cum quælibet fere regio peculiares habeat mores, quandoque etiam valde mores & immoratos, qui per longam, etſi malam conſuetudinem adeo invaluerunt, ut juxta proverbialem loquendi modum conſuetudo tandem altera videatur eſſe natura, ſed valde corrupta; verum in definiendis Moribus bonis atque Actionibus Virtutem laude conſpicuis reſpiciunt potiſſimum id, quod vel recta ratio ex dictamine Naturali, vel ipſe Legiſlator ſanctiſſimus in Pandectis utriuſque Teſtamenti præſcribit faciendum, voces, quibus utuntur, non ſibimet ipſis fingentes pro lubitu, aut iis, quos informant, libertatem permittentes, ut promiſcuo ſignificatu iis etiam abutantur, unde non-niſi Barbaris & Babelica confuſio eſſet expectenda, ſed eas à Grammaticis eo cum ſenſu accipientes, quem ipſa ratio Etymologica requirit. Cæterum, non nova, ſed antiqua valde eſt querela, nos vera rerum nomina, vel potius veras atque legitimas eorundem notiones & ſignificatus dudum amiſiſſe, quod ſi ulla in re obtinet, hæc certe de Jejuniis Controverſia illuſtre præbet Exemplum, quando nimirum videri volunt jejunare, qui ultra debitum & ſaturitatem Piſcibus delicatiſſimis aliiſque præter Carnem cibis opipare præparatis & Vino inſuper undiquaque generoſiſſimo Ventrem ita diſtendunt, caput adeo opplent, Senſuſque

lic

Digitized by Google

ſic perturbant, ut neque manus neque pedes facere poſſint officium. Atque hinc eo magis patet abſurditas, præſertim ſi ex propriis jejunatorum hypotheſibus res adcurate examinatur, ſi quis dicat, adcedente etiam Epiſcopali Privilegio, & tempore, quod prætenditur, neceſſitatis, eſum carnis minime legem jejunii violare, ac manere nihilo minus obligationem jejunandi, quo quid abſurdius & magis paradoxum poſſit dici, forte non erit cuivis in promtu. Ut non dicam, fingi non raro neceſſitatem, ac multam intercedere fraudem, ut indulgentia Epiſcoporum ad impetrandum carnis eſum circumducatur, inprimis quando cum iis res eſt, qui alteris Fidei & Religionis inter Romano-Catholicos vivendo, eorumdem moribus jejunandi ſe adcommodare, aut libertatem edendi carnes Medicorum teſtimoniis non ſemper fide dignis adjuti certo quodam pretio impetrare coguntur, Epiſcopis pleriſque, uti teſtantur exempla, non adeo rigidis, ut pro Pecunia non miſericordes ſe præbeant iis, quos nimio amore & deſiderio carnium captos vident, ne quid corpus delicatum & carnibus adſuetum capit detrimenti. Plura hujus generis non adfero, qualia antehac non parce in Vindiciis Anti-Ottonianis ex ipſis Scriptoribus Papæis adduxi, exſcripta præſerim in Lectoris gratiam duplici Epiſtola Aloyſii Lollini, Antiſtitis Bellunenſis de jejunii horum temporum luxu & ſaturitate utraque digniſſima, quæ hæreſin cum adnotationibus quibuſdam recudatur, ut hæc Praxis jejunandi ex ore teſtis domeſtici pluribus innoteſcat, quos nempe procul remotos hæc fraus impia latet utplurimum. Id nunc inſuper prætermittendum non eſt, quod Launojus porro urget in ſpecie de jejuniis Teſtamenti veteris, obſervans nuſquam tradi, quod à carnibus abſtinuerint Judæi ex præſcripto legis, ut nimirum probet, abſtinentiam à carnibus omni jejunio non convenire, id eſt, poſſe jejunium dici etiam abſque carnium abſtinentia. At uſque dum probetur, hoc quoque exemplum pertinere ad negantis argumenti authoritatem, de qua peculiarem ſcripſit Tractatum Launojus, eundem adverſus oblocutorem quendam maſcule defendens, nullibi legitur, Judæos ex præſcripto legis jejunaſſe, ut non ſimul exinde conſtet, eos uti ab alio quovis cibo & potu, ſic etiam à carnibus abſtinuiſſe tamdiu, quamdiu terminus jejunio præfixus duravit, Judæis hodiernum non ita abſurdis, ut velint videri jejunare, quando non ab omni cibo & potu abſtinent. Sic Danielis jejunium quamvis fuerit arbitrarium, ſcilicet quoad temporis circumſtantiam, in eo tamen non dici poteſt fuiſſe arbitrarium, quod abſtinuiſſe legitur Carne & Vino, cum dici non potuiſſet jejunare, niſi abſtinuiſſet. Præterea dum ingruente publica calamitate DEUS præſertim jejunio dicitur placandus eſſe, atque ſic augeatur potius obligatio, ſi ea concedantur, quæ omnem jejunandi rationem proprie ſic dictare tollunt, jejunio non niſi æquivoce ſic dicto manente. Ninivitæ certe poſt Jonæ minas DEI mandato factas Pœnitentiam acturi non ab hoc vel illo tantum cibo leguntur abſtinuiſſe, ſed ab omni plane, ita ut ſimul pecoribus quoque fuerit jejunandum. Quod adtinet abſtemios vel nauſeabundos, apud quos non ſemel adfectata quædam ſimulatio occurrit, ii carnes veſcendo veram jejunii notionem infringere non poſſunt, Græcis in eo errantibus minime, qui jejunare eos negant, quos uti carnibus ſciunt. Et, ſi aliqua regio non niſi carnes habeat, quibus tempore jejunii Quadrageſimalis vita poſſit ſuſtentari, iiſdemque homines uti alias veſcantur, nemo dicet eos jejunare, niſi huic verbo aliam plane adſcribat ſignificationem. Perinde eſt de cætero, ſive Epiſcopus carnium eſum indulgens abſolvat à jejunii lege, ſive non, cum utrobique una cum eſu carnium obligatio jejunandi ſit abſurdiſſima, quod etiam de omni alio cibo & potu ſecundum ante dicta venit intelligendum neceſſario. *Octava* tandem ſuper adhuc eſt obſervatio, ſiſtens Decretum Juſtiniani de carnibus tempore Quadrageſimali edendis, quod ſi nullum fuit, uti contendit Launojus, in nullum quoque hic debet venire cenſum; ſi vero fides adhibenda Scriptoribus, qui illud cum certis quibuſdam circumſtantiis commemorant, præter id, quod propter ſilentium Epiſcopi & Cleri

Con-

Conſtantinopolitani, & vicinorum quoque Epiſcoporum, uti inſuper etiam Romani, populus dicitur Dux Præfectuſque religionis fuiſſe, hoc inprimis videtur adtendendum, quod populus, videlicet non omni ſenſu carens, juſſus ab Imperatore carnes edere, at mandato huic non obtemperans videatur ſenſiſſe, ſe præſcripto jejunii, ad quod ſe putabat obligatum, minime ſatis ex aſſe facturos, ſi eo tempore carnes ederent, quod ex more recepto deſtinatum eſſet jejunio. Verum tædet pigetque plus abſurditatum proferre in medium circa id argumentum, quod nemo prudens non videt componi ad genium humanæ vanitatis, & quidem quod grande paradoxum eſt, ſub prætextu cultus Divini, de quo uti ſerio deliberandum fuiſſet Patribus in Synodo Tridentina conſcriptis, ſi aliqua ab eadem utilitas Eccleſiæ fuit expectanda in hoc etiam capite, quod non minimam, ſed maximam fere partem facit eorum, quæ ad externam Religionis Papiſticæ praxin requiruntur; ita cum ſingulari quadam cum moderatione hac de re locuti ſunt, de quæſtionibus etiam inter ipſoſmet controverſis omnino tacentes, plena poteſtate Epiſcopis conceſſa, officio nullatenus dici poſſunt feciſſe ſatis ex aſſe, dum auditores cujuſvis Epiſcopi arbitrio libere permiſerunt, quos autem variis & diverſis animorum motibus, favore, pecunia vel alio quovis humano reſpectu huc illucque agitari exemplis conſtat pluribus & fere innumeris.

Additio tertia.

QUam ſuppeditat Appendix Launoji *de Cura Eccleſiæ pro ſanctis eorum reliquiis & ſacris ab omni falſitate vindicandis*, quæ ante pluſquam quatuor luſtra de fictitio Lazari, Magdalenæ ac Marthæ in Provinciam appulſu ſcripſit ediditque. Hujus Appendicis ſcopum è Præfatione hunc fuiſſe conſtat, ut tam contemtores impios, uti vocat, quam nimis ſuperſtitioſos Sanctorum quandoque falſorum & reliquiarum non raro ob ſuppoſitionem valde ſuſpectarum, quin inſuper etiam officiorum perſpicue corruptorum cultores ab hiſce extremis duobus populis abducat, inque regiam veri cultus & obſervationis debitæ viam per adducta antiquitatis Eccleſiaſticæ teſtimonia reducat. Bonum omnino factum, ſi ad hunc ſcopum unice fuit reſpectus, & media ad eum ducentia videri poſſunt omni ex parte adæquata. Inſtituti præſentis non eſt, hoc prolixius examinare, ſed tantum prævia perbrevi Launojanæ diſſertationis evolutione Lectori veritatis ſtudioſo ad adcuratam ponderationem proponere, num in hac etiam Materia, quæ itidem non parvam ſed valde magnam cultus Divini in Eccleſia Romana partem facit, Patres Synodi Tridentinæ id præſtiterint utilitatis, quod orbis vere Chriſtianus & Evangelicus ab ipſis expectavit, quodve tot piorum ſuſpiria deſideraverunt? Ipſam Sanctorum venerationem quod adtinet, Launojus conſilio non malo in medium produxit authoritatem Synodi Laodicenæ, exemplum Martini Turonenſis, Decreta Synodi cujuſdam Carthaginenſis, item Romanæ ſub Pontifice Gelaſio, præſertim vero Francofordienſis, atque hinc etiam Caroli Imperatoris nomine & revera Magni, Pontificis cujuſdam anonymi, cujus Statutum legitur in Decretalibus, ſententiam Guiberti Abbatis, Bielis, Melchioris Cani, Correctorum inſuper Martyrologii Romani, uti & Pontificum quorundam Romanorum, qui mentem ſuam de Sanctorum Canonizatione ita declararunt, ut videri voluerint ſibi ſingulariter caviſſe, ne chimerici vel utopici pro veris hoc honore adficerentur Sancti. Eandem de Reliquiis eorum fuiſſe curam, ſecundo hujus Appendicis capite oſtendit Launojus teſtimoniis Gregorii Turonenſis, Amulonis Epiſcopi Lugdunenſis, Guiberti Abbatis, Innocentii Pontificis hoc nomine tertii, Concilii Lateranenſis, Honorii itidem tertii, Gregorii noni, Clementis quarti, Synodi ipſius Tridentinæ, Caroli Borromæi, Synodi Aquenſis, Toloſanæ, Narbonenſis, quæ omnia ſingularem præ ſe ferunt ſollicitudinem, ne ſub Reliquiis Sanctorum dubia vel in-

Digitized by Google

incerta ſupponantur ad cultum. Nec minorem multo circumſpectionem adhibitam fuiſſe circa librorum, quibus Divinum, uti vocatur, officium deſcribitur, correctionem capite tertio voluit oſtendere, laudatis in hanc rem ex antiquitate Eccleſiaſtica documentis pluribus, nimirum Synodi Milevitanæ, Auguſtini, Vigilii Pontificis, Gregorii M. Synodi Trullanæ, uti & Romanæ ſub Zacharia Pontifice, præſertim Francofordienſis, Agobardi item Lugdunenſis, Petri Lugdunenſis, Petri Damiani, Nicolai Sueſſionenſis, Guiberti Abbatis, Synodi Meldenſis, Senonenſis, Colonienſis, Guilielmi Lindani, Colloquii Poiſſiacenſi, Synodi iterum Tridentinæ, Remenſis, Ebruicenſis, Rothomagenſis, Burdegalenſis, Turonenſis, Bituricenſis, Narbonenſis, Johannis quoque Gerſonis &c. quorum omne ſtudium in hoc fuiſſe poſitum videtur, ne in Vitis & Legendis Sanctorum falſa pro veris obtrudantur Eccleſiæ miracula, ac talia fidelium oculis & auribus exhibeantur, quæ ulla ratione ſunt ſuſpecta, atque ſic fide indigna. His ſubjungit ad majorem hujus rei illuſtrationem aliquot Corollaria, inter quæ primum repellit calumniam ſuperſtitioſorum, de quibus conqueritur, quod plus fidei adhibeant in narratione Memorabilium factorum Polybio, Scriptori Ethnico, quam vel Gregorio Turonenſi, vel Borromæo Mediolanenſi Epiſcopis. Secundum docet, eos peccare graviter, qui libris Eccleſiaſticis commenta inſerunt, Sanctorum hiſtorias ſtudio tractantes præpoſtero, falſa veris immiſcentes, ſuperſtitionem inducentes, ideoque diris jure devovendi, cum inter Chriſtianos nulla peſtis capitalior ſit hoc hominum genere, qui inter verum & falſum nihil diſcriminis conſtituere didicerunt, quin imo Chriſtianorum nomine dignos vix eſſe cenſendos, qui hac ratione religionem Chriſtianorum impiis propinent deridendam. Tertium oſtendit, ſimiliter eos peccare, qui impediunt, ne commenta libris Eccleſiaſticis illata tollantur, ſed quod diabolicæ calliditatis opus eſt, (ita ſcribit expreſſe Launojus) ne quod pium ac ſanctum judicat Eccleſia, præſtetur, ipſam prætexunt Pietatem, eam ſcilicet, ſi talis correctio ſuſcipiatur, lædi, cultum imminui Divinum, Sanctos è Cœlo deturbari, reliquias eorum ſperni, ipſam quoque ſubverti religionem, omnia tandem ſurſque deque haberi. Quartum è teſtimoniis ante productis methodum præſcribit corrigendi libros. Quintum addit hoc contra impoſtores conſilium à laudatis Authoribus hac in re obſervatum. Nam quo tempore Damianus aliique ſcripſerunt vitas quorundam Sanctorum, alii tunc fuere, qui confectam dudum Hiſtoriam veterum Sanctorum reconcinnaverunt, multis eam iiſque falſis partibus augentes. Hoc vero cum viri cordati intelligerent, quibus potuerunt modis, adverſus iſtos impoſtores ſibi præcavendum eſſe duxerunt; quin etiam ſignificarunt, non ſine quadam judicii acrimonia legendam eſſe veterum Sanctorum Hiſtoriam, qua tunc ab hominibus vel credulis vel corruptis fuit inſtaurata. Quare mirum non eſt; ſi Synodus Tridentina aliæque eam ſequentes ſtatuerunt, corrigenda eſſe Breviaria & Martyrologia, in quæ multa & Pietati & Veritati haud conſentanea irrepſerant. Sextum agit contra heterodoxos, quos vocat, in quo Launojus de eo ſollicitus eſt quam maxime, ne ii ullam habeant de Eccleſia conquerendi cauſam. Qui enim ſcribit, ſeorſim à nobis per religionem ſentiunt, ſi rem ex ſeipſa & ſublatis partium ſtudiis conſiderent, habent profecto, quod Eccleſiam laudent Catholicam, vel ſaltem non habent, quod illam adeuſent, aut certe dicant, ἰδιοσυγκρασίαν ab illa foveri; ſiquidem ea per varias ætates identidem ſtatuit, ut Martyres vel Confeſſores falſi tollantur, iis cultus denegetur omnis, abſurdæ de iis vel incertæ Hiſtoriæ ex officiis Divinis expungantur, Codices ſacrorum Rituum emendentur, ac omnia ad Veritatem Hiſtoricam componantur. Si vero hoc non ſemper perficiatur, id præter Eccleſiæ mentem & intentionem contingit, atque eum damnatur ab heterodoxis, id damnatur, quod ante damnandum cenſuit Eccleſia. Privatorum hæc culpa eſt, qui nunc ſimplicitate, nunc ignorantia, nunc cupiditate ducuntur. Sed culpa hæc in Eccleſiam ab æquis rerum æſtimatoribus nunquam transferretur. Hæc autem cum ita ſit, inter (Romano-)Catholicos & heterodoxos nulla debet eſſe ſuper hac re diſſenſio aut

diſſenſionis occaſio. *Sit Launojus*, qui an verenda Matris juſto texerit pallio, judicat Lector æquus, cui etiam non eſſe poterit incompertum, quæ ex *Melchiore Cano*, alias etiam non incognita, adduxit, primo ſatis ex aſſe facere Corollario Cæterum, ſi Eccleſia in hoc capite, quod non modo objectum cultus Sanctorum, ſed ipſum quoque modum colendi reſpicit, quo omnino videtur idololatricus, aliquam à Synodo Tridentina percepiſſet utilitatem, neceſſariam videns abuſus intolerabilis emendationem, non opus fuiſſet tot ſuperinde *Gravaminibus*, quæ apud ipſos Eccleſiæ Romano-Catholicæ filios hic & ibi leguntur, ac poſt alios plures non ita pridem repetiit, qui *ſincerus & diſcretus* videri vult Catholicus, quem ſecutus eſt Author *Monitorum ſalutarium Virginis Mariæ ad ſuos cultores indiſcretos*, ab Epiſcopo Tornacenſi in Epiſtola Paſtorali ad fideles, ac aliis pluribus egregie commendatus; quibus tollendis in legitimum invenerit medium *Epiſcopus Condomienſis*, in nova Doctrinæ (Romano-) Catholicæ uti vocat, Expoſitione, eorum erit exponere, quos negotium hoc proprius tangit, nobis nunc manum ab hac tabula detrahentibus.

Bellarminus *ibid. c.* 12. & 13.

AGit prolixe ſatis de *Quæſtione, cujus ſit Concilia congregare, id eſt, de cauſa Conciliorum efficiente.*

Launojus *T.* VI. *Epiſt.* 10.

HÆc duo capita breviter in genere ſic examinat, ſcribens: Bellarminus de Conciliorum generalium indictione & convocatione ita diſputat, ut, quamvis manifeſte conſtet, Concilium inprimis Tridentinum à Pontifice Romano indictum & congregatum eſſe, adfirmari tamen poſſit, ab Imperatore & Principibus Chriſtianis indictum & congregatum eſſe. Res ita ſe habet: Author hic capite priori docet, *eſſe revera Pontificis, non Imperatoris, congregare Synodum generalem*; capite autem poſteriori, ut diluat argumenta huic adſertioni contraria, hoc ſibi ſumit, ut ſcribat, *nullum eſſe Concilium generale Catholicum à ſolo Imperatore indictum, id eſt, ſine conſenſu & authoritate Pontificis Romani*, cum ſub initium capitis prioris ſcripſerit, *Satis eſſe, ſi Concilii indictionem ab Imperatore factam Romanus Antiſtes poſtea ratam habeat atque confirmet.* Quo ſic conſtituto in opinione Bellarmini Pontifices Romani cenſentur Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Calchedonenſe Concilium indixiſſe & coegiſſe, quia Imperatores hæc Concilia quatuor non ſine conſenſu Pontificum Romanorum indixerunt & coegerunt, ac Pontifices Romani eorum Indictionem ab Imperatoribus factam habuerunt ratam atque confirmarunt! Quis nunc Bellarminianum diſputandi modum ſecutus non diceret, Concilium Tridentinum ab Imperatore & Principibus Chriſtianis indictum & convocatum eſſe, quia Pontifex Romanus hoc Concilium abſque Imperatoris & Principum Chriſtianorum conſenſu nec indixit, nec convocavit, & Imperator ac Principes Chriſtianis hujus Concilii indictionem à Pontifice Romano factam habuerunt ratam atque confirmarunt. Proſpicio quidem, illum, qui hoc diceret, etiamſi verum diceret, eruditorum & cordatorum hominum ludibrio expoſitum iri, ſed cauſa hujus ludibrii non poteſt non in Bellarminum transferri. Bellarminus ergo ridebitur, quod ea ſibi ſumat Lemmata, quibus, quod ædificare contendit, funditus evertitur. Equidem, ſi ſolus rideretur Bellarminus, ferri quidem hoc utcunque poſſet; ſed in Bellarmino plerique omnes Catholici Scriptores ridentur ab hæreticis, quippe qui Veritatem ſuis non quærant Legibus, & in tractando com-

Digitized by Google

communes parent locos, qui omni materiæ, ac proinde nulli conveniant. Profecto, longe ſatius eſſet, dicere id, quod res eſt, nempe, Concilia, quæ authoritate Principum indicta & coacta ſunt, authoritate Principum indicta & coacta eſſe, quæ tali modo, qui ridiculos efficiat Scriptores, diſputare, ac univerſales ponere aſſertiones, quæ vera uniuſcujuſvis Concilii diſciplina & Traditione certa nequeunt comprobari. Certe, hanc Quæſtionem non ita tractabit, qui ſe ad Gelaſium Papam hujus nominis primum recipiet, & ab eo tractandi legem de convocatione Synodorum generalium mutuabitur, qui in Epiſtola poſt decimam tertia ad Epiſcopos Dardaniæ, quæ & qualis ſit bene geſta Synodus, exponit, & quidem ad mentem & Traditionem Sedis ſuæ, aſt de convocatione & indictione nullum facit verbum, ratus, convocandi vel indicendi Concilii actum ad veram propriam bene geſtæ Synodi notionem non pertinere. Nimirum, quinque ſunt res apud Gelaſium, quibus bene geſta Synodus circumſcribitur, videlicet, Scriptura Sancta, Traditio Patrum, Regulæ Eccleſiaſticæ, conſenſus Eccleſiæ univerſæ, & adprobatio Sedis Apoſtolicæ. At, Scripturæ ſanctæ de convocatione & indictione Synodorum nihil præſtituunt. Traditio Patrum ſilet, &, ſi quando loquitur, in gratiam Pontificum loquitur, ut de Hieronymo, Auguſtino, Leone Papa, & quibuſdam aliis Patribus licet obſervare. Regulæ Eccleſiaſticæ nihil definiunt, ſiquidem Canonum Eccleſiaſticorum Codex Dionyſii, Codex quoque Canonum Eccleſiæ univerſæ, uti & Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ nullam continent Regulam, quæ convocandarum & indicendarum Synodorum generalium jus cuiquam aſſerat, & peculiariter reſervet. Tandem Conſenſus Eccleſiæ univerſæ & comprobatio Sedis Apoſtolicæ ad rerum potius definitionem, quam ad indictionem & convocationem Synodorum pertinent. His adcedunt principia numero tria, quibus tum ad aſſerendam Legibus optimis Veritatem, quam ad amoliendam omnem invidiam uti par eſt. *Primum* eſt Fidei Tridentinæ formula, quæ jubet Scripturam ſacram juxta tum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admittere, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipere & interpretari. At nullus eſt Scripturæ ſacræ locus, qui juxta unanimem conſenſum Patrum acceptus Synodorum generalium convocationem uti Romano Pontifici adtribuat. Et quia Launojus quoad priſtinam Eccleſiæ Traditionem, quæ Principio huic ſuppetias veniat, ad antecedentes in hac parte ſexta provocat Epiſtolas, non pauca exinde producentur in ſequentibus proxime, ubi ad ſpeciem erit deventum adque examen eorum, quæ Bellarminus circa pleroſumque Conciliorum generalium convocationem ex ſuæ mentis ſenſu protulit. *Secundum* eſt Sedis Apoſtolicæ Legatorum apud Synodum Tridentinam interlocutio, qua, ne Synodi Actis formula, Sacroſancta Synodus Tridentina univerſalem Eccleſiam repræſentans, inferretur, obſtiterunt, ob cauſam, quia hæc formula nec in Canonibus ſacris, nec in Conciliis veteribus habeatur. At, nec Canones ſacri, nec Concilia veterum uni Romano Pontifici Conciliorum indictionem vindicant. Porro, de mota ſuper hanc formulam controverſia Paulus Petrus Suavis & Forza Pallavicinus inter ſe conveniunt; & quia conveniunt, rem ita eveniſſe credendum eſt. Et ſane, vix ulla reperiri potuit occaſio, in qua Sedis Apoſtolicæ Legati majus ſtudium Antiquitatis Eccleſiaſticæ oſtenderent. Noverant omnino, Concilia quatuor, Piſanum, Conſtantienſe, Baſileenſe & Lauſanenſe, atque tres Romanos Pontifices, Martinum quintum, Eugenium quartum & Leonem decimum uſu ſuo hanc formulam conſecraſſe. Martinum quidem in Diplomate, quod recipiendorum in Eccleſiam hæreticorum modus præſcribitur; Eugenium vero in Epiſtola ad Fridericum Imperatorem, Leonem denique in Concilii Lateranenſis Seſſionem poſt decimam primam. Igitur Legati, quamquam hæc omnia tenerent probe, iis tamen procul abjectis, quæ à Martino revocantur ad Fidei profeſſionem, receperunt ſeſe ad Canones antiquos & Concilia, ut impedirent, quo

minus in Concilii Tridentini Seſſionibus hæc formula, Synodus ſeu Concilium Eccleſiam univerſalem repræſentans, adhiberetur. Sic poſt illuſtrem hanc animi adeo ſinceri teſtificationem in uſu hujus Principii timendum eſt nihil, ac optimi Eccleſiæ Romanæ defenſores ad hoc non adcurrent modo, ſed etiam advolabunt, recentia Magiſtrorum curialium placita ſubverſuri. Hoc, ut pie credi poteſt, ibit in exemplum. *Tertium* eſt Synodi Florentinæ definitio de Sede Apoſtolica & Pontifice Romano, in qua Provocatio eſt facta ad modum, qui in Actis Synodorum œcumenicarum & Canonibus ſacris contineatur. At, in Canonibus ſacris & in Actis Synodorum œcumenicarum de convocandarum Synodorum generalium jure nihil traditur vel legitur, quod ad Pontificem Romanum jure privato ſpectet. Quin etiam in Actis earum legitur, indictas & convocatas eſſe eas ab Imperatoribus, tantum abeſt, ut legatur, iudictas & convocatos eſſe eas à Pontificibus Romanis.

Bellarminus *ibid.*

UT theſin ſuam de poteſtate convocandi Concilia, videlicet univerſalia, Pontifice Romano debita confirmet, ad tria Leonis M. provocat teſtimonia.

Launojus T. *eod. Epiſt.* 4. *p.* 195. *& ſeq.*

HÆc Leonis teſtimonia ſequenti ſubjicit cenſuræ: *Primum* eſt ex Sermone tertio in anniverſario die adſumtionis ſuæ ad Pontificatum habito deſumtum, quod ſic habet: De toto Mundo unus elegitur Petrus, qui & univerſarum gentium vocationi & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Patribus Eccleſiæ præponatur, ut quamvis in populo DEI ſint Sacerdotes multi, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Ex hoc teſtimonio Bellarminus ſic diſputat: Quis non videt, ovine conveniat Paſtores congregare, an Paſtori potius oves? Igitur, cum Pontifex ſit Paſtor, Imperator autem ovis, non ad Imperatorem, ſed Pontificem ſpectabit munus Epiſcopalia convocandi Concilia. Launojus reſpondet, hoc argumenti genus Leoni Papæ contumelioſum eſt, nam eo probaretur, Leonem neſciviſſe, quod ſcriberet, cum Imperatores Theodoſium & Martianum ſuis in Epiſtolis toties rogat & obteſtatur, ut generalia indicere & congregare velint Concilia. Nimirum, abdicat ſe Paſtoris munere, & illud transfert in Imperatores, atque in ovium numero ſe, Imperatores autem in Paſtorum ordine conſtituit. Sic Bellarminus, ut placitis inſerviat ſuis, Leonem Papam miſerabiliter traducit, quippe qui inter Paſtoris & ovis officium diſtinguere non potuerit, ac ovem pro Paſtore habuerit, & verſa vice. Quis, niſi Sedis Apoſtolicæ hoſtis Bellarminum æquo ferat animo? Præterea, Bellarminus capite poſteriori argumentum hocce ſuum ut invalidum ipſe edidit, ſcribens; Prima Concilia, videlicet generalia, ab Imperatoribus indicta fuiſſe, ſed ex Pontificum ſententia atque conſenſu. Nimirum, oves ex Paſtorum ſententia & conſenſu ipſos congregarunt Paſtores, eorum Concilia indixerunt & convocarunt. Propoſitionem hanc quis non rideat? Tum, ſi oves ex ſententia & conſenſu Paſtorum eos congregant, cur Paſtores relictis ovibus ſeſe non congregant & coeunt in Concilium? Sic ille circuitus omitteretur, qui neſcio quid animis & auribus importat. Hæc ad hominem dicta ſunt, nam ad teſtimonium Leonis Papæ aliter reſpondendum eſt. *Et* primo quidem, in eo nullam fieri mentionem de congregandis à Pontifice Romano Conciliis, ac proinde ad ea male detorqueri, cum præſertim Leo ſuper ea re ſuis in Epiſtolis tam clare pronuntiet. Deinde, non definit Pontifex Eccleſiam regere, tametſi

Digitized by Google

metsi non ipse, sed Imperator Concilium generale indicat & convocat; quis enim auderet adfirmare, Leonem non rexisse Ecclesiam, quamvis nec Ephesinam Synodum alteram, nec Calchedonensem indixerit & cœperit? *Secundum* est ex Sermone primo de Petro & Paulo: Roma per sacram B. Petri Sedem caput orbis effecta latius præsidet Religione Divina, quam dominatione terrena. Nunc autem Imperator vix unius Provinciæ Episcopos ad Concilium posset cogere, subjungit Bellarminus; nec enim Itali, Hispani, Galli subjiciuntur Imperatori, sed habent proprios Reges suos vel Principes temporales. Quid si nullus esset Imperator, imo etiam nullus Princeps Christianus, num ideo Concilia non possent fieri? Sed, quæ Launoii est censere, Bellarminus testimonium Leonis ab illius tempore, quo Imperator non unam tantum regebat Provinciam, ad hocce tempus, quo præter Imperatorem plures sunt in Occidente supremi Principes, deflectit. Nonne hæc est Sophistica ratio disputandi? Deinde, ad hypotheses metaphysicas, quas fingit Bellarminum, testimonium hoc Leonis quid pertinet? Itane scripsit Leo, ut pertineret? Bellarminus videlicet in Leone intelligendo aut decipitur, aut vult decipere. Nam in Leonis testimonio ne unus quidem apex est de Synodorum convocatione. Aliud est, probare, cujus sit, Ecclesiæ præsidere; aliud, cujus sit, congregare Concilia. Silvester primus Ecclesiæ præfuit Romanæ, nec tamen Synodum convocavit Nicenam. Damasus idem præfuit, nec tamen indixit Constantinopolitanam. Cœlestinus itidem præfuit, nec tamen coegit Ephesinam priorem. Leo quoque præfuit, nec tamen congregavit, Ephesinam posteriorem, nec Calchedonensem. *Tertium* est ex Epistolæ post nonagesimam tertiæ ad Turribium capite decimo & septimo: Dedimus literas ad Fratres nostros & Coepiscopos, iisque Concilium Synodi generalis indiximus. Launojus, postquam hoc testimonium textu pleniori retulit, id inprimis de eo observavit contra Bellarminum, non agi in eo de Synodo generali, qualis fuit Ephesinæ vel Calchedonensis, verum de tali, quæ solo ambitu Hispaniarum contineretur. Istud ne liqueret, Bellarminus testimonium Leonis truncavit, ea præsertim omittens verba, quibus sublatis de Synodo generali, cujusmodi fuerat Nicena, Leo sermonem habere Lectoribus incautis videtur. Sed adhuc frustra, quis enim unquam Synodos Oecumenicas quinque numeravit Leonis tempore, uti deberent numerari, si hæc ipsa, de qua Leo scribit, inter vere œcumenicas veniret adcensenda? Sed Baronius, qui rem tractat sincerius, ad Annum Seculi quinti quadragesimum & septimum scribit, generalem universæ Hispaniæ Synodum à Leone indictam esse. Porro autem, si quis integrum Leonis testimonium inspiciat penitius, reperiet, Leonem non tam indixisse Concilium, quomodo hac in materia loquendum est, quam Turraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallicos monuisse per Turribium, ut ipsi Synodum facerent generalem. Nam si Leo in sensu Bellarmini Concilium indixisset generale, designasset locum, in quo celebraretur, deinde misisset Legatos, qui Concilio præfuissent. At Leo neutrum fecit. Quod si Bellarminus animadvertisset, Leonis testimonio abusus non esset, neque perspicuas in præteritis reliquisset tanti Pontificis authoritates, quibus decisam esse Quæstionem infra docebitur. Utinam vero Bellarminus sapere, uti sapiendum esse Tractatoribus Catholicis monet Facundus Hermianensis libri noni capite decimo. Dolenter hoc observo, scribit porro Launojus, sed veritas cogit, ut observem, quæ & Bellarmino & ejus offuciis & tergiversationibus est præferenda. Nimirum complures Leonis Epistolas, in quibus de indicenda vel indicta per Imperatoris authoritatem Synodo palam, aperte & frequenter loquitur, omittit, ut ad ea divertat testimonia, in quibus ne nullum quidem verbum de indicenda vel indicta Synodo adparet, ex quibus insuper nihil, nisi per miserabilem accidentis fallaciam concluditur, atque in conclusione distribuitur, quod in argumento vel ejus præmissis non distribuitur. Dialecticæ tyrones id vident, atque in Viro tanto lamentantur.

Digitized by Google

Bellarminus *ibid.*

PORRO Conciliorum generalium indictionem Pontifici Romano adſcripturus, hoc utitur Syllogiſmo: Concilia Provincialia judicuntur à Metropolitano, & Nationalia à Primate vel Patriarcha, etiam teſtimonio adverſariorum. Igitur Concilia quoque generalia non ab Imperatore, ſed à Pontifice ſummo ſunt indicenda. Nam ſi Imperator indicere deberet Concilia generalia, deberet Rex, aut Dux, aut Magiſtratus civilis indicere Concilia Provincialia vel nationalia. Ut enim ſe habet Imperator orbis terrarum ad Concilium generale, ita ſe habet Rex aut Dux unius Provinciæ ad Concilium illius Provinciæ vel Nationis.

Launojus *T. eod. Epiſt. 5. p. 201. & ſeq.*

POſtquam de priore hujus Syllogiſmi parte cenſuit, Bellarminum ibi Hiſtoriæ leges negligere, porro obſervavit, eſſe hunc Syllogiſmum pſeudographum ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ principiis perperam intellectis profectum, addens, eum adverſarios urgere volentem ipſis ſuppeditare argumentum, videlicet Eccleſiaſtica Traditione munitis, atque hinc contendentibus, Concilia Provincialia eſſe indicanda à Rege à Duce, aut civili quovis Magiſtratu, quia generalia ab Imperatoribus indicta & coacta fuiſſe ex ipſiſmet Conciliis & Authoribus æqualibus vel tempore proximis conſtat liquido. Præterea, Bellarmini argumentum, quia nimis probat, nihil probat omnino; ſiquidem probaret, & generalia & provincialium ſeu Regionalia, quæ Principum Chriſtianorum juſſu ſunt indicta & coacta, contra rationem indicta & coacta eſſe. Quis autem tale argumentum patienter ſuſtineret?

Bellarminus *ibid.*

HANC Theſin plus ultra confirmaturus, eam probari etiam putat ex illo Canone antiquiſſimo, quo ſtatuitur, præter ſententiam Pontificis Romani Concilia non poſſe celebrari. Hunc enim, inquit, Canonem eſſe Apoſtolicum ſcribit Marcellus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Provinciæ Antiochenæ. Eundem renovavit Concilium primum, uti teſtatur Synodus Alexandrina in Epiſtola ad Felicem, & Julius Papa primus in Epiſtola ad Epiſcopos Orientales, cujus meminerunt Socrates, Sozomenus & Nicephorus. Si ergo ſine Pontificis Romani conſenſu non licet celebrare Concilia, ſequitur, ejus potiſſimum eſſe, illa convocare.

Launojus *T. eod. Epiſt.* 11.

DE hoc Canone agit prolixe ſatis atque poſt adducta Socratis & Sozomeni teſtimonia obſervat, eos profiteri, quod à Julio acceperint. Et cum hujus quoque verba Lectori ſtitit, notanter addidit, Socratis & Sozomeni teſtimonia eſſe expreſſiora, quam quæ Julius ſcripſit. Pergit in Cenſura, dicens, Canonem, quem Julius laudat, debuiſſe conditum eſſe poſt tempus, quo Paulus Samoſatenſis à Concilio Antiocheno damnatus & Sede pulſus eſt. Dionyſius quippe Pontifex Romanus ad id vocatus non eſt, & Samoſatenus abſque illius ſententia damnatus eſt, & damnationis Acta tunc caſſa & irrita fuiſſe nemo unquam prodidit literis. Dionyſius inſuper non ante ſcivit damnatum eſſe

Digitized by Google

Stone, and Saul kept the raiment of them that slew him. And they stoned Stephen, calling upon God, and saying, Lord Jesus, receive my spirit. And he kneeled down, and cried with a loud voice, Lord, lay not this sin to their charge. And when he had said this, he fell asleep. And Saul was consenting unto his death. And at that time there was a great persecution against the Church which was at Jerusalem: and they were all scattered abroad throughout the regions of Judea and Samaria, except the Apostles. And devout men carried Stephen to his burial, and made great lamentation over him. As for Saul, he made havock of the Church, entering into every house, and haling men and women, committed them to prison. Therefore they that were scattered abroad went every where preaching the word. Then Philip went down to the city of Samaria, and preached Christ unto them. And the people with one accord gave heed unto those things which Philip spake, hearing and seeing the miracles which he did. For unclean spirits, crying with loud voice, came out of many that were possessed with them: and many taken with palsies, and that were lame, were healed. And there was great joy in that city. But there was a certain man called Simon, which before time in the same city used sorcery, and bewitched the people of Samaria, giving out that himself was some great one: to whom they all gave heed, from the least to the greatest, saying, This man is the great power of God. And to him they had regard, because that of long time he had bewitched them with sorceries. But when they believed Philip preaching the things concerning the kingdom of God, and the name of Jesus Christ, they were baptized, both men and women. Then Simon himself believed also: and when he was baptized, he continued with Philip, and wondered, beholding the miracles and great signs which were done. Now when the Apostles which were at Jerusalem heard that Samaria had received the word of God, they sent unto them Peter and John: who when they were come down, prayed for them, that they might receive the Holy Ghost: (for as yet he was fallen upon none of them, only they were baptized in the name of the Lord Jesus.) Then laid they their hands on them, and they received the Holy Ghost. And when Simon saw that through laying on of the Apostles hands the Holy Ghost was given, he offered them money, saying, Give me also this power, that on whomsoever I lay hands, he may receive the Holy Ghost. But Peter said unto him, Thy money perish with thee, because thou thinkest that the gift of God may be purchased with money. Thou hast neither part nor fellowship in this matter: for thy heart is not right in the sight of God. Repent therefore of this thy wickedness, and pray God, if perhaps the thought of thine heart may be forgiven thee. For I perceive that thou art in the gall of bitterness, and in the bond of iniquity. Then answered Simon, and said, Pray ye to the Lord for me, that none of these things which ye have spoken come upon me. And they, when they had testified and preached the word of the Lord, returned to Jerusalem, and preached the Gospel in many villages of the Samaritans. And the Angel of the Lord spake unto Philip, saying, Arise, and go toward the south, unto the way that goeth down from Jerusalem unto Gaza, which is desert. And he arose and went: and behold, a man of Ethiopia, an eunuch of great authority under Candace queen of the Ethiopians, who had the charge of all her treasure, and had come to Jerusalem for to worship, returned, and sitting in his chariot read Esaias the Prophet. Then the Spirit said unto Philip, Go near, and join thyself to this chariot. And Philip ran thither to him, and heard him read the Prophet Esaias, and said, Understandest thou what thou readest? And he said, How can I, except some man should guide me? And he desired Philip that he would come up and sit with him. The place of the Scripture which he read was this, He was led as a sheep to the slaughter, and like a lamb dumb before his shearer, so opened he not his mouth. In his humiliation his judgment was taken away: and who shall declare his generation? for his life is taken from the earth. And the eunuch answered Philip, and said, I pray thee, of whom speaketh the Prophet this? of himself, or of some other man? Then Philip opened his mouth, and began at the same Scripture, and preached unto him Jesus. And as they went on their way, they came unto a certain water: and the eunuch said, See, here is water, what doth let me to be baptized? And Philip said, If thou believest with all thine heart, thou mayest. And he answered and said, I believe that Jesus Christ is the Son of God. And he commanded the chariot to stand still: and they went down both into the water, both Philip and the eunuch, and he baptized him. And when they were come up out of the water, the Spirit of the Lord caught away Philip, that the eunuch saw him no more: and he went on his way rejoicing. But Philip was found at Azotus: and passing through, he preached in all the cities, till he came to Cesarea.

to ; nam una Quæſtio per aliam minime ſolvitur. Calvini tamen Reſponſum ſic refellit Bellarminus : *Si ita eſſet, tunc etiam potuiſſet fieri Canon, ne præter conſenſum Epiſcopi Alexandrini vel Antiocheni cogeretur Concilium.* Quid inde ſequitur, addit Launojus, niſi quod debuiſſet ſervari talis Canon, ſi talis ab Eccleſia conditus fuiſſet in Concilio quodam ? Magdeburgenſes dicunt, verba Socratis non ſignificare, præter Romani Pontificis Sententiam non debere Concilia celebrari, ſed non debere Eccleſias dedicari, quia habetur Græce, κυριεῦσαι τὰς ἐκκλησίας. At Bellarminus iſtos perſpicue falli demonſtrat ex ſubjecta materia, quæ interpretationem iſtiuſmodi non admittit. Perverſa eſt quidem Magdeburgenſium, ſed non melior Bellarmini interpretatio, cum verba Julii transfert ad convocationem Conciliorum, qui pertinent ad Pontificem Romanum. Nimirùm, quidlibet non fit ex quolibet, & ſua conſtat unicuique rei veritas ; quæ à malignis interpretibus poteſt quidem obſcurari, ſed non omnino everti. Patet hinc, incelebratum olim fuiſſe hunc Canonem, quem hodie multi celebrem eſſe putant ; & quamvis incelebratus non fuiſſet, eum tamen non eo pertinere, quo plerique volunt traditione Sedis Apoſtolicæ deſtituti.

Bellarminus *ibid.*

ADhuc in eodem argumento occupatus produxit inter alia quoque ex Epiſtola Pelagii hoc nomine Pontificis ſecundi ad Orientales hæc verba : Generalium Synodorum convocandi authoritas Sedi B. Petri Privilegio ſingulari tradita eſt.

Launojus *T. eod. Epiſt. 5 p. 193. & ſeq.*

AD hæc Verba reſpondet varie : Primo, inquit, ſi vera eſt hæc Epiſtola, & non ſuppoſititia, cur Bellarminus Juſtinianum de uſurpato Sedis Apoſtolicæ Privilegio in convocanda Synodo quinta non adcuſat, & cur Privilegii hujus ignorati non inſimulat Liberium, qui ab Imperatore Conſtantio multis precibus in Epiſtola ad eum ſcripta Concilium impetrare ſtuduit, teſtatus ſimul, ſe morem ordinemque Majorum eſſe ſecutum, & nihil Epiſcopatum Urbis Romæ addi vel minui paſſum ? Si enim, quæ Bellarminus refert ex Pelagio, ulla niterentur veritate, Liberius Epiſcopatum Urbis minui revera paſſus fuiſſet, cum ipſe non fecerit, quod ab Imperatore fieri poſtulavit. At, nemo credat, paſſum unquam eſſe Liberium, ut Urbis Epiſcopatus hac in parte minueretur. Præterea, cum Bellarminus ignorati hujus Privilegii non etiam inſimulat Leonem, qui tot in Epiſtolis tam ſuppliciter rogat Imperatores, nunc Theodoſium, ut Epheſinam Synodum alteram, nunc Marcianum & Pulcheriam, ut Calchedonenſem velint congregare ? Quaſi vero Pontifex ille, dignitatum Sedis Apoſtolicæ retinentiſſimus non vindicaſſet tale Privilegium, ſi quod à Petro per Traditionem accepiſſet, quod fieri potuiſſet facile, cum apud Theodoſium, Marcianum & Pulcheriam gratia valeret quamplurima. Tum Bellarminus opinor Synodum Nicenam non coarguet, quod contra Sedis Apoſtolicæ Privilegium ſe Imperatoris mandato ſcribit eſſe congregatam. In ſummam, ſi vera eſſet Epiſtola Pelagii, negligentiæ damnandi eſſent Vigilius, Leo, Cœleſtinus, Damaſus, Julius, Silveſter, quod celebratas ſuis temporibus Synodos Oecumenicas non indixiſſent, quod ſingulare Petri Privilegium non vindicaſſent, quod inſigni quadam incuria ac exemplo plane peſſimo permiſiſſent, ut Imperatores in Petri & Sedis Apoſtolicæ prærogativam involarent. Verum & hinc perſpicua falſitatis nota eſt in eo, quod à Pelagio, vel ſub ejus nomine, in hac Epiſtola dicitur Johannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus generalem convocaſſe Synodum ; nam Gregorius Pelagii ſucceſſor ſcribit quidem, eum habuiſſe Synodum, ſed eam fuiſſe genera-

Digitized by Google

neralem ſcribit minime. Atque ſic non Pelagius, ſed alius videtur Epiſtolæ hujus author eſſe. Inſuper, Epiſtola hæc omnino abhorret à ſtylo Pelagii, & Anno Domini conſignatur, qui modus conſignandi tum in uſu nondum erat, qua re ſeipſum detexit impoſtor. Hic tamen certa ſunt duo, unum eſt, Pelagium hunc ſcripſiſſe ad Johannem Conſtantinopolitanum, & adſumtum ab eo Epiſcopi univerſalis ſeu Patriarchæ nomen graviter improbaſſe, quod teſtatur ejus Succeſſor Gregorius M. libri quarti Epiſtola poſt trigeſimam ſexta ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtatium Antiocheuum Epiſcopos. Alterum vero, periiſſe hæc Exemplaria, atque in locum eorum ab Iſidoro Mercatore ſuffectam eſſe Epiſtolam, quæ ex Sententiis Pontificum tum antecedentium, Innocentii, Cœleſtini, Leonis, tum ſubſequentium Gregorii & Martini compingitur, & illam clauſulam falſam ac omni retro verſus Apoſtolos teſtimonio ſui atque exemplo carentem includit. Adcedunt Concilia non plane nulla, quæ inter Synodum quintam & ſextam à variis Principibus reperiuntur congregata, Ex. gr. à Childeberto Rege Galliæ Concilium Pariſienſe, ab Ariamiro Rege Hiſpaniæ Concilium Bracarenſe primum, cujus Antiſtites ſe juſſu Regis eſſe convocatos ſemel atque iterum profitentur; à Chariberto Rege Concilium Turonenſe ſecundum, à Theodomiro Rege Hiſpaniæ Concilium Lucenſe, ubi & Concilii & Principis verba hoc ipſum ſignificant; à Rege Hiſpaniæ Concilium Bracarenſe ſecundum, à Gunthramno Rege Burgundiæ Concilium Matiſconenſe primum, ab eodem Lugdunenſe & Cabilonenſe in cauſa Salonii & Sagittarii, uti conſtat ex Gregorio Turonenſi, iterum ab eo Valentinum ordine & numero ſecundum, uti & Matiſconenſe ſecundum, quod ultimo capite decernit, triennio poſt eum in locum congregandos eſſe Antiſtites, quem Princeps magnificus deſignabit. En, inquit Launojus, ipſimet Antiſtites, qui jus congregandi Concilia in ſuis Principibus libenter agnoſcunt, & ſimul pſeudographum enervant Syllogiſmum, quo paulo ante Examini fuit ſubjectus. Porro, à Childeberto ſecundo Rege Galliæ Concilium loci alicujus incerti, quod idem Turonenſis deſcribit libri noni capite poſt trigeſimum ſecundo; præterea à Recaredo Concilium Narbonenſe, cujus itidem meminit Turonenſis, à Clotario ſecundo Concilium Pariſienſe quintum, à Clodoveo ſecundo Cabilonenſe ſecundum, à Reriſvindo Rege Hiſpaniæ Toletanum numero & ordine octavum. Atque ad Epocham hanc ſpectat quoque Concilium Proconſulare, quod in Concilio Lateranenſi teſtatur, Concilia ab Imperatoribus contra hæreſes eſſe congregata; ſiquidem Lateranenſe Concilium, quod Martinus Papa hoc nomine primus habuit contra Monothelitas, refert Concilii hujus Proconſularis Epiſtolam, quæ rem hanc verbis exprimit diſertis, atque non ſolum lecta, ſed etiam adprobata fuit in Concilio hoc Lateranenſi. Sic Concilia duo, Proconſulare & Lateranenſe adſertionem hanc pleniſſime confirmant. Et ſane nemo unquam adducetur, ut credat, Martinum Pontificem & Concilium Lateranenſe ita neglexiſſe Jura Sedis Apoſtolicæ, ut, ſi ad eam ſpectarent, quæ à Concilio Proconſulari tam conſtanter Imperatoribus adtribuuntur, neutiquam repugnaſſent, ac ſuo confirmaſſent ſilentio, quæ ſtentorea voce oportuiſſet rejicere? In ſumma, tacendo conſenſerunt. Quis dicet porro, Martinum Pontificem & Concilium hoc Lateranenſe errori huic conſenſiſſe, niſi vellet Eccleſiæ Romanæ & Sedi Apoſtolicæ plus obeſſe, quam prodeſſe? In hac autem Expoſitione inter teſtes ſe ſiſtit Gregorius Turonenſis, Vir fide dignus, quippe qui perſpecta & à ſeipſo animadverſa literis prodidit, & aliunde etiam Eccleſiæ Libertatum adſertor & Vindex fuit acerrimus.

Bellarminus *ibid.*

IDem adhuc volvens Saxum provocat etiam ad aliquam Sixti Pontificis hoc nomine tertii Epiſtolam ad Orientales ſcriptam, inter alia hæc habentis: Valentinianus Imperator authoritate noſtra Synodum convocavit.

Launojus *T. eod. Epiſt. 3. p. 125. & ſeq.*

CIrca hoc teſtimonium obſervat, Bellarminum illud proponere mala fide, cum verba in Epiſtola aliter plane legantur, ſic nimirum: *Valentinianus authoritate noſtra Synodum convocari juſſit.* Diverſa autem hæc ſunt ab iis, quæ Bellarminus citavit. Scilicet, Valentinianus apud Bellarminum authoritate Sixti convocat Synodum, apud Sixtum vero ipſum præcipit, ut is authoritate ſua id faciat, atque ſic idem Imperatoris exequitur mandatum, uti è contrario apud Bellarminum Imperator Sixti mandatum perfecit. Quæ vero & qualis eſt hæc verborum Sixti apud Bellarminum corruptio & depravatio? Nimirum, ſanus & integer Sixti textus priſtinam retinet traditionem, & Imperatori ſuffragatur; corruptus vero & depravatus Bellarmino quidem ſuffragatur, ſed falſo & inutiliter, quia de particularis, non univerſalis Synodi convocatione agitur. Hæc autem, inquit Launojus, contra Bellarminum, diſputo ad hominem; nam de cæteto facile Baronio, hanc Sixti Epiſtolam reddenti ſuſceptam conſentio. Binius quoque eam exiſtimat vitioſam, idque recte. Utriuſque rationibus, quas ſupervacuum eſſet repetere, adjicio, eam penitus abhorrere à ſtylo & ratione ſcribendi, qua aliæ ejuſdem Sixti Epiſtolæ, ſive quæ extant in Tomis Conciliorum, ſive quæ ſunt editæ in Collectione Romana bipartita Lucæ Holſtenii, fuerunt exaratæ. Tanta certe ſtyli eſt diverſitas, quanta propemodum poteſt eſſe, quod ii diffitebuntur ſoli, à quibus hæc cum illa non conferuntur. Deinde, falſa etiam reputari debet Hiſtoria, quæ hac in Epiſtola narratur, nempe, Sixtum Pontificem de illato Virgini ſtupro perperam fuiſſe adcuſatum, eumque coram Epiſcopis Romæ congregatis ſe de hoc crimine purgaſſe; quæ duo cum careant teſtimonio apud Authores tempore æquales vel proximos, argumentum eſt probabiliſſimum, hæc non adcidiſſe, ſed progreſſu temporis fuiſſe ficta. Nonne enim hæc tam fingi potuerunt, quam Polychronius Hieroſolymorum Epiſcopus, quem à Sixto propter illatam Apoſtolicæ Sedi injuriam fuiſſe damnatum fictis prodiderunt fabulis. Juvenalis namque Sedem hanc ab anno quinti poſt Chriſtum ſeculi vigeſimo & nono uſque ad annum ejus ſeculi quinquageſimum & ſeptimum tenuit, Epheſinæ & Calchedonenſi Synodis interfuit & ſubſcripſit, quo nihil certius; & Sixtus ab Anno hujus ſeculi trigeſimo & ſecundo ad Annum uſque trigeſimum & nonum adminiſtravit Eccleſiam, cui ſucceſſit Leo. Anaſtaſius quidem Bibliothecarius meminit hujus criminis Sixto impacti; ſed cum inter eum & Sixtum intercedant anni amplius quam quadringenti, id ſine Majorum teſtimonio non poteſt perſuadere, dum Sixti adcuſationem falſam & coactum ob eam Concilium ex incertis vel rumoribus vel Monumentis collegit ac intulit Sixti Vitæ, abſque ulla diſquiſitione alia. Et ſane dignum eſt memoratu, falſo inſimulatum eſſe criminis tam nefarii Pontificem Romanum, & probatam illius in Epiſcoporum Concilio innocentiam. Quis autem hæc à Proſpero & aliis Authoribus ſynchronis oblivioni eſſe tradita crederet, ſi ita contigiſſent? Præterea cur Sixtus, uti ad Orientales, ſic etiam ad Occidentales hac de re non ſcripſit, cum his non minus quam illis innocentia Sixti perſpecta & animadverſa debuit eſſe? Hinc manifeſte colligitur, vaniſſimum & ineptiſſimum illius fuiſſe conſilium, qui ſcriptam ad Orientales Epiſtolam huic Sixto Pontifici ſubjecit. Quidquid autem fuit in cauſa, certa ſunt duo. Prius eſt, Bellarminum hanc Sixti ad Orientales Epiſtolam vel corrupiſſe, vel certe ab alio corruptam adſumſiſſe ad ſui lemmatis probationem, quæ inſignis eſt ἀπεσυκοφαντία. Poſterius, incorruptam Sixti Epiſtolam prodeſſe nobis, & obeſſe Bellarmino. Sed id genus commodi rejicimus, inquit Launojus, quia Veritas non indiget patrocinio falſitatis.

Bellar-

Digitized by Google

Bellarminus *ibid.*

TAndem utitur etiam authoritate Imperatoris Valentiniani, de quo teſtatur, quod, cum ab Epiſcopis rogaretur, ut permitteret eis celebrare Concilium, referente Sozomeno reſpondit: Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt, talia curioſius perſcrutari. Sacerdotes, quibus iſta ſunt curæ, quocunque voluerint loco, conveniant,

Launojus *T. eod. Epiſt. 4. 149. & ſeq.*

POſtquam hoc teſtimonium pleniori textu è Sozomeno adduxit, hoc primo ad illud obſervavit, eſſe id Bellarmini ſcopo inutile, utpote qui intendit probare, Pontificis Romani, non Imperatoris eſſe, Synodum generalem congregare. Atqui hic non agitur de Synodo generali congreganda. Nam quæ Synodus Lampſaci teſte Sozomeno convenit, generalis ſeu œcumenica nuſquam eſt habita. Id autem cum ita ſit, Bellarminus teſtimonium Sozomeni ſuo importunum lemmati perperam uſurpat, & ludicra exercitatione Lectorem fatigat & decipere conatur, quod injuſtum eſt atque inhoneſtum. Deinde, integra Sozomeni narratio expoſitam hactenus confirmat traditionem, tantum abeſt, ut ei oppugnetur. Antiſtites certe, quorum meminit Sozomenus, agnoſcunt palam, ſe non poſſe unum in cœtum convenire, quin conveniendi poteſtatem faciat Imperator. Atque hoc idem eſt, ac ſi ipſe Imperator Concilium indiceret & congregaret, quod à Bellarmini conſilio penitus & alienum, utpote qui vult, ut Concilia Provincialia à Metropolitano, & Nationalia à Primatu vel Patriarcha convocentur, & ſic antecedentem ſtatuit cauſam, unde inferat, Synodorum generalium indictionem & congregationem pertinere ad Pontificem Romanum. Hoc unum ille premit ac urget, ſed ex cauſa antecedente falſa, atque ſic oleum & operam perdit. Præterea Imperator Antiſtitum Legato dixit, ſibi, cum eſſet unus è numero Laicorum, non licere de rebus fidei tractare; verum non dixit, ſibi non licere Synodos indicere, &, ſi dixiſſet, contra ſe dixiſſet, atque ſic pugnantia locutus quid prodeſſet conſilio Bellarmini? Poſtremo, quamvis apud Sozomenum ſermo de cogenda Synodo univerſali inſtitueretur, adhuc dijudicandum eſſet, utrum adfirmantibus Epiſcopis, penes Imperatorem eſſe, ut Synodus generalis cogatur, minor an major adhibenda ſit fides, quam adfirmanti Valentiniano, id ſibi non licere. Ea ſuper re ſentiant alii, quid voluerint, Ego, ſcribit Launojus, ſentio, majorem Epiſcopis, quam Imperatori fidem eſſe adhibendam; quæ enim ſint Divini vel Eccleſiaſtici Juris, Sacerdotes ſummi multo magis, quam Imperatores ſcire debent. Et profecto miror valde, quod Bellarminus judicium Imperatoris judicio Epiſcoporum prætulerit, maxime cum Imperator Concilii indictionem & convocationem ad Epiſcopos, non ad unum Pontificem Romanum remiſerit, quod ille tamen tantum in diſputatione ſua ſibi præpoſuit, & nihil inde præter vituperationem τῶν ἀκουόντων reportavit.

Bellarminus *l. eod. cap* 13.

UT Theſin capite præcedenti de Pontificis Romani poteſtate indicendi & convocandi Concilia, quæ vocantur generalia, propoſitam & defendi cœptam uberius confirmet, ad argumenta Partis adverſariæ conatur reſpondere, inter quæ quia potiſſimum eſt, quod ab indictione primorum generalium Conciliorum deſumitur quæ non Pontifices, ſed Imperatores

Westminster 1 Feb. 1327.

H

ctrinam Patrum & regulas Eccleſiaſticas ſit celebrata, male ſit celebrata; & è contrario quicumque Synodum celebraverit, ſi ſecundum ſcripturas, traditionem Patrum, regulas etiam Eccleſiaſticas ſit celebrata, bene ſit celebrata. Porro, regulæ Eccleſiaſticæ, quarum meminit Gelaſius, non aliæ ſunt, quam quæ à Dionyſio Exiguo Romæ in Codicem ſunt relatæ, quas inter nec comparet, nec poteſt comparere, quod in Marcelli Papæ ad Maxentium Epiſtola his legitur verbis: Nullus Epiſcopus, niſi in Synodo legitima ſuo tempore Apoſtolica aut regulari authoritate convocata ſuper criminibus quibuſlibet pulſatus audiatur vel indicetur. Non comparet, inquam, uti Codicis Dionyſiani oſtendit Lectio. Atque hæc eſt apud cordatos & doctos homines ſuſpicio vehemens falſitatis. Sed neque poteſt comparere, quia nondum natus erat Mercator ille, qui Papæ Marcello Epiſtolam ſubjecit, neſcius, quo in ſtatu res Chriſtianorum tunc eſſent, cum Marcellus ſucceſſit Marcellino. Sic enim adflicta & proſtrata tunc erat Eccleſia, ut vix à metu carcerum & cædis reſpiraret Sulpitio teſte; quippe Marcellus ipſe à Maxentii, cui dicitur ſcripſiſſe, vexationibus liber & immunis non extitit, dum jubente Maxentio carceres ac ærumnas plures ſuſtinuit, & tandem ad Eccleſiæ vulnera pervenit. Ergo in hac ſua & miſerrimorum Eccleſiæ temporum conditione de crebris ad Sedem Apoſtolicam provocationibus, de publicis Epiſcoporum judiciis, de Synodis authoritate Apoſtolica congregandis, de non recipiendis Laicorum contra Epiſcopos adcuſationibus ad Maxentium, prout ſubjecta ejus nomini Epiſtola teſtatur, ſcribere, tractare & decernere non potuit. Ecce mangonium, quo Mercator res ſuas non tam ornavit, quam illorum vitia detexit. Profecto difficile eſt, ullam reperire fraudem, quæ ſit cognitu facilior. *Tertium* ſupereſt, num adferri poſſit Synodus, quam Conſtantinus Imperator ante Concilium Nicenum fieri præceperit & congregari? Launojus adfert primo Romanam, quam pro Eccleſiarum pace & concordia juſſit haberi, Euſebio convocationis literas recenſente, Optato etiam Milevitano conteſtante, quid ad Conſtantini mandatum hac in Synodo geſtum ſit. Deinde Arelatenſem, ad quam convocatorios Conſtantini itidem exhibet Euſebius, Auguſtino utriuſque Synodi tanquam à Conſtantino congregatæ mentionem in pluribus Epiſtolis & ſcriptis faciente. His in anteceſſum expoſitis ad ipſam Synodum Nicenam progreditur Launojus à Conſtantino convocatam, ea referens prolixe, quæ præceſſerunt convocationem, & quæ ab Euſebio teſte oculato literis produntur; item quæ Epiphanius, Rufinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Metrophanes & Alexander in Actis Synodi Nicenæ apud Photium, alius quoque ſcriptor anonymus Actorum hujus Synodi. Synodus item Epheſina in Actione prima, Gelaſius etiam Cyzicenus in Præfatione librorum de Actis ejuſdem, quin & Romanum illud Concilium, quod Gelaſii Papæ primi authoritate dicitur celebratum, in Decreto de Canonicis libris ab Apocryphis ſecernendis, porro Juſtinianus Imperator in prima Collatione Concilii generalis quinti, Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico, Gregorius Cæſarienſis in Oratione ad Patres Nicenos, Zonaras, Rupertus Tuitienſis libro in Apocalypſin ſeptimo, Robertus Antiſiodorenſis, Vincentius Bellovacenſis, Nicephorus, Antoninus, Platina, Sabellicus, Pighius, Prateolus, Genebrardus, Sighonius de eadem retulerunt, poſt quæ Bellarmini verba ſuperius adpoſita ſubjunxit cum his obſervationibus. *Primo*, inquit, Bellarminus in capite ſuperiori quæſtionem juris tractavit, ſtatuitque, revera eſſe Pontificis, non Imperatoris, congregare Synodum generalem, idque demonſtrari poſſe ex literis Divinis. At gratis & ſine Theologica ratione id dicit, cenſente Launojo, cum ſupra fuerit monitum, nullum Scripturæ locum adferri poſſe, qui juxta Patrum unanimem conſenſum acceptus, prout exigit Fidei Tridentinæ profeſſio, demonſtret, quod Bellarminus ſuſcepit demonſtrandum. *Secundo*, uti primum Theologiæ principium Bellarmino non ſuppetit, quo probet lemma, quod ſibi ſumſit, ſic & alterum, videlicet, Eccleſiæ Catholicæ traditionem non ſuppetit, ut per illud conficiat, quod per primum conficere non potuit, nam ex traditione, quæ ad Concilium hoc Nicenum

cenum pertineat, id authoritate Silvestri convocatum esse confirmat minime, sed quidquid id est, humanis & philosophicis rationibus subjicit, quæ nihil aut parum prosunt, ubi desunt vera Theologiæ principia. *Tertio*, Bellarminus cum Calvino disputabat, qui Historiæ Ecclesiasticæ rudis erat & ignarus, atque in rebus seu veris seu falsis ad hominem disputatis omne constituit præsidium. Sed adferenda semper suis momentis est Veritas, quæ hominum mendacio nusquam indiget. Calvini vel alterius sectarii cujusvis error Veritatem ex se non gignit. In hac materia ille potuit errare, uti & Bellarminus, qui contra ipsum congressus est. Sed vix erratur ab eo, qui, quod adferendum est, ex Scriptura vel traditione adferit. Nec enim sufficit, errare Calvinum, sed requiritur præterea, ut Catholici non errent, cum utrinque potest errari. *Quarto*, dum Bellarminus hoc in capite dicit, *Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur Veritas*, perinde dicit, ac si capite superiori probasset Concilium Nicenum à Pontifice Romano congregatum fuisse, atque illud confirmatione tantum egere, quæ ex argumentorum contrariorum solutione peteretur. At capite superiori ne verbotenus Concilium Nicenum adtigit, tantum abest ut probet, à Papa Silvestro coactum illud esse. *Quinto*, si Calvini & Magdeburgensium argumenta, contra quæ Bellarminus scribit, vere sumuntur, audienda sunt, non quia à Calvino & Magdeburgensibus adsumuntur, sed quia ab iis vere sumuntur, siquidem Veritas est omnium. *Sexto*, si Calvinus & Magdeburgenses id tantum retulerunt ex Rufino, quod Bellarminus, vim Rufini verbis intulerunt. Quare Bellarminus merito eos redarguit, cum Rufinus non ita scripserit, sed potius Constantinum ex sententia Sacerdotum Episcopale Concilium convocasse. Calvino & Magdeburgensibus fuit flagitium, verba hæc, cum ait, *ex sententia Sacerdotum*, retexere, si reticuerunt. Sed fallitur Bellarminus, & contra se disputat, cum ait, *ex quibus solum habemus, quod volumus*, si stetur Rufini testimonio. Nam Rufinus quidem non exprimit, quinam fuerint sacerdotes illi, ex quorum sententia Imperator Concilium Episcopale indixerit; Epiphanius autem antiquior Rufino nominat, & dicit, inter alios fuisse Alexandrum, Episcopum Alexandriæ. Præterea, quo sensu capiendum sit illud Rufini, *ex sententia Sacerdotum*, Epiphanius itidem non obscure significat, cum ait, Constantinum studio & hortatu Alexandri Synodum congregasse. Insuper, locutio hæc, *ex sententia*, Authoribus Latinis, qualis fuit Rufinus, non est, ex Decreto vel lege, quam tulerit quis, sed suasu vel hortatu. Quapropter ipsa Synodus Nicena rem decidit, dum Imperatoris Constantini mandato coactam se profitetur aperte. Hinc quoque efficitur, Bellarminum non habere, quod vult, nisi velit, Synodum Nicenam ex Alexandri, non Silvestri sententia coactam esse. *Septimo*, testimonium è Synodo sexta Bellarminus contra se producit. Nam in capite superiori non dixit, esse Pontificis & Imperatoris congregare Synodum generalem, sed, esse revera Pontificis tantum, non Imperatoris, eam congregare. At juxta testimonium hoc dicendum est, esse revera Imperatoris & Pontificis eam congregare, quod cum Bellarminus non dicat, testimonium hoc contra ipsum est. Deinde in hoc testimonio Imperator Pontifici antepomitur, & Synodi congregandæ partes primæ Constantino, non Silvestro adscribuntur, atque Constantinus non Silvestro, sed Silvester adcedit Constantino. Quomodo autem Bellarminus ad synodicem hanc sacras aptabit scripturas, quibus Pontificis esse, non Imperatoris, congregare synodum generalem pugnat? Quomodo aptabit secundam rationem, per quam arguit, Concilium ab eo indici debere ex authoritate, qua omnes possit cogere, nullus unquam vero Imperatorum totam habuerit Ecclesiam sibi subjectam? Cur ergo laudat Synodi sextæ Actionem decimam & octavam, ut ex ea probet, Constantinum & Silvestrum congregasse Synodum Nicenam? Quomodo etiam aptabit rationem tertiam, qua a Conciliis Nationalibus & Provincialibus ad generalia concludit, dum conclusio, quod hæc non ab Imperatore, sed à Pontifice summo sint indicenda, huic testimonio non quadrat, quod ex synodo sexta desumsit? Nimirum, uti qui vivit in diem, non cogitat, quid cras sit futu-

Digitized by Google

futurum; ſic Bellarminus priore pagina ſcribens non proſpicit, quid poſteriore ſit ſcripturus. Exinde contingit, ut prior & poſterior, pagina ſcilicet recta & verſa mutuis concidant vulneribus adtrita, ac in eandem miſere trahantur ruinam. Nec vero mirum debet videri, concluſionem inferri vitioſe, cum inferatur ex antecedente, quod diſciplina vetere non ſatis firmatur. At Bellarmino ſatis eſt, ſi Calvinus antecedens ex ignorantia concedat, & tunc conſequens huic ignorantiæ vitio ſuperſtruere non veretur, quod ſua quidem opinione nemo audebit in dubium vocare, ne partes Calvini fovere videatur. Sed artibus his Eccleſia non indiget, neque Veritas, quæ utraque convenienter rebus geſtis nullo ad perſonas habito reſpectu ſemper eſt adſerenda. *Octava*, cum dicit Bellarminus, Damaſum ſcribere in Pontificali, quod cum Silveſtri conſenſu habitum ſit in Nicea Concilium, quod inde habet lucri? An fortaſſis à vero abhorret, quod Synodi generales duæ, Nicena & Epheſina confirmant, Imperatoris mandato Patres Nicenos eſſe congregatos. Certe ſi quis diceret, cum Alexandri conſenſu habitum eſſe in Nicea Concilium, verum omnino diceret, & tamen non ſequeretur, Alexandrum id convocaſſe. Amplius dico ex Rufini teſtimonio, habitum id cum conſenſu Antiſtitum reliquorum, qui Concilio interfuerunt, & tamen nullus illorum indixiſſe Concilium cenſendus eſt. *Nona*, Bellarminus igitur adſertam per teſtes omni exceptione majores traditionem, qua Synodum Nicenam ab Imperatore Conſtantino liquet indictam eſſe, deſerit, ut Damaſum, Rufinum & Panegyria Conſtantino Imperatori quarto dicti Authorem ſequatur. Et quidem Damaſum, qui tamen non teſtatur, Synodum à Silveſtro Pontifice convocatam eſſe, ſed quod de conſenſu ejus ſcribit, in Alexandri Epiſcopi Alexandriæ, & cæterorum, qui adfuerunt, Præſulum transferri poteſt conſenſum. Rufinum vero, qui quidem de Silveſtro ne ullum habet verbum. Demum Panegyrici Authorem, qui tamen lemma Bellarmini ſubruit, & aliunde teſtis non eſt idoneus, quod alibi ſe demonſtraſſe monet Launojus. Inſuper, quod Damaſi adtinet Pontificale, ad quod Bellarminus hic provocat, obſervat idem, quod ipſe Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis id Damaſo non tribuerit, uti tribuendum non ſit. Nam, inquit, ſi librum hujuſmodi ſcripſiſſet Damaſus, Hieronymus non prætermiſiſſet ejus mentionem in libro de Viris illuſtribus, utpote Damaſi quondam hoſpes & contubernalis. Bellarminus hinc peccat dupliciter, dum contra propriam conſcientiam Damaſo hic tribuit librum, quem non eſſe Damaſi noverat; qui inſuper cauſam, quam ſuſcepit defendendam, non adjuvat. Hæc autem omnia Viri duo oculatiores, ejuſdemque cum Bellarmino ſocietatis, Mariana & Petavius, cum perſpicerent, opinione Bellarmini rejecta novantiquam retinuerunt traditionem, ille quidem in opere Hiſtorico de rebus Hiſpaniæ, hi autem in rationario temporum, atque ſic Gallus & Hiſdanus intrepide Italo adverſantur. Cæterum, quidquid de Imperatoria Synodorum Romanæ, Arelatenſis & Nicenæ dictum eſt convocatione, oppido confirmatur ex diſciplina, quæ inter primam & ſecundam Synodum œcumenicam in convocandis quibuſdam aliis Conciliis reperitur obſervata. Ex. gr. Conſtantinus teſte Euſebio convocavit Synodum Tyriam, quam etſi Athanaſius in Apologia ſecunda veri nôminis Synodum eſſe neget, ex eo tamen id non facit, quod Conſtantinus eam indixerit. Et poſtquam verba huc pertinentia ex hac Apologia prolixe adduxit Launojus, ſubjungit, in iis omnibus nullam eſſe de Imperatoria Synodi convocatione vel indictione querimoniam, ac nuſquam dicere Athanaſium, Imperatorem congregaſſe Concilium, quod jure non potuerit congregare; & tamen dicendi occaſionem fuiſſe, quis Lector adtentus & prudens ibit inficias? Videlicet extra Synodum bene vel male geſtam ponebat Athanaſius Synodi convocationem, uti etiam Gelaſius, cum ſecutus poſuit, quod ſupra fuit obſervatum. Addit teſtimonia Epiphanii, Socratis, Theodoreti, Sozomeni, deque his omnibus notat, quod una cum Patribus Synodi Alexandrinæ apud Athanaſium in laudata Apologia Synodum Tyriam ab Imperatore Conſtantino indictam adfirment, nec eum in hoc jus alienum uſurpaſſe vel levi-

Anti-Aristarchus, or The Sphere Reduced, a treatise by William Whiston, published in 1713, in which he argued that the Earth is the centre of the universe and that the Sun, Moon and stars revolve around it. Whiston's work was a response to the heliocentric theory of Nicolaus Copernicus, which had been published in 1543 and which had gained increasing acceptance among astronomers in the early 18th century. Whiston's treatise was one of the last major works to defend the geocentric theory, which had been the dominant view of the universe since ancient times.

Whiston's argument was based on a number of observations and calculations that he had made himself. He argued that the apparent motion of the Sun, Moon and stars could be explained more easily if the Earth was at the centre of the universe. He also argued that the heliocentric theory was contrary to the Bible, which he believed to be the word of God.

Whiston's treatise was widely criticized by astronomers and theologians. It was generally agreed that his observations and calculations were flawed and that his interpretation of the Bible was incorrect. Whiston's work had little impact on the development of astronomy, and it is now considered to be a curiosity of the history of science.

Anti-Aristarchus, or The Sphere Reduced, a treatise by William Whiston, published in 1713, in which he argued that the Earth is the centre of the universe and that the Sun, Moon and stars revolve around it. Whiston's work was a response to the heliocentric theory of Nicolaus Copernicus, which had been published in 1543 and which had gained increasing acceptance among astronomers in the early 18th century. Whiston's treatise was one of the last major works to defend the geocentric theory, which had been the dominant view of the universe since ancient times.

Whiston's argument was based on a number of observations and calculations that he had made himself. He argued that the apparent motion of the Sun, Moon and stars could be explained more easily if the Earth was at the centre of the universe. He also argued that the heliocentric theory was contrary to the Bible, which he believed to be the word of God.

Whiston's treatise was widely criticized by astronomers and theologians. It was generally agreed that his observations and calculations were flawed and that his interpretation of the Bible was incorrect. Whiston's work had little impact on the development of astronomy, and it is now considered to be a curiosity of the history of science.

Anti-Aristarchus, or The Sphere Reduced, a treatise by William Whiston, published in 1713, in which he argued that the Earth is the centre of the universe and that the Sun, Moon and stars revolve around it. Whiston's work was a response to the heliocentric theory of Nicolaus Copernicus, which had been published in 1543 and which had gained increasing acceptance among astronomers in the early 18th century. Whiston's treatise was one of the last major works to defend the geocentric theory, which had been the dominant view of the universe since ancient times.

Whiston's argument was based on a number of observations and calculations that he had made himself. He argued that the apparent motion of the Sun, Moon and stars could be explained more easily if the Earth was at the centre of the universe. He also argued that the heliocentric theory was contrary to the Bible, which he believed to be the word of God.

Whiston's treatise was widely criticized by astronomers and theologians. It was generally agreed that his observations and calculations were flawed and that his interpretation of the Bible was incorrect. Whiston's work had little impact on the development of astronomy, and it is now considered to be a curiosity of the history of science.

Anti-Aristarchus

Anti-Aristarchus, or The Sphere Reduced, a treatise by William Whiston, published in 1713, in which he argued that the Earth is the centre of the universe and that the Sun, Moon and stars revolve around it. Whiston's work was a response to the heliocentric theory of Nicolaus Copernicus, which had been published in 1543 and which had gained increasing acceptance among astronomers in the early 18th century. Whiston's treatise was one of the last major works to defend the geocentric theory, which had been the dominant view of the universe since ancient times.

Whiston's argument was based on a number of observations and calculations that he had made himself. He argued that the apparent motion of the Sun, Moon and stars could be explained more easily if the Earth was at the centre of the universe. He also argued that the heliocentric theory was contrary to the Bible, which he believed to be the word of God.

Whiston's treatise was widely criticized by astronomers and theologians. It was generally agreed that his observations and calculations were flawed and that his interpretation of the Bible was incorrect. Whiston's work had little impact on the development of astronomy, and it is now considered to be a curiosity of the history of science.

cenam, ac Episcopos undiquaque ad eam adcersivit honorifice, jumentisque eos, commeatu & aliis rebus juvit necessariis, diem eis præstituens, ad quem de rebus Fidei controversis decideretur, oratione insuper eleganti de concilianda Pace Synodum aperiens, simulque dissidium inter Episcopos ortum atque ad se ab iis delatum placavit, ac demum Decreta Synodi suo rata fecit Sigillo, eodem teste libri tertii capite sexto & sequentibus, adcedente Rufino, Socrate, Theodoreto & Sozomeno. Ex indubitatis hisce testimoniis patet, Indictionem & convocationem hujus Synodi ab authoritate Constantini dependisse. At vero Baronius, Severinus Binius, Author etiam Præfationum Historicarum, quæ singulis Conciliis Editionis Romanæ præponuntur, valde anhelant, ut demonstrent, Synodum hanc authoritate Silvestri Pontificis Romani indictam esse, nihil autem præter vanos venditant conatus. Magister quoque *Andreas du Vallius* idem movet saxum infeliciter, quia Quæstionem facti, id est, praxin Ecclesiæ argutiis & cavillationibus Scholæ implicat, atque ex iis, quæ hodie videt fieri in magna conturbatione Regiminis Ecclesiæ Aristocratici, de usu Ecclesiæ primitivæ pueriliter & sine judicio garrit, adserendo, esse de Fide, solum Pontificem Romanum posse Concilium œcumenicum juridice & authoritative convocare, & quando dicitur, Principes vel Imperatores congregasse Synodos, hoc intelligi debere per modum authoritatis executiuæ, quia Principes sint executores voluntatis Papæ & Legum Ecclesiasticarum. Unde infert, quanquam indicere & congregare idem sæpe significent, indictionem tamen proprie ad Papam pertinere, cujus sit præcipere; congregationem vero ad Imperatorem, cujus sit executioni mandare Decretum Papæ. Adtexit insuper ex Synodo sexta generali, ejusdemque Actione post decimam octava, in Sermone adclamatorio legi, Constantinum & Silvestrum congregasse Synodum Nicenam. Hæc ille in libri de Papæ potestate suprema partis quartæ quæstione secunda. Non vero adtendit homo ille, eo congregare æque de Constantino ac de Silvestro usurpari in Sermone hoc adclamatorio, ac presse loquendo indicere nihil aliud esse, quam diem certum præscribere ad agendum, hocque Sozomenum non Silvestro, sed Constantino âdscribere. Subjungit quidem ex Rufino, Constantinum ex sententia Sacerdotum Episcopale Concilium apud Urbem Nicenam convocasse; at de suo adglutinat, factum id Silvestri & Hosii Cordubensis Episcopi impulsu & suasione, quia tunc Hosius legatione sit functus apud Imperatorem, eoque familiariter usus. Porro, sicut ultro annuo, scribit Doctor Sorbonicus, Silvestri ac aliorum quorundam Episcoporum Concilio & suasione Constantinum fuisse incensum ad Synodi indictionem; ita nego plane, Synodum hanc Nicenam alterius, quam Constantini authoritate indictam & congregatam fuisse. Ratio est, quia florente Imperio Romano consensus ab authoritate hoc ipso distinguitur, quod hæc in solo Principe politico resideat, consensus autem & sententia nihil plane habeat opus vi aut coactione externa. Itaque temporibus illis, cum Episcopi Romani neque territorium, neque jus gladii possiderent, Concilia certe eorum authoritate non poterant indici, si proprie velimus uti nomine authoritatis. Hic ergo Baronius & alii ludificant vocis æquivocatione, ac sententiam vel consensum Episcopi Romani pro authoritate perperam usurpant. Procul autem dubio juxta disciplinam Ecclesiæ primativæ, ubi Imperator authoritate sua Concilii habendi necessitatem & voluntatem suam Patriarchis & præcipuis Provinciarum Metropolitanis indixisset, singuli Patriarchæ & Metropolitani Episcopos sibi suffraganeos, quos jure communi regebant, ad Synodum generalem convocabant. Quod si Acta Synodi Nicenæ haberemus integra, sicut aliarum, pronum esset os occludere adversariis, qui, nisi omnem exuerint pudorem sensumque communem inficiari non possunt, id jure meritoque Constantino licuisse in Synodo Nicena, quod dehinc aliis Imperatoribus licuit, qui successerunt ei, in Synodis convocandis & confirmandis. Socrate sub initium libri Historiarum quinti agnoscente, ex

illo

illo tempore, quo Chriſtiani cœperunt eſſe, negotia Eccleſiæ viſa fuiſſe pendere ex nutu Imperatorum, atque ſic Concilia de eorum ſententia fuiſſe convocata. Quid, quæſo, lucidius?

Breves Launoii Vindiciæ adverſus Natalem Alexandrum.

HIc contra prolixam Launoii Diſſertationem non-niſi duo habuit obſervanda, cæteris omnibus triſti ſilentio prætermiſſis, quaſi in duobus hiſce robur omne conſiſteret. Nimirum inficias ire non potuit novus hic Alexander, Synodum Nicenam ab Imperatore Conſtantino fuiſſe convocatam. Verum, ut qualitercunque juvaret cauſam, quam ſuſcepit defendendam, exinde inferri non poſſe exiſtimat, authoritatem convocandi Concilia œcumenica non pertinere ad Pontificem Romanum. Id ne fruſtra videatur ſtatuere, inter alias probandi rationes provocat etiam ad teſtimonia Rufini & Synodi ſextæ generalis, ad quæ etiam Bellarminus & alii poſt eum provocaverant, Launojo ad utrumque ſufficienter reſpondente, ex cujus autem reſponſo proliziori Alexander pauciſſima tantum excerpſit, in quorum examine ſuam exerceret induſtriam. Scilicet ad Rufini teſtimonium reſpondit Launojus, ex *Sententia Sacerdotum* ſignificare, quod Conſtantinus ex ſententia Alexandri Epiſcopi Alexandrini, id eſt, illius ſtudio & hortatu Synodum Nicenam convocaverit, idque probat verbis Epiphanii; quem vero teſtem rejicit Alexander Pariſienſis, ideo, quia in aliis rebus ad Hiſtoriam hujus Synodi pertinentibus ita aberraverit, ut Arium poſt mortem à Synodo ſcripſerit damnatum. Verum, an lapſu memoriæ errans Epiphanius in uno, in altero quoque omnem amittet fidem, quam ex circumſtantiis meretur indubiam? Sed hocce reſponſo non contentus hic Alexander putat, unius incluſionem non eſſe alterius excluſionem, ſcribens: Quaſi vero Patriarcha Alexandrinus non potuerit hortari & rogare Imperatorem, ut authoritatem ſuam interponeret ad Synodum convocandam, ac proin rogare Silveſtri ſententiam non potuerit Conſtantinus, ut illud adnueret convocari. Atqui ex Scholis debebat hic Doctor Sorbonicus adhuc memoria tenere, quod Philoſophiæ cultor ſæpius audivit ſine dubio, à poſſe ad eſſe non valere conſequentiam. Si enim hæc ratio concludendi valeat, multa tanquam facta nobis obtrudentur, de quibus nullum ex antiquis ſcriptoribus ſupereſt teſtimonium. Concedamus autem & hoc, nulla inde poterit elici authoritas, de qua hic agitur, & quæ ad convocationem Synodi univerſalis requiritur. Hanc concedendi liberalitatem ſuadet, quod alterum, Synodi nempe generalis ſextæ teſtimonium à Bellarmino laudatum Conſtantino in convocatione Synodi Nicenæ jungit Silveſtrum. Launojus quidem plura ad legitimum hujus teſtimonii ſenſum regeſſit, ut illationem à Bellarmino factam oſtenderet invalidam, ſed Alexander novus id tantum exinde adſumſit exagitandum, quod Launojus dixit, hæc quidem in Synodo, verum à Synodo non eſſe prolata, quæ tamen Alexander putat Synodum adprobando fua feciſſe. Num hic ſit gladius ille, quo quemvis nodum-gordium licet diſſecare, judicent, qui de Actis Conciliorum generalium publicis didicerunt ferre ſententiam? Multæ nimirum molis erit onus, ſi quis ſuſcipere velit defendendum, omnia, quæ in Conciliis generalibus, etiam in rebus fidei dogmata & Eccleſiæ diſciplinam minime, ſed tantum facta quædam ſingularia & Hiſtoriam ſpectantibus, à quibuſcunque ſunt prolata, ſi nemo reclamaverit, pro iis eſſe habenda, quæ ipſa adprobaverint Concilia. Quam multa poſt Petrum Suavem in Synodo Tridentina à Patribus conſcriptis dicta recenſet Sfortia Pallavicinus, quibus nemo plane contradixit in publico, quæ tamen omnia Synodum ſilentio adprobaſſe, nemo ex ſynodicis defenſoribus fatebitur. Hinc valde generaliter ſcripſit Alexander, ſatis eſſe, ut in Concilio hoc dictum ſit nemine reclamante, ut hanc Concilii ſententiam fuiſſe conſtet. Suntque non le-

ves cauſæ dubitandi, an ex ordine eorum, qui inter ſuæ Fidei ſocios cum judicio quodam Controvertias tractant, habiturus ſit adſtipulatores, agnituros nempe cumulum abſurditatum, quæ numero non pauco exinde poſſunt colligi. Alia & momenti majoris habuiſſet, quæ ad hoc teſtimonium obſervavit Launojus contra Bellarminum, inprimis, quod non tantum Conſtantinus Imperator in convocanda Synodo Nicena jungatur Silveſtro Pontifici, ſed etiam inſuper eidem præponatur, quod neutrum juxta hypotheſes Bellarmini potuiſſet vel debuiſſet fieri, Alexandro hic magis muto quam piſce, quaſi Launojo id nunquam in mentem, vel in pennam veniſſet.

Bellarminus *ibid.*

DE Synodo Conſtantinopolitana generali prima ex Theodoreto refert, Theodoſium non tam illud indixiſſe, quam Literas Damaſi Pontificis, quibus Concilium indicebatur, ad Epiſcopos, miſiſſe, teſtibus Epiſcopis in illo congregatis, quarum Literas ad Damaſum exhibet idem Theodoretus. Licet ergo Theodoſius indixerit hoc Concilium, indixit tamen illud ex mandato literarum Apoſtolicarum. Quare in ſextæ Synodi Actione decimæ, & octava Patres dicunt, Theodoſium & Damaſum obſtitiſſe Macedonio per Synodum ſecundam, ſicut paulo ante dictum, Conſtantinum & Silveſtrum coegiſſe Synodum primam, ut Ario obſiſterent.

Launojus T. *eod. Epiſt.* 2.

IN Examine horum primo obſervandum proponit, Theodoretum Epiſtolam, quæ à Synodo Conſtantinopolitana Romam eſt miſſa, integram recenſere, & quidem ex antiquis Scriptoribus ſolum. Deinde, in ea Synodos binas reperiri, quæ intra biennium fuerint celebratæ. Priorem ab Imperatore quidem fuiſſe convocatam, poſteriorem vero quis convocaverit, non tam aperte Theodoretum meminiſſe. Nempe Maximus, Cynicus, quem prius Concilium de Sede Conſtantinopolitana ejecerat, ad Damaſum, Ambroſium & alios Occidentales Epiſcopos quorum communionem fuerat ſortitus, jam confugerat, ſuam ratus cauſam ab iis iri defenſum; nec ſua Maximum ſpes fefellit, uti conſtat ex quinta Concilii Italiæ ad Theodoſium Epiſtola, cujus argumentum pars eſt præcipua, ut Nectarius Conſtantinopoli poſt Maximum ordinatus loco cedat, aut Romæ ſuper utriuſque ordinatione habeatur Concilium. Eam ubi ex laudata Sirmondi Adpendice ad Codicem Theodoſianum adduxit Launojus, ſubjungit, exinde colligi, Synodum, quæ tunc habebatur in Italia, petiiſſe à Theodoſio, ut advocatis à ſe Romam Orientalibus in Synodo majori de Maximi & Nectarii ordinatione judicaretur, & Occidentales id factum iri ſperantes Romæ in Synodum coiviſſe, ibique Orientales expectaſſe. Tunc, ita pergit Launojus, plurimi ex illis Antiſtitibus, qui Anno priori Synodum Conſtantinopolitanam habuerant, certis de cauſis redierant Conſtantinopolim, & cum ibi verſarentur, Synodicam ab Epiſcopis Occidentalibus acceperant Epiſtolam, qua Romam ſatagente Theodoſio averſerentur. Orientales illi aliam reſponſi loco Synodicam ſcripſerant ad Synodum Romanam, qua rationem reddiderunt, cur Romam ire non poſſint. His ita conſtitutis, manifeſtum eſt, Synodum Conſtantinopolitanam priorem inſciis Occidentalibus ab Imperatore Theodoſio eſſe convocatam, poſteriorem vero conveniſſe prius, quam Orientales Synodicam Damaſi, Ambroſii & aliorum Occidentalium accepiſſent; quo fit, ut Synodus utraque Theodoſii juſſu fuerit convocata. Sed inter utramque Synodum hoc intereſt diſcriminis, quod prior in Synodica ſemel, iterum & tertio dicetur univerſalis, poſterior autem ne ſemel quidem. Et quidem in priori adfuerunt Epiſcopi centum & quinquaginta,

Ecclesiastes, Liber, 1
Ecclesiastes, Liber, 2
Ecclesiastes, Liber, 3
Ecclesiastes, Liber, 4
Ecclesiastes, Liber, 5
Ecclesiastes, Liber, 6
Ecclesiastes, Liber, 7
Ecclesiastes, Liber, 8
Ecclesiastes, Liber, 9
Ecclesiastes, Liber, 10
Ecclesiastes, Liber, 11
Ecclesiastes, Liber, 12
Ecclesiastes, Liber, 13
Ecclesiastes, Liber,

Macedonio per Synodum ſecundam, quæ illius juſſu eſt facta, obſtitit, & Damaſus per Synodum Romanam, cujus Acta Theodoretus Hiſtoriæ inſeruit. ***Undecimo***, detur vel concedatur, rem in actione laudata Synodi ſextæ ita ſe habere, uti Bellarminus narrat, ille a ſe ipſo diffidebit, & ſecum diſcordabit, ſcribens in capite antecedenti, Pontificis eſſe, non Imperatoris, Synodum congregare generalem. Nam ſecundum verba Actionis congregaſſent hanc Synodum Theodoſius & Damaſus, & ita quidem, ut in illius congregatione Imperaror Pontificem præceſſiſſet, quæ duo tamen placitis Bellarmino plane non conſonant. ***Duodecimo***, Damaſus huic Synodo ſecunda, ut *jam* fuit obſervatum, neque per ſe, neque per Legatum præfuit aut interfuit, nec etiam ullas de hæreſi configenda, quæ confixa eſt, in Synodo, literas vel ad Synodum, vel ad Theodoſium dedit. Agatho Pontifex ſextæ quidem Synodo per ſuos ſuos præfuit Legatos, literas etiam de contrita jam hæreſi Monothelitarum ad Synodum & Imperatorem dedit, & tamen in Actis ejus non dicuntur Conſtantinus & Agatho Synodum convocaſſe. Atque ſic multo minus dicendi ſunt Theodoſius & Damaſus Synodum ſecundam congregaſſe. ***Decimo & tertio***, in veteri Eccleſiæ Romanæ Diurno extat Fidei profeſſio, quam Pontifex recens creatus edebat, ubi nulla Damaſi habetur mentio, cum ſermo de hac Synodo ſecunda inſtituitur. Deinde in Fidei profeſſione, quam Epiſcopus recens conſecratus emittebat, circa hujus Synodi mentionem ſolius Theodoſii, non item Damaſi nomen exprimitur. Utrobique autem hoc illi fuiſſet adjunctum, ſi ſimul eam congregaſſent. Poſt hanc obſervationem Bellarminus provocat ad vetuſtiores Synodo ſexta Authores, ſcilicet, Socratem & Sozomenum, quorum neuter meminit Concilii poſterioris, & uterque circa prioris convocationem Theodoſii tantum meminerunt. Huc percommode referri poſſunt hæc Hieronymi contra Rufinum ſcribentis verba: ***Quis Imperator hanc Synodum juſſit congregari?*** Hieronymus enim ad tempus illud, quo habitum eſt Concilium hoc Conſtantinopolitanum, Romo verſabatur cum Damaſo, & tunc, cum ſe adverſus Rufinum defendit, quid tunc in Urbe actum fuerit à Pontifice, quando celebratum eſt illud Concilium, ignorare non potuit. Hinc, ut cætera deeſſent teſtimonia, hoc unum ſufficere videtur; Hieronymus enim perinde loquitur, ac ſi nullum unquam ſine juſſu Imperatoris habitum eſſe Concilium, & Concilium ſic habitum ad legitimi & veri Concilii notionem pertineret. Præterea, in Decreto de Apocryphis, quod Gelaſio Papæ tribuitur, hæc Synodus dicitur congregata mediante Theodoſio, non vero additur, & Damaſo, quia nimirum Eccleſiæ Romanæ traditio non ferebat, ut adderetur. Sic in Vigilii Pontificis Encyclica ad Eccleſiam univerſam de eadem Synodo legitur, quod fuerit congregata ſub Theodoſio, non item Damaſo, quia Vigilius Eccleſiæ ſuæ traditione inſtructus noverat, addi non poſſe. Imperator quoque Juſtinianus in collatione prima Concilii quinti Conſtantinopolitani rem eandem complectitur paucis, quod idem facit Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico. Quibus adeedunt inſuper ſcriptores Synodo ſexta recentiores, nominatim, *Simeon Metaphraſtes* in Vita Pauli Conſtantinopolitani. Zonaras in Annalibus, Robertus Antiſiodorenſis in Chronologia, qui tamen dum ſcribit, hanc Synodum fuiſſe congregatam jubente quidem Theodoſio, ſed adnuente Damaſo, melius ſcripſiſſet, neſciente Damaſo, quia Theodoſius eam congregavit ante, quam Damaſus ſciret, illam eſſe congregatam; deinde Damaſus adnuere potuit, ſicut cæteri Patres convocati adnuerunt, qui indictæ ab Imperatore Synodo interfuerunt. Sequuntur Nicephorus, Sigonius, Petavius, quem ultimum Bellarmino, Binio, Coriolano & recentioribus aliis, contra rei geſtæ veritatem ſcribentibus, Damaſum indixiſſe hanc Synodum, hac in re antepono, ſcribit Launojus, quod iis eruditione & æquitate præſtet. Porro, quidquid id eſt, quod hactenus fuit obſervatum, oppido id confirmatur ex diſciplina, quæ inter ſecundam Synodum œcumenicam & tertiam in convocandis quibuſdam aliis Synodis reperitur obſervata. Nempe Theodoſius idem anno ſeculi labentis quarti poſt octogeſimum tertio indi-

xit Concilium ſectarum omnium in eadem Urbe Conſtantinopoli, teſtibus Socrate, Sozomeno & Nicephoro. Poſtmodum Imperator Arcadius convocato veluti Concilio Johannem Chryſoſtomum eligi curavit Antiſtitem Conſtantinopolitanum, commemorantibus id Socrate, Sozomeno & Theodoreto. Idem Arcadius congregavit Synodum Calchedonenſem, quæ etſi fœdo exitu fuerit conſummata, nuſquam tamen eſt adcuſata, quod Imperator illam congregaſſet, Socrate de hoc quoque teſtimonium præbente. Sic Imperatrix Eudoxia fieri juſſit Concilium Conſtantinopolitanum, quod quidem non minus exitu fœdo, quam Calchedonenſe fuit abſolutum, ſed tamen Concilii ipſius convocationem nemo tunc reprehendit, quaſi ab authoritate non legitima proceſſiſſet, de quo teſtatur Sozomenus. Ipſe poſtmodum Chryſoſtomus obſervat Imperatorem, ut Synodum velit congregare, ipſomet teſte Chryſoſtomo in prima ad Innocentium Pontificem Epiſtola. Videlicet, Chryſoſtomus chriſtianæ libertatis in Principibus adſertor non rogat Pontificem, cui ſcribit, ſed Imperatorem, ut Synodum convocet. Quin etiam Innocentius ipſe in hac cauſa Chryſoſtomi univerſale Concilium dicit eſſe neceſſarium, ſed non cogit ipſe, verum ab Imperatore Honorio ſcribit eſſe cogendum; quæ omnia perfecte conſtant, tum ex Innocentii literis, quas apud Sozomenum dedit, ad Clericos Conſtantinopolitanos, tum ex Palladio, qui vitam Chryſoſtomi tradidit memoriæ. Inſuper Theodoſius & Honorius in collatione Carthaginenſi id fecerunt, quod convocati à ſe Concilii locum poteſt tenere. Ea cum prolixe ex ipſa hac collatione propoſuit lectori Launojus, ſic pergit: Adparet, hanc collationem niſi reipſa ſit concilium, à concilio parum diſtare. Profecto quæ ibi proponuntur gerenda, ſpeciem referunt concilii. Dicebatur nimirum collatio, quæ progreſſu temporis concilii Africani ſecundi nomen accepit. Deinde hac in collatione Imperator Honorius, & Marcellinus, Judex ab Imperatore delegatus multa ſibi ſumunt, quæ Auguſtinus, qui interfuit collationi, quæ item Innocentius non reprehendit, ſine dubio reprehenſuri, ſi, quæ ſibi ſumunt Honorius & Marcellinus, ſcripturis ſacris, Eccleſiæ traditioni & ſedis Apoſtolicæ Decretis repugnaſſent. Scilicet Auguſtinus & cæteri Catholicæ partis Epiſcopi hæc ſua confirmarunt præſentia, quibus ipſe Pontifex Innocentius ſeu ſedes Apoſtolica ſuo conſenſit ſilentio. Theodoſius tandem coegit Synodum, à qua Siſinnius in Epiſcopum Conſtantinopolitanum conſecraretur, cujus rei monumenta Photius inſeruit Bibliothecæ codici poſt quinquageſimum ſecundo. Circa finem Epiſtolæ additur obſervatio de teſtimonio Nicephori ſupra laudato, ad confirmandam Imperialem Synodi Conſtantinopolitanæ convocationem, &c.

Additio.

ANte Launojum de hac Synodo & ejus convocatione adverſus vulgarem ſedis Romanæ Doctorum ſententiam egit ex profeſſo Edmundus Richerius in Hiſtoria conciliorum generalium, expreſſe ſcribens, Theodoſium M. indixiſſe eam, munitus authoritate Socratis, Theodoreti & Sozomeni, item Epiſtolæ ſynodalis ad Imperatorem, addita hac obſervatione, Damaſum Pontificem ex ſuo Epiſcopatu vel Patriarchatu nullum ſacerdotem aut Epiſcopum ad Synodum hanc miſiſſe, utut literis Theodoſii fuerit invitatus, atque ob id à Patribus Concilii non obſcure adcuſatus negligentiæ, & hanc quoque ob cauſam hoc concilium à Patribus Synodi Chalcedonenſis Orientale vocari; imo, ſicut Patres ad id convenerint mandato Imperatoris, ita etiam Synodo finita illos ab eodem diſerte confirmationem Actorum Epiſtola ſynodali, qua ſimul ei res à ſe geſtas explicarint, poſtulaſſe, ex qua ſex notatu digna lectori commendantur. Primo, Synodum à Theodoſio convocatam, quod dictum, atque ne verbum occurrere in ea de indictione à Damaſo facta. Secundo, eos ſingillatim in ea Imperatori narrare, quæ ſint confecta, & quod ante omnia mutuam inter ſe concordiam & conſenſum inierint, ut ſibi viam expeditiorem ſtruerent ad agenda. Tertio, eos quoque confirmationem fidei

Digitized by Google

Nicenæ & damnationem erroris Macedonii & Apollinaris contra eam notaſſe. Quarto, inſuper eos adjunxiſſe, quod ad regendam Eccleſiæ diſciplinam aliquot canones ediderint. Quinto, addere eos, ſe omnia hæc ad Imperatorem miſiſſe cum Epiſtola. Sexto tandem, eos à Theodoſio petere, ut hæc omnia ſuis literis, ſententia & ſigillo corroboret, id eſt, ut Acta venirent in rem judicatam. Si ita cenſet non ſine cauſa Doctor Sorbonicus, propugnatores abſolutæ & infallibilis Monarchiæ aliquam huic ſimilem Epiſtolam ſynodalem haberent, qua Patres alicujus Synodi clare (& non ænigmatice, uti Epiſtola Patrum Nicenorum fictitia ad Silveſtrum) à Pontifice Romano peterent, ut Acta ſuis literis, ſententia & ſigillo corroboret, triumpharent, & merito. Baronius quidem, (Bellarminus) Binius & collectores Conciliorum Romæ editorum, (aliique) ut demonſtrent, hanc quoque Synodum (quod de aliis etiam tradunt) à Damaſo Pontifice ſuam derivare authoritatem, referunt Epiſtolam Patrum Conſtantinopolitanorum ad Damaſum & alios Synodi Romanæ Epiſcopos, quæ apud Theodoretum extat. Sed reticent, ejuſmodi Epiſtolam non ex profeſſo, ſed per occaſionem integro poſt ſolutam, concluſam & confirmatam ab Imperatore Synodum anno à Patribus ſcriptam fuiſſe, in qua obſervari debent ſequentia. Et *primo* quidem ipſa inſcriptio Epiſtolæ, facta fratribus ac Collegis Damaſo, Ambroſio &c. quæ ratio ſcribendi demonſtrat clare, Orientales Damaſum non habuiſſe pro Monarcha Eccleſiæ, quod in progreſſu analyſeos clareſcet magis. *Secundo*, non obſcure carpunt in ea Occidentales, quod tribulationibus Eccleſiarum Orientalium minus compatiantur; quod inſuper clariſſime docet Baſilius in Epiſtola decima & poſt ſeptuageſimam ſeptima, ubi nominatim carpit ſupercilium Occidentalium, ac ejus præcipue, qui ſe caput Eccleſiæ reputet, quæ verba ut leniat Baronius, in omne latus ſe vertit. Certe hæ Baſilii Epiſtolæ ſunt ejuſmodi, ut lacrymas facile legentibus extorqueant. *Tertio* referunt, Epiſcopos Synodi Romanæ, Damaſum ſcilicet, Ambroſium &c, coacto Romæ Concilio curaviſſe, ut Orientis Epiſcopi velut propria membra per literas Imperatoris ad hanc Synodum Romanam convocarentur; ex quo perſpicue colligitur, Papam illo tempore Epiſcopos minime ſolitum evocare ad Concilia, qui ſuo Patriarchatui non eſſent ſubditi, ſed ubi neceſſitas habendæ Synodi occurreret, conſueviſſe eum monere & rogare Imperatorem, ut ſuis literis adcerſeret Metropolitas, ſicut videmus hic Orientales literis Theodoſii evocatos fuiſſe. *Quarto*, ſi adverſarii verba Patrum Conſtantinopolitanorum, quibus ſignificant Damaſo & collegis, quod ab iis per literas Imperatoris velut propria membra fuerint adcerſiti, ad Papam velut ad Eccleſiæ caput velint referre, opponendum eſt illis, hæc de tota Eccleſia Catholica intelligi, utpote in qua omnes ſumus in Chriſto corpus, ac alter membrum alterius, juxta doctrinam Pauli in Epiſtolæ ad Romanos capite duodecimo; atque ſic Papam in hoc corpore primum duntaxat eſſe membrum & Miniſtrum, nihilque aliud, quam ob cauſam Patres hic quoque eum vocarunt Fratrem & Collegam more aliorum. Profecto ſicut una eſt Eccleſia, ſic & unus eſt Epiſcopatus, cujus partem ſinguli in ſolidum poſſident Epiſcopi, tanquam ex æquo participes facti ſacerdotis Chriſti; eſtque Pontifex Romanus caput (tantum) miniſteriale hujus corporis. (N B. Ita Doctor hic Sorbonicus ſecundum hypotheſes apud moderatiores etiam in Papatu receptas ſcripſit.) *Quinto* reſpondent, ſe non poſſe Eccleſias ſuas adflictiſſimas, & lupis, id eſt, hæreticis expoſitas deſerere, ut Romam ſe conferant ad Synodum, cum jam anno ſuperiori Synodum habuerint Conſtantinopolitanam magnis cum laboribus, ac diu fuerint à ſuis Eccleſiis abſentes, nec temporis anguſtias pati, ut Epiſcopos ſuæ communionis poſſint evocare, earumque conſenſum ſuper hac re obtinere; quæ arguunt, nihil tum peragi ſolitum Monarchice in Eccleſia, ſed inito conſenſu Patrum. *Sexto*, ſi quid eſt in hac Epiſtola, quod Patroni poteſtatis abſolutæ ad ſuam rapere poſſint cauſam, hoc potiſſimum obcurrit, cujus meminit Bellarminus libri de Romano Pontifice ſecundi capite poſt decimum tertio, quod videlicet expreſſe adducunt mandatum literarum à Patribus Synodi Romanæ poſt Concilium

Digitized by Google

lium Aquilegienſe miſſarum ad Imperatorem Theodoſium; hinc enim objiciet quiſpiam, mandato literarum Damaſi Theodoſium convocaſſe Synodum Conſtantinopolitanam, atque ſic juxta Andreæ du Vallii ſententiam ſequi, ſolius eſſe Pontificis indicere Concilia. Verum reſpondetur, hæc verba plane ambigua lucem habere ab aliis clarioribus, imo clariſſimis & notiſſimis, uti mos eſt ignotum explicare per notius. Cum igitur ex literis Patrum Conſtantinopolitanorum ad Theodoſium ſupra jam explicatis liquido cognoſcatur, Theodoſium indixiſſe & confirmaſſe Concilium, atque ex his etiam clareſcat, Damaſum curaviſſe, ut Imperator literis ſuis Orientales adcerſeret ad Synodum Romanam, idque Acta omnium aliarum inſequentium Synodorum comprobent, concludendum & omnino, hæc ambigua ſic oportere capi, ut ſenſus ſit, Damaſum, ubi cognovit, Patres Eccleſiæ Orientalis ſignificaſſe Theodoſio neceſſitatem Synodi habendæ adverſus hæreſin Macedonii, quæ Divinitatem Spiritus ſancti negabat, ac Imperatorem literis ſuis ea de re ad omnes ſcripſiſſe Metropolitas, tandem ſuis etiam literis in ea fuiſſe ſententia, ut Concilium haberetur, & quidem Conſtantinopoli, idque Theodoſio declaraſſe; neque tum temporis oſtendiſſe, eſſe ſibi in animo, aliud Romæ Concilium habere ad hæreſin Macedonii damnandam. Atque ſic patet, Orientales hic non obſcure queri de Damaſo, quod cum magno Eccleſiarum incommodo aliud cogere velit Concilium in Italia, & illuc Orientales evocare, cum potius (Epiſcopos exinde) debuiſſet mittere Conſtantinopolim, atque Eccleſiis adflictis ſubvenire, nec ita Synodos Synodis in gravamen Eccleſiarum præcipue Orientalium adgregare, cum ex præſcripto canonum negotia iis in locis debeant terminari, ubi ſunt orta. *Septimo*, ut oſtendant, quam ſint pacis, concordiæ & charitatis Eccleſiarum ſtudioſi, mittunt Cyriacum, Euſebium & Priſcianum Epiſcopos, qui ſummam rerum à ſe contra Arianos & Macedonium in Synodo geſtarum deferant una cum fidei ſuæ communione & profeſſione; quo ex more ea ſenſim invaluit conſuetudo, ut omnes Patriarchæ, quamprimum eſſent conſecrati, ſummam profeſſionis fidei ſuæ ad alios Patriarchas tanquam ſuos collegas mitterent. *Octavo*, illos etiam inſuper de iis faciunt certiores, quæ pro diſciplina Eccleſiæ melius ordinanda conformiter ad canones Nicenos ordinarunt, maxime quoad ordinationem Paſtorum. *Nono* ſignificant, communi omnium Patrum & Eccleſiæ totius Conſtantinopolitanæ conſenſu Nectarium eſſe ordinatum illius Eccleſiæ Epiſcopum, poſtquam Gregorius Nazianzenus illum repudiaverit Epiſcopatum. *Decimo* addunt, cum Meletius ætate & pluribus exiliis pro Fide Nicena perpeſſis fractus ſupremum diem in ipſa Synodo obierit, clerum atque populum Antiochenum elegiſſe Flavianum, eumque à Patribus Synodi ordinatum fuiſſe, uti Cyrillum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quam omnium aliarum Matrem indigitant merito, quoniam eæ ex hac velut colonia quadam pietatis & religionis chriſtianæ ſint propagatæ. *Undecimo* demonſtrant pro firmamento Actorum omnia ex conſenſu catholico & communioni ſanctorum juxta canones eſſe geſta. *Duodecimo*, non à Damaſo tantum, ſed ab omnibus Epiſcopis Occidentalibus, qui convenerant ad Synodum Romanam, nominatim petunt, ut pro rebus à ſe geſtis ſecundum canones eis congratulentur, nequaquam vero, ut ea confirment, ſicut cavillantur adverſarii, & inter alios Andreas du Vallius, quaſi congratulatio idem eſſet atque confirmatio; qui in libri de Papæ ſuprema poteſtate partis quartæ quæſtione quinta tetxum hujus Epiſtolæ ſynodalis genuinum corrupit. Ubi enim Patres utuntur verbo συγχαίρειν ille vertit, conſentire, contenditque, idem eſſe prorſus, conſenſum & confirmationem petere. Quæ pueriles argutiæ manant inde, quod homo ſedi Romanæ obnoxius imaginetur ſibi, Papam eſſe abſolutum & ineffabilem Eccleſiæ Monarcham, abſque quo nihil quidquam poſſit in Eccleſia decerni. Et nihilo tamen minus Conſtantinopolitana Synodus hæc à ſolis Orientalibus fuit habita, qui ſolam congratulationem rei bene à ſe geſtæ petierunt ab Occidentalibus, demonſtrantes. Damaſum & Occidentales non poſſe hanc congratulationem & conſenſum ſuis Actionibus denegare abſque aliquo ſenſu

Schiſmatis & violatæ communionis ſanctorum. *Decimo* tandem & *tertio* declarant, ſe errorem quoque Apollinaris damnaſſe, qui docebat, Chriſtum ab æterno carnem habuiſſe humanam, ſed anima rationali carentem, & Divinitatem animæ naturam ſuppleviſſe, aut loco animæ ipſius fuiſſe. Damaſus autem Romæ Synodum coegerat, ut hæreſin Apollinaris jam à Patribus Conſtantinopolitanis condemnatam adhuc ſemel) damnaret, quod conſtat ex Theodoreto. Et qui nunc cogitate hæc adtenderit, facile dignoſcet, an Patres ſancti, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus & alii, qui huic Synodo Conſtantinopolitanæ interfuerunt, Damaſum habuerint pro abſoluto & infallibili totius Eccleſiæ Monarcha, ita ut abſque eo nihil poſſit in Eccleſia decerni; illorum Geſta enim hoc Patrum Africanorum proloquium in Epiſtola ad Papam Cœleſtinum comprobat, ſcilicet, Gratiam Spiritus S. Provinciæ unicuique non defuturam, modo Sacerdotes ſervent æquitatem & prudenter agant. Porro, huic Epiſtolæ Synodali Patrum Conſtantinopolitanorum Damaſi reſponſio ſubjicitur apud Theodoretum, quæ, ſi modo eſt Damaſi, ſuperiori Epiſtolæ Patrum Orientalium collata valde ſerpit humi, ut cuivis facile eſt cognoſcere ex utriuſque lectione. Primo, ſcribit Doctor Sorbonicus, non video, illum habuiſſe multum cauſæ, ut diceret, Patres Conſtantinopolitanos debitam ſibi tribuiſſe Reverentiam, cum ab illo invitati ad Synodum Romanam per literas Imperatoris ei duntaxat per occaſionem Anno poſt Synodi diſſolutionem & petitam ab Imperatore confirmationem integro, uti dictum eſt reſponderint, ac manifeſtæ eum negligentiæ & defectus charitatis cum cæteris Occidentalibus adcuſarint. Baronius quidem Lectori vult perſuaſum, quanquam Synodus hæc Conſtantinopolitana eſſet abſoluta atque Patrum ſubſcriptionibus confirmata, nihilo tamen minus quoſdam eventus & caſus retinuiſſe Patres Conſtantinopoli. Verum hoc gratis dicitur, falſique à Theodoreto arguitur. Secundo, quod hac reſponſione Damaſi memoratur, Patres Conſtantinopolitanos petiiſſe à Damaſo, ut Timotheum Apollinaris diſcipulum abdicaret, ne verbum quidem in Epiſtola Synodali hac de re legitur, certumque eſt, Timotheum à Patribus damnatum juxta Canones Nicenos & diſciplinam illo tempore uſitatam, quæ volebat Eccleſias gubernari Jure communi, & controverſias ibi terminari, ubi naſcerentur, quod ſæpius jam fuit obſervatum. Tertio, Damaſus novo ac inuſitato antehac utitur vocabulo, dum Patres Conſtantinopolitanos vocat filios, cum antea & poſtmodum ſemper fuerit moris, ut Fratres ac Collegæ adpellarentur. Utut ſit, hinc luce meridiana clarius evadit, ne quidem Damaſum ſe Eccleſiæ Monarcham eſſe cenſuiſſe, quanquam Cathedra blandiente quædam dixerit per αἴνιγμα quæ ſolius Veritatis referanda ſtudio commemorantur contra adulationem & ignorantiam permultorum, qui prædicant, Papam eſſe abſolutum & infallibilem Eccleſiæ totius Monarcham, quæ opinio Eccleſiam ad eam, quam videmus, redegit conturbationem, atque hæreticos (NB. condonandum & hoc eſt Viro alias erudito, ſed ſuis quibuſdam præjudiciis occupato) in ſuo obfirmat errore, viamque ad nova quotidie inſtaurat Schiſmata. Idem Baronius, (Bellarminus) Binius, Author Præfationum Hiſtoricarum in Editione Conciliorum generalium Romana, uti & Poſſevinus in Adparatu cum pluribus aliis contendunt, Damaſum huic Concilio omnem tribuiſſe authoritatem; ſed mera eſt ſuppoſitio principii, omni ratione, authoritate & teſtimonio deſtituta, uti liquet ex Hiſtoria. Enimvero, robur Actorum Synodalium eſſentialiter à communione Sanctorum & Catholico eorum conſenſu manat, & ubi ejuſmodi conſenſus intervenit, Papa Synodum concludere, ſuoque adſenſu more aliorum Acta probare tenetur, quia, uti docet Hieronymus, orbis major eſt urbe, quo apud Gratianum quoque refertur in Diſtinctione poſt nonageſimam tertia. At Baronius cum eodem Authore Præfationum Hiſtoricarum perſuadere nititur ex libello Photii de ſeptem Synodis, Patres Conſtantinopolitanos confirmationem Actorum petiiſſe à Damaſo, ſed, uti jam dictum, confirmationem pro conſenſu & congratulatione venditant, uti clare patet ex ipſis Photii verbis, quibus

dici-

Digitized by Google

dicitur, quod Damaſus Acta Synodi confirmans atque idem ſentiens adceſſerit; quo nimirum ex loco pateſcit, Synodum à Papa confirmari nihil aliud eſſe, quam ubi ad ſententiam Patrum adcedit, uti Damaſum adceſſiſſe refert Photius. Nam idem ſentiens atque conſenſum præbens dat Symbolam atque conteſſerationem ſuæ Fidei & voluntatis, ac ſeſe obſervationi & executioni Canonum more aliorum Epiſcoporum obſtringit, uti ſæpius jam dictum, atque ſæpius eſt iterandum, ſcilicet, Acta Synodalia eſſentialiter conſenſum plurium & liberam deſiderare comprobationem. Profecto, nunquam ſatis hominum propriæ cupiditati & adulationi ſervientium ingenia licet deplorare, qui, ſi forte in vocabulum aliquod æquivocum aut ambiguum incidant, quod cauſæ ſuæ tantillum imaginantur adſtipulari, illud aviditſime arripiunt atque oſtentui habent, ut fucum faciant imperitis, & hinc tot ac tantæ concertationes ac ſcriptiones ſophiſticæ Chriſtianorum indigniſſimæ. Equidem, ſi, uti Theologos decet, dogmatice & proprie velimus loqui, in hoc Concluſio diſcrepat à confirmatione Synodi, quod Concluſio fiat à Prælato, qui præſidet Synodo, & ſubductis Patrum ſuffragiis inito majore numero concludit; confirmatio autem ab Imperatore, ut Acta abeant in rem judicatam, quod, ut fiat, vi externa & coactione opus eſt, qua Eccleſia caret jure Divino. Itaque ſtatim ac Concilium a Patribus erat concluſum, Imperatores aut à Patribus rogati, aut etiam ſponte ſua Leges proponere conſueverunt pro Canonum executione; quemadmodum ſi hodie Rex Galliæ ferret edictum, quo Synodum Tridentinam in Regno ſuo decerneret obſervari, ſic ſine Synodum illam confirmare aut comprobare diceretur, vel quemadmodum antehac Imperatores octo priores Synodos univerſales certum eſt confirmaſſe, adeo ut Patres ad Concilium edictis Imperatorum convocati, ubi illud concluſiſſent, prius ex ſtatione pedem non moverent, quam ab Imperatoribus & Acta confirmari & veniam abeundi peterent, hinc demum, ſi eis videbatur conſultum, ſummam rerum geſtarum ad Epiſcopum Romanum perſcribentes. Verum, quod ſupra dictum, Papam teneri ad conſenſum Catholicum & communionem ſanctorum adcedere, confirmatur à Leone M. apud Gratianum in cauſæ poſt vicesimum quintæ Quæſtione prima, ſcribente, quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſenſus, nullam magis exequi ſedem præ cæteris oportere, quam primam; quæ conformiter ſcripta ſunt ad diſciplinam Apoſtolicam & Canonum Nicenorum. Quod autem poſtea cathedra blandiente ſubjunxit, Sedem primam unamquamque Synodum authoritate ſua confirmare & moderatione continuata cuſtodire; hoc quidem Canonice, non Monarchice interpretandum eſt; ita ut ſenſus ſit, Sedem Apoſtolicam confirmare Synodos ſuum præbendo adſenſum, non autem, quod tota vis & robur Synodi ab illius hauriatur authoritate, uti adulatores ignari aut homines obnoxii fingunt. Certe, authoritates ſummorum Pontificum in ſua cauſa reverenter ſunt gloſſandæ ac interpretandæ, ut alicubi ſcribit Gerſon & Johannes Major. Cæterum, ridiculus valde eſt du-Vallius, dum loco ſupra citato, Quæſtione ſecunda Codicem pervetuſtum Bibliothecæ Vaticanæ commemorat, in quo legatur, Damaſum Macedonii & Eunomii (id eſt, latam contra eos) ſententiam præcepiſſe etiam in Synodo ſecunda confirmari, quæ ejus præcepto & authoritate apud Conſtantinopolim ſit celebrata. Sed præſtaret hæc ex aliquo Patre antiquo vel Authore probato, quam Bibliotheca Vaticana depromſiſſe, quia Tabulis Vaticanis, præſertim in cauſa Pontificum, tantum Fidei debet adhiberi, quantum Juri Divino, Naturali & Canonico concordat. Porro, quoniam du-Vallius futilem nectit Syllogiſmum, quo vult efficere, Damaſum eo modo Synodum indixiſſe Conſtantinopolitanam, quo Silveſter Nicenam convocaverit, cum alio validiori Syllogiſmo, *quin* validiſſimo & certiſſimo remunerabimur, ut habeat, quod cum & ſententiæ ſuæ patronos acriter pungat. Nempe, quidquid in celebratione Conciliorum generalium jure peractum eſt ab Imperatoribus indicante Imperii Romani Majeſtate, & exurgente Pontificum Romanorum au-

thoritate, id quoque à Constantino & Theodosio, Imperio adhuc florente peragi potuisse, & quidem jure, certissimum est. Atqui ex Actis sex posteriorum generalium Conciliorum, quæ prostant integra, liquet, Imperatores inclinante jam Imperii Majestate, & exurgente in dies singulos Pontificum authoritate, Concilia generalia indixisse & confirmasse, iisdemque insuper etiam præsedisse, & quidem jure. Igitur eodem jure licuit Constantino & Theodosio, florente adhuc Imperii Majestate, Concilia Nicenum & Constantinopolitanum indicere, convocare, confirmare, ac eisdem præsidere. Observabit autem hic Lector, sub Theodosio juniore, scilicet, tempore primæ Synodi Ephesinæ, Gothos, Vandalos, Francos & alias gentes barbaras cœpisse in Imperium Romanum incumbere, ac proinde pedetentim vires & Majestatem Imperii magnam accepisse inclinationem, contra vero potestatem Papæ sensim adcrevisse. Ita *Richerius* ante Launojum, post quem ad eundem fere sensum de hoc argumento nuper disputavit Natalis Alexander, Doctor quoque Sorbonicus, qui alias in pluribus Launojo adversarium sesuit, hic autem vi Veritatis coactus ejusdem pressit vestigia, inter Dissertationes Ecclesiattico-Historicas ad seculum quartum pertinentes peculiarem huic controversiæ consecrans, hac proposita Conclusione, Synodum hanc Constantinopolitanam ab Imperatore Theodosio, & inconsulto quidem Damaso Pontifice convocatam fuisse. Et quidem ejus primam partem niti scripsit authoritate Socratis, Sozomeni, Theodoreti, ipsius Epistolæ Synodalis, item Inscriptionis Canonum Synodicorum in antiquis Ecclesiæ codicibus, Authoris quoque anonymi Vitæ Pauli Episcopi Constantinopolitani apud Photium in Codice post ducentesimum & quinquagesimum septimo *Bibliothecæ*; secundam vero partem ejus, videlicet, quod inconsulto Pontifice fuerit convocata Synodus hæc, demonstrare adnisus est, primo ex omnium Historicorum silentio, utpote, qui nulla Damasi mentione facta de hujus Synodi convocatione loquantur. Secundo ex eo, quod nullos ad Synodum hanc Legatos miserit Damasus, procul dubio missurus, si convocationis illius extitisset particeps. Tertio inquit, si Damasus convocasset hanc Synodum, convocasset ad eam Episcopos Occidentis quoque cum scribat Theodoretus jussisse Imperatorem convenire Episcopos sui duntaxat Imperii, qui vero soli imperabat Orienti; atque hinc constat, non ex sententia Damasi convocatam esse hanc Synodum. Baronius quidem (Bellarminus) & Binius in contrarium nituntur primo authoritate Synodi sextæ generalis, ejusdemque Actione post decimam octava, ubi Theodosius & Damasus simul errori Macedoniano dicuntur obstitisse; secundo arguentes ex veteribus Ecclesiæ Romanæ monumentis, dum in Codice antiquissimo Bibliothecæ Vaticanæ, nec non in alio S. Mariæ majoris legitur; tertio ex Nilo Rhodiorum Metropolita ac ejus Enarratione Conciliorum generalium Synodica, qui præfuisse huic Synodo scripsit Damasum & Nectarium &c. quarto è testimonio Lucentii Sedis Apostolicæ Legati in Synodo Chalcedonensi, dicentis, nullam Synodum fuisse celebratam absque Pontificis Romani authoritate; quinto tandem è testimonio ipsius Damasi, apud Theodoretum in Epistola ad Illyricos scribentis, nullius esse momenti Decreta Synodi, cui ipse per se, vel per Legatos non præbuisset adsensum. Nullius igitur essent momenti Decreta Synodi hujus, nec œcumenici nomen & honorem mereretur, nisi Damasus convocasset illud, eique per Legatos præfuisset. Verum respondet Doctor Sorbonicus ad primum, non sequi, quod convocaverit Damasus hanc Synodum, ex eo, quod impietati & erroribus Macedonii obstitit. Annon enim, inquit, est obstitisse, quod in Synodo Romana hæresin Macedonianam confixit anathemate, ac Libellum ea de re Synodicum ad Paulinum Episcopum Antiochenum, Diœceseos Orientalis tunc Patriarcham direxit, & insuper ea, quæ Constantinopoli adversus Macedonium fuere decreta, suo confirmavit adsensu? Ad secundum, dubiam esse ac suspectam Codicum illorum, licet pervetustorum, fidem, utpote quibus omnium veterum Historicorum & ipsius Epistolæ Synodalis à Patribus ad Imperatorem datæ refragatur autho-

thoritas. Ad tertium, ejuſdem eſſe ponderis Nili ac nihili authoritatem, ut qui infinities ſit hallucinatus in Hiſtoria Conciliorum, ut Viri eruditi dudum obſervarunt. Ad quartum & quintum, non poſſe quidem Synodos convocari inconſulto Pontifici Romano, quæ œcumenicarum nomine celebrentur in Eccleſia; (NB. Ita hic etiam ſcriptor ſentit juxta hypotheſes à Sede Romana nunc receptas) ſed nihil obſtat, abſque ejus authoritate Synodos nationales, vel totius etiam Orientis Concilia convocari, quæ œcumenicæ (vel œcumenica) quidem non erunt vi convocationis ab Imperatoribus, Patriarchis vel Metropolitis factæ, œcumenicam tamen conſequentur authoritatem, ſi hanc illis contulerit Pontificis Romani & totius Eccleſiæ Occidentalis conſenſus. Atque ſic etiam Synodus Conſtantinopolitana literis & juſſu Theodoſii Imperatoris ex ſolis Orientalibus Epiſcopis fuit convocata, unde vi convocationis ſuæ Synodus erat ſolius Orientis; quæ tamen ex poſt facto œcumenica, Damaſo totaque Eccleſia Occidentali hanc illi ſuo conſenſu dignitatem & authoritatem tribuentibus. Hinc Photius in libello de ſeptem Synodis ad Imperatorem Michaelem, ubi illuſtriores Synodi hujus Epiſcopos recenſuit, hæc ſubdit, quod eis haud multo poſt & Damaſus eandem confirmans atque ſentiens adceſſerit. Synodus itaque hæc Conſtantinopolitana eatenus etiam Damaſi mandato celebrata poteſt dici, quia ejus authoritate fuit adprobata, juxta Regulam Juris antiquam, qua fertur, Ratihabitionem retro trahi & mandato æquiparari. Concilium igitur Orientis Conſtantinopoli celebratum eſt, Concilium vero Occidentis Romæ peractum. Hoc Damaſus, illud Theodoſius convocavit; ex utroque autem in unam Fidem & ſententiam conſpirante reſultavit Synodus œcumenica. Id forte ſpectabat Ambroſius, cum in Synodo Aquilegienſi dixit, tempore ſuperiori ſic factum eſſe Concilium, ut Orientales in partibus Orientis conſtituti haberent Concilium, Occidentales vero in Occidente. Porro, quod Synodus hæc Conſtantinopolitana per ſe non habita ſit proœcumenica, ex Epiſtola Concilii Italiæ ad Imperatorem Theodoſium colligitur, ubi Patres Concilium generale opponunt Synodo huic Conſtantinopolitanæ, Concilium generale illud adpellantes, quod à Damaſo Romæ fuerat indictum ad cauſam Maximi diſcutiendam; quod cum Epiſcopi Orientales detrectaſſent, Antiſtites Italiæ iterum poſt Concilium Aquilegienſe rogarunt Imperatorem Theodoſium, ut Romæ Synodus generalis Orientalium ſimul & Occidentalium cogeretur, ad quam convocati (rectius, invitati) à Damaſo Orientales Epiſcopi ſuam Conſtantinopoli excuſarunt moram, quod in Oriente ob Eccleſiarum diſcrimen detenti Romam proficiſci non poſſent, temporis angustias inſuper cauſati, agnoſcentes nihilominus authoritatem Pontificis Romani, qua eos ad Concilium jure convocabat, rectius, invitabat. Hæc ibi Doctor Sorbonicus de convocatione & hinc authoritate hujus Synodi adverſus communem ſententiam; quæ enim Articulo proxime ſequenti habet de ejuſdem præſidentia, ſuo infra loco exhibebuntur. Non poſſum vero, quin Triumviris hiſce a Baronio, Bellarmino & Binio, quos alii plerique catervatim ſequuntur, in hoc argumento diſſentientibus adjungam comitem Chriſtianum Lupum Doctorem Lovanienſem, juratum alias Launoji hoſtem, ac Majeſtatis Pontificiæ defenſorem acerrimum, cujus vero oculos utplurimum laborantes radii Veritatis in hac quæſtione ita illuſtrarunt, ut non potuerit non manus dare ac ſe victum agnoſcere. Quæſtio eſt, inquit in Diſſertatione, quam ſcholiis ad Canones hujus Concilii ſubjunxit, an à ſolo Theodoſio, an etiam à Damaſo Pontifice hæc Synodus fuerit convocata? Convocatam à Damaſo etiam adfirmat antiqua per Mauritium Mileſium publicata hujus Pontificis vita, narrans, eam præcepto & authoritate ejus celebratam, ac ei præfuiſſe Timotheum Alexandrinum, Meletium Antiochenum, Cyrillum Hieroſolymitanum & Gregorium Conſtantinopolitanum. Hoc ipſum in ſermone ad Principem adclamatorio adfirmat Synodus ſexta. Et Nilus Rhodiorum Metropolita commemorat, præfuiſſe Damaſum, Nectarium, Timotheum Cyrillum, Meletium, Gregorium quoque Nyſſenum & Amphilochium Iconienſem. Reſpondeo tamen,

inquit

inquit Lupus, eam à ſolo Theodoſio congregatum, utpote ſingularem ſolius Orientis, ad ejus etiam ſolius motus Nicena Fide confirmata componendos inſtitutam. Nulla enim legatio, nulla Epiſtola Apoſtolica adfuit, ſine quibus fieri nequit totius Eccleſiæ Synodus generalis. Quomodo autem à Nilo dicatur præſidiſſe Damaſus, exponit Photius in literis de ſeptem Synodis generalibus ad Michaelem Bulgariæ Principem, ajens, præſidiſſe Timotheum, Meletium, Cyrillum, Nectarium, addens, eis haud multo poſt & Damaſum eadem confirmantem atque ſentientem adceſſiſſe, id eſt, jam factam ſine juſſu ſuo Synodum habuiſſe ratam & confirmaſſe. Subjungit porro Lupus contra ſcriptorem vitæ Damaſi, dicti item quatuor Epiſcopi nequeunt authoritate Apoſtolica præſidiſſe. Etenim Timotheus Alexandrinus non niſi poſt canones conditos & ſymbolum jam publicatum advenit, atque non niſi poſt ejus adventum Nectarius creatus fuit Epiſcopus; Cyrillus autem erat tum adhuc ex Macedoniano Neophytus, atque de Meletio adductus ſcriptor vitæ Damaſi habet, Antiochiæ tres fuiſſe hæreſiarchas, Meletium, Vitalem atque Paulinum, quæ tamen paucæ voces tot habent errores, quot ſyllabas ideoque Authorem ſuum nullius eſſe fidei produnt. Utut autem ſit, Epiſcopatum Meletii nunquam Eccleſia probavit Romana, ideoque vices præſidendi nequit illi Damaſus dediſſe. Ob ſedium ergo ſuarum prærogativam, & doctrinæ ſingularis aut poteſtatis meritum dicuntur præſidiſſe: quomodo in literis ad Zenonem Auguſtum Felix hoc nomine tertius Pontifex Epiſtola ordine quinta ſcripſit, Synodo Nicenæ Euſtachium Antiochenum præſidiſſe: quomodo item Juvenalis Hieroſolymitanus, Thalaſſius Cæſarienſis & Baſilius Seleucienſis in Conciliabulo vel potius Latrocinio Epheſino dicuntur fuiſſe Primates Synodi. Videntur quidem aliquam habere difficultatem verba Synodi Calchedonenſis in relatione ad Marcianum Imperatorem, quæ ſignificant, inter eos, qui peſtilentiam Apollinaris detexerunt, Nectarium cum Gregorio Principatum tenuiſſe; ut & verba in ſermone adclamatorio ad Principem Synodi ſextæ, quæ itidem teſtantur, Gregorium & Nectarium congregaſſe conventum. Verum, qui ſimul Epiſcopi non fuere, quomodo poſſunt ſimul Synodo præſediſſe, aut illam congregaſſe? Igitur reſpondeo, ſcribit Lupus, tempora eſſe diſtinguenda, duaſque aut tres intra breve tempus Synodos Conſtantinopolitanas errore quorundam confuſas in una fuiſſe, quarum primæ Gregorius, ſecundæ & tertiæ Nectarius præſedit. Hinc apud Juſtellum libellus Authoris incogniti ſynodicus Synodum œcumenicam Conſtantinopolitanam à Synodo Nectarii, trium dictarum poſtrema recte diſtinguit. Atque ſic etiam de hac Synodo adverſus gregales ſuos ſcripſit Lupus, cujus teſtimonii uſus erit quoque, ubi ſuo infra loco de Præſide ejuſdem contra Bellarminum ex ingenua confeſſione Launoji agetur. Inter id non plane nullius erit operæ pretium hic inſuper obſervaſſe, quod præter alia, eaque non vulgaria, Staniſlaus Felix Colonienſis, ſcriptor non obſcurus, nec obeſæ naris, ſedique Romanæ addictus, in Notis ad Cardinalis Pallavicini Hiſtoriam Tridentinam cenſuit urgendum, quod ſicut in adparatus capite duodecimo, quod integrum Synodo Nicenæ adverſus Petrum Suavem illuſtrandæ, vel potius obſcurandæ conſecravit, contra Perronium ſtatuit, nullum in ea Epiſcopum nomine Occidentalis Eccleſiæ præſentem fuiſſe, ita capite ſequenti de nomine Synodi œcumenicæ agens in genere, de Synodo hac Conſtantinopolitana in ſpecie ſcripſerit, eam non à Damaſo Papa, ſed ab Imperatore tantum Theodoſio, & quidem Damaſo non conſentiente convocatam fuiſſe. Id. Lector Veritatis ſtudioſe, ideo præſertim noto, quia poſterius hoc obſervatum, quod laudatus Author tam ægre fert, in Verſione Latina, quæ ipſius operis Italico ſermone primum conſcripto Editionem Romam poſt integrum Antverpiæ ſequebatur luſtrum, non comparet, ſed illud tantum, ubi Synodi hujus Conſtantinopolitanæ mentio incidit, ei extra controverſiam de optimo jure adpellationem œcumenicæ Synodi convenire, quia ut talis à Damaſo Eccleſiæ univerſalis capite fuerit adprobata. En, quod Romæ Italico ſermone conſcriptum fuit adprobatum, Antverpiæ in verſione Latina fuit alto obrutum ſilentio, quod documento

poteſt

poteſt eſſe, Antverpienſes Latinos præ Italis Romanois in defendenda Pontificis authoritate perſpicaciores videri.

Digreſſio ex Hiſtoria Conciliorum generalium Edmundi Richerii de Synodo Carthaginenſi ſexta.

HAnc ideo hac lubet interſerere, quia inter Synodum Conſtantinopolitanam & Ephelinam, utramque generalem interceſſit media, utut non generalis, digna tamen, cui aliqualis impendatur nova, utpote quem ei honorem hic etiam Doctor Sorbonicus adtribuit, non ſemel Bellarmini methodum diſputandi circa hoc argumentum graviter perſti ingens, ut principio ſtatim pro more Hiſtoriam ejus recenſet hunc in modum: Circa annum ſeculi poſt Chriſtum quinti decimum & quintum, cum Patres Eccleſiæ Africanæ, inter quos erat Auguſtinus, ex præſcripto quinti Canonis Niceni & ſecundi Conſtantinopolitani omnes controverſias Africæ provinciarum Synodis provincialibus, ubi tum ubique moris erat, deciderent, contigit, quendam Eccleſiæ Siceenſis in Africa Presbyterum nomine Apiarium ab Urbano ibidem Epiſcopo ob mores depravatiſſimos dejici de gradu, cauſamque in Synodo provinciali Eccleſiæ Africanæ adprobari. Quocirca Apiarius, ut reſtitueretur in integrum, ad Papam Zoſimum confugit, ab eoque obtinuit, ut Fauſtinum Eccleſiæ in Italia Potentinæ Epiſcopum, cum Philippo atque Aſello, Eccleſiæ Romanæ presbyteris Legatos à latere in Africam mitteret, ut cauſam Apiarii tractarent de integro, & pro executione ſententiæ opem Præfecti provinciæ implorarent, ac inſuper Urbanam Eccleſiæ Siccenſis Epiſcopum evocarent Romam, aut, niſi ea, quæ Legatis corrigenda videantur, emendaret, excommunicatione innodarent; atque hoc jus obtendebat Zoſimus ſibi tum canonibus Nicenis, tum conſuetudine inveterata competere. Eo autem tempore Fauſtinus Zoſimi Legatus adpulit in Africam, quo Patres Eccleſiæ Africanæ ducenti & ſeptendecim numero Concilium generale ex omnibus Africæ provinciis habebant, eum in finem, ut collectionem Canonum omnium Africæ Conciliorum facerent, qualem nunc Græce & Latine habemus conjectam in codicem canonum Dionyſii Exigui & Nomocanonis Photii. Verum audita Legati Pontificis propoſitione Africani Patres rei novitate obſtupefacti, cum anno eodem Zoſimus viam univerſæ carnis fuiſſet ingreſſus, ad Bonifacium ejus ſucceſſorem reſcripſerunt, ſe in Codicibus Latinis Synodi Nicenæ nunquam legiſſe, quæ commonitorio Zoſimi narrabantur, ac eam ob rem authentica & genuina Synodi Nicenæ exemplaria ab Eccleſiis Orientalibus eſſe mutuanda, ſeque hac de cauſa miſſuros ad Conſtantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam & alias Orientis Eccleſias, quin & rogare Bonifacium, ut ad illas eundem in finem non gravetur ſcribere; interea autem & lite adhuc pendente quoad vera Synodi Nicenæ exemplaria adferrentur, commonitorio Zoſimi morem ſe geſturos, id eſt, Apiarium ad communionem ſuam admiſſuros. Porro, cum inter altercandum Alypius Numidiæ Epiſcopus & Legatus dixiſſet, Canones à Zoſimo pro canonibus Nicenis laudatos eſſe fidei ſubleſtæ, confeſtim Fauſtinus Zoſimi Legatus nulla mentione vel Sardicenſis vel Nicenæ Synodi facta Patres Africanos rogavit, ut hanc Canonum perquiſitionem charitate fraterna curarent peragi, ne contentio inter Eccleſias naſci videretur; ex qua Fauſtini reſponſione liquet, illum pro Eccleſiæ Monarcha abſoluto Pontificem Romanum non habuiſſe, atque omnino incertum fuiſſe de iis, quæ ad normam Canonum Nicenorum cupiebat definiri. Quod autem petiit, ut charitas fraterna ſervaretur, hoc ipſe ſibi primum debuit imperare, quippe qui novum aliquem dominatum charitati penitus adverſum contra Canones inveheret; nihil enim Charitati tantopere eſt infeſtum, quam dominatus & potentatus Clericorum. Verum, cum Legati Eccleſiæ Africanæ proficiſcerentur in Orientem, permulti Epiſcoporum

Digitized by Google

ſunt conqueſti, ſe tamdiu ab Eccleſiis abeſſe non poſſe. Hanc ob cauſam delecti ſunt ex omnibus Provinciis Legati, qui, quam primum ex Oriente adlati eſſent Canones genuini, finem controverſiæ huic ambitioſæ imponerent. Intermedio autem tempore in unum Codicem Canones univerſi Synodorum Africanorum conjecti, & communi Eccleſiæ Africanæ conſenſu adprobati ſunt atque recepti ad Eccleſiam in Africa gubernandam. Sex autem & circiter anni in controverſia hac enodanda decurrerunt. Nempe, primus eam ſollicitavit Zozimus, deinde ſub Bonifacio continuavit, tandemque ſub Cœleſtino fuit definita, ſcilicet, quamprimum Legati Eccleſiæ Africanæ redierunt ex Oriente cum literis Cyrilli Alexandri & Attici Conſtantinopolitani Patriarcharum, quibus ſignificabant, Patres Nicenos non plures, quam viginti Canones condidiſſe, qui omnium manibus terantur. Itaque Patres Africani Epiſtolam ſynodalem ſuper hac controverſia ad Cœleſtium Papam ſcripſerunt, quæ in Tomis Conciliorum & codice canonum Dionyſii Exigui exhibetur, an formam diſciplinæ Apoſtolicæ ſecundum jus commune & canonem quintum Synodi Nicenæ nobis ita conſecrat, ut à nemine poſſit verti in ambiguum. Quo autem de hac controverſia à Zoſimo excitata omnes eò facilius queant judicare, Doctor Sorbonicus, poſtquam adpoſuit eam, ejus & nonnullorum ſextæ hujus Synodi Carthaginenſis articulorum analyſin inſtituit, ad aliquot eam capita revocans. Et *primo* quidem oſtendit commendari ſedis Apoſtolicæ primatum. Quamvis enim, inquit, Patres Eccleſiæ Africanæ ægrius ferrent Munitorium Zoſimi, nihilo tamen minus magna cum reverentia ſpondent, lite adhuc pendente, & quoad genuini canones Niceni adferrentur ex Oriente, ſe, quidquid illo continebatur, ſervaturos, Apiarium admittentes ad communionem, uti Zoſimus mandabat, quod ſupra dictum, atque teſtatur de eo laudata ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem Epiſtola, circa cujus tenorem rogat adverſarios Doctor Sorbonicus, ut ingenue dicant, an conveniat hominibus Papam pro Monarcha agnoſcentibus? Quid porro dicere adtinet, eoſdem Patres Africanos, ut huic potentiæ gliſcenti & Afrorum quorundam adſentationibus irent obviam in Synodo ſub eodem Bonifacio Canonem ſextam edidiſſe, ***Ne primæ Sedis Epiſcopus adpellaretur Princeps Sacerdotum aut ſummus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus?*** Atque hoc eo tempore factum, quo Pontifices Romani Principatum in Eccleſiis Monarchicum ſibi volebant adrogare; hunc namque Canonem de illis ac aliis ſeculis primis intelligi oportere, ſatis patet ex illorum temporum Hiſtoria ac Eccleſiæ univerſalis praxi, quæ Canonem hunc in Oriente & Occidente adprobavit, uti liquet ex Nomocanone Photii & codice Dionyſii Exigui. Addatur illud, Epiſcopos Africæ Pontificem Romanum nunquam adpellaſſe principem aut ſummum Sacerdotem, ut huic canoni ſatisfacerent. *Secundus* docet, Pontifices Romanos nihil tunc temporis auſos ſibi adſumere, quod canonibus non eſſet præſcriptum. Nam Zoſimus non petiit jus cognoſcendi & ſtatuendi de cauſis Eccleſiaſticorum per Legatos à latere tanquam ſibi Divino aut Monarchico jure debitum, ſed velut privilegium aliquod Canonibus Nicenis Eccleſiæ Romanæ indultum. *Tertium* notabile eſt, Patres Africanos Concilium congregaſſe ſtatim atque Fauſtinus Sedis Romanæ Legatus adpulit in Africam; quod vero non intelligendum de primo ejuſdem adventu, quamprimum adtulit Zoſimi commonitorium, tunc enim reperit eos jam congregatos, ut ſupra dictum, ſed quando in Africam ſub Cœleſtino rediit, reverſis ex Oriente Legatis Africæ, quia, uti fuit inſuper obſervatum, integrum in hac controverſia lapſum eſt ſexennium, & Patres Africani, ubi literas Cyrilli Alexandrini & Attici Conſtantinopolitani acceperunt, & Fauſtinus Roma rediit, Synodum habuerunt, ut eo præſente Apiarii cauſa ſecundum canones Nicenos decideretur. *Quartum*. Apiarii cauſam ejuſmodi fuiſſe, ut patrocinium potius Fauſtini, quam judicium, & indulgentiam magis, quam perquiſitionem aut definitionem poſceret. *Quintum*, eundem Fauſtinum Patribus Africanis valde moleſtum atque injuriam feciſſe, primo ſcilicet in Africam adventu, idque propter Eccleſiæ Romanæ privilegia, quæ habebat

Digitized by Google

bebat oſtentui, contendens, Apiarium admitti oportere ad communionem in Africa, eo ipſo, quod Pontifex Romanus eum recepiſſet in communionem ſuam. Teſtatur de hoc Patrum Africanorum Epiſtola ad Cœleſtinum, ac querela in eadem contenta, quæ demonſtrat expreſſe, Eccleſiam Romanam ſumi pro Eccleſia particulari, nec idem eſſe, Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ communione donari vel excludi, ſiquidem Africana Apiarium, quem Romana donaverat communione ſua ejecit. *Sextum*, Apiarium ideo admiſſum fuiſſe ad communionem Eccleſiæ Romanæ, quoniam Papa ſibi perſuaſerat, eum adpellaſſe ad ſedem Apoſtolicam. Quotquot enim loco Aſyli habebant Romam, Pontifices Romani ad ſedem Apoſtolicam adpellaſſe ſibi perſuadebant, eoſque propterea ad ſuam communionem incognita ſæpe cauſa admittebant. Atque hinc illi fletus Baſilii in Epiſtolis, ſicut & Patrum Africanorum ſtrenue ſe opponentium ejuſmodi uſurpationibus contra jus commune invectis, ſiquidem docent, Cœleſtinum non potuiſſe Apiarii adpellationem comprobare. Monendus hic Lector eſt, omnibus inditum eſſe hominibus à natura, ut nimirum ſe ament, ac plus ſibi, quam ratio poſtulat, ſæpius adſumant; ex quo adcedit, ut Pontifex Romanus, cum ſibi perſuaderet, ſe parem habere in rebus Eccleſiaſticis poteſtatem, quam Imperator habeat in politicis, facile quoſcunque Apiarios ad communionem reciperet contra leges Eccleſiaſticas, quod mirum in modum ampliandi poteſtati Pontificiæ conduxit. Procul dubio enim Fiſcales Judices iis potiſſimum gratificantur, qui in eorum Moletrinas derivant aquam. *Septimo* probant, Apiarium poſt multas tergiverſationes ac effugia tunc demum maximo providentiæ Divinæ beneficio in publicam omnium ſibi objectorum criminum confeſſionem erupiſſe, & magno illorum opprobrio, qui Romæ illum pronuntiarant innocentem; & quia in communionem admiſerant, ab aliis etiam admitti volebant. *Octavo* docent, ne quidem per Canones Nicenos licuiſſe Pontifici Romano Sacerdotes ab ordinariis ſecundum jus commune excommunicatos admittere ad communionem in ſuo etiam Patriarchatu. Itaque niſi, quos verbi cauſa Epiſcopi Africæ excommunicarunt, ubique habeantur excommunicati, neque pax, neque diſciplina, neque communio Sanctorum, à qua dependet unitas Eccleſiæ, ullo poterit ſervari modo. Præterea ex Canonum diſciplina liquet, illum tantopere vitandum fuiſſe, quem Epiſcopus Seicenſis in Africa excommunicaſſet, quam à Pontifice Romano excommunicatum. Enimvero cum omnes membra ſimus myſtici corporis, invicem compati & vitanda vitare, amplexanda vero amplecti debemus, nec unus omnia ſibi pro animi arbitrio contra Canones poteſt adſumere; æque enim Pontifex Romanus, quam alii Epiſcoporum Canonibus Eccleſiaſticis & diſciplinæ eorundem obſtringebatur. *Nono* ex Canonibus Nicenis urgent, omnes Clericos, cujuſcunque ſint gradus aut conditionis, ſive Epiſcopos, ſive presbyteros permitti Metropolitanorum regimini, hocque pertinere ad jus commune. Hanc Patrum Africanorum adſertionem Canonibus conformem eſſe docent Canon quintus & ſextus Synodi Nicenæ, nonus, decimus & quartus & quintus Antiochenæ, ſecundus & ſextus Conſtantinopolitanæ, ſeptimus tertiæ Carthaginenſis, viceſimus item ſecundus Milevitanæ ſub Inocentio. Atque hinc colligitur perſpicue, nec Epiſcopis, nec Presbyteris licuiſſe à jure communi deſciſcere, ut judicia tranſmarina, hoc eſt, Curiam Romanam jam ſenſim monarchizantem ſectarentur. Hunc vero modum Bellarminus non ſolvit, ſed involvit libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt viceſimum quarto, (ex quo ſupra etiam aliquid contra Bellarminum à Launojo fuit obſervatum) ſcribens, Canonem Milevitanum non eſſe ad propoſitum, quia quæſtio de adpellationibus ad Pontificem Romanum non ſit de adpellationibus Presbyterorum & Clericorum minorum, ſed Epiſcoporum, quia Concilium Sardicenſe, quod Epiſcopos voluit adpellare poſſe ad Pontificem Canone quarto & ſeptimo, voluit etiam cauſas Presbyterorum & Clericorum minorum terminari apud Epiſcopos vicinos, ita ut liceat clericis minoribus adpellare ab Epiſcopo ſuo ad alios ejuſdem Provinciæ Epiſcopos, uti habet canon poſt decimum

num ſeptimus ejuſdem Concilii Sardicenſis; Canonem vero Milevitanum de Presbyteris & clericis minoribus loqui, non autem de Epiſcopis, patere tum ex Auguſtini, qui concilio huic interfuit, Epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam ſecunda, tum ex verbis ipſius concilii, quod adprobaverit Innocentius in Epiſtola ad concilium, quæ numero poſt nonageſimam tertia inter Auguſtinianas legitur, id non futurus, ſi in eo Sedi Apoſtolicæ aliquid fuiſſet derogatum. Ac, licet fuerit prohibitum clericis ordinis inferioris adpellare ab Epiſcopis Provinciæ ſuæ, non tamen prohibitam fuiſſe, nec prohiberi potuiſſe ſummo Pontifici, ne, ſi vellet, eos admitteret. Inſuper Pontificis Romanos non tam admiſiſſe Apicarii, adpellationem, quam ejus quærimonias audiviſſe, ac Africanis mandaſſe, ut cauſam ejus diligenter cognoſcerent atque fideliter judicarent; adparere enim ex illis duabus Epiſtolis, Apiarium bis veniſſe Romam, ac utraque vice remiſſum in Africam, & ibi poſt reditum ejus ab urbe judicatum fuiſſe in Concilio. His Bellarmini objectionibus ita per partes reſpondit Doctor Sorbonicus, ſcribens: Primum quod adſerit, Canonem Milevitanum agere duntaxat de Presbyterorum & Clericorum minorum Appellationibus, fateor id verum eſſe; nam tunc temporis propoſitum erat Patribus Africanis, Presbyteros ſuos, quos crebro Romam confugere videbant, in Apoſtolicæ diſciplinæ gyrum redigere. Hoc autem non impedit, quo minus Quæſtio propoſita generatim de omnibus clericis, ac ipſis etiam Epiſcopis capiatur, quando nimirum idem iidem Patres Africani ex præſcripto Canonis ſexti Conſtantinopolitani in tertiæ Synodi Carthaginenſis Canone ſeptimo decreverunt, ut Epiſcopi adcuſati in Concilio univerſali Provinciæ anniverſario judicantur, in hac etiam Epiſtola, ad quam hæ ſcribuntur obſervationes, clare pronuntiantes: Si de Clericis inferioribus vel Laicis videatur ibi præcaveri, quanto magis Synodus Nicena (atque ſic etiam Milevitana) hoc voluerit obſervari de Epiſcopis? Quæ enim, inquit Richerius, ratio pro Presbyteris, à fortiori quoque militat pro Epiſcopis; quoniam Jus commune, quod Lege Divina naturali conſtitutum eſt, ex æquo perſtringit univerſos, & quidem magis multo Epiſcopos, quam inferiores Clericos, propterea quod amplior ruina & ſcandalum gravius ex Epiſcoporum, quam Presbyterorum delictis naſcitur, & quo malum aliquod magis eſt commune atque vehemens, eo & citius & facilius debet atque poteſt opprimi, ſi propoſitum Naturæ adtendamus. Hæc autem Medicina ſolo Jure communi poteſt parari, uti Patres Africani demonſtrant. Ex quo fit, ut omnes jubeant Canones, quæcunque negotia, iis in locis, ubi naſcuntur, oportere definiri. Contra autem Sedes Romana vult omnes controverſias Romam tranſportari cum auro Provinciarum. Secundo miror, Bellarminum adſerere quidem, hic agi tantum de Presbyterorum & decimorum inferiorum Adpellationibus, non vero Epiſcoporum, & tamen aliquanto inferius contendere, Patres Africanos non prohibuiſſe aut potuiſſe etiam prohibere Pontifici Romano, quo minus adpellantes Presbyteros admitteret, ſi vellet. Certe, ſi ita eſt, inſurgit, male ſtatutum à Patribus Africanis, ne Presbyteri & clerici ordinis minoris Judicia quærerent tranſmarina, aut aliqui à nullo intra Africam admitterentur ad communionem; imo etiam relinquitur, perperam à Patribus Nicenis & Conſtantinopolitanis ſcitum, ut omnia Provinciæ negotia definirentur Synodo Provinciali. Cæterum hæc commenta Bellarmini manuant inde, quod imaginetur ſibi (ac aliis velit perſuaſum) Papam eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham. Tertio, quod ait, in Concilio Sardicenſi decretum eſſe, ut Epiſcopi ad ſummum adpellarent Epiſcopum, pro comperto & probato adſumit, quod adhuc in controverſia eſt poſitum, uti ſuo demonſtratur loco. Quarto, fallit aut fallitur, dum objecit Auguſtinum, qui Synodo interfuit Milevitanæ, ſcripſiſſe, licere Epiſcopos Africæ adpellare ultra Mare; ſiquidem Auguſtinus ibidem non diſputet de jure Romam adpellandi, verum ad Concilium generale, de quo infra. Quinto eſt petitio Principii, dicere, Innocentium nunquam Synodum Milevitanam confirmaturum, ſi adpellationibus ad Sedem Romanam derogaſſet. Nam, cum Jus commune & regulæ Re-

Regiminis Ariſtocratici ſint Juris Divini & Naturalis, tantum abeſt, ut eis Papa poſſit detrahere, cum potius ipſomet eas teneatur obſervare. At vero Canones Patrum Africanorum de non quærendis Judiciis tranſmarinis reſpectu & Epiſcoporum & Presbyterorum Juri communi & Canonibus Nicenis plane congruere, hic à Patribus oſtenditur. Sexto, vel hinc claret, Bellarminum non ad veritatem, ſed ad fallendum ſcribere, dum ait, Pontifices Romanos non tam admiſiſſe Apiarii adpellationem, quam audiviſſe querimonias ejus, ac Africanis mandaſſe, ut cauſam ejus diligenter cognoſcerent. Verum, ſi Pontifex Romanus adpellationem Apiarii non admiſit, quare cum communioni ſuæ & Presbyterio ante examen cauſæ coram Patribus Africanis reſtituit, de quo hi Patres in præſenti ad Cœleſtinum Epiſtola ſtatim ab initio conqueruntur, unde nimirum conſtat, Apiarium Romæ reſtitutum prius, quam ejus cauſam fuiſſe cognitam, atque Fauſtinum jure vel injuria id exequi voluiſſe in Africa, obtendens Sedis Romanæ Privilegia. Quid opus dicere, eidem Fauſtino mandatum, ut Epiſcopum Siccenſem feriret anathemate, niſi Apiarium reciperet ad communionem, uti legitur in Epiſtola Patrum Africanorum priori ad Bonifacium? Quis enim hoc dicat eſſe, judicio contendere legitimo, & non potius certare ad jure vel injuria vincendum? Septimo tandem, cauſa, propter quam Apiarius bis Romam ſeſe contulit, eſt, quia integro, ut ſupra notatum, ſexennio hæc controverſia continuavit. Quanquam enim Fauſtinus cum primo adventu ſuo reſtituit Presbyterio, atque Patres Africani lite adhuc prudente Zoſimi mandatis obtemperarunt, nihilo tamen minus Fauſtino Romam redeunte Apiarius populo inviſus & conſcientia Seclerum exſtimulatus itidem rediit Romam, & ſecundo ejuſdem Fauſtini reditu reverſus eſt in Africam. *Decimo*, oſtendunt in hac Epiſtola Patres Africani, Pontificem Romanum non poſſe conſuetudini receptæ ac uſitatæ in aliqua derogare Provincia, modo illa Juri communi boniſque Moribus non officiat, ac ejuſmodi conſuetudinem à ſolo generali, vel etiam Provinciali Concilio poſſe abrogari. Unde colligitur, Patres Africanos judicare, Eccleſias definitione Patrum, hoc eſt, Canone, non autem abſoluta poteſtate regi oportere, ac omnia, quibus Patrum definitione non eſt derogatum, vim obligandi habere. *Undecimo*, magnum diſcrimen eſſe poſitum inter adpellationes atque perfugia Clericorum. Sane Epiſcopi Africæ, quanquam Patriarchatui Romano juxta ſextum Canonem Nicenæ Synodi eſſent ſubjecti, nunquam tamen Sacerdotum ſuorum vitilitigationes nomine Adpellationis, ſed improbi perfugii donarunt, idque ideo, quia repugnarunt Juri communi, quod Canonibus Nicenis conſecratum fuit & explicatum. Adcedit, in more poſitum eſſe ſceleratis Apiario ſimilibus, neque Divino, neque humano juri parcere, ut pœnas ſceleribus ſuis debitas effugiant, ac eam ob rem, undequaque poſſunt, jure vel injuria, factioſe ſibi parare ſubſidia, & inſuper vera rerum vocabula permutare, ut iniquitati ſuæ aliquem Juſtitiæ colorem adlineant; atque hæc Apiarii pervicacia contra diſciplinam vocatur Adpellatio. Procul quidem dubio nullus rei Eccleſiaſticæ peritus poteſt inficiari. Eccleſiam Romanam tutiſſimo extitiſſe perfugio & Athanaſio, Chryſoſtomo, aliiſque Patribus adflictis. Sed dum Bellarminus libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt viceſimum primo (ad quod ſupra etiam aliquid circa Marcionis excommunicati Iter Romanum fuit ex Launojo obſervatum ne defenſum adverſus Schelſtratenſem) ejuſmodi perfugia donat Adpellationis nomine, obtenditque inſuper, Fortunatum & Felicem Presbyteros à Cypriano depoſitos ad Cornelium adpellaſſe, uti & Baſilidem ad Stephanum, certe perfugium pro Adpellatione uſurpat, atque vocis æquivocatione lectorem fruſtratur. Hæc ut amplius innoteſcant, ne ſingulis aliquid dicendum. Et quidem Hiſtoria Concilii Sardicenſis explicat ſatis, quid de facto Athanaſii ſit tenendum, cum ſe contulit in Occidentem, ut ope Julii Pontificis & aliorum in Occidente Epiſcoporum Synodice & Canonice poſſet reſtitui, uti revera per Concilium Sardicenſe fuit reſtitutus. Par quoque judicium de Chryſoſtomo; qui literis

ad Innocentium ſcriptis petiit auxilium, ſed tale, quale tum Eccleſia poterat ſuppeditare, nempe rogans. ut Synodus haberetur. Unde nominatim dixit, ſe ad Synodum & juſtum provocaſſe Judicium, & manifeſtas Theophili Alexandrini inimicitias, quem Eudoxia Imperatrix adverſus ipſum incenderat, fugiſſe, his Epiſtolam verbis obſignans. Neque Scythas, neque Sauromatas unquam judicaſſe, dandum uni tantum parti judicium abſente ea, quæ adcuſatur, & vitante non judicium, ſed inimicitias, & invocante multa Judicum millia, & proteſtante coram orbe toto, declaraturam ſe non eſſe ream, depulſuramque crimina & oſtenſuram ſufficienter Innocentiam. His enim & Innocentius Epiſtola poſt viceſimam nona ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum reſpondit, Synodali cognitione peropus eſſe; quæ etiam confirmantur à Sozomeno, narrante, Innocentium quinque Epiſcopos Eccleſiæ Romanæ & duos inſuper Presbyteros ad Imperatores Honorium & Arcadium miſiſſe, ut & Synodum & ejus definitum tempus ac locum impetrarent. Quæ demonſtrant, Imperatorem habuiſſe poteſtatem Synodos indicendi & convocandi. Hercle, ut Curiæ Romanæ ſcriptores commenta ſua pro abſoluta Papæ Monarchia facilius defigerent, illis maxime erat exoptandum, libros omnes antiquos, Hiſtorias & Concilia deleri, expurgari, aut nunquam edi in lucem; nam, quamdiu latuerent, multo adverſus Veritatis perſuaſerunt ignaris atque ſuppoſuerunt. De Fortunato & Felice autem res aliter habet. Nempe, Cyprianus in Synodo Provinciali illos propter hæreſin exauthoraverat. Cum illi vero Romam transfugiſſent, ut à Cornelio Papa admitterentur ad communionem, Cyprianus, ne ibi redintegrarentur ad Cornelium ſcripſit Epiſtolam ordine & numero quinquageſimam & quintam, in qua duo inprimis notabilia obcurrunt. Primum eſt, quod verba Cypriani, *non aliunde hæreſes ſunt obortæ aut natæ Schiſmata, quam inde, quod DEI Sacerdoti non obtemperatur, nec unus in Eccleſia Sacerdos ad tempus & Judex vice Chriſti cogitatur* &c. non de ſolo Papa, uti fingunt Adulatores Romani, ſed de alio quocunque Epiſcopo ſententiam dicente ex Cathedra oporteat intelligere, utpote, quod diſerte confirmatur ab eodem Cypriano in Epiſtola poſt ſexageſimam nona ad Pupianum hominem laicum, qui ſe à Cypriani communione arroganter & temere auſus fuerat ſegregare, de quo verbis conceptis eadem refert, quæ leguntur in Epiſtola ad Concilium. Secundum, aliis vocibus Cyprianum oſtendere, quodnam & quale ſit Decretum ex Cathedra prolatum, ſcilicet, *Ne quis adverſus collegium Sacerdotum quidquam moveret, ne quis poſt Judicium Divinum, poſt ſuffragium populi, poſt conſenſum Cœpiſcoporum, Judicem ſe non Epiſcopi, ſed DEI faceret &c.* Senſus eſt ergo, Judicium in Fauſtum & Felicem alioſque Presbyteros latum eſſe ex Sanctorum communione & Catholico totius Provinciæ conſenſu, & conſequenter non licitum eſſe Pontifici Romano illud retractare, idque probat, *quoniam ſtatutum omnibus, & æquum pariter ac juſtum ſit, ut uniuſcuiuſque cauſa illi audiatur, ubi crimen eſt admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta* &c. quæ omnia Canonibus Nicenis & Conſtantinopolitanis quadrant, quibus ſtatuitur, omnia Provinciæ negotia in Synodo Provinciali eſſe decidenda. Certe, qui hanc Cypriani Epiſtolam conſiderate examinarit, ſtatim cognoſcet, illum non obſcure Cornelium reprehendere, quod ejuſmodi admitteret perfugia, atque hominibus ſceleratis anſam & acceſſionem præberet juris communis turbandi & concordiam Eccleſiæ cohærentem ſcindendi; quæ etiam ſumma eſt conqueſtionis Patrum Africanorum. Quod adtinet Baſilidem Hiſpaniæ Epiſcopum, is cum pariter judicio Provinciæ Synodali fuiſſet damnatus ab Epiſcopis Hiſpaniæ, & Stephanum Papam habuiſſet perfugio, ut reſtitueretur, Epiſcopi Hiſpaniæ hujus cauſæ Judicem elegerunt Cyprianum adverſus factum Stephani; quod argumento eſt certiſſimo, illos non Epiſcopum Romanum habuiſſe pro Eccleſiæ Monarcha. Et Cyprianus quidem Epiſtola poſt ſexageſimam octava Stephanum diſerte improbavit, & geſta Epiſcoporum Hiſpaniæ confirmavit, aperte Stephanum adenſans negligentiæ, quod ſibi paſſus ſit obrepi, vocans factum Baſilidis non adpellationem, ſed ob-

Digitized by Google

obreptionem. Quid ergo venit in mentem Bellarmino, ut hoc exemplum inter adpellationes ad Pontificem Romanum recenſuerit? Hæc autem exempla demonſtrant clare, per quos juris communis & diſciplinæ Apoſtolicæ abrogatio introducta, & cuinam quæſtuoſa fuerit temporaliter. Similibus poſtmodum refugiis ac obreptionibus uſi ſunt Antonius Epiſcopus Fuſſulanus Auguſtini diſcipulus, Rothadus Sueſſionenſis & Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, qui ſecundum Canones Nicenos fuerant damnati, & tamen à Pontificibus Romanis non jure, ſed via facti ſunt reſtituti. Quod enim contra jus commune & Canones patratur, vis eſt, non jus, videlicet, ſecundum illius temporis diſciplinam; aliud namque judicari debet de hodierna, quam tolerat Eccleſia. Porro quamcunque in partem adverſarii Epiſtolas Cypriani & Patrum Africanorum verſarint, nunquam probabunt, illos adpellationis nomine uſos erga Pontificem Romanum, quoties is contra jus commune & Patrum canones aliquid adtentavit; idque docet clare, quid de recentiorum Monarchia ſit tenendum. ***Duodecimo*** demonſtrant, Patres Nicenos juſtiſſime & prudentiſſime ſimul caviſſe, ut negotia quæcunque communi jure, hoc eſt, iis in locis, ubi orta eſſent, finirentur ab Epiſcopis Provinciæ, ne, ſi longius aut extra Provinciam quæretur Medicina, morbus ingraveſceret. Porro, conſtitutionis hujus rationem Patres Africani hanc adſignant, quod judicia tranſmarina non poſſint eſſe rata abſque teſtium plurimorum auditione, ejuſmodi teſtes autem vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel pluribus aliis intercurrentibus impedimentis Romam deduci nequeant. Bernhardus certe, quanquam ſeculo vixerit, quo jus commune oppreſſum erat plane, hoc teſtatur libri de conſideratione ad Eugenium tertii capite ſexto, ſcribens: ***Bene facis, quod negato Adpellationum ſuffragio, imo, ſuffugio multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui cognoſcere citius poſſunt; ubi enim certior aut facilior notio, ibi etiam deciſio tutior expeditiorque poteſt eſſe.*** Quod ipſum certe lumen naturale præmonſtrat, &, ſi nulla in re, in cauſis præſertim Eccleſiaſticis & ſpiritualibus venit obſervandum; quam ad rem faciunt teſtimonia Cypriani ex Epiſtola poſt quinquageſimam quinta ſuperius laudata ad Cornelium ſcripta, quæ huc impendi debent atque referri. Cæterum, Bellarminus ut à nodis hiſce adamantinis ſe exſolvat, in libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt viceſimum tertio mirum æſtuat in modum, & primo quidem, ut meticuloſis atque ignaris ſcrupulum injiciat, vult perſuadere, argumentum hoc eſſe Lutheranorum. Secundo reſpondet, Cyprianum in hac Epiſtola ad Cornelium ægre adpellationes eorum tuliſſe, qui de criminibus manifeſtiſſimis convicti fuerant & judicati, non autem omnino Adpellationes ſuſtuliſſe, idque ex libri primi Epiſtola quarta in cauſa Baſilidis ſcripta, in qua habet Cyprianus, non tam culpandum eſſe Stephanum, cui negligenter fuerit obreptum, quam execrandum eſſe Baſilidem, qui fraudulenter obrepſerit. Nam ſi nullo plane modo licuiſſet Stephano Adpellationes admittere, valde culpandus fuiſſet, nec eum Cyprianus excuſaſſet. Tertio obtendit, verba Cypriani, ut illic audiatur cauſa, ubi crimen fuit admiſſum &c. alios reſpondere, cauſas debere quidem primum apud ordinarios, ſed ubi ſint inſtructæ, ad ſummum Pontificem mitti tum eas oportere, ut judicet de iis infallibiliter. Quarto ait, ſi hoc Decreto per Cyprianum laudato prohiberentur Adpellationem. Quinto tandem contendit, verba Cypriani, niſi ſi paucis deſperatis ac perditis minor eſſe videtur authoritas Epiſcoporum in Africa &c. non referre comparationem ad Pontifices Romanos, ſed ad cauſam, de qua agebatur; eſſe enim ſenſum eorum, Epiſcopos Africæ non minoris fuiſſe authoritatis, quam ſufficeret ad hanc cauſam. His vero Bellarmini velitationibus reſpondeo primum, ſi hæc ſint argumenta Lutheranorum, ſequi, Cyprianum, Auguſtinum atque alios Patres Africanos, imo cunctos Synodi Nicenæ & Conſtantinopolitanæ Patres fuiſſe Lutheranos, quibuſcum tamen, quam cum Monarchiæ abſolutæ propugnatoribus ſentire magis expedit. Secundum de Baſilide ad Stephanum Papam adpellante jam ſupra ſolutum & demonſtratum eſt, non fuiſſe adpellationem, ſed improbum perfugium aut ob-

obreptionem ſceleratam, uti Cyprianus & cæteri Patres Africani loquuntur. Ad tertium, Patres hoſce Africanos non interdicere adpellationes abſolute, ſed duntaxat tranſmarinas, quia juri naturali & canonibus derogant, qui canones exigunt, illic negotia decidi, ubi emergunt. Unde etiam pernegant, ejuſmodi perfugia mereri nomen Adpellationes, cum jure repugnent communi. Hic loco adpendicis venit obſervandum, rationi & Canonibus eſſe conſentaneum, adpellationes extra provinciam deferri, quando Epiſcopi Provinciæ ſunt ſuſpecti, atque hoc tantum in caſu canones Concilii Sardicenſis debere capi, meritoque Athanaſium & Chryſoſtomum ad Eccleſiam Occidentalem confugiſſe, ut jus ſuum obtinerent. Cæterum, tota errant via, qui cauſantur, lites apud ordinarios inſtrui, & deinde Romam deferri oportere. Quaſi vero Chriſtus, qui Evangelium ſine ſumtu & faſtu voluit eſſe, in Eccleſia vitilitigationes atque litium anfractus, ſicut in ſeculo, ſeri, & non illico ac velut de plano cuncta exſcindi voluiſſet negotia. Amputari autem nullo poſſunt modo, niſi iis in locis, in quibus naſcuntur, confeſtim definiantur. Ad quartum reſpondetur ſicut ad tertium, videlicet, adpellationes non abſolute prohiberi, ſed eas duntaxat, quæ juri repugnant naturali. Denique ad quintum, verba Cypriani Bellarminum detorquere in ſenſum plane peregrinum, utpote quorum mens eſt, ideo Epiſcoporum Africæ non minorem authoritarem, quam Pontificis Romani & Epiſcoporum Italiæ, quia Sacerdotium Chriſti, à quo tota Eccleſiæ manat authoritas, ejuſdem ſit virtutis, meriti & poteſtatis in Africa, quàm Romæ juxta dictum Hieronymi, quod Gratianus exhibet in diſtinctione poſt nonageſimam tertia, ubicunque fuerit Epiſcopus &c. ac ejuſdem Cypriani teſtimonium ſupra laudatum, quod idem Gratianus adducit in cauſæ poſt viceſimam quartæ quæſtione prima, Epiſcopatus eſt unus &c. qui Cyprianus in hac ipſamet epiſtola diſerte ſcripſit, oportere eos, quibus præſumus, (loquitur in ſua & cæterorum Africæ præſulum perſona) non circumcurſitare, nec cohærentem Epiſcoporum concordiam collidere &c. quæ oratio, inquit Doctor Sorbonicus, cauſam Bellarmini & curiæ Romanæ in totum jugulat. *Decimo & tertio* indicant Patres Africani, gratiam Spiritus S. nulli unquam Provinciæ defuturam modo Sacerdotes ſervent æquitatem & agant prudenter; quod illorum proloquium innititur oraculo Domini: Ubi duo vel tres &c. Nam, uti dictum, Sacerdotium Chriſti ubique locorum atque gentium ejuſdem eſt rationis, meriti, virtutis & poteſtatis. *Decimo & quarto* declarant, quicunque fuerit offenſus judicio cognitorum, id eſt, ordinariorum, poſſe ad Concilia ſuæ Provinciæ, aut ad univerſale Concilium provocare; quæ ſententia non tantum juris quæſtionem, ſed praxin quoque illo ſeculo ſecundum Canones Nicenos uſitatum nobis conſecrat, conformem epiſtolæ Auguſtini poſt centeſimam & ſexageſimam ſecundæ ad Glorium, Eleuſium & Felicem Grammaticum, Donatiſtas ſcriptæ, quâ clare oſtenditur, poſt Papæ Melchiadis, id eſt, Sedis Apoſtolicæ in Donatiſtas judicium hoc potuiſſe ſententia Melchiadis ad generale Concilium provocare. Res ita habet: Cœcilius Eccleſiæ Carthaginenſis Archidiaconus, cum totius populi & Cleri ſuffragio adverſus Botri & Cœleſii prenſationes factioſas, qui Epiſcopatum Carthaginenſem ambiebant, electus fuiſſet Epiſcopus Carthaginenſis à Felice Epiſcopo Aprungitano ordinatus eſt. Cœciliani autem corrivales ſtatim diſſeminarunt, Cœcilianum à traditore ordinatum eſſe. Traditores autem dicebantur, qui flagrantibus ſub Diocletiano perſecutionibus libros ſacros dederant comburendos, quia Diocletianus edictum de libris Chriſtianorum abolendis publicaverat. Itaque Donatus è Numidia veniens, adjunctis ſibi aliquot Epiſcopis ſuæ factionis Majorinum ordinavit Epiſcopum apud Carthaginem, ſicque ſchiſma factum eſt, quod poſtea in hæreſin degeneravit; quia paulo poſt Donatiſtæ alia ſparſerant dogmata de rebaptizandis & reordinandis, quos baptizaſſet atque ordinaſſet Cœcilianus, quæ quidem controverſia ad quæſtionem juris ſpectabat, de qua legendus eſt Auguſtinus de Hæreſibus ad Quod vult DEUM. Porro, cum maxima pars populi Cœcilianum tanquam legitimum Epiſcopum Majorino deſpecto ſequeretur, Donatiſtæ

natiſtæ rogarunt Imperatorem Conſtantinum, ut Epiſcopos tranſmarinos haberent Judices, qui de Quæſtionibus, quæ in Africa exortæ Pacis vinculum dirimebant, medio judicarent arbitrio. Sed primum dati in Gallia Judices Epiſcopi, qui ſecundum Cæciliani cauſam pronuntiarunt; quorum judicio cum Donatiſtæ non adquieſcerent, datus fuit ab Imperatore Melchiades Papa cum octodecim Epiſcopis, quos recenſet Optatus. His autem cum Donatus eſſet confeſſus, ſe rebaptizaſſe, ac Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum erat, Optato eodem teſte, inſuper etiam teſtes à Donato adverſus Cæcilianum producti confiterentur, ſe nihil habere, quod contra Cæcilianum dicerent, hic nempe Cæcilianus à Melchiade pronuntiatur Innocens, cujus Sententiam Optatus & Auguſtinus referunt, quæ aperte declaravit, quanti Patres antiqui pacem & unitatem Eccleſiæ fecerint, & quid pro ea vindicanda non facerent. Cæterum Donatiſtæ judicio hoc Eccleſiaſtico condemnati provocarunt ad Conſtantinum, qui eam ob rem juſto percitus dolore, cum omnes vias Pacis & ſedandæ hujus controverſiæ tentaſſet, tandem exclamavit: ô rabida furoris audacia! Siquidem optimo dolebat Principi, illos, qui cœleſtem & Chriſtianam profitebantur vitam, inter ſeſe ſimultates atque jurgia excitare & exercere, magiſque ad vincendum & ſeſe ulciſcendum, quam ad charitatem, Pacem & Unitatem Eccleſiæ ac officii ſui rationem adtendere, uti Rufinus narrat de controverſiis Epiſcoporum in Synodo Nicena ad Imperatorem Conſtantinum relatis. Auguſtinus autem in laudata ſuperius Epiſtola liquido probavit, in Donatiſtarum manu fuiſſe à Melchiadis Sententia provocare ad Concilium generale, ac proinde majorem eſſe Concilii, quam Papæ authoritatem, juxta praxin Diſciplinæ Patrum Eccleſiæ primitivæ, quam Legimus expreſſam Canone quinto Synodi Nicenæ & hac ipſa Synodi Carthaginenſis ad Cœleſtinum Epiſtola, de cujus vero ſenſu adhuc agitur, idque inſuper Cardinalis Cuſanus in libri de Concordantia Catholica ſecundi capite poſt decimum ſeptimo, & Almainus capite ſeptimo libri de Authoritate Eccleſiæ ex hac Auguſtini Epiſtola probant. Hanc vero difficultatem dum Cajetanus Apologiæ in Almainum capite decimo exſolvere, tanquam mus pici impactus hæret, eique Bellarminus libri de Conciliorum authoritate ſecundi capite poſt decimum nono fruſtra ſuppetias ferre conatur, adſerens, Auguſtinum non conferre Papam ſine Concilio cum Concilio ſine Papa, ſed Concilium particulare, cui Papa præſit, cum Concilio generali, cui etiam præſit Papa. Poteſt enim, inquit, ſine dubio cauſa à Pontifice in Concilio particulari indicata iterum ab eodem judicari in Concilio generali, præſertim in Quæſtione facti, quæ pendet ex informatione, & in qua errare poteſt Eccleſia; qualis erat Quæſtio, de qua tunc agebatur. Imo etiam ordinarie indicto generali Concilio olim particularia prius fiebant Concilia in ſingulis Provinciis, uti & Romæ, & dein res in illis particularibus Conciliis definitæ iterum tractabantur in Concilio generali, & tunc dabatur ultima Sententia definitiva à Pontifice Concilio adſentiente. Sed, ita Doctor Sorbonicus, hæc Bellarmini reſponſio nodum ſtringit potius, quam laxat. Nam primo quod obtenditur, diſſidium in Africa ſubortum verſari in Quæſtione facti, non Juris, fallit à diverſis ad conjuncta; quoniam plura erant capita hujus controverſiæ, quorum alia ad facti, alia ad Juris Quæſtionem ſpectabant. Quod enim Donatiſtæ criminabantur Cæcilianum, quaſi à Traditoribus fuiſſet ordinatus, in pura Quæſtione facti vertebatur; contra ad Quæſtionem Juris capita in Donatum propoſita pertinebant, quod baptizatos atque ordinatos à Cæciliano rebaptizaret atque reordinaret, ac ſi jus eſſet aliquod id faciendi. Donatus vero damnatus fuit, eo, quod confeſſus eſſet ſe rebaptizaſſe, ac manum Epiſcopis impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum erat, Optato teſte. Inſuper autem & controvertebatur, an Baptiſmus & ordo ab illis poſſent conferri, quos Donatiſtæ fingebant ordinatos à Traditoribus fuiſſe. Secundo, quod objicit Bellarminus, Auguſtinum conferre concilium particulare, cui Papa præſit, cum generali, cui etiam præſit Papa, atque ſic Melchiadem potuiſſe iterum

rum de causa Donatistarum in Concilio generali cognoscere, quanquam de illa jam cognovisset in particulari; ludificat à suppositione principii, in animum inducens sibi, sicut in Regno Franciæ verbi causa nulli conventus habentur legitimi absque Regis authoritate, & quibus Rex non præsit, si lubeat ei; ista in Ecclesia nullum posse celebrari concilium absque Pontifice, quasi absolutus esset Ecclesiæ Monarcha, quod potestati pure ministeriali & spiritali Ecclesiæ repugnat. Etsi enim regulariter atque ordinarie concilia haberi non possint absque Papa, (quod iterum Doctori Sorbonico est condemnandum) multi tamen ersus usu possunt evenire, quibus id potest fieri, cum præsertim de facto Papæ agitur. Unde Patres Africani in hac ad Cœlestinum Epistola scribunt, unicuique concessum esse, si judicio cognitorum fuerit offensus, ad concilia Provinciæ suæ, vel etiam ad universale concilium provocare. Addantur Canones post vicesimum nonus & post sexagesimum sextus, qui nimirum Regulæ pro Juris communis explicatione & constitutione tam in iis, quæ ad Quæstionem Juris, quam quæ ad Quæstionem facti pertinent, latæ sunt, ac proinde secundum formam Judiciorum ordinariam & usitatam debent capi, utpote in qua nunquam est auditum, Judicem, à quo adpellatur, iterum sedere Judicem in causa eadem, de qua fit adpellatio. (Nisi cum adpellatio vel provocatio fit à Judice non rite & sufficienter informato ad eundem melius & adcuratius informandum.) Sane, cum Augustinus memoret, Donatistas calumniose conquestos, quod Judices habuissent malos, si forsan in judicio eorum contigisset aliquid contra usitatum & ordinarium morem fieri, atque Michaelem iterum sedere judicem, profecto justam nacti essent occasionem conquerendi, se Judices habuisse malos, quique in propria judicarent causa, quoniam sæpe usitatum est hominibus, ut, quod semel judicium dederunt, illud tanquam propriam causam jure vel injuria propugnent. Atque hinc etiam depellitur aliorum invatio, qui putant Augustinum de causa sola Revisione vel Recognitione loqui, ut sensus sit, Melchiadem & Patres Concilii generalis causam Donatistarum recognituros; quemadmodum Philippus Rex Macedoniæ causam Viduæ, quam dormitans judicaverat, vigilans recognovit &c. Jam enim dictum est, de forma Judiciorum ordinaria hic agi; & præterea dato, quod hæc causæ recognitio suscepta fuisset judice Papa Melchiade, semper tamen Donatistæ habuissent causam conquerendi, se malos habuisse Judices. Verum, contendet forte quis, Constantinum exclamatione sua, ô rabida furoris audacia &c. ostendisse, non jus fuisse Donatistis adpellandi à Sententia Ecclesiastica, uti solet fieri in causis secularibus; respondetur, si verba Constantini de adpellatione ad Principem politicum in causis pure Ecclesiasticis & sola Juris Quæstione versantibus capiantur, recte quidem ab eo dictum, non licere tanquam in causis gentilium ad Principem provocare secularem, si vero de Concilio generali, quasi non licuisset Donatistis ad illud provocare, certe, verba hæc potius Concilii sunt, quam præcepti, quoniam ut supra dicitur, optimo Principi graviter dolebat, Ecclesiasticos, qui tanquam Lumen Mundi aliis debent præfulgere, lites & dissidia sectari ac Ecclesiam in partes scindere. Addatur, jus ipsum hoc declarari tum à Patribus Africanis in hac Epistola ad Cœlestinum, tum ab Augustino etiam in Epistola, de qua nunc sermo est, ac in qua docet, Donatistas potuisse à Melchiadis Sententia ad generale Concilium provocare. Tertio, quod ait Bellarminus, ordinarie indicto generali Concilio olim Provincialia prius haberi consuevisse in omnibus Provinciis, hoc quidem nihil confert ad præsentem controversiam, quod vero narrat, Pontificem in Conciliis generalibus ultimam dedisse Sententiam definitivam adsentiente Concilio, hoc sequioris est Seculi, quoniam sub octo primis universalibus Conciliis omnes Episcopi, sicuti Romanus, Judices sederunt in omnibus controversiis, easque Aristocratice definierunt. *Decimo & quinto* docent ulterius Patres Africani, credibile non esse, DEUM unicuilibet posse Examinis justitiam inspirare, eam vero innumerabilibus in Concilium congregatis Sacerdotibus denegare. Hoc autem testimonio claret, utrum Patres Africani censuerint, facul-

facultatem decernendi infallibilem in uno & ſolo potius Papa, quam in Cöncilio generali reſidere. Certe Patres illi ob reverentiam primatus Papæ loquuntur hic per Schematiſmum, & neque adfirmant, neque negant, Epiſcopum Romanum pollere infallibili authoritate. Sed à majori ad minus urgent, Examinis juſtitiam penes Concilium potius, quam penes unicum hominem habitare, qualiſcunque etiam ſit. Nam phraſi Africana unuſquilibet idem eſt, ac unus quicunque aut qualiſcunque ſit. *Decimo & ſexto* addunt, nulla Synodo conſtitutum reperiri, ut Pontifex Romanus aliquos mittat Legatos à latere, qui de cauſis tranſmarinis cognoſcant & judicent; ex quo effato dicitur, Eccleſiam Canone non abſoluta poteſtate regi oportere, & Patres Africanos neque abſolutam Papæ Monarchiam; neque Canones Concilii Sardicenſis agnoviſſe. *Decimo & ſeptimo* urgent inprimis, Zoſimi Papæ Commonitorium Eccleſiæ Africanæ pro Canonibus Nicenis oblatum reperiri nequaquam in verioribus & authenticis Exemplaribus Synodi Nicenæ, quæ miſſa ſint à Cyrillo Alexandrino & Attico Conſtantinopolitano ex authentico Codice, in quo Canones viginti, illi nimirum ipſi, qui hodie in omnium verſantur manibus, continentur; quod teſtimonium eſt indubitatum, uti & Theodoreti, adfirmantis, Patres Nicenos de Adminiſtratione Eccleſiaſtica Leges ſeu Canones viginti adſcripſiſſe. Quam ad rem facit etiam Gratiani teſtimonium in Decreti diſtinctione poſt decimam ſexta, ubi itidem Canones tantum viginti numerantur, quos etiam videre licet frequenter in uſu fuiſſe apud omnes antiquos Patres, qui ſub octo primis generalibus Conciliis floruerunt, è contrario autem Canones Arabicos Turciani & Piſani ante hoc Seculum univerſo orbi Chriſtiano incognitos fuiſſe. Hinc præterea luce meridiana clarius adparet, Canonem in eadem Decreti diſtinctione, qui incipit, Septuaginta &c. cum Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum ad Marcium Papam, unde Canon memoratus eſt excerptus, plane ſuppoſititium eſſe, quemadmodum & quæ circumferuntur de Canonibus Nicenis, quos combuſſerint Ariani; dum, qui hanc confinxerunt Fabulam, meminiſſe debuerunt, Arianos cauſæ nihil habuiſſe, ut Canones ad Diſciplinam & Politicam Eccleſiaſticam ſpectantes, quam ipſi ſervabant adcuratiſſime, uti ex Canonibus Antiochenis liquet, ſed potius, ut Symbolum comburerent Nicenum. Hoc vero commentum de combuſtis Canonibus Nicenis adeo craſſum & ſupinum eſt, ut ipſum ejus puduerit Bellarminum in libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt viceſimum quinto, ubi fatetur, incenſionem librorum adcidiſſe tempore Conſtantii Imperatoris, Marco Papa pridem vita functo, ad quem videlicet Ægyptii finguntur ſcripſiſſe de ejuſmodi Canonum combuſtione, quæ quidem non aliunde habet teſtimonium, quam à memorata Ægyptiorum Epiſtola. Adcedit, quod non omnino negligendum, Rufinum quoque non alios agnoſcere Canones Nicenos, quam viginti, qui Tomis omnium Conciliorum, Editionis etiam Romanæ, ac inſuper Codice Canonum Eccleſiæ uniuerſalis & Dionyſii Exigui continentur & conſervantur. *Decimo tandem & octavo* concludunt Patres Africani, fumoſum Seculi typhum minime intermitti debere in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem Simplicitatis & Humilitatis diem Domini videre cupientibus præfert; ac proinde Clericos executores non eſſe Roma mittendos in alias Provincias, qui opem potentum, vulgo Brachium ſeculare, ad mandata Pontificum Romanorum peragenda implorent atque obtineant, quam in rem ſupra fuit laudata Auguſtini Epiſtola ad Papam Cœleſtinum ſuper improbo Refugio & reſtitutione Antonii Fuſſalenſis Epiſcopi. Hæc nempe ratio agendi Curiæ Romanæ Diſciplinam Apoſtolicam & Regimen Eccleſiæ Ariſtocraticum oppreſſit, atque abſolutam & infallibilem erexit Monarchiam. Socrates certe libri Hiſtoriarum ſeptimi capite ſecundo ſcribit, jam illo tempore Epiſcopatum Romanum atque Alexandrinum quaſi extra Sacerdotii fines fuiſſe egreſſos, atque ad Principatum ſecularem delapſos. Verum mirabile eſt, in Actione ſexta octavæ Synodi generalis circa finem referri, Synodum Africanam, de qua hic agitur, paruiſſe Zoſimi Sententiæ in Apiarii reſtitutione, & propriam reprobaſſe Sen-

tentiam, quod plane repugnat Actorum veritati, (niſi quod ad interim, & uſque dum ex Oriente Canones Nicenos acciperent, ultro ejus Sententiæ ſe ſubmiſerunt.) Cæterum, quotquot pii, Veritatis & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudioſi animum ad hæc Acta Synodalia adpellent, Divinam & mirari & prædicatione ſumma debent efferre Providentiam, quod tam eximium, ſingulare, indubitatum & notiſſimum Regiminis Eccleſiæ monumentum ad omnem poſteritatis memoriam voluerit extare, cujus beneficio cognoſceremus clare, & quidnam hodie ſit tenendum de Monarchia Eccleſiæ Romanæ, & quo numero debeamus habere rutubam octoginta Canonum Nicenorum Turriani & Piſani, nec non Sardicenſium, cum Epiſtola Ægyptiorum ad Marcum Papam. His autem ſic expoſitis & evolutis progreditur Doctor Sorbonicus ad aliam Quæſtionem, hic quoque non omnino prætermittendam, an Concilium Sardicenſe in notitiam Patrum Africanorum pervenerit? Cauſa dubitandi eſt, inquit, quod, ſi Patres hi hanc Synodum habuiſſent perſpectam, uno quaſi verbo controverſiam à Zoſimo ſollicitatam definire, & laboribus ac immenſis ſumtibus, nec non jacturæ temporis poterant parcere, ſi modo reſpondiſſent, Synodum hanc non fuiſſe generalem, & Canones ibidem conditos ſolummodo proviſionales fuiſſe, quatenus videlicet tum iretur obviam infeſtationibus Arianorum, quando Jus commune & ordinarium in aliqua ſervari non poterat Provincia. Auguſtinus quoque libri adverſus Creſconium tertii capite poſt triceſimum quarto, atque in Epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam tertia adverſus Eleuſium, Glorium & Felicem Grammaticum, videtur unicum duntaxat agnoviſſe Conciliabulum Sardicenſe ab Arianis Philippopoli coactum in Athanaſium & Synodum Nicenam. Sed contra rationes adfirmandi ſunt multo certiores atque validiores & penitus indubitatæ. Primo, quia in Synodo Carthaginenſi prima, ac ejuſdem Canone quinto Gratus Carthaginenſis Epiſcopus refert à Canonibus Concilii Sardicenſis decimum & quintum. Hinc ſequitur, Concilium hoc Sardicenſe Auguſtinum latere non magis potuiſſe, quam Synodum Carthaginenſem primam, quam Auguſtino notam fuiſſe, nemo poteſt dubitare. Secundo, cum eadem ſit diſciplina contrariorum; & compertum ſit, Auguſtinum cognoviſſe expulſionem Athanaſii cum pſeudo-Synodo vel Conciliabulo Sardicenſi, conſurgit quoque, illum habuiſſe notitiam quoque Reſtitutionis ejuſdem, quæ facta fuit in Concilio Sardicenſi legitimo, quod indictum fuit ab utroque Imperatore in Oriente & Occidente; Athanaſius quippe, Gregorio Nazianzeno teſte in Epiſtola poſt ſeptuageſimam quarta, orbis Chriſtiani oculus & Fidei fundamentum habitus eſt, cujus Geſta, aut quæ eum adtinebant, neminem Chriſtianorum, nedum Auguſtinum, Epiſcopum nempe doctiſſimum poterant latere. Tertio, ipſemet Athanaſius in Apologia ſecunda narrat, ſex & triginta Epiſcopos Africæ Concilio huic Sardicenſi interfuiſſe, quos inter Gratum Carthaginenſem Epiſcopum enumerat, quo etiam rogante Decretum eſt factum contra Epiſcopos præſertim Africæ, qui Curiam ſectabantur Imperatorum, eum in finem, ut Dignitates ſeculares pro Amicis & parentibus exambirent, de quo legendus Canon ſeptimus Sardicenſis ex verſione Gentiani Herveti. Quarto, à Julii Papæ temporibus, ſub quo Concilium hoc Sardicenſe fuit coactum, uſque ad Papam Zoſimum ſolummodo Anni ſexaginta aut circiter decurrerunt. Unde certum eſt, quoſdam ex Epiſcopis Africæ, qui Concilio huic Sardicenſi interfuerant, potuiſſe etiam de vultu notos eſſe permultis Epiſcopis, qui Synodum Carthaginenſem ſextam celebrarunt. Quinto, in Actis Synodi hujus ſextæ Carthaginenſis, cum de Zoſimi Commonitorio diſſidium aliquod oriretur, Notarius Concilii ea commemoraſſe legitur, quod ad notitiam Concilii Sardicenſis omnino videntur pertinere. Bellarminus quidem conjicit, ea Notarii verba fuiſſe primum ab aliquo Synodi Carthaginenſis margini adſcripta, & dehinc contextui inſerta. Sed omnino videntur genuina Notarii verba, quod ipſum confirmant Reſponſiones Auguſtini & aliorum Africæ Epiſcoporum, quæ ſequuntur immediate recitationem hanc Notarii, ubi omnes Epiſcopi excipiunt per-

perquisitionem Canonum Nicenorum, de quibus agebatur, minime autem de Sardicensibus, quanquam in Synodo lecti fuissent. Verum, si ultro id detur Bellarmino, illa Notarii verba irrepsisse in relationem Synodi Carthaginensis sextæ: nihilo tamen minus liquet satis ex argumentis præcedentibus, Concilium hoc Sardicense Augustinum & alios Africæ Episcopos latere non potuisse. Augustinus enim non absolute scribit loco supra citato, se non cognoscere aliud Concilium Sardicense ab eo, quo Donatistæ suam tuebantur causam, sed solummodo ait, Concilium à Donatistis prolatum non Catholicorum, sed Arianorum fuisse; quorsum pertinet ejusdem Epistola itidem paulo ante citata. Si vero dicat aliquis, si Augustinus cum aliis Patribus Africanis Concilium hoc Sardicense agnoverunt fuisse legitimum, cur non Legatos Papæ Zosimi uno absolvebant verbo, atque rem, ut sese habebat, declararunt? Respondetur, hoc ab illius consulto & summa DEI providentia factum, tum, ut posteritati contra adsentationes & usurpationes hominum, absolutam in Ecclesia Monarchiam invehere volentium consuleretur, tum, ut improbis & frequentibus Ecclesiasticorum Africæ perfugiis & vitilitigationibus iretur obviam, quod initio Epistolæ Synodalis ad Bonifacium Zosimi Successorem perspicue declarant. Quod vero Africanorum salutare propositum non potuit sic versutiæ & Levitati ingeniorem Africæ mederi, quin homines protervi omnia Juris communis & Disciplinæ Apostolicæ repagula effingerent, & Curia Romana, undequaque posset, sua Jura commentitia adstrueret. Horum autem effugiorum exempla Baronius, Bellarmini & alii recentiores diligenter adcumulant, & adpellationis titulo frustra cohonestant, cum id potius ad viam facti, quam ad Quæstionem Juris pertineat, nec aliud fundamentum habeat, quam à Christo fuisse constitutum infallibilem & absolutum Ecclesiæ Monarcham, quod tam falsum est, quam falsissimum. Cæterum Lector sub finem hujus controversiæ monendus est, Epistolam Bonifacii Pontificis hoc nomine secundi ad Eulalium, quæ in Tomis Conciliorum legitur, esse prorsus fictitiam, siquidem narrat, Ecclesiam Africanam à tempore Synodi Carthaginensis lapsu centum annorum cum Ecclesia matrice Romana non communicasse propter Zosimi commonitorium & alia inde consecuta; quam falsitatem Epistola octava Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliæ prodit, in qua Cœlestinus Augustinum adversus quosdam Galliæ Presbyteros tuetur, qui dicebant, Augustini doctrinam de libero arbitrio minus esse sanam quia viribus humanæ libertatis nimirum detraheret. Sed dato, non autem concesso, Epistolam Bonifacii ad Eulalium esse veram, non vero suppositiam, hoc est, Ecclesiam Romanam desiisse communicare cum Africana, propterea, quod hæc libertatem Canonicam suarum Ecclesiarum & commune jus strenue ac cum moderatione tutelæ inculpatæ propugnasset; attamen ejusmodi excommunicatio nihilo magis obficere potuit causæ & religioni Patrum Africanorum, quam censuræ Victoris antehac Ecclesiæ Ephesinæ, aut Johannis octavi postmodum Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, qui authore Baronio claruit miraculis, quamvis fuisset excommunicatus? Certe Patres Africani causam longe æquiorem habebant Zosimo obsistendi, quam Ecclesia Ephesina aut Ignatii. Illi enim pro jure communi & disciplina Apostolica per legem Divinam & Canones Nicenos consecrata, nec non moribus & consuetudine omnium gentium stabilita, hoc est, pro libertate Ecclesiæ & regimine aristocratico per Christum instituto; Ecclesia autem Ephesina tantum pro celebratione Festi Paschalis juxta morem Judaicum, & Ignatius de provincia Bulgariæ, quam Pontifex Romanus Patriarchatui suo volebat adjungere, decertabant. Verum hinc patet, illis adhuc seculis Ecclesiam Romanam fuisse sumtam pro particulari, non autem pro universali Ecclesia, quoniam tunc temporis non idem erat, Romana & Catholica communione excludi, uti hodie post inventam Papæ Monarchiam, quæ innumeris schismatibus ansam præbuit, adhuc præbet, deinceps que præbebit, quoniam contra Jus Diurnum & naturale vult regere Ecclesiam. Atque hæc multa cum observatione Doctor Sorbonicus circa Synodum hanc Carthaginen-

tentiam, quod plane repugnat Actorum veritati, (niſi quod ad interim, & uſque dum ex Oriente Canones Nicenos acciperent, ultro ejus Sententiæ ſe ſubmiſerunt.) Cæterum, quotquot pii, Veritatis & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudioſi animum ad hæc Acta Synodalia adpellent, Divinam & mirari & prædicatione ſumma debent efferre Providentiam, quod tam eximium, ſingulare, indubitatum & notiſſimum Regiminis Eccleſiæ monumentum ad omnem poſteritatis memoriam voluerit extare, cujus beneficio cognoſceremus clare, & quidnam hodie ſit tenendum de Monarchia Eccleſiæ Romanæ, & quo numero debeamus habere rutubam octoginta Canonum Nicenorum Turriani & Piſani, nec non Sardicenſium, cum Epiſtola Ægyptiorum ad Marcum Papam. His autem ſic expoſitis & evolutis progreditur Doctor Sorbonicus ad aliam Quæſtionem, hic quoque non omnino prætermittendam, an Concilium Sardicenſe in notitiam Patrum Africanorum pervenerit? Cauſa dubitandi eſt, inquit, quod, ſi Patres hi hanc Synodum habuiſſent perſpectam, uno quaſi verbo controverſiam à Zoſimo ſollicitatam definire, & laboribus ac immenſis ſumtibus, nec non jacturæ temporis poterant parcere, ſi modo reſpondiſſent, Synodum hanc non fuiſſe generalem, & Canones ibidem conditos ſolummodo proviſionales fuiſſe, quatenus videlicet tum iretur obviam infeſtationibus Arianorum, quando Jus commune & ordinarium in aliqua ſervari non poterat Provincia. Auguſtinus quoque libri adverſus Creſconium tertii capite poſt triceſimum quarto, atque in Epiſtola poſt centeſimam & ſexageſimam tertia adverſus Eleuſium, Glorium & Felicem Grammaticum, videtur unicum duntaxat agnoviſſe Conciliabulum Sardicenſe ab Arianis Philippopoli coactum in Athanaſium & Synodum Nicenam. Sed contra rationes adfirmandi ſunt multo certiores atque validiores & penitus indubitatæ. Primo, quia in Synodo Carthaginenſi prima, ac ejuſdem Canone quinto Gratus Carthaginenſis Epiſcopus refert à Canonibus Concilii Sardicenſis decimum & quintum. Hinc ſequitur, Concilium hoc Sardicenſe Auguſtinum latere non magis potuiſſe, quam Synodum Carthaginenſem primam, quam Auguſtino notam fuiſſe, nemo poteſt dubitare. Secundo, cum eadem ſit diſciplina contrariorum; & compertum ſit, Auguſtinum cognoviſſe expulſionem Athanaſii cum pſeudo-Synodo vel Conciliabulo Sardicenſi, conſurgit quoque, illum habuiſſe notitiam quoque Reſtitutionis ejuſdem, quæ facta fuit in Concilio Sardicenſi legitimo, quod indictum fuit ab utroque Imperatore in Oriente & Occidente; Athanaſius quippe, Gregorio Nazianzeno teſte in Epiſtola poſt ſeptuageſimam quarta, orbis Chriſtiani oculus & Fidei fundamentum habitus eſt, cujus Geſta, aut quæ eum adtinebant, neminem Chriſtianorum, nedum Auguſtinum, Epiſcopum nempe doctiſſimum poterant latere. Tertio, ipſemet Athanaſius in Apologia ſecunda narrat, ſex & triginta Epiſcopos Africæ Concilio huic Sardicenſi interfuiſſe, quos inter Gratum Carthaginenſem Epiſcopum enumerat, quo etiam rogante Decretum eſt factum contra Epiſcopos præſertim Africæ, qui Curiam ſectabantur Imperatorum, eum in finem, ut Dignitates ſeculares pro Amicis & parentibus exambirent, de quo legendus Canon ſeptimus Sardicenſis ex verſione Gentiani Herveti. Quarto, à Julii Papæ temporibus, ſub quo Concilium hoc Sardicenſe fuit coactum, uſque ad Papam Zoſimum ſolummodo Anni ſexaginta aut circiter decurrerunt. Unde certum eſt, quoſdam ex Epiſcopis Africæ, qui Concilio huic Sardicenſi interfuerant, potuiſſe etiam de vultu notos eſſe permultis Epiſcopis, qui Synodum Carthaginenſem ſextam celebrarunt. Quinto, in Actis Synodi hujus ſextæ Carthaginenſis, cum de Zonimi Commonitorio diſſidium aliquod oriretur, Notarius Concilii ea commemoraſſe legitur, quod ad notitiam Concilii Sardicenſis omnino videntur pertinere. Bellarminus quidem conjicit, ea Notarii verba fuiſſe primum ab aliquo Synodi Carthaginenſis margini adſcripta, & dehinc contextui inſerta. Sed omnino videntur genuina Notarii verba, quod ipſum confirmant Reſponſiones Auguſtini & aliorum Africæ Epiſcoporum, quæ ſequuntur immediate recitationem hanc Notarii, ubi omnes Epiſcopi excipiunt per-

perquisitionem Canonum Nicenorum, de quibus agebatur, minime autem de Sardicensibus, quanquam in Synodo lecti fuissent. Verum, si ultro id detur Bellarmino, illa Notarii verba irrepsisse in relationem Synodi Carthaginensis sextæ: nihilo tamen minus liquet satis ex argumentis præcedentibus, Concilium hoc Sardicense Augustinum & alios Africæ Episcopos latere non potuisse. Augustinus enim non absolute scribit loco supra citato, se non cognoscere aliud Concilium Sardicense ab eo, quo Donatistæ suam tuebantur causam, sed solummodo ait, Concilium à Donatistis prolatum non Catholicorum, sed Arianorum fuisse; quorsum pertinet ejusdem Epistola itidem paulo ante citata. Si vero dicat aliquis, si Augustinus cum aliis Patribus Africanis Concilium hoc Sardicense agnoverunt fuisse legitimum, cur non Legatos Papæ Zosimi uno absolvebant verbo, atque rem, ut sese habebat, declararunt? Respondetur, hoc ab illius consulto & summa DEI providentia factum, tum, ut posteritati contra adsentationes & usurpationes hominum, absolutam in Ecclesia Monarchiam invehere volentinum consuleretur, tum, ut improbis & frequentibus Ecclesiasticorum Africæ perfugiis & vitilitigationibus iretur obviam, quod initio Epistolæ Synodalis ad Bonifacium Zosimi Successorem perspicue declarant. Quod vero Africanorum salutare propositum non potuit sic versutiæ & Levitati ingeniorem Africæ mederi, quin homines protervi omnia Juris communis & Disciplinæ Apostolicæ repagula effingerent, & Curia Romana, undequaque posset, sua Jura commentitia adstrueret. Horum autem effugiorum exempla Baronius, Bellarmini & alii recentiores diligenter adcumulant, & adpellationis titulo frustra cohonestant, cum id potius ad viam facti, quam ad Quæstionem Juris pertineat, nec aliud fundamentum habeat, quam à Christo fuisse constitutum infallibilem & absolutum Ecclesiæ Monarcham, quod tam falsum est, quam falsissimum. Cæterum Lector sub finem hujus controversiæ monendus est, Epistolam Bonifacii Pontificis hoc nomine secundi ad Eulalium, quæ in Tomis Conciliorum legitur, esse prorsus fictitiam, siquidem narrat, Ecclesiam Africanam à tempore Synodi Carthaginensis lapsu centum annorum cum Ecclesia matrice Romana non communicasse propter Zosimi commonitorium & alia inde consecuta; quam falsitatem Epistola octava Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliæ prodit, in qua Cœlestinus Augustinum adversus quosdam Galliæ Presbyteros tuetur, qui dicebant, Augustini doctrinam de libero arbitrio minus esse sanam quia viribus humanæ libertatis nimirum detraheret. Sed dato, non autem concesso, Epistolam Bonifacii ad Eulalium esse veram, non vero suppositiam, hoc est, Ecclesiam Romanam desiisse communicare cum Africana, propterea, quod hæc libertatem Canonicam suarum Ecclesiarum & commune jus strenue ac cum moderatione tutelæ inculpatæ propugnasset; attamen ejusmodi excommunicatio nihilo magis obficere potuit causæ & religioni Patrum Africanorum, quam censuræ Victoris antehac Ecclesiæ Ephesinæ, aut Johannis octavi postmodum Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, qui authore Baronio claruit miraculis, quamvis fuisset excommunicatus? Certe Patres Africani causam longe æquiorem habebant Zosimo obsistendi, quam Ecclesia Ephesina aut Ignatii. Illi enim pro jure communi & disciplina Apostolica per legem Divinam & Canones Nicenos consecrata, nec non moribus & consuetudine omnium gentium stabilita, hoc est, pro libertate Ecclesiæ & regimine aristocratico per Christum instituto; Ecclesia autem Ephesina tantum pro celebratione Festi Paschalis juxta morem Judaicum, & Ignatius de provincia Bulgariæ, quam Pontifex Romanus Patriarchatui suo volebat adjungere, decertabant. Verum hinc patet, illis adhuc seculis Ecclesiam Romanam fuisse sumtam pro particulari, non autem pro universali Ecclesia, quoniam tunc temporis non idem erat, Romana & Catholica communione excludi, uti hodie post inventam Papæ Monarchiam, quæ innumeris schismatibus ansam præbuit, adhuc præbet, deinceps que præbebit, quoniam contra Jus Diurnum & naturale vult regere Ecclesiam. Atque hæc multa cum observatione Doctor Sorbonicus circa Synodum hanc Carthaginen-

cilium tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum eſſe profectum, utpote quod certum ſit argumentum, hanc Synodum ſive Pontificis conſenſu non eſſe coactam.

Launojus *T. eod. Epiſt.* 3.

ITa Bellarminum adgreditur: Uti Theodoſius ſenior Synodum primam Conſtantinopolitanam, ſic Theodoſius junior primam Synodum Epheſinam indixit & convocavit. Tanta & tam varia eſt hujus convocationis probatio, ut ſua laboret multitudine. Argumenta colliguntur primum ex iis, quæ Synodum antecedunt; deinde ex iis, quæ in Synodo fiunt, & eam comitantur. Tum demum ex iis, quæ ſubſequuntur. Quæ Synodum antecedunt, ita ſe habent. *Primo*, Baſilius Diaconus & alii quidam Monachi in libello ſupplici, quem Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano obtulerunt, illorum juſſa Synodum fieri poſtulant, alios adituri, ſi, ut adirent, leges poſtulaſſent Eccleſiaſticæ; ſecus enim ſi feciſſent, non tuliſſent impune. *Secundo*, Imperator Theodoſius in epiſtola, quam ad Cyrillum Alexandrinum ſcripſit de Synodo celebranda, dum eum advocavit, ut ſe ei ſiſteret præſentem, indicat, eum id ſibi non ultro ſumſiſſe, niſi, ut ſibi ſumeret, receptus Eccleſiæ mos permiſiſſet. *Tertio*, idem Imperator Theodoſius in alia quadam epiſtola, quam ad eundem Cyrillum & Metropolitanos illius regionis miſit, Imperatoris eſſe, Synodum convocare. *Quarto*, idem iterum in epiſtola, quam per Comitem Candidianum direxit, ad alium pertinere credidiſſet. Hoc nimirum ut credatur, Imperatoris bene de Eccleſia meriti pietas exigit; quin etiam Synodum ipſa, quæ in hac Synodo geſta ſunt, & eam comitabantur, Synodus ab Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano ſe convocatam eſſe tam ſæpe teſtatur, ut, qui negaret, homo ſtolide pertinax eſſet exiſtimandus; ſiquidem ex negatione tali conſequeretur, Synodum Epheſinam neſciviſſe, quid ipſa gereret vel ſcriberet, vel certe, quid in ipſa gereretur vel ſcriberetur. Hæc ubi per ſex membra ex ipſis Synodi diverſis actionibus demonſtravit Launojus, additis ipſius Cyrilli ex Apologetico ad Theodoſium, & Theodoreti ex Epiſtola poſt decimam ſexta ad Irenæum Epiſcopum teſtimoniis: Ex iis porro, quæ Synodum ſubſecuta ſunt, exhibet hæc: *Primo*, Johannes Antiochenus Epiſcopus, in epiſtola ad Sixtum Cœleſtini ſucceſſorem teſtatur idem; qui *ſecundo* in alia ad Cyrillum epiſtola iiſdem inſiſtit veſtigiis. *Tertio*, Ibas Antiſtes Edeſſenus in epiſtola ad Marium Perſam, quæ inter acta Synodi Calchedonenſis refertur, & cujus meminit Facundus Hermianenſis, hoc quoque confirmat. *Quarto*, *quinto & ſexto* conſenſum probent Socrates, Imperator Juſtinianus in collatione prima Synodi quintæ, item Imperatores Theodoſius & Valentinianus in lege, quæ in collatione quinta ejuſdem Synodi refertur & probatur. His adcedunt recentiores, qui ab antiqua ſimplicitate non deflexerunt, nominatim Sigebertus & Nicephorus. Quamvis autem ſic porro ſcribit Launojus, hac de re non ſit facilius, quam de cæteris in & à Synodo geſtis dubitare, Bellarminus tamen Concilii hujus indictionem & convocationem Imperatoriam voluit obſcurare. Hujus verba poſtquam repetiit, hanc ſubjunxit cenſuram: *Primo*, quod adtinet Proſperum, ſcribit is quidem, Impietati Neſtorianæ præcipuam Cyrilli Epiſcopi Alexandrini induſtriam & Papæ Cœleſtini authoritatem repugnaſſe. Atqui Proſper hæc narrat Tauro & Felice Conſulibus, id eſt, anno ſeculi poſt Chriſtum quinti viceſimo & octavo, quo Synodus Epheſina nec indicta, neque coacta eſt. Bellarminus adeo non legit Proſperum, aut ſi quando legit, quibus quod narratum eſt, Conſulibus narraret, obſervare neglexit. Nimirum, author hic deſcribit initia hæreſeos Neſtorianæ, cui primum Cyrillus deinde Cœleſtinus, & cum eo cæteri Occidentales fortiter reſtiterunt; ſed non loquitur de Synodo Epheſina, quæ coacta eſt demum anno hujus ſeculi poſt trigeſimum primo, Baſſo & Antiocho Conſulibus, in cujus deſcriptione, ubi, & à quo ſit congregata, Proſper non meminit. Erravit igitur ſemel atque iterum Bellarminus, cum opinionis ſuæ teſtem adducit eum. *Secun-*

undo, in citando Evagrio non minus erravit, dum ejus citat locum, in quo de Synodi convocatione non agitur, & locum omittit, in quo agitur de ea, uti conſtat ex ipſa lectione ejus, qua docetur, Bellarminum contra, non pro ſe Evagrium potuiſſe laudare. *Tertio*, in Cœleſtini Epiſtola ad Cyrillum nil omnino traditur, quod ad Synodi pertineat convocationem, ac verba, quæ reſpexit Bellarminus, is vel non intellexit, vel intelligere noluit, atque ſic graviter hallucinatur, ſi putat in iis fieri mentionem ullam Synodi Epheſinæ. Profecto, mirum eſt, Bellarminum Synodi Epheſinæ convocationem in ea Cœleſtini Epiſtola quærere, ubi de convocatione hac neque loquitur, nec loqui poteſt ſpectata temporum doctrina, & eam Cœleſtini Epiſtolam negligere, in qua de hujus Synodi convocatione palam loquitur, quam ſcripſit ad Imperatorem Theodoſium. *Quarto*, Photius in libro de ſeptem Synodis dicit quidem, Cyrillum eſſe profectum ad Concilium hoc tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum, ſed non dicit, Concilium hoc authoritate Cœleſtini indictum & convocatum eſſe. Ex his duobus primum non quærimus, ſed ſecundum, quod vero non invenimus. Bellarminus hac in re fucum facit, aut patitur. *Quinto*, cum Bellarminus ita ratiocinatur, ſcribens, hoc certum eſſe argumentum, hanc Synodum non ſine conſenſu Pontificis eſſe coactam, dimicat cum larvis; quæſtio enim inſtitutum, utrum Synodus hæc vel citra, vel cum Pontificis conſenſu fuerit coacta, ſed an ex ipſius nutu & authoritate? Inde, in Ratiocinatione hac oblitus eſt Lemmatis, quod capite ſibi ſumſit antecedente, ſtatuens; Revera Pontificis eſſe, non Imperatoris, Synodum congregare generalem. Nam, aliud eſt, Pontificem congregare Synodum; aliud vero, non ſine Pontificis conſenſu congregari. Præterea, jus illud, quod uni Romano Pontifici vult adſerere, cum omnibus Epiſcopis communicat. Si enim Pontifex Romanus Concilium univerſale cenſetur indicere, quod non ſine illius conſenſu ab Imperatore indicitur, Eugubinus quoque Epiſcopus & alii cenſebuntur indicere, quod non ſine illorum conſenſu Imperator indicit. Quid evidentius? *Sexto*, ſi Bellarminus advertiſſet hujus Synodi hiſtoriam, nunquam ſcripſiſſet, quod de illius indictione & congregatione ſcripſit. Nimirum, inchoata jam erat hæc Synodus, & altera celebrabatur actio, cum Sedis Apoſtolicæ Legati advenerunt. Eſtne autem hoc credibile, Cœleſtinum ſic indixiſſe & convocaſſe Synodum, ut illa prius, quam advenirent Legati, haberetur? Vir prudens & adtentus vix illud crederet, etiamſi per indubitatas Cœleſtini literas conſtaret; quod vero non conſtat, nec conſtare poteſt, quia, quod minime factum eſt, id uti factum conſtare poteſt neutiquam. Hæc obſervatio, & quæ ex hujus Synodi Actis, atque ex ipſis Cœleſtini & Cyrilli literis ſunt Relata, efficiunt, ut admitti non poſſit tanquam verum, quod habet vetus Eccleſiæ Romanæ Diurnum in Præſulis Romani recens coacti adlocutione ad fratres Epiſcopos & Presbyteros tanquam filios, ac univerſam DEI plebem, ubi Concilium hoc quidem ſub Theodoſio Auguſto ex authoritate tamen Cœleſtini, Sedis Apoſtolicæ Antiſtitis cum B. Cyrillo Eccleſiæ Alexandrinæ Præſule factum eſſe legitur. Revera enim, qui adlocutionem hanc compoſuit, poſt Synodum ſextam, id eſt, poſt Annos à Synodo hac Epheſina plus minus ducentos Hiſtoriam ejus non tam probe tenebat, quam tenuiſſet Author æqualis, vel ætate ſuppar. Scilicet, decretum & indictum eſt à Theodoſio Concilium hoc prius, quam Cœleſtinus decretum & indictum eſſe cognoſceret, ac eam ob cauſam ex ejus authoritate decerni ac indici non potuit. Pariter Sigonius in opere de Imperio Occidentali cum Diurno, quod ſequitur errat, uti & Ciacconius; qui, & ſi recentiores ſunt alii, errant ſine dubio, alioquin, quod inſanum foret, dicendum eſſet, Cœleſtinum, Cyrillum ac Synodi Epheſinæ Patres errare, cum eam a Theodoſio indictam & coactam eſſe teſtantur. *Septimo*, ſi Bellarminus Synodi hujus Acta legit, contra propriam ſcripſit Conſcientiam, ſiquidem illa palam & aperte ſignificant, eam ab Imperatore indictam eſſe & coactam. Si vero non legit, indignum ſe præbuit, cui vix ulla in re credatur, cum id ſcribat, quod *tam a-*

perte

perte falſum eſt, & ab omnibus, qui legere ſciunt, falſam eſſe deprehenditur. Et ab omnibus qui hoc genus præſtigiarum & offuciarum, quo Veritas abſconditur, & incautis error objicitur, ut exiſtimant, id eſſe verum, quod falſum eſt, homini Chriſtiano non poteſt placere.

Additio.

ANte Latinojum de hujus Synodi indictione Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum generalium ita iterum diſſerit, ut ejus authoritatem adſcribat in ſolidum Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano, quorum literas hunc in finem ad Cyrillum Alexandrinum & cæteros Patriarchas & Metropolitanos ex ipſis Conciliorum Tomis verbotenus in gratiam Lectoris adpoſuit, ad utraſque ſingularia quædam obſervavit. Et quidem ad prioris notavit, Cæſares in eis reprehendere Cyrillum, quaſi Cœleſtinum exſtimulaſſet ad Neſtorum citiſſime damnandum, antequam is fuiſſet auditus; dum Cœleſtinus Neſtorio decem tantummodo dierum præfixit ſpatium, quo niſi reſipiſceret, confeſtim abdicaretur. Hoc igitur Imperatores directe reprehenderunt quidem in Cyrillo, ſed etiam per ejuſdem latus (indirecte) ipſummet feriunt Cœleſtinum, quaſi Monarchice potius, quam Synodice Neſtorium condemnaſſet, oſtendentes, Sententiam de Neſtorii abdicatione à Cœleſtino contra morem, à Patribus in Arii & Macedonii erroribus damnandis ſervatum, fuiſſe latam. Cernebant quippe optimi & prudentiſſimi Imperatores, ſi error Neſtorii ipſo inaudito extra Synodum generalem, quaſi præjudicio quodam, uti loquuntur alias, damnaretur, eum non ſublatum, ſed exacerbatum iri, tum, quia Veritas permultis nondum innotuiſſet, tum etiam, quia Neſtorius permultos haberet ſequaces; adeo, ut poſtea in Synodo quinta generali demum opus fuerit fibras ejuſdem penitus exſtirpare. Quocirca Principes optimi jure majorum morem imperant obſervari, idque niſi feciſſent, jam ab illis temporibus Eccleſia continuis Schiſmatibus laniata ad paucos redacta fuiſſet, ut hodie, nec ullas Synodos, ſaltem generales habuiſſemus; quibus nimirum ſublatis provinciales quoque defierunt celebrari, & Jus commune ceſſavit omnino. Itaque non ſatis fuit, hæreſin Neſtorii damnare, niſi caveretur, ne Eccleſia ex ejus damnatione plus mali, quam utilitatis meteret; quod certe contigiſſet, ſi extra Synodum generalem liberam fuiſſet damnata. Non vero ob hanc tantummodo cauſam Imperatores Cyrillum increparunt, ſed ideo etiam, quod ſcripſiſſe videretur ad Imperatrices de Imperatoribus, quaſi faverent cauſæ Neſtorii; quod confirmatur Apologetico, quem poſt Synodum ſcripſit ad Theodoſium Cyrillus, veniam rogans. Adcedit, Imperatores in hiſce prioribus literis ſcribere, curam Eccleſiæ ad Principem politicum ſpectare, quoniam Eccleſia in republica tanquam in Thalamo & Domicilio habitet; ac inſuper docere, doctrinam pietatis debere in utramque partem à Synodo ſacra diſcuti, eique dijudicandæ illas oportere præfici, qui ubivis gentium præſideant ſacerdotiis, quod ipſum demonſtrat, illo tempore Monarchiam Papæ infallibilem fuiſſe adhuc incognitam. Contigit autem Cyrillo per literas haſce increpatorias, quod olim Athanaſio adverſus Arium agenti, nempe, ut invidiæ apud Cæſares exponeretur; ſed demum Veritas cum magna laude & gloria Cyrilli vicit. Ad literas autem poſteriores Imperatorum obſervavit Doctor Sorbonicus, in iis itidem doceri, Cæſares tum habuiſſe curam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, videlicet, ut ſtatus Eccleſiaſticus eſſet ejuſmodi, qui & DEUM deceret, & temporibus Principum congrueret quam maxime, atque ſic ex omnium concordia & conſenſione ſuam obtineret tranquillitatem &c. Certe, quod de ſuo addit Richerius, Imperatores tanquam Juris Divini, Naturalis & Canonici vindices atque Protectores Eccleſiarum hac fruuntur poteſtate. Notandum vero eſt illud quoque ex hiſce literis, in Eccleſia primitiva fuiſſe moris,

ut Imperatores ſtatim, atque reſcirent ab Eccleſiaſticis, opus eſſe Concilio generali, illud ſuis indicerent atque convocarent literis. Agnovit illud de Synodo hac Epheſina Cœleſtinus ipſe Pontifex in Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem, ſcilicet, Imperatorem juſſiſſe Synodum celebrari. Jungi his debet Epiſtola Capreoli, Carthaginenſis Epiſcopi ad ipſam hanc Synodum Epheſinam, qua declarat Theodoſium miſiſſe literas quoque in Africam ad Auguſtinum, qui vita nuper erat functus. Nulla autem in hac Epiſtola fit mentio, quod hanc Synodum Epiſcopis Aſiæ Cœleſtinus indixerit, utut Africa Patriarchatui Romano tum fuerit ſubdita. Equidem, quando in ſecunda Synodo Epheſina, Chalcedonenſi & cæteris univerſalibus Synodis literas Imperatorum ad Pontificem Romanum pro illarum indictione legimus, non ambigendum eſt, quin etiam Cœleſtinus pro ea re literas ejuſdem acceperit ab Imperatoribus, cum literæ Cæſarum pro hujus Synodi convocatione nominatim perhibeant, ad omnes omnino Epiſcopos DEO dilectos Metropolitanos literas fuiſſe miſſas. Porro, ubi Imperatores ſic evocarant Metropolitas, hi conſueverant habere ſingulari cum delectu Epiſcopos ſibi ſuffraganeos cum Sacerdotibus aliiſque perſonis ad Synodum Idoneis, quibuſdam domi relictis, qui Divina peragerent in Provinciis officia & Sacramenta populo adminiſtrarent. Quod vero Theodoſius nominatim ſcripſit ad Auguſtinum, ac petiit, ut Synodo intereſſet. Oſtendit hoc ipſo, quanta ubique terrarum fama de vita & doctrina ejus percrebuerit. Inſuper exinde cognoſcitur, Imperatores certum tempus huic Synodo præfixiſſe, quod proprie eſt Synodum indicere; (præſertim ſi circumſtantia loci etiam adtendatur.) Adhuc amplius, quando edicitur, ut turbæ, quæ ex pluribus diſſidiis & concertationibus hinc inde ſunt natæ, hæ ſecundum Canones Eccleſiaſticos definiantur & ſopiantur, atque ſic Pietatis publicæque utilitatis firmitati conſulatur. Patet hinc quoque, nihil hic loci relictum abſolutæ Pontificis Romani Monarchiæ, aut iis, qui mallent imperare, quam in medium conſulere, aut aliorum de ejuſmodi rebus conſilium audire, uti loquuntur Imperatores in priore ad Cyrillum Epiſtola. Quin etiam prohibuerunt ne ante Synodum coactam, communemque ejus ſuper Controverſiis enatis Sententiam aliquid à quoquam illa in re innovaretur. Neque in his ſubſtiterunt, ſed parere detrectantibus graviter quoque ſunt comminati, ſcribentes, ſe harum rerum curæ ſedulo incumbentes velle nullum impune à Synodo abeſſe, nec illum vel apud DEUM, vel apud Imperatores excuſationem ullam habiturum, qui ſtatim impigre ſecundum tempus præfinitum ad locum à ſe deſtinatum præſto non fuerit. Conſtat nimirum ex hoc quoque, quantam antehac Imperatores habuerint poteſtatem in negotiis Eccleſiaſticis & Conciliis ordinandis, adeo ut omnia ab illorum nutu quoad ordinem agendi pertinerent, è contra autem Epiſcopi Romani exiguam valde partem hic obtinebant. Fuit autem hæc Theodoſii Imperatoris comminatio non multum abſimilis ei, quam Conſtantinus M. miſit Patribus Concilii Tyrenſis apud Euſebium. Ubi enim Princeps optimus reſcivit, magnas in Ægypto tempeſtates eſſe ſubortas, ſtatim imperavit haberi Synodum, ac Epiſcopis Tyri congregatis Epiſtolam, tanquam Epiſcopus communis exteriorum negotiorum, hoc eſt, Juris Divini, Naturalis & Canonici ſcripſit, clare oſtendens, quanta Principes præditi ſint poteſtate ad Diſciplinæ & Pacis Eccleſiaſticæ vindicias. Si vero quis opponat, Athanaſium multa de hac Synodo Tyrenſi, quam indixit Conſtantinus, conqueri in Apologia ſecunda, is ſciat, hæc ad Quæſtionem facti pertinere, & quæ in Synodo hac adverſus Athanaſium ſunt patrata, nihilo magis Conſtantino aut ſancto ejus propoſito poſſe adſcribi, quam Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus, quæ Johannes Antiochenus adverſus Cyrillum in hac Synodo Epheſina geſſit, quam-maxime autem & inprimis ideo, quia Conſtantinus nominatim petiit ab Epiſcopis, ut opem ferant egentibus, fratribus in periculo poſitis adhibeant Medicinam, divulſa ad conſenſionem revocent membra, omnia emendent errata, concordiam reſtituant, non odio, non gratia, ſed ſtudiis conſentientibus ſecundum Regulam Eccleſiaſticam & Apoſtoli-

cam

cam omnibus erratis errore aliquo admiſſis propriam adhibent curationem, ac Eccleſiam liberent ab omni contumelia &c. Quid, obſecro, amplius ab optimo Principe & Epiſcopo communi Chriſtianorum poterat deſiderari? Quanto etiam cum ſtomacho hæc pertulerit, atque factionibus Euſebianorum adverſus Athanaſium quam ſtudioſe voluerit mederi, liquet ex ejuſdem Epiſtola, quæ legitur in fine Apologiæ ſecundæ Athanaſii, quem ipſum Lector ſtudioſus obſervabit injurias ſibi illatas ab Epiſcopis Synodi Tyrenſis ad Cæſarem detuliſſe, atque ab illo petiiſſe judicium æquabile, ut coram eo & Epiſcopis memoratis de iis poſſet conqueri, quæ per vim paſſus erat; quod amplius confirmat poteſtatem Imperatorum in conſtituenda & regenda externa Diſciplina & Pace Eccleſiæ, hocque Adpellationibus, quas hodie Galli vocant ab abuſu, quodammodo æquipollet, utque finem debitum nanciſceretur. Conſtantinus Imperator Epiſcopos ad ſuum Tribunal & Prætorium adcerſivit, quæ fama Judicii debet Baronii & Bellarmini, imo, omnium Cornicum oculos configere, quando in ipſa meridie ſolem dubitant lucere.

Bellarminus *ibid.*

De Synodo Chalcedonenſi ſcribit, patere ex Epiſtola Imperatoris Marciani ad Leonem Papam, quæ legitur ante Concilii Acta, quod Imperator illud indicturus rogarit Pontificem, ut veniat ipſe & faciat Concilium, vel ſi nolit venire, per Literas ſignificet, quid agi velit, in fine concludens, ſe ad omnes Epiſcopos ſcripturum, ut ad certum conveniant locum. Addit, extare inter Epiſtolas ad hanc Synodum pertinentes Epiſtolam Epiſcoporum Mœſiæ ſecundæ ad Imperatorem, in qua legatur, per juſſionem Leonis Epiſcopos conveniſſe. Denique, Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ dicit, ſolam Sedem Apoſtolicam authoritate ſua decreviſſe, ut Synodus hæc fieret. Ubi notandus eſt Magdeburgenſium lapſus, qui non intelligentes, quid Sola excluderet, putaverunt, excludi Imperatorem, & ideo vociferantur, Gelaſium impudenter eſſe mentitum. Sed Gelaſius per hanc particulam non excludit Imperatorem, ſed Sedes alias Epiſcopales. Non enim Sedes Alexandrina, vel Antiochena, vel Hieroſolymitana, aut etiam Conſtantinopolitana, ſed ſola Sedes Romana fieri voluit eam Synodum, & reipſa effecit, quamquam non ſine ope pii Imperatoris Marciani.

Launojus *T. eod. Epiſt. 4.*

Ad hæc obſervat ſequentia: *Primo* Theodoſius præcepit, ut in Eutychetis cauſa haberetur Synodus Conſtantinopolitana; tradente id Evagrio, ex cujus teſtimonio conſtat, Flavianum Patriarcham Conſtantinopolitanum privaſſe Sacerdotio Eutychetem, qui confugiens ad Theodoſium ac de Flaviano conqueſtus effecit, ut Imperator aliud in eadem Urbe Concilium indiceret atque congregaret. Eu, Concilium Conſtantinopolitanum in cauſa Eutychetis celebratum, in quo etiamſi vicit Flavianus, res tamen ad aliud Concilium majus Epheſi celebrandum eſt delata. Hinc *ſecundo*, Pontifex Leo rogat Theodoſium, ut inter Italiam fieri jubeat Concilium in cauſa Eutychetis. Nimirum excitatæ inter Flavianum & Eutychetem controverſiæ Leo ab utroque admonitus primum ad Eutychetem, deinde ad Theodoſium, mox ad Flavianum dedit literas; præterea rurſus ad Theodoſium ſcripſit, precatus, ut in Italia Concilium ſuper ea re fieri juberet, & quidem demiſſe, ſimul Fidei ſuæ reddens rationem. Sed nullum habitum eſt Concilium intra Italiam, quod Leo non obtinuit, obtenturus facile, ſi Concilii convocandi jus penes ipſum, non vero penes Imperatorem fuiſſet. *Tertio*, Theodoſius Synodum Epheſinam, quæ infauſtum habuit exitum, indixit &

Digitized by Google

convocari juſſit. Inter illos autem, qui hujus convocationis meminerunt, principatum tenet Leo Pontifex variis in Epiſtolis, à quibus poſtquam diverſa octo teſtimonia huc tranſtulit Launojus, porro obſervavit, Leonem in eis Conciliorum generalium indictionem & convocationem, ut aliquid Primatui ſuo Divinitus adnexum, non vindicare. Huic adcedunt, inquit, quicunque alias de Synodi hujus convocatione verba fecerunt modo quocunque. Nominatim, Diogenes Cyzici Epiſcopus in Synodi hujus Actione prima, Author Breviculi Hiſtoriæ Eutychianiſtarum in Adpendice Sirmondi ad Codicem Theodoſianum, Proſper Aquitanus in Chronico, Leontius item Byzantinus in Libro de Sectis, & hactenus nemo eſt inventus, qui negaverit, Synodum hanc Epheſinam juſſu & authoritate Imperatoris Theodoſii indictam eſſe & coactam. Poſtquam vero Synodus hæc evaſit in prædatoriam, & meruit, ut Synodus Epheſina non diceretur, de inſtauranda Synodo majore Leo Pontifex cogitare cœpit, cujus rei teſtes ſunt illius Epiſtolæ complures, in quibus Concilium univerſale poſtulat ab Imperatore. *Quarto*, Interea dum Leo Pontifex omni precum genere rogabat Theodoſium, ut Concilium generale intra Italiam præciperet haberi, hic Imperator diem clauſit extremum, atque in ejus locum ſufficitur Marcianus, qui cum Valentiniano Imperium gubernaret Romanum. Quod igitur Concilium, ut in Italia celebraretur, Leo poſcebat, in alia Regione celebrari decreverunt Valentinianus & Marcianus, id Leoni ſignificantes per literas, eumque in Orientem advocantes, uti ex Actis Synodi Calchedonenſis conſtat. Non multo poſt Marcianus quidem Concilii locum eſſe voluit Urbem Nicenam, ac omnes ubique Epiſcopos per literas adcivit, ut ea maturarent, quæ itidem in Actis leguntur; deinde vero Valentinianus & Marcianus Synodum, quæ convenerat Nicenæ, tranſtulerunt Calchedonem. Adſunt iterum Epiſtolæ Leonis plures, in quibus de indicenda per Marcianum Synodo ſeu Nicena, ſeu Calchedonenſi ſermonem inſtituit. Nec vero Imperatores dicti & Leo Pontifex ipſe ſolum teſtantur, Synodum Calchedonenſem ſic indictam & coactam eſſe, ſed ipſa etiam Synodus in ſingulis fere Actionibus id voluit exaratum. Et quanquam modis omnibus humanis, qui certum atque exploratum quid poſſunt efficere, certum atque exploratum efficitur, Valentiniani atque Marciani juſſu & authoritate indictam & coactam eſſe Synodum hanc Calchedonenſem, Bellarminus tamen contrarium ſibi ſumſit demonſtrandum. Ejus verba poſtquam repetiit Launojus, ſequentia obſervavit ad ea: *Primo* inquit, Bellarminus hæc perinde ſcripſit, ac ſi, quæ ex ipſis Synodi Actis ſunt relata, falſa eſſent & adulterina, vel ea nemo mortalium legere & intelligere valeret. *Secundo*, ſi, quam adſertionem Bellarminus ex Marciani ad Leonem, ex Epiſcoporum Mœſiæ ſecundæ ad Imperatorem, ex Gelaſii ad Epiſcopos Dardaniæ literis ſtatuit, vera eſt, oportet Papam Leonem & ipſam Synodum Calchedonenſem neſciviſſe quid ſcriberent. Certe, ſi, cum Synodum hanc Calchedonenſem ab Imperatoribus indictam & coactam eſſe tam aperte, tam frequenter, tam perſeveranter ſcripſerunt, &, quid ſcriberent, neſcierunt, quomodo Bellarminus poterit probare, Leonem & Synodum ſciviſſe, quod adverſus Eutychetem definierint? Par namque eſt utrobique obtendendæ vel ignorantiæ, vel ſcientiæ ratio, & nuſquam legitima diſparitas adferetur. Hinc patet, quas in Anguſtias ſe conjecerit Bellarminus, nolens id ſimpliciter agnoſcere, quod res eſt. Sic extrema cum illo confligendum eſt fortuna, ut Veritas extundatur. *Tertio*, Bellarminus exhibuit fide mala, quod Marcianus ſcripſit ad Leonem; qui expreſſe jus loci determinandi, in quo fiat Synodus, tribuit ſibi, quod nihil aliud eſt, quam indicere Synodum. Leoni autem & Antiſtitibus reliquis adſerit poteſtatem rerum definiendarum, quæ Fidem adtinent. Hæc omnia Bellarminus permiſcet inter ſe & confundit, ut his permixtis atque confuſis id adpareat, quod revera falſum eſt. *Quarto*, ſi Mœſiæ ſecundæ Præſules verum dicerent, ipſa Synodus Calchedonenſis erraret, cum adfirmat paſſim, ſe Imperatorum ſanctione & Decreto conveniſſe. Ipſe etiam Leo Pontifex erraret, cui quod

Digitized by Google

quod ipſe ſibi non vindicat, illi adſcribunt ſibi, & coacta Synodus eſſe per Juſſionem Leonis, qui tamen ſuis apud Marcianum precibus obtinere non potuit, ne tam cito cogeretur. Exinde ſumendum eſt, Epiſcopos Maſiæ ſecundæ id tribuere Leoni, quod ipſe Leo, Synodus & bene multi revera tribuunt Marciano. Quin igitur erraverint, negari non poteſt, dum id putarunt factum, quod omnino factum non eſt. *Quinto*, Gelaſium quod adtinet, Bellarmino non tam fuit laborandum, ut is cum Imperatore, quam cum ipſo conciliaretur. Poſt iterata Gelaſii ex epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ verba Launojus addit ejuſdem teſtimonium, quod ſuo & Romanæ Synodi nomine legitur in Decreto apud Gratianum, quo libri ſacri & authentici ab apocryphis diſcernuntur, ac in eo expreſſe de hac Synodo Calchedonenſi habetur, quod mediante Marciano & Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano fuerit celebratum, & nulla vel Leonis, vel ſedis Apoſtolicæ occurrit mentio, tantum abeſt, ut Gelaſius in hac Synodo Romana id de ſola ſede Apoſtolica pronuntiet, quod in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ ſine Synodo Romana pronuntiat. Bellarminus autem hæc duo, quæ non videntur cohærere inter ſe, debuit obſervare & conciliare inter ſe, ſi poſſunt conciliari. Quin etiam Bellarminus, ut diſſentiat à Magdeburgenſibus, à Gelaſio & Synodo Romana diſſentit, qua parte docet, Gelaſium per voculam Sola ſedes alias Epiſcopales, quarum in numero collocat Conſtantinopolitanam, excludere. Tum, ſi res ex ſeipſa penſitetur, Gelaſius cum Synodo Epiſcoporum ſeptuaginta locutus Gelaſio ſine tali Synodo epiſtola ſcribente præferendus eſt, quod nemo in dubium audebit vocare. Quocirca ſi falleretur Gelaſius, cum in Synodo pronuntiat, falleretur multo magis, cum ſine Synodo pronuntiat. Hoc argumentum eo eſt fortius, quod ipſe Bellarminus illam Synodum Romanam tribuit Gelaſio tum aliis in locis, tum maxime in libri primi de Verbo DEI capite quarto. Præterea, quibus rationum momentis probabit Bellarminus, falſa eſſe, quæ narrat Gelaſius in Synodo, iiſdem quis alius probabit, vera non eſſe quæ Gelaſius ſine Synodo ſcribit in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ. Si Bellarminus deciſionem controverſiæ ad epiſtolas Leonis & ad Synodi Calchedonenſis acta revocat, ut Gelaſium in Synodo & cum Synodo locutum oſtendat erraſſe, nos quoque illam ad eaſdem Leonis epiſtolas & eadem Synodi Calchedonenſis acta revocabimus, ut Gelaſium abſque Synodo in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ locutum demonſtremus erraſſe. Quidquid id eſt vel quoque futurum ſit, dicimus in anteceſſum, Gelaſium in hac epiſtola Hiſtoriæ leges neglexiſſe, vel Papam Leonem erraſſe, cum in relatis id ſcripſit epiſtolis, quod ſupra fuit expoſitum. dicenda ſunt cum veritate. Quæ Veritas ipſa geſſit. Et ſi Bellarminus inſtituiſſet eam dicere, Gelaſii epiſtolam ad Epiſcopos Dardaniæ tractaſſet aliter, quam tractavit. Atque hæc hactenus ad hominem, Launojus inquit, nunc ad ſimplicem rei veritatem ſi adcedatur, cum ait Gelaſius, *Sedem Apoſtolicam pro veritate, ut Synodus fieret Calchedonenſis, decreviſſe ſolam*, non fingit Hiſtoriam, cujus nulla fuerint documenta, ſed narrat Hiſtoriam, cujus materiam Leo & Synodus Romana, nempe, ſedes Apoſtolica objecit in epiſtola poſt vigeſimam quinta ad Theodoſium, quæ huic negotio lucis adfert plurimum. Ex ea poſtquam aliqua repetiit Launojus, hæc porro ſubjunxit iterato obſervanda: Ut Synodus generalis haberetur in Italia, non obtinuerunt Leo & Synodus Romana; ſed in Oriente eſt habita, Niceæ primum cœpta, deinde Calchedonem tranſlata. Huc ſpectat Gelaſius, cum ait, ut Synodus fieret Calchedonenſis, ſolam ſedem Apoſtolicam decreviſſe, etiamſi alio ſpectare debuerit reapſe. Non enim petierant Leo & Synodus Romana, ut Concilium generale fieret Calchedone, ſed intra Italiam. Hac in re Gelaſius benigne eſt interpretandus, qui potius ad deſtinatum ab Imperatore Concilii generalis, quam ad poſtulatum à Leone & Synodo Romana locum reſpicit. Cum vero Gelaſius ait, ſedes Apoſtolica, ut Synodus fieret Calchedonenſis, ſola decrevit, hoc ea ratione intelligi debet decreviſſe, quam Leo & Synodus Romana in ſua exponunt epiſtola, Imperatorem nempe ſuppliciter rogando, ut Concilium generale juberet fieri.

ri. His ita explicatis liquet aperte, neque Magdeburgenſes, nec Bellarminum adſecutos eſſe Gelaſii mentem. Occupati nimirum ſuis quique præjudiciis intus ſibi cecinerunt, coque traxerunt Gelaſium, quo trahendus non erat. Scilicet Gelaſius per particulam *ſola*, non excludit Imperatorem, quaſi voluerit, Pontificis, non Imperatoris eſſe, Synodum congregare generalem, & Pontificem, uti Magdeburgenſes putarunt falſo. Deinde, per hanc particulam Sedes quidem alias excludit Epiſcopales, ſed modo non eo, quo Bellarmiuus cum judicat excludere. Nam judicat excludere, ut ſignificet, Pontificis, non Imperatoris eſſe, Synodum congregare generalem, & Pontificem reipſa hanc Synodum Calchedonenſem congregaſſe, qua de re tamen non agitur apud Gelaſium, ut antea viſum & probatum fuit. Ad hæc Bellarminus textum Gelaſii corrumpit, ſcribens ex mente Gelaſii, Sedem Apoſtolicam pro veritate, ut Synodus fieret Calchedonenſis, authoritate ſua decreviſſe, cum tamen Gelaſius his verbis, authoritate ſua non utatur, ſed Bellarminus addat de ſuo, & errorem Magdeburgenſium corrigendo labatur ipſe, & hinc indigeat correctione. Debuerunt nempe Magdeburgenſes & Bellarminus integram Gelaſii epiſtolam ad Epiſcopos Dardaniæ perlegere, & obſervare, ad male vel bene geſtam Synodum non pertinere ejus convocationem, quæ fiat vel ab Imperatore, vel à Pontifice; quod ſi Magdeburgenſes & Bellarminus perſpexiſſent, aliter mentem Gelaſii intellexiſſent. Cæterum, Valentiniani & Marciani literis atque edictis, Leonis item Papæ pluribus epiſtolis, uti & Synodi ipſius Calchedonenſis actionibus & geſtis, quia & aliis Monumentis, quæ Imperatoribus Synodi hujus indictionem & convocationem vindicant, ſuccedunt authores & Hiſtorici, qui ante & poſt Gelaſium claruerunt, nominatim, Theodoretus, qui Concilio interfuit, tribus in epiſtolis, Proſper Aquitanus in Chronico conſulari, ſcriptor Breviculi Hiſtoriæ Eutychianiſtarum, in appendice Sirmondi ad codicem Theodoſianum, author vitæ ſancti Auxentii, liberatus Afer Diaconus in Breviario, Evagrius in opere Hiſtorico, Juſtinianus Imperator in collatione prima Concilii quinti Conſtantinopolitani, Vigilius in epiſtola ad Eccleſiam univerſam, Manſuetus Epiſcopus Mediolanenſis in Synodica ad Conſtantinum Imperatorem quartum epiſtola, Romani Pontificis quoque in Fidei profeſſione, quæ legitur in veteri Eccleſiæ Romanæ Diurno, Sigebertus in Chronico, Nicephorus, Gobelinus Perſona in Coſmodromio, Sigonius, Mariana. His adcedit obſervatio Conciliorum, quæ inter quartum & quintum authoritate Principum ſunt congregata. Ex. gr. quod Imperator Leo præcepit, ut haberetur Concilium Rhodienſe, ac idem fieri voluit aliam Synodum Cyzici, item, quod Theodoricus Rex Italiæ Romæ Synodum convocavit Romæ in cauſa Symmachi Pontificis, quod Alarici Regis permiſſu habita eſt Synodus Agathenſis, quod Clodoveus Rex Galliæ, qui primus religionem ſuſcepit chriſtianam, Concilium Aurelianenſe primum juſſit congregari, porro quod Childebertus Rex & fratres illius præceperunt, ut iterum in Urbe Aurelianenſi fieret Synodus, quod Theodebertus Rex Concilium Avernenſe voluit haberi, quod Childebertus Rex convocavit Concilium Aurelianenſe quintum &c.

Additio.

ANte Launojum de hujus Synodi convocatione adverſus communem Paraſitorum Romanenſium opinionem prolixiſſime etiam egit ſcripſitque Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum generalium, è qua Lectori Veritatis ſtudioſo quædam ſunt communicanda, ut teſtimonium eo ſit firmius & validius. Poſtquam vero præmiſit, Eutychetem ob hæreſin à Flaviano Antiſtite Conſtantinopolitano in Synodo Provinciali & quoad errorem & quoad perſonam fuiſſe condemnatam, ac juxta diſciplinam temporum illorum de hac ſententia adpellaviſſe ad ampliorem Sanctorum communionem, id eſt, ad Synodum generalem, addidit debitæ obſervationis loco, eventum & diſciplinam tunc

tunc uſitatam declarare, ejus adpellationem de ampliori aut generali Concilio intelligendam eſſe, quod ex actione prima ipſius Synodi Chalcedonenſis comprobari poſſit, ubi quidam Epiſcopi referunt, Eutychetem, cum damnaretur, adpellaſſe ſanctum Concilium Epiſcopi Romani, Alexandrini, Hieroſolymitani & Theſſalonicenſis; alii vero, illum duntaxat provocaſſe ad Romanum & Alexandrinum. Hac autem, inquit, ex oratione homines Sedi Romanæ obnoxii inferunt Sophiſtice jus adpellandi ad Pontificem Romanum; cum tamen nihil magis uſui ſit Romano, quam Alexandrino & aliis Patriarchis, è quibus neceſſario coaleſcit Synodus univerſalis, in qua Romanus præter prærogativam primatus nihil habet ſuper alios. Atque hinc refellitur author præfationum hiſtoricarum in editione Conciliorum Romana, utpote qui in hujus Synodi Hiſtoria tentat Lectoribus perſuadere, Eutycheten provocaſſe ad Sedem Apoſtolicam, idque ut roboret, falſo laudat epiſtolam Leonis Magni octavam, uti & nonam atque decimam, quia nihil tale tinniunt, quanquam Leo alias in omnibus epiſtolis fere, quantum poteſt, ſæpe etiam contra canones ſuam & Sedis Apoſtolicæ poteſtatem venditet. In octava quidem epiſtola memorat, Eutychetem in ipſo judicio libellum adpellationis obtuliſſe & libellos conteſtatorios Conſtantinopoli propoſuiſſe. At vero eum ad Sedem Apoſtolicam adpellaſſe, ne verbo quidem habet. Hoc autem omittere Leonem voluiſſe, nemo in animum inducet, qui ſciverit, illum fuiſſe permaximum authoritatis Pontificiæ amplificatorem. Cæterum, per libellos conteſtatorios Leo intellexit Commentarios ad Synodum univerſalem provocatorios & querimoniam doloris ſui continentes, ut ipſe Leo adpellat in epiſtola antecedente ſeptima ad Theodoſium ſcripta. Certe cum Eutyches gratia valeret apud Theodoſium propter eunuchum Chryſaphium, qui infenſus erat Flaviano, facile impetravit à Cæſare, ut ejus cauſa de integro tractaretur in Synodo generali. Hinc autem proclive eſt, Baronii vanitatem confutare, qui, cum obſervaret, Flavianum in epiſtola ad Leonem ſcripſiſſe, per ejus literas removeri poſſe Concilium, inde vult perſuadere, vim literis Apoſtolicis ineſſe, ut nihil opus ſit Synodo œcumenica, poſtquam Papa per eas definierit controverſiam. Sed cauſam metus Flaviani ſubticet Baronius. Cum enim is ſciret, Chryſaphium valde amicum eſſe Eutycheti, & ſibi infenſiſſimum, ac eundem Chryſaphium gratia multum valere apud Imperatorem Theodoſium, ſpiritu quaſi prophetico necem ſibi impendentem præſagiens, propter turbas Eutychetis & adſeclarum, rogavit Leonem, ut ejuſmodi turbis, quantum poſſet fieri, obviam iret, atque periculum, quod ex Synodi alterius celebratione imminebat, avertere conaretur confirmando ſententiam adverſus Eutychetem in Synodo provinciali latam. Verum, Imperator Theodoſius Synodum Epheſi voluit congregari, eumque in finem miſit literas ad omnes Metropolitanos, nec non pariter ad Leonem juxta diſciplinam in Synodo priori Epheſina obſervatam, quæ extant in fronte actionis primæ Synodi Chalcedonenſis, è quibus ſequentia inferuntur conſectaria. *Primum* eſt, Patres exordiri Concilium ſolitos à lectione literarum Imperatoris, nempe, ut in tota ſerie actorum ordini præfulgerent. *Secundum*, ideo literas Imperatorum miſſas ad Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum lectas fuiſſe, quia is huic, uti Cyrillus priori, præerat Synodo; neque enim Legati Pontificis ſuperſtite Theodoſio contenderunt de præſidentia, quod valde notandum eſt. *Tertium*, ad inveſtigandum conſenſum catholicum & Sanctorum communionem Imperatores juſſiſſe omnes in unum Epiſcopos convenire, quatenus hac ratione firmetur catholica Veritas. *Quartum*, his literis ad omnes Metropolitas emiſſis (quod præſertim de Patriarchis & Primatibus eſt intelligendum) nominatim edici, ut quiſque ex ſua Diœceſi decem Metropolitas & totidem Epiſcopos in delectu habeant, quo ſeſe conferant ad Synodum. *Quintum*, Imperatores diem certum celebrandæ & inchoandæ Synodo præfixiſſe, quod proprie eſt Synodum indicere. *Sextum*, quanquam poſt priorem Synodum Epheſinam, quando Imperator Theodoſius Johannem Anthiochenum in gratiam redire voluit cum Cyrillo, omnia idem adverſus Orientales Epiſcopus acta

anti-

albis per vim ſubſcribere coegit, quibus deinceps inſcripſit, quæcumque videbantur idonea, ut hæreſis Eutychetis comprobaret. Atque hic fuit exitus Synodi hujus, quam Patres proinde ἀνοσίαν ſive prædatoriam merito vocarunt. Dioſcoro autem adverſus Flavianum pronuntiante ſententiam hic contra verbis reclamavit, ſe adpellare à Dioſcoro; & Hilarius Eccleſiæ Romanæ Diaconus ſe etiam contradicere teſtatus eſt. Quare Leo in epiſtola poſt viceſimam quarta & quinta ad Theodoſium Imperatorem ſcripſit, Legatos Actis reclamaſſe, & Flavianum eis dediſſe libellum adpellationis. Quod ſi ſcriptores obnoxii hæc in eam velint detorquere partem, ut cenſeant, Flavianum ad ſedem Apoſtolicam provocaſſe, reſpondendum eſt, Flaviani verba intelligi debere de ampliori ſanctorum communione & Synodo generaliori, ut paulo ante de Eutychetis etiam adpellatione fuit obſervatum. Atque hoc eventus ipſe & literæ Leonis Concilium generale à Theodoſio poſtulantis confirmant, ſicut alias oſtenditur quoque, quando neceſſitas habendæ Synodi generalis obcurreret, Epiſcopos & maxime Patriarchas indictionem Synodi apud Imperatores procurare ſolitos, idque in cauſa fuiſſe, cur Theodoſius reprehenderit Cyrillum, quod eum minime de erroribus Neſtorii commune feciſſet, ut huic malo Synodi indictione in tempore obcurreret. Porro du Vallius libri de Papæ ſuprema poteſtate Partis quartæ quæſtione ſecunda, cum Hiſtoriæ hujus veritatem neſciret, aut eam negare non auderet, diverticula meditatur ſophiſtica, nempe, Theodoſium convocando hanc Synodum Epheſinam, ſicut & in aliis pleriſque graviter peccaſſe, quod voluntati Leonis non adquieverit, hacque de cauſa Synodum iſtam fuiſſe perturbatiſſimam & plane prædatoriam. At profecto cavillatoris eſt, eventu quæſtionem juris obruere, cum ſucceſſus rerum à multis pendeant cauſis, quæ non ſunt in manu hominum. Num enim ipſa indictio fuit cauſa iſtius perverſi eventus? Equidem Leo Pontifex aliter longe judicat de hac re, quando Theodoſium ſummis effert laudibus, quod curam rerum Eccleſiaſticarum capeſſeret, atque ad celebrationem Synodi animum adjungeret, de quo legi poteſt epiſtola ejus ſeptima, uti & duodecima, item poſt decima tertia cum ſequentibus, utpote quibus redditur confirmatum, magnæ pietati & prudenti zelo Theodoſii Imperatoris adtribui, quod Synodum hanc Epheſinam ad unitatem fidei ubique conſtituendam indixerit. Et quidem recte; quoniam Imperator tanquam DEI Vicarius & Miniſter ac Protector Eccleſiæ & Juris Divini, Naturalis & Canonici vindex, etiam erga ipſum Papam, ne quid tergiverſentur adverſarii. Eamque ob rem illi jus Conciliorum generalium indicendorum & convocandorum competit; adeo ut, ſi quid mali ex negligentia aut ceſſatione Conciliorum publicæ rei chriſtianæ eveniat, Imperatores ejus rei culpam præſtare teneantur coram DEO. Ex quo fit, ut Conſtantinus, Theodoſius & Imperatores alii, qui ſedulam navarunt operam in curanda Eccleſiæ diſciplina ſummopere ab aliis collaudentur. Poſtquam vero per Hilarium Leo certior factus eſt rerum à Dioſcoro in Synodo hac geſtarum, continuo reſcripſit ad Theodoſium, ejuſve ſororem Pulcheriam, vellent, juberentque aliud Concilium in Italia haberi, quo liberius & ſecurius cauſa Eutychetis tractaretur. Nihilo tamen minus, quoniam canones volunt, negotia ibi, ubi ſunt orta, finiri, ac ex Majorum conſuetudine Concilia ſemper in iis habita fuerant Provinciis, ubi errores damnandi inoleviſſent; idcirco authoritate Theodoſii & Valentiniani Synodus fuit indicta in urbe Nicea, unde aliquanta poſt mortuo Imperatore Theodoſio Chalcedonem eſt tranſlata, poſtquam Marcianus ſucceſſit in locum Theodoſii, ejuſque ſororem Pulcheriam duxit in uxorem, Majeſtate quidem Imperii ob exterarum gentium irruptiones in Europam declinante ſenſim, & poteſtate Pontificum Romanorum adcreſcente, maxime ſub hoc Leone omnium ante ſe Pontificum ſolertiſſimo & prudentiſſimo. Quod autem Leo hujus Synodi Chalcedonenſis indictionem ab Imperatoribus petierit, permultæ ejus declarant literæ, quarum nonnullæ ſunt ſynodicæ, id eſt, in Synodo Romana ſcriptæ, ſummam Actorum ſynodalium continentes. Atque ſic inſuper patet, Leonem nihil privato aut proprio motu hac etiam in re

re ſcripſiſſe. Hic eximiam Baronii fraudem præteriri nefas eſt, qui, ut ad Annum Seculi poſt Chriſtum quinti quinquageſimum, qui primus fuit Marciani, demonſtret, loci & Urbis, in qua Synodi celebrabantur, deſignationem abſolute ab arbitrio Pontificum pependiſſe, Epiſtolam Marciani adulteravit; in qua dum Imperator de loco Synodi celebrandæ ſcripſit ad Leonem, *ubi nobis placuerit*, Baronius repoſuit, ac ſi Imperator ſcripſiſſet, *ubi vobis placuerit*. Atque hoc vocant ſanctæ Sedis authoritatem propugnare. Et tamen non puduit Binium in Notis ad hanc Synodum Chalcedonenſem ſequi Baronium, nempe ut cæcus cœcum, unde etiam juxta Domini oraculum ambos in foveam oportet cecidiſſe. Inſuper Vallius loco ante citato objicit, Pulcherium rogare Leonem, ut dignetur ſignificare, an velit celebrari Concilium, quo omnes *totius orbis* Epiſcopi, Thraciæ atque Illyrici, in unam civitatem velociter à partibus Orientalibus valeant convenire. Hæc ille, eo quidem magis fidei ſuſpectæ, quod, ubi teſtimonia antiquorum illi ad ſua commenta falcienda deſunt, ea confidenter fingere & ſupponere non veretur. Ubi obſervandum, Pulcheriam ſcribere ad Leonem, ut Epiſcopos *totius Orientis*, Thraciæ nimirum & Illyrici, utpote qui tum adhuc Patriarchatui Romano erant ſubjecti, evocet ad Concilium; & Vallium, ut efficeret, Leonem omnibus Epiſcopis totius orbis terrarum indixiſſe Concilium, verba Imperatricis transformaſſe, Patriarchatus quippe Romanus, quod hic notandum, uti & cæteri, proprios habet ſitus & plagas, Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem & Meridionalem. Unde Pulcheria, cum ſcripſit Leoni, ut totius Orientis Epiſcopos adcerſeret, ſequentium verborum adjectione, Thraciæ & Illyrici, declaravit, de quibuſnam Epiſcopis Orientalibus id intelligeret, qui, uti dictum, tum adhuc Patriarchatui Romano erant ſubjecti poſtmodum vero in Synodo Chalcedonenſi Conſtantinopolitano fuerunt addicti. Atque hinc ortæ ſunt querelæ Leonis & aliorum Pontificum adverſus Canonem viceſimum & octavum hujus Synodi Chalcedonenſis. Similis quoque eſt farinæ, quod Vallius ibidem refert, Leonem ſcripſiſſe Marciano Imperatori, quod literas dederit ad Fratres & Coepiſcopos, iiſque Concilium generale *indixerit*; quæ tamen verba nuſpiam extant in literis ejuſdem ad Marcianum aut Pulcheriam, nec adverſarius numerum Epiſtolæ notavit, ut proclivius Lectorem fruſtraretur. Utut ſit, ſi forte in Epiſtolis ejus obcurrat, illum indixiſſe Synodum generalem, id juxta Diſciplinam Eccleſiæ primitivæ, non vero ad Dominatum hodie uſitatum debet capi. Certe frequenter legendo Conciliorum Acta tandem in Epiſtola poſt nonageſimam tertia ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum hæc conceptis reperiuntur verbis, quibus teſtatur, ſe literas dediſſe ad Fratres & Coepiſcopos Turraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos atque Gallæcos, eiſque Concilium Synodi generalis indixiſſe. Verum, intelligenda hæc ſunt vel de Concilio generali Provinciarum Hiſpaniæ, quæ hæreſi Priſcillianiſtarum tunc infeſtabantur; vel de Concilio Papæ patriarchali, non autem de œcumenico & vere univerſali, negaturque, ejuſmodi Concilia abſque Imperatorum authoritate unquam indicta fuiſſe. Sed ibidem Vallius cauſatur, Marcianum agnoviſſe, convocationem Conciliorum ad jus & authoritatem ſolius Romani Pontificis pertinere, quoniam Leo in Epiſtola ad Marcianum poſt quadrageſimam tertia ſcripſit, ſe petiiſſe ab ejus clementia &c. ac inſuper ſe ejus non reniti diſpoſitionibus. At verba hæc minime id tinniunt, quod Vallius cavillatur; & quanquam id ſonarent, iniquum & intolerabile foret, hoc tribuere Marciano, quod à Leone in propria ſcriptum eſſet cauſa. Tametſi autem Marcianus, ſive ob novam adceſſionem ad Imperium, ſive ob ingenium Uxoris Pulcheriæ, à qua Imperium acceperat pro dote, multum remiſerit de Majeſtate, quam Theodoſius in ſcribendis pro Conciliorum indictione literis ſervare conſueverat, uti ex ſola lectione Epiſtolarum utriuſque patet; nihilo tamen minus nunquam ea ſcripſit, quæ narrantur à Vallio, nec quidquam aliud à Leone petiit præter conſenſum & diligentiam in eligendis atque mittendis Epiſcopis, qui Synodo, quam conformiter ad formam diſciplinæ ex

praxi

praxi Eccleſiæ primitivæ indicebat, intereſſent. Utque os adverſariis omnino occludatur, idem Leo in Epiſtola poſt ſexageſimam prima ad Epiſcopos in Synodi Chalcedonenſi congregatos ſcripſit, eam authoritate ac præcepto Imperatorum ex conſenſu Sedis Apoſtolicæ congregatam fuiſſe. Ad hæc quoque faciunt Exordia ſedecim Actionum Synodi Chalcedonenſis, quæ perhibent diſerte, Synodum decreto & præceptione Imperatorum fuiſſe congregatam; utque pars adverſaria ab una diſcat omnes alias, initium primæ tantum Actionis ponderetur, licet Vallius hoc etiam à Magdeburgenſibus proponi blateret, quaſi ex ea re invalidum foret argumentum, & non Magdeburgenſes quoque verum potuerint ſcribere. Vallius quidem præſtigiatur, narrans, hac Actione prima Dioſcorum fuiſſe adcuſatum à Legatis Romani Pontificis, quod abſque conſenſu & authoritate Sedis Apoſtolicæ Concilium univerſale auſus fuerit convocare, & Concilium dici ab Auguſtis convocatum non ex authoritate propria, ſed tanquam à voluntatis Pontificiæ executoribus. Verum Andabata res morales, quæ preſſe in propriis terminis ſunt ſumendæ, ad Scholæ argutias abſtrahit. Ne enim his quoad objectionem à geſtis Dioſcori petitam inhæreamus, poſt ejus damnationem Actione tertia factam in omnibus alliis Actionibus Synodi diſerte legitur, Concilium juſſione Imperatorum fuiſſe congregatum, nulla plane facta mentione indictionis Pontificiæ, quod conforme eſt Actis primæ Synodi Epheſinæ, uti & ſequentium Conciliorum generalium; atque ſic Vallii conatus ruit. Quod autem Principes politicos facit executores voluntatis Papæ, nova quidem & exotica eſt Athletarum Sedis Romanæ opinio, valde quidem in Profeſſore Theologo Regiis vivente ſtipendiis punienda. (NB. ita ſcripſit Doctor Sorbonicus, ubi uterque adhuc erat in vivis) quaſi Papa eſſet abſolutus Eccleſiæ Monarcha, & principes Chriſtiani ad ejus nutum ſtringere gladium & iterum recondere deberent, uti Bellarmino etiam poſt Bonifacium Pontificem hujus nominis octavum perplacuit. Hercle, omnes politici Principes tanquam Miniſtri DEI immediati & Vicarii in temporalibus Jus Divinum, Naturale & Canonicum executioni dare adſtringuntur erga omnes ambitu Regni & Principatus ſui contentos, ne Papa quidem excepto; quam poteſtatem immediate à DEO, non Papa aut Eccleſia accipiunt, uti alias oſtenditur. Et quanquam ordo Eccleſiaſticus ad electionem Regis Poloniæ aut Imperatoris Germaniæ concurrat, nihilo tamen minus id minime fit formaliter ab Eccleſiaſticis, quatenus ſunt Eccleſiaſtici, ſed tanquam civibus & membris Regni, Imperii & corporis Politicis. Hoc ſcire debuit Vallius, dogmatum ſed itioſorum adſertor, quoniam ejus Magiſtri Lojolitæ ex placitis hujuſmodi ſophiſticis inferunt, Pontifici licere Reges ac Principes ſibi immorigeros haud aliter abdicare, quam Paſtor canes, quos minus habet ad manum, poteſt occidere, uti loquitur Becanus. Et hinc illæ perennes Gallorum lacrymæ & metus, quia iſtis novorum dogmatum authoribus ſolemne eſt, quoſcunque volunt Principes ſuis minus faventes inceptis in Tyrannidis, Schiſmatis vel hæreſeos ſuſpicionem pertrahere apud populum, qui bellua eſt capitum multorum, hacque via illos tanquam arietes aut canes furioſos parricidis exponere mactandos; quam doctrinam ipſe Vallius in Adprobatione Epitomes Baronii à Spondano collectæ authoravit, Anno hujus Seculi poſt decimum tertio.

Adpendix prior.

His de quatuor priorum Synodorum generalium convocatione obſervatis operæ non nullius erit pretium ſubjungere, quæ Launojus de convocatione ſequentium quatuor Synodorum generalium in ejuſdem Partis ſextæ Epiſtolis ex authoritate Scriptorum fide dignorum obſervavit. Et quidem de indictione Synodi quintæ id notavit, eſſe perdifficile, idoneam reddere rationem, cur Bellarminus nihil ſcripſerit de ea, & cur diſſimulaverit, eam ab Imperatore Juſtiniano indictam & convocatam eſſe, quia

peræque potuerit dissimulare, Nicenam à Constantino, Constantinopolitananam à Theodosio seniore, Ephesinam à Theodosio juniore, Calchedonensem à Valentiniano & Marciano indictam & convocatam esse, dum par fuerit utrobique dicendi tacendique ratio. Ut autem demonstret, eam à Justiniano esse indictam, id simul agit, ut ostendat, ipsummet Justinianum tradere, se in convocatione hujus Synodi non novæ Disciplinæ authorem esse, sed majorum vestigiis insistere, facta provocatione ad ejus verba, quæ leguntur in prima Synodi collatione. Addit testimonium Evagrii, qui libri quarti Historiarum capite post tricesimum septimo expresse hanc Synodum à Justiniano tradidit convocatam; item Mansueti, Mediolanensis Episcopi, idem in Synodica ad Constantinum Imperatorem hujus nominis quartum scribentis, uti & Nicephori, atque ex Recentioribus Johannis Marianæ, libri quarti de Rebus Hispaniæ capite nono, & Dionysii Petavii in Rationario temporum libri septimi primæ Partis capite septimo. Postquam vero Recensuit aliquas Synodos particulares, quæ inter quintam & sextam generalem à variis Principibus leguntur congregatæ, quarum mentio ad caput Bellarmini antecedens est facta, ubi Pelagii Papæ hoc nomine secundi ex Epistola eidem suppositia testimonium censuræ fuit subjectum, insuper etiam examinavit aliquem Bellarmini itidem ex capite antecedente Syllogismum pseudographum, progreditur Launojus in Epistola sequente ad Synodum generalem sextam, demonstraturus, eam a Constantino Imperatore hujus nominis quarto indictam, quod constare dicit primum ex literis, quibus Imperator Synodum indixit, quales non modo scripsit ad Donum Pontificem tunc Romanum, sed etiam ad Georgium Episcopum Constantinopolitanum; deinde ex Actionibus Synodi quatuor prioribus, in quibus hoc legitur clarissime, nimirum, quod Synodus secundum Imperatoris Sanctionem fuerit congregata; porro, ex Agathonis Papæ ad Constantinum, Heraclium & Tiberium Epistola, quæ refertur in Actione quarta, ubi idem Pontifex agnoscit; insuper ex omnibus Synodi, quæ sequuntur Actionibus, in quibus hoc sæpius occurrit. Addit, vetus Ecclesiæ Romanæ Diurnum, in quo recens creati Pontifices Fidei professionem edentes agnoverunt, Synodum hanc per Decretum Constantini congregatam esse, quibus adcedunt Authores varii itidipsum confirmantes, nominatim Beda, Paulus Diaconus Aquilegiensis, Freculphus, Hincmarus, Ado Viennensis, Athanasius, Regino, Lambertus, Schafnaburgensis, Cedrenus, Zonaras, Gobelinus Persona, Wernerus Rolevincius, Author Compilationis Chronologiæ, Hartmannus Schedelius, Nauclerus, atque ex ordine recentiorum laudatus supra Petavius. His subjungit iterum Synodos aliquas particulares, quas ad imitationem Constantini Reges alii convocarunt, & quidem Erargius Hispaniæ Rex Synodum Toletanam ordine duodecimam & decimam tertiam, Ægicanus Rex itidem Hispaniæ Cæsaraugustanam & Toletanam ordine decimam sextam & septimam, Carolomannus Dux & Princeps Francorum Liptinensem, Pipinus Major Domus Regiæ Suessionensem, & cum rexisset Vernensem & Gentiliacenam &c. Iterum in Epistola sequenti de Synodo generali septima, quæ Nicenæ fuit celebrata, agens Launojus, nihil in ejus convocatione scribit decurrere, quod in alium, quam in Constantinum & Irenen transcribat. Adducit autem Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani Apologeticum, ipsius Synodi Actionem primam, Hadriani Papæ Epistolam ad Tharasium, quæ in Actione secunda recensetur, Actionem quoque quartam & septimam, Anastasium in Vita Hadriani Papæ primi, Paulum Diaconum, Platinam, Hartmannum Schedelium, Jacobum Philippum Bergomatem &c. Ex more iterum subjungit alias Synodos inter hanc septimam & octavam ab Imperatoribus & Regibus diversis congregatas, utpote à Carolo M. Francofordiensem, Romanam, Ratisbonensem, Remensem secundum, Arelatensem sextam, Moguntinam, Turonensem tertiam, Cabilonensem secundam; à Ludovico pio Aquisgranensem, ab eodem & Lothario Parisiensem sextam; iterum ab eodem Ludovico, Aquisgranensem secundam, à Carolo

Digitized by Google

rolo Calvo Sueſſionenſem alteram, Vermerienſem ſecundam, Valentinam tertiam &c. Poſt hæc inter alia id porro notat Launojus, vehementer obreptum eſſe Hadriano Papæ, vel ei, qui ſub nomine illius certas quaſdam Sanctiones Eccleſiaſticas in unum corpus collegit, & Angilramo Metenſium Epiſcopo tranſmiſit, ubi numero tertio de Pontifice Romano traditur, *quod ei juſſione Domini & meritis B. Petri Apoſtoli, ſingularis Conciliorum congregandorum authoritas, & Canonum Sanctorum ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita ſit poteſtas*, utpote quæ depromta putat eſſe ex Epiſtolis, quas Iſidorus Mercator veteribus Romanis Pontificibus, & Pelagio præſertim ſecundo ſubjecit vel ſuppoſuit. Nam, inquit, imponitur Scripturæ ſacræ; nullus enim eſt in ea locus, in quo Chriſtus id præceperit, quod in iſtis Capitulis legitur præceptum. Nullus etiam eſt locus, qui legitimæ junctus Traditioni id præcepti genus evincat; nulli quoque ſunt canones Hadriano vetuſtiores, nulla Sanctorum decreta, quibus illa ſingularis conciliorum congregandorum authoritas Pontificis Romano reſervetur. In ſumma, ſex Synodi œcumenicæ, quæ præceſſerunt Hadrianum, & ſeptima, quæ illius tempore eſt celebrata, omnes ab Imperatoribus ſunt congregatæ. Quo ita poſito Pontifices Romani neglectæ Authoritatis ſuæ, & ſancti Patres, qui convocatis Imperatoria poteſtate Synodis interfuerunt, contemtæ juſſionis Dominicæ adcuſandi eſſent atque condemnandi. De Synodo generali octava itidem in Epiſtola ſingulari, quæ cæteras immediate ſequitur, Launojus obſervat, quamvis, ut ea celebraretur, conſenſerint inter ſe Baſilius Imperator & Pontifex Hadrianus, Synodum ipſam tamen, quin & Hadrianum Pontificem tribuere Imperatori convocationem; & quidem Synodum in Actione prima, Hadrianum vero in Epiſtola ad Imperatorem Baſilium. Addit teſtimonium Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani in Actione ſeptima, uti & Actionem decimam, adcedentibus Cedreno & Zonara. Subjungit deinde hoc memoratu dignum, quod hanc Synodum octavam è numero generalium Synodorum expunxerit primus Editor Synodi Florentinæ, Abrahamus Cretenſis, utpote in cujus inſcriptione vocetur octava, adprobante hanc adpellationem Clemente ſeptimo, quod obſervatum minime reperiuntur apud Bellarminum & alios, qui Catalogum Synodorum univerſalium texuerunt. Adcedunt iterum aliæ quædam Synodi hoc tempore, ſcilicet poſt octavam, qui inter Conſtantinopolitanos quartum occupat locum, à variis regibus convocatæ, nominatim à Ludovico Rege Germanorum Colonienſis, à Carolo Calvo Duziacenſis prima & ſecunda, ab Alphonſo Rege Hiſpanorum Legionenſis, à Ferdinando itidem Rege Hiſpanorum Cujacenſis, ab Henrico primo Rege Gallorum Pariſienſis, à Guilielmo Rege Anglorum Vintonienſis, ab Iſaacio Comneno Conſtantinopolitana, ab Alexio Comneno alia ibidem, ab Ottone primo Romana &c. Succedit his Epiſtola quædam brevis de Synodo Florentina aliquid notatu dignum exhibens, quod hic etiam meretur legi. Hoc in Concilio, inquit, factum eſt aliquid, quod de veri Diſciplina Conciliorum generalium cenſetur. Decretum nempe, quo Græci cum Latinis in mutuam reducuntur concordiam, ita inſcribitur: *Eugenius Epiſcopus, Servus ſervorum DEI, conſentiente ad infra ſcripta clariſſimo in Chriſto Filio, Johanne Palæologo, Romanorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarcharum & cæteris Eccleſiam Orientalem repræſentantibus &c.* Sic inſcriptum eſt Concordiæ ſeu Unionis Decretum, cum ipſa Synodus Florentina ſine ulla Johannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani authoritate vel conſenſu prævio fuerit congregata. Hac autem Inſcriptione fuit compenſata vetus Diſciplina, qua Synodi generales octo priores Imperatorem juſſu fuerunt celebratæ. Id obſervari non poterat in Synodo Florentina, quæ indicta & coacta fuit ante, quam Græci venirent ad eam, vel eam fieri putarent. Horatius poſtmodum Juſtinianus, cum rationem hujus Inſcriptionis Idoneam & Magiſtris Curialibus placentem reddere non poſſet, hoc Unionis Decretum aliter inſcriptum ſic exhibuit, prout etiam in ultima Conciliorum collectio-

ne legitur : *Eugenius Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam &c.* Hæc in Synodi Florentinæ Actis Justinianus Anno hujus Seculi post tricesimum octavo sic edidit in lucem. Sed Editioni huic & Latina & Græca repugnant Exemplaria, quæ ante tempus illud in manibus omnium versabantur. Latina quidem apud Blondum Eugenii Papæ Notarium, qui Decretum Unionis integrum repræsentat libro Decadis tertiæ decimo; uti & apud Abrahamum Cretensem, cujus paulo ante mentio fuit facta, qui hujus Synodi Florentinæ Acta & Græco transtulit in Latinum. Græca vero identidem typis sunt mandata, quæ novissimi Collectores exhibuerunt quidem, sed in solo Unionis Decreto omiserunt, quem in finem, non adeo difficilis est conjectura. Fortassis, ita suspicatur Launojus, in Synodo fuere, quibus placuit, Unionis Decretum ita exarari, uti recensetur, ab Horatio Justiniano; sed non fuit sic exaratum, neque in tabulas publicas relatum. Hinc Justinianus à male fide non potest Liberari, cum tribuit Synodo, quod non nullis in Synodo ante conscriptum Unionis Decretum agentibus & disputantibus fuit tribuendum, quin etiam omittendum, qui idcirco veræ ac Germanæ Inscriptionis fulgore perstrictus Synodi Decreto vim intulit, & Lectoribus fucum facere voluit. In summa corrupit, quod incorrupte servandum erat. Vitium hoc est Magistrorum curialium, qualis erat Justinianus, non Sedis Apostolicæ. Nimirum, quidquid ad usum sui temporis possunt rapere, rapiunt, ne antiquæ Conciliorum disciplinæ veritas agnoscatur, & Inquisitores illis suffragantur &c.

Adpendix posterior.

EDmundus Richerius, Doctor Sorbonicus, in Historia Conciliorum generalium, postque capitis secundi commate quarto testimonium Socratis produxit, quod Imperatoribus Christianis potestatem Concilia convocandi adtribuit, subjunxit, Bellarminum, eodem in loco, ex quo hactenus de convocatione Conciliorum generalium fuit actum, veritati huic clarissimæ cimmerias obfundere tenebras adniti, tum quia Athanasius in Epistola ad agentes vitam solitariam exclamavit? Ecquando unquam Ecclesiæ judicium ab Imperatore habuit authoritatem, tum ob alias quasdam causas, ob quas putat Imperatores priora indixisse Concilia. Videlicet *primo*, quia tunc antiqua Lex illa imperialis vigebat, quæ omnia prohibebat Collegia & frequentes hominum conventus absque Imperatoris authoritate haberi, eo, quod metuerent Imperatores, ne aliqua fieret seditio. *Secundo*, quia, cum Imperatores magna ex parte toti imperarent orbi, (quod tamen Historici adcuratiores non admittunt) non poterat haberi Concilium; nisi in Urbe aliqua Imperiali, unde oportebat licentiam Imperatoris obtinere; sicut etiam modo, si Concilium aliquod haberetur extra Pontifices terras in Germania, Gallia, Hispania &c. sine dubio consensus illius esset petendus, cujus illa Civitas esset vel Provincia. *Tertio*, quia Concilia hæc priora fiebant sumtibus Imperatorum, quoad transvectiones Episcoporum ad locum Concilii &c. *Quarto*, quia eo tempore Pontifex, etsi in spiritualibus esset omnium quoque Imperatorum caput, in temporalibus tamen subjiciebat se Imperatoribus; quare invito Imperatore non poterat aliquid agere, sed, quia cum agnoscebat Dominum suum temporalem, supplicabat, ut juberet convocari Synodum. (NB. Bellarminum in Recognitione hujus loci monere, se id intelligere de facto, non de Jure. Cum enim, inquit, Potestas spiritualis superior sit temporali, nulla patitur ratio, ut Princeps supremus spiritualis jure subjiciatur temporali, quamvis supremo. Sed authoritas summi Pontificis paulatim magis de magis est declarata.) At post illa tempora omnes hæ causæ sunt mutatæ. Nam neque Lex illa nunc viget, nec Imperatores in orbe toto dominantur, (quod nunquam legitur factum) nec sumtibus publicis fiunt Concilia, neque sunt gentiles, qui possunt im-

impedire ; & Pontifex, qui eſt caput in ſpiritualibus, non eſt ſubjectus Imperatori aut cuipiam alteri in temporalibus, cum ipſe etiam in Provinciis ſuis ſit Princeps ſupremus temporalis, uti ſunt Reges & Principes alii, quod Divina factum eſt Providentia, ut Pontifex munus ſuum libere poſſit exequi. *Hæc ibi* Bellarminus, quæ quia Launojus, prætermiſit, lubet Richerius cenſuram adponere, reſpondentis, Bellarminum fide mala laudare authoritatem Athanaſii. Is enim ibi non loquitur, inquit, de poteſtate convocandi Concilia, ſed de authoritate Canonica ſtatuendi, quæ à ſolo (eodemque) libero Epiſcoporum conſenſu pendet ; arguitque Athanaſius Imperatorem Conſtantinum, qui Synodos per vim haberi, & Epiſcopos invitos Arianorum Symbolis ſubſcribere cogebat, terrebatque carceribus & exiliis, ut idem loquitur Athanaſius. Cæteræ rationes autem, ſic cenſet porro Doctor Sorbonicus, quas promit Bellarminus, ſi rationes ſunt nuncupandæ fallunt cauſa non cauſa. Siquidem Lex illa, quam prima proponit, contra ſeditiones & conventicula non probat, Imperatorem debere Concilia indicere, ſed duntaxat, ea haberi non debere ſine permiſſu & authoritate Cæſaris. Idem eſt judicium de ſecunda, quæ hoc ſolum exigit, ut licentia obtineatur ab Imperatore, quatenus permittat, ut in hac vel illa Urbe Synodus celebrerur. At vero Acta Conciliorum probant, Cæſares non modo hanc dediſſe licentiam, ſed Urbes ipſas tempuſque ad Synodum habendam utile & præſcripſiſſe & indixiſſe. Fruſtra quoque tertiam adlegat Bellarminus, ſcilicet, Epiſcopos juvari debuiſſe vehiculis publicis & ſumtibus Imperatorum ; annon enim Pontifex Romanus, ut Majeſtatem ſuam comiter in hac etiam parte tueretur, poterat ab Imperatore mandatum aliquod impetrare circa vecturas ejuſmodi & ſumtus neceſſarios? Certe, nemo mentis ſanæ inducat Imperatori neceſſitatem indicendæ Synodi impoſitam, quia ſumtus iſtos ſuppeditaret, aut contra, quia Synodum indiceret, debuiſſe neceſſario ſumtus perferre. Quin ipſe Bellarminus, ubi quartam exponit cauſam, invitus cogitur fateri veritatem, ſcilicet, Imperatorem ideo Synodos indixiſſe, quia tum Papa ſubditus eſſet Imperatoribus in temporalibus ? Diſtinctionis inter jus & factum, qua in Recognitione hujus loci uſus eſt Bellarminus, nullitas & invaliditas ſupra fuit oſtenſa, quando de poteſtate Pontificis temporali eſt actum) hæc enim vera eſt indictionis cauſa, quam adverſarii more ſepiarum ſuo obſcurare nituntur atramento. In eo autem, ſic amplius judicat Richerius, magnum Bellarminus pandit myſterium, dum perbibet, cauſas has omnes eſſe mutatas, præſertim vero dum adſerit, Papam hoc tempore ſubditum non eſſe Imperatori, nec cuiquam alteri in temporalibus, idque Divina factum eſſe Providentia, ut libere munus ſuum poſſet exequi ; quandoquidem Eccleſia nunquam pejus habuit vel ſecundum Doctrinam vel ſecundum mores, quam ab eo tempore, quo iſta contigerunt. *Sic ille* Doctor Sorbonicus, ſatis ingenue & aperte.

Bellarminus *ibid. lib. eod. c.* 19.

Demonſtraturus, eſſe Pontificis Romani, præſidere Conciliis generalibus, videns, maximam eſſe circa primorum octo generalium Conciliorum Acta difficultatem, eorum quoque præſidium ei adſcribere conatur. Initium facit à Niceno, de quo etſi agnovit, eſſe quatuor diverſas de præſidio ejuſdem opiniones, quarum prima deſignet Imperatorem, ſecunda Euſtathium, Epiſcopum Antiochenum, tertia Athanaſium, quarta denique Hoſium Epiſcopum & Vitum ac Vincentium Presbyteros, Pontificis Romani Legatos, prioribus tamen tribus rejectis quartam ſuſcepit defendendam ac quibuſdam rationibus defendendam, deſumtis nimirum ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum, teſtimonio item Cedreni & Photii, quam maxime autem Athanaſii ex epiſtola ad Vitam ſolitariam agentes.

Lau-

Launojus T. VIII. *Epiſt.* 1.

AD hoc argumentum obſervat ſequentia: *Primo*, Synodus Nicena Alexandrum Epiſcopum Alexandriæ ſibi præfuiſſe indicat in epiſtola quam Eccleſiæ Alexandrinæ, Ægypti, Libyæ & Pentapolis habitatoribus ſcripſit apud Euſebium & Theodoretum, utpote in qua Alexander geſtorum in Synodo author expreſſe dicitur. *Secundo*, idem Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus, qui ipſi Syuodo interfuit, Euſtathium Epiſcopum Antiochenum ei præfuiſſe ſignificat, adſtipulante eodem Theodoreto. Porrò multos in hac Synodo Præſides fuiſſe idem teſtatur Euſebius, quem excipit, Proclus, Chryſoſtomi diſcipulus, factus ex Cyziceno Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in ſynodicis ad Orientales literis apud Facundum Hermianenſem, & hunc Felix Papa tertius in quinta ad Imperatorem Zenonem epiſtola. *Tertio*, Hoſius Athanaſii ὁμοούσιος videtur favere potiſſimum, ſi cum Euſebio jungatur, qua partes multos Concilii Præſides conſtituit, adcedentibus Theodoreto & Zoſomeno. *Quarto*, Vitus & Innocentius, Eccleſiæ Romanæ Presbyteri, Synodo quidem interfuiſſe, verum non præfuiſſe dicuntur ab authoribus, qui æquales vel ætate ſuppares fuerunt, nominatim ab Euſebio, Julii Pontificis hoc nomine primi epiſtola ad Orientales ſcripta apud Athanaſium in apologia poſteriori, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, inſuper à Gelaſio in Decreto de ſcripturis authenticis & apocryphis, Vigilio in epiſtola ad univerſum DEI populum decima, Pelagio Papa hujus nominis ſecundo in quinta ad Epiſcopos Iſtriæ epiſtola, uti & omnibus illis Pontificibus, qui poſt Synodum ſextam & ante Carolum Magnum recens creati emiſerunt fidei profeſſionem, quam vetus Eccleſiæ Romanæ Diurnum exhibet. *Quinto*, Caroli hujus Magni tempore non plane nihil ab Hadriano Papa factum eſt, ex quo poſtea non bene accepto præſidendi partes ad Hoſium, Vitum & Vincentium ſunt tranſlatæ. Is videlicet, Hadrianus obtulit Carolo Regi Canonum ſacrorum epitomen, ſub titulo compendioſæ traditionis Canonum Orientalium ſeu Africanorum, inſertam quinto lectionum antiquarum Tomo Henrici Caniſii, cujus etiam meminit, & ſingularem de ea obſervationem habuit Sirmondus apud Binium in poſteriori Conciliorum editione, ubi Hoſius quidem cum Vito & Vincentio dicitur ſedis Apoſtolicæ Legatus, & primus inter omnes ſubſcripſiſſe Concilio, verum præfuiſſe non dicitur. Huic adcedit teſtimonium Gelaſii Cyziceni ex opere de actis Synodi hujus, cujus etiam meminit Photius in Bibliotheca ſcribentis, Hoſium Silveſtri locum obtinuiſſe in Concilio & Legatum ejus una cum Vito & Vincentio adfuiſſe, ſed non præfuiſſe. Aliud eſt autem præeſſe, aliud adeſſe; nec enim omnes, qui adſunt Concilio, præſunt etiam, alioquin quot adeſſent Epiſcopi, tot Concilii Præſides haberentur. Cæterum in opere hujus argumenti, quod Alphonſus Piſanus edidit, eadem reperiuntur verba, quæ apud Gelaſium. *Sexto*, Hoſius poſt Carolum Magnum dici cœpit Concilii Niceni Præſes cum Vito & Vincentio Presbyteris, in qua ſententia fuit Hincmarus, Epiſcopus Remenſis in opuſculi contra Hincmarum Laudunenſem capite vigeſimo, & Gregorius Pontifex ſeptimus in apologetici capite tertio. *Septimo*, Auxilius, qui Hincmarum inter & Gregorium hunc ſeptimum vixit medius, in opere de ordinationibus à Formoſo Papa factis, capite poſt decimum quinto, Hoſium facit quidem ſedis Apoſtolicæ Legatum, ſed ipſi Concilio præfuiſſe non dicit. *Octavo*, Photius Hincmaro æqualis, tres facit hujus Concilii Præſides, videlicet, Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Silveſtrum quoque & Julium, Pontifices Romanos, Alexandrum anteponens Pontificibus. *Nono*, libellus quidam ſynodicus, cujus ætas eſt incerta, Vitum & Vincentium Presbyteros huic Synodo præſediſſe & præfuiſſe teſtatur, Hoſii Cordubenſis mentione prætermiſſa. *Decimo*, Leo Papa nonus in literis, quas ſcripſit ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, hos ibidem facit Præſides, Hoſio quoque prætermiſſo, ratus, eum ex parte ſedis ſuæ Concilio

non

non præfuiſſe, cum prætermiſſionis alia proferri non poſſit cauſa. *Undecimo*, Cedrenus in compendio Hiſtoriarum hujus Concilii Præſides facit quinque ſedium primarum Epiſcopos, primum quamvis locum Legatis Romanæ ſedis adſcribens. *Duodecimo*, Nicephorus hanc quæſtionem ſic tractavit, ut nullus ante eum pari modo, nulli videlicet tribuens præſidentiam. *Decimo & tertio*, Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis, itidem quinque Præſides enumerat laudatos ſedium primarum Epiſcopos. *Decimo & quarto*, Baronius autem & Bellarminus Hincmarum & Gregorium Pontificem ſeptimum cupide ſequuntur, uti & alii qui ex utriuſque ſapiunt commentariis, cum tamen & Hincmarus & Gregorius diu poſt hujus Synodi tempora vixerunt, & juxta Tertullianum in Inſtrumentis religionis inſtar ſit Fidem de temporibus adferere. His prolixe expoſitis per ſeriem temporum, quid de diverſis hiſce relationibus ſit ſtatuendum, in ſequentibus oſtendere laborat Launojus. Et primum quidem, inquit, ingenue fatendum eſt, pronuntiari certo non poſſe, quinam fuerint Synodi Nicenæ Præſides, ſi quæ hactenus ſunt prolata, univerſim conſiderentur, atque etiam in averſione, dum ſi ita conſiderantur, opinionum varietas occurrit, quam peperit ignorantia veritatis. Deinde ſciendum eſt, authores Græcos munus præſidendi non uni tantum, ſed pluribus adſcribere, quod inprimis conſtat ex Euſebio, qui rerum à ſe ſcriptarum teſtis fuerat oculatus, ac proinde omni exceptione major. Huic adcedunt Photius, Cedrenus & Nilus, inter quos hoc intereſt diſcrimen, quod Euſebius Concilii Præſides non adpellat de nomine, quod cæteri faciunt, qui tamen & ipſi inter ſe non conveniunt. Nam Photius Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum facit Præſidem Concilii primum, non Silveſtrum, quem Cedrenus & Nilus primum conſtituunt. Nicephorus vero de iis, qui Concilio adfuerunt, loquitur potius, quam de iis, qui præfuerunt, niſi forte eos præfuiſſe velit, qui ſedes Apoſtolicas tenuerunt, quo in caſu Pontifex Romanus habebitur Concilii Præſes primus. Tum authores Latinos, qui poſt Carolum Magnum vixerunt, partes præſidendi in multos tranſtuliſſe, ſed diverſimode. Alios quidem ut Hincmarum & Gregorium Pontificem ſeptimum in Hoſium, Vitum & Vincentium; alios autem, ut Leonem nonum in Vitum & Vincentium, Hoſio prætermiſſo. Notanter vero dictum, qui poſt Carolum Magnum vixerunt; nam qui ante illum vixerunt, de his Concilii Præſidibus ſilent, tantum abeſt, ut Hoſium, Vitum & Vincentium ſimul faciant Præſides. Imo talem inſtituunt tractandi modum, qua videntur perſuaſi, neque Hoſium, nec Vitum & Vincentium Concilio præfuiſſe Pontificis Romani nomine. Hinc Julius & Gelaſius primi, Vigilius, Pelagius item ſecundus, & alii Pontifices in profeſſione fidei illos non faciunt Præſides Concilii, quo tempore tamen & loco faciendi erant & dicendi, ſi Eccleſiæ Romanæ traditio ſic tuliſſet. Hinc Felix tertius & Facundus Herminenſis Euſtathium, Epiſcopum Antiochenum adpellant Præſidem Concilii. Nunc examinandus eſt Gelaſii Cyziceni liber, cui à non plane nullis plus quam par ſit, tribuitur authoritatis. Certum eſt autem, vixiſſe hunc ſcriptorem ante Photium, utpote à quo laudatur; ſed quo tempore vixerit, incertum eſt, in opere ſuo multa tradit, quæ tum in rebus Eccleſiaſticis ignorantiam, tum longe remotam à Synodo Nicena ætatem ſignificant. *Primo* dicit in præfatione, Rufinum fuiſſe Presbyterum Romanum, & Niceno interfuiſſe concilio. At Rufinus presbyter erat Aquilegienſis, & cum Origenis dogmata Romam detulit, ab Anaſtaſio Papa ad dicendam cauſam vocatus eſt, atque cum ſubter fugia quæreret, publico damnatus eſt judicio, nec unquam poſtea in Eccleſiæ Romanæ recepit gratiam. Præterea Synodo Nicenæ non interfuit, nec etiam intereſſe potuit. *Secundo*, in libri primi capite tertio & alibi meminit Francorum, quod nomen ad Synodi Nicenæ tempus non pertinet, ſed ætatem multo recentiorem importat. *Tertio*, in libri ſecundi capite quinto Euſebii textum interpolavit, & Legatum Papæ Silveſtri facit Hoſium, eumque Vito & Vincentio presbyteris Romanis adjungit. At neutrum ſcribit Euſebius. *Quarto*, cum in ejuſdem libri capite duodecimo dicit, ſanctos Patres Niceæ con-

gregatos fuiſſe ab Hoſio, ipſis Patribus ſanctis contradicit, uti & Euſebio, quem ſe tamen ſequi teſtatur, quin & Epiphanio aliter de hac re ſcribenti libro ſecundo contra hæreſes capite poſt ſexageſimum octavo; inſuper quod rei eſt ſumma, ſecum ipſo pugnat, dum in citata præfatione hanc Synodum expreſſe Imperatoris Conſtantini edicto teſtatur congregatam. *Quinto*, in ejuſdem libri capite poſt vigeſimum ſeptimo inter ſubſcriptiones offenduntur errores graviſſimi. Ex. gr. Alexander Epiſcopus Alexandriæ cum Athanaſio tunc Archidiacono Concilia geſta dicitur miſiſſe Eccleſiis per totam Ægyptum, Libyam, Pentapolim, & regiones finitimas, uſque ad Indiæ provincias. Verum id non fecit Alexander, ſed ipſa Synodus in epiſtola, quæ legitur apud Theodoretum; nec Athanaſius tunc fuit Archidiaconus, ſed Diaconus tantum, Socrate teſtimonium præbente, cum reliquis authoribus, qui, quam dignitatem haberet Athanaſius in hac Synodo, memoriæ prodiderunt. Sic Euſtathium Antiochiæ Epiſcopum dicit miſiſſe Concilii geſta Eccleſiis in Cœleſyria & Meſopotamia & Cilicia utraque. Verum non omnes provincias perfecte numeravit, quæ Antiocheno ſubjacebant Epiſcopo, cum tamen omnes ex inſtituto venerit numerare, omittens Theoboriadem, Iſauriam, Euphratenſem, Oſchœnam, & alias, quæ hujus Concilii tempore ad Epiſcopum ſpectabant Antiochenum, quæ oſtendunt, Gelaſium pro comperto non habuiſſe, quæ in hoc Concilio ſunt geſta. Porro etiam Johannes Perſa ejuſdem Concilii geſta dicitur miſiſſe Eccleſiis in tota Perſia & magna India. Verum non dicitur, quis fuerit ille Johannes Perſa, an Epiſcopus, presbyter, vel Diaconus; neque Euſebius meminit hujus Johannis, qui ex Perſide venerit ad Concilium, ſed Jacobi Antiſtitis Niſibeni, cujus Hiſtoriam admirandam confecit Theodoretus. Plus ultra Macarius Hieroſolymorum Epiſcopus cum Euſebio Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo eadem Concilii geſta legitur miſiſſe Eccleſiis in Palæſtina, Arabia & Phœnicia, ubi Palæſtinam, Arabiam & Phœniciam adſignat Epiſcopo Hieroſolymorum; & nihilominus certum eſt, non niſi poſt Concilium Calchedonenſe Palæſtinam Epiſcopo Hieroſolymorum eſſe ſubjectam, Phœniciam vero ſub Epiſcopo remanſiſſe Antiocheno. Adhuc amplius Alexander, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tunc ſolum presbyter, poſtea demum ſortitus Epiſcopatum, hæc eadem geſta dicitur miſiſſe Eccleſiis omnium Cycladum Inſularum. At Theodoretus ſignificat, Alexandrum jam fuiſſe Antiſtitem, cum Synodus Nicena haberetur; atque ſic errat Gelaſius graviter, eum cum non Epiſcopum, ſed duntaxat Presbyterum tuiſſe ſcribit tunc temporis. *Sexto*, præterea de hoc Alexandro ſeu Presbytero, ſeu Epiſcopo perinde loquitur Gelaſius, ac ſi nulli tum ſubjectus fuiſſet Metropolitæ, cum tamen illo tempore penderet ab Heracleenſi. *Septimo*, ſic etiam huic Alexandro propriam veluti Diœceſin tribuit Inſulas Cycladum, quæ adhuc tempore Concilii Calchedonenſis ſuum habebant Metropolitam, ubi expreſſe Johannes Rhodi Inſulæ Metropolita legitur. *Octavo*, inter Euſtathium Antiochenum & Marcium Hieroſolymitanum tres, videlicet Johannem, Perſam, Leontium Cæſarienſem in Cappadocia, & Theonem Cyzicenum interponit. At ille turbatus ordo magnam prodit Authoris indiligentiam, dum Synodus hæc Nicena in Canone ſeptimo illuſtriorem detulit locum Antiſtiti Hieroſolymarum, utpote Metropolitano Cæſareæ Palæſtinæ, qualis non erat Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, vel Epiſcopus in Perſide, vel Cyzicenus in Helleſponto, & poſt Concilium Calchedonenſe civitas Hieroſolymorum vetere ſua Metropoli ſuperior evaſit, & quinta deinceps ſedes eſt adpellata. Hæc autem cum ita ſint, ſi Gelaſius rectum credidit Epiſcoporum, qui ſubſcripſerunt ordinem, vehementer erraſſe credendus eſt; ſi vero non credidit rectum eſſe, nec veram eorum ſeriem voluit texere, tunc ex ea nec Hoſii, nec Alexandri utriuſque, nec Euſtathii αὐτόψια poteſt colligi. In ſumma, hæ animadverſiones non poſſunt non efficere, quin omnis illi detrahatur authoritas, ut adeo in apocryphis habendi ſint hi commentarii, quos de Actis Synodi Nicenæ conſcripſit. Permirum quoque videri poteſt atque debet, authorem hunc à non plane nullis præſtantibus Viris factum

dum esse pluris, qui faciendus est nihili, dum ratio, cur ab iis fiat pluris, invalida est omnino, videlicet in Synodo Nicena Hosium Episcopi Romani gessisse vices, quod etiamsi daretur ut verum, nihil tamen colligeretur solidi, quia aliud est vices gerere, alicujus, ac Synodo interesse, aliud autem præesse. Nimirum quod circa hæc observandum venit *primo*, Photius, qui primus omnium vindicat hos Gelasii commentarios, Synodi Nicenæ Præsides, ut supra fuit notatum. facit Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, & Silvestrum atque Julium, Pontifices Romanos, & inter istos tres caput est Alexander; atque sic Photius destruit, quod alii ex opere per Photium vindicato volunt adstruere. *Secundo*, Legati, quos Silvester ad Concilium Arelatense primum misit, Claudianus nempe & Vitus Presbyteri, atque Eugenius & Everiacus, Diaconi, Concilio huic interfuerunt, non præfuerunt, nec eos præfuisse æqualis, vel ætate suppar ullus scriptor unquam adseruit, nec ullum in Synodica ad Silvestrum epistola de Legatis ejus, vel eorum ἀνθρία verbum injicitur. Imo, in secundi Arelatensis Concilii, quod post annos octo & triginta fuit celebratum, canone decimo & octavo πρεσβία Marino Arelatensi Episcopo videtur adsignari, qui etiam in Synodica ad Pontificem epistola primus nominatur. *Tertio*, Carthaginensi Concilio, quod sextum dicitur, Ecclesiæ Romanæ Legati, Faustinus Episcopus, Philippus & Asellus Presbyteri, interfuerunt, non præfuerunt, uti ex præfatione liquet, ac in editione Græca, quam habet codex canonum Ecclesiæ Africanæ, res eodem modo & ordine describitur. Quod vero adtinet subscriptiones, Aurelius Carthaginensis Episcopus omnium primus subscripsit, non Ecclesiæ Romanæ Legati. *Quarto*, discrimen istud agnoscit Pontifex duabus in epistolis, quarum una est post quadragesimam septima ad Synodum Calchedonensem, altera autem post quadregesimam nona ad Imperatorem Marcianum, videlicet non sine causa Vir prudens & adtentus duo hæc conjunxit, præsentiam Synodo præbere, & eidem præsidere, quia Ecclesiæ Romanæ Presbyteros, qui à Silvestro ad Synodum Nicenam erant missi, eidem interfuisse, non præfuisse, noverat probe. *Quinto*, Concilium illud Nicenum, quod Alphonsus Pisanus edidit, nisi sit minoris, certe majoris non est fidei, quam Historia Gelasii Cyziceni; quapropter de Alphonsi Pisani Concilio quærenda non sunt veterum testimonia, nisi quis velit oleum perdere & operam. Nam, quo tempore celebrata est Synodus Carthaginensis sexta, seculo post Nicenam minus uno, adcedit, ut per Ecclesias orbis christiani præcipuas acta Synodi Nicenæ, canones & exemplaria oportuerit disquirere; ac sedulo quidem sunt disquisiti, at tum aliud nihil est inventum, præter ea quæ extant apud Rufinum, reliqua magno religionis christianæ detrimento perierant, seu quia non plura actorum Concilii confecta non fuerunt exemplaria, seu quia quæ fuerant confecta, Arianorum malignitas & perfidia sustulerat. Cum igitur tum ita se haberet, manifeste adparet, in rerum natura nondum extitisse, qui acta Concilii à Pisano editi consarcinasset. Sed fuit tandem, qui post optima Ecclesiæ secula partim de suo consarcinaret. Alienum est, quod de veteribus Historicis & Patribus decerpsit, habita sæpe rerum & temporum ratione nulla vel exigua. Suum vero, quod pro arbitrio libidineque sua commentus est. Atque sic bonis malisque mercibus mixtum opus prodiit in lucem; sed utrum prodierit ante Photii ætatem, non constat, etiamsi constet, nullam ejus mentionem fieri in Bibliotheca Photii. Spissi nunc & non necessarii laboris foret, indicare singula, quæ dispunctione habent opus, cum in literis tam mediocriter instructus sit nemo, qui, quæ sunt authoris, non facile dignoscat vel repudiet. Scio quidem, scribit porro Launojus, magnos quosdam hujus ætatis Viros laudasse hoc Concilium Pisani, sed scio etiam, eos facti hujus pœnituisse. Cæterum hujus Concilii Actorum conditor à Gelasio, quæ relata sunt, accepit, vel ipsemet commentus est. Quidquid sit horum, pari modo & intelligi & explicari debent. Juniorem vero hunc esse Gelasio, duæ res videntur persuadere. Una est, quod Photius in Bibliotheca meminit Gelasii & operis ab eo compositi, non vero meminit authoris gestorum Concilii à Pisa-

no editi. Altera autem, quod ad ea, quæ Gelaſius tradit, hujus Concilii Architectus adjecit multa, quæ, ſi Gelaſius eſſet recentior, notaſſet aut notare potuiſſet. *Sexto*, nunc Synodi Nicenæ ſubſcriptiones ſunt examinandæ, atque inprimis ſciendum, Synodum hanc Græce Latineque editam eſſe, ſed Græco Sermone exaratas ſubſcriptiones deſiderari, quia nullum adhuc Exemplar Græcum eſt repertum, in quo ſubſcriptiones videantur, quæ nunc occurrunt. Codex certe Canonum Dionyſii ad exemplaria recognitus vetuſtiſſima habet quidem Canones Nicenos, verum nec Græcas, nec Latinas habet ſubſcriptiones. Huic Codici ſimilis eſt hac in parte Iſidori collectio, ſeu quæ primum edita eſt à Jacobo Merlino, Theologo Pariſienſi, ſeu quæ reperitur manuſcripta. Demum, Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ, qui Anno ſeculi ſuperioris poſt vigeſimum quinto prodiit Moguntiæ, Latinas exhibet ſubſcriptiones, & Johannes Wendeliienius, cujus opera & ſtudio prodiit, aliquot ſe manuſcripta nactum Exemplaria dixit, non addens vero, quantæ fuerint Antiquitatis; atque ſubſcriptiones iſtæ poſtmodum tranſierunt in Conciliorum generalium Volumina, quæ poſt Annum hunc typis ſunt commendata, & harum ſubſcriptionum antiquitas tota pendet ex illo Codice. Cæterum Viri docti hunc Codicem Hadriano Papæ primo adſignant, ſed unde habuerit ſubſcriptiones Hadrianus, non diſquirunt. Utinam iſto labore nos levaſſent, aut dixiſſent certe, quid ſuper ea re opinarentur. Me quod adtinet, inquit Launojus, ſubſciptiones hæ mihi videntur omnino incertæ, & cur videantur, facit Dionyſius, qui Canones Eccleſiaſticos Romæ in unum corpus redegit, nec ullas repræſentavit ſubſcriptiones. Deinde facit Iſidorus, qui Dionyſium ſecutus eſt. Tum defectus Exemplarium Francorum, quæ eaſdem præ ſe ferant. Hinc Proclus & Facundus Hermianenſis, quando Euſtathium Epiſcopum Antiochenum in hac Synodo primum confirmaſſe Fidem adſerunt, & Felix Papa tertius, quando eum trecentorum & octo Patrum fuiſſe præſidem ſcribit, hjs ſubſcriptionibus contraveniunt, in quibus nempe Euſtathius non modo poſt Hoſium, Vitum & Vincentium, ſed etiam poſt Antiſtites Provinciarum Ægypti, Thebaidos, Libyæ, Palæſtinæ & Phœniciæ ſubſcripſit. Porro facit ſpatium Annorum quadringentorum & quadraginta ſeptem, quod inter Synodum Nicenam & Hadrianum intercedit At diuturnitas lapſuſque temporis, qualis eſt iſte, non ſolum profana, ſed etiam Sacra inficiens locum dare ſolet variis & dubiis rebus, quas imperitum Vulgus fingit per otium. Poſtremo faciunt ipſæ ſubſcriptiones, quæ non poſſunt perturbatæ non eſſe. Nam omnes Epiſcopi Palæſtinæ, nedum Hieroſolymitanus, ſubſcribunt ante Euſtathium, ut nihil dicam de Provinciarum Ægypti, Thebaidos & Libyæ Epiſcopis, qui hoc etiam jure ſubſcribendi utuntur, ſi ita loqui fas eſt. Quo autem in Concilio ſubſcriptiones hoc ordine reperiuntur diſpoſitæ? Certe non in Epheſino, neque in Calchedonenſi, non etiam in aliis poſterioribus, ubi Patriarcharum quiſque ſubſcribit ordine ſuo. Hæc omnia apud cordatos atque eruditos efficiunt, ut ad conſtituendum in aliquo munus præſidendi ex hac ſerie ſubſcriptionem nihil rationis, queat comparari, quamvis daretur, vicem alicujus in Concilio genere idem eſſe ac præſidere, quod tamen multis de cauſis ſupra exploſum eſt. *Septimo*, Pontifices Romani ſunt numero tres, qui de Hoſio, Vito & Vincentio locuti non conſentiunt inter ſe, videlicet, Hadrianus primus, Leo nonus & Gregorius ſeptimus. Primus Hoſium, Vitum & Vincentium à Sede Apoſtolica deſtinatos fuiſſe ſcribit, ſed præſuiſſe non ſcribit, nam honorabilem locum inter Concilii Patres habuiſſe, non eſt præſidere. Secundus officium præſidendi Presbyteris tantum adtribuit, tertius autem Hoſio & Presbyteris adtribuit. Qua vero ratione ſecundus à Hoſio præſidendi ex parte Silveſtri munus excludit, eadem & à Presbyteris excluderet; tertius nempe in illis tribus, non modo veterum Hiſtoricorum æqualium, ſed ſupparium quoque patrocinio, imo etiam traditione Sedis Apoſtolicæ deſtituitur. Præterea, cum Hadrianus deſtinatum à Sede Apoſtolica Hoſium fuiſſe ait, Hiſtoriæ Leges negli-

gi-

git, uti colligitur ex Euſebio, Julio Pontifice, Theodoreto & Sozomeno, qui Hoſium Presbyteris non adjungunt. His ita poſitis adparet non obſcure, quid de Hadriano, Leone & Gregorio dicendum ſit, ſi quid Hiſtoricis antiquioribus & Patribus ignotum & incompertum adfirmant. Id vero adfirmant, quod Pontifices Romani antiquiores, Julius & Gelaſius primi, Vigilius, Pelagius quoque ſecundus & alii uſque ad Hadrianus adfirmaſſent, ſi vere potuiſſent adfirmare, quod itidem Euſebius, Theodoretus & Sozomenus tradidiſſent, ſi vere potuiſſent tradere. Hadrianus igitur, Leo & Gregorius potuerunt decipi, cum id, de quo agitur, ad Veritatis pertineat inquiſitionem, quibus præponendi ſunt Hiſtorici modo laudati, cum Prælo, Felice & Facundo Hermianenſi, qui & inſuper viciniores fuerunt Concilio, ob idque rerum in eo geſtarum intelligentiores. *Octavo*, Hadriani, ſeu, ut eſt in quodam Manuſcripto, Angilrami Metenſis Epiſcopi Epitome Canonum decepit Hincmarum & Gregorium, qui & ſeipſos poſtea deceperunt, quando Hoſium cum Vito & Vincentio Legatum Silveſtri cum Hadriano vel Angilramo perperam crediderunt, ac deinde ex tribus hiſce Legatis Synodi Præſides feceruut, qui error natus eſt exinde, quod vetera hæc Inſtituta expenderint ad normam Recentium, vel unam eandemque immutabilem eſſe omnium Synodorum formam exiſtimaverint, verum id falſo. Nonne enim poteſt eſſe unanimus, altera alterius Synodi forma & diſciplina, cum, ut una tantum ſervetur forma, vetus Lex nulla, nullus Eccleſiæ Canon præcipiat? *Nono*, Decreveram quidem Photium ſine tractatione ulla prætermittere, quod mihi non videatur per ætatem Idoneus Scriptor. Sed quia Bellarminus & Baronius eum adducant, ego etiam adduco, ne κρύφιος adeuſer. Hoc tamen inter me & alios intereſt, quod illi faventem adducunt, & nocentem prætermittunt, ego autem & faventem & nocentem adduco, ut, quid ei ſit concedendum, omnino adpareat. Judicent alii, quid voluerint, ego Photium eum eſſe Scriptorem exiſtimo, cui hac in materia nihil pene fidei, nihil authoritatis oporteat tribui. Nimirum, in multis, quos unicuique Synodo Præſides adſignat, primum fere ſemper facit Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in Nicena Alexandrum, in Calchedonenſi Anatolium, in Conſtantinopolitana tertia Georgium, in Nicena ſecunda Tharaſium. Hoc autem quid poteſt eſſe tum à veritate rei, tum a geſtis illarum Synodorum alienius? Atque ſic expoſuiſſe Photium eſt confutaſſe. *Decimo*, Cedrenus & Nilus cum Photio concordant, ubi multos Concilii Præſides conſtituunt, ſed ab eo diſcordant, cum primo in loco Romanum, non Conſtantinopolitanum ponunt Epiſcopum, & ſimul graviter errant, cum præſidendi munus quinque Sedium primarum Epiſcopis adtribuunt, primorum Conciliorum Hiſtoriam ignorantes, cujus ignorantiæ argumentum eſt certiſſimum in prima Synodo Conſtantinopolitana, cui Damaſum præfuiſſe teſtantur, qui tamen huic Synodo neque per ſe, neque per Legatos interfuit. Atque ſic examinatis & rejectis, quæ viſa ſunt inveniendi adſerendique Veri regulis minus probabilia, exponendum reſtat, quæ retentis iiſdem Regulis videantur probabiliora. Et quidem, cum Euſebius teſtis Idoneus & Locuples, quia oculatus, multos fuiſſe hujus Synodi Præſides, αὐτόπτης teſtetur, inveniendi adſerendique Veri leges inducunt facile, ut videatur probabile, multos fuiſſe hujus Synodi Præſides, eoſque, Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, Euſtathium Antiochenum & Hoſium Cordubenſem, Alexandrum ipſa Synodo denominante. Et ſane, quemadmodum recte diceretur, Vitum & Vincentium Presbyteros Eccleſiæ Romanæ huic Concilio præfuiſſe, ſi, uti Alexander κύριος τῆς γραμματικῆς dicitur, iidem de illis diceretur, ſic extra dubium dici poteſt, Alexandrum ei præfuiſſe, quia hoc Elogium ipſi adſcribitur. Euſtathium vero, eorum habita ratione, quæ Euſebius, Proclus, Felix tertius & Facundus Hermianenſis de eo prodiderunt literis, quibus ſimilia ſi de Vito & Vincentio fuiſſent tradita, nemo iis denegaret, quod Synodo præfuerint. Hoſium denique, quia ſuadet Athanaſius, atque Sozomenus & Theodoretus ſuffragantur, qui ſi idem de Vito & Vincentio ſcripſiſſent,

fidem apud Lectores mererentur. Hoſium vero conſtat præfuiſſe Synodo, tum propter celebritatem Nominis, tum propter exantlatos ſatagente Conſtantino in Fidei defenſione labores, qui vix exprimi poſſunt, non propter Epiſcopi Romani vices, quas Euſebius, Julius, Pontifex, Sozomenus & Theodoretus duntaxat adſcribunt Vito & Vincentio Presbyteris. Inſuper Eccleſia Romana hoc in Munere præſidendi nihil ſibi vindicat per Antiſtitum ſuorum traditionem, quæ ab ætate Conſtantini uſque ad tempus Caroli M. decurrit; id enim in præteritis reliquerunt Gelaſius, Vigilius, Pelagius quoque ſecundus & alii in Fidei profeſſionibus, quas ediderunt, quod tamen relinquendum non erat, ſi vere relinqui nequiviſſet, quod omnino premendum & urgendum eſt. Poſt adducta Tertulliani, Hieronymi, Cœleſtini Pontificis primi & Sixti hoc nomine tertii, Bernhardi item, uti & ipſius Baronii teſtimonia ad Antiquitatem traditionis Hiſtoricæ provocantia, Launojus tandem provocat etiam ad ſequentia Bellarmini verba, contra Johannæ Papiſſæ Hiſtoriam è tertii de Romano Pontifice libri capite poſt vigeſimum quarto ſic concepta: *Non ſolum Latini, ut Anaſtaſius, Ado, Regino, Lambertus, Hermannus, Urſpergenſis, Friſingenſis, ſed Græci etiam, qui ante Martinum Polonum ſcripſerunt, ut Zonaras, Cedrenus, Johannes Curopalata & alii nullam faciunt mentionem Hiſtoriæ hujus tam prodigioſæ inter res hujus temporis. Quomodo autem credibile eſt, melius noviſſe res geſtas Martinum Polonum, qui quarto poſt ſeculo vixit, quam omnes Hiſtoricos, qui illo tempore, vel propius poſt illud vixerunt?* Addit Bellarminus de ſilentio authorum, qui à ſeculis quatuor clarucrunt, contra Martinum Polonum præſcribit, quo plane modo de omnium authorum ſilentio, qui à quarto uſque ad octavum floruerunt ſeculum, contra Gelaſium Cyzicenum, Iſidorum Mercatorem, Hadrianum primum vel Angilramum, Hincmarum, Photium, Leonem nonum, Gregorium ſeptimum, Cedrenum, Nilum præſcribitur, & recte quidem, ſi Bellarminus recte præſcripſit. Sed cum Bellarminus ſuo judicio contra Martinum Polonum recte ſe ſentiat præſcribere, itidem contra Authores, quorum teſtimoniis Hoſio, Vito & legationem Silveſtri & Concilii ἀνεκδότως adſerit, recte ſe ſentiat præſcribere neceſſum eſt. Neque vero poteſt contra authores illos præſcribere, quin contra ſeipſum tanquam legationis illius & ἀνεκδότως adſertorem legitime præſcribat; alioqui palmare argumentum, quo Johannam Papiſſam à Petri Sede abigit, deſtrueret, eamque imprudenter ad hanc Sedem revocabit. Athanaſius certe duobus in locis, nimirum in apologia ad Imperatorem Conſtantium, & in epiſtola ad ſolitarios, Hoſium mire deprædicat, & eum Ducem Synodorum, Anteſignanum & Principem adpellat; ſed eum Silveſtri Papæ legationem obiiſſe nunquam dicit, cum dicendi ſponte ſe obferebat occaſio. Euſebius itidem, uti & Socrates repetens Euſebii verba, Sozomenus quoque & Theodoretus nullam ullius in Concilio legationem Hoſio adtribuunt, imo fidei exploratæ ſcriptor nullus adtribuit ante Carolum M. Quin & iidem cum Julio Pontifice hujus nominis primo Vitum & Vincentium non præfuiſſe dicunt Concilio, cum dicendi erat opportunitas. Sed & Felix tertius partes præſidendi adſignat Euſtathio Antiocheno Epiſcopo. Gelaſius item primus in Concilio Romano illas præſidendi partes non adſignat Vito & Vincentio, quod etiam non fecerunt Vigilius & Paſchaſius hoc nomine ſecundus in fidei confeſſionibus, quas ediderunt; id quoque omittentibus Romanis Pontificibus; qui poſt Synodum ſextam in Nicenam & alias univerſales jurarunt. Poſt Carolum M. vero plures fuerunt ſcriptores, qui id præſtiterunt. Sed eos recentior ætas ac prolatæ in medium inveniendi adſerendique veri regulæ à ferendo hac ſuper re prohibent teſtimonio. Adcedunt duo, vetus nimirum Sedis Apoſtolicæ traditio, contumaxque in traditione tali ſilentium, quo penitus obruitur, quidquid poſt Carolum M. tradi cœperit; & authorum recentiorum inconſtantia. Sunt enim qui Hoſium Concilii ſubſcriptorem primum & Silveſtri Legatum faciunt. Sunt etiam qui Legatum neutiquam faciunt. Sunt, qui Hoſium, Vitum & Vincentium Legatos Silveſtri faciunt, ſed Concilii præſides non faciunt; ſiquidem aliud eſt

obire

Digitized by Google

obire legationem, aliud præſidere, ſicut eſt aliud intereſſe Concilio, aliud præeſſe, quod Ratione & Exemplis ſupra fuit confirmatum. Sunt porro, qui Hoſium, Vitum & Vincentium Concilii Præſides faciunt; ſunt è contra, qui Vitum & Vincentium duntaxat Præſides faciunt. Sunt inſuper, qui primum Præſidem faciunt Alexandrum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum; ſunt, qui Silveſtrum: ſed huic adjungunt Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum Epiſcopos, atque in hoc non conſonant inter ſe. Videlicet, ab uno ponitur Metrophanes Byzantii ſeu Conſtantinopolis Epiſcopus, ab altero autem Alexander. Concilii tandem ſubſcriptiones ut adventitiæ & cum antiquis Inſtitutionibus pugnantes exploduntur. Porro, probationum, quæ ex natura facti hujus, quod in munere præſidendi ad Silveſtri Legatos pertinet, ducuntur, defectum ſupplere non poteſt juris Quæſtio, quam Bellarminus ipſo hoc capite verbis proxime antecedentibus repetendam eſſe cenſuit è verbis Chriſti ad Petrum, *Paſce oves meas*, quaſi ex hac Propoſitione, *Petrus eſt ovium Chriſti paſtor*, jus præſidendi Conciliis poſſit demonſtrari, uſus fallacia adcidentis, in qua non diſtributum univerſalis adfirmativæ Propoſitionis diſtribuit prædicatum, quomodo ſibi ſumit diſtribuendum. Et poſtquam oſtendit Launojus, egiſſe hic Bellarminum contra Decretum Synodi Tridentinæ de modo interpretandi Scripturam S. ac formam Juramenti profeſſionis ibi præſcriptam, addidit teſtimonia ex Antiquitate Eccleſiaſtica, nominatim Cleri Romani ad Clerum Carthaginenſem tempore Cypriani, Ambroſii, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Auguſtini, Leonis Magni, Bedæ, Leonis quarti è Collectione Holſtenii Bipartita, hæc Chriſti ad Petrum verba longe aliter interpretantium, quam ut huic Scopo poſſint inſervire, quorſum referri etiam poſſunt atque debent, quæ ſupra ad caput decimum & quartum primi de Romano Pontifice Libri ad hujus Oraculi Senſum à Chriſto intentum fuerunt ex iiſdem Patribus contra Bellarminum obſervata.

Additio.

LUbet iis, quæ contra ſubſcriptiones Concilii hujus Niceni, ex quarum authoritate Bellarminus primum mutuo accepit argumentum, in medium protulit Launojus, adjungere ea, quibus Sententiam Launoii confirmavit acerrimus alias Antagoniſta ejus, *Chriſtianus Lupus*, Profeſſor Lovanienſis, capite nono Diſſertationis ad Synodum hanc, quam Scholiis in Canones ejuſdem ſubjunxit, ita ſcribens: Synodi hujus ſubſcriptiones conſtat eſſe non tantummodo admodum mutilas, nec enim ſunt octo & trecentæ, neque etiam enumerantur omnes Epiſcoporum, quos adfuiſſe conſtat, Provinciæ; ſed & varie vitiatas. Deſunt Nicolaus Myrenſis, Jacobus Niſibenus, Spiridion Cyprius, Paphnutius Ægyptius, aliique ſimiles Epiſcopi plures. E vitiis vero primum eſt, quod Legatos Apoſtolicos proxime ſequatur Diœceſis Ægyptiaca; Illyricum autem, Italia, Africa, Gallia, Gothia, Patriarchæ Romani Diœceſes cunctis Orientalibus poſtponantur, dum proxime ſequi debuerint Patriarchæ ſui Vicarios, non vero ab illis ſejungi, quod factum autumo ab Euſebianis, Euſebiam Orientalem volentibus Occidentali nobiliorem. Secundum eſt, quod poſt Diœceſin Ægyptiacam ſequatur Provincia Palæſtinæ, omnium Syriacarum noviſſima, cum ſequi debuerit Provincia Syriæ Coeles, cujus Metropolis eſt Antiochia, tertia Sedes Patriarchica, eidemque adjungi non tantum Phœnicia, Paleſtina, Arabia, Meſopotamia, Perſia, Cilicia, ſed & Iſauria ac Cyprus Nulla certe Provincia ſeparari poteſt vel debet à Patriarcha, quod à Græcis hic factum, Patriarchatum Hieroſolymitanum extollere volentibus, Iſauriamque ac Cyprum, quod factum poſtea, Antiocheno ereptas tranſcribere in Conſtantinopolitanum. Ad authore ſimili prodiit ficta Synodus in cauſa Polychronii Epiſcopi Hieroſolymitani. Tertium eſt, quod in Aſiæ provincia ponatur Theonas Cyzicenus ante Menophantum Epheſium.

Qui

Quis enim neſciat, hunc ſemper fuiſſe totius Aſiaticæ Diœceſeos Exarchum? Cyzicenus autem erat ſub illo Metropolita Helleſponti. Quartum eſt, quod Bithynia ſpectans ad Ponticam donatur poſt provincias Aſiaticas adeoque ſeparata à Primate ſuo. Male itidem Eulalius Iconienſis, utpote Lycaoniæ Metropolita, adſcribitur Piſidiæ, niſi forſitan, quod ex S. Baſilii ad Euſebium Samoſatenſem Epiſcopum Epiſtola videtur non obſcure colligi, Lycaonia & Piſidia tunc una fuerit provincia. Verum duas fuiſſe ſuadet ſubſcriptio Synodi Ancyranæ. Male etiam Nicaſius Gallus dicitur Epiſcopus Divionenſis, nam Divione nunquam fuit civitas, ſed caſtrum ſemper Epiſcopo Lingonenſi ſubditum; credo igitur, fuiſſe Epiſcopum Dienſem. Male itidem Eutropæ Metropolita & Thracum Primas dicitur Phœdrus, fuit enim famoſus ille Theodorus &c. plura ſunt ejuſmodi. At quid de variis, qui ſubſcripſere Chorepiſcopis? An illi proprio, an alieno ſuorum Epiſcoporum nomine ſubſcripſerunt? Quidam exiſtimant, quod proprio; Epheſinæ Synodo quippe, idque inter Epiſcopos, ſubſcripſit & Cæſarius, Chorepiſcopus civitatis Aſiæ. Et Francorum Synodis conſuetos adeſſe Chorepiſcopos, teſtatur in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis Flodoardus. Reſpondeo tamen, adfuiſſe & ſubſcripſiſſe ut Epiſcoporum Vicarios. Etenim ex perpetuo more Eccleſiæ Synodus ſolorum & Epiſcoporum, non vero Clericorum. At Chorepiſcopi, quidquid ſit de eorum ordinatione, poteſtate non ſunt, niſi Clerici, uti liquet ex octavo canone Niceno; & quidem juxta canones Neocæſarienſes, Cathedralis Eccleſiæ presbyteris inferiores. Hinc Synodo Calchedonenſi nullus ſubſcripſit Chorepiſcopus, niſi vice Epiſcopi ſui. Ex. gr. Sophronius pro Baſſiano Mopſueſtano, Adelphius pro Adalio Arabaſſi, Evelpiſtus pro Florentio Tenedenſi. Adducta autem Synodi Epheſinæ ſubſcriptio & palam vitiata, etiam Cæſarium vocat, Chorepiſcopum civitatis Aſiæ; conſtat vero uſque ad illa tempora in ſolis vicis aut caſtris fuiſſe Chorepiſcopos. Flodoardus de ſolis provinciarum Synodis loquitur, dicitque Chorepiſcopos non niſi poſt ipſos fuiſſe Epiſcopos. At vero Niceæ ſubſcribunt inter Epiſcopos, adeoque ſuorum Epiſcoporum vice. Nicephorus addit, ſubſcripſiſſe etiam duos Epiſcopos mortuos, at nullus ſcriptor antiquus id adteſtatur.

Appendix.

EQuidem Bellarminus Concilium Sardicenſe prætermittit, atque id ab eo factum non ſine cauſa ſingulari, quam divinando adſecutus videtur Launojus, agens de eo ſequenti epiſtola partis octavæ contra Virum quendam ſuæ communionis celebrem, his verbis: Quis huic Concilio præfuerit, aliunde ſciri melius non poteſt atque certius, quam ex eodem Concilio & Athanaſio, qui ei interfuit, inque cujus gratiam fuit convocatum. Quod autem Hoſius Julii Papæ vices objecit, nec Concilium dicit, nec Athanaſius, quin etiam eo ſcribunt pacto, ut Hoſium ab illo munere vicario excludant, quod vel leviter textum utriuſque perpendenti occurrit. Adcedit Theodoretus, ſignificans, Hoſium facile primas in hoc Concilio partes obtinuiſſe, id eſt, præfuiſſe; at ex parte Julii Pontificis id factum eſſe, nemo veterum ſenſit. Præterea, Hadrianus Papa primus, vel, ut alii volunt, Angilramus, Metenſis Epiſcopus, in epitome Canonum ita ſcribit de Hoſio, ut ſignificet, non credidiſſe ſe, Hoſium fuiſſe hoc in Concilo Legatum ſedis Apoſtolicæ, etſi fateatur, fuiſſe eum hoc titulo inſignem in Synodo Nicena. Libellus etiam ſynodicus dicit quidem, Hoſium præfuiſſe convocatis Sardicæ Epiſcopis, ſed ex parte Julii eum præfuiſſe non dicit. Baronius quoque cum hujus Concilii Hiſtoriam exponit, majori ſollicitudine in ejus indictionem, quam in [illegible] videtur inquirere. Et quidem Julium indicendi ejus authorem primum fuiſſe non tam probat, quam probare conatur; ſed per ſuos, qui aderant, Legatos eidem præfuiſſe nec probat, nec probare conare ratus, eſſe ſatis, ſi hæc duo convolveret, & primum ſubtiliter permiſceret cum ſecundo. Quid ita? Nempe Hoſio, quem Julii Legatum nemo dignus fide

Digitized by Google

fide dixerat, προεδρία seu præsidendi paates nemo poterat denegare. Fuit alius postea dignitatis non minoris Vir, qui rem hanc aliter suscepit tractandam. De indictione Concilii parum, sed de præsidendi munere vehementer etiam atque etiam curat. Cum testimoniis antiquorum, ex quibus tota hæc res dependet, nequiit Hosii προεδρία destruere, & Julii adstruere, utrumque rationibus quibusdam volatilis metitur. Facundus & disertus homo ingenii & eloquentiæ nervos omnes intendit, argutiasque & machinas adhibet omnes, ut, quod factum non fuit, tanquam factum adpareat. Et quidem, ut Hosii subscriptionem suos derivet in usus, gratis sibi sumit, Hosium Julio vicariam præstitisse operam; sed pro utilitate sua Athanasium fecisse, ut Hosius tanquam Episcopus tacita Legati mentione subscripserit, & Archidamus atque Philoxenus tanquam presbyteri, topoteretæ Julii subscripserint, quo major esset fautorum Athanasii numerus. At hæc pura puta est subtilitas & machina, cui cum desit probatio, deesse debet etiam fides, ac eadem rejicitur facilitate, qua ponitur, insuper quoque contumeliosa videtur in Athanasium, quippe quem callidum & versipellem exhibet præstigiatorem. Deinde loco Constantii Imperatoris Hosium Concilio præsedisse, ab aliquibus dictum fingit, ut Hosio Hosium & Athanasium opponat. Sed illud figmentum inane, quamvis venisset in mentem non plane nullis, Hosio tamen nihil incommodaret, cum nemini noceat vel nocere debeat cuiquam injecta temere falsitas. Scilicet, qui certo certius Concilio Sardicensi præfuit, haud præfuisse dicetur. Legitimane est differendi methodus hæc? Sint nimirum, vel fuerint aliquando, qui, cum Hosius revera huic præfuerit Concilio, illum Imperatoris nomine somniarunt præfuisse. Aliud est Hosium Imperatoris nomine huic Concilio præfuisse, aliud autem ex Decreto Imperatoris præfuisse. Qui Herculem sibi fingit, quem debellet, distincta esse duo hæc dissimulat. Prius id innuit, Hosium id feciſſe, quod Imperator feciſſet, si adfuisset Concilio, vel adesse voluisset, hoc est, Concilio & Judiciis in eo Ecclesiasticis præfuisset. Posterius significat, Hosium id jussu Imperatoris feciſſe, quod spectata ordinis sui natura & dignitate potuit facere. Illud cum ipsius Hosii & Athanasii testimoniis pugnat, hoc minime. Nempe fuit olim solemne, Imperatores christianos convocare Concilia, & jubere, ut Episcopi de rebus Fidei decernerent, quamvis ipsi suis in legibus & Constitutionibus non decernerent, nisi forte, ut quæ jam à Conciliis erant decreta, adsererent & confirmarent. Sic Evagrius scribit præcepisse Valentinianum Imperatorem, ut Dioscorus secundæ Synodo Ephesinæ præesset. Hoc adprime novit Leo primus, neque ut aliquid Scripturæ, Canonibus sacris aut sedis Apostolicæ dignitati contrarium reprehendit, quin potius ad Synodum illam Legatos misit, quibu audientibus & non repugnantibus Valentiniani Imperatoris literæ ante omnia lectæ, probatæ & commentariis insertæ fuerunt. Porro nullus unquam de neglecta Sedis Apostolicæ dignitate Leonem adcusavit, aut Ei super ea re dicam scripsit. Egregia etiam prorsus est frustra in hoc argumenti genere epistola Valentiniani & Marciani ad eundem Leonem. Utrum quoque eruditus Vir ille expendisset serio, quæ Gelasius Pontifex hoc nomine primus in Epistola post decimam tertia ad Episcopos Dardaniæ scripta de Synodo bene vel male gesta docet, certe tantum olei & operæ non perdidisset. Nempe Pontifex, cum de certa & definita Concilii προεδρία nullam injicit mentionem, hanc ad bene gestam Synodum pertinere non credidit, dum Scriptura, Traditio Patrum ac Regulæ Ecclesiasticæ, quarum meminit, & quibus bene gestam Synodum designat, de præsidentia silent pertinaciter. Fixum ergo sit atque ratum, Concilo Sardicensi præfuisse Hosium, nec in eo tenuisse locum Pontificis Romani, qui à duobus Presbyteris Archidamo & Philoxeno tenebatur. An autem ex Decreto Constantii præfuerit, hoc, nisi sit falsum, ut incertum & incompertum relinquatur. Bellarminum quad adtinet, cum Hosii προεδρία Legatione Romana destitutam esse perspiceret, nec primæ, nec mediæ, nec postremæ ætatis inveniret Authorem qui illam adsereret Legationem, Quæstionem hanc maluit præterire silentio, quam tractare, ne tractando male confirmaret, quod confirmari nolu isset.

luisset. Exinde fit, ut contra Baronium & eruditum Virum de Bellarmini taciturnitate præscribi merito possit.

Non possum, quin hic subjungam, quæ ante Launojum de præside Synodi Nicenæ adversus vulgatam Romanorum opinionem scripsit Edmundus Richerius, postquam ejus convocationem expresse Constantino Imperatori adscripsit, ea de confirmatione per Silvestrum facta interserens, quæ omnino hic etiam merentur legi. Sic autem ille: Ut Monarchiæ absolute patroni demonstrent, Synodum Nicenam non à communione & consensu sanctorum Patrum universali, sed ab infallibili authoritate Silvestri Papæ robur hausisse, contendunt, ante quam Synodus dissolveretur, Patres Symbolum & canones misisse ad Silvestrum, huncque in Synodo Romana ducentorum & septuaginta Episcoporum confirmasse eam. Ita Baronius, Binius & author præfationum Synodicarum editionis Romanæ, qui quidem ad opinionis suæ confirmationem laudat Dionysium Exiguum in præfatione hujus Synodi, cum epistola Synodali, quam excudi curavit ad calcem. Eam ubi Doctor Sorbonicus ex variis Conciliorum editionibus seculo superiori factis, nominatim Laurentii Surii exhibuit, ex hoc ipso observans, eam esse tractam ex Bibliotheca Conventus Dominicanorum, addidit, authorem præfationum Synodicarum varie eam interpolasse, nec tamen ullum ei sensum tolerabilem & verum adfingere potuisse, subjuncto ejusdem brevi examine. Nam Dionysius inprimis Exiguus ea non refert, quæ memorat ille, & quanquam referret, ei fidem haberemus exiguam, nisi fulciret eam teste quodam antiquo & probato. Certe quæ Exiguus habet verba in corpore canonum Moguntiæ & Parisiis edito, nullo plane modo quadrant epistolæ huic fictitiæ quoad consulatum inprimis, quam utriusque exhibet subscriptio. Præterea, aliud longe est dicere, quod Exiguus scripsit in laudatis modo editionibus, omnia Synodi Nicenæ acta Romam absolute & simpliciter fuisse missa; aliud autem est adserere, ea sic conditionaliter illuc fuisse missa, ut à Silvestro ita probarentur atque confirmarentur, ut robur & vis illorum omnino ab ejusmodi manaret acceptatione. Equidem, nemo potest ambigere, canones Nicenos, sicut & aliorum omnium Conciliorum fuisse Romam missos, sed hoc tantum fine, ut Pontifex Romanus aliorum more observationi atque executioni illorum se dederet; quandoquidem robur & authoritas canonum, omniumque actorum à consensu proficiscitur universali. Hic igitur Præfationum author se aut alios frustratur æquivocatione phraseos, canones mittere Romam. Quis enim credat hoc factum fuisse in Synodo Nicena, quando in sequentibus aliis factum non legitur? Quod vero epistolam è Bibliotheca Dominicanorum Coloniensium expromtam adtinet, ea tam prodigiose falsa est, ut mirabile sit hominem aliquo præditum judicio eam pro vera & genuina laudare, cum impossibile sit, eam fuisse scriptam à Patribus tam sanctis & doctissimis, quippe quæ Ænigmati potius quam epistolæ similis, ac tanta barbari, hyperbatis & absurditatibus inquinata sit, ut nemo ullum probabilem sensum inde tundendo ac pertundendo queat exprimere. Hocque ut Baronius & author præfationum excusent, objiciunt, eam valde corruptam esse, atque in antiquis codicibus manuscriptis Crescon ianæ collectionis reperiri. Quare ut eidem aliquid authoritatis adlinant & conciliant, varias complent lacervas ex animi arbitrio, nec unde has emendationes hauserint, admonent. Cæterum, si gratuito demus, epistolam hanc extare in codicibus manuscriptis collectionis Crescon ianæ, quid inde spei adfulgebit; cum, etsi ex eadem sensus integer & illibatus eliceretur, qualem exprimere conantur hi homines, attamen ei fides omnis derogaretur ideo, quia hæc praxi Ecclesiasticæ in Synodis sequentibus usitatæ penitus repugnant? Si enim Patres Synodi Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Chalcedonensis, imo etiam quintæ, sextæ, septimæ & octavæ confirmationem actorum minime petierint à Pontifice Romano, quanto minus Patres Niceni à Silvestro? Scilicet, cum maximo animi mœrore cogor dicere, nullos extare libros, in quibus tot tantaque fictitia ac adulterina, quam in Tomis Conciliorum legantur; & illos, qui ejusmodi am-

Digitized by Goog

ambiguis atque ſuſpectis ſcriptionibus & epiſtolis authoritatem Sedis Apoſtolicæ nituntur tueri, eidem non mediocriter incommodare. Nam qui ſemel deprehenſus eſt in mendacio, ei poſtea fides non ita facile habetur. Et quando nullus ſcriptor antiquus & probatus refert, Hoſium Cordubenſem nomine Silveſtri Niceno præfuiſſe Concilio, certe, qui ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum, quæ vulgo circumferuntur, id volunt confirmare, obſcurum probant per obſcurius, quia ſubſcriptiones ejuſmodi fidei tam ſuſpecta ſunt, quam epiſtola ante laudata ex Bibliotheca Dominicanorum Colonienſium depromta; ſunt enim ita corruptæ ac adeo incertæ, ut eis nulla inſit fides. Hinc ubi Richerius, ut ex oppoſitione contrariorum veritas exſplendeſceret magis, epiſtolæ huic fictitiæ veram & indubitatam, quam Patres Niceni ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripſerunt, è Socrate & Theodoreto oppoſuit, provocans ad ejuſdem argumenti literas Conſtantini ad Eccleſiam eandem ſcriptas, ſequentia exinde notatu digna lectoribus commendavit, ſcribens: *Primo* conſtat, Patres æmulatione Apoſtolorum hanc ſcripſiſſe epiſtolam. Siquidem, ut Apoſtoli viros quoſdam ſelectos cum epiſtola Synodali pro ineunda pace & concordia inter Judæos & gentes miſerunt Antiochiam, Pauli & Barnabæ doctrinam volunt orthodoxam prædicantes; ita Patres Niceni virtutem atque doctrinam Patriarchæ Alexandrini hac epiſtola Synodali commodarunt. *Secundo* ſignificant, Synodum mandato Conſtantini congregatam, ac illo præſente omnia exquiſite & canonice diſceptata & decreta fuiſſe. *Tertio*, communibus Patrum ſuffragiis, non unius abſoluti Monarchæ Imperio, hæreſin Arii damnatam, eique dictum anathema, declarant. *Quarto* tranſeunt ad factum Meletii Epiſcopi Lycopolitani in Ægypto. Nam Meletius arrogabat ſibi facultatem ordinandorum Thebaidis ac Ægypti Epiſcoporum contra conſuetudinem, quam ob cauſam in ordinem hic cogitur à Patribus Nicenis. Unde etiam facile eſt colligere, hanc tyrannidem Meletii præbuiſſe occaſionem Synodo huic Nicenæ condendi canonem quartum & ſextum, ne videlicet abſque authoritate Metropolitani uſpiam errarentur Epiſcopi. Sic enim voluerunt dare operam, ne Epiſcopi ordinarentur Ariani. Antea autem alius vigebat uſus, neque confirmatio Metropolitani in electione Epiſcoporum erat neceſſaria. Hæc qui cogitate adtenderit, jure mirabitur, potuiſſe Epiphanium in hæreſi poſt ſexageſimam octava tam multa ſcribere in laudes Meletii. *Quinto* notandum adverſus Andream du Vallium, in tertia parte libri de Papæ poteſtate ſuprema ac ejuſdem quæſtione ſexta, canonem hunc Synodi Nicenæ quartum aliter explicantis, conſtat enim, quod Patres Niceni non abſtulerint populo jus eligendorum Epiſcoporum, ſed tantum præcepiſſe electionem populi & cleri à Metropolitano confirmari, & ab Epiſcopis provinciæ fieri oportere. Nam dehinc ſemper populus in poſſeſſione ſua Paſtores eligendi continuavit, idque hac epiſtola Synodali clare oſtenditur, ubi habetur nominatim, Epiſcopum Alexandriæ debere electionem populi confirmare. *Sexto* lector obſervabit, Meletium ita damnari, ut quanquam retineret dignitatem Epiſcopi, ejus tamen exercitio interdiceretur, adeo ut nec Sacerdotes conſecrare, nec aliud munus Epiſcopale poſſet obire. Præterea quos ipſe ordinaverat, non admittebantur ad Eccleſiaſticas res capeſſendas prius quam ordinatione ſanctiori ac manuum impoſitione ab aliis conſecrarentur. *Septimo* id etiam notatu dignum eſt, Eccleſiam Alexandrinam à Patribus Nicenis in epiſtola hac Synodali expreſſe vocari Apoſtolicam. *Octavo* valde eſt notabile, Epiſcopum Alexandrinum in eadem dici non modo præfuiſſe, ſed etiam communicaſſe actis Synodalibus; quæ duo adprime videntur notanda & diſtinguenda, quia poteſt adcidere quempiam præeſſe Conventui, qui tamen minime conſenſum iis præbeat, quæ communibus decernuntur ſuffragiis, ut, ſi verbi cauſa Senatus-conſultum fiat in Parlamento contra Prælidis ſententiam. Hinc autem porro claret, Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum velut Patriarcham, Concilio huic cum aliis patriarchis, uti ſolent Præſides in actionibus Parlamenti, præſidiſſe, teſte epiſtola ante laudata, quæ falſi arguit epiſtolam, quam Synodus ſcripſiſſe dicitur ad Silveſtrum

Digitized by Google

quippe quæ Macarii tantum Constantinopolitani, vel, uti Baronius emendavit, Hierosolymitani meminit, omittens hunc Alexandrum. Eusebius certe in libri tertii de vita Constantini capite post decimum tertio loquitur de præsidibus Synodi Nicenæ in numero plurali, omnesque Patriarchas intelligit. Similiter Felix Pontifex hoc nomine tertius in quinta ad Imperatorem Zenonem epistola scribit, Eustathium Patriarcham Antiochenum in hac Synodo munus obiisse præsidendi. Ex quo relinquitur, cunctos Patriarchas fuisse Præsides Synodi; neque tum moris erat, ut quos Pontifex Romanus pro se mitteret, uti loquitur Sozomenus, aliis præirent Patriarchis, quod primum à Leone Magno in Synodo Chalcedonensi fuit effectum. *Nono* memorant iidem Patres, statutum quoque in Synodo fuisse de Paschate celebrando in die Dominico; quibus adcurate subductis, & cum Epistola nuper ex Bibliotheca Dominicanorum Colonienſium expromta collatis liquet, illam plane indignam esse, quæ doctissimis Patribus Nicenis adscribatur. *Decimo* tandem quod spectat epistolam Constantini Imperatoris Ecclesiæ Alexandrinæ missam, & inter plura hoc etiam habet, quod Constantinus magnam Episcoporum turbam ad urbem Niceam adcersiverit, atque cum illis operam dederit, ut veritas diligenter investigaretur; ac omnia, quæ aut controversiæ aut dissensionis materiam videbantur præbere, adcurate excussa atque exagitata fuisse. Sic Eusebius libri modo citati capite duodecimo & sequentibus narrat, optimum Principem claudisse Concilium oratione habita pro Concordia, eamque Præsidibus Synodi concessisse, &, quæ communi Sententia fuerant decreta, cujuscunque etiam manu subscripta atque in Commentaria fuisse relata, ac demum Imperatorem literis de iis, quæ in Synodo fuerant gesta missis ad universas Ecclesias edictum sanxisse, ut omnes Decretis Synodi obsequerentur. Quæ omnia ostendunt, Constantinum & indixisse Concilium, & eidem præsedisse, ac ejus Acta confirmasse; siquidem proprie loquendo Imperatores Acta Synodorum dicuntur confirmare, quando lata lege contra in rem judicatam jubent transire, quam ad rem coactione & potestate absoluta opus est, qua caret Ecclesia ex jure Divino. Quam ob rem Papæ & cæteri Patriarchæ, qui præsunt Synodis, dicuntur potius concludere, quam confirmare Acta. Cum ergo Constantinus Imperator ipse præsens esset huic Synodo Nicenæ, sua sponte propensus satis ad observationem actorum, nihil opus fuit, ut Patres ab illo confirmationem Decretorum Epistola Synodali peterent ab eo, sicut legimus factum in Synodo Constantinopolitana & priori Ephesina.

Breves pro Launoii Sententia Vindiciæ contra Natalem Alexandrum.

HIc sicut Launojum censuræ subjecit agens de convocatione Synodi Nicenæ, *ita* eidem quoque duplicem objicit errorem, quando disputat de ejusdem præside vel præsidibus. Ut enim obtineat, Hosium cum Vito & Vincentio Silvestri Pontificis nomine functos esse hoc officio, post diversa è scriptoribus variis hanc in rem documenta, quæ Launojo scivit minime incognita fuisse, duplex ejus responsum adducit, eum in finem, ut corrigat, ac eum erasse Lectori persuadeat. Prius sic habere ait, ex Ecclesiasticis aliquibus documentis colligi quidem, Vitum & Vincentium gessisse vices Silvestri, atque sic Concilio adfuisse, non vero præfuisse; non enim quemvis, qui præsens est, huic etiam præesse, alioquin tot fore præsides, quot Episcopi sint præsentes. Verum, sic censet Natalis, turpiter Launojus hallucinatur; quamvis enim adesse Concilio & præesse eidem non sit idem, tamen adesse Concilio Pontificis Romani nomine, ac vices gerere illius, idem est, quod illi præesse. Nam, qui Pontificis Romani vices gerit in Synodo, eum tenet ibi locum, illaque obit Munia, quæ Pontifex obiret, si præsens esset ibidem. At primum obtineret locum, & Concilio præesset Pontifex

Digitized by Google

tifex Romanus, ſi adeſſet. Igitur primum quoque locum obtinent, & præſunt Synodo, qui vices ipſius gerunt in ea. Alterum ſpectat Hoſii proœdriam, de quo fatetur quidem Launojus, illum è Synodi Nicenæ præſidibus unum fuiſſe, ſed negat tamen, eum præfuiſſe Pontificis Romani nomine. Et quidem fatetur eum præfuiſſe, tum propter celebritatem Nominis, tum propter exantlatos Conſtantino ſatagente in Fidei defenſione labores, non vero propter Epiſcopi Romani vices ipſi demandatas. Sed errat Launojus, judicio Alexandri; nominis enim celebritas non eſt ratio ſolida, cur Hoſius Eccleſiæ mediocris in Hiſpania Epiſcopus Hiſpalenſi Metropolitæ ſubjectus immediate, & per adpellationem Patriarchæ Occidentis, quoque, ante Legatos Sedis Apoſtolicæ, ante Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, ante totius Eccleſiæ Africanæ Primatem Cœcilianum, in Oriente, atque aliena plane Provincia Synodo œcumenicæ præfuerit, niſi locum teneret atque perſonam gereret ampliſſimæ omnium poteſtatis; cum præſertim in ipſa Hiſpania, id eſt, in Synodo Illiberitana, ex novendecim Epiſcopis tantum coacta, ſecundo tantum ſederit loco, ut notat Conciliorum Hiſpaniæ collector Garcias Loniſa; nec etiam in Arelatenſi è ducentis Epiſcopis conflata inter primarios recenſeatur ab Auguſtino. Deinde, ſi Hoſio Romanæ Legationis dignitas adimatur, ſequitur, jura Sedium Patriarchalium, quæ Synodus Nicena confirmavit, & illibata ſervari voluit, fuiſſe violata, & Epiſcopum Alexandrinum non ſecundum juxta mores antiquos ſibi decretum, ſed tertium duntaxat obtinuiſſe locum. Hæc *Natalis Alexander*, adverſus Launojum, & adhuc plura, quæ lubens prætermitto, cum ex his conſtet ſatis, quam inaniter oppugnet eruditiſſimum Sorboniſtam, temporis antiqui ſtatum ad mores hodierni explicans. Nempe id tanquam prò indubio adſumit, quod, ſicuti hodie Pontificis Legati in Conciliis præſident, & ita quidem, ut obtineant ſimul primatum, & præſcribant Pontificis nomine, quid fieri velint, ita res etiam fuerit geſta in Synodo Nicena, cum tamen noſſe debebat nemini fere incognitam & ſæpius à Launojo hinc inde repetitam Æneæ Sylvii confeſſionem, ante Synodum Nicenam Sedis Romanæ, atque ſic etiam Pontificis vel Papæ Romani parvum fuiſſe in Eccleſiâ reſpectum, quod obſervaſſe primum Ruinæ exponit reſponſum, quod contra Launojum vult Sedis vel Papæ Romani Legatos Synodo Nicenæ non modo inter, ſed ſimul quoque, & quidem ſumma cum authoritate eidem præfuiſſe. Nam etſi ex ſuperabundanti largiremur, ad quod tamen, ab diverſa antiquorum teſtimonia à Launojo prolixiſſime adducta & cum ſingulari judicio, quantum fieri potuit, diſcuſſa atque in debitum ordinem redacta, jure adigi non poſſumus, Pontificis Romani Legatos non præſentes modo, ſed etiam huic Synodo præſidentes nomine Pontificis fuiſſe, nondum tamen obtineret Bellarminus, contra quem ex profeſſo hic & alibi diſputat Launojus, factum hoc eſſe ex ea authoritate, quam ei ſummam ſupra cæteros Eccleſiæ Antiſtites ex juro quodam adſcribit, utpote quod jus ei neutiquam conceſſit hæc Synodus, ſimilem Epiſcopis Alexandrino & Antiocheno adſcribens poteſtatem, id minime factura, ſi Romani aliquem ſuprematum agnoviſſet, uti ad Canonem ejus ſextum uberius demonſtratur. Nec meliori ſucceſſu reſpondit ad ea, quæ reſpiciunt perſonam Hoſii, cui non ſoli, ſed inter alios præſides ex authoritate Antiquorum conceſſit locum Launojus, eumque non ex merito Sedis vel Eccleſiæ, cui præfuit Epiſcopus, ſed ob nominis celebritatem. Verum hic quoque ex ſententia Natalis errat Launojus, ſtatuentis, non tantum eſſe rationem nominis, quam loci habendam, inprimis, quia Hoſius nec in Illiberitana, nec Arelatenſi primum, vel inter primos habuerit locum, multo minus cum obtenturus in Oriente ac Provincia plane aliena, niſi ex authoritate & tanquam Legatus Pontificis Romani. Sed, præterquam quod Auguſtinus loco per Alexandrum citato de Arelatenſi Synodo, cui interfuerit Hoſius, habet nihil plane, ac certum inſuper eſt, Illiberitanam aliquot Annis ante Nicenam fuiſſe celebratam, ex quo tempore fama Hoſii magis ſemper magiſque crevit, ac celebris in toto orbe Chriſtiano facta eſt, ita ut laudatiſſimus

Imperator Conſtantinus præſertim maximi eum ex debito æſtimaret, in Eccleſia negotiis hic & ibi utiliter ejus operam adhibens; quis ægre ferat, ſi Imperator cum Epiſcopis præſentibus meritorum hujus Hoſii habens reſpectum, ei præ cæteris inter præſides & primarios Synodi adſeſſores aliquem adſignavit locum, accedente etiam non plane nullo peregrinitatis jure, quod apud cultiores ſemper obtinuit, quidquid ii dicant, quos Patriæ gleba tantum adfixos tenet, & qui ſeipſos tantum æſtimare didicerunt? Quamvis enim mediocris ſaltem in Hiſpaniæ Eccleſiæ fuerit Epiſcopus, non dememineſſe tamen debet Alexander pronuntiati illius Hieronymiani, quod Gratianus ſuo etiam calculo adprobavit, *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti eſſe, ejuſdem eſſe & Sacerdotii; dum potentia Divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit, cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* De Adpellationibus ſuo agitur loco, ac oſtenditur, multum, plus, plurimum eos aberrare, qui jus Adpellationum, quod ſecutis temporibus Pontificis Romani adſcripſerunt ſibi, primis etiam ſeculis adcommodant, in quibus hoc ſemper in dubium fuit vocatum.

Conſenſus Launoii & Natalis Alexandri circa convocationem & præſidentiam Concilii Sardicenſis.

QUamvis enim, quod ſupra fuit obſervatum, Bellarminus hoc Concilii Sardicenſe non recenſuerit inter ea, de quorum præſidibus in gratiam Pontificis Romani ſcripſit, quia tamen Launojus cum non modo in antecedentibus perſtrinxit, ubi de convocatione Synodi Nicenæ & hujus quoque Sardicenſis egit, ſed alios etiam Romanæ Sedis adſeclas cenſuræ ſubjecit, qui Hoſium nomine Julii Pontificis eidem voluntpræfuiſſe, hinc non præter rem erit ſimul oſtendere conſenſum Natalis Alexandri cum Launojo adverſus pleroſque alios quoad utrumque, quem videlicet ſplendor Veritatis Hiſtoricæ expreſſit ei, qui alias non ſemel ei ſe ſtitit adverſarium. Et quidem prius quod adtinet, expreſſe ſtatuit, Concilium hoc Sardicenſe ab Imperatoribus fuiſſe convocatum, probans id contra Baronium, (Bellarminum, & qui hos duces agmine plene ſequuntur, inprimis noviſſime) Lupum, ex Epiſtola Synodali ad omnes Epiſcopos ſcripta, Athanaſia Apologia ſecunda ac Epiſtola ejuſdem ad Solitarios, item teſtimonia veterum Hiſtoricorum, Socratis, Theodoreti, Sozomeni, Sulpitii Severi & Nicephori. Si vero objiciatur ex Athanaſio, in laudato ad Solitarios Epiſtola ſcribente, Julium juſſiſſe Synodum fieri, reſpondet Natalis, verba hæc eſſe referenda non ad Concilium Sardicenſe, ſed Romanum; loqui enim in hac Epiſtola Athanaſium de ea Synodo, ad quam Julius vocaverit Euſebianos, eaque de cauſa miſiſſe eum Legatos, Elpidium & Philoxenum in Orientem. At eam fuiſſe non Sardicenſem, ſed Romanam & hinc hallucinari Lupum, hoc teſtimonium ad Concilium Sardicenſe referentem. Si porro objiciatur ex Socrate inter alia ſcribente, quoſdam Epiſcopos Orientales Sardicam non conveniſſe propter corporis infirmitatem, alios vero temporis præſtitui cauſatos Anguſtiam, illius rei culpam in Julium contuliſſe, quæ querimonia fuiſſet inepta, niſi Julius eos ad hinc certum convocaſſet; reſpondet Alexander primo, illos Julio tribuiſſe temporis conſtituti brevitatem, quia exiſtimarint, illum egiſſe cum Imperatore Conſtante, & Conſtantem cum Fratre Conſtantio, ut intra tempus definitum celebraretur Concilium. Deinde, Socratem hæc ex Athanaſio exſcripſiſſe, ſed perperam ad Sardicenſe hoc Concilium retuliſſe, quod Athanaſius ſcripſerat de Romano, & apud ipſum in Apologia ſecunda Julius ipſe ad Euſebianos, refellens illorum querimoniam, qua brevitatem temporis ab ipſo præſtituti, ut Romam venirent, cauſabantur, *his præſertim* verbis, quibus legitur teſtatus, Athanaſium Romæ annum totum & ſex integros menſes

menſes hæſiſſe præſentiam Euſebianorum expectantem ; quæ verba ad Concilium Sardicenſe referri non poſſunt, nec enim menſes octodecim effluxere ab ejus convocatione ad celebrationem, ſed Annus ad ſummum interceſſit, uti ex Faſtis Conſularibus licet colligere, nec Romæ poſt indictum Sardicenſe Concilium manſit Athanaſius, ſed partim Mediolani, partim in Galliis ſubſtitit, uti conſtat ex ejus Apologia ad Conſtantinum Imperatorem. Si tertio & tandem objiciatur à Sozomeno, aliquatenus innuente, hoc Concilium Sardicenſe à Julio convocatum fuiſſe ; reſpondet Natalis Alexander hoc teſtimonium nihil prorſus probare, niſi quod Julius cauſam Athanaſii commendarit Imperatori Conſtanti, ut apud Fratrem Conſtantinum pro ejus in Sedem propriam reſtitutione ageret, cum inique depoſitus, atque à Synodo Romana Canonice jam reſtitutus eſſet, rogans ſimul Imperatorem, ut ipſe cum Conſtantino Synodum ſacra juſſione indiceret. Quod nunc adtinet Munus præſidendi in hoc Concilio Sardicenſi, de eo ſic ſentit, Hoſium præfuiſſe, idque certum eſſe, quo autem nomine, incertum eſſe &c. Præfuiſſe eum, probat iterum ex ſecunda Athanaſii Apologia, qui, poſtquam deſcripſit Epiſtolam Synodalem ad Ægyptios & Africanos, ſtatim ſubdidit, Hoſium ab Hiſpania ſubſcripſiſſe, & poſt eum nomine Julii Legatos ; item ex ejus ad Solitarios Epiſtola itidem ſuperius jam laudata, in qua Hoſium expreſſe hujus Synodi Patronum vocavit ; inſuper ex Epiſtola Conciliabuli Orientalium Philippopolini Synodica, in qua ejuſdem Patres de Hoſio paſſim loquuntur tanquam de Duce Concilii hujus Sardicenſis ; porro ex adlocutione Synodi Calchedonenſis ad Imperatorem Marcianum, in qua Hoſii tanquam præſidis mentio facta eſt ; & poſt teſtimonia Theodoreti & Sozomeni tandem quoque ex authoritate Hadriani Pontificis hoc nomine primi, Canones Concilii Sardicenſis in Epitome Canonum diſerte Hoſio tanquam Præſidi tribuentis. Quo autem nomine præfuerit Hoſius huic Synodo, nullum Antiquitatis Eccleſiaſticæ documentum teſtari, ſcribit Natalis, atque ſic incertum eſſe, addens, ***Petrum de Marca*** quidem contendere, eum præfuiſſe ut Pontificis Romani Legatum, hanc ob cauſam, quia, inquit, Legatione conſtituta, quam in Synodo Nicena Hoſius obivit, ſuperfluum videtur laborare de ſecunda in Concilio hoc Sardicenſi. Etenim dignitas illa Legati judicio Pontificis ſemel in Hoſium collata, atque ab eo in florentiſſimo Eccleſiæ cœtu cum ſumma laude adminiſtrata non potuit ſine gravi injuria ab illo transferri in alium ; obtinebat namque ea tempeſtate Juris æquitas, quam Lege deinceps firmarunt Imperatores, ut is, qui dignitatis alicujus meruerit miſſionem, ejus obtineat inſignia, & aliis omnibus in ordine & conſeſſu præferatur, qui poſtmodum illis ornantur dignitatibus. Quare ad Exemplum Synodi Nicenæ tribus Legatis voces ſuas Epiſcopus Romanus eſt cenſendus commiſiſſe, videlicet, Hoſio, Archidamo & Philoxeno, vel, ſi quis novam legationem Hoſii pertinaciter rejiciat, dicendum, prærogativam conſeſſus illi competiviſſe ex veteri dignitate, quam in Synodo Nicena ex Silveſtri delegatione obtinuerat ; neque enim aut Apoſtolicæ Sedis, vel etiam Synodi generalis dignitas patitur, ut illuſtris Legatio, quæ Metropolitis & Patriarchis præeſſe debebat, duobus Presbyteris ſine Epiſcopo, qui caput eſſet legationis, imponeretur. Verum, de his Marcæ rationibus obſervat Alexander, quoſdam eas momenti levioris putare, quam ut iis adſenſus debeat deferri, maxime, cum obeſſe videatur laudata jam Epiſtola Synodalis, utpote ex cujus ſubſcriptione colligitur, ſolos Archidamum & Philoxenum munere legationis Pontificiæ ornatos fuiſſe. Nam ſi Hoſius, inquit, ut Legatus Julii huic Synodo præfuiſſet, æque diceretur Julius Romæ Epiſcopus ſubſcripſiſſe per Hoſium, ac per duos hoſce Presbyteros. Præterea, citatus itidem ſupra Hadrianus Pontifex in Epitome Canonum, ubi Canones hujus Concilii Sardicenſis Hoſio tanquam Præſide adſcripſit, notanter ſubdidit, cum inter Patres Synodi Nicenæ honorabilem fuiſſe, atque à Sede Apoſtolica cum Victore & Vincentio illuc deſtinatum. At, ſi Hoſium Concilio Sardicenſi præfuiſſe ut Julii Pontificis Legatum exiſtimaſſet Hadria-

drianus, poſtulabat occaſio, ut adſereret, eum ad illud à Sede Apoſtolica cum cæteris pariter fuiſſe deſtinatum. Addit, Petrum de Marca ab argumento hoc ex ordine ſubſcriptionis, petito ita ſe conari expedire, reſpondentem, Hoſium nomine proprio ſubſcripſiſſe, quin ex ſe jure ſuffragii gaudebat in Concilio, cum eſſet Epiſcopus, ac aliunde conſtabat de ejus dignitate. Sed Archidamo & Philoxeno, qui tantum erant Presbyteri, nulla ratione ſuffragabatur alia præter Legationem, cur Synodo intereſſent, ac ideo ſubſcripſerunt nomine Julii Pontificis. Eum ſcilicet ordinem ſervabant Patres in Conciliis, ut Epiſcopi legationis ſuæ literas in ipſo Concilii Exordio proferrent; unde poterat conſtare, an ſuo tantum, vel alieno etiam nomine ſententiam eſſent dicturi, quod in Acta referebatur. Deinde ſuo tantum nomine ſubſcribebant, minus ſolliciti de Legatione, quia jure proprio ſuffragium ferre liberum eſſe ſibi exiſtimabant. Atque hunc ordinem Hoſium etiam tenuiſſe fretum veteribus Legationis jure, quæ *forſitan* renovata etiam erat à Julio, contendit de Marca, ideoque ipſum ſatis habuiſſe proprium ſubſcribere nomen, utpote de cujus Legatione conſtabat aliunde, hac inſuper addita obſervatione, hoc pacto ſe etiam geſſiſſe Flavianum Philippenſem Epiſcopum in Synodo Epheſina. Is enim, inquit, quamvis Actione prima dicatur vices Rufi Epiſcopi Theſſalonicenſis geſſiſſe, qui morbo detentus adcedere ad Concilium non poterat, ſententiæ adverſus Neſtorium ſubſcripſit nulla Legationis mentione facta, quam ab Epiſcopo Theſſalonicenſi ſuſceperat. Natalis Alexander his ſubjungit, cui verosimilis videbitur hæc reſponſio Petri de Marca, ipſius ſententiam poterit ſequi & adſerere, Hoſium nomine Julii præfuiſſe hoc Concilio Sardicenſi; quam vero is in præſcripta Concluſione dixit incertam, ac in ejus probatione nullius antiqui ſcriptoris teſtimonio confirmari poſſe. Adhuc amplius addit, eundem de Marca id etiam urgere, Hoſium maxime alienum fuiſſe à minuenda Sedis Apoſtolicæ dignitate & authoritate, idque ex eo manifeſtiſſime conſtare, quod eo referente in hoc ipſo Concilio Sardicenſi de Epiſcoporum ab aliis Adpellationibus ad Pontificem Romanum ex omni Eccleſia deferendis, atque de Legatis ad Judicia quædam retractanda mittendis ſancitum eſt, eoque ſubſcribente Patres Concilii quævis negotia ad Sedem Apoſtolicam, tanquam ad caput Eccleſiarum referenda eſſe profeſſi ſunt. Atqui Sedem Apoſtolicam læſiſſet Hoſius, ejuſve Jûre imminuiſſet, ſi præfuiſſet Concilio huic Sardicenſi nulla Pontificis Romani legatione adauctus. Verum, ſic reſpondet Natalis, negari minor jure poteſt. Nam ſi à Patribus Concilii hujus Sardicenſis, atque ab ipſis Legatis Apoſtolicis jus præſidendi Hoſio fuit delatum propter obſequia Eccleſiæ impenſa in Synodo Nicena & deinceps, atque ob defenſionem invictam Fidei orthodoxæ & Antiſtitum Catholicorum, uti & ob diuturnam rerum Eccleſiaſticarum experientiam, quod *forſitan* fuit factum, dici non poteſt, ipſum læſiſſe Sedem Apoſtolicam, aut ejus jura violaſſe, inprimis, cum una præfuerint cum ipſo Legati Pontificis Romani. ***Hæc Alexander***, in utroque quidem quoad rem ipſam Launojo conſentiens, at theſin poſteriorem contra objectiones, vel potius conjecturas Petri de Marca ſatis frigide defendens, utut ſimul ea præbens arma, quæ uſui eſſe poſſunt contra ipſum, quando ſupra Hoſio dignitatem præſidis in Synodo Nicena ob nominis celebritatem denegavit, hanc ei in Concilio Sardicenſi ex eodem reſpectu adſcribens. Cætera nunc prætermitto, quæ in ſequentibus habent Diſſertationibus ad Concilium hoc Sardicenſe pertinentia, videlicet, an illud vere fuerit œcumenicum, quod contra eundem Petrum de Marca defendit, Bellarmino id inter Concilia partim adprobata, partim reprobata, & primo quidem loco referente; item, an hujus Synodi Canones ab Eccleſia ante Synodi Trullanæ tempus fuerint recepti, & num ii Romano Pontifici conceſſerint poteſtatem judicandi Adpellationes ab Epiſcopis Synodali judicio depoſitis ad Sedem Romanam factas, ac utrum uſus earum præfatus ante ſextum à Chriſto Seculum invaluerit in Eccleſia, quæ ſingula adverſus eundem Archiepiſcopum prolixiſſime, & fere ad nauſeam uſque inculcat, nulla vero Launoii mentione

ne

ne facta, niſi ſemel tantum, ſcilicet, in cauſa Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Leonem ob Sententiam adverſus ſe in Conciliabulo Epheſino latam, prout fertur, adpellantis, de quibus tamen quia Edmundus Richerius, Doctor itidem Sorbonicus in Hiſtoria Conciliorum generalium egit enucleate, quando inprimis illuſtrandam ſumſit Synodum ſextam Carthaginenſem, cujus Excerpta de hac Synodo, in qua hoc negotium ſub authoritate Synodi Nicenæ à Sedis Romanæ Legatis juſſu ipſius Pontificis primum fuit propoſitum, ſuo exhibentur loco, ac Launojus quoque adverſus Bellarminum peculiari de Jure Adpellationum diſputatione Mentis ſuæ ſenſu candidiſſime aperuit, non eſt ut hic prolixiores ducantur lineæ, cum ad præſens Inſtitutum hæc quidem nunc poſſint ſufficere, pluribus ſuo tempore ſecuturis huc pertinentibus, ſi DEUS vitam vireſque largietur, ut Analecta, quæ à multo tempore collecta ſunt, Synodica in juſtum redigantur ordinem.

Bellarminus *ibid.*

DE Synodo ſecunda generali Conſtantinopolitana ſic ſcribit: Conſtat in ea non præſediſſe Imperatorem, ſed tantum ad Epiſcopos miſiſſe literas Romani Pontificis, quibus vocabantur ad Concilium, ut patet ex Epiſtola Concilii ad Damaſum, quæ legitur apud Theodoretum. Conſtat etiam, non præſediſſe Pontificem Romanum, ſed Nectarium, Epiſcopum Conſtantinopolitanum; ejus rei cauſa fuit, quia Pontifex Romanus non interfuit, neque per ſe, neque per Legatos. Pontifex enim Damaſus convocaverat quidem Epiſcopos Orientis Conſtantinopolim, ſed ex eo poſtea Leo volebat eos venire Romam, ubi ipſe Synodum Epiſcoporum Occidentalium coegerat, ut ibi pleniſſimum fieret Concilium. Cæterum, Orientales excuſaverunt ſe juſtas ob cauſas, & conjunxerunt ſe animis & ſententiis cum Occidentalibus, non autem præſentia corporali. Quod autem ſi Damaſus adfuiſſet, ſine dubio præſediſſet, patet ex Epiſtola ejus ad Concilium, & Concilii Epiſtola ad ipſum, ubi Patres Concilii Damaſum ut caput ſuum agnoverunt, ipſe autem eos vocavit filios.

Launojus *T. eod. Epiſt.* 3.

ITa cenſet de hac Synodo: Damaſum ei non præfuiſſe, duo maxime confirmant. Unum eſt hujus Synodi epiſtola ad Occidentales, inſcripta Fratribus & Collegis, Damaſo, Ambroſio &c. & reliquis ſanctis Epiſcopis in magna Urbe Roma congregatis. Circa hanc vero epiſtolam convenit obſervare, Synodum, quæ ſcripſit eam, anno ſeculi poſt Chriſtum quarti octogeſimo & ſecundo habitam eſſe, & rerum in Synodo, quæ ibidem anno ſuperiori fuerat celebrata, geſtarum reddidiſſe rationem, & illum ſemel atque iterum ſe œcumenicam nuncupaſſe. Alterum eſt Italiæ Concilium in quinta ad Imperatorem Theodoſium Epiſtola, in qua unius Acholii ex Occidente Epiſcopi mentio occurrit, qui Synodo Conſtantinopolitanæ interfuerit. Hic erat ni fallor, inquit Launojus, Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui, quod ex antiqua conſuetudine Diœceſi Romanæ ſubjaceret, in Occidentalium numero eſt collocatus. Acholium vero non geſſiſſe vices Damaſi in Synodo hac, confirmatur ex Epiſtola, quam Damaſus ipſe Acholio & cæteris inſcripſit Epiſcopis in collectione Holſtenii bipartita, in qua eos non commonet, ut nomine ſuo præſint Synodo Conſtantinopolitanæ. Præterea ſi quis ex parte Damaſi interfuiſſet huic Synodo, Italiæ Concilium id non ſcripſiſſet ad Theodoſium, quod ſcripſit, neque exegiſſent ab eo, ut Orientales Romam adcederent, ſimul Concilium celebraturi. Ipſimet quoque Pontifices Romani conſentiunt tacite, dum in fidei profeſſionibus, quas nonnunquam edunt, Synodos recenſent generales, & unamquamque deſignant propria notione. Ex. gr. Vigilius in epiſtola ad uni-

versum DEI populum decima, quæ legitur in adpendice Sirmondi ad codicem Theodosianum, Pelagius hoc nomine secundus in quinta ad Episcopos Istriæ epistola, uti & omnes illi recens inaugurati, qui post Synodum sextam emiserunt fidei professionem, quæ in Veteri Ecclesiæ Romanæ Diurno continetur; quod Diurnum Romæ quidem est editum, sed ibi captivum detinetur, Parisiis autem habetur manuscriptum. Porro Socrates tradit nonnulla, ex quibus videtur posse colligi, quis Concilii fuerit præses; cum enim primus nominatur Nectarius, is Concilii præses censeri potest. Vetus etiam codex Canonum Ecclesiæ Romanæ ab Hadriano vel Angilrano Metensi Episcopo confectus exhibet Nectarium, qui huic Synodo primus subscripserit, si modo Codici huic fides esset habenda in iis, quæ pertinent ad subscriptiones, quam vero nullam aut exiguam esse habendam ipse docet ordo subscriptionum, ubi Cyrillus Hierosolymitanus ut Patriarcha subscripsit, & subscribendo cum Episcopis Palæstinæ præcessit Episcopum Antiochenum, qui error ex Isidori Mercatoris officina prodijt. In codice vero canonum Dionysii nulla comparet subscriptio, nec etiam in Græcis hujus Synodi codicibus. Photius quoque Antistes Constantinopolitanus in libro de Synodis nonnihil ab illo codice dissentit, & multos facit præsides Concilii. Quin & Synodus octava, quæ anno seculi post Christum noni sexagesimo & nono est coacta, Timotheum & Cyrillum. Cedrenus autem interponit Meletium Episcopum Antiochenum, & subjungit Gregorium Theologum, de quo nullam facit mentionem Photius, quia tunc deserui Constantinopolim, atque se recepit in solitudinem. Insuper Nilus, qui tamen in plerisque graviter errat, his omnibus præponit Damasum, quem neque per se, neque per Vicarios inter, vel præfuisse constat; uti & Nectarium, quem Photius Timotheo, Meletio & Cyrillo postponit; Gregorium vero Theologum, item Gregorium Nyssenum & Amphilochium Iconii Episcopum numero præsidum sine veterum testimoniis adscribit. Atque sic in iis, quæ hujus Synodi [illegible] adtinent, authores relati convenient & dissentiunt. In eo quidem conveniunt, quod plures Synodo præfuisse affirmant, sed de primo præside dissentiunt, dum alii eum fuisse dicunt Nectarium, alii vero Timotheum. Hac in dissensione sic statuendum: Nectarius neque præfuit, nec potuit præesse Synodo Constantinopolitanæ, quæ anno seculi supra laudati post octogesimum primo est habita, quæque in epistola Synodica ter œcumenica seu universalis vocatur, utpote, qui necdum erat baptizatus, & in ipsa Synodo Episcopus est electus. Exinde Photius, cum Timotheum facit primum Synodi præsidem, facit bene; sed cum dicit Nectarium, postquam Baptisma suscepit, Præsidem Synodi declaratum esse, id dicit, quod neque consonat, neque cohæret. Sic octava Synodus, libellus itidem Synodicus & Cedrenus scribunt, Timotheum fuisse primum Synodi præsidem, atque de Nectario silent persuasi eum non præfuisse. Nilus vero tam imperite scribit, ut indignus sit, qui audiatur. Facile autem posset credi, Nectarium præsediisse Concilio, quod anno sequenti fuit celebratum, & quod Epistolam Synodicam, Actorum Synodi prioris explicatricem dedit ad Damasum, Ambrosium & alios, qui Romæ tunc erant congregati, ut præter eam ipse testatur Theodoretus. Cæterum in iis, qui indistincte Nectarium fecerunt hujus Concilii præsidem, erroris causa fuit, quod Concilium posterius, cui præfuit Nectarius, cum priori confuderunt. Nimirum, quæ ad prius pertinent Concilium, sunt ea, quæ memorantur in Synodica, & quæ in Codice Canonum Dionysii ad tres aut quatuor rediguntur Canones, quæ ad posterius, interciderunt præter Epistolam sæpius memoratam. Baronius de Concilii hujus præside nihil scribit, atque cum nihil habeat, quo probet, Damasum fuisse præsidem Concilii contendit, ejus præcepto & authoritate id fuisse celebratum. Hoc ut confirmet, sequentia producit è codice Vaticano: Sententiam de Macedonii & Eunomii damnatione præcepit confirmari Damasus etiam in sancta Synodo secunda, quæ præcepto & authoritate ejus apud Constantinopolim est celebrata. Sed Baronius, quia hujus rei authorem, ut ei fidem conciliet majorem, antiquum esse non dicit, inde colligi-

mus

mus esse recentiorem. Et sane contemni debet, quia duo ingentia continet mendacia. Primum est, Damasi præcepto & authoritate Synodum hanc esse celebratam, quod ex iis convincitur, quæ Concilium Italiæ scripsit ad Theodosium, quæ item Patres Concilii hujus Constantinopolitani in sua ad Damasum, Ambrosium & alios Occidentales Epistola scripserunt. Concilium certe, quod anno priore fuit celebratum, inscio fere Damaso cum sit habitum, ejus præcepto & authoritate non potuit haberi. Nec credibile est, ejus præcepto & authoritate habitum esse, cui neque per se, neque per Vicarios præfuit, aut vero interfuit. Idem statui debet de posteriori, quod aperte significat Theodoretus, Concilii hujus causam explicans, ac itidem confirmat Damasus in Epistola ad Acholium &c. cujus rem in Ecclesiæ publica luce ac omnium oculis aperte detegunt. Alterum est, Damasum præcepisse, ut secunda Synodus Constantinopolitana sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii confirmaret. Scilicet, Vaticani Codicis verba non obscure innuunt, Macedonium & Eunomium à Romanis vel Occidentalibus damnatos esse prius, quam damnarentur à Synodo secunda. Sed illud nulla nititur Veritate. Theodoretus utriusque Concilii historiam perstringit, & postquam retulit Epistolam Concilii posterioris, qua, quid in priori gestum fuerit, exponitur Damaso, Ambrosio & aliis Occidentalibus Episcopis Romæ congregatis, describit quoque fidei confessionem, quam Damasus misit in Macedoniam ad Episcopum Paulinum, cum esset Thessalonicæ, quæque in Synodo Romana fuit edita, ut ipse Theodoretus testatur, in qua proprius & idoneus erat locus dicendi, Damasum fecisse, quod eum fecisse codex dicit Vaticanus, si vere potuisset dici. Damasus autem & Romana Synodus, cujus meminit Theodoretus, in damnatione Macedonii & Eunomii respectum habuerunt ad Synodum hanc Constantinopolitanam, non vero illud præcesserunt. In summa, primo cadente mendacio secundum stare nequit, sed necessaria corruit consecutione. Bellarminus tandem id quod res est, longe sincerius declarat, verum & is multa sibi sumit, quorum alia sunt vera, alia autem falsa. Et verum est quidem, Theodosium Synodo non præfuisse, cui interfuit, dum in synodica ad Occidentales epistola sæpius laudata præsens, non præses dicitur fuisse, etiamsi Bellarminus id non observavit. Verum est quoque, Damasum neque per se, neque per Legatos Synodo huic præfuisse; quod si legitimis probasset monumentis, non potuisset imponere, quæ postea imposuit. Sed falsum est, Nectarium præsedisse. Falsum est etiam, Damasum Episcopos Orientis convocasse Constantinopolim. Præterea uni tribuit Damaso, quod una cum eo etiam Ambrosio & aliis Occidentalibus Episcopis Romæ congregatis est tribuendum, qui simul omnes optabant, ut Orientis Episcopi venirent Romam, atque sic plenissimum ex Occidentis & Orientis Sacerdotibus fieret Concilium, in quo Nectarii & Maximi ordinatio discuteretur, & judicio majori finem acciperet. Verum, Orientales excusarunt se, atque sic desiderati ab Occidentalibus Concilii universalis spes evanuit, neque Maximi depositio vel Nectarii ordinatio est retractata, dum Maximus remansit depositus. Nectarius vero ordinatus, & Orientalium Synodi præsentia Imperatoris corroboratæ authoritas impedivit, ne quid circa Maximum & Nectarium Romæ ab Occidentalibus innovaretur, quod Bellarminus itidem neglexit observare. Sunt quidem & alii ex Latinis scriptoribus, qui Damaso Concilii hujus πρωτεῖον vindicent, & cum apud veteres inveniant nihil, quo suis serviant studiis. Nilum authorem Græcum recentiorem arripiunt, sed invitis ut ajunt canibus venantur. Non enim habuit Nilus perspectam hujus Concilii formam, & quo celebratum fuerit modo, nescivit. Igitur ab eo nullum præterquam erroris depromi potest argumentum. Ad hæc dissimulant, Nilum multos Concilii Præsides facere, quorum Damasus fuerit quidem primus, sed non solus, habens in eo præsidendi munere collegas Nectarium, Timotheum, Cyrillum, Gregorium utrumque, Nazianzenum & Nyssenum, uti & Amphilochium. En post fabulam epicitharisina, quo Veritatis incurioſi homines studia & otium possunt oblectare, & Bellarmino insusurra-

re in aurem, quod ipse sibi non consentiat. Postquam enim disertam posuit adsertionem, qua Conciliis generalibus, quale agnoscit fuisse Constantinopolitanum, præsidendi officium & jus uni Romano Pontifici transcribit, post aliquot paginas exceptionem subjunxit, cum ait, Damasum neque per se, neque per Legatos huic Synodo præsedisse, atque sic quæstionem juris dissolvit facti quæstione, & quod voluit stabilire, funditus evertit, in quas complexiones absurdas non incurrisset, si ex epistola Gelasii ad Episcopos Dardaniæ didicisset, quid sit bene vel male gesta Synodus, quod dum doceri intermisit, notatum in Philosophia errorem cavere non potuit.

Additio.

DE hujus Synodi Præside itidem ante Launojum adversus Bellarminum ac ejus sequaces adcurate disputavit Edmundus Richerius in Historia Conciliorum generalium, cujus vero observationes huc proprie pertinentes quia immiscuit hinc inde tractationi de ejusdem convocatione, ex qua paulo ante præcipua breviter sunt excerpta, Lector Veritatis historicæ cupidus illuc relegatur. Dignum vero est notatu, quod, dum Natalis Alexander in selectis ad certa quædam Historicæ Ecclesiasticæ capita Dissertationibus, uti in pluribus aliis, ita in duplici argumento de Synodi Nicenæ & convocatione & præside Launoii sententiæ se stitit adversarium, circa hujus Synodi secundæ generalis Acta ei consentientem se exhibuerit contra plerosque alios Romanæ sedis defensores. Quod attinet convocationem, supra mens ejus sufficienter fuit expositi; nam. supereſt tantum, ut addatur quoque, quid de præside ejusdem statuerit, de quo hanc formavit conclusionem: De præside hujus Synodi vix aliquid certi ex antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis potest colligi; præfuisse Timotheum Alexandrinum est probabilius. Utraque pars, inquit, probatur *primo* ex Socrate, qui primarios quidem hujus Synodi Patres recenset, verum quis ei præfuerit, diserte non refert; quia tamen primo nominat loco Timotheum, probabile est, ipsum fuisse ynodi præsidem. *Secundo* probatur ex Sozomeno, à quo quidem quia primus nominatur Nectarius, posset is censeri Præses Synodi; qui tamen nec præfuit, nec præesse potuit Synodo huic, quæ anno seculi post Christum quarti octuagesimo & primo fuit celebrata, ac in epistola synodali ter œcumenica vocatur. Scilicet Nectarius necdum erat baptizatus, qui & in ipsa Synodo adhuc vestibus Neophytorum indutus Constantinopoleos Episcopus fuit electus; ac præfuit quidem Concilio, quod anno sequenti ibidem fuit celebratum, & epistolam synodalem actorum prioris Synodi explicatricem dedit ad Damasum, Ambrosium & alios Antistites in Synodo Romana congregatos, quæ Synodus posterior vero non fuit œcumenica. *Tertio* ex veteri codice canonum Ecclesiæ Romanæ, qui ab Hadriano Pontifice hujus nominis primo confectus est, atque eundem exhibet Nectarium, qui Synodo huic subscripserit primus, atque hinc Præses esse debuit, si codici huic fides esset in iis adhibenda, quæ pertinent ad subscriptiones. Nullam vero vel exiguam esse habendam, docet ipse subscriptionum ordo, ubi Cyrillus Hierosolymitanus ut Patriarcha subscribit, & subscribendo cum Episcopis Provinciæ Palæstinæ præcedit Antiochenum. In codice canonum Dionysii Exigui, atque in Græcis hujus Concilii exemplaribus nulla subscriptio legitur adposita. *Quarto* ex Photio, qui vero huic Timotheo tanquam Præsides adjungit Meletium Antiochenum, Cyrillum Hierosolymitanum & Nectarium, quorum *nulli* tamen hoc adscribendum est. Nam Meletius tertiæ Sedis Episcopus præsente Timotheo secundæ Sedis Antistite præesse proprie non poterat; multo minus Cyrillus Hierosolymitanus, qui solam honoris consequentiam, non vero jus aliquod Patriarchicum vi canonum Nicenorum fuerat consecutus. Nectarius vero ob eandem rationem, atque ob eam, quæ

quæ prælibata eſt, non poterat præeſſe, quod non niſi in ipſa Synodo, uti dictum, deſignatus fuerit Epiſcopus, cum adhuc eſſet catechumenus. Sed cum tres Synodos Conſtantinopoli intra annum celebratas eſſe certum ſit, primæ quæ tamen œcumenica non fuit, Meletium præfuiſſe fatendum eſt, utpote in qua Gregorium Nazianzenum in Epiſcopatu Conſtantinopolitano confirmavit, teſte Theodoreto; ſecundæ, quæ fuit œcumenica, Timotheum Alexandrinum; tertiæ autem, quæ itidem œcumenica non fuit, Nectarium præfuiſſe concedimus. Tres haſce Synodos non obſcure diſtinguit Theodoretus, qui in hoc ſolum fallitur, quod Maximum Cynicum à Timotheo ordinatum ſcribit Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quem tamen à Petro, Timothei deceſſore ad illam ſedem fuiſſe promotum, atque tres ex Ægypto Epiſcopos ad ejus inaugurationem peragendam miſſos teſtis eſt Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua. *Quinto* ex octavæ Synodi actione ſexta, ex qua diſerte habetur, Timotheum huic ſecundæ Synodo univerſali præfuiſſe. *Sexto* ex libello ſynodico, qui eidem Timotheo primas defert, etſi Cyrillum, uti & Imperatorem Theodoſium una præfuiſſe adſerit, ſed falſo. *Septimo* ex Cedreno, qui itidem huic Timotheo primum inter Præſides locum adſignat, quo autem præſente cæteris nullum jus præſidendi competebat, Gregorius præſertim Theologus, qui Epiſcopatu Conſtantinopolitano hac in Synodo ſe abdicavit, & cujus agebatur cauſa, Præſes non fuit. *Octavo* tandem probatur exinde, quia abſente Epiſcopo primæ Sedis, Romano ſcilicet Pontifice ac ejus Legatis, jus præſidendi ad ſecundæ Sedis Epiſcopum devolvebatur in Synodo. Hiſce autem ſi opponatur teſtimonium Synodi Calchedonenſis, in ejus relatione ad Imperatorem Marianum legitur, Nectarium cum Gregorio principatum tenuiſſe hac in Synodo ſecunda generali, uti & teſtimonium Synodi ſextæ, in cujus ſermone ad Principem adclamatorio habetur, Gregorium & Nectarium congregaſſe eam; reſpondet Natalis Alexander, Synodum Calchedonenſem, uti & ſextam errore facti confundere duas, imo tres Synodos Conſtantinopoli intra annum celebratas, quas vero Theodoretus & Author libelli ſynodici anonymus à Chriſtophoro Juſtello (poſt Johannem Pappum, Argentoratenſem Theologum, quod ipſe Juſtellus, & ejus exemplo ultimi collectores Conciliorum agnoverunt) editus, non obſcure diſtinguunt. Primæ Gregorius Nazianzenus non præerat, ſed Meletius, qui ei Epiſcopatum detulit Conſtantinopolitanum. Secundæ non præerat idem Gregorius, niſi doctrina, ſanctitate & ardore adverſus hæreticos incredibili, in quibus debellandis ob eam rationem tenuiſſe Principatum merito dicitur; nec etiam præerat Nectarius, qui necdum Epiſcopus, imo nondum baptizatus erat, quando fuit celebrata, ſed Timotheus hoc munere perfunctus eſt jure ſuæ Eccleſiæ. Tertiæ autem præfuit Nectarius. Hinc aperte cum legibus Hiſtoriæ pugnant verba Synodi Calchedonenſis & ſextæ. Cum enim ſimul Epiſcopatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Gregorius & Nectarius minime geſſerint, neque hic fuerit electus & inauguratus niſi poſt ſpontaneam alterius abdicationem, fieri non potuit, ut Synodum ſimul aut congregaverint, aut eidem una præfuerint.

Bellarminus *ibid.*

UT in Synodo Epheſina generali prima Pontificem Romanum nomine Cœleſtinum probet præſediſſe, ſcilicet per Legatum, quem dicit fuiſſe Epiſcopum Alexandrinum, provocat ad teſtimonia omnium Hiſtericorum, nominatim Evagrii, Photii, Proſperi, Nicephori, Liberati, uti & Juſtiniani Imperatoris in Edicto, & Nicolai Papæ primi in epiſtola ad Michaelem, quin & ipſius Cœleſtini in epiſtola ad Cyrillum, quæ in hujus etiam operibus legatur.

Digitized by Google

Launojus *T. eod. Epiſt.* 4.

BEllarminum quidem hoc in argumento non perſtringit prolixè, ea tamen ſed hujus Concilii Hiſtoriam ex antiquis authoribus colligit, quæ ſententiam Bellarmini non parum facere poſſunt ſuſpectam, ſi non omnino falſam & in aperta luce erroneam. Juvat exinde huc excerpere, quæ videbuntur potiora. Ita tamen Sorboniſta eruditiſſimus: Epheſinæ Synodi primæ προεδρία ſeu Præſidentia eſt hujuſmodi, ut ab inchoata Synodo uſque ad Calchedonenſem uni adſcribatur Cyrillo. Deinde ab inchoata hac Synodo Calchedonenſi uſque ad annum ſeculi poſt Chriſtum ſexti quadrageſimum vel circiter multi ſcriptores Cœleſtinum & Cyrillum ſimul Synodi Epheſinæ Præſides fecerunt. Præterea ab eo tempore iterum multi ſcriptores Cyrillum hac in Synodo Cœleſtini Legatum vel Vicarium dixerunt. Denique in poſterioribus ſeculis fuere, qui Cyrillo tanquam Cœleſtini Vicario Memnonem Epheſiorum & Iuvenalem Hieroſolymitanum in προεδρία conjunxerunt. Et quoniam in inſtrumentis, quibus in diſcretione veri à falſo utendum eſt, inſtar religionis eſt, fidem de temporibus adſerere, uti Tertullianus ait, ordine propoſito per quatuor Epochas Hiſtoria hujus προεδρίας eſt exequenda, cum aliqua interpoſitione judicii de diverſis authorum teſtimoniis, uti & non plane nulla præfatione. Annus nimirum volvebatur ſeculi poſt Chriſtum quinti viceſimus & octavus, cum Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus hæreſin ſuam verbis & ſcriptis cœpit publicare. Hæc ſcripta anno ſequenti perlata ſunt Alexandriam, eaque Cyrillus ſtatim confutavit, atque Neſtorium monuit, ut mutaret ſententiam, erroreſque ſuos ejuraret. Neſtorius autem id facere detrectavit, & ſuper ea re ſcripſit ad Cœleſtinum, arbitratus, ſe ſuamque doctrinam ab eo defenſum iri. Cœleſtinus coacta Epiſcoporum Occidentalium Synodo Neſtorii ſcripta diligenter examinat ac errores configit, tantum abeſt, ut probaret, quæ Neſtorius docuerat, ut ille probaturum falſo ſperaverat. Pontifex Romanus cum Synodo decrevit inſuper, ut monitus Neſtorius, niſi reſipiſceret intra dies decem, communione Eccleſiæ ac ſacerdotio privaretur. Hinc anno ſequente triceſimo executorem ſententiæ ſynodicæ conſtituit Cyrillum, eique, ut partes ſuas hac in re ſuſciperet, ſcribit, mittens etiam ſuper ea re literas ad Clerum Conſtantinopolitanum. Cyrillus ſuſceptis Cœleſtini & Occidentalium partibus cogit Synodum, ac in ea Neſtorii dogma rejicit, viroſque ſeligit, qui pergerent Conſtantinopolim, denuntiatur, quid Romæ & Alexandriæ ſtatutum eſſet contra Neſtorium. Imperator Theodoſius, cum id reſcivit; ſtatuit impedire, non Concilii Romani & Alexandrini decretum mandaretur executioni, ejuſque effectum ſuſpendit, rem eo ratus progreſſam, ut Synodum univerſalem judicaret neceſſariam, quam indixit poſtea. Exinde factum, ut Concilii utriuſque ſententia ad exitum non pervenerit, atque Cyrillus Cœleſtini & Occidentalis Synodi Vicarius eſſe deſierit. Ratio eſt in promtu, quia Cyrillus à Cœleſtino & Occidentali Synodo vices eo tantum fine acceperat, ut Decretum utriuſque mandaretur executioni. Imperator itaque ſuſpenſo Cœleſtini & Synodi Decreto generalem Epheſi Synodum indixit anno ſequenti, quod cum minime præcederent Cœleſtinus & Romæ coacta Epiſcoporum Occidentalium Synodus, Cyrillo vicariam in Synodo tali nullam dederunt præfecturam; idque eo metiendum eſt fine, quo tunc Cœleſtinus & Occidentalium Synodus ſuas Cyrillo vices commiſerunt. Accedit & rerum ſtatus, qui tunc erat, antequam Imperatoris juſſu hæc Epheſina Synodus conveniret. Verum indicta Synodo alius rerum cœpit eſſe ſtatus, in quo ſuas Cyrillo vices debuit prorogare, cum de mittendis ad Synodum Epheſinam Sedis Apoſtolicæ Legatis ſuſcepit cogitationem. Atque nunc videndum eſt, an indicta Synodo & indictione Cœleſtino atque Occidentalibus Epiſcopis cognita vicariam Cyrillo dederint aut prorogarint Præfecturam. Nullam vero dediſſe vel prorogaſſe, colligitur *primum* ex literis Cœleſtini, in quibus miſſis ex Italia Legatis non adjungitur Cyrillus

rillus. Sunt autem duæ Cœleſtini literæ, una ad ipſam Synodum, altera ad Imperatorem Theodoſium. Utraque legitur in Actione ſecunda. Et quidem Cœleſtinus unum in iis dicit, alterum vero reticet, quod tamen neceſſaria de cauſa fuiſſet dicendum, ſi vere adfirmateque potuiſſet dici. Dicit quidem, miſiſſe ſe Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum, qui ſuam huic Synodo exhibeat præſentiam; non vero dicit, ſe eos Cyrillo adjungere, quod utique dixiſſet, ſi adjungere voluiſſet. His adjungenda eſt ejuſdem Cœleſtini Epiſtola ad Cyrillum, quæ in eadem legitur Actione, in qua ubi meminit hujus Synodi, non meminit ſimul Muneris vicarii, quod nimirum id illi tribuerit, cum tamen locus hic fuerit dicendi, aut certe nullus fuit alibi, cum quot fere ſunt periodi, tot fuerint occaſiones, in quibus vicarii Muneris injiceretur mentio, & tamen injecta non eſt, quia cum veritate non potuit injici. Hic prætermittendus non eſt Sedis Apoſtolicæ Legatus Philippus, cum in Actione tertia dixit Sententiam, in qua nec ſibi, neque Collegis adjecit Cyrillum, aut ſignificavit, Cœleſtinum dediſſe vicariam Cyrillo præfecturam, qua vel intereſſet Synodo huic, vel præeſſet. Quod autem ex literis Cœleſtini, ac ex Philippi ſententia non colligitur, colligi quoque non poteſt ex Actis Synodi ipſius, quæ de Sedis Apoſtolicæ Legatis, duobus in locis inſtituit ſermonem. Prior eſt in Actione tertia, cum de rebus geſtis Patres referunt ad Imperatorem, loquentes de vicibus, quas Cœleſtinus ante, quam Synodus hæc conveniret, dederat Cyrillo; ſed eas, poſtquam Synodus convenit, non dicunt prorogaſſe, quod dixiſſent utique, ſi vera cum ratione potuiſſet dici, ac neceſſaria dicendi cauſa fuit, ut omnibus conſtaret, Cyrillum eſſe legationis conſortem. Poſterior eſt in Actione ſexta, ubi Patres porro de rebus geſtis referunt ad Imperatores per Palladium, in qua dum dicunt, Epiſcopos in Africa repræſentari per Cyrillum, cur non etiam dixiſſent, per eundem repræſentari quoque Cœleſtinum, vel Cyrillo adjunctos eſſe cæteros, ut Epiſcopum Romanum & Occidentales alios repræſentarent? Hoc autem non dixerunt, quia noverant probe, Cyrillum nulla Romani vel Occidentalium Epiſcoporum fungi legatione, Arcadium vero, Projectum & Philippum ſolos Romanum & reliquos in Occidente Epiſcopos repræſentare. Atque hæc eſt ratio prima, quæ tot partibus abſolvitur, & iis adornatur conditionibus, ut rem decernat. *Secunda* ſequitur ex iis quæſita, in quibus dicitur Cyrillus locum obtinere Cœleſtini, uti legitur in Actione prima, ſecunda & tertia, ubi notandum, quod verbum, obtinere, ſunt ſcribæ ſeu Notarii, qui Acta Synodi literis prodidit, non ipſius Cyrilli, quippe qui locum Cœleſtini ſe in hac Synodo tenere dixit nuſquam, etiamſi pluries occaſio dicendi ſe præbuerit, quod inſuper verbum, obtinere, objicientium propoſito non poteſt inſervire, cum illud præciſe tempus præſens, quo habita fuit Synodus hæc, non importet, ſed potius præteritum, etſi minus perfectum, quo videlicet res ante Synodum, geſta ſatis commode videtur deſignari. Quibus ita conſtitutis, Cyrillus in hac Synodo non habuit vices Cœleſtini, & nihilo tamen minus præfuit. *Tertia* ex duobus comparatur locis, ubi Cyrillus omnium primus ſubſcripſit, nulla plane Cœleſtini facta mentione. Prior eſt in Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum, quæ in Actione tertia refertur; poſterior vero in Synodica ſanctione de Chariſio Presbytero, quæ in Actione ſexta legitur, ubi Arcadius, Projectus & Philippus, qui vario ſubſcribunt ordine, cum ſe nominant Legatos Sedis Apoſtolicæ, Cyrillus vocem & manum ſuam comprimit, neque ſe Sedis Apoſtolicæ Legatum adpellat, etiamſi primus omnium ſubſcribat. Si quando & ſicubi fuit adſumendum illud inſigne Dignitatis, adſumendum fuit maxime in ſubſcriptionibus, uti ab Arcadio, Projecto & Philippo vidimus, adſumtum. Quare cum Cyrillus illud inſigne Dignitatis non adſumſerit in ſubſcriptione, à Cœleſtino videtur non habuiſſe, quod adſumeret. *Quarta* eſt, quam Cyrillus de ſe & Legatis Arcadio, Projecto & Philippo duobus objicit in locis, quorum primus eſt in Actione tertia, alter in quinta. Ubi Cyrillus dicitur Alexandriæ Epiſcopus, ſed non additur, Sedis Apoſtolicæ Legatus, vel, locum Cœleſtini

lestini tenens, uti addendum erat, si, ut adderetur, rei gestæ veritas esset passa; & cum de Cœlestini & Occidentalium Episcoporum Legatis facit verba, iis se non connumerat, quibus connumerare se unquam fuisset oblitus, si Cœlestini legationem obiisset. Insuper tantum abest, ut Cyrillus commune cum Legatis Arcadio, Projecto, & Philippo munus in Synodo sortitum se esse ostendat, ut potius se ab illis distinguat, atque in distinctionis signum sibi jungat Memnonem Episcopum Ephesiorum, cui Cœlestinus nunquam satis commiserat vices. Hoc confirmatur plurimum ex eo, quod Cyrillus nec ab Arcadio, nec à Projecto, nec à Philippo, qui venerant ab Occidente, dicatur Vicarius Cœlestini, quando id vel maxime oportuit dici. Scilicet in Actione tertia ad exitum perducitur Nestorii causa, & decernitur ejus damnatio, hoc est, id ipsum mandatur executioni, quod Cœlestinus in Concilio Romano statuerat contra Nestorium & pro se suas tunc Cyrillo vices delegaverat Cyrillus ergo jam ante indictam & incoeptam hanc Synodum Vicarius Cœlestini esse desiit, cum his in locis ejusdem Vicarius non dicatur in exequenda hac sententia, pro qua jam ante Synodum constitus fuerat Ecclesiæ Romanæ Vicarius, quam enim sententiam contra Nestorium tulerat Synodus Romana, eandem tulit & Ephesina. Præterea, Arcadius, Projectus & Philippus, qui Legatos & Vicarios Sedis Apostolicæ, vel Cœlestini, vel Ecclesiæ Romanæ se semper adpellant, Cyrillum nunquam Legatum seu Vicarium adpellant, utique adpellaturi, si ut adpellaretur, Cœlestinus mandasset. *Quinta* est ea, quam loca suppeditant, in quibus Synodi caput & Præceptor Cyrillus vocatur, & quidem Actione quinta in exemplo relationis, quam Synodus ad Imperatores de Orientalibus transmisit; item Actione sequenti sexta in libello supplici, quem Clerus Constantinopolitanus ad Imperatores obtulit pro Synodo, uti & in Synodi relatione ad Imperatores eosdem, in qua Synodus ad augendum apud Imperatores Orientalium crimen, vel de iis querelam non dixisset modo, Cyrillum fuisse caput congregatorum, sed etiam Cœlestini Pontificis Romani gessisse personam, quod ultro fuisset dicendum, si res ita fuisset. In tali rerum conditione nulla Silentii causa prætexetur aut prætexi poterit, quia silentium culpæ verteretur, & Cyrillum in Synodo obtinuisse locum Cœlestini, non fuisset notius, quam eundem Cyrillum Episcoporum in Synodo congregatorum caput & Præceptorem extitisse. Quo fit, ut Synodus ubique scripsisset, Orientales sententiam depositionis tulisse in eum, qui & Episcoporum caput erat, & Sedis Apostolicæ gerebat vices. At è duobus alterum non scripsit, quia illud vere non potuit scribere. Huc adcedit, quod neque Cœlestinus, neque tres ejus Legati de illata Cyrillo ab Orientalibus injuria conquesti sint unquam, cum tamen nemo possit in animum inducere, illos non conquesturos, si Cyrillus legationem aut vicariam obtinuisset præfecturam pro Cœlestino. Clamores certe in cœlum usque sustulissent de læsa dignitate Sedis Apostolicæ, nemoque inter eos conticuisset. Verum conticuere omnes, intentique ora tenebant, quamdiu exorta inter Orientales & Synodum reliquam duravit contentio; & sola hæc observatio, si suis, uti convenit, expendatur momentis, rem apud æquos rerum æstimatores conficere indicabitur, nempe, Cyrillum, quidquid in hac Synodo fecerit, ut Cœlestini Vicarium minime id fecisse. *Sexta* sic se habet, Leo primus, quos ad Ephesinam Synodum secundam miserat Legatos, aliis, quos postea ad Calchedonensem misit, per novas adjunxit literas, uti patet ex ejus Epistola post quadragesimam nona ad Marcianum scripta, quod etiam in Actione octava Synodi Calchedonensis agnoscitur, ubi restitutionem Theodoreti proponunt Paschasinus & Lucentius Episcopi, uti & Bonifacius Presbyter, insuper & Julianus Cœnsis Episcopus, Sedis Apostolicæ locum habentes. Cur autem ita se gessit Leo, nisi, quod probe noverat, finitam esse Juliani & aliorum Legationem, cum Theodosius rogante Synodo Romana, quidquid autem fuerat Ephesi, nimirum in Synodo secunda, pro non acto voluit haberi, donec major ex orbe toto numerus Sacerdotum cogeretur. Sic quoque finita fuit Legatio Cyrilli antehac, postquam Theodosius

sus-

ſuſpenſa Synodi Romanæ ſententia Epheſinam Synodum primam juſſerat convocari. Hinc quia Cœleſtinus ſuis vel ad hanc Synodum, vel ad Imperatores literis Cyrillum cæteris non adjunxit Legatis, in ea Cœleſtini locum obtinere non potuit. *Septima* è generalium Conciliorum ſumitur diſciplina, dum in nullo unquam Concilio generali, quod apud Orientem ſit celebratum, delecti ſunt extra Occidentem Præſules, à quibus vel Pontifex Romanus, vel Occidentales Epiſcopi repræſentarentur, quod prudenter omnino & adpoſite factum eſt. Nam cum in Concilio generali res proponitur definienda, ſuper ea deliberatur ab omnibus, qui vocantur ad Concilium, & poſtmodum ſententia decernitur. Si vero tunc ex. gr. Epiſcopus Alexandrinus locum tenerat Epiſcopi Romæ, Epiſcopus hic Alexandrinus, niſi talis eſſe deſineret, ſemel atque iterum deliberaret atque ſententiam diceret, ſemel quidem, cum Epiſcopi Romani partes ſeu mandatum impleret, iterum, quando exponeret, quid ſibi videretur. Atque ſic, ſi Epiſcopus Alexandrinus, cum Epiſcopi Romani mentem explicaret, à ſeipſo aut illius Vicario diſſideret, cum aperiret ſuam, Eccleſia ſchiſmatis periculo exponeretur, & illud periculum eo majus eſſet, quod Præſules Ægyptii pro more recepto Epiſcopi Alexandrini ſequantur ſententiam. Quid quæſo & quantum mali importatum fuiſſe Eccleſiæ, ſi Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus in Epheſina Synodo ſecunda Leonis Papæ perſonam ſuſtinuiſſet? Neceſſum non eſt, id pluribus verbis explicare. Et quamvis à Cyrillo, qui, quam Neſtorii doctrinam Cœleſtinus & coactæ Romæ Synodus damnavit, jam ante damnaverat, nihil ſimile fuerit timendum, noluit tamen Imperator, ut Cyrillus Synodi hujus Romanæ ſententiam exequeretur, ſed potius, ut in Synodo generali reſtauraretur de Neſtorio & ejus doctrina judicium, Synodum indixit Epheſi generalem, indictamque Epiſcopo Romano & Sedium magnarum Antiſtites juſſit ſignificari, atque Cœleſtinus prætermiſſo, uti par erat, Cyrillo tres ad hanc Synodum miſit Legatos, qui Sedis Apoſtolicæ & Epiſcoporum Occidentalium partes in ea ſuſtinerent, & quid de Neſtorio & ejus doctrina jam ante ſtatuerant, coram Synodi Patribus proponerent. Quaſi vero tres illi Legati ad Munus illud exequendum non ſuffeciſſent, & indiguiſſent ope Cyrilli, qua alias indiguerant, cum apud Orientales nullus eſſet Occidentalium, qui, quidquid adverſus Neſtorium decreverant, exequeretur. Sed illud factum Cœleſtini non ivit in exemplum, quod vel ipſe rurſus ſtatuerit, vel ſucceſſores fuerint imitati. *Octava* depromitur ab ipſomet Pontifice Cœleſtino, qui nec ſibi, nec Legatis Munus præſidendi in hac Synodo vindicat, dum eos non miſit ad Synodum, ut ei præeſſent, verum ut intereſſent, de quo verbis teſtatur diſertis ſemel iterumque in Epiſtola ad ipſam Synodum, & in alia ad Imperatorem Theodoſium, utraque in Actione ſecunda Lectori exhibita, adcedente teſtimonio Philippi Sedis Apoſtolicæ Legati in Actione tertia ſequentia, uti & ipſius Synodi in eadem Actione, Relationem ad Imperatores exhibente, quin & inſuper in Actione ſexta, quæ itidem continet Relationem ad eoſdem per Palladium tranſmiſſum, in quibus ſingulis nullum jus Synodo præſidendi tribuitur Legatis, & quorum προεδρία, non συνεδρία in Synodo adſcritur. Et ſane nulla eſt Synodi totius actio, cui legantur præfuiſſe. Aliquando quem poſt Cyrillum nominantur & ſubſcribunt proxime, ſed ante nuſquam. Inſuper abſente Cyrilli, & his tribus Legatis præſentibus, primus nominatur & ſubſcribit Juvenalis Hieroſolymorum Antiſtes, quod in Actione quinta & ſexta contigit. In quinta, cum de Rebus geſtis inter Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Epheſium ex una, ex altera autem parte inter Orientales geſtis relatio decernitur ad Imperatores. In ſexta, cum Decreto Synodi de Fide ſubſcribit primus quidem Cyrillus, ſecundus vero Arcadius, Sedis Apoſtolicæ Legatos, tertius autem Juvenalis, Hieroſolymorum Epiſcopus, quartus poſtmodum Projectus, itidem Sedis Apoſtolicæ Legatus, quintus iterum intercedens Flavianus, Philippenſium Epiſcopus, ſextus tandem Philippus, & hic Sedis Apoſtolicæ Legatus. Adcedit, quod ipſe Cyrillum Africanorum in Synodo locum obtinebat, nec

tamen nomine eorum præſidebat ; & ſic, quamvis, quod verum non eſt, verum eſſet, Cyrillum in hac Synodo locum obtinuiſſe Cœleſtini, non tamen inde ſequeretur, Cyrillum Synodo præſediſſe Cœleſtini nomine. Faceſſant igitur ſumta ex hoc verbo, obtinere, præjudicia, quibus, qui Cœleſtini nomine Cyrillum Synodo huic præfuiſſe exiſtimant, falſo ducuntur. Faceſſant fucatæ argumentationes, quæ apud recentiores quoſdam è Schola Theologos partim ex animi occupatione, partim ex Actorum Synodi hujus ignorantia procedunt. *Nona* ducitur ex laudatis modo Synodi Actis, in quibus Cyrillo Memnon Epheſiorum Epiſcopus in Synodi περιφεία jungitur, non Sedis Apoſtolicæ Legati, quod conſtat ex Actione quarta in adlocutioni Cyrilli & Memnonis ad Synodum de Johanne Antiocheno & Orientalibus, uti & Actione ſexta, in qua Synodus de Johanne hoc Antiocheno & illius Conciliabulo facit ſermonem, ac ſimul exhibetur Mandatum, quod Synodus dedit Epiſcopis Conſtantinopolim adverſus Orientales ab ea miſſis, inſuper etiam relatio Synodi ad Imperatores. Conſtat inde, quod ſecuti Memnon Synodi Præſes cum Cyrillo non dicitur ex authoritate Cœleſtini, ſic etiam Cyrillo idem non poſſit adſcribi. *Decima* ab iis arceſſitur, qui poſt hanc Synodum uſque Calchedonenſem de hujus Synodi Præſide ſunt locuti, inter quos occurrit primus Leo Magnus, qui tum erat Eccleſiæ Romanæ Diaconus vel Archidiaconus, cum hæc Synodus celebrabatur, in Epiſtola poſt quadrageſimam ſeptima. Secundus eſt Theophilus, Cleopatridis Epiſcopus, in Actione prima Concilii Calchedonenſis. Tertius eſt Auxonius, Sebennitenſis Epiſcopus, in eadem Actione prima. Quartus eſt Eudoxius, Etennorum Pamphiliæ Epiſcopus in Actione quarta Concilii ejuſdem. Quintus eſt Neon, Pſyltii ejuſdem Pamphiliæ Epiſcopus, in eadem Actione quarta. Sextus eſt Nunchius, Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ Epiſcopus, ibidem. His adcedit Marcianus Imperator in ſacra ad Palladium, quæ partis tertiæ Concilii Calchedonenſis capite poſt decimum nono refertur ; & Ægicanes Hiſpaniæ Rex, qui longe poſt Synodum Calchedonenſem enituit, in edicto ad Concilium Toletanum decimum & quintum. Ubique Cyrillus præſediſſe dicitur Synodo Epheſinæ, nulla Cœleſtini mentione facta, cujus vel authoritate præſederit, vel cujus vices geſſerit in eadem. Atque hæc prima hactenus Epocha, ubi Cyrillo redditur, quod ſuum eſt. Si nunc ad ſecundam tranſeatur, hæc quoque propriis implenda eſt Authoribus, qui Cœleſtinum & Cyrillum huic Synodo præfuiſſe tradunt. In hac ſcire primus iterum ſe obfert Euphrates, Eleotheonæ Epiſcopus, in Actione tertia Concilii Calchedonenſis. Secundus eſt non unus tantum Author, ſed univerſus Epiſcoporum Concilii Calchedonenſis cœtus in Actione quinta. Tertius eſt Imperator Marcianus, in lege, quam pro confirmanda Calchedonenſi Synodo tulit, & parte ejus tertia habetur, uti & in ſacra Archimandritis miſſa, quæ ejuſdem tertiæ partis capite nono habetur, quin & inſuper in edito ad Palladium Prætorio præfectum, quod capite ejuſdem partis duodecimo legitur. Quartum occupat locum Imperatrix Pulcheria, itidem in ſacra Archimandritis miſſa quæ continetur partis ejuſdem capite poſt decimum quarto. Quintus eſt Julianus, Cœnſis Epiſcopus, in Epiſtola ad Imperatorem Leonem, quæ extat ibidem capite poſt quadrageſimum ſeptimo. Sextus eſt integer confeſſus Epiſcoporum Armeniæ primæ, in Epiſtola ad Imperatorem eundem, capite ſequenti poſt quadrageſimum octavo. Septimus eſt Johannes Epiſcopus Neapolitanus, in relatione ad Hormeſdam Pontificem Romanum. Octavus eſt Petrus Diaconus in libri de Incarnatione & gratia capite quinto. Nonus eſt Vigilius Pontifex Romanus in Epiſtola ad univerſum DEI populum, quæ legitur in adpendice Sirmondi ad Codicem Theodoſianum. Decimus eſt Imperator Juſtinianus in Collatione prima Concilii Conſtantinopolitani quinti, & in fidei confeſſione adverſus tria Capitula. Undecimus eſt Pelagius hoc nomine Pontifex ſecundus, in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ. Sunt præterea non nulli, à quibus eadem res, ſed aliis exprimitur verbis. Horum adſcribuntur numero Cœtus Epiſcoporum Europæ, in Epiſtola ad Imperatorem Leonem, quæ habetur partis tertiæ

Synodi

Digitized by Google

Synodi Calchedonenſis capite poſt viceſimum ſeptimo; & Lucianus Byzenſis Epiſcopus, in Epiſtola ad Imperatorem eundem, ibidem capite ſequenti poſt viceſimum octavo. Alii etiam ſunt, qui ad illos, ſed aliter ibidem adcedunt, quo in ordine primum occupat locum Hormiſda Pontifex, in Epiſtola ad Johannem Epiſcopum Neopolitanum nona. Sequitur ſexta Synodus, ſeu potius is, qui ſermonem proſphoneticum ad Imperatorem habuit Synodi nomine. Adcedit Conſtantinus Imperator hoc nomine quartus, in edicto, quod pro ſexta Synodo fecit; Pontifices item Romani recens creati in profeſſione fidei, quam olim ediderunt, dum inaugurabantur. Cur autem alii Cœleſtinum & Cyrillum hujus Synodi Præſides fecerint, alii Synodum ſub Cœleſtino & Cyrillo dixerint congregatam, alii damnatam à Cœleſtino & Cyrillo Neſtorium ſcripſerint, alii tandem paulo aliter loquantur, ratio omnium fuit una, quia, quæ adverſus Neſtorium in Synodo primum Romana, deinde in Epheſina ſunt decreta, perinde miſcent atque conjungunt, ac ſi una eademque fuiſſet Synodus. Et quia Cœleſtinus præfuit Romanæ, Cyrillus autem Epheſinæ, adcidit inde, ut Cœleſtinus & Cyrillus Epheſinæ Synodo præfuiſſe dicantur, & Synodus hæc Epheſina ſub Cœleſtino & Cyrillo memoretur coacta; & vere quidem, licet in quæſtione facti ſit error certiſſimus, quia Cœleſtinus neque per ſe, neque per Legatos eidem præfuit. Quidquid tamen ſit, excuſatur facile. Nimirum Synodus Romana & Epheſina de eadem re duobus adeo vicinis temporibus fuerunt celebratæ, ut una & eadem eſſe videatur & dicatur, quia hæc Epheſina negotio à Romana inchoato impoſuit finem; atque ſic acta utriuſque miſcentur inter ſe, ita ut unum corpus efficiant, quia videlicet, uti dictum, utraque Synodus rem agit eandem & quæ in Romana ſunt geſta, in Epheſina repetuntur; neque repetuntur tantum, ſed etiam prædicantur, atque in authoritatem admittuntur. Quo fit, ut dum in Actione ſecunda Cœleſtini Epiſtola, Epiſcoporum occidentalium ſententiam continens eſt lecta, omnes Epiſcopi ſimul adclamaverint. Quapropter prærogativa familiaritatis, quæ fuit inter Synodum utramque, hoc attulit, ut re in compendium miſſa, quod Synodis duabus fuit tribuendum, uni Epheſinæ adtribuatur, eo fere modo, quo juris Authores tradunt non nunquam celeritate actionum inter ſe conjungendarum unam occultari actionem, uti Synodus Romana occultatur in Epheſina, cui ob illud ipſum Cœleſtinus & Cyrillus præſediſſe dicuntur à non nullis. Sed nunc, cum explorato eſt rei veritas, cui nec unquam, nec à quoquam præſcribitur, & Juſtitia poſtulat, ut cuique reddatur ſuum, Præſidem Synodi Romanæ Cœleſtinum, Epheſinæ vero Cyrillum adſerimus, ac proinde hunc illius Vicarium in hujus celebratione non dicimus, quia ex iis, quæ nunc obſervata ſunt, dici reipſa non poteſt. Hoc cum ex ſeipſo ſit manifeſtum, Cardinales quoque *Bellarminus* & Perronius, qui Cœleſtinum huic Concilio per Cyrillum contendunt præfuiſſe, neminem laudant eorum, qui huic Epochæ adſignati ſunt. Et recte quidem. Qui enim ita loquuntur, Cœleſtini vicarium non ponunt Cyrillum. Papa nimirum & Papæ vicarius, Epiſcopus & Epiſcopi vicarius unam duntaxat perſonam ſuſtinent, non duplicem. Quis enim diceret, Leo, Paſchaſinus & Lucentius, item Bonifacius & Baſilius præfuerunt Concilio Calchedonenſi? Leo Pontifex certe non ita dixit vel ſcripſit; & vix aliquem ita dicentem patientur audiviſſet. Nunc tertia ſequitur Epocha, quæ Cyrillum exhibet vicarium Cœleſtini. Hunc loquendi modum uſurpat Menas, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in Fidei profeſſione, quam cum quibuſdam aliis Præſulibus ad Templum S. Euphemiæ miſit, cujus exemplar in Conſtituto Vigilii Papæ habetur. Ita etiam hac de re ſcribunt liberatus, Carthaginenſis Diaconus capite quinto Breviarii, Marcellinus Comes in Chronico, Evagrius, Manſuetus, Epiſcopus Mediolanenſis, in Synodica ad Conſtantinum Imperatorem hujus nominis quartum Epiſtola, Nicolaus Papa hoc nomine primus in nona ad Michaelem Epiſtola, Photius in libro de Synodis, Menologium à Cardinali Sicleto editum quinto Idus Junias, Gregorius Pontifex ſeptimus Apologetici capite tertio, Zonaras in Annalibus, Libellus Synodicus, Nicephorus, Nilus

in libro de Synodis, Synodus Florentina ſeſſione quinta editionis primæ. Verum *his* Teſtibus & teſtimoniis opponuntur ea omnia, quæ in Epocha prima & ſecunda ex inveniendi adferendique Veri legibus ſunt conſtituta. Deinde tertiam hanc Epocham ad minimum reddunt incertam ii, qui ad eam ſpectantes quidem, ſed tamen propter Doctrinæ ſimilitudinem ad primam & ſecundam fuere revocati, ex. gr. Ægicanes Rex Hiſpaniæ, Petrus Diaconus, Vigilius, Juſtinianus, cui conſentit Synodus quinta & Pelagius Papa hoc nomine ſecundus. Quid enim certi epocha hæc tertia poteſt habere, in qua hi teſtes laudati cæteris non concordant? Præterea, uti ingenue, ita & neceſſario fatendum eſt, relatos Epochæ hujus Authores perſpecta & animadverſa non habere omnia, quæ tam ad Neſtorii damnationem, quam ad Synodi Epheſinæ celebrationem pertinent. Nam quæ diſtinguere oportet vel maxime, hi confundunt, & vices eas, quas Cœleſtinus tantum ad exequendam Synodi Romanæ ſententiam contra Neſtorium commiſit Cyrillo, ad Synodi Epheſinæ tunc Cœleſtino incognitæ celebrationem ſine ullis novis Cœleſtini literis, & inſuper habita rei veritate extendunt. In apertum erroris fontem, quo hi Authores implicati de damnatione Neſtorii & Synodi Epheſinæ celebratione ſcripſerunt. Iuſuper, de Cœleſtino verba faciunt perinde, ac ſi vices, quas Cyrillo commiſit, ſolus commiſiſſet, cum tamen non ſolus commiſerit, ſed partim ſuo, partim quoque Epiſcoporum Orientalium nomine, qui Romæ in Synodo dogmata Neſtorii hæretica confixerunt. Hoc autem in caſu ſpecialis & propria Cœleſtino, tanquam Pontifici Romano prærogativa vindicatur nulla, etiamſi à non plane nullis putetur vindicari, quod diligenti, & ſumma obſervatione dignum eſt. Denique Græci recentiores permixtis à ſe & confuſis Synodi Romanæ & Epheſinæ geſtis, id de Mitra, Phrygio & quibuſdam honorum titulis adjiciunt, quod veterum ſcriptorum ſeu Græcorum ſeu Latinorum caret teſtimonio, & eam ob cauſam exponitur. Poſtrema tandem Epocha coërcet eos, qui Cyrillo, tanquam Cœleſtini Vicario, nunc duos, nunc tres, ſuppreſſa tamen Vicarii mentione, præſides alios, nunc unicum adjungunt. Hoc facti genus trium Græcorum eſt, nimirum Photii in libro de ſeptem Synodis & prima ad Michaelem Bulgariæ Regem Epiſtola, Cedreni in Compendio Hiſtoricarum, & Nili itidem in Libro de Synodis. Photio tres ſunt Præſides, Cyrillus perſonam gerens Cœleſtini, Memnon & Juvenalis; eſſent quatuor fortaſſe, ſi, uti adparet, Cyrillus perſonam duplicem, videlicet ſuam ſimul & Cœleſtini geſſit. Cedreno ſunt duo tantum, Cyrillus & Juvenalis; ſi tamen Cyrillus tantum Cœleſtini non ſuas ſimul egit partes. Nilo quatuor ſunt, Cœleſtinus, Cyrillus, Memnon & Juvenalis. His ita propoſitis videtur, diſtinctionis & Doctrinæ majoris gratia Photium, Cedrenum & Nilum in hanc eamque propriam conjici poſſe Epocham, tametſi tradant non plane nulla, quæ ad antecedentes poſſunt referri. Nimirum, quando Photius & Cedrenus memorant, Cyrillum in Synodo Epheſina Cœleſtini perſonam geſſiſſe, Epochæ tertiæ ſcriptoribus concordant, atque ſic eodem modo, quo illi refelluntur; qua vero ratione Nilus Cœleſtinum & Cyrillum Synodi Epheſinæ ſtatuit præſides, cum Authoribus Epochæ ſecundæ convenit, & eandem cum illis ſortitur fortunam. Porro, cum Photius & Nilus Memnonem Synodi hujus faciunt Præſidem, reſpectum habent ad ea ejuſdem Synodi Acta, de quibus in Epochæ primæ ratione nona fuit actum. Denique, cum Photius, Cedrenus & Nilus Juvenalem collocant in numero Præſidum, ante oculos ſibi conſtituunt ea Synodi Acta, quæ in octava ratione ejuſdem Epochæ deſcribuntur. Prætermittendus tandem non eſt libellus Synodicus; etiamſi, quo ille loquitur modo, nullus ſit unquam locutus.

Ad-

Digitized by Google

Additio.

ANte Launojum de Præside Synodi Epheſinæ adverſus Bellarminum & ſequaces egit etiam Edmundus Richerius, Doctor itidem Sorbonicus, in Hiſtoria Conciliorum generalium, à qua quædam excerpentur, ut hic quoque dualis teſtium Veritatis numerus conſtat, uſque dum tertius adcedat. Ita autem legitur ibidem: Bellarminus & cæteri Scriptores Curiæ Romanæ cauſantur, præſidentiam Cyrillo fuiſſe delatum propterea, quod Cœleſtinus Papa Cyrillum conſtituerit Vicarium, uti conſtare putant ex epiſtola Cœleſtini ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum ſub finem. Adcedit, quod Nicephorus obſervavit, famam eſſe, ab eo tempore Patriarchas Alexandrinos vocatos fuiſſe Papas œcumenicos & judices orbis, quo Cœleſtinus Papa Cyrillum cooptarat in Vicarium. Sed recte notavit Nicephorus, ſtoc fama tantum niti, quandoquidem figmenta fuerunt Græculorum. Nam ex Eccleſiæ primitivæ diſciplina Canonibus Nicenis conſecrata, ſicut Præſides actiones Parlamentorum moderantur, ac abſente primo ſecundus Sedis occupat prærogativam, ſic antiquitus in Conciliis omnes Patriarchæ erant Præſides atque Duces & capita Synodi, neque Romanus quidquam ſuper alios præter ſedis prærogativam obtinebat. Quare ſi abeſſet à Synodo, cæteri Patriarchæ ſuo quivis ordine præſidebat. Qua de cauſa in antecedentibus notatum eſt, in Hiſtoria Synodi Nicenæ Patriarcham Alexandrinum & Antiochenum vocatos eſſe Præſides Concilii, quod manifeſtum eſt tum ex epiſtola ſynodali ad Alexandrinos, tum ex epiſtola Felicis Papæ. Certum eſt quoque, in Synodo Conſtantinopolitana Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum præſediſſe, cum nulli adeſſent ex parte Damaſi Pontificis. Unde ſimiliter, cum Synodus hæc Epheſina haberetur adverſus Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum abſente Romano Pontifice, jus præſidendi pertinebat ad Cyrillum Alexandrinum. Itaque tametſi delatum ei non fuiſſet à Cœleſtino, illud authoritate ſedis ſuæ ſecundum canones Nicenos habebat jure. Conſtat certe ex actione hujus Synodi ſecunda, Cœleſtinum miſiſſe Arcadium & Projectum Epiſcopos, atque Philippum Presbyterum, qui vicem ſuam obtinerent in ea, idque nominatim acta perſonant. Et tamen Cyrillus Actione ſexta illos anteit in ſubſcriptionibus. Neque hic ſilentio obruendum, epiſtolam, qua Cœleſtinus ſuam vicem Cyrillo demandavit, fuiſſe ſcriptam ante, quam putaret Cœleſtinus generale Concilium habitum iri adverſus Neſtorium, & reſtringi duntaxat ad executionem ſententiæ Cœleſtini adverſus Neſtorium, quem mandabat Sacerdotio & ſacris interdici, niſi intra diem decimum reſipiſceret. Ex quo ſequitur, fruſtra hinc colligi, Cyrillum præſediſſe huic Synodo tanquam Cœleſtini Vicarium, cum id ei competeret ex ſedis prærogativa. Quod autem in actis legitur paſſim, illum obtinuiſſe locum Cœleſtini, id eo factum eſt conſilio à Patribus, ut obviam iret factionibus Neſtorii & Johannis Antiocheni, qui, cum multos haberent ſuæ factionis Epiſcopos, efficere volebant, ne à Synodo, in qua duo tantum ſederent Patriarchæ, Neſtorius poſſet damnari, quaſi pares nullum haberent in pares imperium. Hinc omnia clamant Acta, Cœleſtinum quoque Synodo adhæſiſſe, atque Cyrillum geſſiſſe vices ejus, (verum & proprias ſimul) continuoque tres ſediſſe Patriarchas in hac Synodo adverſus Neſtorium, videlicet Cœleſtinum, Cyrillum & Juvenalem Hieroſolymitanum. Obiter hic informandus eſt Lector, in parte ſecunda actorum hujus Synodi poſt acta Conciliabuli Johannis Antiocheni varias exhiberi catholicorum epiſtolas, atque in nonnullis, quas ipſa Synodus ſcripſit ad Imperatores, Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Epheſinum vocari Præſides, Duces & capita Concilii; ubi caput moraliter pro primo. Duce & Principe actionis ſumi debet, minime autem, quod aliquid naturaliter influat in alios, abſque quo influxu Synodus exiſtere non potuiſſet, uti videmus humanum corpus abſque influxu capitis illico emori; quod notandum contra nu-

gas ſophiſticas Adulatorum Curiæ & quam maxime Du-Vallii, in libri de Papæ poteſtate ſuprema parte prima ac ejus quæſtione ſexta volentis perſuadere, id, quod caput eſt corpori humano, eſſe Papam Eccleſiæ catholicæ, id eſt, caput eſſentiale, non miniſteriale. Cæterum Baronius ſcribit, Philippum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum, quem Cœleſtinus una cum Arcadio & Projecto Epiſcopis miſerat ad hanc Synodum, ideo vocis & ſedis prærogativam ſuper alios conſecutum Epiſcopos fuiſſe, qua Presbyter fuerit Cardinalis. Sed nugatur Baronius, quia tum Cardinales nondum nati aut noti erant mundo. Quod autem in ſubſcriptionibus quoque Philippus hic Epiſcopis pluribus fuit propoſitus, id Baronius debebat potius tribuere Cœleſtini perſonæ, quam Philippus una cum aliis repræſentabat, quam titulo & qualitati Cardinalitiæ, de qua adhuc ambigitur. In ipſa autem actione Synodi prima hæc obcurrunt notatu digna. Primo quidem Symbolo Fidei Nicenæ velut baſi agendorum præfixo, ſcripta Cyrilli ad Neſtorium ideo examinantur, quia Cyrillus omnium primus claſſicum adverſus Neſtorium cecinit, quæ conſenſu omnium Patrum declarantur orthodoxa. Secundo Neſtorii epiſtola ad Cyrillum itidem perlegitur & examinatur, omneſque Patres communiter eam judicant anathemate dignam. Tertio perlegitur quoque & examinatur Cœleſtini ad Neſtorium epiſtola cum ſcriptione Cyrilli ſecunda adverſus Neſtorium. Quarto ſubjiciuntur Patrum pridem defunctorum ſententiæ iis concordes, quæ à Cyrillo & Cœleſtino fuerant ſcripta. Quinto his opponuntur aliquot Quaterniones ex Neſtorii Scriptis collecti. Sexto ſubjicitur Epiſtola Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi Synodica, quam Cyrillus Actis inſcribi merito flagitavit, quia memorabilem valde ſententiam adverſus abſolutam & infallibilem curialium Monarchiam ad omnem poſteritatis memoriam continet; qua perlecta Patres ſententiam depoſitionis in Neſtorium pronuntiarunt. Ubi dignum animadverſione, Epiſcopos in ferenda & ſubſcribenda adverſus Neſtorium Sententia nullam feciſſe mentionem Cœleſtini Papæ, ſed conceptis dixiſſe verbis, ſe cum ſancta Synodo decernere, idque ante alios Cyrillum, quem adverſarii tamen volunt præfuiſſe huic Synodo nomine & authoritate Cœleſtini. Et certe Acta Synodica neceſſario ac natura ſua plurium ſententiam & conſenſum, non unius Monarchæ authoritatem involvunt. Hæc vero confecta ſunt ante, quam Legati Pontificis Romani Epheſum adpuliſſent, quorum ſummam Patres ad Clerum & œconomos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quin etiam ad Imperatorem miſerunt. Dum autem hæc à Patribus Epheſinis geruntur, Johannes Antiochenus, fautor Neſtorii, cum Epiſcopis triginta ſuæ factionis formam habuit conciliabuli, fretus Comitis Candidiani ſtudiis, qui occulte favebat Neſtorio; in quo conciliabulo Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Epheſium, Duces & capita Synodi, uti à Patribus nuncupantur, exauthorarunt, ac omnes, qui ad Synodum hanc convenerant, communione Eccleſiaſtica privarunt, id Synodo ſignificantes, qui inſuper etiam ad Imperatores & Imperatrices miſerunt literas, antequam ipſius Synodi literæ deferrentur ad Theodoſium. Dein Actione ſecunda Arcadius & Projectus Epiſcopi, cum Philippo Presbytero, Sedis Apoſtolicæ Legati, venientes ad Synodum literas eidem à Cœleſtino obtulerunt, ac eas legi poſtularunt, quæ etiam perlectæ omnium conſenſu in acta fuerunt relatæ. Sed monendus hic eſt Lector, literas haſce aliter atque aliter in editione Romana & Theodori Peltani ac aliorum legi, quæ lectionis varietas magnam corruptæ & ſuppoſitæ ſententiæ ſuſpicionem ingenerat. Certa autem ratio dignoſcendæ lectionis genuinæ à corrupta hæc eſt, ut rite perpendatur, utra magis conveniat diſciplinæ & regimini Eccleſiæ, quod tempore hujus Synodi florebat ſecundum canones Nicenos. Unde cum lectio Peltani & aliorum petat, ut Papæ Legati admittantur ad communem conſenſum & ſententiæ dictionem, ut nimirum ſuo etiam calculo, ea, quæ à Synodo fuerant decreta, adprobent, procul dubio praxi tum in Eccleſia uſitatæ omnino convenit. Contra vero, quæ habentur in editione Romana, quoniam cavent nominatim, ut Legati Pontificis Romani ea exequantur, quæ à Cœleſtino fue-

fuerant decreta, adeo ut Synodus ſancta eis indubie adſenſum ſit præbitura &c. nullo plane modo illorum temporum diſciplinæ conveniunt; cum Patres Epheſinos ſolummodo Papæ conſiliarios atque executores ſententiæ Cœleſtini, non judices controverſiarum faciant, quod abſurdum eſt, & ſeculis ſequioribus inventum, ac abſolutam redolet Monarchiam, quæ non magis competit temporibus illis, quam ſi quis Faramundum Regem Francorum primum liliis perſperſum aureis eo depingeret modo, quo Ludovicum ſanctum veſtire conſuevimus, quia compertum eſt, uſum liliorum in armis Regum Franciæ multis poſt Faramundum annis inventum eſſe. Certe in omnibus Synodis generalibus Patres in uſu & more habuerunt, ut canonice explorarent Pontificis Romani ſententiam. De cætero, perlectis Cœleſtini literis omnes Epiſcopi ſimul adclamaverunt, juſtum eſſe Cœleſtini judicium, ac eidem & Cyrillo gratias egerunt. Quo ex loco Baronius, Bidius & author præfationum Hiſtoricarum editionis Romanæ colligunt, quæcunque de Fide recta adverſus Neſtorium hic fuerunt ſancita, fuiſſe à Cœleſtino præſcripta, Firmo Cæſarienſi Epiſcopo audiente tota Synodo id confirmante. Sed facilis ad hæc eſt reſponſio, inquit Doctor Sorbonicus. Nam Peltanus iterum & alii aliter hæc exhibent, talem Firmo adſcribentes ſententiam, quod videlicet nomine Synodi dixerit, Cœleſtinum certam de præſenti negotio ſententiam atque regulam præſcripſiſſe, quam ſequantur, forma canonum ubique diligenter obſervata, canonicum Apoſtolicumque judicium adverſus Neſtorium exercentes. Hæc enim ſententia illorum temporum diſciplinæ, altera autem abſolutæ hujus ſeculi Monarchiæ congruit. Pareant ergo nobis adverſarii, ſi quando in actis, quæ temporibus hiſce poſtremis evulgantur, aliquid minus conſonum antiquæ diſciplinæ & regimini Eccleſiæ primitivæ reperimus, illud ingenue & animo vere chriſtiano fidei ſuſpectæ habeamus; maxime autem, quod ad præſens in ſpecie negotium pertinet, quin in quinque poſterioribus Conciliis generalibus nuſpiam reperitur, Patres dixiſſe, ſe regulam à Pontifice Romano præſcriptam executioni mandare. Porro, hæc verba, Apoſtolicum proferre judicium, ſunt æquivoca; quoniam in Synodis hoc non intelligitur privatim de iis, quæ Sedes Romana, ſed generatim de iis, quæ tota Synodus ſancivit. Unde etiam ſupra fuit obſervatum ex Epiſtola Patrum Nicenorum ſynodali ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripta, eam vocari Apoſtolicam. Sic quoque Theodoretus de iis loquens, quæ adverſus Apollinarem & Macedonium in Synodo Conſtantinopolitana fuerunt decreta, ea titulo doctrinæ Apoſtolicæ donavit. Præterea, quæcunque Cœleſtinus ſtatuit contra Neſtorium, Synodice ſunt decreta juxta quintum canonem Nicenum. Inſuper ipſa primæ Actionis acta iſtam Firmi opinionem diruunt, quoniam cuncti Patres ibidem adverſus Neſtorium ſuffragati ſunt ſingillatim, omnibus iis prius examinatis, quæ à Cyrillo & Cœleſtino in illum ſcripta fuerant, eum axauthorantes. Unde etiam Firmius idem more Patrum aliorum his vocibus conceptis ſuamdixit Sententiam, ſe una cum ſancta Synodo decernentem ſubſcribere; quæ forma loquendi non eſt hominis Sententiam alterius executioni mandantis. Amplius tametſi Firmius hæc ipſa pronuntiaſſet, quæ in Editione Romana, uti & Commelimana leguntur, nihilo tamen minus uſui non poſſent eſſe ad firmandam hanc Monarchiam, quando in Actis Synodalibus vox unius eſt vox nullius, & quia, uti dictum, Acta Synodalia plurium eſſentialiter includunt conſenſum. Demum adcedit, quod Cæſar Juſtinianus in Edicto adverſus tria obſervavit Capitula, eos, qui Veritatem perſcrutantur, adtendere oportere, quod forſitan in Conciliis quædam à certis ibi convenientibus dicantur aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam, & neminem ea adtendere, quæ per partem dicuntur à quibuſdam, ſed ea ſolum, quæ ab omnibus conſenſu communi definiuntur. Videndum ergo, quæ fuerit Synodalis, non unius tantum Epiſcopi Sententia. Cæterum ad calcem Actionis ſecundæ reſponſio Legatorum Cœleſtini ad Synodum aliquid abſoluti & Monarchici videtur parturire. Sed notandum, verba eorum, quo ſe confirmare dixerunt Papæ & ſancti Cœtus Sententiam, deſtruere alia

quæda m

quædam verba ipsius Cœlestini, quæ leguntur in Editione Romana, contra autem illa confirmare, quæ à Peltano & aliis narrantur, utpote quibus legati Pontificis ad sententiæ dictionem & ea, quæ ante suum decreta fuerant adventum, comprobanda solummodo admitti cupierunt, quod Canonicum est, non vero Monarchicum. Hoc perpendant adversarii necessum est, & argutias Sophisticas aliis venditare cessent. Dehinc in eadem Actione secunda ad calcem obcurrit epistola Cœlestini ad Theodosium, qua declarat, Synodum hanc Cæsaris jussu indictam & coactam fuisse. Actione postmodum tertia in vestibulo Legati Pontificis privatim dicunt sententiam super Acta adversus Nestorium in prima Actione, sicut paulo ante hoc sibi flagitaverant concedi, ac omnia suis singillatim suffragiis comprobant; quibus peractis Patres Epistolam Synodalem mittunt ad Imperatorem, qua seriem Actorum declarant, ex qua iterum tria observatu digna sunt. Primum est, Regimen Ecclesiæ pure Aristocraticum fuisse illo tempore, cum ea ipsa, quæ Cœlestinus misit ad Patres Ephesinos, statuta fuerint in Synodo totius Occidentis, deinde in Synodo Ephesina Canonice examinata. Secundum, Patres Ecclesiæ primitivæ agnovisse, totum Occidentem subditum (non personæ) sed Patriarchatui Pontificis Romani, illumque solitum cogere in Synodum. Tertium, sententiam Synodi totius Occidentis datam Legatis Cœlestini pro instructione sufficienti, minime autem aliquem motum Papæ privatum. Post literas vero hasce Synodicas ad Imperatorem obcurrunt in hac Actione aliæ etiam Synodicæ ad Clerum populumque Constantinopolitanum, quibus itidem Synodi adversus Nestorium gesta declarantur. Actione quarta Cyrillus & Memnon proferunt expostulationem adversus Johannem Antiochenum, quod illos inauditos ac indicta causa, nullam omnino habens potestatem excommunicasset, omnesque Canones & Leges Ecclesiasticos conculcasset, atque petunt, ut à Synodo accersatur, reique à se temere gestæ reddat rationem; qui bis citatus venire renuit. In actione hac digna est aliqua observatione Johannis Hierosolymitani oratio, in qua adversus Nestorium & Johannem Antiochenum ac eorum complices, qui à duobus tantum Patriarchis nolebant judicari, ostendit, Patriarcham Romanum una secum sedere & consentire, ac morem esse, ut aliæ Sedes Patriarchales Romanæ tanquam principi in rebus Synodice & Canonice constitutis deferant. Ad actionem quintam pertinet, quod iidem Cyrillus & Memnon tradent Synodo & rogant Patres, ut Johannem Antiochenum, qui eos libellis publice Ephesi per compita adfixis tanquam fautores Apollinaris adcusaverat, adhuc semel evocetur, vel, si venire detrectet, nec edat probationes suas, subjaceat condemnationi; & postquam is venire & respondere neglexit, Patres in illum ejusve adsectas, sententiam excommunicationis pronuntiant. Notabit autem hic Lector, Cyrillum & Memnonem in duabus hisce actionibus, in quibus de Johanne Antiocheno apud Patres Ephesinos conquerebantur, non sedisse cum Patribus aliis, sed tanquam adcusatos sibi jus reddi postulasse, atque hac ipsa Actione Innocentes fuisse declaratos. Quam ob rem literis Synodalibus ad Imperatores missis enarrant summam actorum adversus Johannem Antiochenum, ejusque gesta fieri postulant irrita tanquam mera convitia & calumnias hominum criminibus obnoxiorum. Postea in Editione Romana habetur etiam relatio Synodica ad Cœlestinum, quamvis ejus hic locus non sit proprius, quin eam constat esse missam, postquam turba à Johanne Antiocheno motæ fuerunt sedatæ. Actione sequenti sexta proponuntur quædam in non-nullos è Quartadecimanis, qui ad Synodum & unitatem Ecclesiæ accedebant, gesta, & simul exhibentur Acta Conciliabuli Johannis Antiocheni cum literis Imperatorum, qui quidem per Comitem Candidianum anticipati has miserunt literas per Palladium Migistianum, quibus ostenditur, quanta tum authoritate Cæsares in Disciplina Ecclesiastica bene constituenda polleret, ac resplendescit, Patres Synodi solitos confirmationem gestorum petere ab Imperatoribus. Editio Romana ad hunc locum in margine hoc adposuit Glossema: Quomodo hæc confirmatio debeat accipi, ex aliis Imperatorum literis

Digitized by Google

teris conſtat. Recte quidem ; nam Literæ ac Edicta Conſtantini & Theodoſii, M. Marciani item, Juſtiniani. Conſtantini Pogonatæ, imo ipſiuſmet Theodoſii junioris & Valentiniani omnem cœcis dubitandi tollunt occaſionem. Cæterum aliis quoque literis Imperatores ad Synodum ſcripſerunt, ſe adprobaſſe & acceptam habere Cyrilli ac Memnonis exauthoriſationem à Johanne Antiocheno factam ; ſiquidem male de rebus geſtis informati acceperant, Cyrillum omnia geſſiſſe ex præjudicio & actis, quæ ante Synodum hanc generalem in Synodo ſua provinciali decreverat, ac etiam, ut Cœleſtini Sententiam mandaret executioni, quod Virum ſanctiſſimum odio atque invidia pene oppreſſit, atque Synodum ſanctiſſimam valde conturbavit, à quibus vero malis & Cyrillus & ipſa Synodus potuiſſent præſervari, ſi Cyrillus abſtinuiſſet à judicio, ſic enim ei non fuiſſet objectum, quod ſtudio vehementi & cum præjudicio vincendi certaret. Verum-tamen tum demum vicit Veritas, quoniam Catholici ſedentes in Synodo literis per Palladium de omnibus geſtis certiorem fecerunt Theodoſium, referentes inter alia, Candidianum pietati amicitiam Neſtorii antepoſuiſſe, aliis quoque literis Actorum confirmationem petentes, & ſimul Synodi diſſolutionem & diſcedendi facultatem rogantes ab Imperatore, non autem à Papa. Hoc enim tanquam neceſſarium valde Patres urgebat, ideoque prius petendum erat. At vero Pontifici Romano Synodalem duntaxat mittunt Epiſtolam, quæ eſt tanquam Breviarium rerum in hac Synodo geſtarum, ſequiturque demum Literas Synodales, quibus confirmationem Actorum petunt ab Imperatoribus, & quidem recte, quoniam hic ordo ſervatur etiam in Editione Græca Commelini, quam Romana interpolavit, ut niteretur demonſtrare, Papam velut Eccleſiæ Monarcham jus habere ſolvendarum Synodorum & dandi facultatem Patribus abeundi, poſtquam ab illo confirmatione Actorum petiiſſent. Verum, hæc ſunt commenta hominum obnoxiorum, ut ex lectione ipſius Epiſtolæ patet, quam ubi integram Lectori exhibuit Doctor Sorbonicus, ſequentia ad eam obſervavit. Et *primo* quidem, inquit, hæc Epiſtola ſeriem rerum in Synodo geſtarum explicat adcuratiſſime ad informandam Occidentalem Eccleſiam, ex qua demtis Cœleſtini Legatis nulli Synodo Epheſinæ interfuerunt, eumque in finem omnia diligenter recenſet, ut Cœleſtinus ea omnibus communicaret. *Secundo* docet, Synodum ab Imperatoribus indictam, diemque rebus agendis præfixum. Quod ſi Patres Synodi agnoviſſent Monarchiam Pontificis Romani, aut Cœleſtinum hoc indixiſſe concilium, uti prætexunt homines obnoxii, nunquam certe id hac in Epiſtola, aut ipſemet Cœleſtinus vel ejus Legati in literis & Actis ſilentio involviſſent. Ad hoc directe & explicate, non per ambages aut argutias Scholæ reſpondeant adverſarii ; in rebus enim ad Hiſtoriam ſpectantibus potiſſimum oculis ad legendum & intuendum, quam animo ad ratiocinandum opus eſt. Quid autem dicere adtinet, ex Epiſtolis Cœleſtini ad Cyrillum & clerum Conſtantinopolitanum liquere, Cœleſtinum potius in animo habuiſſe, ſua Synodo privata abſque Synodi generalis convocatione Neſtorium damnare, quam id judicio Concilii generalis permittere vel reſervare ? Et hinc illæ Imperatorum querimoniæ in priore ad Cyrillum Epiſtola adverſus eos, qui forte mallent imperare, quam in medium conſulere, aut de rebus ejuſmodi conſilium audire. Atque hæc etiam eſt cauſa, ob quam nonnulli Pontifices Romani raro ſponte ſua & ultro adſenſum præbuerint convocationi & celebrationi conciliorum generalium, quippe qui viderent, ſe in Synodis generalibus, quam extra illas, non ita facile compotes fieri poſſe Poteſtatis abſolutæ & Monarchicæ, quam animo jam jam meditabantur. Quamobrem, ſtatim ac rumor aliquis de Synodo generali habenda vulgabatur, judicium id ſæpius antevertere. ac dicere conſueverant, nihil opus eſſe Synodo generali, ac ſe jam de re controverſa ſententiam pronuntiaſſe. Nec tamen propterea Patres Concilii generalis à dicenda in rem controverſam ſententia, atque ab examinando Pontificis Romani Decreto ſibi temperarunt, uti ex Actis conciliorum patet. Et quidem tempore Cœleſtini Romanos pruritum Monarchiæ alicujus abſolutæ jam

invaſiſſe, liquet ex Hiſtoria ſextæ Synodi Carthaginenſis adverſus Commonitorium Zoſimi. *Tertio* oſtendunt Patres in hac Epiſtola ad Cœleſtinum, quod Johannes Antiochenus Epiſcopos partim hæreticos, partim vitæ profligatæ adſeclas adſciverit, uti quondam Ariani in Concilio Sardicenſi Donatiſtas ſibi ſocios contra orthodoxos conciliaverant. *Quarto*, Neſtorium trina citatione vocatum detrectaſſe Synodo parere, ac ſeſe militibus armatis obvallaſſe, quos ab Irenæo comite acceperat. Nam Imperatores hunc Irenæum propter amicitiam, quæ ei cum Neſtorio interceſſerat, ut eidem præberet comitatum, fuerunt paſſi. *Quinto*, ſcripta Cyrilli in Neſtorium & hujus in illum cum Epiſtola Cœleſtini primum examinata fuiſſe, atque tunc demum conſenſu Patrum univerſorum anathema dictum Neſtorio; quæ agendi ratio demonſtrat, Patres non fuiſſe executores ſententiæ Cœleſtini, uti Editio Conciliorum Romana vult perſuadere, quandoquidem hæc Epiſtola Synodalis declarat, communibus Patrum ſuffragiis hæreſin Neſtorii fuiſſe damnatum. *Sexto*, narratur ſcelus inauditum Johannis Antiocheni & adſeclarum, qui contra Canones in Epiſcopum Sedis ſuperioris auſus eſt ſententiam dicere, fingens, Cyrillum errore Arii & Apollinaris contaminatum, imo totam quoque Synodum excommunicavit, cum tamen certum ſit, integra excommunicari non poſſe Collegia. Cæterum Theodoretus etiam unus erat ex numero Epiſcoporum, qui huic Johanni Antiocheno tanquam Patriarchæ ſuo adhærebant; qui cum minus bene doctrinam Cyrilli intelligeret, eumque erroribus Apollinaris ſordidari putaret, reprehenſiones ſcripſit in anathematiſmos Cyrilli, & viciſſim hic in illum, eamque ob cauſam Theodoretus una cum Johanne Antiocheno à Patribus Synodi Epheſinæ privatus eſt Sede ſua, nec perfecte potuit reſtitui ante Synodum Calchedonenſem. *Septimo* docent, Cyrillum & Memnonem ſtetiſſe tanquam reos coram Synodo, ac petiiſſe à Patribus, Johannem Antiochenum canonice trina citatione evocari, ut capita adcuſationes, quæ in illos habebat, ederet ac coram Synodo probaret, ſed Johannem noluiſſe parere, eamque ob rem Cyrillum & Memnonem Innocentes eſſe declaratos, atque Synaxes cum illis peractas &c. *Octavo*, Johannem Antiochenum & Sodales è contra excommunicatos & dignitate Sacerdotali exutos fuiſſe. *Nono*, hæc verba, inquit Doctor Sorbonicus, habent non parum ambiguitatis, quando ſcribunt Patres Synodi ad Cœleſtinum, ut Johannes Antiocheni temeritatem longanimitate vincerent, etiamſi illam juſtiſſime legitimeque ſubiviſſet, Pietatis ſuæ judicio hoc ſe reſervaſſe, interim illos (id eſt, Johannem & ſocios) excommunicatione ſubjicientes; ſcilicet, ne quis forte ex hac formula loquendi æquivoca Papæ Monarchiam adſtruat, quaſi nimirum Johannes ampliori judicio Cœleſtini poſt judicium Synodale reſervaretur. Tum enim Patres nunquam à jure communi recedebant, uti liquet è Canonibus Synodi ſextæ Africanæ. Notum eſt quidem, in Synodo generali ſexta Conſtantinum Imperatorem Pagonatum Epiſtola ad Leonem hujus nominis Pontificem ſecundem ſcribere, rogatu Patrum ſe Macarium Epiſcopum Antiochenum, quem Monotheliſmi damnarant, Romam mittere, ac cauſam illius ampliori Leonis judicio permittere ob ſingularem hominis pervicaciam. Sed teſte Baronio Epiſtola hæc eſt adulterina. At vero tantum abeſt, ut Theodoſius Imperator Johannem Antiochenum mitti voluerit Romam, cum ſtudio Pacis inter Epiſcopos ineundæ omnia adverſus Johannem Acta antiquarit, nempe quia hic pervicax non fuit, ſed paulo poſt Fidem Patrum Epheſinorum amplexus eſt, atque in gratiam rediit cum Cyrillo. Utut ſit, dato, quod Patres Epheſini hoc judicium Cœleſtino voluerint reſervari, uti Bellarminus pro certo adſerit libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt decimum tertio, nihil aliud colligitur inde, quam Sedis Apoſtolicæ primatum quoad uſum & praxin multa habere ab Eccleſia, quæ Jure Divino ei nullo competunt modo; nunquam enim Pontifex Romanus tunc auſus fuiſſet id adſumere & ſibi reſervare, quod Synodus hæc ei ultro indulſit. Idemque eſt judicium de pluribus aliis, quæ demonſtrant, non abſolute verum eſſe, quod Nicolaus Papa in epiſtola ad Michaelem Impe-

Imperatorem ſcripſiſſe dicitur. Nulli unquam Synodo conceſſum fuiſſe aliquod privilegium Eccleſiæ Romanæ; ſiquidem id pro certo hic ſtatuitur, quod adhuc eſt controverſum, nempe Papam inſtitutum fuiſſe Monarcham Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum fuiſſe Monarcham Eccleſiæ à Chriſto, quod tamen omnes in univerſum Patres, qui primis octo Synodis generalibus interfuerunt, pernegant. *Decimo* inſuper Patres hujus Synodi narrant, Arcadium & Projectum Epiſcopos, atque Philippum Presbyterum ſuppleviſſe locum ſedis Apoſtolicæ ac præſentiam Cœleſtini exhibuiſſe. *Undecimo* invitant Cœleſtinum ad indignationem ob facinus inauditum Johannis Antiocheni adverſus Cyrillum atque Memnonem, uti & Synodum univerſam. *Duodecimo*, ipſa Synodi Acta cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum mittuntur ad Cœleſtinum, nulla mentione facta, quod Patres conſenſum, adprobationem & confirmationem ejus deſiderent, aut facultatem abeundi ab illo, uti ab Imperatoribus flagitent. Certe, ut ſupra non ſemel dictum, robur Actorum Synodalium à communione Sanctorum & conſenſu catholico dependet, atque ipſimet Legati jam pro Cœleſtino præbuerant adſenſum; ideoque Patres hic nominatim dicunt, Arcadium, Projectum & Philippum Synodo præſentiam Cœleſtini exhibuiſſe. *Decimo & tertio*, perlectis eorum Commentariis, quæ Cœleſtinus contra Pelagianos Synodice geſſerat, ut tunc moris erat, Patres adſenſu ſuo omnia comprobant & confirmant; unde patet, ejuſmodi hæreſes ſolo generali Concilio ſufficienter fuiſſe damnatas. Tandem *Decimo & quarto* petunt à Cœleſtino, ut in ſuis orationibus Patrum Epheſinorum recordetur. Patres vero Epheſini cum viderent, Imperatorem Theodoſium nihil reſpondere ad literas, quibus petierant Cyrillum atque Memnonem reſtitui in integrum, omnibuſque fieri poteſtatem diſcedendi, alias ejuſdem argumenti literas ad eundem ſcripſerunt, quas ſeptem Epiſcopi Conſtantinopolim debuerunt. Inter id temporis autem Actione ſeptima legitur expoſtulatio Epiſcoporum Cypri de Johanne Antiocheno conquerentium, quod contra canones & antiquam conſuetudinem ſibi adrogaret poteſtatem ordinandorum in Cypro Epiſcoporum, quam Quæſtionem Patres juxta Canones Nicenos & Antiochenos definierunt, quod iterum demonſtrat, Eccleſiam Canone & regimine Ariſtocratico gubernari oportere. Demum illi ſeptem Epiſcopi, qui literas Synodales ad Imperatorem Theodoſium detulerant, tandem humanitus ab illo ſunt excepti, qui Neſtorium damnavit exilio; ac memoratis ſeptem Epiſcopis injunxit, ut ſe ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam conferrent, aliumque à Neſtorio Epiſcopum crearent, ordinantes Maximianum imperatumque Epiſcopis, qui erant Epheſi, ut ad proprias quiſque redirent ſedes. Inſuper imperavit Theodoſius Johanni Antiocheno, qui pervicax non fuit, ut cum Cyrillo rediret in gratiam, eumque in finem, utriſque miſit literas per Ariſtolaum Tribunum & Notarium, omnia quæ Synodus in Johannem decreverat, volens antiquari; utrique ſimul Cyrillo & Johanni præcepit, ut ſeſe Nicomediam hujus reconciliationis ineundæ gratia conferrent, uti revera ſe contulerunt, & dehinc literas ſibi invicem amiciſſimas miſerunt. Sicut autem Acta hujus Synodi docent clariſſime, quantum Principes politici in dirigenda & conſtituenda Eccleſiæ diſciplina & Pace juris obtineant; ita etiam demonſtrant, Theodoſium juniorem fuiſſe optimum & piiſſimum Imperatorem, de cujus Virtutibus egit prolixe Socrates. Satis vero mirari non licet, Baronium & alios ſcribere, Theodoſium egiſſe cum Cœleſtino, ut quaſi ab illo facultatem convocandæ Synodi impetraret, eamque ob cauſam Binium & ſequaces audacter adſerere, eam authoritate Cœleſtini indictam, quamvis conſilio & opera Theodoſii. Idem quoque refert Andreas du Vallius libri de Papæ ſuprema poteſtate Partis quartæ Quæſtione ſecunda, uti & author præfationum hiſtoricarum in Editione Conciliorum Romana. Sed uno verbo cæci ſunt & Duces cæcorum, neque hæc adſertio illorum ullo probati authoris teſtimonio poteſt firmari; qui nimirum de illis quæ fiebant in Eccleſia primitiva, ex hodierno Curiæ Romanæ dominatu ſtatuunt à poſteriori. Verumtamen ne hodie quidem Pontifex Romanus tantam habet po-

Digitized by Google

teſtatem in Concilia, quantam jure exercuit Imperator Theodoſius. Ratio eſt, quoniam non poteſt abſolute & per vim externam cogere, quod imperat; quamvis obtendant, illum eſſe Monarcham infallibilem. Quod autem curiales Imperatorem dicunt eſſe Advocatum Eccleſiæ, qui abſque ulla cognitione cauſæ Imperia Papæ debeat exequi, meræ ſunt fabulæ. Verum in præfatione hiſtorica hujus Synodi, quando dicitur eam Cœleſtini authoritate coactam fuiſſe, ad oram citatur Actio Synodi tertia & epiſtola ad Cœleſtinum Synodica, ſed falſo, quoniam hac de re ibi ne ullum quidem legitur verbum; ut hinc etiam diſcant ſtudioſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non facile ejuſmodi authoribus fidem adhibere, & fontes, non rivulos eſſe conſulendos. *Atque hæc iterum* Doctor ille Sorbonicus, quamvis forte prolixius aliquanto ſcripſit de hujus Synodi Actis quod regimen adverſus communem Romanenſium ſententiam plurima cum obſervatione, quæ videlicet quiuis judicio qualicunque præditus ex debito ponderans non poterit non Veritati hiſtoricæ in apricum productæ locum dare ac agnoſcere, coactas & ſumme adfectatas eſſe nugas, quæcunque alii in gratiam poteſtatis Romanæ contra rerum geſtarum ſeriem ſupercilioſe fingunt ac orbi erudito obtrudunt, qui num poſthac cautiores futuri repertis frugibus cum debita gratiarum actione, an vero pertinaciter glandibus adhuc ſint uſuri, quodque ſemel imprudenter placuit, porro in eodem ſuas quæſituri delitias, docebit tempus, utut valde timendum, ne pleriſque mos antiquus videatur retinendus, ut pergant in via erroris eorum premere veſtigia, quos vident ſe habere Anteceſſores, nempe Purpuratos & illuſtri dignitate conſpicuos, malentes cum iis errare, quam cum aliis, qui minora forte obtinent ſubſellia, ad ſanam redire mentem.

Appendix.

DE Concilio ſecundo Epheſino, cujus etſi Bellarminus in Tractatione præſenti nullam fecit mentionem, uti ſupra viſum eſt, quod Sardicenſe etiam certis de cauſis omiſerit, quia tamen Launojus peculiarem ei impendit operam in quarta hujus octavæ Partis Epiſtola, placet exinde breviter quædam huc referre. Sic autem legitur ibidem Concilii ſecundi Epheſini, quod recte inchoatum, ſuccedente poſtea factione latrocinii nomen accepit, Præſidem fuiſſe Dioſcorum, Alexandriæ Epiſcopum, res quatuor ſine ulla difficultate confirmant, nimirum Imperator Theodoſius, Leo Papa primus, ipſa Concilii hujus Acta Calchedone relecta, & ſcriptores idonei complures. Et quidem Imperator ad Dioſcorum ſic ſcripſit, ut is in Synodo teneat primatum, & quæ in Synodo fiant, ſub illius ſtent judicio. Leo autem Papa poſtquam Imperatoris conſilium reſcivit, Legatos ad hanc Synodum mittere decrevit, non ad Theodoſium, decima & ſexta ad ipſam Synodum Epheſinam, decima & ſeptima iterum ad Theodoſium, decima & octava ad Pulcheriam, decima & nona ad Julianum, vigeſima & ſecunda ſub ejus & Romanæ Synodi nomine ad Conſtantinopolitanos, viceſima & quinta ſub utriuſque iterum nomine ad Theodoſium, in qua profitetur, Dioſcorum in hac Synodo Principem ſibi locum vindicaſſe, nec illud ullatenus reprehendit. Eſtque ſumma obſervatione dignum, quod Pontifex in omnibus hiſce Epiſtolis adfirmat, ſe Legatos mittere, qui ſuæ præſentiæ vicem ſuppleant in Synodo, vel eidem interſint, ſed nuſquam adfirmat, eos ſe mittere, ut præſint ſeu præſideant. Inſuper ipſa hujus Concilii Acta Calchedone relecta ſpectant eo, ut adpareat, Dioſcorum ei præfuiſſe. Præterea inſignis eſt locus in Actione tertia Synodi hujus Calchedonenſis, ubi uno in loco Dioſcorus agnoſcit, ſibi quidem, ſed non ſoli commiſſum eſſe judicium, quo exorta inter Flavianum & Eutychen controverſia dirimeretur; unde ſibi & aliis duobus, quos nominat, authoritatem Synodi datam eſſe profitetur. In ſecundo Dioſcorus Juliano, Sedis Apoſtolicæ Legatus præponitur, ſine offenſa, ſine jurgio. In tertio Judicibus & Senatui generatim

&c

& per averſionem quærentibus, cur Flaviano poſtulante Eutychis adcuſator Synodum non eſſet ingreſſus, primus omnium reſpondet Dioſcorus. In quarto etiam Concilii Præſes adpellatur, in quinto denique primatum dicitur tenere in Epheſi Metropoli. Præterea, Dioſcorum huic præfuiſſe Concilio ſcriptores poſt illud plures memoriæ prodiderunt. In hoc genere primas tenet, qui ſcripſit Breviculum Hiſtoriæ Eutychianiſtarum, teſtatus, in hac Synodo Præſides fuiſſe Dioſcorum, Juvenalem, Thalaſſium & alios. Sequuntur Proſper Aquitanus in Chronico, Evagrius, libellus ſynodicus incertæ poſt Theodorum Balſamonem ætatis, Nicephorus, Matthæus Palmerius in Chronico. Hæc autem omnia cum ita ſint, nemo omnium jure poteſt ambigere, quin Dioſcorus qer aliquod tempus huic Concilio præfuerit, & quiete & tranquille præfuiſſet uſque ad finem, niſi ſacras Eccleſiæ regulas violaſſet. Sed iſtius facti atrocitas Dioſcorum reddidit indignum quidem, qui huic Synodo præſideret, ſed efficere non potuit, ut, qui decernente Imperatore, Leone Papa conſentiente, quia nuſquam repugnante, & comprobante ſub initium ipſa Synodo præſedit, minime præſederit. Ex quo facile intelligitur, cum Imperatores Dioſcorum Concilii Præſidem deſignant, non eum deſignare, qui loco Imperatorum præſideat, ac ſi ipſi jure gaudeant præſidendi, ſed qui Imperatorum authoritate & decreto præſideat. Quidquid id eſt, Leo Pontifex deſignatum ab Imperatoribus Concilii Præſidem agnoſcit, eumque ut legitimum habet Præſidem, quando ſuos ad Concilium mittit Legatos, non, ut præſideant, ſed ut interſint. Tam clara enim ſunt Leonis verba, ut alio nequeant detorqueri, vel ſophiſtica fuligine obſcurari. Paucis Leo, non indiligens Eccleſiaſticæ Poteſtatis Vindex & Adſertor, minime queritur, Imperatorem feciſſe quidpiam quod authoritatis & juris ſui limites excederet. Præterea, Synodus Calchedonenſis Epiſtolam Imperatoris, qua Dioſcorus, Synodi Epheſinæ Præſes ſeu Judex primus conſtituitur, Actione prima jubet legi, nec eam reſpuit imo omnium tacito conſenſu probat. Ad hæc Julianus in Actione quarta Synodi hujus Calchedonenſis multa damnat in Dioſcoro, ſed quod Synodi Epheſinæ fuerit Præſes, non damnat, damnaturus ſine dubio, ſi quid Dioſcorus hac in re legibus Eccleſiaſticis contrarium adtentaſſet. Primatis abuſum reprehendit, non authoritatem, qua legitime potuit uti. Inſuper Hiſtorici plures in Dioſcoro σύνοδον Concilii ſuſcipiunt, nec eam indecoram vel uſurpatam adcuſant. Breviter veterum Authorum, quantum conſtat, nullus eſt, qui alium à Dioſcoro Præſidem Concilii notaverit, quamdiu illud legitime proceſſit. Hæc autem omnia etiamſi luce meridiana ſint clariora, à non plane nullis tamen convolvuntur & tenebris adſpergunt-ur. Nimirum, Chryſaphius Eunuchus, cubiculi apud Theodoſium Imperatorem Præfectus, qui infenſus erat Flaviano, opponitur, quod ab Imperatore literas in gratiam Dioſcori extorſerit. Opponitur item Theodoſii negligentia & facilitas obſignandi tabulas etiam contra libertatem uxoris, uti & Mors extincti propter ſcelera Chryſaphii. Ad hæc multiplicata & exaggerata à ſuis authoribus oppoſitio apud ſimplices & incautos fortaſſis poteſt valere, non item apud cordatos & eruditos. Quaſi vero, quæ ſic opponuntur hodie, ſi quid haberent veritatis ac roboris, Dioſcoro, cum fuit damnatus, oppoſita non fuiſſent? Quæ ita reprehenduntur in odium Dioſcori, Synodus Calchedonenſis non reprehendit, nec etiam Leo Pontifex, quod abunde ſufficit, qui, ſi quiſpiam alius, debebat reprehendere. Deinde quæ opponuntur, poſſunt evadere in locum communem, quo, quæ magna & præclara in gratiam Eccleſiæ vel dixit, vel fecit Theodoſius, conciderent, vel certe plurimum labefactarentur. Hoc ita demum uſu venit, dum, qui diſputat, ſeipſum potius, quam Veritatem quærit, haud cogitans, ſtudiis hiſce privatis bonum everti publicum. Opponitur quoque Liberatus in Breviarii capite duodecimo, ubi alicujus contra Dioſcorum gravaminis propter Leonis Legatos ad Concilium mentio legitur, quod nimirum paſſi non fuerint *adſidere &c.* At de eo conqueſtus non eſt Leo, cum ad Theodoſium ſcripſit, & Dioſcori tyrannidem ac violationem canonum expoſuit Epiſtola poſt viceſimam quinta, in qua Pontifex ſingula recen-

ſuit capita, quæ vanam & irritam Synodum effecerant, ſed inter ea jus præſidendi ſuis ablatum Vicariis non comparet; quin etiam vindicatum Dioſcoro locum in Synodo Principem confirmat, dum in ea ſacerdotalem requirit moderationem, & violatam Eccleſiæ ac Conciliorum libertatem adcuſat. Falleretur ergo Liberatus, ſi, quod ex eo opponitur, ad opponentium mentem intelligeretur. Sed revera ſic intelligi non debet, neque, ut intelligatur, ipſa ſeries verborum permittit. Videlicet, non ſcripſit, *præſidere*, ſed, *adſidere*. Et tamen dicendum fuiſſet, *præſidere*, ſi de tali præſeſſione poſtea fuiſſet locutus, eam intelligens, quæ in Legendis ante omnia Leonis Papæ ad Flavianum literis conſiſtebat, cui vim intulit Dioſcorus, cum permittere noluit, ut Legatis aſſidentibus dogmaticæ Leonis ad Flavianum literæ legerentur ante omnia. Denique opponitur hæc ratio, quam, ne Dioſcorus in Synodo Calchedonenſi ſederet, Lucentius, Sedis Apoſtolicæ Legatus in medium producit Actione ejus prima, ſcilicet, quia Synodum facere auſus eſt ſine arbitrio ac procuratione Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam factum eſt, nunquam fieri licuit. Atqui verba hæc Lucentii ἐποχὴν Synodi nequaquam adtinent, ſed ea tantum, quæ Leo declaravit apertius, & ipſe Lucentius explicavit, dicens, Quod nunquam factum eſt, nunquam fieri licuit. Neque in Synodis præcedentibus, quibus adfuerunt Sedis Apoſtolicæ Legati, Præſidibus adſederunt, eorumque documenta ſemper lecta ſunt, & Actis inſerta publicis, quod in ſecunda Synodo Epheſina Dioſcorus fieri non permiſit, uſus poteſtate Chryſaphii, qui defenſionem Eutychis, non quidem amore hæreſeos, ſed odio Flaviani ſuſceperat, quæ res cum veniſſet in notitiam Theodoſii, Chryſaphius abdicatus fuit & interemtus. Notanter vero dictum, *in Synodis præcedentibus, quibus adfuerunt Sedis Apoſtolicæ Legati*, uti in prima Synodo Epheſina, ubi Cyrillo præſidenti adſederunt, & quidquid in mandatis & documentis habuerunt, lectum atque in publicas Synodi tabulas fuit relatum. Hoc vero Lucentii dictum probari non poſſet è prima Synodo Conſtantinopolitana, cui Sedis Apoſtolicæ Legati interfuere nulli, nec ullæ à Papa Damaſo Eccleſiaſticæ de re definienda literæ ſunt miſſæ. Dubium eſt quoque, an illud ex Synodo Nicena poſſit demonſtrari. Nam licet Silveſtri Papæ Legati Synodo huic interfuerint cum poteſtate Actis adſentiendi, uti loquitur Theodoretus, eos tamen parata ad fidem ſanciendam Inſtrumenta ſecum detuliſſe, omnino eſt incompertum. Sic aliud eſt, quid adſerere, aliud vero, quid adſertum probare. Hinc Lucentii adſertio apud Synodum Calchedonenſem tanti non fuit ponderis, ut Dioſcoro negaretur poteſtas ſedendi, quam in tribus primis Synodi Calchedonenſis Actionibus obtinuit. Cæterum Dioſcorus Concilio huic univerſali præſedit non ſolus, ſed cum illo Juvenalis Hieroſolymorum, & Thalaſſius Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopi ſimul præſederunt, quod in literis Theodoſii Imperatoris ad Dioſcorum continetur, uti & in Leonis Magni ad Pulcheriam Imperatricem quinquageſima & prima.

Bellarminus *ibid.*

De Concilio Calchedonenſi quarto univerſali, in eo ſub initium, id eſt, Actione prima Marcianum Imperatorem interfuiſſe & primo ſediſſe loco, non tamen præſediſſe ut judicem; tum in aliis Actionibus quoque Imperatoris nomine ſeculares quoſdam Judices interfuiſſe, qui tamen non fuerint Judices controverſiarum Fidei, ſed tantum ut omnia fierent legitime, ſine vi, fraude & tumultibus. Legatos vero Papæ revera præfuiſſe ut Judices Eccleſiaſticos, *utpote qui in omnibus Concilii Actionibus primi nominentur, primi ſedeant, primi loquantur, primi ſubſcribant, ac ſententiam contra Dioſcorum proferant definitivam.*

Lau-

Launojus *T. eod. Epiſt. 6.*

HOc de negotio ſic judicat: Concilio Calchedonenſi quin Leo Pontifex Romanus præfuerit, dubitari poteſt neutiquam, qua vero ratione id contigerit, indagandum eſt paulo diligentius. Videlicet, cum Synodus Epheſina evaſit in prædatoriam, Leo Pontifex ſcripſit ad Imperatorem Theodoſium, eumque rogavit ſuppliciter, ut, quidquid in ea geſtum eſt, eo uſque ſuſpenderetur, quoad major fieret Synodus, tum ut ea Synodus haberetur intra Italiam, quod patet ex Epiſtola ejus ad Theodoſium, uti & ea, quam ſuo & Romanæ Synodi nomine dedit ad Pulcheriam, aliis etiam ad eoſdem ſcriptis. Interea dum Theodoſius moritur, Leo ſtatim ad Marcianum ejus ſucceſſorem pro Synodo indicenda ſcribit, cui Valentinianus & Marcianus reſponderunt, teſtantes, propoſitum ac deſiderium ſe habere, quatenus omni impio errore ſublato per Synodum celebrandam ipſo authore Pax maxima circa omnes Epiſcopos Fidei catholicæ fieret, uti hæc epiſtola legitur Actione prima hujus Concilii Calchedonenſis, cui aliæ adcedunt literæ, quas ibidem Marcianus dedit ad Leonem. Omnia paucis complectitur Theodorus Lector in primo collectaneorum libro, ſcribens, quod Marcianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano cunctam tribuerint authoritatem, nempe, ut fieret Concilium, cui præſideret. Quamvis autem Leo vehementer optavit, ut Concilium celebraretur in Italia, & propter publicas calamitates in tempus differretur opportunius, Imperator tamen Niceæ in Urbe Bithyniæ ſine ulla indixit mora. Hinc Leo, qui celebrato in Italia Concilio præfuiſſet, uti adparet, eidem extra Italiam celebrato per ſuos præfuit Vicarios, quos hunc in finem miſit, uti adparet ex epiſtola poſt quadrageſimam ſeptima ad Synodum non Calchedonenſem, uti falſo in vulgatis legitur codicibus, ſed Nicenam. Brevi poſt Synodus hæc Nicena certis de cauſis Calchedonem eſt tranſlata, in cujus primis Actionibus ordine & numero tribus Leonis προεδρία per Vicarios agnoſcitur. Nimirum Paſchaſius & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter præſidere Concilio cenſentur, quia nominantur primi, *non quia Leonis locum dicuntur tenere.* Nam non omnis Presbyter aut Epiſcopus, qui locum alterius Epiſcopi tenet in Synodo, præſidet vel præſidere dicendus eſt. Certe in tribus primis Actionibus Concilii hujus Quintinus Heracleæ primæ Macedoniæ Epiſcopus locum tenuit Epiſcopi Theſſalonicenſis, & tamen nemo eum huic Concilio dicet præfuiſſe. Cæterum Julianus Hypæpenſis Epiſcopus, uti Dioſcorum Synodi Epheſinæ, ſic Leonem hujus Calchedonenſis Præſidem facit Actionę tertia. Idem præſidendi munus Leoni adſcribit Actio hujus Concilii quinta, ubi exhibetur ejuſdem definitio adverſus Eutychem, eique omnium primi ſubſcribunt Leonis Vicarii. Huic adcedit Actio octava, in qua iidem Vicarii reſtitutionem proponunt Theodori. Præterea ipſe Leo ſe huic Concilio præfuiſſe duobus teſtatur in locis, quorum prior eſt in epiſtola poſt quinquageſimam tertia ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum; poſterior in Epiſtola poſt nonageſimam quarta ad Epiſcopos Galliarum. Interim à hujus Concilii προεδρία, quæ Leoni variis adſeritur modis, excipienda eſt ejuſdem Actio duodecima, cui præfuit Anatolius, non vero Leonis Vicarii, quod ipſe contextus in apertam prodit lucem. Scilicet in hoc Concilio tractabantur negotiorum genera duo. Unum, cujus gratia indictum atque habitum eſt, & hoc in caſu præfuit Leo per Vicarios; alterum, cujus gratia indictum atque habitum non eſt, quod in hac actione duodecima fuit tractatum, diſſidium nempe, quod ſub initium hujus actionis proponitur, an Baſſianus vel Stephanus ſit retinendus in Eccleſia Epheſina Epiſcopus, vel an iis remotis alius ſit ſufficiendus? Diſciplinæ hæc res erat, quam Synodus Nicena ſuis adſeruit & conſtabilivit regulis, & hujus Concilii Calchedonenſis Patres ac Sedis Apoſtolicæ Legati hanc ob cauſam Anatolio reſervandam eſſe crediderunt. Atque hinc effectum eſt, ut Anatolius huic actioni præfuerit, cum ordinandus fuit Eccleſiæ Epheſiorum Metropoli-

Politanæ Antiſtes, qui primus etiam fuit locutus, eumque exceperunt Leonis & cæterorum Occidentalium Epiſcoporum Vicarii. Et hac vel alia de cauſa Synodus Sardiana hujus Concilii Præſides ad minimum duos fecit, Leonem & Anatolium, in Epiſtola, quam ad Leonem miſit Imperatorem, quæ in tertia parte hujus Concilii exhibetur. Sardianam excipit Romana, quæ de ſcripturis authenticis & apocryphis eſt habita, cujus Decretum ſub Gelaſii nomine Juri Canonico eſt inſertum, ubi unicus tantum hujus Concilii Calchedonenſis Prælès fuiſſe dicitur Anatolius; & quia Leonis nulla fit mentio, vix licet id Decretum tribuere Gelaſio, utpote qui non potuit Leonem in præteritis relinquere, quem & Acta hujus Synodi, & ipſius Leonis Epiſtolæ luculenter faciunt Præſidem. Hic non tam mirari licet errorem, quam ejus modum, quo talis error, tunc temporis, tali loco (ſi Synodus Romana ſit Gelaſii) obrepſerit. Permulta ſunt Exemplaria tum edita, tum manuſcripta, quæ hac in re non variant. Hinc conſtat, eſſe aliquando uti Veritatem, ſic & falſitatem adeo illuſtrem, ut eam nullæ verborum rerumque præſtigiæ poſſint obruere. Ubi inprimis notandum, quod Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Synodum hanc Calchedonenſem damnare nolens reſpectum videatur habuiſſe ad Leonem ejus Præſidem. Norunt enim omnes, Anaſtaſium Imperatorem hujus Synodi Calchedonenſis hoſtem ita fuiſſe capitalem, ut eam nemo magis oderit. Sed, cum Macedonium Fide Catholicum, qui Anno Seculi poſt Chriſtum quinti nonageſimo & quinto Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ clavum cœpit tenere, ad hujus Synodi damnationem impelleret, ille abſque Synodo univerſali, cui magnæ Romæ Epiſcopus præſideret, nihil ſe dixit facturum, teſte Theodoro Lectore in ſecundo Collectaneorum libro. Sed poſt Macedonium quoque multi ſcriptores unicum Concilii Præſidem fecerunt Leonem, nominatim Vigilius in Epiſtola ad populum DEI univerſum, Facundus Hermianenſis Epiſcopus libri quinti capite quinto, Pelagius Pontifex hoc nomine ſecundus in quinta ad Epiſcopos Iſtriæ Epiſtola, Adalbertus Morinenſis Epiſcopus in Fidei profeſſione, quam ante ordinationem ſuam obtulit Hincmaro. Taraſius vero Conſtantinopolitanus, qui Anno Seculi poſt Chriſtum octavi octogeſimo claruit, Anatolium hujus Synodi Calchedonenſis Præſidem fecit hoc modo: Dum Actio prima Synodi ſeptimæ celebraretur, certa quædam de Anatolio facta eſt interlocutio, in qua Taraſius eum dixit fuiſſe ἐξάρχῳ ſanctæ Synodi. Poſt pauca autem legitur veluti Proœmium Synodi Calchedonenſis, in quo poſt Sedis Apoſtolicæ Legatos nominatur Anatolius. Ubi mirum non immerito videtur, Anatolium à Taraſio nunc primum, nunc alterum Concilii Præſidem fieri. Quidquid id eſt, recentior ætas Taraſium à ferendo contra Leonis præſidentiam teſtimonio exclusit. Photius in libro de ſeptem Synodis rem aliter exponit, & Concilii Præſides ſtatuit multos, atque Anatolium inter eos primum. Alii poſt Photium Græci ſciptores eoſdem Concilii Præſides ſtatuunt cum illo, ſed primum inter eos Leonem, nominatim Zonaras, Cedrenus, Nilus, Nicephorus, qui tacite coarguunt Taraſium & Photium, qui vel nimio erga Sedem ſuam ſunt ducti, vel in ſumma Actorum Concilii hujus ignorantia verſati.

Additio.

ANte Launojum de hujus Chalcedonenſis Præſide egit etiam Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum generalium, præmittens pauca de præſide antecedentis ſecundæ Synodi Epheſinæ, quem fuiſſe Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, ante eundem Launojum, cujus Sententia paulo ante in peculiari Adpendice fuit exhibita, liquere ſcribit ex Epiſtola Theodoſii, quæ prima Actione Synodi Chalcedonenſis legitur, quæ docet, quanta tum authoritate pollerent Imperatores in Conciliis conſtituendis, quippe qui etiam decernerent, ad quos Patriarchas munus præſidendi pertineret,

Digitized by Google

ret, quandoquidem id Dioſcoro & ſimul Juvenali Epiſcopo Hieroſolymorum adſcribitur. Quod ſi forſan hinc aliquis inferat, falſum eſſe, quod ſupra fuit obſervatum, nimirum, omnes Patriarchas pro jure ac ordine ſedium ſuarum Conciliis, ſicut Præſides, Parlamenti actionibus præſidere conſueviſſe; reſpondendum, rationem præſidendi abſente Romano primæ Sedis Epiſcopo jure ad ſecundam Sedem Conſtantinopolitanam perveniſſe. Verum tamen, quia in hac ſecunda Synodo Epheſina de firmanda aut infirmanda Flaviani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ſententia adverſus Eutychetem agebatur, ideo Flavianum partes præſidendi obire non potuiſſe conſtat, cum eſſet in cauſa propria, itaque jus hoc ad Diſcorum tertiæ Sedis Epiſcopum erat devolutum, hocque Cæſar literis ſuis pro Canonum executione declaravit. Quod autem inſuper Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, relicto Domno Epiſcopo Antiocheno, qui ſucceſſerat Johanni, una cum Dioſcoro voluit præſidere, hoc factum à Theodoſio videtur propterea, quod in prima Synodo Epheſina cum aliis partes præſidendi ſuſtinuerat, fortique animo adverſus Neſtorium & Johannem Antiochenum Domni præceſſorem decertarat, idemque eum facturum in hac etiam ſecunda Synodo Epheſina ſperabant Imperatores, neque hujus Domni Antiocheni meminerunt propter Acta Johannis ſui præceſſoris, tum etiam quia nuper ad Sedem Antiochenum fuerat adſumtus, nec ſatis calleret Diſciplinam Synodalem; quæ omnia ſpectant ad τάξιν quam Princeps politicus præſtare & vendicare debet pro Juris Divini, Naturalis & Canonum vindiciis. Procul autem dubio ante Synodum Chalcedonenſem hoc jus præſidendi juxta ordinem Sedium Patriarchalium nunquam à Papæ vicariis eſt controverſum. Unde, cum initio primæ Actionis in Synodo Chalcedonenſi paulo ante Epiſtolam Euſebii Dorylenſis ad Cæſares Lucentius Papæ Legatus urgeret, ut Dioſcorus rationem redderet primatus à ſe præſumti, & quod Synodum auſus ſit facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuerit vel factum ſit; ad hoc poſtulata Patres nihil reſponderunt vel decreverunt, eo quod adprime ſcirent, Dioſcorum congruenter ad Canones Synodo huic præſediſſe. Sic etiam Actione tertia inſtantibus Papæ Legatis, quod Dioſcorus præſumſiſſet ſibi primatum irregulariter, iidem Patres nihil ſuper ea re reſponſi dederunt. Hercle, Juuenalis & Hilarius Legati in ſecunda Synodo Epheſina Leonis non conqueſti fuerunt de præſidentia Dioſcori. Sed Lucentius in Synodo Chalcedonenſi occaſionem captavit inde, dum obſervavit, furorem hominis iſtius permultis in rebus aliis, quas vi majore tanquam prædo in ſecunda Synodo hac Epheſina geſſerat, juſtam occaſionem expoſtulandi dediſſe. Adcedit, eoſdem Leonis Vicarios æque juſtam habuiſſe cauſam conquerendi de præſidentia Juvenalis Hieroſolymitani in hac ſecunda Synodo Epheſina, atque de ipſomet Dioſcoro, quia certum eſt, Juvenalem ſupra Domnum Antiochenum ſediſſe; & nihilo tamen minus hac de re nullum emiſerunt verbum. Quocirca Lector hic obſervabit praxin indubitatam Juris præſidentiæ Sedium Patriarchalium, idque minime à voluntate Pontificis Romani dependiſſe, ſed tantum à conſuetudine, Canonibus & Edictis Imperatorum pro τάξει & Canonum vindiciis. Hæc ubi de præſide Synodi Epheſinæ poſterioris obſervavit Doctor Sorbonicus, inſertis pluribus ad convocationem Synodi Chalcedonenſis pertinentibus, quæ ſuo ſupra loco fuere adducta, de præſide ejuſdem porro ſic egit, ut ante omnia ſtatuerit, difficultatem, quæ ſuperinde oritur, explicari per Epiſtolam Synodalem ad ipſum Leonem Papam, quæ habetur Actione tertia, in qua diſcrimen obcurrit inter vocabula duo, ἡγεμονεύειν καὶ ἄρχειν, quorum illud proprium eſt Actionibus, quæ conſilio & ductu rationis, hoc autem iis, quæ authoritate & imperio cum vi externa, quando opus eſt, perficiuntur. Itaque, quanquam præeſſe, inquit, & præſidere utplurimum pro una & eadem re ſoleant uſurpari, nihilo tamen minus id hoc in loco ſignificant, ut Princeps ſecularis, cui ſoli dominium atque exercitium gladii Divinitus concreditum eſt, præſiderat Concilio, quatenus omnia rite, ordine & ſecundum Canones fiant, ac ne quid turbarum à quoquam

edatur, aut vis cuiquam inferatur, hocque ad externæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ regimen & conſtitutionem ſpectat; Epiſcopus autem Romanus cum cæteris Patriarchis præſint actionibus Concilii per actus hierarchicos, quoniam Fides & communio Sanctorum docendo atque ſuadendo conciliatur & libere ſancitur. Profecto ex omnibus Synodi hujus Chalcedonenſis actionibus liquet, Marcianum Cæſarem conſtituiſſe Senatum & Judices, qui Synodo ad τὰ πολιτικὰ præſideret, atque auditis & ſubductis Patrum ſuffragiis hac aut illa ratione Canonem condi oportere pronuntiarent, omnemque occaſionem altercandi aut tempus in ſuperfluis conterendi Patribus auferrent; quæ omnia verſantur in Quæſtione facti, nam ſoli Eccleſiaſtici Quæſtionem Juris tractant & decidunt. Verum ex occaſione rerum à Dioſcoro conturbatarum Legati Pontificis ordinem ſedendi & ſubſcribendi ſecus, ac in utraque Synodo Epheſina, obtinuerunt. Cum enim omnes Patriarchæ excepto Antiocheno eſſent in cauſa, jus præſidendi eidem competebat ſecundum Regulam ordinis Sedium Patriarchalium. Nam Dioſcorus abſolverat Eutychetem, & Flavianum condemnaverat, huicque ſententiæ Hieroſolymitanus etiam ſubſcripſerat in ſecunda Synodo Epheſina, cui Maximus non interfuerat, quia illo tempore nondum fuit Epiſcopus Antiochenus. Porro, Anatolius, cum eſſet Succeſſor Flaviani, & de Synodo Conſtantinopolitana provinciali, quam Flavianus contra Eutychetem habuerat, ageretur, non poterat jure principem locum præſidendi obtinere. Veroſimile eſt etiam, Anatolium, ut Leonem ejuſque Legatos haberet ſibi faventes magis in iis, quæ pro primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ meditabatur, ſponte ceſſiſſe juri præſidendi; & propterea Maximum quoque Antiochenum de eo noluiſſe cum Legatis Romanæ Sedis contendere. Cæterum Author præfationem Hiſtoricarum Editionis Romanæ comminiſcitur, Legatos Romani Pontificis rogaſſe Marcianum Imperatorem, ut Synodo velit intereſſe ad ſedandos Eutychianorum tumultus, atque ſic Legatos Sedis Romanæ in ea, non vero Marcianum Imperatorem præſediſſe. *Fabulæ!* Nam tantum juris habuit Imperator Marcianus, ut intereſſet Synodo Chalcedonenſi, quantum habuit olim Conſtantinus M. in Nicena, & dehinc Conſtantinus nomine Pogonatus in ſexta. Præterea, cum exploratum haberet Marcianus: turbas in ſecunda Synodo Epheſina editas, id ex officio tenebatur impedire; quæque dicit Author præfationum, nulla ratione aut teſtimonio fulciuntur, imo Actis clariſſime repugnant, quæ docent & Leonem Papam per Legatos, & Imperatorem per Judices partim, partim per ſeipſum præſediſſe Synodo tanquam DEI Miniſtrum & Vicarium ac Legis Divinæ, Naturalis & Canonicæ vindicem in rebus temporalibus, quique debebat cavere, ne quid turbarum aut diſcordiæ naſceretur in conventibus Eccleſiaſticis, quia ſponſor eſt ordinis publici & Pacis. His ita in genere præmiſſis Doctor Sorbonicus ſingulas Synodi actiones percurrit, è cujus prolixis obſervationibus ea tantum huc excerpentur, quæ proprie ad præſens Inſtitutum pertinent, & contra communes Sedis Romanæ errores poſſunt inſervire. Notat autem, ſedecim numero Actiones Synodi hujus fuiſſe totidem dierum decurſu confectas, ita ut unicuique Actioni unicus tantum dies, nec amplius, ſicut in ſequentibus etiam quatuor Conciliis univerſalibus, imponderetur; quod factum eſt, inquit, quamdiu Principes politici eorum geſſerunt curam, eiſque præſederunt. Tum enim pauciſſimæ erant ceremoniæ, atque exiguus quoad externa adparatus, ſed multum virtutis atque effectus; adeo, ut ipſimet Epiſcopi abſque ulla æmulatione aut gloriæ mundanæ deſiderio magis de obediendo Principi politico, quam de eidem leges præſcribendo eſſent ſolliciti, ex quo tum permaximus in totam Rempublicam Chriſtianam redundabat fructus. Et Actione quidem prima res geſtæ in Synodo Provinciali Conſtantinopolitana recognoſcuntur, & poſtquam Lucentius Sedis Romanæ Legatus ob nimiam oris licentiam ad ſilentium fuit redactus, Euſebius Dorylenſis Epiſcopus adcuſandi partes ſuſcepit, aitque Flavianum à Dioſcoro occiſum, ſeque etiam male mulctatum, petens, ut capita querimoniæ ad Imperatorem delatæ

præle-

prælegantur. Ex hac autem Epiſtola & Libello ſupplice colligitur, licitum Eccleſiaſticis fuiſſe, adverſus alios Eccleſiaſticos authoritate laica ſe munire, ſi quando illi aliquid patraverant contra Canones, ac rogare Magiſtratum aut Principem politicum, ut cauſam curet ab Eccleſiaſticis recognoſci, vel ipſimet ſaluti adflictorum, uti æquum eſt, provideat. Neque id repugnat Canonibus, dum Patres etiam Milevitani Canone poſt decimum nono edixerunt, ſi Clerici judicium Epiſcopale poſtulârint ab Imperatore, ne id eis obſit. Hercle, ſi hoc tempore Eccleſiaſtici ſuas Synodus liberas celebrarent, nec odiis & opinionibus Curiæ Romanæ anticipatis plerumque contra boni Paſtoris munus eæ haberentur, Principum politicorum tribunalia tam crebis adpellationibus ab abuſu non ita adverſus oppreſſiones Eccleſiaſticorum perſtrepèrent. In eadem Actione prima dum de Theodoreti admiſſione & Dioſcori ejectione multis clamoribus actum fuit, inter alias audita vox eſt Epiſcoporum ex Ægypto : Synodus Epiſcoporum eſt, non clericorum : de qua id obſervavit Doctor Sorbonicus, quod Patres Synodi & Judices à Marciano conſtituti nihil plane ſanciverint. Addit, quanquam Synodus generalis proprie, & primario ſit Epiſcoporum, hoc tamen non obſtat, quominus Presbyteri non item obtineant locum poſt Epiſcopos in Synodis ; quia ſicut oculus non eſt totum corpus, ita nec Epiſcopi ſoli efficiunt Hierarchiam. Quamobrem nullæ Synodi generales primis novem Seculis extiterunt, in quibus non aliqui etiam adſeſſores fuerint Presbyteri. Profecto ex ſexcentis & triginta Patribus, qui huic Synodo perhibentur ſuffragati, permultos fuiſſe Sacerdotes certum eſt, quando ex Actis Epiſcopos vix trecentos definitioni ſubſcripſiſſe colligimus. Equidem ſubſcribente Epiſcopo ipſos quoque Presbyteros Acta etiam ſimul implicite & interpretative cum Epiſcopo ſubſcribere, tam probabile eſt, quam Conſiliarios Parlamenti cum ipſo Præſide & cauſarum cognitore Senatus conſultum obſignare. Unde patet, Vallium imperite & ſophiſtice hunc clamorem Ægypticorum obtendere, quaſi nempe Presbyteri nullum penitus habeant jus ſuffragii in Synodis generalibus. Verum iſti clamores, contentiones & æmulationes Patrum certiſſimo ſunt judicio, quam neceſſaria fuerit authoritas Senatus à Marciano Patribus data ad [illegible] & libertatem dicendi unicuique ſervandam. Cæterum valde eſt notabile, quod Judices petierunt à Patribus, num Flavianus in ſententia adverſus Eutychetem orthodoxe definierit, an vero erraverit, & non tantum Paſchaſinus Sedis Romanæ Vicarius dixit, Expoſitionem Fidei ab eo factam concordare cum Epiſtola Leonis Papæ, ſed & omnes cæteri Patres idem reſponderunt. Atque ſic habetur, Flavianum omnium primum in Synodo Provinciali Conſtantinopolitana hæreſin Eutychianam debellaſſe ; procul enim dubio Leo poſt Eutychetem à Flaviano damnatum in Epiſtola ad Theodoſium ſeptima ſcripſit, nihil ſibi adhuc plane de cauſa Eutychetis damnati conſtare. Idque notandum adprime videtur contra eorum adulationes, qui ſolum Papam eſſe infallibilem, & Leonem ita Eutychetem damnaſſe prædicant, ut Patres Synodi hujus Chalcedonenſis ſententiam ejus duntaxat amplexi ſint, nihilque de ſuo contulerint. Actione ſecunda id obſervandum monet Doctor Sorbonicus, quod nomen Patriarchæ à Judicibus ſit uſurpatum, quod videtur, inquit, de ſingulis Metropolitanis intelligendum eſſe. Hinc autem colligitur, ita ſubſumit, quanta prudentia Judices ab Imperatoribus conſtituti ſint uſi, ut communionem Sanctorum & Catholicum Eccleſiarum conſenſum inirent ac ſtabilirent ; quod imitandum proponi debet Eccleſiaſticis, & Curiæ præſertim Romanæ, quæ ſibi poteſtatem abſolutam omnia decernendi adſumit. Ad tertiam Actionem notat, Legatos Sedis Romanæ in ea abſentibus Marciani Judicibus multa elate ac ampulloſe locutos eſſe, & ſua ſic concepiſſe verba, quaſi viderentur efficere velle, Patres in Synodo duntaxat eſſe ſententiæ Leonis executores, dicendo Leonem per præſentem ſanctam Synodum decernere, quaſi Leo Papa damnaret Dioſcorum per Synodum velut per Inſtrumentum, uti Rex ſolet per Judices damnare reos ; cum ipſa Synodus ſit totum, & Leo cum legatis habeat rationem partis. Certe, Legati Sedis

Romanæ in hac Synodo egregie inſtructi & informati fuerant ad poteſtatem Leonis ampliandam, ſicut ex lectione actorum patet, vixque alii reperiuntur Legati, qui tam ampulloſe in Synodis ſint locuti. Porro, dum major pars Epiſcoporum dixit, ſe cum Leone & Anatolio ſentire, non tam illorum amplectitur ſententiam, quam declarat, eam canonibus ac orthodoxæ Fidei congruere, ac dignam eſſe, ut ad eam communio Sanctorum adcedat. Ratio eſt, quia Dominus Eccleſiæ collectim ſumtæ facultatem decernendi largitus eſt, voluitque omnia communi & catholico conſenſu, non imperio unius decerni omnem Monarchiam atque ſingularitatem excludens. Unde pronum eſt videre, definitionem Synodi robur & authoritatem conciliari Decretis Papæ. Quare ſupra fuit obſervatum, antiquis in more poſitum fuiſſe, ut hominum ſingulorum motus & inſtituta Sanctorum communione examinarent & probarent, ita ut minor communio Sanctorum ampliore auctoraretur & confirmaretur, in eumque finem à Chriſto & Patribus Eccleſiæ primitivæ uſum Synodorum eſſe inſtitutum atque ad nos tranſmiſſum, Paulo inprimis notanter ſcribente, Spiritum Prophetarum Prophetis eſſe ſubjectum. His adcedit authoritas ipſius Papæ Leonis in epiſtola poſt ſexageſimam prima & tertia, utut utrobique plus quam alibi Sedis Apoſtolicæ judicium & poteſtatem extulerit; ut hinc etiam intelligant adverſarii, ſi ſtrictiſſime ſtandum ſit omnibus, quæ Pontifices Romani, & maxime Leo hic, in propria effuderunt cauſa, nihilo tamen minus liquere ejuſdem Leonis teſtimonio, ſententiam ſedis Apoſtolicæ robur & authoritatem habere irretractabilem à communione Sanctorum Concilii univerſalis. Quæ procul dubio nequaquam conſentiunt dogmatibus Bellarmini, libri de Conciliorum authoritate ſecundi capite ſecundo ſtatuentis, quæcunque fiunt in Synodis, à judicio Papæ infallibili manare, facta ad Synodum hanc provocatione; libri itidem de Pontifice Romano primi capite decimo ſcribentis, conſenſu totius Eccleſiæ Patrum Græcorum & Latinorum hanc Synodum adpellaſſe Petrum Eccleſiæ Catholicæ petram & crepidinem, quæ profecto cum cæteris quæ in utroque loco habet, contra omnem Veritatis ſenſum ſola Monarchiæ abſolutæ confidentia venditat Bellarminus. *Primo* enim quod refert de inſtructione Legatorum Sedis Apoſtolicæ, conſtat ex Eccleſiæ praxi, ejuſmodi inſtructionem non à motu privato aut monarchico Papæ conſilio, ſed à Synodo patriarchali & particulari Eccleſiæ Romanæ peti conſueviſſe, quod pariter factum in cauſa Eutychetis eſt certiſſimum. Quamprimum namque Flavianus à Dioſcoro fuit exauthoratus, Leo Romæ Synodum indixit, quæque ibi fuerunt decreta, Sedis Apoſtolicæ Legatis documento erant in Synodo hac Calchedonenſi. Ideo etiam Leonis Epiſtolæ ad Theodoſium, Pulcheriam & Clerum Conſtantinopolitani hoc nobilitantur exordio, Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, quæ in Urbe Roma convenit &c. Legantur ejus epiſtolæ poſt viceſimam ſecunda & tertia, quinta item, ſexta & octava, & hoc ulterius patebit. Inſuper ex praxi tum uſitata habetur veroſimile, Leonem collegiſſe ſententiam Eccleſiarum ſuo Patriarchatui ſubditarum, & præſertim in Gallia, cum ex continuatore Chronici Euſebiani ſit exploratum, Leonem in epiſtolis ſcribendis opera Proſperi Aquitanici uſum, quod Baronius non negat. *Secundo* nequaquam verum eſt, quod contendit porro Bellarminus, Pontificem Legatos mittere ſolitum ea cum conditione, ut, ſi Concilium judicio ſedis Apoſtolicæ conſentiat, formetur Decretum; ſin minus, ejus formatio differatur, quoad Pontifex Romanus ſuperinde conſultus reſpondeat. Hæc enim minime temporum Leonis M. ſed hodiernorum praxis eſt, quando homines ſedi Romanæ obnoxii contra Scripturæ authoritatem aliis volunt perſuadere, ſolum Papam gratia infallibilitatis eſſe præditum, quaſi Spiritus ſanctus non aliter Eccleſiæ, quam per Papam adſtaret, atque in Papæ *manu* eſſet, emittere, ſuſpendere, aut omnino Divinos adflatus interdicere. Dominus certe non uni cuipiam homini ſingulari, vel etiam Urbi, loco, Sedi aut Cathedræ Epiſcopali, ſed tantummodo congregationi in nomine ſuo factæ auxilium & præſentiam legitur pollicitus. *Tertio* Bellarminus impingit in legem Corneliam, ſicque non de-

defendit, ſed prodit cauſam, quam ſuſcepit defendendam. Conferantur verba Decreti Actionis tertiæ adverſus Dioſcorum, prout ea adducit Bellarminus, & prout ea leguntur apud Evagrium & in editione Conciliorum Romana, uti & Surii & Binii, & crimen falſi patebit. *Quarto*, quod idem Bellarminus narrat, Leonem ibi vocatum caput Eccleſiæ univerſalis, proprium ejus eſt commentum. Hercle, in exordio Actionis primæ Paſchaſius Leonem vocat Papam Urbis Romæ, quæ caput ſit omnium Eccleſiarum. Præterea in omnibus pene cæteris Actionibus Legati paſſim eum vocant univerſalem aut Eccleſiæ univerſalis Epiſcopum. Item aliquot privati Sacerdotes & Diaconi Eccleſiæ Alexandrinæ in Actione tertia eundem vocant Archiepiſcopum & Patriarcham univerſalem. At Patres Synodice aliquid ſtatuentes aut deliberantes hac uſos adpellatione nunquam legitur. Quocirca hic meminiſſe debebat Bellarminus diſtinctionis, quam alias uſurpavit, ſcilicet diſcrimen poni debere inter ea quæ hiſtoricè narrantur aut perleguntur, & quæ Synodice decernuntur in Conciliis. *Quinto*, non Synodus Petrum adpellat petram, crepidinem & fundamentum Eccleſiæ, uti Bellarminus fingit, ſed Leonis duntaxat Legati id faciunt, qui nimirum omni contentione animi adhibita ſæpe nimium quantum ampulloſe ſunt locuti, quod acta confirmant. *Sexto*, formula hæc, quæ eſt rectæ fidei fundamentum, per excellentiam præciſe & dogmatice loquendo capi debet de Chriſto, ut ſenſus ſit, Chriſtum, qui promiſit, ſe ea ratâ & grata habiturum in cœlo, quæ ligantur vel ſolvuntur canonice in terris, Dioſcori damnationem tanquam canonibus conſentientem plane ratam & gratam in cœlo habiturum. Fruſtra enim profecto laborat Bellarminus, ut illam uni & ſoli addicat Petro, quaſi proprie & per excellentiam Petrus rectæ fidei fundamentum poſſit adpellari, cum tantummodo per Metaphoram, analogiam & ſymbolice adpelletur Petra; caput, fundamentum aut crepido Eccleſiæ. Verum ex Metaphoris & ſenſu allegorico nunquam firmum adſtruitur argumentum, ſi Vallio ipſi credamus libri de Papæ ſuprema poteſtate partis tertiæ quæſtione decima. At clauſula hæc, ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, pronomine emphatico (ille) munita convincit, de Chriſto per excellentiam oportere capi. Et, ſi excipiat quis, in editione Romana id non reperiri, urgendum eſt, plus fidei antiquioribus ineſſe editionibus, quam nuperis è Bibliotheca Vaticana ad abſolutam Monarchiam armandam depromtis & concinnatis, quandoquidem poſt Arcanum libros expurgandi à Jeſuitis excogitatum ne quidem Scriptura ſancta eſſe poteſt inviolabilis. *Septimo* tandem, quod ait Bellarminus, Dioſcorum à Leone damnatum ſancta Synodo conſentiente, de ſuo adglutinat, quia declarant Synodi geſta, Patres ſingillatim dixiſſe ſententiam ſuper abdicatione Dioſcori; certumque eſt, hanc viam procedendi, nimirum, ut Pontifices de rebus Synodo tantum conſentiente ſtatuant, ſeculo demum Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi fuit adinventum, quo quidem Ariſtocraticum Eccleſiæ regimen funditus concidit. His autem adcurate ſubductis liquet, contra omnem Actorum fidem objici à recentioribus, Dioſcorum non damnatum à Synodo Calchedonenſi propter fidem, ſed duntaxat, quia Leonem excommunicaſſet, ac ſecundæ Synodo Epheſinæ præfuiſſet. Fatendum eſt quidem, Anatolium in actione quinta narrare, Dioſcorum non propter fidem eſſe damnatum, ſed quia excommunicationem fecerit Leoni, & tertia vice citatus non venerit. Verum, plura ſunt capita hujus exauthorationis, uti perſonant acta. Num enim, quæſo, Dioſcorus Eutychetem abſolvere, uti revera eum abſolvit, & Flavianum orthodoxe docentem damnare potuit, quia ſe maximo errore adverſus fidem indueret? Quo igitur modo verum eſſe poteſt, Dioſcorum propter fidem non fuiſſe damnatum? permulta certe ſunt in Actis, quæ maximo debent examinari judicio. Adde Præterea, vocem unius Anatolii nullam eſſe hac in parte, quem veroſimile eſt voluiſſe Leoni M. gratificari, ſi hæc, uti concepta ſunt in Actis, pronuntiavit. Eſtque ſupra dictum, Patres Synodi nihil pronuntiaſſe ad poſtulationem Legatorum ſedis Apoſtolicæ, cum propterea Dioſcorum adcuſarent, quod primatum

ti capite primo unius ſincere & vere Exemplum hoc Theodoreti uſurpaſſe, ut probaret, illum adpellaſſe ad Leonem tanquam infallibili præditum judicio. Præterquam enim quod factum Theodoreti non pertinet ad Adpellationem ſed ad perfugium, uti in explicatione analytica Epiſtolæ Patrum Africanorum ſupra dictum eſt; adcedit, Theodoretum non unius Leonis, ſed communionis Sanctorum & Cathedræ Apoſtolicæ judicium flagitaſſe conformiter ad Diſciplinam illo tempore frequentatam Cathedræ enim judicium non à privato motu Papæ, ſed à judicio Synodali proficiſcitur. Unde etiam ſcripſit Theodoretus, ſe non tam ſollicitum eſſe de honore Epiſcopali, quam de ſcandalo evitando; ne videlicet multi è ſimplicioribus, qui de Doctrina ejus judicare non poterant, adtendentes Dioſcori ſententiam, eum haberent pro hæretico, quæ opinio non poterat abſtergi, niſi Judicio Synodali. Quanquam igitur literis Imperatorum reſtitutus fuiſſet in Sedem ſuam, ſemper tamen Synodale judicium quæſivit, illudque demum conſecutus eſt in Synodo hac. Porro, in Actione ejus duodecima, qua de electione Epiſcopi Epheſini fuit actum, Anatolius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Sedis & ſuffragii habuit prærogativam ante Legatos Papæ, quoniam Epheſus juxta Canonem tertium Synodi univerſalis Conſtantinopolitanæ ei tanquam Patriarchæ ſuberat, ideoque ad illum ordinatio Epiſcopi Epheſini ſpectabat. Hocque eſt teſtimonio, bonos Patres illos non agnoviſſe Leonem tanquam totius orbis Epiſcopum & Eccleſiæ Monarcham, ut hodierni garriunt adulatores; & falſiſſimum eſſe, quod Binius adſerit poſt Baronium, nempe, Canonem hunc tertium Synodi Conſtantinopolitanæ, qui in Synodo hac Chalcedonenſi fuit confirmatus, trecentis aut circiter Annis poſt Leonem ex adſenſu & placito Pontificum Romanorum abiiſſe in rem judicatam; quod Acta hujus Synodi & nominatim Actio hæc duodecima falſitatis arguit. Cæteris Actionibus prætermiſſis, poſtquam Doctor Sorbonicus epiſtolam Synodalem ad Leonem cum certis quibuſdam obſervationibus adduxit, meminit etiam Epiſtolarum Leonis ad Anatolium, Marcianum, Pulcheriam & omnes Epiſcopos in Synodo hac congregatos, ejuſdem prorſus argumenti, quibus declaravit, ſe quidem ea probare, quæ decreta eſſent in cauſa fidei, nequaquam vero, quæ Canones convellerent Nicenos, atque authoritati Sedis Alexandrinæ & Antiochenæ derogarent, negans, Eccleſiam Conſtantinopolitanam potuiſſe erigi in Sedem Apoſtolicam. Et ubi ex epiſtola poſt quinquageſimam quarta & quinta ad Marcianum & Pulcheriam aliquo excerpſit, cum Surii & Binii gloſſemate marginali authoritatem Pontificis Romani deſignante, de ſuo adjecit, nullum ex prædeceſſoribus tantum ſibi authoritatis adſumſiſſe, quantum hic Leo, cujus argumenta adverſus laudatum Canonem ſic expendit. *Primo*, inquit, quod Leo Canonem hujus Synodi viceſimum & octavum tanquam Canonibus Nicenis repugnantem repudiat, nec aliam validiorem adfert rationem, clariſſime evincit, illum, quamvis nihil remiſſi de ſua ſuper Eccleſiam univerſalem poteſtate cogitaret, nihilo tamen minus longe differentem habuiſſe ſententiam ab hodiernis Monarchiæ commentis, quippe qui ſibi tantummodo diſpenſationem Canonum Nicenorum adtribuerit. Secundo autem, quod urget privilegia Eccleſiarum Canonibus Nicenis fixa convelli non poſſe vel mutari, pro certo adſumit, quod poſitum fuit in controverſia. Cum enim diſtributio orbis Chriſtiani in tot certas Sedes Metropolitanas & Patriarchales juris ſit mere poſitivi, certo certius eſt, ejuſmodi Sedes pro Eccleſiæ bono mutari, ampliari & reſtringi poſſe, cujus rei vel ipſe Bellarminus index eſt libri de Conciliorum authoritate ſecundi capite octavo, id tamen cenſens, hanc mutationem ſine juſta ratione factam eſſe, quo ſeipſum & alios vehementer ludificavit. Repugnat id enim veritati, & cauſa ejus rei faciendæ declaratur in epiſtola Synodali ad Leonem, qua memoratur id factum ob confuſiones & turbas, quæ Epiſcopis Aſiæ & Thraciæ jam mortuis naſcebantur, cum ibi nullus eſſet ſatis propinquus Metropolita, qui Epiſcopos Provinciæ congregare t ad legendos Epiſcopos juxta Canonem Nicenum quartum & ſextum. Hinc epiſtolam iis obſignant verbis, quibus ſigni-

Digitized by Google

ſignificant Leoni, quæcunque definierint, ea eſſe definita ad interemtionem confuſionis, confirmationem vero ordinationis Eccleſiaſticæ. Annon vero hæc ſatis juſta & neceſſaria videri debuit cauſa novæ Sedis Patriarchalis conſtituendæ? Ut non dicatur de ſupercilio Occidentalium, quo nimium quantum gravabantur Orientales, uti teſtes ſunt Epiſtolæ Baſilii. Certe, cum Patres Synodi hujus hac Epiſtola ipſum Leonem adpellent teſtem confuſionem, quibus mederi voluerunt, ipſe autem nihil reſpondeat in Epiſtolis ad hanc difficultatem, argumento eſt certiſſimo, non abſque juſta cauſa novum hunc Patriarchatum fuiſſe erectum. Quod vero Bellarminus narrat, Damaſum Papam Canoni tertio Synodi Conſtantinopolitanæ obſtitiſſe, id nullibi apud Baronium obcurrit. Et quanquam ſic eſſet, parvi penſeretur momenti: quoniam decreta Synodorum generalium non ab uno & ſolo Papa, tanquam infallibili & abſoluto Monarcha, ſed à conſenſu Cathol co & communioni ſanctorum vim ſuam ſortiuntur. Præterea, quamvis Leo hunc Canonem adprobare detrectaverit, non deſiit tamen venire in rem judicatam; neque hic quæritur, quid Leo aut alii fecerint, ſed quid facere debuerint juxta Regimen Eccleſiæ juſtum, quod eſt ac eſſe debet Ariſtocraticum, ac obſervatio hujus Canonis pependit præcipue ab Epiſcopis Aſiæ & Thraciæ propinquis, non autem à Leone remotiſſimo. Atque ſic, quod idem Bellarminus ex ejuſdem Leonis ad Anatolium Epiſtola cauſatur, ſeriem Annorum negaſſe huic decreto effectum, in cauſa Leonis propria non debet æſtimari, ſed potius Actorum veritate, ex qua patet, executionem ejus factam eſſe in Aſia & Thracia, quæ ſponte ſe Patriarchatui Conſtantinopolitanæ ſubjiciebant. *Tertio*, cum authoritas Apoſtolica non abſoluta & deſpotica, ſed pure Miniſterialis & Regimini Ariſtocratico ſit ſubdita, fruſtra Leo in Epiſtola ad Pulcheriam ſcripſit, ſe per authoritatem Petri definitione generali Canonem viceſimum & octavum Synodi Chalcedonenſis caſſare. Quaſi vero Papa ſecluſo univerſalis Eccleſiæ conſenſu aliquid deſpotice poſſet ſtatuere vel retractare! An enim, quæſo, decreta Synodi Baſileenſis & pragmaticæ Gallorum Sanctio olim minus fuit obſervata in Regno Galliæ, ideo, quod Eugenius Pontifex hoc nomine quartus & Succeſſores ejus eam minus gratam vel ratam haberent & repudiarent? His adcedit, Leonem hoc tentaſſe, cum ſperaret, Pulcheriam à Marciano impetraturam, ut Canonem hunc Chalcedonenſem abrogaret, quod factum minime. *Quarto*, locus Epiſtolæ Leonis ad Anatolium, quo eum executorem ſuorum placitorum conatur efficere, neque capi debet ad propoſitum Leonis ſuam juriſdictionem ſuper alios Collegas adſtruere nitentis, neque etiam ad mentem Bellarmini, ſed juxta poteſtatem primatus Petro collati miniſterialem, ita ut Papa de omnibus Eccleſiis debeat capere ſollicitudinem, quo Jus Divinum, Naturale & Canonicum mandetur executioni, quæ executio omnes Patriarchas & Epiſcopos proportionatim & reſpective adtinet. Itaque juxta generales Ariſtocratici regiminis ſicut Papa omnes Epiſcopos officii ſui poteſt commonefacere, ita & viciſſim alii Epiſcopi Pontificem ad ea, quæ ſui ſunt Muneris exequenda poſſunt excitare. Porro, hic ſeſe opportunus obfert locus ad confutationem Fabulæ, quam Cardinalis Turrecremata primus omnium eſt commentus. Ut enim efficeret, Papam non habere certam & definitam Parociam, ſed univerſam habere Chriſtianitatem pro Diœceſi, eum Apoſtolatui Petriano fabulatur ſucceſſiſſe. Quod autem, ſi verum eſſet, Leo non ignoraſſet, aut ſilentio hic involviſſet; quippe, qui in amplificanda authoritate ſua, ſi quis unquam alius, omnium maxime fuerat induſtris, & iſta Succeſſio ad Canonem hunc Synodi Chalcedonenſis oppugnandum adprime conduxiſſet, qui tamen Anatolio nihil aliud præter Canones Nicenos oppoſuit. Cæterum, Baronius, cum videret, rationes ex Epiſtolis Papæ Leonis depromtas exigui ponderis eſſe, alias plures, undecunque poſuit, conſarcinavit. At primo quidem cauſatur, Gregorium M. libri ſexti Epiſtola poſt centeſimam & viceſimam quinta ad Eulogium Alexandrinum ſcribere, Eccleſiam Romanam hos Canones vel geſtæ Synodi Conſtantinopolitanæ hactenus non acce-

piſſe,

piſſe, ſed in hoc ſolummodo eam accepiſſe, quod per eam contra Macedonium fuerat definitum; hincque infert, Eccleſiam Romanam tertium quoque Canonem de prærogativa Sedis Conſtantinopolitanæ non admiſiſſe. His & adjungi poteſt, eundem Gregorium libri ſeptimi Epiſtola poſt ſexageſimam tertia ad Johannem Syracuſanum ſcribere, Eccleſiam Conſtantinopolitanam Sedi Apoſtolicæ ſubjectam eſſe. Secundo, Gelaſium Pontificem Epiſtola poſt decimam tertia ad Epiſcopos Dardaniæ contendere, Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum eſſe ſubditum Metropoli Heracleenſi. Tertio, eundem Gelaſium in hac Epiſtola ridere, quod Acacius Regiæ Civitatis Epiſcopus fuiſſe diceretur. Numquid, ait, apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium & Treviros multis temporibus conſtitit Imperator? Numquid harum urbium Sacerdotes ultra menſuram ſibimet antiquitus deputatam ſuis dignitatibus quidquam uſurparunt? Alia namque eſt poteſtas Regni ſecularis, alia dignitatum Eccleſiaſticarum diſtributio &c. Quarta, eundem porro Gelaſium perhibere ibidem, Marcianum Civitatis Conſtantinopolitanæ Principem, poſtquam interceſſor extitit pro Anatolio, nec à Leone aliquid contra Regulas potuit obtinere, tandem ſummis laudibus Leonem fuiſſe proſecutum, quod Canones violari nulla ratione fuerit perpeſſus; atque Anatolium Canonis in gratiam Sedis Conſtantinopolitanæ facti clero adſcripſiſſe Conſtantinopolitano, ſeque hac via apud Leonem excuſaſſe. Idem Baronius perhibet alibi, Marcianum feciſſe Edictum ſuper ea re, ut Anatolii ambitionem reprimeret; & Anatolium rugitu Magni Leonis perterrefactum paruiſſe tandem, quod ex Epiſtola Leonis poſt ſexageſimam prima firmare nititur. Quinto, non eſſe veroſimile, Timotheum Epiſcopum Alexandrinum, in cujus præjudicium Canon tertius Conſtantinopolitanus erat factus; æquo pati voluiſſe animo, ſibi Conſtantinopolitanum præferri, & aliquas tolli Provincias, ut Epiſcopo addicerentur Conſtantinopolitano. Cum vero nullum extat monumentum proteſtationis Timothei, id convincere, Canonem illum eſſe obreptitium. Sexto, in Synodo Conſtantinopolitana nullus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ adſcriptos fuiſſe terminos, ſed demum in Synodo Chalcedonenſi, eamque ob cauſam Legatos Pontificis in hac interrogaſſe, num Epiſcopus Conſtantinopolitanus à tempore Synodi univerſalis ibidem celebratæ uſus eſſet hoc privilegio; & ſi uſus eſſet, nihil eum habere cauſæ petendi, ut novus Canon de illa re conderetur. Ex quo infertur, Canonem Conſtantinopolitanum omnino eſſe adulterinum, ac eam ob rem Patres Conſtantinopolitanos in Epiſtola ad Damaſum Synodali nullam facere mentionem Canonis de prærogativa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conceſſa. Canones Nicenos violari hoc Canone Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi, quoniam termini Sedium primarum ibidem conſtituti convellantur, quod ipſum Leonis fuit argumentum. Octavo, Theophilum Alexandrinum jus ſibi vindicaſſe in electione Epiſcopi Conſtantinopolitani, idque teſtimonio eſſe, Eccleſiam Alexandrinam poſt Romanam in Oriente primum obtinuiſſe locum, atque ſic Canonem Conſtantinopolitanum tempore Theophili non veniſſe in rem judicatam. Nono, Siſinnium Epiſcopum Conſtantinopolitanum cum vacaret Sedes Cyzicena, eidem præfeciſſe Proclum, Presbyterum Conſtantinopolitanum, ſed Cyzicenos alium elegiſſe, Dalmatium quendam Monachum, neglecta Lege illa, quæ jubet, ne quis Epiſcopus deſignetur abſque ſententia & authoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani; quam Legem Cyziceni dicebant in gratiam unius Attici factam, neque ſe ultra extendere. Unde infertur, Sedem Conſtantinopolitanam ne quidem in Helleſponto habitam fuiſſe pro Metropoli, multoque minus potuiſſe Sedem conſtituere Patriarchalem. Decimo, Anatolium, dum à Leone in Epiſtola poſt quinquageſimam prima & ſecunda argueretur ambitionis, eum ſe non authoritate hujus Canonis armaſſe, idque oſtendere, eum eſſe ſuppoſititium. Undecimo tandem, hunc Canonem Synodi Chalcedonenſis duo manifeſtiſſima continere mendacia, unum, quod docet, Romani Pontificis primatum à Canonibus Nicenis ortum ducere, quaſi ante Synodum

Nicenam Pontifex caruiſſet primatu; alterum, quod adſerat, primatum Eccleſiæ Romanæ conceſſum ideo, quod Roma ſedes eſſet imperii. Hæc etiam à Baronio mutuatus eſt Binius, quibus adjungi debet Bellarminus è libri de Pontifice Romano ſecundi capite poſt decimum tertio & octavo. Quibus ordine reſpondet Doctor Sorbonicus, & quinem ad *primum* inquit, quæſtionem eſſe facti, quod Canon de Sedis Conſtantinopolitanæ prærogativa improbatus fuerit Romæ, qui tamen in toto Oriente contra ſedis Romanæ molimina venerit in uſum; quo autem modo Sedes Conſtantinopolitana Romanæ fuerit ſubdita, ex obſervationibus ad Canonem Synodi Nicenæ ſextum conſtare. Ad *ſecundum*, ductam ab epiſtola Gelaſii ad Epiſcopos Dardaniæ ſcripta rationem indicare, Baronium nullius eſſe vel fidei, vel judicii, quia Gelaſius non tam ex rei veritate, quam per irriſionem quandam & extenuationem oratoriam objiciat, Acacium eſſe Eccleſiæ Heracleenſis Parochianum, quoniam ante conditam Conſtantinopolim Byzantium erat ſub Metropoli Heracliæ, ut ipſe ibidem teſtatur Baronius, nullo dilapidans negotio, quod magno conatu nitebatur ædificare. Ad *tertium*, Gelaſii in re ſeria riſum plane vacuum atque inutilem eſſe. Quotuſquiſque enim ignorat, quam longe diverſa ſit ratio Conſtantinopolis & Mediolani, cæterarumque urbium? Quandoquidem ſedes Imperii quidem ad tempus quoddam Ravennæ &c. at Romæ & Conſtantinopoli in perpetuum quaſi fuit, ideoque ibidem Curia, Senatus, Conſules, Præfecti prætorio & Magiſtratus reliqui cum omnibus notis atque faſcibus Imperii perpetui extiterunt; hacque ratione ductos Patres Conſtantinopolitanos & Calchedonenſes Canon viceſimus & octavus declarat. Adcedit, quemadmodum Patres decreto Synodi generalis reverentiam Sedi Conſtantinopolitanæ voluerunt exhiberi, ita etiam potuiſſe eos ſancire, ſi nimirum cauſa exigeret, ut ſimilis reverentia & honor Mediolano &c. adcederet. Quare Cardinalis Cuſanus libri de Concordia Catholica ſecundi capite ultimo obſervat, quod ſi Archiepiſcopus ex. gr. Trevirenſis per Eccleſiam (in Synodo univerſali) congregatam pro Præſide & capite eligeretur, quod proprie plus ſucceſſor Petri foret in Principatu, quam Epiſcopus Romanus. Enimvero, primatus eſt Eccleſiæ univerſalis, non Romanæ. Atque ſic etiam ſatisfit argumento Leonis & Gelaſii, contendentium, aliam eſſe poteſtatem Regni ſecularis, & aliam diſtributionem dignitatum Eccleſiæ. Nam Dignitas Eccleſiaſtica formaliter Civitatibus aut Metropolibus regiis non adcedit, quia ſunt Civitates & Metropoles Regiæ, ſed quoniam Eccleſia ſuo conſenſu & decretis ſic eſſe voluit. Porro, quod ipſam Gelaſii epiſtolam ad Epiſcopos Dardaniæ adtinet, Collectores quidem Bullarii eam in fronte collocarunt, ut docerent, quanta ſit Pontificum Romanorum authoritas in damnandis à fide Catholica Recedentibus & retractandis Conciliis male actis; ſed reſpondetur, Gelaſium multa per ἀύξησιν Pontificibus Romanis adſcribere, quæ tamen authoritate totius Eccleſiæ geſta ſunt, atque in multis contra veritatem Hiſtoriæ loqui ampullate, ut hinc quoque diſcamus, Romanis Pontificibus in cauſa propria non facile credendum eſſe. Ad *quartum*, eſto, Marcianum Imperatorem excurriſſe in laudes Leonis, quia hic ſe Vindicem Canonum Nicenorum gereret, anne ſequitur propterea, eum Canones Conſtantinopolitanum & Chalcedonenſem voluiſſe abrogari? Hoc quidem negatur, neque conatus Gelaſius in epiſtola modo citata id probant, ubi multa oratorie per exceſſum quendam memorantur, quæ trahi non debent inter dogmata. Certe docuit eventus, Canones hos invitis Pontificibus Romanis ſemper robur habuiſſe, ac demum Papam veritati manus dediſſe, quod conſtat ex diſtinctione viceſima & ſecunda apud Gratianum. Porro Baronius dolori ſuo nimium indulget, adſerens, Marcianum Palladio edictum miſiſſe, ut ambitionem Anatolii cogeret in ordinem, ſecundum Canonem Nicenum; quoniam Sedis Conſtantinopolitanæ prærogativa non conſtitutionibus Principum, aut ulla ſanctione pragmatica, ſed Canonibus Eccleſiaſticis & conſuetudine diuturna involvit. Quod autem conjicit, hoc Marciani edictum conſulto fuiſſe decurtatum à Juſtiniano, hercle, om-

omnibus judicio præditis se prostituit irridendum. DEUS bone, quam ridiculum est, ubi valida desunt argumenta, ad ejusmodi fictiones & παραλογισμὸς confugere! Falsum est quoque, Anatolium, rugitu Leonis magni perterrefactum abdicasse primatum; quandoquidem longe alius est sensus epistolæ Leonis post septuagesimum primæ ad Anatolium, quam verba præ se ferunt. quia Leo permagnus semper fuit auceps vocabulorum in iis, quæ ad potentiam suam agendam arbitrabatur conducere. Enimvero, quamdiu Leo in fermento fuit adversus Anatolium propter Canonem hunc Calchedonensem, Anatolius querelis ejus nihil quidquam respondit, ut ipsemet Leo hac ipsa fatetur epistola. Dehinc vero, cum Leo Marcianum rogasset, ut operam daret, quatenus Clerici Constantinopolitani, qui cædis Flaviani fuerant participes, punirentur, & Anatolius pariter in hoc studium acriter incumberet, eamque ob causam scripsisset ad Leonem, atque obiter dixisset, sibi dolere, quod Leo tantopere excanduerit propter hunc Canonem, cum id non tam à se, quam Clero Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuisset profectum, & alia ejusmodi narrasset, quæ ad complementum urbanum & charitatem fovendam spectant; inde Leo captavit occasionem ea scribendi Anatolio, quibus quasi innuere velle videtur, Anatolium facti pertæsum abjecisse primatum canonice sibi delatum, quod tamen fecit nunquam, quemadmodum eventus & acta post Synodum Calchedonensem declarant. Certe post cædem Proterii, Episcopi Alexandrini, & Timotheum Ælurum ad Cathedram illius Ecclesiæ evectum, Episcopi in Ægypto & Clerus Alexandrinus literas miserunt Imperatori Leoni, qui successerat Marciano, quibus Anatolio secundum adscripserunt gradum post Leonem Papam. Similiter iidem Ægyptii rescripserunt eidem Anatolio de rebus iisdem, atque Imperator etiam ei mandavit, ut huic conturbationi provideret, quæ contigerat in Ægypto, ac Synodum super ea re cogeret, sibique significaret, quid tum de Synodo Calchedonensi, tum de Timotheo Æluro sit sentiendum. Isthinc ergo liquet, Ægyptios & ipsum Imperatorem habuisse Anatolium pro Episcopo Sedis secundæ, atque ab ipso petiisse, ut statuat de Timotheo Æluro invasore Sedis Alexandrinæ. Ad *quintum* de Timotheo Alexandrino respondetur, idipsum, quia nullum extat protestationis ab eo factæ vestigium, esse testimonio, Canonem Constantinopolitanum consensu omnium Patrum canonice fuisse constitutum; quod amplius confirmat series & ordo Canonum Codicis Ecclesiæ universalis & Dionysii Exigui, ubi hic Canon tertius Synodi Constantinopolitanæ habetur pro regula post centesimam & sexagesimam sexta. Et quidem Patres in Ecclesia Orientali justam habuerunt causam consentiendi in hanc rem, propterea, quod viderent se despici ab Occidentalibus, uti ostensum fuit in Historia Synodi Constantinopolitanæ, & nominatim differitur à Basilio in epistola ad Gregorium Nazianzenum decima, uti & in epistola post septuagesimam septima ad transmarinos scripta; quamvis Baronius mirum in modum desudet, demonstraturus, Damasum justam habuisse causam Basilio non auscultandi, de qua re aliis, qui Historiam temporum illorum Ecclesiasticam bene noverunt, sincerum & christianum esto judicium. Profecto, non absre Balsamon apud Leunclavium meditatione septima sub finem luget, malum Dæmonem ambitionis Papam Romanum è reliquorum Patriarcharum cœtu avulsisse, atque in Occidentem duntaxat coarctasse, cui augendo luctui Nilus quoque Thessalonicensis Episcopus suas impendit lacrymas. Ad *sextum* de terminis Sedi Constantinopolitanæ non adscriptis respondetur est supra. cum ex Socrate fuit ostensum, Patres in Synodo Constantinopolitana Thraciam Ecclesiæ addixisse, & longa temporis intercapedine adhuc ante Synodum Calchedonensem Episcopos Ecclesiæ Constantinopolitanæ ordinationes fecisse in Asia, Ponto & Thracia; unde constat, non tam novum Canonem conditum in Synodo Calchedonensi, quam veterem jam pridem à Patribus Constantinopolitanis latum corroboratum & amplius explicatum fuisse, uti notum est, Patres eosdem Calchedonenses acta Synodorum antecedentium, Nicenæ, Constantinopolitanæ &

Epheſinæ ſua etiam authoritate comprobaſſe. Porro, quale argumentum eſt à negatione cauſari, nullam fieri mentionem Canonis Conſtantinopolitani in epiſtola Synodali. Cum enim hæc epiſtola breviter recenſeat acta Patrum, quid opus erat omnia ſingillatim enumerare, quando Patres ejuſmodi literas darent perferendas Cyriaco, Euſebio & Priſciano, Epiſcopis, ut verbo dicerent, quæ in epiſtola ſummatim erant concepta, quippe qui actis Synodi interfuiſſent? Ad *ſeptimum*, de Canonum Nicenorum violatione, reſpondendum, non violari Canones, ſed pro communi Eccleſiæ bono explicari, & Sedes Patriarchales ampliari. Cum enim jure communi & ex conſuetudine quadam fuerint inſtitutæ, dubium non eſt, quin eodem pariter jure, quando neceſſitas ac Eccleſiæ utilitas poſtulat, augeri valeant & reſtringi. Quod autem Canonibus Nicenis ſtatuitur, Eccleſiis omnibus ſua debere privilegia ſervari ſecundum morem antiquum, hoc in eam partem capi debet, ut nulli privatæ aut particulari Eccleſiæ in aliarum Eccleſiarum jura & privilegia liceat involare; nequaquam vero de iis, quæ Synodo generali è conſenſu Patrum catholico pro utilitate Eccleſiæ decernuntur. Quibus bene ponderatis ſatisfit argumento Leonis in epiſtola ad Marcianum Imperatorem ſcribentis, ſibi concreditam eſſe Canonum diſpenſationem. Hoc enim verum eſt habita ratione Eccleſiarum particularium diſgregatarum, minime autem de Synodo univerſali, qualis fuit Conſtantinopolitana & Calchedonenſis, utpote quæ paris fuerunt authoritatis cum Nicena, & legem potuerunt dicere Pontifici, quam ſervare teneretur. Et qui hoc ad animum conſiderate vocaverit, nullo plane negotio omnes authoris præfationum hiſtoricarum editionis Romanæ rationes depellet, quas ad Synodos haſce binas concervavit. Ad *octavum*, eſto, Theophilum Alexandrinum jus ordinandi Patriarcham Conſtantinopolitanum ſibi vendicaſſe; verum id prærogativæ ſedis Conſtantinopolitanæ nihil magis poteſt derogare, quam ſedi Romanæ, cum Epiſcopos Hoſtienſis conſecrat Papam, utut ſupra fuerit obſervatum, Epiſcopum Heracleenſem conſueviſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum conſecrare. Ad *nonum*, quando Cleri & populi ſuffragium in ordinatione Epiſcoporum debet intervenire, & Metropolitani duntaxat poteſtatem habent ejuſmodi electiones confirmandi per Canones Nicenos, certe nihil mirum eſt, Cyzicenos obſtitiſſe Siſinnio Epiſcopo Conſtantinopolitano, cum eis dare vellet Epiſcopum, quem non elegerant. Quod vero ſpectat Atticum, uſus eſt is privilegio, quod lex eſt privata adverſus Canones, quibus ordinarium jus continetur; atque ſic ejuſmodi privilegium cum Attico eſt extinctum, neque tranſire debuit ad ejuſdem ſucceſſores. Ad *decimum*, Baronium fruſtra ſilentium Anatolii erga Leonem ad cauſæ patrocinium rapere, quia, uti jam fuit oſtenſum ex epiſtola Leonis, Anatolius ſilentio impatientiam Leonis mitigavit, ſe neque canone Conſtantinopolitano, nec alia ratione tueri volens, quippe qui regiminis Ariſtocratici regulis ac ipſa praxi vallaretur abunde contra Leonis clamores, quandoquidem omnibus privilegiis utroque & Conſtantinopolitano & Calchedonenſi Canone præſcriptis utens fruebatur. Quid ergo opus erat, ut Leoni ſcriberet hac de re, cum nihil ab illo deſideraret præter benevolentiam, quam Leo autem palam denegaverat? Certe ejuſmodi ſilentium Anatolii graviſſimum & moleſtiſſimum erat Leoni, & quidem eo magis, quod ſe invito & reclamante negotium hoc confici videret. Ad *undecimum* & denique, illos ipſoſmet, qui Patribus Synodi Calchedonenſis duo manifeſtiſſima adſcribunt mendacia, magnis ſeſe mendaciis, ignorantia inſuper ac impietate ipſa contaminare, dum minime adtendunt, in primatu Petri duo eſſe conſideranda atque à ſe invicem diſcernenda. Unum eſt ipſa inſtitutio cum iis, quæ neceſſitate, ut vocant conſequentiæ, eum comitantur, quæ quidem ſunt juris Divini. (N B. Ita loquitur Sorboniſta ſecundum communes Romanenſium hypotheſes) Alterum eſt amplificatio exercitii adminiſtrationis & exiſtentiæ primatus, quæ quidem ſingula ex parte maxima juris ſunt mere poſitivi variabilis, manantque partim ab Eccleſiæ, partim à Principum Chriſtianorum largitione & Civitatum amplitudine. (Addere licet proprium honoris augmentum

ed by Googl

tum propria ambitione in tenebris Barbarici quæſitum & via facti obtentum.) Atque de hoc genere poſteriori, non autem de priori Patres Synodi Chalcedonenſis, loqui, claret ex ipſo Canonis tenore, uti etiam ex Actione Synodi poſt decimam ſexta, ubi nominatim agitur de privilegiis humanitus conceſſis, inſuper quoque ex diſtinctione apud Gratianum octogeſima & poſt nonageſimam nona, utpote è quibus docemur, Primatus & Metropoles Eccleſiarum diſpertitas & erectas fuiſſe ab Apoſtolis (quod tamen non adeo manifeſtum eſt) & ſanctis Patribus juxta typum & formam dignitatis & amplitudinis urbium, quod ipſum confirmat, Eccleſiam in republica tanquam in fundo & domicilio habitare. At juxta poſteriorem viam multa Eccleſiæ Romanæ privilegia humanitus obtigiſſe, nemo niſi protervus & Hiſtoriæ, imo omnis ſenſus etiam communis expers poteſt inficiari. Enimvero qui in magnis & opulentis civitatibus naſcuntur & habitant, multis pollent opibus & adjumentis, quibus carent alii, qui Pagos aut urbes incolunt obſcuras. Quare neſcio quis Lacedæmonius quempiam magnifica loquentem audiens, inquit, hæc oratio tua indiget magna & opulenta civitate. Et ne tam vetera quæramus, ſcitum eſt, quanto molimine Lojolitæ ac alii Ordines novi in civitatibus opulentioribus ambiant ſedem figere. Quid ergo mirum eſt, Patres Conſtantinopolitanos & Calchedonenſes, cum noviſſent optime, conſtitutionem & extentionem Sedium Patriarchalium juris eſſe humani, voluiſſe, ut Eccleſia Conſtantinopolitana ejuſmodi gauderet privilegiis, atque poſt Romanam Sedem obtineret in Eccleſiaſticis partes ſecundas? Nec vero Patres adſerunt, ut Binius imponit poſt Baronium, Eccleſiæ Romanæ primatum habuiſſe à Patribus Nicenis ortum & inſtitutionem, ſed illud duntaxat, Patres jure quidem privilegia tribuiſſe throno Romæ antiquæ, eo quod urbs illa imperaret; ex quo pariter inferunt, ſimilia Sedi Conſtantinopolitanæ privilegia tribui oportere, eo quod illa quoque Sedem haberet Imperii & Senatum. Quocirca hic agitur de privilegiis, quæ jure humano, non de primatu Petri, qui (ſecundum hypotheſes Romanenſium communes) Jure Divino quoad eſſentiam eſt inſtitutus. Atque ſic Vallii temeritas & ignorantia concluditur, qui libri de Papæ ſuprema poteſtate Partis quartæ Quæſtione octava adſerit, Synodum Calchedonenſem niti hæretico, nedum falſo & erroneo fundamento, quando ſancivit, Sedi ſenioris Romæ propter Imperium civitatis Patres privilegia primatus contuliſſe. Eſtque dignum animadverſione, Vallium corrupiſſe ſententiam Patrum Calchedonenſium additione vocis (primatus) cum Patres ſolummodo dixerint, antiquæ Romæ throno, id eſt, Petri Cathedræ, jure Patres tribuiſſe privilegia. Vallius autem addit, privilegia primatus; ſic enim argumenta ſua fictitiis commentis atque mendaciis obvallat, ut imperitis illudat eo facilius. Summa autem totius diſputationis hujus ad duo redit puncta. Unum eſt, ut quodcunque Synodice & conſenſu Patrum Catholico ſancirentur, vim & robur haberent, utut Pontifex Romanus refragaretur, quod ſemper tenuit Schola Pariſienſis, teſte Almaino libri de authoritate Eccleſiæ capite ſeptimo, ubi ſcripſit: Quamvis Leo reclamarit contra conſtitutionem Synodi Calchedonenſis, nempe, quod Sedes Conſtantinopolitana præcederet Alexandrinam, prævaluit tamen conſtitutio Concilii Leonis reclamationi per Canonem expreſſum in diſtinctione poſt viceſimam ſecunda apud Gratianum; nam ſtatuta Concilii generalis præjudicant ſtatutis Papæ, ſi contradicant, quæ etiam confirmari poſſunt Decretis pragmaticæ ſanctionis. Alterum eſt, quod hic Leonis Magni & aliorum quorundam Pontificum adverſus canonem hunc conatus illuſtre monumentum tentatæ & vindicatæ libertatis aut regiminis Eccleſiaſtici adverſus poteſtatem Monarchicam nobis ad omnem poſteritatis memoriam erigat & conſecret.

Bellarminus *ibid.*

DE Synodo quinta universali, nimirum Constantinopolitana secunda scribit, in ea præsedisse unum Menam, quia Concilium ab eo celebratum particulare fuerit, non generale, sed Eutychium Menæ Successorem, qui tamen agnoverit & professus sit, præsidentiam Pontifici Romano debitam fuisse, si Concilio interesse voluisset.

Launojus T. *cod. Epist.* 7.

IDem observat, sed cum aliqua additione, vel potius correctione eorum, quæ ab aliis contra fidem Historicam de hac Synodo fuere scripta, nominatim Photio, Cedreno, Zonara, Nilo & Libello Synodico, qui & inter se diffident, & à veritate actorum discedunt, in quibus dum Bellarmini sententiæ contrarius non est, hic quidem prætermittitur.

Additio.

ANte Launojum de hac Synodo quinta generali, quæque ad ejus non modo convocationem, sed præsidentiam quoque inprimis, uti & cætera ejusdem gesta pertinent, contra aliorum suspectas traditiones ex professo egit Edmundus Richerius in Historia Conciliorum, dignus omnino, cujus hac de re observationes in gratiam Veritatis hic quoque legantur. Postquam vero eam ab Imperatore Justiniano indictam fuisse ex Evagrio & Nicephoro memoravit, ad Epistolam ejus, qua Metropolitas ad Regiam evocavit Urbem, & quæ ab initio Actorum Synodi legitur, sequentia notavit. Et primo quidem, inquit, Imperator in ea narrat, hoc semper in more positum fuisse Cæsaribus, qui eum præcesserunt, ut hæreses diversis temporibus nascentes per congregationes Episcoporum amputarent, atque sic in Pace sanctam conservarent Ecclesiam; eamque ob rem Constantinum M. Synodum Nicenæ adversus Arium congregasse, Theodosium seniorem congregatis in Urbe Regia centum & quinquaginta Episcopis contra Macedonium & Apollinarem fuisse participem Concilii, & feciſſe, ut Fides recta prædicaretur; Theodosium quoque juniorem congregavisse priorem Synodum Ephesinam contra Nestorium, similiter præ recordationis Marcianum Chalcedone Patres sanctos contra Eutychetem congregasse, eosque ea, quæ in unaquaque Synodo fuerant judicata & decreta, suis corroborasse Legibus, & hæreticos, qui definitionibus earum resistere & Ecclesias turbare conati fuerunt, expulisse; defuncto autem Marciano, cum graves motus contra Synodum Chalcedonensem diversis in locis exsurgerent, Leonem Augustum ad omnes ubique Sacerdotes scripsisse, ut unusquisque eorum de eadem propriam manifestaret sententiam. Secundo recenset, sequaces Nestorii & Eutychetis tantas dehinc turbas in sanctis DEI Ecclesiis feciſſe, & ea conseruisse Schismata, ut Ecclesiæ Orientis nullum prorsus communionem haberent ad se invicem; se vero, quam primum sit evectus ad Imperium, ejus feciſſe fundamentum ita, ut divisos conjungeret Sacerdotes ab Oriente ad Occidentem usque, ac omnem amputasse contentionem, quæ contra Synodum Calchedonensem à Nestorii & Eutychetis sequacibus movebantur, dedisseque operam, ut fides quatuor conciliorum generalium in Ecclesiis ubique prædicaretur, & hac ratione neminem palam ansum tueri errores eorum, aliquos autem repertos esse, qui clanculum & indirecte id facere tentarent per Theodorum Mopsvestanum, Epistolam Ibæ, & redargutiones Theodoreti

Cy-

Cyrenſis Epiſcopi adverſus Cyrillum Alexandrinum, objicientes, ſcripta hæc à Synodo Chalcedonenſi non fuiſſe damnata. Tertio memorat, ſe de tribus his capitibus impiis ad omnes Epiſcopos in ſuis degentes Eccleſiis ſcripſiſſe, quatenus ſuam de illos aperirent ſententiam, qui ea condemnarint. Verum, quia poſt ejuſmodi condemnationem, quæ facta erat extra Synodum, ſequaces Neſtorii non deſiſterent eadem vindicare & adſerere, ſe Epiſcopos Conſtantinopolim convocaſſe, ut communi iterum conſenſu ſuam ederent ſuper iis ſententiam. Quarto dicit, Vigilium Papam ſe contuliſſe Conſtantinopolim, ſeque ab eo petiiſſe, ut ſignificaret, quid de iiſdem ſentiret, ac eum reſpondiſſe, ſe ea & voce & ſcriptis anathematizaſſe, quando Ruſticum & Sebaſtianum, Eccleſiæ Romanæ Diaconos, & Valentinianum Scythiæ Epiſcopum una cum Aureliano, Arelatenſi Epiſcopo condemnavit, obſervatque, Arelaten eſſe primam omnium Galliæ Eccleſiarum, quod dignum notatu eſt; ſignificans præterea Patribus Conſtantinopoli congregandis, ſe per Judices ſuos & quoſdam ex Epiſcopis mandaſſe Vigilio Papæ, ut una cùm aliis conveniret Epiſcopis, & communiter diſceptaret de prædictis capitibus, & forma daretur rectæ Fidei ſanctis quatuor Conciliis congrua &c. Quinto profitetur, ſe ſervare & defendere, quæ in Synodis quatuor laudatis ſint definita, atque è contrario omnia damnare, quæ illis ſint contraria, in omnibus ſequi ſanctos Patres Eccleſiæ DEI, utpote, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum & Nyſſenum, Ambroſium, Theophilum Alexandrinum, Chryſoſtomum, Cyrillum, Auguſtinum, Proclum, Leonem, & omnia, quæ ab eis de Fide recta adque condemnationem hæreticorum ſint conſcripta. Sexto tandem ſubjungit, Neſtorianos, cum aperte damnatum vidcrent errorem ſuum, eundem è Scriptis Theodori Mopſveſtani, Theodoreti & Epiſtola Ibæ, quaſi ignem cineribus conſopitum exſuſcitaſſe, atque per totum Orientem ſparſiſſe; & proinde opus eſſe, ut ſcripta hæc impia examinentur, ac una videre, an liceat anathemate hæreticos poſt mortem ferire, docens, in anteceſſum, Patres ſanctos non viventes modo hæreticos condemnaſſe, ſed illos etiam poſt mortem anathemate, qui nimirum in Impietate ſua morerentur, perculiſſe, ac injuſte damnatos abſolviſſe, eorumque nomina in Sacris ſcripſiſſe Diptychis, uti de Chryſoſtomo & Flaviano ſit compertum. Atque hæc ſumma eſt totius Epiſtolæ Imperatoris, quæ ordinem & formam agendi Patribus Synodi præſcribit, ſicut, antea quoque, factum eſt in prima Synodo Epheſina, uti & in Chalcedonenſi, ubi Senatus ab Imperatore Marciano conſtitutus δ κριτὴς præſcribebat, non autem Legati Pontificis Romani; idque oſtendit, Imperatores non fuiſſe ſimplices & nudos executores voluntatis aut mandatorum Papæ vel Synodi, uti Vallius è Curiæ Romanæ placitis vult perſuadere. Imo, cum ſint DEI ipſius Vicarii & Miniſtri, poſſunt univerſos, ipſum quoque Papam ad Juris Divini, naturalis & Canonici executionem, rectumque ordinem ſervandum cogere, quod ſæpius eſt iterandum contra anarchiam, quam novi ædificant Theologi. Poſtquam vero Doctor Sorbonicus prolixe narravit, quid porro & ab ipſo Imperatore, & à Patribus Synodi fuerit tentatum, ut Vigilium Papam ad Synodum adducerent, quamvis fruſtra atque in vanum, Patribus Synodi tamen nihilo-minus ſententiam abſente Vigilio dicentibus, hoc ſubjunxit: Miror, qua fronte Ciacconius in vita Vigilii memoret, eum indixiſſe hanc Synodum, ac ei præfuiſſe cum Menna, & tamen non interfuiſſe. (NB. Oldoinum in nova Editione hujus operis ac Additione, uti in pluribus aliis, ita in hoc etiam Ciacconio contradixiſſe, ſcribendo, ab Imperatore id fuiſſe indictum, atque celebratum reclamante Vigilio, qui tum adhuc trium Capitulorum defenſionem adverſus Juſtinianum ſuſceperit, utut poſthac Synodi Acta comprobans authoritate ſua.) Profecto, inquit Doctor Sorbonicus, neque Vigilius indixit, nec ei pariter interfuit, multoque minus Mennas, Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui diem jam ſupremum obierat, præfuit, & Eutychius tum Sedem illam occupavit, Vigilio Conſtantinopolim pertracto tanquam reo exilii

exilii Anteceſſoris Silverii &c. Præterea, Binius, qui narrationem Baronii tantum in ſuam conjecit collectionem, memorat, Vigilium authoritate Pontificia hanc indixiſſe Synodum, & Imperatorem opera, ſtudio ac favore ſuo eandem congregaſſe. Sed ſi eam indixit, interrogat Doctor Sorbonicus, cur ei intereſſe detrectavit? Certe, non magis indixit, quam alii Pontifices quatuor Synodos præcedentes, quæ indictæ & coactæ fuerunt ab Imperatoribus, Pontificibus Romanis adſenſum præbentibus, (aut ſaltem aperte non retinentibus.) Atque ſic poteſt concedi, hanc quoque Synodum Vigilii conſenſu indictam fuiſſe, quamvis Acta id non dicant. Ipſe Binius certe poſt Baronium confirmat, Vigilium ne quidem præbuiſſe adſenſum. Unde liquet, quam diſtricti & implicati ſint Curiales Romani in Monarchia infallibili conſtituenda. *Primo*, Binius Actis expreſſe repugnat, adſerens, Vigilium ideo contradixiſſe huic Synodo, quod membra coirent ſine capite; ſiquidem Patres Vigilium ſemel ac iterum rogarunt atque invitarunt, ut Synodo præeſſe dignaretur, idque etiam Imperator Juſtinianus per ſuos Judices curavit. *Secundo*, mera eſt cavillatio & petitio principii, dicere, aliquod Concilium habere titulum & authoritatem Synodi œcumenicæ, ideo, quod à Papa authoretur, non autem à conſenſu Catholico & generali communione ſanctorum; quod ipſum clare docent Baronius & Binius, adſerentes, primam Synodum Conſtantinopolitanam fuiſſe celebratam Damaſo Papa repugnante, qui Romæ illam voluerit celebrari. *Tertio*, ex propria adverſariorum confeſſione habetur, uti ſecundam, ita quoque quintam hanc Synodum generalem à Papa robur non habuiſſe, cum, illo repugnante, aut ſaltem non conſentiente habitæ fuerint & finitæ. Vallius quidem in libri de Papæ ſuprema poteſtate partis quartæ Quæſtione ſecunda refert, Synodum hanc à Vigilio Papa indictam authoritate Pontificia, ſed Imperatoris Juſtiniani opera, ſtudio & favore congregatam fuiſſe; quæ mutuatus eſt à Binio. At Author præfationis Hiſtoricæ in Editione Conciliorum generalium Romana longe verecundior eſt, dum evidentia Actorum convictus narrat tantum, Anno poſt viceſimum ſeptimo Imperatoris Juſtiniani Synodum hanc quintam fuiſſe indictam, nulla Vigilii mentione facta. Cæterum claret, Patres Synodi hujus non credidiſſe, Papam eſſe infallibilem Monarcham Eccleſiæ, cum ei aperte dixerint, quanquam ſeorſim & ſingillatim de tribus porro ſtatuat Capitulis, uti jam fecerat, neceſſum eſſe tamen Patribus, Synodice ſuam dicere ſententiam, & Imperatori & populo Chriſtiano fieret ſatis. Innoteſcit porro, quantum laboraverint Patres, ut Vigilio perſuaderent, quatenus adeſſet atque præeſſet Synodo, & communi omnium ſententia de tribus his definiretur Capitulis. Præterea conſtat, nec Vigilium, nec Patres Synodi cenſuiſſe, à ſolo Papa authoritatem Conciliorum generalium dependere, cum abſque Vigilio hanc celebrarent Synodum, cum graviter culpantes, quod præeſſe noluerit; & certum ſit, Vigilium nihil obtendiſſe in contrarium, nec dixiſſe, Synodum ſe invito & non conſentiente haberi non poſſe. Satis enim eſt, ſi Papæ conſenſus per indictionem petatur, (quamvis id etiam non ſemper neceſſum ſit.) falſumque eſt, quod Binius cauſatur poſt Baronium, contradixiſſe Vigilium, niſi forſitan contradicere adpellet nolle Synodo præſidere. Inſuper ex ipſa Synodi concluſione diſcimus Veritatem non poſſe adcuratius diſquiri aut reperiri, quam in Synodo, idque propter ſympathiam communionis ſanctorum; ibi enim Eccleſiæ membra ſibi invicem auxiliantur & communem Eccleſiæ ſpiritum fovent ac excitant. Cauſa hujus rei eſt, quod Eccleſia communi ſua notione multorum collectionem & unionem ſignificat; unde, ne membra Eccleſiæ torperent, Chriſtus facultatem decernendi non uni, ſed Unitati contulit, atque communionem Sanctorum & charitatem totius Eccleſiaſtici regiminis finem eſſe voluit, quæ autem communio non imperari, ſed doceri, ac ſuaderi poteſt debetque. Qua etiam de cauſa DEUS ſe certo pollicetur adfuturum iis, qui in Nomine ſuo convenirent. Et idcirco Cyprianus quoque ſcripſit, unum eſſe Epiſcopatum, cujus à ſingulis in ſolidum pars teneatur. Unde & Bellarminus in Libri de

Con-

Digitized by Google

Concilii & Ecclesia primi capite undecimo fatetur, Synodum parvam aut magnam esse medium ordinarium à Christo relictum & ad statum ad assistentiam Spiritus S. promerendam. Ut enim in rebus controversis Dominus Judæos locum jubet adire, quem elegerat; ita Christus in Evangelio Synodum vult haberi, estque hic locus, quem elegit. Quocirca, ubi Synodus est necessaria, qui eam fugiunt aut impediunt, una communionem quoque sanctorum, quantum in ipsis est, labefactant, atque communem Ecclesiæ spiritum opprimunt. Procul dubio facienti, quod in se est, DEUS non denegat gratiam; (quod tamen cum grano salis intelligendum est.) Ecclesia autem Bellarmino teste non censetur in controversiis definiendis id facere, quod in se est, nisi diligentiam ad id necessariam adhibeat; id est, nisi Synodos eo ritu & consuetudine celebret, quo Apostoli & Patres Ecclesiæ primitivæ celebrarunt. De cætero Patres antiqui, ut monumenta diligentiæ necessariæ à se in Synodis observatæ propagarent ad posteros, consueverunt Actis Conciliorum inserere viam & rationem procedendi à se observatam; ita ut primum constaret, omnes Metropolitas literis Imperatorum ad Synodum fuisse convocatos. Et quoniam ejusmodi literæ super indictione Synodi summam ordinis tenendi præscribebant, eam ob causam in Exordio Synodi, ut præfulgerent ordini observando, publice prælegebantur; uti notum est, in Synodo Tridentina Bullas Pontificis fuisse Sessionibus singulis præmissas. Dehinc in ipsius Synodi meditullio Sacra sub Pulpito proponebantur Evangelia, ut Patres Synodi monerentur, omnia ad libram Evangelii esse examinanda; quam ob causam quoque in Synodi fronte omnes scripturæ authoritates, quas ad rem definiendam conducere arbitrabantur Patres, exhibebant, quas sequebantur Canones & Decreta Synodorum antecedentium, & subnectebantur Patrum sanctorum testimonia; quin & postmodum omnia controversiæ noviter excitatæ capita, & rationes, quibus niterentur, singillatim proponebantur & examinabantur, ac omnes omnino Patres non modo liberam habebant sententiæ dictionem, verumetiam illis plane liberum erat proponere & referre ad Synodum, quidquid liberet; & denique omnium Episcoporum vota & subscriptionis super re proposita in aciem quasi explicabantur, quæ omnia inprimis generalibus Synodis, quorum scilicet acta habemus integra, fuisse observata exploratissimum est. Hæc autem qui considerate examinarit, facile argumento Melchioris Cani, quod libri ejus quinti capite quinto de locis circa medium legitur, faciet satis, utpote qui scrupulum & aculeum Silvestri, quem is hominum animis injecit, non evulsit, sed, ubi multa atque inutilia effudit, frustra & in cassum concluſit, se nunquam admissurum, ut quis dicat, aut Pontificem aut Concilium omisisse diligentiam quæstionibus Fidei decernendis necessariam; cum tamen ipse fateatur, aliquos Pontifices, & inter illos Honorium errasse in fide, sicque difficultatem non solvit, sed potius involvit atque incrustavit, ut sæpe alias etiam ab ipso factum. Vallius libri sæpe citati & partis ejusdem secundæ quæstione quinta disputans, quo modo possit cognosci Papam agere ut Papam, hoc est, definire ex Cathedra, scribit, illum ea debere consulere, quibus plura & integra conservetur fides, cujusmodi sint, Scriptura sacra (N B. loquitur & hic ad mentem Romanensium) Traditiones, Conciliorum definitiones Decreta prædecessorum, unanimis Patrum & Doctorum consensus, consensus denique omnium fidelium, non tantummodo eorum, qui vivunt, sed etiam eorum, qui jam è vivis excesserunt; quia in his, inquit, tanquam in obsignatis quibusdam tabulis Fides conservatur, nutritur & corroboratur. Hac Sententia, sic censet Richerius, nullam in toto Vallii libro illustriorem & veriorem arbitror occurrere, utque compleatur, prudentiam, studium, diligentiam & adcuratissimum desiderat judicium, quæ autem omnia in Synodis nomine Christi congregatis duntaxat concurrere & reperiri possunt, ubi cuncta libere absque cujusquam gratio aut odio peraguntur, à quibus humanis infirmitatibus plane est impossibile Consiliarios Papæ adscititios, captatos & prensatos esse vacuos, cum ad solius

Papæ nutum cogantur reſpondere. Hercle, praxis Eccleſiæ demonſtrat, Epiſcopos tantum ex Cathedra definire, quando una cum aliis Epiſcopis & Presbyteris Chriſti cathedræ & ſacerdotii conſortibus ſynodice ſtatuunt de rebus controverſis. Cardinalis Alliacus libri de Eccleſiæ authoritate capite ultimo ſcribit, ſolicis Eccleſiæ univerſalis Privilegium eſſe, quod non poſſit errare in Fide, hoctamen pie (etiam) credi de Concilio generali, ſcilicet, quando innititur Diurnæ Scripturæ vel authoritati, quæ à Spiritu ſancto eſt inſpirata, alias (enim) ſæpe legitur erraſſe. Huic difficultati ut fiat ſatis, uno reſpondetur verbo, hic moralem & probabilem conjecturam, qualem rebus agendis ſapientes impendere conſueverunt, ſufficere, ac ubi conſtat, liberum fuiſſe Concilium (libertas enim ſuffragii eſt cauſa ſpecialis in celebratione Synodorum) & Patres diligentiam adhibuiſſe neceſſariam, plane adquieſcendum eſſe, nec contra Concilii ſententiam aliquid dicendum, niſi forſitan conſtaret aperte, aliquid contra Fidem fuiſſe decretum, de quo legendus eſt Gerſonius in libri de examine Doctrinarum ac partis ejuſdem primæ conſideratione quinta. Author præfationum Hiſtoricarum Editionis Conciliorum generalium Romanæ anhelet valde, ut Vigilium excuſet, ideo, quod cum aliis Patribus in hac Synodo quinta conſidere & præſidere detrectaverit, cujus rationes ad tria revocare licet capita. Primum eſt, quod non videretur è dignitate Sedis Apoſtolicæ, inter externos conſidere Epiſcopos, quia paucos ſecum ex Italia adduxiſſet Epiſcopos Vigilius. Secundum, quod eſſet contra Majorum conſuetudinem, Papam Synodis intereſſe, in cujus rei argumentum ad oram laudat epiſtolam Leonis decimam & tertiam, & ſeptimam, quarum prior ad Pulcheriam Imperatricem, poſterior ad Imperatorem Theodoſium fuit ſcripta. Tertium denique, quod Vigilius ſit pollicitus adſenſum rebus, quæ à Synodo legitime definirentur. Reſpondetur ad *primum*, id convenire ad hominem, Vigilium ſe non exiſtimaſſe Monarcham Eccleſiæ univerſalis, multoque minus talem ab aliis habitum fuiſſe Epiſcopis. Ut enim Regi Galliæ, præſertim in altiſſima Pace & Concordia civium nullus Franciæ angulus eſt externus vel peregrinus; ita & Monarchæ univerſalis Eccleſiæ nulla Diœceſis vel Parochia, atque ſic nulli etiam Epiſcopi ſunt peregrini aut externi. Certe cum Patres Synodi ſunt profecti ad Vigilium, ei ante omnia ſunt profeſſi, ſe per omnia & in omnibus tenere definitionem quatuor Synodorum generalium antecedentium, atque ejuſdem ſe eſſe ſententiæ cum illo & communionis, nec quidquam debere ſcripti eum ſuſpicari aut metuere, inſuper ut offenderent, ſe ejus dignitatem & primatum comiter velle tueri, illum rogarunt impenſe, ut Synodo dignaretur præſidere ſub tranquillitate & manſuetudine Sacerdotali. Heu, quid eſt Sedis Apoſtolicæ dignitatem ſervare, ſi hoc non eſt? Doceant, quæſo, adverſarii. At, ſi quæ ratio debuit impedire Vigilium, quo minus adeſſet Synodo, hæc certe fuit, quod canones vetent Epiſcopos abſque Metropolitano, & verſa vice Metropolitas inconſultis Epiſcopis ſuffraganeis aliquid magni agere momenti. Quocirca non poterat Vigilius inconſultis Occidentalibus Epiſcopis intereſſe Synodo, quin adceſſionem præberet ſchiſmati; ratio eſt, quia Eccleſiæ reguntur non abſoluta poteſtate; ſed canone, quam vero rationem Vigilius ſubticuit. Ad *ſecundum*, Leonem non injuſtam habuiſſe cauſam non proficiſcendi ad Synodum Epheſinam, ſcilicet, itineris longinquitatem, quæ aliquo pacto digna erat excuſatione. At Vigilius tum erat Conſtantinopoli, ac proinde nulla dignus fuit excuſatione. Hic vero obiter notandum, omnes, qui aliqua Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione ſunt tincti, adprime id noſſe, quod pleriſque Pontificibus Romanis fuerit ſolemne, ut Synodos refugerent generales, niſi Romæ, aut ubi plenum haberent imperium, celebrarentur; & hinc illæ piorum lacrymæ ob Eccleſiæ reformationem in capite & membris his etiam temporibus corruptiſſimis omnino deſperatam. Equidem Nicephorus commemorat, Vigilium præſidere huic Synodo noluiſſe, ideo, quod Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum pati nollet ſecundo adſidere loco juxta canones Conſtantinopolitanum & Calchedonenſem. Sed Actorum veritati hoc repugnat, quod præterea ſcriptores Romani, qui tam-

Digitized by Google

tanto molimine Majestatem Sedis Romanæ tuentur, unquam id involvissent silentio, hoc quidem in loco, cum alias sæpe minori de causa objiciant, Pontifices Romanos nunquam adprobasse canonem de prærogativa Sedis Constantinopolitanæ. Et docent Acta hujus Synodi laudata, Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum cum aliis Patriarchis & Episcopis fuisse missum nomine Synodi & Imperatoris ad Vigilium tanquam caput & primum Synodi Catriarcham, atque Vigilium eidem Eutychio respondisse & rescripsisse hoc eodem nomine, id est, tanquam capiti hujus congregatæ Synodi. Atque sic claret, falsum esse, quod Baronius, Bellarminus & alii Curiales adscripturiunt, canonem de Sedis Constantinopolitanæ privilegio non obtinuisse, nisi annis post Synodum Calchedonensem trecentis. Author certe præfationum historicarum sæpe citatus narrat diserte, tres Patriarchas & septendecim Episcopos nomine totius Concilii missos ad Vigilium fuisse, quorum primus fuerit Eutychius, & nomine Synodi locutus sit Vigilio. Ad tertium, quod Vigilius adsensum pollicitus sit rebus, quæ definirentur à Concilio, id non perspicuum esse ex Actis aut responsione ipsius Vigilii, narrantis duntaxat, se alias tria damnasse capitula, & scripto declaraturum porro, quid sentiat. Hercle, finita Synodo tandem ejus adcessit sententiæ Vigilius privatim ea damnando capitula, quod etiam fecit postmodum Pelagius. Curiales Romani quidem id vocant Synodum confirmare, quasi totum robur ei ex adsensu & comprobatione Pontificis adcederet, quod vero alias jam fuit confutatum. Neque autem oblivioni hic est mandandum, plures Episcopos, præsertim Occidentis noluisse hanc Synodum quintam recipere, quia existimarent, eam derogare definitioni Calchedonensis Synodi, ideo, quod tria damnaret capitula; atque hujus rei causa erat Vigilius, qui Synodo huic quintæ noluerat præesse, nec etiam Episcopos sui Patriarchatus rerum in ea gestarum satis reddiderat capaces. Quare necessum fuit Gregorio Magno hunc scrupulum ex Episcoporum Occidentalium animis eximere, & pro hac Synodo quinta scribere, prout diversæ ejus epistolæ testantur. Tandem sub finem hujus prolixæ contra diversos disputationis in gratiam Imperatoris Justiniani brevem subjungit apologiam Doctor Sorbonicus contra Vallium, hic itidem ob rei momentum minime negligendam. Graviter quippe hic in libri supra citati ac partis ejusdem tertiæ quæstione secunda in Principem piissimum invehitur, ideo quod leges pro disciplina Ecclesiastica tanquam communis negotiorum Ecclesiæ exteriorum Episcopus sciverit; nam, ait, illum in fœdissimam hæresin Eutychianorum fuisse prolapsum, & multarum calamitatum per totum Imperium fuisse causam &c. quem loliginis & maledicentiæ succum suxit è Baronio, unde tamen poterat simul, si voluisset, medicinam contra hujusmodi convitia haurire; quia postquam Baronius multa in Justinianum ex Evagrio intemperanter scripturivit, tandem invertit & mitigavit stylum, atque eum in extremo spiritu pœnitentiam egisse, eamque ob rem laudari à Gregorio Magno & Agathone in Synodo sexta. Gregorius certe illum hinc inde nuncupat Imperatorem piæ memoriæ; in sexta autem Synodi actione quarta, ubi refertur suggestio Romanæ Synodi, cui Agatho præfuit, Justinianus conceptis verbis præponitur Constantino, Theodosio utrique & Marciano. Quis autem credat, Gregorium, Agathonem & Patres Synodi Romanæ, qui seculo Justiniani vixerunt, in tantum errorem impegisse, ut in ea Synodo, in qua Monothelitas, id est, reliquias hæreseos Eutychianæ damnabant, ipsum fautorem hujus hæreseos omnibus aliis Principibus christianis anteferrent, si modo Justinianus fuit talis, qualem primus omnium depinxit Evagrius, ac post eum Nicephorus, qui tamen perhibet, quod supra dictum, eum in extrema vitæ clausula pœnitentiam egisse. Hercle, vel adversariorum judicio testimonium Synodale Agathonis & Patrum Synodi Romanæ anteferri jure debet narrationi unius Evagrii, cum Patres hi eodem, quo Justinianus, vixerint seculo, certumque est, Historicos quosdam non ex rei veritate, sed ex vulgi rumoribus sæpissime narrationes de Principibus texuisse. Dum vero hoc testimonium Synodale indubitatum cum narratione Evagrii

comparatur, id notandum venit, multa eorum, quæ Evagrius refert de Justiniano, ab iis esse conficta, qui tria, quæ Justinianus curaverat damnari, Capitula propugnabant, utpote in quos teste Liberato animadvertebat severissime; partim, quia permulti putabant, Justinianum aliquid adversus Synodum Calchedonensem, quæ damnaverat Eutychetem, fuisse molitum, eamque ob causam hanc Synodum quintam, quam Justinianus in rem judicatam mittebat, recipere nolebant, quod itidem alias observatur. Adcedit, rationem, ob quam Vallius, simia Baronii, sic insectatur Justinianum, esse, quia vindex acerrimus fuit disciplinæ Ecclesiasticæ; & tamen Gregorius cum Agathone & Synodo Romana hac ipsa de causa Principem optimum faciunt tanti, ut eum omnibus aliis anteponant Principibus. Procul dubio, qui Historiam Ecclesiasticam legerit considerate, habebit compertum, post datam christianæ religioni Pacem mores Ecclesiasticorum melius & castius nunquam habuisse, aut regimini & disciplinæ Ecclesiasticæ felicius & adcuratius consultum fuisse, quam ubi Principes christiani, Constantinus, Theodosius uterque, Marcianus, Justinianus & alii singularem curam disciplinæ Ecclesiasticæ proportionatim una cum Clericis susceperunt, ac Ecclesiastici leges ab Imperatoribus accipere, quam illis, uti fit hodie, dare maluerunt; contra vero sensim cœpisse omnia inclinare, postquam Ecclesiæ regimen & cura disciplinæ soli Ecclesiasticorum & Curiæ præsertim Romanæ arbitrio & dominatui post occasum Imperii & religionis in Oriente fuerunt promissa. Sic etiam de hac Synodo Richerius, ad quam in gratiam veritatis Historicæ contra vulgarem Romanæ Sedi addictorum sententiam plura ex aliis possent congeri, si ratio Instituti præsentis id permitteret. Id vero prætermitti non debet, ante hoc decennium edidisse *Henricum de Noris*, Veronensem, Ordinis sancti Augustini, & Theologiæ Professorem, Patavii peculiarem de ea Dissertatorem, in qua dum præter morem aliis consuetum hoc negotium aliquanto tractavit liberius & simul adcuratius, præsertim Halloixii Lojolitæ errores circa eam sæpius castigans, eum inprimis, quo Imperatorem Justinianum ob res in ea gestas post Baronium & alios rigorose nimis excepit, & quæ plura sunt, quæ sedis Romanæ adsectis ob hypotheses ad authoritatem Pontificiam pertinentes non potuerunt omnino placere, inventi sunt, qui publice hanc ejus audaciam (alii vocarunt temeritatem) rigorosiori exponerent Elencho. Primum facile inter illos occupat locum *Bruno Nouforus*, ordinis Minorum, qui primum sub nomine fictitio Ercherii Palmæ, mox autem schemate mutato sub nomine proprio Moguntiæ, triennio post editam Norisii Dissertationem, edidit Prodromum Velitarem, oppositum non modo Historiæ ejusdem Pelagianæ ac Vindiciis Augustinianis, quæ proximo à publicatione Anno Bruxellis cum censura & adprobatione Cæsaris librorum ordinarii atque Privilegio Regis separatim recusæ fuerunt, sed huic etiam de Synodo Quinta Dissertationi, nominatim capite ejus nono, qua adversus Halloixium suscepit demonstrandum, Pontifices Romanos Vigilii Successores eam adprobasse post Vigilium, Anti-Norisio hoc urgente, eam & à Vigilio, & à Successoribus, qui eidem, ut par erant, adhæserint, fuisse duntaxat adprobatam, quantum ad damnationem trium capitulorum, non vero quantum ad alia, quæ gesta fuerant in ea, utpote quorum multa nunquam potuerint adprobare, ex. gr. quod Collatione prima legitur, Justinianum mandasse Vigilio &c. porro, quod Collatione secunda habetur, Vigilio etiam nolente Synodum debuisse celebrari; insuper, quod Collatione octava extat, non posse aliter in communibus de Fide disceptationibus Veritatem manifestari, nisi in Synodo œcumenica. Agnosce Lector, ex cujus spiritus dictamine hæc fuerint scripta. Præter hunc in illum insurrexit eodem tempore & Anno, *Fulgentius* quidam *Risbrochius*, Canonicus Lateranensis, edito Augustæ opusculo, quo Norisium Augustino injuriam fecisse voluit ostendere, quo rerum successu, in Augustino adversus Bellarminum & alios vindicato ex parte fuit demonstratum. Id autem præ pluribus hunc Anti-Norisium habuit pessime, quod de Vigilii Papæ circa hanc Synodum gestis non adeo æquanimiter visus fuit judicasse, sub finem capi-

capitis octavi sequentia de eo scribens. Fuit authoritatis Pontificiæ ad Principis contemtum usque tenacissimus adsertor, uti ex rebus ab eo gestis inclaruit. Animi inconstantiæ, mutandæquæ sententiæ facilitas vitio vertitur eidem. Nam in causa trium capitulorum varius atque à seipso diversus adparuit non semel. Initio quidem, cum adhucesset in Scilicia, ea defendebat; ut illa se damnaturum Theodoræ Imperatrici promiserat dudum, si fides est Victori. Et cum venisset Byzantium, ob eorum damnationem Sacris interdixit Memnan; at paulo post ei reconciliatus eadem & ipse damnavit in Judicato. Dein post triennium à sententia Judicati discedens emisso novo Constituto eadem damnari posse negavit. Sed paucis mensibus in hac Sententia stetit; nam data ad Eutychium Epistola vim Constituti infregit, atque ad Synodum accedens eadem (denuo) proscripsit. *Hæc ibi*, quia & alia nunc Authori suo relinquuntur vindicanda, dum præsentis Instituti ratio non fert, ut falcem immittamus in hanc Messem.

Bellarminus *ibid.*

De Synodo sexta universali, seu Constantinopolitana tertia testatur, In ea Præsides fuisse Agathonis Papæ Legatos, adfirmante Zonara, quod idem patere putat ex ipsa Synodo, cum in singulis Actionibus illi omnium primi nominentur, loquantur & subscribant. Interfuisse quidem ei Constantinum Imperatorem, cum non nullis illustribus Viris, & præsedisse, id est, primo sedisse in loco, sed nullo plane modo Judicem fuisse aut formaliter Præsidem, quia nullam tulerit Sententiam, & ultimus omnium subscripserit, non definiens, sed consentiens.

Launojus *T. eod. Epist.* 8.

ETsi quoad Legatorum Agathonis præsidentiam in hac Synodo non dissentiat à Bellarmino, sed potius sententiam ejus confirmet atque tueatur contra recentiores quosdam, Bedam, Hincmarum, Lambertum Schafnaburgensem, Marcianum Scotum, Authorem Compilationis Chronologicæ, Photium, Cedrenum, Zonaram (quem Bellarminus sibi ausus est adscribere, at præter debitum) Nilum, Libellum quoque Synodicum, qui vel aliis, vel simul pluribus hujus Synodi ἀκριβείαις adscripserunt, hac addita observatione notatu dignissima, Scriptores Latinos posterioribus Græcis æquales nullibi hoc genus facti reprehendisse, tanquam à Regulis Ecclesiasticis alienum; ea tamen ex ipsis Synodi hujus Actis prolixissime adduxit contra Bellarminum, quæ docent manifeste, Imperatorem vere Præsidem ejus fuisse, & non primo tantum loco sedisse, cum is ea, quæ fuerant proponenda, ad deliberandum proposuerit, & passim quoque fuerit inter locutus, atque in narratione ipsi Synodo proponatur, imo, absente ipso, qui vice ejus aderant, Judices eidem fuerint præpositi, &, quod insuper adcedit, Imperatori prius, quam Papæ sit à Synodo adclamatum, quæ omnia certam Præsidis speciem non possint non exhibere, & sola huic speciei videatur deesse subscriptio, quia non primus, sed ultimus subscripserit Imperator, nulla ratione in promtu ex Actis, cur id factum sit, quæ satis possit facere. Adcedit his aliquid singulare, quod prætermitti non debet. Nempe, Diurnum Romanum, typis quidem Romanis edictum, sed quod ibi captivum detinetur, in Præsulis Romani recens creati adlocutione ad Episcopos hoc Concilium Imperatore Constantino *præsidente* celebratum dicitur. Itidem Ecclesiæ Romanæ Breviarium Venetiis & Lutetiæ editum, in Nocturni primi Lectione prima Constantinum sextæ Synodi Præsidentem vocat. Atqui hæc Lectio tota est defumta ad verbum ex vita Leonis secundi, quam Anastasius Ecclesiæ

Romanæ Bibliothecarius confert. Unde vehemens eſt ſuſpicio, antiquiores Anaſtaſii Codices præſtare Recentioribus, ubi Reſidente, non præſidente legitur. Nimirum, qui opus Anaſtaſii de Vitis Pontificum tranſcripſerunt, aut typis mandari curarunt, cum vox præſidente videretur incommoda, literam p ab ea tulerunt, & diphtongum æ in e ſimplex mutarunt. Romanum quoque Breviarium, quod Anno Seculi antecedentis poſt quadrageſimum tertio Pariſiis eſt editum, depromtam ex vita Leonis Lectionem retinet quidem, at vocem præſidente, quam habebat Breviarium vetuſtius, itidem in vocem Reſidente commutat; & qui poſtmodum ſucceſſerunt hujus Breviarii correctores, lectionem antiquam, quæ, ex quo tempore Leonis ſecundi Feſtum in Eccleſia Romana cœpit celebrari, ibi fuerat recitata, abrogarunt, & aliam ſuffecerunt in ejus locum, in qua Synodus ſexta non amplius dicitur celebrata præſidente, ſed præſente Conſtantino, uti & præſentibus Patriarchis duobus, Conſtantinopolitano & Antiocheno. Verum, ita Launojus cenſet, Antiochenus non erat dignus, cujus nomen prædicaretur in Eccleſia. Macarius erat, qui ut Monothelita damnatus eſt à Synodo, & privatus Epiſcopatu. Id notabatur in antiquis Breviarii Romani Lectionibus, quas Anaſtaſius in vita Leonis ſecundi ſuppeditaverat. Si Correctores inſpexiſſent Actionem octavam hujus ſextæ Synodi, deprehendiſſent quidem, Georgio Patriarchæ Conſtantinopolitano, ut orthodoxo adclamatum eſſe, Macario autem Antiocheno non item. Imo, ſi dignati eſſent adtendere Diurnum Romanum, ſine dubio reperiiſſent, Macarium hunc Antiochenum toties anathemati fuiſſe ſubjectum, quoties Romæ Pontifices novi creabantur. Verum enim vero, homines bene alias docti & ſincero præditi animo ſiviſſent antiquas de Leone ſecundo Breviarii Romani Lectiones recitari, uti ab initio fuerunt recitatæ, ſi noviſſent, participium συνελθούσης in Actis Synodi hujus ſextæ reperiri duodecies, & Leonem ſecundum illud toties vertiſſe, præſidente, & hoc ipſum in Eccleſiæ Romanæ Diurno contineri.

Additio.

ANte Launojum de hac Synodo ſexta generali, ac ejuſdem indictione & præſidio Imperiali adverſus Romanenſium ſuſpectas traditiones egit etiam prolixe Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum generalium, & quidem hic quoque iis cum obſervationibus, quæ Veritatis Hiſtoricæ ſtudioſo ſectatori non poſſint non eſſe omni ex parte acceptiſſimæ. Poſt obſervationem ergo generalem, nempe, quod Conſtantinus Pogonatus, Heraclii nepos hanc Synodum indixerit, atque in ea cum ſuis Magiſtratibus & Viris patriciis præſederit, eodem obſervato ordine ſedendi & procedendi, qui fuerit obſervatus in Synodo Chalcedonenſi, ad Literas Imperatoris, quas ad Donum Papam ſcripſerat, quæque in principio Actorum Synodi extant, quoad earum argumentum ſequentia notat. Primo, inquit, Imperator narrat neceſſitatem habendæ Synodi ex eo natam, quod populus orthodoxus propter quaſdam novitates vocum incidiſſet in Schiſma, atque ſic eam ob cauſam multos tum Occidentalis, tum Orientalis Eccleſiæ Epiſcopos illum invitaſſe ad indicendam Synodum generalem. Secundo Imperator Romam vocat ſuam, atque in extrema Epiſtolæ clauſula ſcribit, ſe provinciam dediſſe Theodoro Italiæ Exarcho, ut ſubſidio eſſet Epiſcopis ad Synodum venientibus, ex quo patet, fabulam de Conſtantini M. donatione hoc tempore nondum adoleviſſe. Tertio hinc docemur, Imperatorem, quamvis Imperio jam cadente, (dum excepta tantum in Italia in Occidente toto Imperatores nihil obtinebant) tamen ex aliorum Imperatorum conſuetudine Synodum Pontifici Romano indixiſſe, & Romæ tum adhuc imperaſſe. Quarto monet Papam, ut omni Zelo, contentione, invidiaque depoſita conſulat Veritati ac hujus Dominicæ vocis recordetur: Quicunque voluerit omnium pri-

Digitized by Google

primus esse, sit omnium minister. Etsi enim Imperator in hac Epistola loquatur numero plurali, hoc tamen de Pontifice Romano intelligi, cuivis minime obnoxio pronum est conjicere. Quinto pollicetur, Concilium fore liberrimum, neque se cuiquam vim aut oppressionem facturum. Sexto ex illorum temporum Disciplina Papam duobus modis posse considerari demonstrat, quando nimirum petit ab eo, ut ad Synodum de privata Ecclesia sua tres aut plures personas mittat, si velit, ex suo autem Concilio usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos. Papa enim ut Patriarcha plures sub se habet Metropolitas; verum quatenus est Archiepiscopus, & Ecclesias regit suburbicarias, Episcopis solummodo suffraganeis præest more aliorum Metropolitarum. Septimo id quoque observandum, has Imperatoris ad Donum Pontificem literas, quia is interea obiit, ad Agathonem ejus successorem fuisse delatas, illumque statim coegisse Synodum, ut satis faceret Imperatoris mandato, ac Vicarios cum sua & Synodi suggestione ad Imperatorem misisse. Quod Actionis primæ Synodalis initium, cui omnium aliarum Actionum exordia congruere notat Doctor Sorbonicus, iterum aliqua observatione digna Lectoribus adtentis commendat, quæ tamen qui potissimum conveniunt cum proxime notatis, studio brevitatis nunc quidem prætermittuntur, excepto hoc, quod circa convocationem Synodi ab Imperatore factam atque ab Agathone Papa agnitam adversus Vallium urget, eidem opponens Authorem Præfationum Historicarum Editionis Romanæ, Baronio nimirum & Binio; quos sequitur Vallius, multo verecundiorem, utpote Actorum & Veritatis evidentia convictum, addito hoc etiam Monito, tempore Agathonis Pontifices Romanos solummodo authoritatem habuisse in Episcopos & Metropolitas sui Partriarchatus juxta sextam Canonem Nicenum; neque hoc neglecto, jus Imperatoris præsidendi Conciliis, quo Constantinus in hac etiam Synodo fuit usus, non fuisse controversum ante Gregorium Pontificem hujus nominis septimum, atque Dictatum illius sextum post decimum; & multa, quæ in Ecclesia primitiva ab Imperatoribus Christianis jure fiebant & observabantur, desiisse fieri ac observari sub Carolo M. & aliis Regibus Galliæ, qui honorem extraordinarium Pontificibus Romanis obtulerunt, eosque ampliſſima ditione cum magna Disciplinæ Ecclesiasticæ & morum bonorum ruina locupletarunt: quoniam Pontifices, postquam Domini temporales sunt effecti, majorem curam temporalium quam spiritualium rerum gesserunt, seque supra Benefactores suos nimium quantum extulerunt. Ad tres primas Actiones notat, Vicarios Sedis Apostolicæ stantes fuisse locutus, atque id factum potius videri ex ardore contentionis, quam ob causam quamvis aliam, quidquid dicat Cardinalis Cusanus libri de Concordantia Catholica secundi capite vicesimo; utut etiam non repugnet, Patres Imperatoris salutandi causa sub initium suæ orationis surrexisse. Ad quartam Actionem referuntur Epistolæ Agathonis & Synodi Romanæ ad Imperatorem Constantinum. Circa priorem duo observat Doctor Sorbonicus. Unum est, quod Agatho gratias agit Imperatori, quia, cum absolute posset imperare, maluerit tamen suadendo ac clementer exhortando præcipere, scribens, se illi efficaciter promtam exhibere obedientiam, quam debeat, & quidem vice iterata. Et dum Editio Conciliorum generalium Romana vocem Græcam ὑποταγὴν loco priori vertit obsequentiam, videtur voluisse obedientiam & ministerium, quod Papa Imperatori tanquam Domino Romæ debet, declinare; sed frustra, quia paulo post ipse iterum Agatho Romam vocavit servilem provinciam, addens, se pro satisfactione obedientiæ eos misisse homines, quos tempus potuerit perferre, hoc etiam subjuncto, Imperatorem clementer jubendo hortatum esse, & suam pusillitatem, quod jussum est, obsequenter impleviſſe. Quid vero ad hæc Vallius & alii Monarchiæ papalis Patroni? Scilicet, Agathonem hæc per humilitatem, non autem ex officio & veritate rei dixisse. Sed fabulæ sunt, scribit Doctor Sorbonicus; typhum Seculi redolentes. Equidem ratione potestatis spiritualis, qua Agatho instructus erat, Imperatorem is vocat filium; ratione vero Imperii & potesta-

teſtatis temporalis, quam Jure Divino Cæſari ineſſe noverat, eundem & merito quidem vocat Dominum, ad imitationem Gregorii M. qui in libri ſecundi Epiſtola poſt ſexageſimam ſecunda ad Mauritium Imperatorem ſcripta ſe indignum ejus famulum & jure ſervum Reipublicæ, Imperatorem vero Dominum ſuum agnovit. Ubi notandum obiter, Pontifices Romanos, prout humiles ſpiritu atque à ſtudio dominandi fuerunt alieni, ingenue in ſcriptis præſertim quando ſcribebant Imperatoribus, ſe eorum ſubditos in temporalibus agnoviſſe; alios autem miro verborum aucupio & vocabulis æquivocis rei veritatem involviſſe, ne pateret. Unde factum videtur, quod Papa Sabinianus, quia humilitas Gregorii M. in Epiſtolis ei non eſſet cordi, omnia ejus opera voluerit comburi, ut refert Platina. Alterum eſt, Agathonem erga Imperatorem uti excuſatione, quod non potuerit petitioni Imperatoris exacte ſatisfacere. Circa poſteriorem, videlicet Synodi Romanæ, cui Agatho etiam ſubſcripſit, Doctor Sorbonicus itidem obſervat quædam, quorum hic brevem facere mentionem juvat. Primum eſt, quod Patres Synodi cum Agathone agnoſcunt, ubi neceſſitas obcurreret, Imperatores ſolitos indicere Synodos omnibus Patriarchis. Secundum, hanc Epiſtolam Synodalem Legatis Papæ & Synodi traditam eſſe pro inſtructione ſufficienti, quibus inſuper Agatho injunctum fuiſſe ſcribit, ne aliquid augerent, minuerent vel mutarent, ſed traditionem Sedis Apoſtolicæ ſincerite enarrarunt; quæ omnia ſicut infallibilitatem Papæ dilapidant, ita etiam demonſtrant, quid ex Cathedra definire ſit, ac longe aliud eſſe, in definiendis Controverſiis de Papa & de Sede Apoſtolica facere verba, quoniam Cathedra neceſſario de Synodo Patriarchali, quæ Sedi Apoſtolicæ ſubjacet, intelligitur. Tertium eſt, eandem plane rationem eſſe inſcriptionis Epiſtolæ hujus Synodicæ & Agathonis, dum ſicut Agatho, ita etiam Patres Synodici Imperatorem ſuum adpellant Dominum, ſe autem famulos Imperii, quæ ſcilicet formula deſignat, Papam & Epiſcopos ſe illo tempore ſubditos Imperatoris in temporalibus agnoviſſe. Quartum, verba in eadem Inſcriptione, qua legitur ſcripſiſſe Agatho cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Sedis Apoſtolicæ, adprime notanda eſſe, utpote ab omni faſtu aliena, & ſimul Poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe miniſterialem convincentia. Nempe, non ſcripſit Agatho eum Synodis ſubjectis & ſubditis, ideo, quia verbum ſubjectionis Imperio temporali & feudali magis proprium eſt. Unde fit etiam, ut Metropolitani Epiſcopos ſuæ Metropolis non ſubditos, ſed ſuffraganeos vocant, quia ſub illis & poſt illos ferunt ſuffragia & vota. Hæc autem, qui volet, cum faſtu hodierno & pompatica Curiæ Romanæ Majeſtate conferat. Quintum, Agathonis Seculo Papam in rebus Eccleſiaſticis nihil motu aut ſpiritu proprio, ſed tantum communi & generali ſpiritu Eccleſiæ, id eſt, Synodice de controverſiis naſcentibus ſtatuere ſolitum. Nam, ut Legatos, quos erat miſſurus ad Concilium, ſufficienter informaret, pro more Agatho Synodum ante habuit, quod ſimiliter factum à Cœleſtino ante primam Synodum Epheſinam, atque à Leone M. ante Chalcedonenſem; quod ipſum os, utut duriſſimum, obſtruere debet adverſariis. Sextum, quando in ſubſcriptione hujus Epiſtolæ Synodalis Agatho ſeipſum vocat Epiſcopum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Urbis Romæ, ipſum docuiſſe, illis adhuc temporibus cæteras quoque Patriarchales Eccleſias vocari conſueviſſe Apoſtolicas, quia ad diſtinctionem illarum ſic Agatho hic ſcripſerit. Septimum, Epiſcopos Italiæ, qui poſt Agathonem Papam huic Epiſtolæ ſubſcripſerunt, vocaſſe ſe Epiſcopos DEI gratia, quod ſupinam Vallii condemnat ignorantiam, utpote quem adferere non puduit, formulam, qua hodierni utuntur Epiſcopi, ac ſimul DEI & Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopos ſe vocant, antiquiſſimam eſſe, in libri ſæpius citati, ac partis ejuſdem tertiæ Quæſtione ſexta hanc exhibens rationem, quia, inquit, Galli ſemper acerrimi fuerunt ſuæ Libertatis vindices, neque ſibi hoc jugum paſſi fuiſſent imponi, niſi una cum Eccleſia naſcente habuiſſet ortum, unde vult efficere, Juriſdictionem Epiſcopalem à ſolo Papa, non vero à ſacris Electionibus conferri. At, ſi homo

mo ſententiarum debuerat legiſſe, apud quem in fronte Articulorum Pariſienſium Stephani Pariſienſis Epiſcopi reperiſſet epiſtolam, qua ſe Divina permiſſione indignam Pariſienſis Eccleſiæ miniſtrum vocavit, qua inſcriptione duobus ante Stephanum ſeculis legitur uſus Ivo Carnotenſis Epiſcopus paſſim in epiſtolis. Hercle, dum Vallius formulam à ſe laudatam à primis Eccleſiæ incunabulis ortam eſſe hariolatur, ſeipſum pueris exponit irridendum, qui eam ex pernitioſiſſima ſemente Concordatorum Bononienſium fruticari, atque hominum ambitioſorum adulationibus quotidie irrigari & adoleſcere norunt. Cæterum, ſic ſcribit porro poſt alia Doctor Sorbonicus, poſtquam ſingulos apices harum Agathonis & Synodice Romanæ ſuggeſtionum adtente & dogmatice conſideravi, nihilque Monarchici in eis reperire potui, quod hodiernis Curiæ placitis faveret, rogatos velim adverſarios, (forſitan enim in cauſa propria erunt oculatiores vel magis lynceï) ut vel tenuem umbram Monarchiæ Papalis deſignent. Poſt hæc & plura, quæ ad præſentis Inſtituti rationem non pertinent, ad actionem Synodi hujus decimam, in qua nempe teſtimonia ab Agathone in ſuggeſtione prolata cum libris authenticis coram Synodo tota fuerunt collata, hæc iterum advertit. Primo, Patres Synodi clare hoc ipſo docuiſſe, quid tenendum ſit de propriis Papæ motibus ac infallibili authoritate, quam Curiales hodie ei adſcribunt. Si enim Concilium generale acta Synodi Romanæ ſpecialis tam exacte examinavit, quanto magis quæ à ſolo Papa proficiſcuntur, debent expendi. Secundo, Decreta Synodalia Concilii Patriarchalis Papæ nequaquam obligare Eccleſiam univerſalem, niſi hæc nominatim præbeat conſenſum. Tertio, merum eſſe commentum Curialium, Papam jure Divino eſſe Monarcham Eccleſiæ univerſalis abſolutum; hoc enim ſi eſſet, Patres omnium Conciliorum univerſalium graviter peccaſſent in jus Divinum, quando Decreta Synodorum Romanenſium, quibus Pontifices Romani præfuerunt, revocarunt ad examinis Incudem. Quarto hinc etiam redditur planum, quid de regula Agathonis ſit ſentiendum, quæ apud Gratianum in diſtinctione poſt decimam nona vult ſic omnes Sedis Apoſtolicæ ſanctiones eſſe ſuſcipiendas, tanquam ipſius Patri voce eſſent confirmatæ; quandoquidem per ſanctiones Apoſtolicas non motus privati, ſed Decreta Synodalia conſenſu Eccleſiæ recepta & adprobata oportet intelligere. *Hæc ibi* Richerius, quæ, uti & alia his ſimilia ad hominem diſputantibus poſſunt inſervire, ſed cum certo quodam diſcrimine & judicio, ne quævis ſine cenſura tanquam omni ex parte liquida & indubitata ſuſcipiantur. Cætera quæ ad perſonam & doctrinam Honorii Pontificis, de quo in hac Synodo fuit actum, pertinent, de quibus Doctor hic Sorbonicus contra communem recentiorum Aulæ Paraſitorum opinionem prolixiſſime & ſimul adcuratiſſime egit, peculiarem ſupra obtinuerunt locum, ubi plura ex hujus generis ex aliis etiam authoribus obcurrunt. Nunc ea porro veniunt notanda, quæ circa finem hujus Synodi idem obſervatu digna Lectoribus commendavit, inter quæ præſertim obcurrit ſermo Imperatoris ad Patres & eorum unanimis adclamatio, quod adtinet Actorum Synodi confirmationem, utpote quæ ad typum concluſionis Synodi Calchedonenſis ſunt expreſſa, & clare convincunt, Decreta & Canones Synodorum à Communi Patrum conſenſu & univerſali Sanctorum communione, non vero ab unius Monarchæ infallibilis poteſtate robur habere. Adcedit Sermo Proſphoneticus Patrum ad Imperatorem, quo explicate & nominatim ab eo flagitant, ut more aliorum Imperatorum, qui eum præceſſerunt, aliaque confirmarunt Concilia, atque in rem judicatam ſigillis & Edictis ſuis miſerunt, hanc quoque Synodum ſigillo & authoritate ſua corroboret. Quod ſi Vallius & alii Curiales tale teſtimonium de confirmatione Actorum ab infallibili Monarcha ſuo quæſita poſſent proferre, quantis bone DEUS exultarent gaudiis! His etiam debet adcenſeri clauſula, qua Imperator edictum hujus Synodi confirmatorium obſignavit, decernens pœnas iis debitas, qui poſthac in fidem rectam peccarent. Ubi id inprimis venit notandum, rempublicam chriſtianam mille annorum de-

Digitized by Google

annis ſcriptores Romani abſolutam meditentur Monarchiam, hunc in finem mutantes quadrata rotundis, inducentes, illinentes, caſtrantes, expurgantes, ſupponentes &c. quidquid videtur, & ſine ulla id quidem reverentia.

Bellarminus *ibid.*

De Synodo ſeptima, quæ habetur pro univerſali, Nicena videlicet ſecunda ſic plautis ſuam exprimit mentem, ut dicat, ſine controverſia Præſides in ea fuiſſe Legatos Adriani Papæ, utpote qui & primi nominentur, & primi quoque ſubſcripſerunt, ac Imperatorem nihil in ea egiſſe.

Launojus *T. eod. Epiſt.* 9.

Hic etiam non diſſentit à Bellarmino; obſervat tamen, Photium multos facere hujus Concilii Præſides, & primum inter eos Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & hunc ſequi libellum Synodicum. Et poſtquam Theodori Studitæ Abbatis fecit mentionem, qui ex una parte conſentit Photio quoad plures Concilii Præſides, ex altera autem diſcedit ab eo, primum inter Præſides locum Pontifici Romano adſerens, utpote quem in epiſtola ad Leonem tertium τῶν ὅλων κεφαλὴν κεφαλὴν vocavit; id porro notavit Launojus, Synodum hanc ſeptimam veteres Latinos, & cumprimis Gallos pro œcumenica non habuiſſe, hunc in finem adducens Annales Francorum, in quibus bina vice Synodus hæc vocatur Pſeudo-Synodus, authorem vitæ Caroli M. qui eam eodem ornat elogio, Poetam Saxonicum in Annalibus, qui nomine generalis Concilii non dignam ex mente Caroli M. & Concilii Francofordienſis dixit; Eginhardum quoque in Annalibus de rebus geſtis Caroli M. Hincmarum Remenſem contra Hincmarum Laudunenſem, opuſculi poſt quinquageſimum quinti capite vigeſimo, Reginonem Abbatem Prumienſem in ſecundo Chronicorum libro, qui omnes conſentiunt, hanc Synodum in totum ab omnibus abdicatam, pro pſeudo-Synodo habitam, & ab ipſis Pontificibus rejectam eſſe. Addit Launojus, Anaſtaſium Bibliothecarium proxime laudatum ex hoc quoque hanc ſeptimam agnoſcere Synodum, quod, quæ Conſtantinopoli ſub Adriano Pontifice hujus ſecundo fuit celebrata, vocaverit octavam. In fine tandem hanc ſubjungit coronidem, monens, ſeculis poſterioribus quoad hanc Synodum Gallos alia gubernatos fuiſſe providentia, dum ſcriptores, ubi ſe dedit occaſio, eam pro univerſali agnoverint, ideo, quod infinitus ab ea Imaginum ſacrarum cultus placuerit illis; atque ſic eos hanc Synodum admittere, eique Adrianum per Vicarios præfuiſſe, recipere.

Additio.

Ante Launojum de hac Synodo ſeptima univerſali itidem egit Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum generalium, non quidem expreſſe adverſus Bellarminum, imo ab ejus ſententia quoad Synodi præſides non adeo alicujus, ea tamen hinc inde contra Sedis Romanæ adulatores inſpergens, quæ omnino hic etiam merentur legi, tanquam teſtimonia Veritatis non omnibus cognitæ. Poſtquam igitur literas indictionis ab Imperatore Conſtantino hujus nominis ſexto & Matre ejus Irene ad Adrianum Pontificem hoc nomine primum ſcriptas in editione Crabbiana & Suriana deſideratas è Biniana & Romana verbotenus adduxit pro more, obſervans, Baronium eam primo evulgaſſe, & monuiſſe, quod Anaſtaſius Eccleſiæ Romanæ quondam Bibliothecarius eam exhibuerit ac in Latinum verterit, pluribus mendis adſperſam, idaddidit de ſuo, ſe eam com-

Quæ ſi ſecundum ſe ſumantur, ſunt ſimplicia, ſi ſecundum
quod ſunt in ſubiecto, ſunt compoſita. Et ſic ſimplicia ſunt
ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ ſunt actus purus, ſicut Deus, &
Angeli, & intelligentiæ, & corpora cœleſtia, quæ ſunt ſub-
ſtantiæ compoſitæ ex materia & forma, ſed materia eſt
ingenerabilis & incorruptibilis, & ideo ſunt ſimplicia ſe-
cundum ſe. Compoſita autem ſunt ſubſtantiæ compoſitæ
ex materia & forma, quæ ſunt generabilia & corruptibilia.
Et ſimplicia ſecundum quod ſunt in ſubiecto ſunt omnes
formæ ſeparatæ a materia, ſicut ſcientia, & albedo, & hu-
iuſmodi. Compoſita autem ſecundum quod ſunt in ſubiecto
ſunt omnes formæ materiales, ſicut homo, & lapis, & hu-
iuſmodi. Et ſic patet, quod ſimplicia ſecundum ſe ſunt
ſubſtantiæ ſeparatæ, & ſimplicia ſecundum quod ſunt in
ſubiecto ſunt formæ ſeparatæ a materia. Compoſita autem
ſecundum ſe ſunt ſubſtantiæ compoſitæ ex materia & forma,
& compoſita ſecundum quod ſunt in ſubiecto ſunt formæ
materiales

lixiſſime ad Baronii argumenta reſpondet, quæ tractatio alius eſt loci & temporis. Tertio, eundem Adrianum conqueri, quod Imperator Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum vocaverit œcumenicum ſeu univerſalem, Anaſtaſio in Præfatione hujus Synodi narrante, ſe hac de cauſa ſermonem conſeruiſſe cum Græcis, hos autem dixiſſe, ſe Patriarcham ſuum vocare œcumenicum, non quod orbis univerſi teneat Præſulatum, ſed quod cuidam parti orbis habitabilis præſit; nam, uti de ſuo addit Anaſtaſius, quod Græci vocant œcumenicum, à Latinis (quoque) non ſolum orbis aut univerſalis, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur, quod ulterius proſequitur Doctor Sorbonicus. Quarto, petere eundem Adrianum ab Imperatore, ut, quæ ab orthodoxis Imperatoribus ſeu à cæteris fidelibus Chriſtianis oblata ſint atque concepta patrimonio B. Petri Apoſtolorum Principis, in integrum dignetur reſtituere; quæ, inquit Doctor Sorbonicus, ſi intelligantur, quaſi ante Caroli M. donationem Eccleſia Romana aliquod habuerit patrimonium terreſtre & ditionem profanam, ſunt falſiſſima, nihil enim antea poſſidebat terrarum. Quinto, eundem porro Adrianum vocare Carolum M. filium & ſpiritualem compatrem ac Patricium Romanorum, & inſuper docere, Eccleſiam Romanam à Regibus Franciæ patrimonium Petri, quod vocant, habere, non autem à Conſtantino M. ut alii fabulantur, cum à tempore Conſtantini M uſque ad Pogonatum Imperatores ſemper habuerint Exarchum & Proceſem in Italia, qui Romæ etiam moderabatur; tempore autem Synodi hujus ſeptimæ adhuc in Sicilia & Provincia Neapolitana Strategum aut Ducem quendam militarem ad Provincias haſce gubernandas conſtituebant, ſiquidem vires ac poteſtas Imperii tum penitus erant profligatæ in Occidente, ita ut Imperatores præter Provincias modo laudatas nihil in tota poſſiderent Italia, quoniam Carolus M. exciſo Longobardorum regno univerſam occupaverat. Hinc opinor, ſcribit Doctor Sorbonicus, hoc Caroli M. ſeculo, poſtquam Eccleſia Romana ab eo locupletata fuit ditione temporali, excogitatam fuiſſe fabulam de donatione Conſtantini M. aliaque multa in gratiam Curiæ jam parturire incipientis efficta atque ſuppoſita fuiſſe. Sexto, eundem teſtari, Carolum M. Petro reſtituiſſe Provincias, quæ ejus eſſe jure dignoſcebantur; quod valde dignum eſt admiratione, eorum namque quadrat commento, qui donationem (ipſius) Conſtantini non largitionem, ſed ſimplicem fuiſſe nugantur reſtitutionem, quod otioſorum & imperitorum eſt figmentum, &, niſi vehementer, inquit Doctor Sorbonicus, fallor, huic epiſtolæ Adriani fuit adſutum à quopiam, ſicut & alia quædam. Septimo tandem, quamvis poteſtas Romani Pontificis Imperio mente magnum haberet incrementum, Adrianum nihilo tamen minus Monarchicum jus non adrogaſſe in Eccleſiis, ſed primatum duntaxat. Obſervat autem porro Doctor Sorbonicus ad ſecundam hanc actionem, huic Epiſtolæ Adriani ad Imperatores aliam ſubjici ejuſdem ad Taraſium, cujus Inſcriptio eum vocat Patriarcham, quod cum ſupra notatis convenit. De utraque Epiſtola id inſuper monet, eas fuiſſe Synodice conſcriptas, quod de aliis jam quoque dictum eſt, atque ſic tum temporis motus proprios nondum in uſu fuiſſe, qui demum cœperit ab eo tempore, quo Synodi generales deſierunt celebrari, & conſequenter, tum adhuc omnia non ad unius Papæ arbitrium, ſed ex communione Sanctorum & regulis Ariſtocratici regiminis fuiſſe decreta. His denique ſubjungit, Anaſtaſium in Præfatione ad hanc Synodum ſeptimam id inter alia dignum notatu habere, quod Galli tunc temporis non conſueverint Imagines adorare. Addit de ſuo Doctor Sorbonicus, ſe quidem non ambigere, Imagines ſacras à primis Eccleſiæ incunabulis in uſu fuiſſe, ſed Caroli M ſeculo, cum ritus eas adorandi introduceretur, uti quævis nova ſemper aliquid habent inſoliti & ſuſpecti, id multos perculiſſe, quousque uſu diuturno novus adorationis ritus miteſceret. Gregorius certe Magnus ſub finem Epiſtolæ poſt quinquageſimum tertiæ in libro earundem ſeptimo ſcribens cuidam, qui ab eo Chriſti Imaginem flagitaverat, explicate reſpondit, Imagines adorandas non eſſe. Idem tractavit argumentum in Epiſtola poſt centeſimam nona, uti & libri noni Epiſtola

nona, ex qua locus laudatur ab Hincmaro Rhemensi in Opusculi, quod centum annis fere post hanc Synodum septimam contra Hincmarum Nepotem scripsit, capite vicesimum quinto, unde inprimis duo colliguntur. Unum est consuetudinem Imagines adorandi ne tunc quidem in Galliis usitatam fuisse, ipsomet Anastasio teste, ac Synodum hanc septimam continuo à Gallis è contra verissimum, tempore Caroli Magni adorationem Imaginum in Synodo Parisiensi prohibitam. Causam vero, cur Imaginum cultus ad Gallos pervenerit serius, hanc esse conjicio, scribit Doctor Sorbonicus, quod Galli non ab Imperatoribus, sed Regibus gubernarentur; siquidem ratio Imaginum adorandarum primo ab analogia & similitudine honoris, quem primi Christianorum Imaginibus Imperatorum exhibebant, manavit, uti ex prima actione hujus Synodi septimæ constat. Historiarum certe monumenta nos docent, ab eo tempore, quo Imperatores nomen dederunt religioni Christianæ, & Pax Ecclesiis fuit reddita, illorum Imagines in Templis Christianorum erigi atque honorari solitis, Romæ præsertim & Constantinopoli, quæ Sedes erant Imperii. Unde postmodum quasi à minori ad majus Ecclesia Imagines Martyrum atque aliorum quorundam Sanctorum pedetentim erigi & honorari permisit in Templis, ducta similitudine & proportione à simulacris Imperatorum. Alterum est, rationem Imaginum adorandarum teste Gregorio indigere multa ratiocinatione, nec parva implicatam difficultate, uti ipsemet fatetur Bellarminus. Atque hinc ego, sic suam exhibet superinde sententiam Doctor Sorbonicus, coram populo à nomine adorationis abstinendum esse, ac solo venerationis, cultus aut honoris nomine uti oportere censerem.

Appendix.

PRodiit non ita pridem Parisiis cum duabus aliis tertia dissertatio, quæ in Semestrali Catalogo Amstelodamensi Petro Allix adscribitur, de Conciliorum quorumvis Definitionibus ad examen revocandis, cujus capitum lemmata sua juvat adponere, utpote Lectori ansam ad varias meditationes præbitura. Et capite quidem primo, ex Synodi ipsius Actis probatur, Pontificis Romani Legatos huic Concilio præsediſſe; cui secundum subjungit, hujus Concilii Patres se pro universali habuisse, & definitionem super cultu Imaginum edidisse. Adcedit tertium, quo evincitur, hujus Synodi definitiones à Pontifice Romano confirmatas fuisse. Sequitur vero quartum, quo è contrario demonstratur, hujus Synodi definitiones de cultu Imaginum, quamlibet à Pontifice Romano confirmatas, non minus ab aliis fuisse contentas. Quintum succedit, in quo & Adriani Papæ primi & ipsorum Patrum Nicenorum sententia Caroli Magni, & Patrum Francofordiensium judicio adversus definitiones Nicenas bonum adscribitur factum. Hinc capite sexto colligitur non obscure, ex Episcoporum Occidentalium sententia posse definitiones universalis Synodi à Pontifice Romano comprobatas expendi ac improbari. Capite deinceps septimo exponitur consensus Episcoporum Orientis & Occidentis seculi noni de Synodorum quarumlibet definitionibus ad examen revocandis; quod idem capite octavo colligitur ex Gestis paulo post in Gallia comprobatum. Insuper capite nono refertur, ipsos Pontifices Romano hanc Synodum Nicenam diu inter œcumenicas non computasse, ac porro memoratur, octavam universalem æque ac septimam hancce à Gallis & aliis diu rejectam fuisse. Tandem capite decimo & ultimo ostenditur, plerosque ex iis, qui hanc Synodum à Pontifice Romano confirmatam spreviſſe aut confutasse leguntur, pro Sanctis jam vel ab ipsa Ecclesia Romana haberi. Sunt hæc pleraque, inprimis posteriora tanti in hoc negotio momenti, ut, si rite ponderentur, quod omnino fieri decet, aliter omnino de Conciliorum universalium in genere

re

Digitized by Google

re, & in ſpecie hujus ſeptimæ Synodi valore & authoritate videatur eſſe ſtatuendum, niſi opinio præconcepta ex aliquo jure Præſcriptionis imaginario obtineat.

Bellarminus *ibid.*

DE Synodo octava vel Conſtantinopolitana ordine & numero quarta itidem teſtatur, in ea ſine controverſia Legatos Adriani Papæ hoc nomine ſecundi præſedisſe, ac Imperatorem Baſilium adfuiſſe quidem, ſed in fine Concilii longa oratione teſtatum eſſe, nec ſuum, nec ullius Laici officium requirere, Judiciis Eccleſiaſticis ſe immiſcere, & tandem ſubſcripſiſſe poſt omnes Patriarchas, non definientem, ſed ſuſpicientem, & conſentientem, præfatam quoque, debuiſſe ſe ſubſcribere poſt omnes Epiſcopos, exemplo Conſtantini, Theodoſii & Marciani, ſubſcripſiſſe ſe tamen poſt Patriarchas immediate, quia tali cum honore Epiſcopi voluerint adficere.

Launojus *T. eod. Epiſt.* 10.

UTi quoad partem priorem de Pontificis per Legatos præſidentia non contradicit Bellarmino, ita quoad poſteriorem de Imperatoris præſidentia habet aliqua obſervatu digna, hic omnino Lectori exhibenda cum iis, quæ ex aliis ſcriptoribus inſerunt non prætermittenda, nominatim Photio, notans, eum de ſeptem Synodis librum ſcripſiſſe, quem potuerit ſcribere de octo, ſi octavam agnoviſſet pro univerſali, qua in ipſe tanquam Sedis Conſtantinopolitanæ incubator anathemate percuſſus, Ignatius vero reſtitutus fuit, qui ab ea per Photii tyrannidem fuerat dejectus. Notum eſt quidem, dici poſſe, librum de Synodis à Photio prius edictum fuiſſe, quam hæc Synodus octava fieret; verum diceretur, quod incertum eſt, ſcribit Launojus. Ad hæc Photius huic octavæ Synodo annis ſupervixit pluribus, ideoque eam aliis ſeptem potuit adjungere, ſi eam agnoviſſet univerſalem. Cedrenus quidem & Zonaras mentionem ejus faciunt, ſed eam nec octavam, nec œcumenicam adpellant. Nilus eam ne verbo quidem adtingit, ſed aliam, in qua Ignatio defuncto Photius eſt reſtitutus, eamque falſo vocat octavam & œcumenicam. Hic ſilentio tegendum non eſt, Synodum Florentinam, quæ ex Antiſtitibus Græcis & Latinis conflata eſt, alia gubernatam fuiſſe providentia. Hæc enim ubi primum ſub nomine Synodi octavæ prodiit in lucem, Græci & Latini, qui aderant, & qui eam typis mandarunt, nec Synodum, in qua Photius eſt depoſitus, nec aliam, in qua Sedi ſuæ reſtitutus eſt Ignatius, cognoverunt octavam; qua non agnita, haud mirum eſt, Græcos & Latinos hoſce hujus octavæ Synodi nullum agnoviſſe Præſidem. Porro, quia Veritas erubeſcit, cum abſconditur, ut illius Rubori & verecundiæ parcatur, tria ſunt in hac Synodo, quæ ad Imperatoriam pertinent dignitatem. Primum eſt, quod Imperatores, Baſilius, Conſtantinus & Leo ſemel ac iterum Præſides in ea dicuntur, nominatim Actione octava & decima. Secundum, quod ante adclamatum eſt Imperatoribus, quam Pontificibus Romanis, uti conſtat ex Actione nona & decima. Tertium, quod Imperatores rogati ſunt ab Eccleſiæ Romanæ Vicariis, ut ante omnes ſubſcriberent, quod eadem docet Actio decima. His ita conſtitutis, Imperatores Synodo & rebus ab eadem definitis primos omnium ſubſcribere, Eccleſiæ Romanæ Legati nec ſibi vel Sedi Apoſtolicæ, nec ab Eccleſiaſtica dignitate rem alienam eſſe crediderunt, quibus cæteri conſenſerunt Patres, quia diſſenſiſſe ab iis non leguntur. Quod autem Imperatores primi non ſubſcripſerint, humilitatis eminentiſſimæ, non defectus poteſtatis eſt indicium; quia Legati & Synodus iis conſentiens potuiſſe eos ſubſcribere, nimirum primos, judicarunt. Præjudicata hæc Impera-

rato-

Digitized by Google

ratorum ſubſcriptio illis lucem non modicam importat locis, in quibus Imperatores dicuntur Præſidentes. Nec ſane poſt alios, ſed alii poſt ipſos Concilio huic præſediſſe dicerentur; quod & Concilii adclamationes luculenter confirmant, in quibus primum dictum, nominanter Imperatores. Invicta eſt hæc confirmatio, ſi ſuis expendatur momentis. Diſciplinæ genus hoc, quo de agitur, obſervatum minime fuit in Synodo Florentina, cui Johannes Palæologus interfuit, utpote qui præſidens non dicitur; & tamen in ea eſt non plane nihil actum, quo, quidquid eſt rei, videtur compenſatum. Videlicet, Decretum, quo Orientales cum Occidentalibus in mutuam redierunt Concordiam, apud Blondum Eugenii Papæ quarti Notarium, libro Decadis tertiæ decimo ſic inſcribitur: Eugenius &c. *conſentiente Johanne Palæologo Romanorum Imperatore* &c. His omnibus reſpondent Exemplaria Græca, ſeu, quæ à Verſione Latina ſunt ſeparata, ſeu, quæ Verſione Latinæ ſunt conjuncta. At verba hæc poſteriora, *conſentiente* &c. non placuerunt Horatio Juſtiniano, qui Acta Synodi Florentinæ Anno hujus Seculi poſt trigeſimum octavo publici fecit juris, ubi Decretum hoc aliter exhibere non eruberit, omiſſa nimirum mentione Imperatoris. Sic nefarie ſupprimuntur illa, quibus Imperator conſentire dicitur Eugenio in iis, quæ continentur in Decreto. Quanta vero ſit & quam ponderoſa hujus inſcriptionis repræſentatio, ea perſpicue ſignificant, quæ ex eadem tolluntur & ſupprimuntur. Quin & ipſemet Eugenius Pontifex Eccleſiæ Romanæ traditione fultus alio in loco ſua Imperatori jura vindicat & aſſerit, dum in Proœmio hujus Synodi Editionis antiquæ ita locutus legitur: *Ubi ego ſum cum Imperatore & Patriarcha, ibi eſt univerſa Chriſtianorum Synodus, præſertim cum adſunt omnes Patriarchæ & Cardinales noſtri.* Cæterum, de aliorum univerſalium Conciliorum, quæ in Occidente ſunt habita, ἐφ' ἑαυτῶν difficultas nec movetur, nec moveri poteſt, utpote quibus Pontifex Romanus vel per ſe, vel per Legatos præfuit.

Additio.

ANte Launojum de hac etiam Synodo octava generali, ac ejuſdem convocatione & progreſſa egit Edmundus Richerius in Hiſtoria Conciliorum, ea hinc inde obſervans contra Curiales, quæ omnino breviter cæteris veniunt adjungenda prout de Synodis antecedentibus factum eſt. Et quidem circa analyſin Actionis primæ notat, ex ea conſtare primo hanc, quoque Synodum indictam & congregatam fuiſſe ab Imperatore Baſilio, ac in omnibus ejuſdem Actionibus Patres dici conveniſſe ad Synodum juxta ſacram juſſionem Imperatorum, quod in aliis etiam fuit uſitatum. Quod ergo Adrianus Pontifex hoc nomine ſecundus in Epiſtola ad Baſilium Imperatorem, quæ prima Actione fuit lecta, ſcripſit, Volumus per tuæ Pietatis induſtriam numeroſum convocari Concilium &c. intelligi debet juxta praxin Synodorum præcedentium, quæ ab Imperatoribus fuerunt indictæ, ac Baſilius jam ante hanc Adriani Epiſtolam indixerat Concilium authoritate propria, quam ut Vicarius non Papæ, ſed DEI habuit. Secundo, Imperatores conſtituiſſe Senatum, qui Synodum moderaretur, uti factum in Synodo Chalcedonenſi, ipſoſmet Cæſares autem quatuor ultimis tantum Actionibus præſediſſe ac interfuiſſe. Tertio, in modo procedendi & Synodum inſtruendi Præpoſitum Senatus id obſervaſſe inprimis, quod à Vicariis Apoſtolicæ Sedis æque ac Sedium Orientalium petierit, ut Literas ederent commendatitias ſive formatas, è quibus eorum pateat poteſtas, Quarto, eundem Præfectum ſingulari cura perquiſiviſſe conſenſum Sedium Patriarchalium, petendo à Sedibus Orientis, utrum conſentiant Sedi Romanæ, poſtquam libellus ejuſdem fuit perlectus, perlectis poſtmodum quoque cæterarum Sedium libellis. Quinto, in libello Sedium Orientalium dici, Chriſtum Apoſtolos adloquendo verbis, quæcunque adligaveritis ſuper terram &c. illos donaſſe Sacerdotio, hanc-

hancque ſententiam totius Synodi judicio comprobatam fuiſſe, quia Vicarii Romæ ſenioris nominatim petierunt à Patribus, an, quæ Vicarii Sedium Orientalium dederant legenda, placerent? & omnes reſponderunt, placere. Editio Conciliorum Romana huic loco hoc adſcripſit, Gloſſema: Nota, quod Apoſtoli prædicantur Sacerdotes à ſancta Synodo tunc etiam, quando eis dictum fuit, quæcunque adligaveritis &c. Ergo Petrus, qui hoc ſpecialiter ante alios audire meruit, primum Sacerdos eſt effectus. Excedit itaque ſermo opinantium, Jacobum Domini fratrem fuiſſe primum Sacerdotem. Verum primus fuit Sacerdos eorum, qui non à Domino, ſed ab Apoſtolis fuerunt ordinati; & primus fuit Epiſcopus, ſed eorum, qui Hieroſolymis Epiſcopatum ſortiti ſunt. Quæ Adnotatio, ſcribit Doctor Sorbonicus, eam ob cauſam facta eſt, quia in eodem libello Sedium Orientalium narratur, Jacobum Domini fratrem fuiſſe primum Sacerdotem ſummum & Præſulem Civitatis Hieroſolymitanæ, & Petrum quoque primum fuiſſe functum Sacerdotio Antiochiæ. Hæc autem graviter pugnant Curiales, qui ad Monarchiam (quovis modo) ſtabiliendam volunt perſuadere, Chriſtum feciſſe Petrum duntaxat Epiſcopum, Petrum alios dehinc Apoſtolos Epiſcopatu donaſſe. Cæterum, Apoſtoli omnes cum immediate à Chriſto ordinati ſint Sacerdotes, imo etiam Epiſcopi generales, ut ubique terrarum hierarchizarent, quemadmodum Principes Scholæ noſtræ, Petrus de Alliaco, Johannes Gerſon & alii loquuntur; certe nullus illorum à Chriſto præfectus eſt alicui Epiſcopatui privatim gerendo & adminiſtrando, quia nondum erant conſtitutæ Diœceſes & Parœciæ. Cum igitur Jacobus omnium primus fuerit doctus ab Apoſtolis ad Epiſcopatui Hieroſolymitanum privatim regendum, & Petrus quoque eorundem conſenſu ſedem fixerit Antiochiæ, ideo hoc Sedium Orientalium libello recte dicitur, Jacobum & Petrum primos fuiſſe Sacerdotes in titulum, ſcilicet Hieroſolymis & Antiochiæ; contra quam argutatur hic Gloſſator, qui minime diſtinguit Epiſcopatum Petri & Jacobi œcumenicum ab Epiſcopatu privato, quem habebant in titulum. Qui etiam dum perhibet, Petrum omnium primum audire meruiſſe, Tibi dabo claves Regni cœlorum &c. ac putat exinde ſequi, eum ante alios omnes factum eſſe Sacerdotem; reſponſum habeat ex Auguſtino & omnibus antiquis Patribus, quæcunque ibidem verbis de futuro promittuntur Petro, ei omnium Apoſtolorum nomine promitti, uti declaravit eventus, quando Dominus poſt Reſurrectionem ſuam ad omnes dixit, ſicut me Pater miſit &c. Quorſum adcedit, eundem Dominum verbis alibi prolatis, ubi duo vel tres &c. aperte demonſtraviſſe, omnem ſingularitatem aut ſingulare Petri Sacerdotium & primatum Concilio ſubjici & regi oportere Ariſtocratico: atque ſic effugium hoc Gloſſatoris vanum eſt ad Monarchiæ abſolutæ patrocinium, quod in ſe ſuſcepit defendendum. Ad quartam hujus Synodi Actionem obſervat Doctor Sorbonicus, eam uti & alias omnes docere, ordinem rectum in Synodis generalibus ſervatum piæ Senatorum, quos Imperatores geſtis ejuſmodi moderandis præfecerunt, prudentiæ deberi, ut hinc etiam diſcant Eccleſiaſtici, quantum oporteat deferri Politiæ bene conſtitutæ. Certe, Acta Synodorum antecedentium convincunt clare, abſque præſentia & moderatione Senatus impoſſibile fuiſſe Synodos illas effectum laudibilem & Canonicum ſortiri; vix enim libertas & æquanimitas fuiſſet ſervata multis tumultuantibus. Unde, quoties aliqua emergit controverſia inter Eccleſiaſticos, ut majori cum æquitate, omnia tranſigantur, non abſ're quidem eſſet, Principes politicos præficere aliquos Senatores aut Viros celebres, qui [illegible] & libertatis ſervandæ cauſa adeſſent. Equidem jure meritoque à Cardinale Cuſano dictum eſt, à tempore hujus Synodi nullam extitiſſe talem; Senatus enim, quem præficiebant, Imperatores non erat in cauſa, id eſt, à parte una vel altera, inter quas diſceptabatur, ſicut Eccleſiaſticorum plurimi, ideoque uni ſtudebat moderationi, quam illos ſervare, qui erant in cauſa, & certis partibus addicti, fuit impoſſibile. Idem Cuſanus libri de Concordantia Catholica ſecundi capite viceſimo ante medium ex hac & tertia Actione Synodi

hujus rectè probat, Eccleſiam non abſoluta poteſtate, ſed Canone regi, citatque locum Epiſtolæ Nicolai ad Photium, declarantem, Judicium Eccleſiæ Romanæ non aliam ob cauſam eſſe firmum, niſi quia inviolabiliter obſervat Canones, eamque ob rem omnes alias Civitates à Sede Romana ordinem mutuari. Et poſtquam Doctor Sorbonicus Cuſani verba huc pertinentia adduxit, judicandum Lectori permiſit, quanti Patres antiqui fecerint Canones, idque adeo, ut Pontifices Romani Seculorum antecedentium maximum ſuæ laudis, gloriæ ac officii partem in eorum obſervatione ponerent, ac inde Sedis Romanæ infallibilitatem certo derivarent; quam Curia hodie ab imaginaria & abſoluta repetit Monarchia, quæque, ut ſuum ædificat dominatum omnes antiquos Canones, univerſamque Diſciplinam cum bonis moribus diruit, ac innumeris Schiſmatibus præbuit occaſionem. Circa Actionem quintam notat, quod, quando Vicarii Sedium Orientalium in Oratione ſua narraverunt, Imperatores ſemper congregaſſe Synodos ex toto terrarum orbe &c. in Editione Romana ad oram libri hæc adſcribatur Gloſſa. Verum eſt, Imperatores congregaſſe Synodos univerſales, nam locales aut vix aut nunquam cognoſcuntur collegiſſe. Ubi obſervatione dignum judicat Doctor Sorbonicus, quod, quanquam Imperatores non congregarint Synodos provinciales, quia juxta Canonem quintum Synodi Nicenæ bis annuatim habebantur, nihilo tamen minus Synodi ejuſmodi nunquam congregari ſolitæ fuerint abſque Principum Chriſtianorum permiſſione, uti patet ex omnibus Synodis in Francia, Hiſpania, Africa & alibi habitis, utpote in quarum fronte ſemper Edictum aliquod Principis, ejuſmodi Synodos fieri permittentis, legitur. Et quia Actioni ſeptimæ inſerta fuit Synodus Romana ſub Adriano habita cum ejuſdem ſubſcriptionibus, circa eas obſervat Doctor Sorbonicus, neque in hac, neque in aliis antecedentibus ullam fieri mentionem Presbyterorum aut Diaconorum Cardinalium, utut Pontifices Romani in omnibus Conciliis generalibus quoſdam Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Romanæ miſerint, ut eſſent Vicarii Sedis Romanæ. Quod ſi tum Cardinales extitiſſent, juxta ſententiam Onuphrii, qui cenſet, nomen Presbyteri & Diaconi Cardinalis impoſitum Presbytero & Diacono principali, quem vulgo Archipresbyterum & Archidiaconum nominamus, certe in Synodo hac Romana Georgius Archipresbyter Eccleſiæ Romanæ tituli S. Laurentii, & Johannes Archiadiaconus Sedis Apoſtolicæ titulum atque adpellationem Cardinalis adſumſiſſent, quod tamen minime factum, idque eſt argumento, adpellationem hanc juxta notionem, quam Curia Romana ei deinceps adtribuit, Mundo nondum innotuiſſe. Ad Canonem Synodi hujus decimum & ſeptimum notat Doctor Sorbonicus, à temporibus Apoſtolorum uſque ad Synodum hanc tria duntaxat tribunalia extitiſſe in Eccleſia, nempe, privatum Epiſcopi, Synodi provincialis, & demum quoque Concilii generalis; ita ut juxta Canonem Synodi Nicenæ quintum iis, qui privatim ab Epiſcopo erant gravati, liceret, provocare ad Synodum provincialem, atque ab hac ad Concilium generale. Sed præter hæc tria quartum inſuper hic erigitur de novo, ſcilicet Patriarchale, idque factum & procuratum conjicio, ſcribit Doctor Sorbonicus, ab Adriano, propterea quod aliquot Annis ante, quam hæc Synodus octava celebraretur, Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, nepotem ſuum vitæ deſperatæ damnaverat in Synodo provinciali juxta Diſciplinam Canonis Niceni, nec ei ad Sedem Apoſtolicam provocanti detulerat, Rege etiam id prohibente. Quam ob cauſam cum Adrianus Papa & Regi & Hincmaro ſcripſiſſet ſtomachoſe, ut Epiſcopum Laudunenſem liberum ſecurumque mitterent Romam, & ipſi Hincmaro nominatim, ut is etiam eo ſe conferret, hic in ſcientia Canonum verſatiſſimus ita reſpondit: Neque Hincmarum Laudunenſem, nec etiam quemlibet Epiſcopum Diœceſis Rhemenſis, minime autem Epiſcopos aliarum Provinciarium, niſi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo poteſtatem: nec ipſe ego ultra fines Regni ſui abſque illius ſcientia progredi valeo. His ergo de cauſis, inquit Doctor Sorboni-

bonicus, Pontifex Adrianus ad hunc Canonem condendum inductus eſt, cui etiam reſpondet Canon poſt vicetimum ſextus de quo ita cenſet. His Canon unus eſt ex illis, qui contra Canones antiquos favent Pontifici Romano, atque Tribunal erigit Patriarchale, quod tunc demum alia Eccleſiæ Tribunalia vel abſorpſit, vel penitus oppreſſit, ſicque viam ſtravit Curiæ Romanæ ad Monarchiam infallibilem conſtituendam. Verum diſſentit partim hic Canon, partim conſentit Canonibus Nicenis, qui jus commune in omnibus Eccleſiis ſervari ſtrictiſſime, atque non modo Presbyteros & minores Clericos, verum ipſos etiam Epiſcopos à ſuis Metropolitanis in Synodis provincialibus & locis, ubi delicta erant commiſſa, decernunt judicari. At regula hæc Patrum Synodi octavæ ſolos minores Clericos Epiſcoporum atque Metropolitanorum ſuorum judicio, ipſos autem Epiſcopos ſolis Patriarcharum placitis reſervat, ſicque jus commune magna ex parte labefactat. Quæ autem cauſa Adrianum ad Canonem ſupra laudatum, eadem ad hunc quoque impulit, ut à Legatis proponeretur in Synodo comprobandus; ſiquidem Hincmarus Rhemenſis tempore Nicolai Rothadum Sueſſionenſem, & ſub Adriano Hincmarum Laudunenſem congruenter atque ad Diſciplinam Canonum Nicenorum in Synodo provinciali Galliæ curaverat judicari Canonice, nec illis ad Sedem Apoſtolicam provocantibus deferendum ulla ratione cenſuerat, propterea quod adpellationes ejuſmodi derogarent Juri communi, eſſentque contra Canones. Quocirca ne quid tale dehinc contingeret, hoc Canone nunc cavetur, quod Canonibus Nicenis juriſque communi repugnat manifeſte. Procul dubio enim nullus ab eo tempore extitit Epiſcopus, qui jugum ſui Metropolitani & juris communis repagula non excuſſerit; num vel penitus Synodi provinciales intermiſſæ, vel ſi non (omnino) intermiſſæ, crebris ad Curiam Romanam adpellationibus ita exciſæ ac enervatæ ſunt, ut ex Epiſcopo Romano Papa abſolutus Eccleſiæ Monarcha evaſerit. Idem vero Canon, quod Doctor Sorbonicus porro monet, abſolutam Curialium Monarchiam clare profligat, quoniam ſinguli Metropolitæ & Epiſcopi ſuis quique Patriarchis reſpective & proportionatim, nequaquam vero uni & ſoli Romano Pontifici ſubmittuntur, tantundemque juris Patriarchæ cæteri habent in ſuos Metropolitas & Epiſcopos, quantum Romanus obtinet in proprios. Hinc etiam liquet, tempore hujus Synodi Canones Concilii Sardicenſis nullo adhuc in uſu aut pretio fuiſſe, cum hoc Canone doceamur, ſingulos Metropolitas & Epiſcopos à propriis Patriarchis, & non ab eo uno & ſolo Papa judicari oportere, ſicut in iis proviſorie fuit definitum; qui quidem ſi tum in uſu fuiſſent, nihil opus erat hoc Canone, utpote qui Sardicenſes labefactat.

Bellarminus L. II. *de Conc. c. 2.*

De Conciliorum generalium à Pontifice Romano confirmatorum infallibilitate hanc exhibet Propoſitionem: Fide Catholica tenendum eſt, Concilia generalia à Summo Pontifice confirmata errare non poſſe, nec in Fide, nec in moribus.

Launojus T. III. *Epiſt. 6.*

UT ex his Bellarmini verbis, quibus ſimilia Hoſii, Gregorii de Valentia, Thomæ Stapletoni, Gabrielis Vaſquezii, Tanneri, Gillii, Bagotii, Comptoni, Riveſii adduxit, contra ipſam Pontificis Romani infallibilitatem diſputet, ſic progreditur. Primo in medium profert Hadriani Pontificis hoc nomine ſexti de ea teſtimonium è Commentario in libros ſententiarum, cujus ſupra non ſemel facta fuit mentio. Deinde obſervat, quod Hadrianus hanc Doctrinam non revocaverit, ſive ut fieret

Digitized by Google

Cardinalis, ſive ut ex Cardinali crearetur Papa, ſive poſtquam creatus eſt Papa. Denique notandum monet, quæ & qualis certitudo ſit hujus Propoſitionis, quam Hadrianus magna cum adteveratione docuit, uti tunc temporis ex Eccleſiæ & Romanæ potiſſimum traditione potuerit docere. Addit, in hoc tertio rei cardinem verſari, cum in duobus aliis nulla ſit difficultas. Quis enim dubitet, inquit, Hadrianum hæc tradidiſſe? Nam cunctæ Commentariorum Editiones id habent, & cumprimis Romana, quæ authore ipſo Pontifice comparata, & quampluribus Elogiis eſt adornata. Hadrianum vero revocaſſe id, quis adſereret, niſi fidem amiſiſſet cum fronte? Quin etiam cogitationibus ſecundis, iiſque Pontificiis id adſeruiſſe eum, quod pridem docuerat, licet pronuntiare. Igitur tertium & ultimum eſt campus, in quo Controverſia verſatur, ac modus eſt quærendus, ut finis imponatur illi. Atque hic tria ſe objiciunt, quibus id ſine ullo perfici poteſt negotio, videlicet Concilium Baſileenſe, Pontificia ejuſdem confirmatio, & Theologorum Curiæ Romanæ de authoritate Conciliorum à Pontifice confirmatorum ſententiæ. Quoad primum, ubi Launojus exſcripſit prolixe Reſponſum Concilii Baſileenſis de poteſtate cujuſvis Concilii generalis ſupra Papam, ſubjunxit: Hæc eſt pars aliqua Definitionis, quæ, uti adparet, conciliariter eſt facta, ſcilicet, poſtquam ultro citoque, atque adlatis hinc inde Scripturæ & Patrum teſtimoniis diſputatum fuit, utrum Papa ſit ſupra Concilium, atque poſſit errare? At peracta diſputatione in eam tandem deventum eſt ſententiam, ut dicatur, certo Concilium ſupra Papam eſſe, ac poſſe Papam errare. Quoad ſecundum, monet Launojus, Eugenium Pontificem hoc nomine quartum hanc Concilii Baſileenſis definitionem ſemel ac iterum confirmaſſe. Et quidem ſemel per Legatum Julianum, qui, quo tempore hæc facta eſt definitio, Concilio Baſileenſi præfuit; quin etiam non præfuit tantum, ſed inſuper Eugenium Pontificem, qui Concilium tunc diſſolvere & Bononiam transferre voluit, continuit atque ab hoc conſilio deterruit, teſte ſecunda Juliani ad Eugenium Epiſtola, utpote quam cum legiſſet atque ſuis expendiſſet momentis, animum cohibuit Eugenius, atque reverſus ad ſeipſum neque diſſolvit Concilium, neque tranſtulit Bononiam, quin etiam id fecit, quod cauſa melius & perfectius cognita Pontificem ſummum facere docuit atque oportuit. Nam datis ad Julianum literis exponit, quo conſilio Concilium Baſileenſe diſſolvere, & Bononiam transferre voluerit, nec ibi vel leviter ſignificat, ſe de iis, quæ Synodus egerat, reſcindendis ullam ſuſcepiſſe cogitationem, nec obſtitiſſe, quo minus Synodo præſes Julianus relatis in Seſſione prima & ſecunda Conſtantienſis Synodi Decretis & continuo adſertis, nec non reſponſioni Synodali, quæ in Seſſione ſexta circumſpectiſſime facta erat, conſentiret, & ea pro Munere ſuo confirmaret. Ipſas Eugenii ad Julianum literas poſtquam ex Odorici Rainaldi Annalibus Eccleſiaſticis retulit Launojus, hæc porro ſubjecit: Eugenius Concilii diſſolvendi facultatem Juliano quidem impertitur, verum nec reſcindit ipſe, quæ Acta jam fuerant, nec reſcindendi poteſtatem ei adtribuit; quin potius confirmat ipſe tacitus ea, quibus reipſa præſes Julianus authoritatis ſuæ pondus adjecerat, atque Juliano indicendi Bononiam Concili copiam facit hunc in finem, ut eo facilius Græcos ad indictum propter eos Concilium adliceret, ac tandem pertraheret ad ineundam cum Latinis concordiam. Præter id in Seſſione poſt decimam ſexta Synodi Acta, quæ præceſſerant omnia, & præſertim Synodale Reſponſum ſupra laudatam confirmavit. Literas Pontificis huc pertinentes poſtquam Lectori exhibuit Launojus, ſic porro ſcripſit; Hæc eſt Actorum præcedentium & Synodalis præſertim Reſponſio adprobatio, in qua dum teſtatur Eugenius, ſe Concilium indixiſſe, ut in capite & membris Eccleſia reformaretur, nonne, ut membra, ſic & caput in Reformationem venire ſignificavit: Quod ſi reformandum eſt caput Eccleſiæ, id erroribus tam in Fide, quam in Moribus non poteſt eſſe non obnoxium; quod omnino demonſtrat capitis & membrorum conjunctio, quam habet eadem ſeries Orationis. Ad demonſtrationem hanc uti cumulus adcedit

Digitized by Google

dit Revocatio Literarum, quæ ſub Eugenii nomine prodierant. In tertia diligenter hæc conſideranda ſunt: Si Papa vel Legatus ejuſdem nollet diſponere aliqua, & contra Concilium adfectaret, Papæ vel ejus Legati, Pontificis ſummi perſonam repræſentantis ſententia, non vero Concilii voluntas foret ſequenda, cum Papa ſuper omnia Concilia habeat poteſtatem; niſi forte, quæ forent ſtatuenda, Fidem reſpicerent Catholicam, vel, ſi non fierent, ſtatum Eccleſiæ univerſalis principaliter perturbarent, quia tunc ſententia Concilii potius eſſet adtendenda. Nempe, Pontifex revocat Epiſtolam, tum propter alia, tum maxime propter hoc, quod ſibi poteſtatem ſuper omnia vindicavit Concilia; non autem propter ultima, quibus cum Reſponſo Synodali concordat. In his quippe duobus rerum Eccleſiaſticarum momentis, quod bene notandum, Concilio ſeorſim à Pontifice non errandi privilegium adtribuit, non item Pontifici ſeorſim quod inſuper adcedit, diſſentientibus Concilio & Pontifice, Concilii ſententiam ſententiæ Pontificis cenſet eſſe anteponendam, quod ipſum in reſponſo traditur Synodali: reliquum corpus totum non computato Papa ſecundum legem communem errare non poteſt in his, quæ ſunt fidei, alioquin, ſi errare poteſt, cum certum ſit, Papam errare poſſe, tunc & Papa & reliquo corpore toto errantibus, tota erraret Eccleſia, quod eſſe non poteſt. Hac igitur in parte & caput cum membris, & membra cum capite conveniunt, nec ullum eſt dubium, quin Eugenius reſponſum Synodale præ cæteris, quæ in ſuperioribus Concilii Baſileenſis Seſſionibus geſta ſunt, confirmaverit. Quidquid autem id eſt, vi dilemmatis hujus ineluctabili ſic confirmo, ut magis non poſſit confirmari. Nimirum cum Eugenius Concilii Baſileenſis acta, quæ ſeſſionem decimam & ſextam præceſſerunt, adprobat, fallitur, vel non fallitur. Si fallitur, indeficientis judicii privilegio caret abſolute & ſimpliciter. Nam ſi Pontifex Romanus in adprobatione Conciliorum caret tali privilegio, ubique & ſemper caret. Si non fallitur, certum atque indubitatum erit, poſſe Pontificem Romanum errare; ſiquidem id confirmat, quod Concilium Baſileenſe ſimul ſibi, & authoritate ac ratione adſerit. Adulatricis Curiæ Magiſtri ſic in uno capti ſunt, in altero nulli. Et ſi externa quæramus teſtimonia, occurret Æneas Sylvius ſeu Pius hoc nomine Pontifex ſecundus, ſi externum dici poteſt vel debet illius teſtimonium. Adfirmat autem ille, memorata Concilii Baſileenſis acta ab Eugenio eſſe comprobata; qui certe negaret, ſi cum aliqua veri ſpecie poſſet negari. Scilicet in Retractationis Diplomate adfirmat, Eugenium Concilii diſſolutionem à ſe factam revocaſſe, & illius progreſſum adprobaſſe. In eo autem progreſſu præter alia reſponſum Synodale continetur. Huic adcedunt ejuſdem Commentarii rerum memorabilium, quæ ſuis temporibus contigerunt, à Johanne Gobelino, Vicario Bonnenſi, dudum compoſiti, atque à Dominico Franciſco Bandino Piccolomineo, Archiepiſcopo Senenſi, ex originali vetuſto recogniti, quibus Gregorii Pontificis poſt decimum tertii Epiſtola ad Editorem præficitur, & ipſi Commentarii probantur die primo Octobris, anno ſeculi ſuperioris poſt octogeſimum tertio. In iis legitur, Eugenium diſſolvere quidem hunc Conventum eſſe conatum, ſed rogatu Principum poſt confirmaſſe. Ad extremum Leo Pontifex hoc nomine decimus, & Concilium Lateranenſe, cui is præfuit, cum ea reprobent tantum, quæ Concilium Baſileenſe poſt factam illius ab Eugenio tranſlationem geſſit, ea, quæ antea fuerunt geſta, cenſentur adprobaſſe; nam exceptio firmat regulam in exceptis. Et poſtquam Bellarmini & aliorum de Conciliorum generalium à Pontifice Romano confirmatorum infallibilitate produxit teſtimonia Launojus, hæc porro ſubjunxit: Hi omnes manifeſte docent, illam propoſitionem, quam habet Hadrianus Papa de Pontificis Romani fallibilitate, uſque adeo rectam eſſe, ut ei falſum ſubeſſe nequeat. Quare propoſitio contraria flagitii non poteſt non congrui, quippe quæ confirmatis à Pontifice Romano Conciliis generalibus non errandi privilegium detrahat. Nec vero in Pontificiam Concilii Baſileenſis confirmationem ulla lis inferetur, quæ in Pontificiam Synodi Nicenæ & Conſtantinopolitanæ, utriuſque nimirum

primæ, confirmationem non facilius aut impune magis inferatur. Monumenta enim, quibus probatum eſt, Eugenium Concilii Baſileenſis Acta ſeſſionem decimam & ſextam præcedentia, & præſertim Synodale reſponſum confirmaſſe, certiora ſunt iis & expreſſa magis, quibus oſtendi poteſt, vel Sylveſtrum Nicenæ, vel Damaſum Conſtantinopolitanæ Synodi Acta confirmaſſe. Hinc perſpicuum eſt, oppoſitis & novis ſuper ea re placitis nullam fidem vel veritatem adſeri, vel ullam ſpeciem probabilitatis poſſe adficiari, niſi fortaſſis contra Synodos generales per Pontifices Romanos confirmatas probabiliter ſentire quis poſſit.

Idem Launojus Tomi ſecundi Epiſtola ſexta hoc argumentum tractans, & amplius ex authoritate Concilii Piſani & Conſtantienſis confirmans, ut porro demonſtret, Pontificem Concilio, non vero Concilium Pontifici ſubeſſe, ad eandem Bellarmini de Conciliorum generalium à Pontifice adprobatorum infallibilitate propoſitionem adduxit, cum ſimilibus Johannis de Turrecremata, Alberti Pighii, Melchioris Cani, Dominici Baunis, Gregorii de Valentia, Andreæ Duvallii, Franciſci à Coriolano, Thomæ Comptoni teſtimoniis, quibus hoc ſubjungit Dilemma: Si neceſſaria eſt Pontificum Romanorum confirmatio, ut ex Piſano, Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis credamus, Pontificem Romanum ſubjici Concilio in iis, quæ ad fidem, ſchiſma & morum reformationem in capite & membris pertineant, confirmatio hæc nobis abunde ſuppetit. Si vero non eſt neceſſaria, ex iiſdem Conciliis non minus conſtat, Pontificem Romanum ſubjici Concilio, quam ſi foret neceſſaria. Ab hoc dilemmate ſe non expediret Bellarminus cum ſociis.

Bellarminus *ibid. c.* 20.

AGens de Conciliis particularibus à Pontifice Romano non adprobatis, quod non omnino certam faciant fidem, paragrapho capitis penultimo ſtatuit, poſſe particularia etiam Concilia definire dogmata vere dubia, & eorum Decreta eſſe firma, ſi id faciant ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, vel, ſi deciſionem ſuam mittant ad Pontificem Romanum, atque ab eo confirmationem accipiant &c.

Launojus T. VII. *Epiſt.* 2.

BEllarmini quidem non facit mentionem, ſed alium ſibi proponit Antagoniſtam; contra quem in hac quæſtione diſputet, nempe Antonium Daclinum Alteſerram, Juriſconſultum & Anteceſſorem Tholoſanum, qui in Notis & obſervationibus ad Epiſtolas Gregorii M. nominatim ad libri ſecundi Epiſtolam quadrageſimam & octavam, hoc idem tueri cum Bellarmino ſtuduit, & quidem ex authoritate Gregorii, de quo tamen Launojus monet, quod in Epiſtola per Alteſerram citata, nihil aliud à Primate Numidiæ Adeodato petierit, quam ut de celebrata communi omnium conſenſu Synodo fieret certior, idem deſiderans in Epiſtola ſuperiori ad Columbam Numidiæ Epiſcopum, non adjecta hac conditione, ut, quæ fuerint acta in Synodo, confirmet. Adjeciſſet Pontifex valde circumſpectus & multum providens, ſi de more illuc adjici debuiſſet, Synodus apud Numidas erat celebranda, tum ut, qui ſacros Ordines pretio ſubjecerant, Canonum ſacrorum authoritate caſtigarentur, tum etiam, ut proviſeretur, qua poſt conditione & remedio id genus mali propulſaretur. Et, ſi Gregorius poſtulaſſet, ut acta Synodi celebratæ mitterentur ad ſe, Adeodatus & Columbus ejuſdem votis adnuiſſent, atque ad eum ſcripſiſſent, & ipſi futuram Actorum Synodalium confirmationem eſſent gratulati. At neque ſcripta ab ipſis ulla ad Gregorium Epiſtola de hac re, neque Actorum Synodi confirmatio inter Epiſtolas Gregorii vel uſpiam gentium legun-

Digitized by Google

guntur. Ne quis vero cauſetur, non omnia, quæ tunc geſta ſunt Romæ & in Numidia, ad nos perveniſſe. Gregorius aliis in Epiſtolis eſt conſulendus, ubi de Synodis agit celebrandis, cum nulla negligi debeat indagandæ Veritatis ratio. Nempe in libri primi Epiſtola prima ad univerſos Siciliæ Epiſcopos, monet, ut ſemel in anno conveniant ad Concilium Provinciale, non addens, ut Acta Concilii Romam ad ſe mittant confirmationis accipiendæ gratia. In ejuſdem libri Epiſtola poſt triceſimam ſecunda ad Romanum Patricium & Exarchum Italiæ ſcribit, ut in cauſa Blandi Hortenſis Epiſcopi fiat Concilium, non adjiciens, quod videbatur adjiciendum eſſe, nimirum, velle ſe Acta Synodi, quæ Epiſcopum abdicaret, videre, an videlicet Epiſcopatus abdicatione dignus judicaretur. Ibidem Epiſtola poſt ſeptuageſimam ſecunda ad Gennadium, Patricium & Exarchum Africæ, in qua de Concilio contra hæreticos habendo agitur, non petit, ut Concilium Antiſtitum Catholicorum mittatur Romam ad confirmationem, ſed precatur tantum, ut ab eo ad Sedem Apoſtolicam fieri permittat provocationes, &, ſi qui velint intercedere, hos coerceat. Adhuc in ejuſdem libri Epiſtola poſt octogeſimam ſecunda ad Hilarium Africæ Monachum, ubi propter facinus Epiſcopi præſcribit Concilium, nullum de mittendis Romæ actis ejuſdem pro confirmatione verbum injicitur. Sic in libri ſecundi Epiſtola octava ad Natalem Epiſcopum Salonitanum, ubi præcipit, ut in cauſa Florentii, Civitatis Epidauritanæ Epiſcopi Synodus inſtauretur, iterum nulla mentio occurrit actorum Synodi Romam mittendorum ad confirmationem. Epiſtola ibidem ſeſequente nona ad Antoninum Subdiaconum ſcribit quidem, ut in cauſa Florentii injuſte depoſiti habeatur Concilium, non vero poſtulat, ut acta Concilii ad ſe mittantur, cum tamen nulla unquam major fuerit occaſio id poſtulandi. Porro libri quarti Epiſtola quarta ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum, ubi celebrandum eſſe in cauſa Fidei docet Concilium, demonſtrat, ſe in ea haud fuiſſe ſententia, ut credat, Concilium indigere Pontificis Romani confirmatione. Ibidem Epiſtola poſt quinquageſimam ſecunda ad Epiſcopos ſub regno Childeberti conſtitutos, ubi de congreganda, cum opus erit, Synodo agitur, & quidem per Virgilium modo nominatum, qui vices Apoſtolicæ Sedis gerebat in Gallia, præſcribit quidem multa, quæ ibi voluit fieri, non autem petiit, ut, quæ Concilium in Gallia definierit, in urbem referantur, ut ibi confirmationem accipiant à Pontifice. Inſuper libri ſeptimi Epiſtola poſt centeſimam & decimam ſecunda ad Siagrium, Æthetium, Virgilium & Deſiderſum, Epiſcopos Galliarum, ubi de Synodo bis in anno habenda tractatur, eum Synodi eventum deſiderat, non ut ipſe confirmet, ſed ut DEO gratias perſolvat. Epiſtola ſequente ad Aregium Epiſcopum, quem Pontifex ad faciendam cum aliis Synodum hortatur contra ſimoniam, deſiderat quidem ut de Concilio celebrato fiat certior, non autem, ut confirmatio ejus petatur. Iterum Epiſtola ſequenti ad Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, quem itidem ad congregandam Synodum contra ſimoniam quanta poteſt animi contentione impellit, nullibi vel leviter innuit, acta ad ſe mittenda eſſe pro confirmatione. Adhuc ibidem Epiſtola ſequenti ad Brunichildam Francorum Reginam, iterum monet, ut convocari Synodum curet adverſus hæreſin ſimoniacam, & nullo plane verbo mentionem facit, confirmationem ſibi inprimis deberi. Quin & Epiſtola poſt decimam ſexta ad Theodoricum & Theodebertum, Reges Francorum, à quibus itidem flagitat, ut Synodus congregaretur, ubi altiſſimum quoque ſilentium eſt de confirmatione Pontificis Romani. Præterea, libri noni Epiſtola poſt quadrageſimam nona ad Virgilium ſupra nominatum, quem ad congregandam Synodum hortatur, nihil habet, quod referri poſſit ad confimationem. Atque ſic in Epiſtola ſequente ad Ætherium, itidem ſupra laudatum, quem pariter ad Synodum convocandam hortatur, ne gry quidem habet de ejuſdem confirmatione. Tandem libri undecimi Epiſtola octava ad Brunichildam, ubi agitur de Synodo facienda, qua, quidquid adverſus Canones fuerat adtentatum, corrigatur, altiſſimum quoque eſt ſilentium de Concilii per Pontificem Romanum confirmatione. Bene hic ob-

obſervandum, quot in Epiſtolis Gregorius, Synodi Provincialis congregationem repetat, nuſquam vero faciens mentionem confirmationis è Romano Pontifice comparandæ. Quorſum id? Noverat quippe Pontifex Canonum ſacrorum intelligens quam maxime, Synodum Nicenam, ubi Canone quinto celebranda eſſe per Provincias bis in anno decrevit Concilia, non decreviſſe, ut hujuſmodi Conciliorum acta Romam mittantur, atque confirmationem ibi accipiant. Hoc Concilium cum tribus inſecutis univerſalibus ut librum Evangeliſtarum Gregorius ſe colere ac venerari teſtatus eſt, quod vero non ſic coluiſſet vel veneratus eſſet, ſi quid Canoni relato addidiſſet, nempe, quærendam eſſe à Pontifice Romano Synodi Provincialis confirmationem, poſtquam eſſet celebrata. Non addidit hoc Gregorius, nempe Deceſſorum Liberii, Cœleſtini primi, Sixti tertii & Leonis primi veſtigiis inſiſtens. Quorum teſtimonia huc pertinentia poſtquam Launojus hic etiam, uti ſæpius alibi adduxit, ſic porro ſcripſit: Hoc probe noverat Gregorius, & quia noverat, non addidit Canoni Niceno, quærendam eſſe à provincialibus Conciliis confirmationem Pontificis Romani, ne quid Epiſcopatui Urbis Romæ adderet, quod addendum non eſſet, ne novitas vetuſtatem Canonis Niceni inceſſeret, neve videretur ultra quidquam licere novitati, quia nihil convenit addi vetuſtati, nec ad privatum traherentur commodum, quæ ad bonum commune ſunt præfixa. Verum Alteſerra dicet; Ego gratis & ſine ratione non aſſerui, neceſſum eſſe, ut Synodi provincialis à Pontificibus Romanis confirmentur, verum id confirmavi è diſtinctionis in Jure Canonico poſt decimum ſeptimæ Canone ſexto, qui ſic habet: *Concilia Sacerdotum Legibus Eccleſiaſticis per Provincias decreta quotannis, quia Papæ præſentiam non habent, valetudinem prædiderunt.* Hanc vero? Tantum ſtudii ac diligentiæ? Hic Gratianus erravit per ſummam negligentiam, dum, quod Symmachi Papæ hoſtes apud Ennodium in abſurdam, uti putant, complexionem deducunt, pro Canone & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ momento ſumſit. Videlicet, nolebant illi, ut Symmachus intereſſet Synodo, in qua diſentiebatur illius cauſa: Patribus vero viſum fuit, ut intereſſet, ex hac etiam cauſa, quod Provinciæ Romanæ Synodus erat. Eſt enim perfectum illud Concilium, ubi interfuit Antiſtes Metropolitanus, uti ſtatuit Concilium Antiochenum Canone poſt decimum quinto. Symmachus igitur Synodo interfuit, & quia impactum illi crimen jure probari non potuit, abſolutus eſt. Tunc ejus hoſtes Synodum adcuſant in opere, quod inſcribunt, adverſus Synodum abſolutionis incongruæ; & hac Synodo Romana cum cæteris provincialibus Synodis, in quibus Papa præſens adeſſe nec ſolet, nec etiam poteſt, comparata pugnant cum illa & argutantur in Apologetico, quem Ennodius, Tirinenſis tunc Diaconus, confecit pro Synodo, ubi Schiſmaticorum objectiones retulit & refellit. Gratianus Schiſmaticorum objectionem & Ennodianæ Reſponſionis plagulam convertit in Canonem, à quo deceptus Alteſerra novum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ genus inducere voluit in adulatricis Pontificum Curiæ favorem, ſed in exitium infinitarum Synodorum Provincialium, quæ, quia confirmatæ non ſunt à Pontificibus Romanis, Alteſerræ judicio valitudinem perdiderunt, ubi & novo Schemate Grammatices præſentiam Papæ in Synodo, ejus confirmationem placuit interpretari. Inſuper Gratiani ἀθλιότης ſecutus in aliam incidit, & Gregorium M. in eandem ſecum Ruinam trahere conatus eſt, atque id ideo, ut more ſuo Curiæ Romanæ gratificaretur. Curiæ dico Romanæ, non Eccleſiæ, non Sedi Apoſtolicæ, quæ nullo unquam Decreto è Canonibus ſacris promulgato ſtatuit, ut ad ſe Synodi provinciales confirmationis accipiendæ gratia deferrentur. Perſpicuum hinc eſt, quo Alteſerra deducat Lectorem, & quam perniciem vocet antiqua & nova Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Germaniæ, Orientis & Occidentis Concilia provincialia, quæ præſentiam Papæ non habuerunt. Eſt aliud etiam, quod prætermitti non debet, nempe Alteſerram, ſolertem atque eruditum hominem pro Canone hic habere, qui revera Canon non eſt, & neque id, quod refert Gratianus, neque id, ex quo refertur, veri Canonis locum

po-

Digitized by Google

poteſt tenere. Quod enim refert Gratianus, non eſt Epiſcoporum plurium in unum congregatorum ſententia; id vero, unde refertur, certa quædam eſt hominum, qui à Symmacho & Synodo Romana defecerant, complexio, quam illi putabant abſurdam eſſe. Complexioni vero huic quis legitimi Canonis notionem imponet? An illa complexio eſt Epiſcoporum plurium in unum collectorum deciſio? Quidquid id eſt, ſive in Decreta, ſive extra Decretum Gratiani conſideretur, idem ſemper erit, ſive verum, ſive falſum, ſive depravatum; nullum ſiquidem Concilium, nullus Pontifex edixit unquam, ut, quidquid extat in Decreto Gratiani, Canonis vel Regulæ Eccleſiaſticæ vim & authoritatem obtineat. Exinde falluntur omnino, qui, dum aliquid in Juris Canonici dicuntur contineri, id putant authoritatis eſſe majoris, quam ſi non contineretur.

Bellarminus *ibid c.* 13. & 14.

Hanc proponit Quæſtionem, An Concilium ſit ſupra Pontificem? De ea ſic mentis ſuæ Senſa exponit: Quæſtio hæc exorta eſt tempore Concilii Piſani, quia cum duo Pontifices, qui ſimul ſedebant in Schiſmate, Gregorius nempe duodecimus & Benedictus decimus & tertius, non videbantur ſerio cogitare de Schiſmate tollendo per abdicationem ſpontaneam, quemadmodum ante Pontificatum uterque voverat & juraverat. Hinc Cardinalis partis utriuſque Piſam ſeceſſerunt, & tractare cœperunt, an ſibi liceret invitis Pontificibus illis generale Concilium convocare, & eos Pontifices deponere? Deinde, cum paulo poſt fieret Concilium Conſtantienſe, & Johannes Papa poſt vicſimum hoc menſe tertius, qui ſolus ad Concilium adceſſerat, ab eo clam diſceſſiſſet, atque ſic Concilium ſine capite remanſiſſet, tractare Patres cœperunt, an Concilium poſſet Pontificem invitum judicare & deponere? Sed maxime crevit controverſia tempore Concilii Baſileenſis. Quia enim Eugenius Papa quartus Concilium Baſileenſe inchoatum diſſolvere volebat ac impedire, ne ulterius progrederetur, cœperunt Patres quærere, an tenerentur obedire Pontifici, an Pontifex potius teneretur ipſis obedire, id eſt, Concilio generali? Porro, ſic pergit poſt alia Bellarminus, *de propoſita Quæſtione tres invenio Doctorum ſententias. Prima eſt, Concilium eſſe ſupra Pontificem, quod imprimis adſerunt omnes hæretici hujus temporis, & nominatim Hammelmannus, idem adſerit Cardinalis Cameracenſis, Johannes Gerſon, Jacobus Almainus, & alii non nulli in ſuis Tractatibus de Poteſtate Eccleſiaſtica; item Nicolaus Cuſanus in Tractatu de Concordantia Catholica, Panormitanus, & ejus Magiſter Cardinalis Florentinus, uti & Abulenſis. Secunda eſt aliquorum Canoniſtarum, qui volunt, Papam eſſe quidem ſupra Concilium, & à nemine invitum judicari poſſe, poſſe tamen ipſum ſe Concilio ſubjicere, & illi ſupra ſe poteſtatem dare; & ſi hoc fecerit, adquieſcere ipſum debere Concilii Sententiæ, etiamſi de ipſius depoſitione ageretur. Ultima tandem Sententia fere communis eſt, quod videlicet Papa adeo ſit ſupra Concilium, ut non poſſit ſe ſubjicere ejus Sententiæ, ſi proprie de Sententia agatur coactiva. Atque hæc Sententia videtur eſſe omnium Scholaſticorum veterum, ut Alberti,* Thomæ, *Bonaventuræ, Richardi, Paludani, qui tamen ex profeſſo de hac re non diſputarunt; expreſſe autem hoc docent* Antonius, *Turrecremata, Alvarus Pelagius, Dominicus Jacobatius,* Cajetanus, *Albertus Pighius,* Franciſcus Fercarienſis, *Auguſtinus de Ancona, Petrus de Monte,* Franciſcus Turcianus, *& fere omnes Canoniſtæ, uti & Johannes Antonius Delphinus, Thomas Campegius, & Nicolaus Sanderus* &c.

Launojus T. I. *Epiſt.* 10.

HOc argumentum per partes prolixe tractans ſic procedit contra Bellarminum. Primo, inquit, elumbis eſt modus diſputandi, quo Bellarminus utitur, ut probet, tempore Concilii Piſani, quod Anno Seculi poſt Chriſtum decimi & quinti nono habitum eſt, exortam eſſe Quæſtionem, cujus Hiſtoriam conficere & Epocham defigere inſtituit. Nam quamvis Cardinales id tunc fecerunt, quod eos feciſſe Bellarminus adſerit, non inde ſequitur tamen, Quæſtionem eſſe novam, utrum Concilium ſit ſupra Papam? Si namque, Concilium ſupra Papam eſſe, nova fuiſſet opinio, neque Concilium generale Piſanum illam fuiſſet amplexum, nec Alexander quintus Acta Concilii comprobaſſet, quod tamen ſemel atque iterum ab eo factum. Semel quidem, cum finitum eſt Concilium, uti legitur in fine ejuſdem, quod edidit Lucas D'acherius Tomo Spicilegii ſexto. Iterum in fine Vitæ, teſtibus Platina, Dominico Tempeſta, Severino Binio, Henrico Spondano & Simone Sarovolſcio. Quæ cum ita ſint, Bellarminus in primo de Conciliis libri capite octavo vere non potuit adfirmare, *Concilium generale Piſanum nec adprobatum, nec reprobatum eſſe*, hac in re Leges Hiſtoriæ, ut alias non raro accidit, negligens. Nova igitur non erat, ſed vetus Eccleſiæ, imo & Sedis Apoſtolicæ ſententia, quod Concilium ſit ſupra Papam; ſed novi tunc exorti ſunt Doctores, qui veterem Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ ſententiam vocarunt in dubium. Pius nimirum Pontifex hoc nomine primus & Clerus illo tempore Romanus apud Epiphanium in Hæreſi poſt quadrageſimam ſecunda, Marcioni excommunicato denuntiant ſecundum traditionem Apoſtolicam: *Nos injuſſu venerandi Patris tui te in Communionem non poſſumus admittere.* Novi autem & corrupti Doctores contra hanc traditionem denuntiant, Pontifices Romani poſſunt excommunicatos ſine Epiſcoporum excommunicantium conſenſu in communionem recipere. Sic Julius Pontifex itidem primus in Epiſtola ad Orientales ſcribit, *Nos omnia facimus ſecundum Canonem.* Novi autem & corrupti Doctores ſcribunt, ſupra Canones & Jura ſunt Pontifices, ac Authoritate, non Canone Eccleſia eſt regenda. Ita etiam Siricius in Epiſtola ad Anyſium, & cæteros Illyrici Epiſcopos, Cœleſtinus quoque primus in Epiſtola ad Perigenem, Dynatum, Baſilium, & alios Illyrici Epiſcopos, apud Lucam Holſtenium in Collectione bipartita, Sixtus item tertius in Epiſtola ad Epiſcopos per Illyricum conſiſtentes, Gregorius Magnus libri quarti Epiſtola poſt triceſimam octava ad Johannem Conſtantinopolitanum; Leo tertius in Oratione de Symbolo Fidei, Eugenius tertius in octava ad Epiſcopos Germaniæ Epiſtola. Et, ſi deſcendatur uſque ad Eugenium hoc nomine quartum, is, prout in Controverſia antecedente etiam fuit obſervatum, in certo quodam Diplomate, quod refertur in Seſſione poſt decimam ſexta Concilii Baſileenſis, ſcripſit, *diſſentientibus inter ſe Concilio & Papa, in iis, quæ Fidem Catholicam vel ſtatum Eccleſiæ univerſalis reſpiciunt, adtendendam potius eſſe Concilii, quam Papæ ſententiam.* At novi & corrupti Doctores ſcribunt, adtendendum Papæ potius, quam Concilii ſententiam. Atque ut Bellarminus porro convincatur fuiſſe, ad tempus Innocentii Papæ tertii regrediendum eſt. Johannes quippe Victorinus, qui Lutetiæ vixit ſub Rege Philippo hoc nomine Pulchro, in Memoriali Hiſtoriarum manuſcripto ad Annum Seculi poſt Chriſtum undecimi ſeptuageſimum & primum, de Hildebrandi, alias Gregorii ſeptimi depoſitione agens, narrat, qui ejus partes ſecuti ſunt, arbitratos eſſe, *Concilium generale ſupra Papam eſſe*, ſtatuentes, eum jure deponi non poſſe, niſi in Concilio generali. Sic Humbertus, Prædicatorum Magiſter Generalis quintus, ſub quo Thomas claruit, rem paucis decidit verbis, cum in Sermonum Dominicæ ſeptuageſimo partis ſecundæ indubitanter ait: *Papa, qui eſt ſuper omnes, deponi poteſt ab Eccle-*

cleſia, quæ tota ſubeſt ei, in caſu. Sic ille non aliter, ac ſi de hac theſi inter omnes conveniſſet, ut certe & illo & ſuperiori tempore conveniebat. Nempe Doctrinam hanc Pariſiis & Baroniæ acceperat, ubi, ut in ejus vita dicitur, Juri Divino & Sanctionibus Eccleſiaſticis per Annos complures dederat operam. Ita Barones Galliæ apud Matthæum Pariſienſem, ad Annum Seculi poſt Chriſtum decimi & tertii triceſimum & nonum, locuti de Imperatore Friderico, cum cum à Gregorio Pontifice nono perculſum anathemate & Imperio viderent abdicatum, exclamarunt: *Qui, ſi meritis ſuis exigentibus eſſet deponendus, non niſi per Concilium generale caſſandus videretur.* His verbis authoritatem in Concilio generali majorem agnoverunt, quam in Papa, nec potuerunt agnoſcere, niſi Concilium ſit ſupra Papam. Porro, Robertus Corcæon, Theologus Pariſienſis, & S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Cardinalis, quem Innocentius Papa tertius in Epiſtolis multum commendavit, in ſumma Theologiæ, agens de Unctione extrema, Quæſtionis viceſimæ & tertiæ capite tertio, ea ſcripſit, quæ docent eum ejuſdem fuiſſe ſententiæ. Præterea Innocentius Pontifex tertius in libri tertii Epiſtola poſt centeſimam quarta ad Philippum Regem Francorum, atque in Epiſtola poſt centeſimam & octogeſimam ſeptima ad Conſules & Populum Mediolanenſem, item in Libri quarti Epiſtola itidem poſt centeſimam & octogeſimam ſecunda, uti & in Sermone ſecundo de Conſecratione Pontificis, Concilium ſupra ſe agnoſcit, ac ejus poteſtatem ſua majorem eſſe ſignificat, imo, non generale tantum, ſed etiam provincialia ſibi ſuæque præponit authoritati. Inſuper Honorius tertius, Innocentii Succeſſor, in Epiſtola ad Simeonem, Archiepiſcopum Ravennæ, non obſcure Concilii generalis authoritatem ſua majorem fatetur. Atque ſic Bellarminus Epocham Quæſtionis propoſitæ fruſtra in Concilio defixit Piſano, ſi Juris, & mendaciter id factum ab eo, ſi conditio facti ſpectetur. Nunc, quod alterum Tractationis Bellarminianæ partem adtinet, qua primam exhibet ſententiam eorum, qui Concilium ſupra Pontificem eſſe ſtatuunt. Launojus obſervari vult & modum expoſitionis, & ipſam rem expoſitam. Quoad hanc, monet, Bellarminum Authores Catholicos tantummodo ſeptem enumerare, Gallos nimirum tres, videlicet, Cameracenſem, Gerſonem, Almainum; unum vero Germanum, nempe Nicolaum Cuſanum; Italos autem duos, Panormitanum & Florentinum; unum tandem Hiſpanum, Abulenſem. Deinde, cum ſemel atque iterum adjungit, *& alii non nulli, & quidem alii*, nominatis & numeratis plures, opinor, non intelligit, ſed pauciores, ſcribit Launojus, vel certe totidem ad ſummum, niſi Lectores in errorem cogitet inducere. Sic loquendum eſt de Bellarmino, quia paſſim apud eum inveniuntur fidei neglectæ teſtimonia. Qui non fecerit periculum, de quæſtione hac facile capiet conjecturam & mirabitur. Et quidem pro tribus Gallis Pariſienſibus Theologis, non modo univerſa Pariſienſis Academia, ſed tota etiam ſtat Gallia. Ipſa Pariſienſis Academia à Philippo cognomine Pulchro, Francorum Rege conſulta, anno ſeculi poſt Chriſtum milleſimi & quarti tertio, Num Concilii generalis ab eo præpoſiti convocatio foret neceſſaria, & illi à Bonifacio Pontifice hujus nominis octavo ad futurum provocanti Concilium conſentiret, ita reſpondit, ut, dum rationi conſentaneum eſſe cenſuit, ut à Bonifacio ad Concilium generale provocaretur, neceſſario cenſenda ſit ſtatuiſſe, Pontificem Concilio inferiorem eſſe. Sic Johannes de Pariſiis, ex Ordine Prædicatorum, in libri de poteſtate Regia capite poſt viceſimum quarto cenſuit, Papam deponi poſſe à Concilio generali. Facultas item Theologica Pariſienſis in Tractatu, quem in cauſa Johannis Monteſini compoſuit, expreſſe ſcripſit. In cauſis fidei à ſummo Pontifice ad Concilium poſſe adpellari. Non vero adpellaretur ad Concilium, niſi id Pontifice majus crederetur. Eadem Facultas in Johannis Saraceni propoſitionum quarundam cenſura, has præſertim duas damnavit, in quarum una totam Concilii authoritatem in ſolo Pontifice dixit reſidere, in altera autem omnes alias poteſtates de jure nihil contra Pontificem poſſe ſcripſit, quas ipſe Saracenus poſtmodum quoque coactus fuit retractare & contrarium

Lord's Supper, Preaching, Prayer, Singing, Collection, Benediction.

Id autem de Chriſto intelligi nec poteſt, nec debet, quamvis Chriſtum vocet Eccleſiæ membrum principale, ſiquidem Chriſtus ita membrum eſt Eccleſiæ, ut tamen ſit etiam caput Eccleſiæ. At Pontifex Romanus eſt quidem Eccleſiæ membrum, idque primum, ſed non caput ejus. Præter id interveniente morte primum quoque deſinit eſſe membrum, non item Chriſtus, quia nunquam deſinit eſſe caput Eccleſiæ. Quo fit, ut Pontifex à recentioribus non ſimpliciter caput Eccleſiæ dicatur, uti Chriſtus dicitur, ſed miniſteriale tantum, quod vocabulum è Schola debet tolerari, quia, ut ita dicatur, exigit comparatio, quæ inter Chriſtum & Pontificem inſtituitur. Thomam ſequitur Henricus Haſſianus, in Epiſtola Conſilii & Pacis, quæ manuſcripta adſervatur in Bibliotheca S. Victoris; item Philippus, Monaſterii S. Dionyſii Abbas, in libro de authoritate ſacrorum canonum, qui itidem manuſcriptis in Collegio Navarrico oſtenditur; Thomas quoque Corſellus in propoſitione Biturigibus facta anno ſeculi poſt Chriſtum decimi & quinti quadrageſimo; Hadrianus etiam Gualterus ex Ordine S. Benedicti, in tractatu de Petri primatu; Jodocus porrò Clichtoveus in Anti-Luthero, & Petrus Ortiſius in Theſibus, quas ſub præſide ejuſdem Chlichtovei cum adprobatione Facultatis Theologicæ defendit Pariſiis, quæ in Bibliotheca laudati Collegii Navarrici manuſcriptæ exhibentur; Johannes inſuper Arboreus in Theoſophia, Claudius Conſordius in confutatione errorum Waldenſium, Simon Vigorius ex Eccleſiaſte Pariſienſi Archiepiſcopus Narbonenſis, in ſermone Feriæ tertiæ poſt tertiam Dominicam Quadrageſimæ; Claudius præterea Sanctesius, Epiſcopus Ebrocienſis, in reſponſione ad Apologiam Theodori Bezæ, uti & in catholicæ Fidei profeſſione Gallica, quam ut exhibitam Regi profeſſionem fidei Calviniſtarum corrigeret, Conventui Piſſiaceno obtulit. Adhuc amplius Johannes Coterelſus, Archidiaconus Tornacenſis, ſermone in Epiſtolam Feriæ tertiæ Pentecoſtes; & Renatus tandem Benedictus, Theologorum Pariſienſium ſuo tempore Decanus, in Panoplia Catholicorum adverſus hæreſes, quam Gregorio Pontifici hujus nominis decimo & tertio dedicavit. Poſthæc provocat Launojus ad Academiam *Cracovienſem* in tractatu de authoritate Conciliorum ad Uladiſlaum Poloniæ & Hungariæ Regem, manuſcripto in laudati Collegii Navarrici Bibliotheca, *Colonienſem* in tractatu de poteſtate Concilii & Papæ ad Theodoricum Archiepiſcopum manuſcripto in Bibliotheca Monaſterii S. Victoris, cui adcenſendus eſt Johannes Eckius in opere de primatu Petri; *Herfordienſem* in tractatu ſuper Unione & Neutralitate Principum Electorum manuſcripto in Bibliotheca eadem. His ſubjunguntur ex Ordine Pontificum Julii hoc nomine ſecundus, in Sacramento, quod refert Odoricus Rainaldus in Annalibus Eccleſiaſticis; ex Ordine vero aliorum Scriptorum & Doctorum privatorum, Johannes Driedo, Theologus Lovanienſis, in opere de Fidei Dogmatibus, Thomas Illyricus, Minorita, Italus, in clypeo Papali, quem adverſus Lutherum edidit, & Hadriano Pontifici hujus nominis ſexto nuncupavit, Clemens Monilianus Cardinalis in compendio Inſtitutionum Theologicarum, quod Michael Cardinalis Alexandrinus, poſtea Pius Papa hoc nomine quintus adprobavit, Paulus Griſaldus in Deciſionibus Fidei catholicæ, Antonius Cordubenſis in opere quæſtionum Theologicarum. Ad ſuppetias quoque vocatur Ignatius Lojola & tota ejus Societas apud Petrum Ribadeneiram in vita ejus, quod adtinet rectionis formam, quam circa Generalis Præpoſiti abdicationem, ſi quando neceſſitas exigat, inſtituerunt, dicentes, generalem Ordinis congregationem Præpoſito generali ſuperiorem eſſe, quia univerſam repræſentet Societatem. Nimirum, quibus rationum momentis Ignatius & ſocii ad conſtabiliendum congregationis ſuæ Statum utuntur, iiſdem & Pariſienſis & aliarum Univerſitatum Theologi ad adſerendum Eccleſiæ regendæ ſtatum utuntur. Quare Bellarminus contra Societatem ſuam pugnat, cum in libri de Conciliis ſecundi capite poſt decimum nono hoc argumentum: *Papa eſt membrum Eccleſiæ, ergo minor eſt toto, quod eſt Eccleſia*, non tam diluit, quam inutiliter vexat, quia dilui non poteſt, quod Auguſtinus ſemel ac iterum, & communis Sapientum intelligen-

lia ſuppeditat, atque certum manet, Bellarminum & ejus ſectatores illud non ante ſoluturos, quam Ignatii & Sodalium ejus præſcriptionem, regulam ac normam penitus evertant, ſi modo poſſit everti. Ex hac Societate idem docuit Johannes Maldonatus in commentario ad caput decimum & octavum Matthæi, in ejus explicatione ſecutus Patres, & quam maxime Synodos generales duas, Conſtantienſem & Baſileenſem, uti & Academiam Pariſienſem, in qua vixit & docuit. Neque aliud hac de re docuerunt Antiſtites Græci in Synodo Florentina, ac ejus ſeſſione nona, in quarum ſententiam tunc Latini ſuo conſenſerunt ſilentio, ſeſſione itidem poſt viceſimam quinta, in qua Græci & Latini ſimul Pontifici Romano adſcribunt poteſtatem regendi ac gubernandi Eccleſiam à Chriſto traditam, quemadmodum & in actis Conciliorum œcumenicorum & in ſacris canonibus continetur. Cur vero, ſubjungit Launojus, ſic legi debeat, non vero, *quemadmodum etiam*, uti legitur vulgo, Blondus Eugenii Papæ Notarius, vir minime ſuſpectus, nos docet in Decadibus, ubi Synodi hujus Decretum refert integrum, quod etiam à Marco Vigerio, Minorita, profeſſore Romano, Epiſcopo poſtmodum Senogalienſi, & tandem Cardinali in Decachordo, à Johanne Fiſchero Roffenſi Epiſcopo in articulis contra adſertores Lutheranos, Alberto quoque Pighio in opere de Hierarchia Eccleſiaſtica factum, cui inſuper lectioni Græcus favet Textus, in quo particula, ſeu, paſcendæ & gubernandæ Eccleſiæ rationem & formam reſtringit, tam ſi per ſe conſideretur, quam ſi habitis ultro citroque ſuper ſtatuendo Papæ primatu diſputationibus conjungatur. Quin etiam ſi quæ vera eſt extrema Definitionis clauſula, prioribus adcodat, uti neceſſario debet adcedere, nimirum ut Concilio decernente Pontifex Romanus nec ſacris canonibus, neque cæterorum poſt ſe Patriarcharum privilegiis & juribus poſſit derogare. Exinde ſequitur neceſſario, Pontificem Romanum ſacris canonibus, ac proinde Conciliis, eorum quippe authoribus ſubjectum eſſe. Sol in meridie non lucet clarius, quam hæc in Decreto reſtricta præfinitio. Hoc autem in loco Synodus Florentina Conſtantienſem, uti adparet, ſecuta & imitata eſt, cujus definitionem Johannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis poſt opuſculum, quod Veritatum de Fide credendarum Declaratio inſcribitur, retulit. Id ergo Synodus Florentina, quod Conſtantienſis jam ante definierat; & qui Synodum hanc Florentinam id feciſſe perperam nolunt, cum illius citant Decretum, verba hæc, *Quemadmodum* &c. vel plane ſupprimunt, vel aliter citant, lectione videlicet adulterina, quæ dilatat, ubi Lectio germana Eccleſiæ regendæ diſpoſitionem & ordinem adſtringit, ac Pontificem Romanum Actis Conciliorum generalium, prout illa Synodus Florentina numerat, Sacriſque ſubjicit Canonibus. Poſtremam vero Decreti clauſulam quod adtinet, cum Magiſtri Curiales vel plane non legunt, laudantve, vel pauci ex iis. Scilicet ab hominibus præjudicio quodam occupatis tarde laudantur vel leguntur, quæ lecta vel laudata illis incommodant. Quidquid id eſt, Synodi duæ, Conſtantienſis & Florentina re conſentiunt ipſa, etſi forte rebus in omnibus par non ſit loquendi modis. Cæterum, Pius Pontifex hoc argumentum tractans in Bulla Retractationis tria exhibet huic Propoſito convenientia. *Primum* eſt, Concilio Baſileenſi duos ex Italia viros interfuiſſe celebres, qui velut duo orbis Sidera & præcipua Juris Pontificii & totius ſapientiæ civilis Lumina fuerint æſtimati, Nicolaum videlicet, Archiepiſcopum Panormitanum, & Ludovicum Pontanum, Sedis Apoſtolicæ Notarium, eoſque Dictis ſcriptiſque Concilii geſta adprobaſſe, Eugenii Pontificis facta damnantes, nec fuiſſe, qui aut voluerit, aut auſus fuerit eorum dicta retellere. Launojus hic obſervat, Bellarminum laudare quidem pro ſententia prima, quod videlicet Concilium ſit ſupra Papam, inter alios teſtes Panormitanum, non vero Pontanum, quem tamen Pontifex Pius in Bulla ut Sidus alterum adjunxerit Panormitano. *Secundum* eſt, quod idem Pontifex Pius in eadem Bulla fatetur, ſe cum his Viris celebribus Concilii generalis authoritatem & poteſtatem amplecti, quemadmodum & Conſtantiæ in Synodo univerſali declaratum fuerit & definitum. Launojus

Digitized by Google

nojus addit, ſi Pontifex Concilii Conſtantienſis definitionem amplectitur, eomet ipſo Concilium agnoſcit eſſe ſupra Papam ; atque ideo, ne ſecum videatur pugnare, dicendum eſt, eum in hac Bulla ea tantum retractare, quæ Eugenii depoſitionem ſpectabant, quod facti genus erat, & in quo Conciſium Baſileenſe modum credebat exceſſiſſe. *Tertium* eſt, quod idem Pontifex ſcribit ibidem, adverſus Concilii dignitatem aliquid mutire crimen hæreſeos fuiſſe, atque omnium unam vocem Eugenio prætuliſſe Concilium, de Sedis Apoſtolicæ præcellentia autem vel ſilentium, vel contemtum fuiſſe. Launojus & hic notat, unam omnium vocem Eugenio prætuliſſe Concilium vere, quia vox populi (multo magis autem Sacerdotis & Cleri) vulgo DEI vox habeatur, & in re tali omnes erraſſe fideles nemo ſit adfirmaturus, quia alias ſine dubio Eccleſia erraſſet, quam tamen Nicolaus primus & Innocentius tertius ad Scripturam convenienter congregationem fidelium adpellarint. Hoc autem cum ita ſit, vix credendum eſt, Pium id revocaſſe, in quo una omnium vox erat ; aut certe ſi revocavit, non modo aliquid humani eſt paſſus, ſed etiam in errorem cognitum, & hanc ob cauſam intolerabilem incidiſſet. Exinde manifeſtum evadit, Pium, ſi revocavit, lapſum eſſe ; ſi vero non, agnoviſſe, Concilium eſſe ſupra Pontificem. Quibus Dilemma hoc non placebit, uſque dum ſe ab eo expediant, numerent Authores, quinam poſt laudatos à Bellarmino *ut quidam alii* deſignantur. Si quis autem forte quærat, cur Bellarminus ſententiæ hujus Adſertores tam paucos indicaverit, cum innumerabiles fere potuerit nominare, reſpondetur, id eum ideo feciſſe, ut eo facilius poſſet contrariam proponere, quæ tertium occupat locum. Verum, quis ante Concilium Piſanum ita propoſuerit hanc ſententiam, nemo hactenus eſt inventus ; quæ demum poſt hujus Concilii tempus cœpit proponi, ut de novitate illius ambigendum non ſit. Porro Bellarminus in Recenſione Authorum ad hanc ſententiam ex opinione ſua pertinentium Hiſtoriæ Leges non ſemel, ſed iterum & tertio negligit. Semel quidem, quia hanc, quæ communis non eſt, ſententiam nominat communem. Iterum vero, cum veterum Scholaſticorum, qui magno ſunt numero, ne unus quidem hoc Lemma ſibi ſumſit probandum. Tertio nominatim Albertus, Thomas, Bonaventura, Richardus, Paludanus & alii veteres id neutiquam adſumſerunt. Quidquid id eſt, totum confirmant Innocentius Pontifex hoc nomine tertius & Humbertus Prædicatorum Magiſter generalis quintus ſupra laudati. Poſt hæc Launojus tria è Thoma Aquinate producit teſtimonia, è quibus ſequi putat. Eum opinioni Bellarminianæ conſenſum non præbuiſſe. *Primus* eſt à Commentario in libros ſententiarum, ubi agnoſcit, Prælatum, ſi laberetur in infidelitatem, fieri minorem ſubdito fideli, à quo etiam poſſit corripi. Launojus ſubſumit, hoc non minus de Romano, quam de reliquis intelligi Epiſcopis. *Secundus* eſt ex eodem, ubi ſtatuit, Actum omnem hierarchicum, quem facere poteſt Papa in adminiſtratione Sacramentorum, poſſe etiam facere Epiſcopum. Launojus adjicit, ex hiſce verbis Bellarminus Pontificem ægre adtollet ſupra Concilium Epiſcoporum. *Tertius* eſt ex ſecunda ſecundæ, ubi concedit, Pontificem poſſe fieri Simoniacum. At Papa, ſcribit ad hæc Launojus, iſtiuſmodi crimen non incurret, niſi Sacris ſubjiceretur Canonibus. Et ſic infinita hujus generis loca nunquam efficient, ut Pontifex Romanus non ſubſit Concilio Calchedonenſi, quod Canone ſecundo Simoniam expreſſe prohibet ab Eccleſia, atque Bellarminus ſaxa comedet & favillas ſorbebit ante, quam ex hiſce locis Papam ita efferat ſupra Concilium, ut coactivæ illius ſententiæ ſe non poſſit (vel debeat) ſubjicere. Quod cæteros adtinet, ad quorum Bellarminus provocat conſenſum, Launojum ex eo numero Antonini, Cajetani & Turciani inprimis teſtimonia exinde ſtudet eximere. Et quidem de Antonino teſtatur, eum in locis à Bellarmino citatis expreſſe hanc propoſitionem de Pontificis ſupra Concilium authoritate non habere, quin imo potius dicere, Papam ab Eccleſia poſſe indicari, ſi deprehendatur à Fide devius. De Cajetano monet, eum in illo Tractatu, quem Bellarminus pro ſua adduxit ſententia, docc-

docere, Pontificem Romanum obſervatione Canonum ſacrorum & Decretorum Conciliarium, in foro Conſcientiæ conſtringi. De Turciano hoc habet, quod ſub finem tertii ex ordine & numero librorum, ad quos provocavit Bellarminus, ſcripſerit, Pontificem ſummum Canonibus Conciliorum ac Regulis Patrum Eccleſiaſticis, Pontificumque Decretis, imo omnium Conſiliis ac Dictis ſalutaribus ſubjectum eſſe debere in timore DEI, ac eos Pontifices, qui Canones & Decreta non ſervent, eſſe ſimiles Principibus illis & Phariſæis, quos Dominus in Evangelio adcuſarit, dicens de illis, eos adligare onera & imponere in humeros hominum, digito autem nolle ea movere &c. Hæc autem, inquit Launojus, non valde conveniunt Lemmati, quod Bellarminus adſumſit. Quidquid autem id eſt, Cajetani & Turciani (quin & Antonini) teſtimonia apud Bellarminum reperientur nuſquam, quia nullam adſentationis ſpeciem referunt. Hinc dolenter licet exclamare, heu priſca fides. Tandem ſupereſt, juxta diviſionem ſupra factam, Expoſitionis Bellarminianæ modus, quo videlicet Quæſtionis Theologicæ Hiſtoricam ab hæreticis, qui Concilio Papam ſubjiciunt, orditur, quibus adjungit Doctores Catholicos ſeptem & alios quoſdam, quibus nec Catholicorum, neque hæreticorum nomen adtribuit, ut, quæ res minime eſt dubia: nempe, Doctores eſſe Catholicos, eam hoc in loco & Quæſtione hac faciat dubiam, ſperans, jam inde ab ipſo diſputationis aditu Lectoribus opinionis minus tutæ injectum iri ſuſpicionem atque terrorem. Bellarminus igitur hoc ipſum confirmari putat ex ſerie narrationis, in qua hæretici Doctoribus ambiguæ, ut haberi vult fidei ſeptem anteponuntur. Nam doctrinæ temporum rudes & ignari facile credent, hæreticos, & cumprimis Hammelmannum illis ſeptem Doctoribus & aliis non nullis, quorum nomina reticet, ad ita ſentiendum prætuliſſe facem. Qua fraude Doctorum ſententia, quam it expoſitum Bellarminus, adhuc inviſior redditur atque ſuſpectior. Si vero ſecutus eſſet ordinem temporum, & Authoribus Catholicis ſubjeciſſet demum hæreticos, de Doctrina ſuſpicionis nihil aut parum adtuliſſet. Qui enim uno in dogmate ſunt hæretici, in altero poſſunt eſſe non hæretici, ac bene cum Catholicis ſentire. Hammelmannus certe non eſt heterodoxus, ſed orthodoxus, qua parte laudatorum ſeptem Doctorum placita defendit. Atque Bellarminus, cum hanc Quæſtionem ita tractat, peſſime meretur de Stephano, Pontifice Romano, qui Baptizatos ab hæreticis rurſus baptizandos eſſe vetuit, *ſentiens hac in re cum hæreticis* hac inter alias ratione fretus, quia ipſomet hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizant, adeoque ſentiens hac in re cum hæreticis, ad cujus exemplum nunc proponitur hæc Quæſtio, num collatus ab hæreticis Baptiſmus debeat repeti? De ea duæ reperiuntur Doctorum ſententiæ. Una eſt, hunc Baptiſmum non eſſe repetendum, quod inprimis adſerunt omnes hæretici veteres, ipſomet Stephano teſte, & Stephanus ipſe. Altera eſt Agrippini, Cypriani, Firmiliani & Antiſtitum Concilii Carthaginenſis. Hunc autem tractandi modum nemo unquam prudens ac ſciens admittet. Si Bellarminus admiſerit, Stephano Pontifici faciet injuriam; ſi vero rejiciat, contra ſe militabit. Cæterum, illaqueari ſic non poteſt, qui animo ſincero inſtituit diſputare, & cui nihil aliud ob oculos ſtatuit, præterquam aperta & ſimplex ratio Veritatis.

Chriſtianus Lupus *T.* IIII. *p.* 532. *& ſeq.*

ILluſtraturus Canon decimum & octavum ex ordine & numero Dictatuum, qui Gregorio Pontifici hujus nominis ſeptimo adſcribuntur, in quo ſtatuitur, quod Papæ ſententia à nullo debeat retractari, & ipſe ſolus omnium poſſit retractare, agens hac occaſione prolixius de adpellationibus à Papa ad Concilium, Launojum quoque inter alios ſtatuit ſibi antagoniſtam, cum Academia Pariſienſi credentem, quod illo ſint licitæ

tæ, atque hinc Concilium sit supra Pontificem, quia non possit Adpellatio, nisi ad superiorem fieri. Statuit autem & fatetur ingenue, hanc materiam esse scabrosam. Nihilo tamen minus promittit, se non tanquam Curiæ Romanæ adulatorem, sed tanquam Ecclesiasticæ Hierarchicæ sedulum inquisitorem, velle mentis suæ sensa libere Lectori aperire, id inprimis adfirmando, interjectas à Pontificis Romani judicio ad Synodum generalem provocationes semper exosas fuisse in Ecclesia, & male olvisse. Confirmare conatur illud exemplo provocationis Donatistarum à judicio Melchiadis, contra quam scripsit antehac optatus, Episcopus quondam in Gallia Milevitanus, Gabriele Albaspinæo, Episcopo non ita pridem Aurelianensi quædam adnotante ad rem facientia, cum adductione Cardinalis Perronii hic consentientis, à quibus existimat Lupus longe tutius addiscendum esse avitum Ecclesiæ Gallicanæ in hac Controversia sensum, quam à Launojo, addens, adversus Julianum, causæ Pelagianæ instauratorem, & contra varias Pontificum Romanorum sententias ad Examen Concilii generalis provocantem respondisse Augustinum, Nestorii quoque adpellationem graviter improbasse Cyrillum Alexandrinum in literis ad Clerum Constantinopolitanum Actis Synodi Ephesinæ insertis, quin & Eutychetis adpellationem tanquam imperiti hominis audaciam notasse Leonem magnum, & quomodo Johannem Teutonium postea Clemens quartus, ac Michaelem de Cæsena, uti & ipsum Imperatorem Ludovicum Pontifex Johannes post vicesimum secundus ex eadem Adpellationis & provocationis causa tractarint, testari Paulum Langium & Abbatem Urspergensem, quibus & alii adtestentur. De cætero agnoscit, Schismatis Clementini pertæsam illo tempore cum omni Ecclesia Gallicana Academiam Parisiensem Benedicto post decimum tertio obedientiam subtraxisse, atque ad Concilium generale tum provocasse, Benedicto Pontifice id ægrius ferente, qui, licet Hispanus, in Ecclesia tamen Gallicana educatus atque edoctus fuerit, cum videlicet Johannes Gerson nondum Gallis prædicaverit, Concilio Papam subesse, ideoque ab hoc ad illud posse provocari legitime; Pio etiam Pontifice in libro de Statu Europæ, quem sub Friderico Imperatore hujus nominis tertio scripsit Æneas Sylvius, contra Academiam Viennensem judicante, quod docta Viennensis Schola indoctam protulerit sententiam, scilicet, Imperatoris adpellationem suo confirmans calculo.

Idem Lupus in quinto Notarum & observationum ad Canones & Decreta Conciliorum atque Pontificum Tomo, post Concilium septimum Romanum, peculiarem de Peccatorum & Satisfactionum Indulgentiis Dissertationem subjungens, capite ejusdem decimo, quod de Indulgentiarum effectibus & necessaria ad eosdem dispositione agit, cui Digressiunculam de concilio Buxinense, quod tempore Gregorii Pontificis hoc nomine septimi fuit celebratum, inseruit, è prolixa Launoii Tractatione unicum tantummodo Testimonium & Exemplum sumsit examinandum, quod desumtum fuit ex Memoriali Historico Johannis Victorini, scribentis. Papæ fautores agnovisse, Papam non potuisse deponi, nisi in concilio generali. Launojo exhinc observante, eos esse arbitratos, Concilium esse supra Papam. Lupus autem respondet, hujus Schismatis radicem & seriem à Launojo non percipi, quia *non ob crimina*, sed ob introsionem Conventus Buxinensis per Henricum indictus Gregorium Pontificem adtentavit degradare, crimina ei adfingens in solum intrusionis adminiculum, eum simili tractans modo, quo Conventus Parisiensis per Philippum cognomine Pulchrum indictus tractaverit, ac postea Rex idem per Clementem quintum voluerit tractari Bonifacium octavum, utroque Conventu utrumque Pontificem adcusante tanquam violenter intrusum, ac insuper *varie criminosum*, atque sic omnino extrudendum. Addit, inter articulos, quos nominato à se Clementi quinto Philippus Rex præscripsit, hunc unum fuisse, ut Clemens memoriam Bonifacii damnaret, ac ejus ut intrusi nomen traderet & qualis Papalibus, atque judicium Con-

ventus Parisiensis de eo faceret ratum & firmum. Et quidem Clemens quintus, teste eodem Lupo, qui tum adhuc vocabatur Bertrandus, atque Burdigalensis Archiepiscopus erat, hoc facere promisit Regi; sed è Bertrando in Clementem mutatus, mutavit & mentem, respondens hoc judicium à se fieri non posse, sed opus esse Concilio generali. Atque hæc, scribit præterea Lupus, Concilii Viennensis est origo germana. Sic & Gregorii septimi fautores adseruerunt, prætensam ejus intrusionem non à conventiculo Brixinensi potuisse judicari, sed illud fieri debere à solo generali Concilio. Nimirum omnis tunc sub cœlo Ecclesia, etiam Gallicana censuit constanter, intrusum quoque pseudopontificem extrudi non posse, nisi per Concilium generale. Proinde nec Johannes Victorinus, neque Gregorii septimi fautores favent Johannis Launoji cogitationibus, utpote qui non agit de extrudendo Pontifice illegitimo, sed legitimo Pontifice judicando & damnando, quod nemo tunc prætendit & adtentavit, ac fieri non posse constanter omnes docuerunt.

Breves pro Launojo Vindiciæ.

LUpus hic statim ab initio seipsum prodidit voce propria, dum hanc quæstionem vocavit *scabrosam*, indicans, se, quidquid circa eam liberrima etiam mente sit scripturus, vix evasurum ita, ut non hic vel ibi, si non cornibus, certe pedibus hæreat, ac prævisо hoc periculo viam se nullibi tutam habere, ubi fortiter eos possit figere. Nec vacuus fuit augur, dum eventus testatur, eum hoc argumentum, uti cætera pleraque, ita infeliciter tractasse, ut neque ab hac parte nec ab illa aliquam videri possit meritus gratiam. Videlicet, dum ursam absque singulari offendiculo voluit Lectori facere suspectam, alteram simul in jactatæ frustra probabilitatis adduxit suspicionem. Quamvis enim laude seduli Hierarchiæ Ecclesiasticæ Inquisitoris eum privare nolim, valde tamen dubito, annon simul ordini adulatorum Curiæ Romanæ se adscripserit. Illud elogium *Baronius* quoque antehac obtinuit ab omnibus, qui penitus Annales ejus introspexerunt; hoc tamen quoque non potuit effugere, quo minus de eo statueretur, eum omni studio in id incubuisse, ut antiquitatem Ecclesiasticam Novitatibus Romanis conformaret. Ejus vestigia dum ubique pressit *Lupus*, idem de suo etiam labore reportat judicium. Specimen aliquod licet observare in hac etiam Tractatione. Non opus est autem hic eorum retractatione, quæ suo supra loco de *Adpellationibus* sunt dicta, quatenus eæ respiciunt Pontificem Romanum, cum hic agatur de iis, quæ fieri antehac solebant à Pontifice ad Concilium, utpote à quibus argumentum deduxit Launojus ad superioritatem Concilii supra Pontificem contra Bellarminum & ejus sectatores, in gratiam Academiæ Parisiensis, & qui cum ea sentiunt. *Lupus* quidem ab initio statim observat, interjectas à Pontificis Romani judicio ad Synodum generalem semper *exosas* fuisse in Ecclesia, & male quondam oluisse; sed addere debuisset, non nisi in naribus eorum id evenisse, quam quibus odor boni ordinis fuit ingratus, & qui ad suam suorumque exaltationem procurandam tantum modo fuerunt intenti, nulla ejus ratione habita, quid de jure fieri oporteat. Exempla insuper valde sunt impertinentia, quibus hoc evincere laborat *Lupus*, videlicet hæreticorum, qui non solum à Pontificis Romani judicio, sed etiam non semel tantum è Conciliorum quoque generalium contra se Decretis ob mentis pertinaciam ad alia, sed insuper ad Pontifices Romanos adpellarunt, causæ, quam viderunt esse pessimam, aliquod quærentes subterfugium, quod non potuit non cordatis & adcuratis rerum censoribus in Ecclesia displicere tanquam causæ quam defenderunt, desperatissimæ indicium omni ex parte certissimum. Et dum è recentioribus ad *Albaspinæum* & *Perronium* inprimis provocat Lupus, à quibus longe tutius quis possit addiscere avitum Ecclesiæ Gallicanæ in hac controversia sensum, quam à Launojo, sciat, diversis cum autho-

thoribus ſibi rem eſſe; dum *Albaſpinæus* in obſervationibus ea hinc inde ex antiquitate Eccleſiaſtica obſervavit, quæ Novatoribus Romanis multo cum fructu poſſunt opponi, Baronio præſertim & Bellarmino, hominibus nempe, uti loquitur Launojus, ſibi tantum ſuiſque Muſis ex inſtituto canentibus, ac omnia ad ſtatum Curiæ Romanæ referentibus, *Perronius* è contrario, quamvis Gallus, purpura donatus à Sede non Apoſtolica, ne ingratus videretur, vel hoc indignus honore, ea hic & ibi in gratiam Matris, quam ob inſigne hoc beneficium amore filiali proſequebatur, ſed ut plurimum cœco valde, ſcripſit, quorum cauſa non raro gravem incurrit cenſuram Archiepiſcopi non ita pridem Pariſienſis, *Petri de Marca*, qui in opere ſupra laudato de privilegiis & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, ſeu de *Concordia Sacerdotii & Imperii* ſæpius errores ejus perſtrinxit, pluribus oſtendens documentis, Romanam quoque Purpuram ſuis non carere maculis. Nec quidquam hic poſſunt juvare *Lupum* Exempla Clementis & Johannis Pontificium, qui teſtibus Hiſtoricis ab eo nominatis duriter tractarunt eos, qui à judicio Papali ad conciliare auſi ſunt provocare, cum in cauſa, quæ controvertitur, propria nemo facile judex admittatur, atque ſic *Lupus* imprudenter egit, dum iis Lectorem Veritatis ſtudioſum ad ſuas voluit trahere partes; agnoſcens nihilominus non modo Academiam Pariſienſem, ſed omnem quoque Eccleſiam Gallicanam ſchiſmatis Clementini pertæſam Pontifici Romano obedientiam ſubtraxiſſe, *atque ad Concilium generale tum provocaſſe*, quo ipſemet Veritatem Hiſtoricam, cui innititur tractatio Launoji contra Bellarminum, egregie confirmavit, ita ut melius non potuerit, conſcientia hoc teſtimonium quaſi per vim exprimente, nihil autem obſtat, quod Pontifex Benedictus tum huic provocationi obſtitiſſe, ad eam ægrius tuliſſe legitur; quia non potuit aliter, niſi Majeſtatis Pontificiæ contemtor, atque id neglexiſſe voluit videri, ad quod multo ſudore impetrandum anteceſſores cunctis laborarunt viribus. Quamvis enim, Hiſpanus licet, in Eccleſia tamen Gallicana fuit edoctus & educatus, mirum nihilo minus videri non debet, eum poſtea cum cœlo, ætate & ſummo honoris apice, animum quoque ſententiam & mores mutaſſe, dulcedine videlicet ejus poteſtatis illectum, cujus antehac fuerat inexpertus, nec ullam tunc temporis ſibi poterat ſpem facere ad eam aliquando perveniendi. Idem forte dicendum de Æneæ Sylvio, qui etſi contra Academiam Viennenſem ſcribens nondum fuit Pius Papa ſecundus, deguſtare tamen jam cœpit delitias illius honoris, ad quem tardiori quamvis greſſu ſenſim tendit adſuetus Aulæ tam ſacræ, quam profanæ, utut, quæ Launojus ſupra ex Bulla Retractationis circa Concilii Baſileenſis authoritatem obſervavit, evincere videantur, eum neque tum temporis, quando ſummam obtinuit in Sede Romana poteſtatem, ſententiæ de authoritate Concilii generalis ſupra Papam fuiſſe adverſum omnino, utut aliqua ratione eam ſtuduerit emollire. Quæ præterea *Lupus* contra Johannis Victorini ex Hiſtorico ejus Memoriali teſtimonium à Launojo adductum objicere & inferre voluit, pauperem deſignant ſupellectilem, qua inſtructus eſt Doctor Lovanienſis, qua cum tamen adgredi eſt auſus aciem Launoji copioſiſſima authorum non quorumvis, ſed ſelectiſſimorum armatura inſtructiſſimam. Ex tanto videlicet numero, qui quemvis Antagoniſtam ſupercilioſum potuiſſet in fugam conjicere, unam hanc ſibi delegit Lupus, eumque non ex anteſignanis, ſed forte Vicariis, contra quem ſuam exerceret fortitudinem, erga majores & ſpiritus generoſioris heroas inidoneam, quamvis & coram hoc ſuccumbens. Potiſſima nempe ratio, ob quam putat, Launojum hujus Victorini teſtimonio non rite uſum eſſe, hæc juxta Lupi opinionem eſt, quod exiſtimat, Launojum hujus Schiſmatis radicem & ſeriem non intelligere, quia Conventus Brixienſis, de quo Victorinus agit, Gregorium Pontificem adtenta verit degradare non ob crimina, ſed ob intruſionem tantummodo, cæterum crimina ei adfingens in ſolum intruſionis adminiculum, eo nimirum modo, quo Conventus Pariſienſis per Philippum Regem cognomento Pulchrum indictus tractaverit, ac poſtea Rex idem per Clementem quintum tractari voluerit Bonifacium octavum. At, quidquid ſit de criminibus aliis, quæ utrique

Pontifici in his Conventibus objiciebantur, quæ non plane adficta fuiſſe, Roma non glorioſa ex authoribus fide dignis teſtatur, ſi ſola intruſio eis fuiſſet data crimini, ſufficere potuit ea, ob quam ab hiſce Provinciis etiam particularibus detruſione dignus judicaretur, hoc tamen addito, ut judicium hoc in Concilio generali confirmaretur. Et ſi intruſio Pontificem Concilio ſubjicit, ut ab eo tanquam ſuperiori poſſit judicari & deponi, nihil videtur impedire, quo minus id etiam fiat in caſu, ſi vel à Fide vera, vel à moribus hanc Sedem quam maxime decentibus inveniatur devius. Neque contrarius fuiſſe credendus eſt Clemens Pontifex quintus, ad cujus authoritatem provocat Lupus. Quamvis enim promiſſis Regi Philippo factis, ubi Burdegalenſis adhuc fuit Epiſcopus, poſtmodum factus Pontifex ſtare detrectavit, multum videlicet mutatus à ſeipſo, quod iis ſolenne eſt, qui mutati ſtatu mores etiam ſolent mutare atque ut plurimum in pejus, forte id quoque metuens, ne, quod nunc alii faceret, ab aliis poſthac cogatur experiri; id tamen ſimul agnovit, poſſe id fieri a Concilio generali, hoc ipſomet illud ſe & Bonifacio, adeoque quovis Pontifice ſuperius eſſe confeſſus, quod inprimis ad ſententiam Launoji confirmandam pertinet, cui de cætero grandem infert injuriam atque alienam plane adfingit mentem, ſcribens de eo, quod non agat de extrudendo Pontifice illegitimo, ſed de judicando & damnando Pontifice legitimo, quod auſim jurare Launojo nunquam veniſſe in mentem.

Bellarminus *ibid. c.* 17.

DEmonſtraturus, prout lemma capitis habet, Pontificem ſummum eſſe abſolutum ſupra Concilium, hanc format propoſitionem: Pontifex ſummus ſimpliciter & abſolute eſt ſupra Eccleſiam univerſalem & ſupra Concilium generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat. Hæc, inquit, propoſitio eſt fere de Fide, & probatur primo ex præcedentibus. Nam ſi Papa eſt caput Eccleſiæ univerſæ etiam ſimul congregatæ, & Eccleſia univerſa etiam ſimul congregata nullam habet poteſtatem ratione totalitatis ſuæ, ſequitur, Papam ſupra Eccleſiam eſſe & ſupra Concilium, non contra. Secundo probatur ratione in Scripturis fundata. Nam omnia nomina, quæ Chriſto tribuuntur in Scripturis, unde conſtat, eum eſſe ſupra Eccleſiam, tribuuntur etiam Pontifici. Primum eſt, quod Chriſtus dicitur Pater familiæ in domo ſua, quæ eſt Eccleſia. At Pontifex in eadem eſt œconomus ſummus loco Chriſti, ſecundum verba Luc. 12. Quis eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam &c. *Hic enim per diſpenſatorem ſive œconomum, uti habetur Græce, intelligunt Epiſcopum Ambroſius l. 1. Hilarius & Hieronymus ad Matth.* 24. *ubi ſimilis habetur ſententia. Et quamvis Patres expreſſe non loquuntur de Epiſcopo Romano, tamen ſine dubio ſententia Scripturæ eſt illa, ut, quemadmodum Epiſcopi particulares ſunt œconomi ſummi in Eccleſiis ſuis, ſic Epiſcopus Romanus ſit œconomus ſummus in Eccleſia univerſa. Unde Ambroſius in illud Pauli ad Timotheum* 1. *Epiſt.* 3. Ut ſcias, quo modo te oporteat converſari in domo DEI &c. *inquit; Domus DEI dicitur Eccleſia*, cujus hodie Rector eſt Damaſus. *Et Chryſoſtomus l.* 11. *de Sacerdotio à princ. ipſum hunc locum*, Quis eſt fidelis ſervus &c. *expenit de Petro. Quod autem œconomus ſummus ſit ſupra familiam, atque ab ea judicari & puniri non poſſit, patet ex hoc eodem loco, ubi dicit Chriſtus*, quem conſtituit Dominus ſuper familiam &c. *Et ibidem*, Quod ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo &c. *Ubi videt, Dominum ſervare ſuo judicio ſervum illum, & non committere cum judicio familiæ. Idem docet etiam uſus omnium familiarum. Nulla enim eſt, in qua licet famulis inferioribus etiam ſimul congregatis punire vel expellere œconomum, etiamſi peſſimus ſit, id enim ad ſolum totius familiæ Dominum pertinet.* Secundum *Chriſti nomen eſt Paſtor, quando dicit Joh.* 10. Ego ſum Paſtor bonus &c. *quod idem communicat Petro, ibid. c. ult. dicens ad eum*, Paſce oves meas. *Conſtat autem, ita Paſtorem ovibus præeſſe, ut nullo plane modo poſſit ab eis judicari.* Tertium *eſt, caput cor-*

poris

Digitized by Google

poris Ecclesiæ, juxta dictum Pauli, Eph. 4. quod idem communicat Petro, uti habemus in Concilii Calchedonensis Actione tertia, in quæ Legati Sententiam pronuntiant in Dioscorum, & in Epistola Concilii ad Leonem. Porro, caput à membris regi, & non potius ea regere contra naturam est, sicut etiam est contra naturam, quod membra sibi caput præcidant, cum forte graviter ægrotat. Quartum *est*, *Vir seu Sponsus, secundum verba Pauli Eph.* 5. Viri, diligite Uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam &c. *Idem convenit Petro, nam in generali Concilio Lugdunensi hæc leguntur verba:* Adceleret utilis & perneccssaria totius Mundi provisio, idonco celeriter eidem Ecclesiæ Sponso dato. *Est autem contra Apostolum & ordinem naturæ, ut Sponsa præsit Sponso, & non potius subsit.*

Launojus.

CONtra hanc Bellarmini pro authoritate Pontificis supraconciliari Disputationem agit prolixissime in diversis duarum Partium primarum Epistolis, unde præcipua huc pertinentia excerpentur, ut iterato & novo quodam Exemplo ejusdem methodus disputandi suspectissima Lectori Veritatis studio exhibeatur. In genere ad hoc Caput, cum ex eo testimonium Ambrosii circa finem Epistolæ in parte prima quartæ suscepit examinandum, observat: Bellarminus hic sibi canit, non Sedi Apostolicæ, non Veritati Ecclesiasticæ, & quæ sibi sumit Lemmata, cujus sint antiquitatis, an certa vel incerta, & quo pertineant, non semper expendit, populari trutina contentus. Nam si Aurificum statera expenderet, vereretur, ne, quæ ex illis Lemmatibus colligit, non colligere, sed potius abjicere cogeretur, atque sic, quod scripturienti magnum esset malum, pagina vacaret. Deinde, ubi Epistola antecedente secunda egit de aliquo Cyrilli Alexandrini testimonio, quo usus legitur Thomas in Catena ad Matthæum, & cujus authoritate Bellarminus, non semel in libris de Pontifice Romano summam ejus potestatem confirmare adnisus est, uti supra mox à principio horum Excerptorum fuit observatum, miratur non immerito Launojus, quod in hac Tractatione de Pontifice supra Concilium constituto hoc testimonium non adhibuerit, addens: Si quis illud adferret, responderem Ego quidem, ex eo rationem sat firmam colligi non posse, sed tamen omnino contenderem, futuram esse firmiorem omnibus argumentis, quæ ex aliorum testimoniis & authoritatibus adduxit. In specie quod adtinet ea, quæ Bellarminus copiosissime in hoc capite ad probandam authoritatem Pontificis Romani supraconciliarem, id notanter Launojus sexta Partis secundæ Epistola observavit, quod Propositionem de ea à se factam *fere* dixit esse de Fide, censens, eum vere quidem judicare, quod hæc Quæstio spectare possit ad Dogmata Fidei, sed vel per ignorantiam, vel per malitiam falli, statuendo, suam de ea Propositionem *fere* esse de Fide. Quoad ipsa Scripturæ testimonia, quibus eam demonstrare laboravit, in prima hujus secundæ Partis Epistola ostendit Launojus, tantum abesse, ut ea secundum unanimem Doctorum Ecclesiæ consensum Bellarminus fuerit interpretatus, ut ne unum quidem ex illis ad propositi Lemmatis ex iis adsertionem in medium protulerit, quin nec adferre potuerit. Hinc ad primum de Dispensatore ex Luca producit testimonia Irenæi, Hilarii, Gregorii Nysseni, Ambrosii, Chrysostomi, operis imperfecti in Matthæum, Hieronymi, Augustini, Isidori Pelusiotæ, Leonis M. Petri Chrysologi, Gregorii M. Agobardi Lugdunensis, Gregorii itidem noni, de iisdem observans, quod nullus faveat sententiæ Bellarmini, nec etiam possit favere, ex hoc loco vel colligens, vel leviter tantum insinuans, quod Bellarminus exinde conatus est demonstrare; quin potius constituta Patrum laudatorum Expositione futurum perfacile, si ad methodum Bellarmini quis velit argumentari, quod alius quivis Episcopus, imo & Laicus, æque ac Pontifex Romanus sit supra Ecclesiam & Concilium universale. Porro, ad rationem

Bellarmini progreditur Launojus, ſcribentis: omnia, quæ in Scripturis Chriſto tribuuntur nomina, unde conſtat, eum eſſe ſupra Eccleſiam, tribuantur etiam Pontifici. In his verbis eſſe fallaciam, dicit. Nam tribuuntur quidem, inquit, ſed non æqua proportione. Chriſto enim tribuuntur, ut Authori & fundatori Eccleſiæ; Pontifici non niſi ut Authoris & Fundatoris Miniſtro & Vicario. Hinc Chriſtus quidem ſupra Eccleſiam eſt, non item Pontifex. Et operis alicujus Author atque Fundator pars non eſt operis ſui, ideoque Chriſtus non eſt pars Eccleſiæ, uti & Pontifex Romanus. Univerſum namque partibus ſemper optimo jure præponitur, uti docet Auguſtinus in libri de Baptiſmo ſecundi capite quarto. Præterea, cum Pontifex Romanus Seculis poſterioribus in Regula Fidei cœpit poni, non ponitur ante Eccleſiam, quia & ipſe pertinet ad Eccleſiam in illa ejus parte, quæ in terris eſt, uti facile colligitur ex iis, quæ de Spiritu Sancto ſcribit Auguſtinus in Enchiridii capite poſt quinquageſimum ſexto: inquiens: Spiritus Sanctus, ſi creatura, non Creator eſſet, ſumma eſſet creatura, & ideo in Regula Fidei non poneretur ante Eccleſiam, quia & ipſe ad Eccleſiam pertineret in illa ejus parte, quæ in Cœlis eſt. Addit, in eo etiam eſſe fallaciam, cum Diſpenſatoris & œconomi nomen atque notionem, quam ex mente Patrum omnibus convenire dicit Epiſcopis, ad unum Ponticem Romanum transfert, ut inde inferat ejus Superioritatem. Dum vero Bellarminus pergit ſcribens: Quamvis Patres non loquantur expreſſe de Pontifice Romano, tamen ſine dubio ſententia Scripturæ non eſt, quod ſicut Epiſcopi particulares ſummi ſunt œconomi ſuis in Eccleſiis, ita Pontifex Romanus ſit in Eccleſia univerſali, Launojus itidem agnoſcit fallaciam. Nam, inquit, Patres de nullo expreſſe loquuntur Epiſcopo, ſed de omnibus, ac proinde de Romano, uti de cæteris, quibus hunc adſerunt Scripturæ locum. Hinc comparatio hæc non bene inſtituitur; nam in comparationis reductione dicendum fuit, ſic eſſe Pontificem Romanum in Eccleſia univerſa, ſed Romana, niſi, qui Epiſcopus eſt Urbis, idem ſit & orbis Epiſcopus, atque ſic non eſſet, niſi unus in Eccleſia univerſa Epiſcopus, dum, ſi qui eſt Epiſcopus urbis, idem ſit & orbis Epiſcopus, cæteri tollerentur Epiſcopi. Sicut enim alius in Urbe præter unum non datur Epiſcopus, ſic & in orbe alius præter unum non daretur; & uti in Urbe eſt generalis Epiſcopi Romani Vicarius, qui dicitur vices ejus gerens, ſic etiam in orbe unus aut plures eſſent ejuſdem Vicarii, qui dicerentur vices ejus gerentes. Atque hæc eſt ingens comparationis Bellerminianæ fallacia, quæ vitaretur, ſi dixiſſet, quod, uti Epiſcopi particulares ſummi ſunt ſuis in Eccleſiis œconomi, id eſſet Epiſcopus univerſalis in Eccleſia univerſa; ubi in diſputando quidem non eſſet fallacia, ſed intolerabilis falſitas, quam Gregorius M. dudum perculit & confixit. Quoad teſtimonium Ambroſii, quo uſus eſt Bellarminus, monet Launojus ibidem, Bellarminum alibi, nimirum, libri quarti de Amiſſione Gratiæ & ſtatu peccati capite quinto, Commentarios in Epiſtolas Pauli inter opera Ambroſii extantes ad mentem Doctorum Ambroſio abjudicare, addens, veriſimiliter dici poſſe, verba hæc, *cujus hodie Rector eſt Damaſus*, addita fuiſſe ab iis, qui eos ſubinde tranſcripſerunt, cum videantur penitus redundare; & quia Eruditi Hilario, Eccleſiæ Romanæ Diacono adſcribunt, is, inquit Launojus, dicere potuit, Damaſum eſſe Rectorem domus DEI ſeu Eccleſiæ, videlicet Romanæ, in qua tum verſabatur, quæ Propoſitio, ſcribit, ſuppoſitionem non ſimplicem, ſed adcommodam importat, Lectorem ſimul remittens ad quartam primæ Partis Epiſtolam, circa cujus finem hoc idem Ambroſii teſtimonium expendit, obſervans, quod Ambroſius alibi, videlicet, Epiſtola poſt ſeptuageſimam octava ad Theophilum Alexandrinum ſcripta, Siricium Pontificem Romanum adpellaverit Eccleſiæ Romanæ Sacerdotem. Huic nunc ſubjungit plura, nempe, quod Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos Damaſum vocavit Comminiſtrum & magnæ Romæ Epiſcopum, quod idem factum à Gregorio Nazianzeno in oratione poſt quinquageſimam ſecunda, Hieronymo etiam in Chronico & Catalo-

talogo & Virorum illuſtrium, uti & in Epiſtola poſt decimam prima ad Geruntiam, atque ſecundo Apologiæ contra Rufinum libro, inſuper ipſo hoc Rufino, Sulpitio Severo, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Proſpero, Marcellino, Gennadio Maſſilienſi, qui omnes & ſinguli Damaſum non niſi pro Urbis Romanæ Epiſcopo habuerunt. Quibus adcedunt alii Scriptores Eccleſiaſtici, qui alios Pontifices Romanos non aliis nominibus deſignarunt, ex. gr. Tertullianus in libri de præſcriptionibus hæreticorum capite triceſimo Eleutherium, Cyprianus in Epiſtola ad Antoninum poſt quinquageſimam ſecunda Fabianum & Cornelium, Euſebius in Chronico Petri in Cathedra Succeſſores, Hilarius in contra Conſtantinum libro Liberium, Optatus primo contra Parmenianum libro Miltiadem, Athanaſius prima adverſus Arianos diſputatione Julium & Liberium, Epiphanius primi contra hæreſes libri capite poſt viceſimum ſeptimo Pium & Anicetum, Chryſoſtomus in Epiſtola ſecunda Innocentium, Auguſtinus libri Retractationem ſecundi capite poſt ſexageſimum primo Innocentium, & capite quinquageſimo antecedente Innocentium & Zoſimum, Theodoretus in Epiſtola poſt centeſimam & decimam tertia Leonem, Proſper in Chronico Anaſtaſium, Innocentium & alios Gennadius in Catalogo ſub nomine & Elogio Victorii Hilarum vel Hilarium, uti & ſub nominibus propriis Sixtum, Leonem, Gelaſium. Fulgentius tandem in libro de quinque Quæſtionibus Leonem. In ſumma, cum Pontifex Romanus obiit, locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis, id eſt, Eccleſia Romana vacare dicitur, non autem Eccleſia Catholica, ac ſemper alii ſuperſunt Epiſcopi, à quibus ea gubernetur; Atque ſic Hilarii, Eccleſiæ Romanæ Diaconi, ſub Ambroſii nomine latitantis intentio ex iis eſt æſtimanda, qui æquales & ætate proximi fuerunt. Sed pergit Bellarminus, Lectori ſuo perſuaſum volens, ac ſi præter Ambroſium Chryſoſtomus quoque hæc Chriſti verbâ de Diſpenſatore expoſuerit de Petro. Verum, ſic reponit Launojus, ſi Bellarminus locum, quem ex operibus Chryſoſtomi citat, ipſe per ſe legiſſet, eum non de ſolo Petro reperiſſet expoſitum. Scilicet, totus ubi Chryſoſtomus eſt in eo, ut probet, Sacerdotium, quo quis inſignitur, maximum eſſe charitatis teſtimonium erga Chriſtum, neque diſcordat à ſeipſo, cum ex profeſſo Evangelium Matthæi ſuis illuſtravit Commentariis, Chriſti Parabolam ad omnes adcommodans fideles, & cumprimis ad Sacerdotes, quibus Dominici gregis cura eſt commiſſa. Quam ob rem, ſi ex illa concludatur, Pontificem Romanum ſimpliciter & abſolute ſupra Eccleſiam & univerſale Concilium eſſe, ita ut nullum in terris ſupra ſe agnoſcat Judicium, concludetur pari modo, omnes in univerſum Sacerdotes, imo & alios fideles, ſimpliciter & abſolute ſupra Eccleſiam eſſe. Quis autem ita philoſophantem æquo ferret animo, quis non niſi indignabundus hoc audiret? Dum vero Bellarminus in proxime ſequentibus hanc de œconomo Parabolam Scopo, quem ſibi præfixit, adcommodare laborat, monet Launojus, eum abuti hac ſimilitudine, & in alienum ab eo, quam Patres habent, ſenſum detorquere, nimis exinde volens probare, atque ſic nihil. Nam probat, vel probare conatur, Dominum ſuo omnes illos ſervare Judicio, quibus hæc ſimilitudo aptatur à ſanctis Patribus. Quid autem fingi poteſt abſurdius? Ut enim cætera prætermittantur, Epiſcopum, cujuſcunque etiam fuerit Sedis, Dominus ſuo ſervaret judicio, neque committeret judicio familiæ. Tum, etiamſi Diſpenſator, œconomus & Pater alicujus familiæ judicari non poſſit à ſua, quam regit familia, non ſequitur tamen, eum judicari non poſſe à multis Diſpenſatoribus, œconomis & Patribus aliarum hic & ibi familiarum in unum congregati. Nam Diſpenſatores, œconomi & Patres familiarum in unum congregati non eſſent famuli illius Diſpenſatoris, œconomi & Patris familiæ, qui judicaretur, puniretur, atque de officio deturbaretur. Denique, Antiſtites in unum coacti non ſunt Romani Pontificis famuli, à quibus ille, ſi auſu ſubſit, judicetur; & cum Bellarminus hoc inſinuat, de Pontifice Romano meretur male, cum ille Epiſcopos non adpellet famulos ſuos, ſed fratres, Coepiſcopos & conſacerdotes. Imo tantum abeſt, ut Epiſcopos

pos ſic adpellet, ut neminem quoque Chriſtianorum ſic adpellet, quos habet ut filios, atque hoc nomine eos compellat. Quæ cum ita ſint, argumentatio Bellarmini non litigioſi tantum ſed etiam pſeudographi Syllogiſmi naturam ſortitur, atque ex principiis Hierarchiæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ perperam intellectis procedit. Ad haſce fraudes & fallacias qui deſcendit, is ſe profecto declarat extrema confligere fortuna & rebus jam deſperatis ac perditis ineptiſſima quæque & ultima velle experiri. In ſumma, Pontifex Romanus judicari non poteſt à Concilio Epiſcoporum, quia Epiſcopi non ſunt illius filii, ſed fratres, Coepiſcopi & conſacerdotes. Et ſi ab Epiſcopis, qui ſunt illius fratres, judicari non poſſet, nullus etiam præter eum Epiſcopus ab aliis poſſet judicari, quia omnes ſunt fratres. Unde Cyprianus ait: *Epiſcopatus eſt unus multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus.* Item, *Epiſcopatus eſt unus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Symmachus Papa id ſingulari prorſus ſimilitudine ſic expreſſit: *Ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos Antiſtites Sacerdotium.* Poſt egregium Auguſtini locum è libri contra duas Pelagianorum Epiſtolas primi capite primo deſumtum, ſic infert porro Launojus contra Bellarminum: In officio Epiſcopatus, qui omnibus omnino Epiſcopis eſt communis, unuſquiſque paſtoralem tenet ſpeculam, ſed Romanus in ſpecula hujus loco editione collocatur, non ut cauſæ fidelium indormiat, ſed ut ad Dominici gregis caulas, atque ad ſacrorum Canonum, qui ſunt Eccleſiæ firmamenta, cuſtodiam latius advigilet atque facilius. Sic etiam poſt teſtimonium Gelaſii ex Epiſtola poſt decimam tertia ad Epiſcopos Dardaniæ ſcripta, ejuſdem fere tenoris notat Launojus: Hic ſpeculæ paſtoralis locus editior Pontificem Romanum longe magis, quam alium quemvis Conciliis & Canonibus ſubjicit, tantum abeſt, ut eum ab illorum obſervatione & ſubjectione liberet. Hæc hactenus ad primum Scripturæ locum quo Bellarminus ad ſuperioritatem Pontificis Romani confirmandam uſus eſt, vel potius, ſi proprie loqui liceat, abuſus. Sequitur ſecundus è priori Epiſtola Pauli ad Timotheum, quem quia Bellarminus ipſe cum primo conjunxit, ex ejus etiam deductione ſuam habet lucem, nec ulteriori indiget tractatione. Hinc ſuccedit proxime tertius, qui exhibet Chriſtum paſtorem, qui ſimul etiam Petro officium paſcendi commmendavit, apud Johannem capite ultimo. At ipſe Petrus Epiſtolæ prioris capite quinto omnibus presbyteris illud eſſe voluit commune, oſtendens, quod Chriſtus hic ſibi dixit, in perſona omnium Apoſtolorum & Eccleſiæ dictum eſſe. Clerus præterea Romanus ſic etiam interpretatur, ſcribens ad Clerum Carthaginenſem, eumque officii ſui admonens & inſtruens, quid circa lapſos abſente propter perſecutionem Cypriano fieri oporteat. Nimirum Fabianus Pontifex tunc obierat Romæ, & ſic utraque Sedes vacabat. Clerus autem Romanus utriuſque curam ſuſceperat, ſimul ſibi & Carthaginenſi vindicans, quod de paſcendis ovibus traditur in Evangelio. Sic quoque intellexerunt Patres, nominatim Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Petrus Cellenſis, Petrus Bleſenſis, Leo Magnus, & alii. Cæterum, inſignis eſt fallacia, cum Bellarminus ſcribit, Paſtoris nomen ut Chriſto, ſic & Petro convenire, utpote quod à Veritate prorſus abhorret. Nam Chriſtus eſt Paſtor ovium, quas redemit & ſuo ſanguine ſibi comparavit, quod de Petro dici non poteſt. Deinde ſupponit, Chriſtum Paſtoris nomen ſoli Petro dediſſe, quod relatis modo Patribus repugnat, uti & ipſis Pontificibus Romanis, nempe præter laudatum Leonem Innocentius & Gelaſius, uterque primus, Gregorius M. Hadrianus itidem primus, Pius ſecundus, quorum omnium eadem mens eſt atque ſententia. Tandem ſuper adhuc ſunt quartus & quintus è quarto & quinto capite ad Epheſios, ubi Chriſtus & caput & Sponſus Eccleſiæ vocatur, quæ nomina Petro etiam adtribui ex authoritate Conciliorum evincere ſtuduit Bellarminus. At contrarium docuit Launojus è teſtimoniis Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Chryſoſtomi, Hieronymi, Theodoreti, Fulgentii, qui omnes & ſinguli utramque hanc denominationem ita intelligunt, quo ſenſu Chriſtum dici paſtorem modo fuit obſervatum. Item fallit Bellar-

Digitized by Google

unquam revocavit adprobationem. Porro, hoc in loco Bellarminus diſſimulat, fuiſſe, qui ex eodem fonte, Sponſi & ſponſæ nimirum ratione & conditione argumentum plane contrarium derivarit, videlicet Thomam Illyricum in Clypeo Papali, quem adverſus Lutherum edidit, & Hadriano Papæ hoc nomine quinto dedicavit, ita ſcribentem: Si Sponſus Vicarius ſponte poteſt reſignare ipſi Eccleſiæ, dando ei Libellum Repudii, ac Sponſus, & Sponſa non debeant quoad hoc impari jure centeri, poterit ſimiliter ipſa Eccleſia talem repudiare Sponſum, dum par ratio vel potior adducitur pro ipſa contra Sponſum, vel quia proſtituere quærit eam, quantum in ſe eſt, vel Tyrannide ſæva tractare, eam laniendo vel placitando, bona ejus diſſipando, vel quia abuti conatur iis in filiorum perniciem; nullum quippe ſtatum vel gradum Dignitatis, nullumve genus Miniſtrationis dedit DEUS, niſi in ædificationem & communem utilitatem &c. Quidquid vero Bellarminus ex laudatis Scripturæ locis colligit, ſic tandem hoc examen finit Launojus, adverſus Concilium Conſtantienſe & Martinum Pontificem hoc nomine quintum colligit, id eſt, adverſus ipſammet Eccleſiam, quæ per Concilium hoc repræſentabatur, uti Martinus Pontifex docet in ea, quam adprobante Concilio præſtituit, formula hominem, qui ab hæreſi ad Eccleſiam revertitur, interrogandi, num credat, quod Concilium quodlibet univerſale, etiam Conſtantienſe univerſalem repræſentet Eccleſiam? Fieri non poteſt, quin Concilium illa Scripturæ loca, quæ Bellarminus adhibet, viderit, legerit & diligenter examinaverit, cum Wicleſi articulum damnavit, quo omnem Pontificis Romani primatum negabat. Sed Concilium & Martinus Pontifex, quod Bellarminus, de Pontifice Romano non cenſuerunt, agnoſcentes, eum habere primatum ſuper alias particulares Eccleſias, non vero ſuper Eccleſiam in Synodo collectam; id eſt, aliis particularibus Eccleſiis præeſſe, ut eas ad Canonum ſacrorum obſervationem compellat, &, cum noluerint obſervare, ex eorum forma caſtiget, ſed Eccleſiæ in Synodo collectæ ſubeſſe, ut ab ea cogatur in ordinem, ſi erret in Fide vel Moribus, ac emendari nolit. Sed cum Bellarminus Pontificem ſupra Eccleſiam in Synodo collectam eſſe cenſeat, id adverſus Concilium Conſtantienſe & Pontificem Martinum facit, & loca Scripturæ adverſus mentem Concilii & Martini perperam interpretatur. Et uti non potuit fieri, quin Concilium hæc loca Scripturæ diligenter expenderit, ita quoque fieri non potuit, quin ipſe etiam Pontifex Martinus, & ante, quam eligeretur Pontifex, & poſtquam electus fuit, eadem diligenter ponderarit, inprimis quando confirmavit ea, quæ contra hæreticos fuerunt geſta; & tamen Pontificis Romani primatum non alium, quam ſuper alias particulares Eccleſias adſeruit. Propterea, cum juxta Doctores illius temporis aliud ſit primatus in Eccleſia DEI, aliud vero primatus ſuper Eccleſiam DEI, ac Pontifex Martinus hanc diſtinctionem noverit adprime, cavit tamen ſtudioſiſſime, ne hæc duo confunderentur. Nam in formula ſuperius laudata eos interrogandi, qui ab hæreſi redirent, ad Eccleſiam, præſcribit quidem, ut quæratur, num Papa Canonice electus ſit Petri Succeſſor, habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia DEI, non vero, ſupra Eccleſiam DEI, quæ per Concilium univerſale repræſentatur, utpote quod præſcribere nec debuit, nec potuit, quia contrarium à Concilio & ſeipſo noverat eſſe definitum. Denique tota hæc Ratiocinatio produci poteſt ad Concilium Baſileenſe & Eugenium Pontificem hujus nominis quartum, qui ſemel atque iterum Concilii Conſtantienſis Decreta, quæ ad Pontificem Romanum pertinent quam maxime, confirmavit, ſemel in Seſſione ſecunda, cui per Julianum Cardinalem Legatum præfuit & omnino conſenſit; iterum, quando in Seſſione poſt decimam ſexta præcedentia Concilii Acta confirmavit. Si Bellarminus diploma confirmationis hujus rejiciat vel infirmet, viam cæteris hujus generis diplomatibus rejiciendis vel infirmandis aperiet. Interim & iterato ducendum eſt, Bellarminum hæc loca Scripturæ aliter accepiſſe, ac Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe cum Pontificibus Martino & Eugenio,

nio, adeoque plus ſapere, & à Regula, quam hæc Concilia & Pontifices objiciunt diſceſſiſſe, ac viam deſeruiſſe Regiam.

Bellarminus *ibid.*

LEmma capiti præſcriptum de Authoritate Pontificis Supraconciliari porro confirmaturus provocat etiam ad Concilia, nominatim ad Sinveſſanum ſub Marcellino, utpote in cujus fine legatur, Primam Sedem à nemine judicari; itidem ad Romanum paulo poſt Silveſtro celebratum, in cujus ultimo Canone legatur, Neminem judicare primam Sedem.

Launojus T. II. *Epiſt.* 4. *p.* 62. *& ſeq.*

SIc de eorum authoritate cenſet: Si Bellarminus legiſſet & examinaſſet Concilium Sinveſſanum, non objeciſſet, quod in illius fine traditur, Primam Sedem à nemine judicari; & ſi legiſſet atque examinaſſet Concilium ſub Silveſtro Romanum, non objeciſſet illud, quod in eo ſcribitur, Neminem judicare primam Sedem. Hæc inquam duo non objeciſſet, quia ſuppoſita eſſe hæc Concilia reperiſſet. Nam quo modo traditam à S. Marco Eccleſiis Syriæ & Ægypti Syriacum Novi Teſtamenti Editionem rejicit libri ſecundi de Verbo DEI capite quarto, eodem & duo hæc Concilia rejiceret, quia eorum nulla mentio extat apud Euſebium, Hilarium, Athanaſium, Rufinum, Epiphanium, Sulpitium, Severum, Hieronymum, Oroſium, Auguſtinum, Proſperum, Bedam & alios Authores, qui vel de Marcellino, vel de Silveſtro, vel de Conciliis uſque ad Seculum à Chriſto nonum ſcripſerunt; quia inſuper nulla extat eorum mentio apud Dionyſium Exiguum, Monachum Romanum, qui Juſtiniano imperante Codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ confecit, ac utriuſque Concilii non oblitus fuiſſet, ſi qui Canones in iiſdem fuiſſent editi, & Romæ tunc in Scriniis adſervati, quia habitarum Ancyræ, Neocæſareæ, Gangræ, Antiochiæ, Laodiceæ, Carthaginis Synodorum Canones diligenter ſuo intulit Codici, cœcus domi non futurus, qui foris fuit ſatis oculatus. Præterea, quo modo Bellarminus Johannem rejicit Papiſſam, tertii de Romano Pontifice libri capite poſt viceſimum quarto, eodem & duo hæc Concilia rejiceret, & quidem longe veriſimilius. Martinus nempe Polonus, qui judicio Bellarmini primus meminit Johannæ Papiſſæ, ad tempus, quo Johanna dicitur ſediſſe, adcedit proprius, quam Nicolaus Pontifex hoc nomine primus, qui utriuſque Concilii primus invenitur meminiſſe, ad tempus illud, quo utrumque Concilium refertur eſſe habitum. Martinus ſcilicet Polonus claruit circa Seculi poſt Chriſtum decimi & tertii medium, Johanna autem circa Seculi poſt Chriſtum noni medium legitur ſediſſe. Et contra duo hæc Concilia dicuntur celebrata ſub initium Seculi poſt Chriſtum quarti, Nicolaus vero Pontifex Eccleſiæ Romanæ adminiſtrationem ſuſcepit circa medium Seculi poſt Chriſtum noni; qui & alias excipi facile poteſt, quia per otium ei non licuit omnia, quæ laudavit, ſuis expendere momentis. Ex. gr. laudat coactum à Sixto Pontifice hujus nominis tertio Concilium, in quo Polychronius, Hieroſolymorum Epiſcopus de ſua dejectus ſit Sede, & tamen ibi Epiſcopus hoc nomine tunc nullus fuit vel eſſe potuit, rebus in eo, quo erant ſtatu, manentibus, & Eccleſiam Hieroſolymorum magna cum laude tunc gubernavit Juvenalis, qui Conciliis Epheſino & Calchedonenſi interfuit.

Idem Launojus alibi, nimirum in libro de Cura Eccleſiæ pro miſeris & pauperibus, & quidem in prima ſtatim ad Caput primum obſervatione, p. 21. & ſeq. in ſpecie de Concilio hoc Romano ſequentia Lectori conſideratu digna propoſuit. Primo, inquit, Syno-

Digitized by Google

Synodus hæc Romana nullum habet teſtimonium ab Authoribus vel æqualibus vel ſupparibus, qui res ætate Conſtantini geſtas Chronicis vel Hiſtoriæ prodiderunt. Quis autem, quæſo, prudens & adtentus credat, Euſebium, Hieronymum, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, cæteros ignoraſſe Synodum, cui tamen Epiſcopi præter ducentos octoginta & quatuor, Presbyteri quadraginta & quinque, Diaconi etiam quinque, Conſtantinus & ejus Mater ſubſcripſiſſe leguntur, vel cognitam Silentio prætermiſiſſe, cum tot & tanta cognitu poſteritati minus neceſſaria memoriæ mandarint? *Secundo*, Synodus hæc Romana non unius vel alterius tantum Seculi, ſed Annorum plane quadringentorum taciturnitate obruitur; dum, qui ante Carolum M. ejus meminerit, hactenus nemo inventus eſt, primus autem aperte meminit Nicolaus Papa, Eccleſiam Romanam circa medium Seculi poſt Chriſtum noni adminiſtrans. Quod vero à Recentiore de Rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris authoritate profertur, ſcribit alicubi Baronius, contemnitur. *Tertio*, credibile non eſt, Silveſtrum Anno Seculi poſt Chriſtum quarti viceſimo quarto Romæ tot Epiſcopos congregaſſe, cum Conſtantinus Niceæ ad ſummum trecentos & viginti quinque potuerit congregare. Ad ſummum duo, quia Euſebius, qui aderat, & Julius, qui tunc vivebat, etiamſi nondum Pontifex, pauciores numerant; hic quidem in Epiſtola ad Orientales, ille autem in libri tertii de Vita Conſtantini capite nono. Et profecto ſolus is potuit tunc congregare tantam multitudinem Epiſcoporum, qui ſolus illis potuit commeatum & publicum & privatum dare; Imperator nempe, non Pontifex. Hinc, qui Concilium hoc Romanum ſuppoſuit, res priſcas de tempore recenti æſtimavit. *Quarto*, cauſa habendi Concilii, quæ prætexitur, idipſum deſtruit. Scilicet, habitum fuit hoc Concilium, ut Eccleſia ab incurſu hæreticorum libera & immunis ſervaretur; & tamen Ariana non percellitur hæreſis, quæ univerſum orbem Chriſtianum tunc depopulabatur. Nimirum Silveſter & Conſtantinus eam relinquebant percellendam Synodo Nicenæ, quæ Anno ſequenti erat cogenda. At, ô conjecturam futilem, & totis explodendam Theatris! Quaſi vero hæc Hæreſis in tanto Concilio non potuiſſet, aut non debuiſſet configi, quamvis iterum in Concilio majori configenda. Nonne enim Alexander, Epiſcopus Alexandriæ in Conventu Epiſcoporum fere centum ante decennium condemnavit Arium; & annon Hoſius, Cordubenſis Epiſcopus, in majori adhuc Epiſcoporum cœtu poſt quadriennium rurſus eum condemnavit? Cur ergo Silveſter in ſuo quoque Concilio non feciſſet, quod Alexander & Hoſius in ſuis jam fecerant Conciliis? Nonne Cœleſtinus etiam in Synodo Romana hæreſin Neſtorianam proſtravit ante, quam Synodus Epheſina proſterneret? Hæc certe ratio docet, eos, qui Concilium hoc Romanum ſubjicerunt, ſtoliditſime id ſubjeciſſe; debuerunt quippe, ut ſuam tegerent fraudem, meminiſſe hæreſeos Arianæ, quæ tunc Romæ fuiſſet damnata. *Quinto*, quis Silveſtro & tot Epiſcopis Latine intelligentibus verba Canonis poſt decimum ſexti tribueret, in quibus Curia à cruore ſuam denominationem habere dicitur? Potuitne derivari abſurdius aut imperitius? Nam Curia apud Feſtum locus eſt, & publicas Romani gerebant curas. Quare Cicero in libro de Senectuti ait, non Curia vires meas deſiderat &c. Et in Oratione pro Milone: Curia eſt Templum Sanctitatis &c. At, quantum hæc abhorrent à cruore. Sic fingi non potuit vocis illius derivatio, quæ foret alienior & incongruentior. Hanc tamen Silveſtro & tot Epiſcopis non dubitant adſcribere, qui Concilium hoc Romanum pronuntiant verum eſſe. Quanta autem hæc in Silveſtrum & tot Epiſcopos contumelia & injuria? Deinde, ſi omnis Curia dicitur à cruore, & immolatio eſt Simulachrorum. Curia etiam Romana dicitur à cruore, ac erit immolatio ſimulacrorum. Quis vero hoc Romæ patienter audiet, ubi quis illud animo ſuſtinebit æquo? *Sexto*, qui Canonem hujus Concilii viceſimum & ultimum, ad quem provocat Bellarminus, condidit, non prævidit, fore, ut Romanum aliquod Concilium, idque verum ea cumprimis objiceret, quibus fallitas Canonis hujus ac proinde totius Concilii de-

demonſtraretur. Eſt illud, quod in cauſa Damaſi contra Urſicinum fuit collectum, quodve in tertia ad Imperatores Gratianum & Valentinianum Epiſtola meminit Silveſtri, qui à Sacrilegis adcuſatus cauſam apud Conſtantinum fuerit proſecutus. Epiſtola hæc habetur in Sirmondi Adpendice ad Codicem Theodoſianum. Atqui hæc relato Canoni prorſus adverſantur, tantum abeſt, ut cum illo concordent. *Septima*, in hoc Canone de prima Sede ſermo perinde inſtituitur, ac ſi olim prima, ſecunda & tertia Sedes in certis numerari conſueverunt Monumentis. Sed ante Synodum Niconam, imo ſtatim poſt eam, quis inveniet illas ſic enumeratas? Et hæc eſt nota falſitatis manifeſtiſſima.

Hiſce Launojus iterum alibi, videlicet nona primæ Partis Epiſtola, ad finem, hanc adjicit porro obſervationem: Canon hic, qui primum à Nicolao Papa ſic laudatur, *Prima Sedes non indicabitur à quoquam*, temporis progreſſu paſſus eſt interpolationem. Apud Gratianum legitur, Nemo judicabit primam Sedem Juſtitiam temperare deſiderantem. In Tomo autem primo Conciliorum: Nemo judicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à Sede prima Juſtitiam deſiderant temperari. Lectionis vero prioris mutatio in poſteriorem facta eſt ab iis, qui Sedem primam, ſi nollet Juſtitiam temperare, judicari poſſe perſpexerunt. Ratio mutationis ſtatim advolat ad oculos. Tum lectio prior ſequenti Canonis contextui quadrat utcumque, poſterior minime. Nimirum, interpolatori defuit ſolertia, non fides mala.

Immanuel à Schelſtrate *Part.* II. *Diſſert. I. cap. 6. p. 222. & ſeq.*

PRolixe agens de Lapſu Marcellini, an verus ſit, an vero confictus, Concilii etiam Sinveſſani Acta in gratiam Bellarmini contra Launojum, ſi non omni ex parte, aliquatenus tamen, inprimis quoad argumentum Decreti de prima Sede à nemine judicanda defendere pro viribus laborat, agnoſcens hujus Concilii Acta in prima Annalium ſuorum Editione in dubium vocaſſe Cardinalem Baronium, neque id diffiteri in Editione ſecunda, hac obſervatione ſubjuncta, avide id arripuiſſe Launojum, ut argumentum pro injudicabilitate Pontificis à Bellarmino hinc deſumtum effugerat. Addit, Chriſtianum Lupum his inductum in parte quarta Notarum ad Canonem decimum & nonum inter Dictatus Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi admittere, Synodum hanc Sinveſſanam adverſus Marcellinum eſſe fictam & ſpuriam, attamen fundamento non carere, quia confictor ejus fuerit omnino Catholicus, octavo poſt Chriſtum Seculo vivens, locutus adeo vel ſcribens juxta communem ſui temporis ſententiam. Antverpianus Doctor ad hujus difficultatis indagationem vult diſtingui Quæſtionem de ſuppoſitione Actorum Concilii ab ea, qua quæritur, an Doctrina in Actis contenta Veritati ſit conſona, adeoque admittenda? Et quidem quoad ſuppoſitionem Actorum, cum Viri *dubitent* eruditi, nec aliquid habeatur eliquatum, nihil adſerit definite; licetque ab aliquo fuiſſent ſuppoſita, nullatenus videre ſe dicit, confictorem *octavo* vixiſſe Seculo, uti Chriſtianus Lupus tanquam indubitatum proponit. Hoc fatetur, primos, qui hanc Synodum citarunt, nono inveniri Seculo, videlicet Luitprandum Tirinenſem Diaconum, & *Nicolaum* Papam primum, hæc Acta ex *Iſidori* Mercatoris collectione adlegantes; at *vero ſimile* tamen non videtur, Iſidorum circa hoc Seculum ea ſuppoſuiſſe & confinxiſſe, cum ſtylus majorem ſapiat Antiquitatem, id animadvertente *Petro de Marca*. Ad illud autem, quod hæc Acta à Donatiſtis aliqui voluerunt conficta, è Baronio priorem ſententiam retractante reſpondere dicit Binium, Donatiſtas teſte Auguſtino hæc Acta non cognoviſſe. Verum id *coronce* fieri putat, quoad modum probandi. Si enim Donatiſtæ, inquit, Marcellini lapſum objecerunt, de quo itidem teſtatur Auguſtinus, ergo & Lapſus non fuit incognitus ipſis. Nempe, Lapſum *hujus* Mar-

Marcellini ſciverunt quidem Donatiſtæ, at lapſus Silveſtri, Marcelli & Melchiadis effinxit Petilianus, atque ob ſolum Melchiadis lapſum urgebant Hiſtoriam Marcellini, de quo ſi Donatiſtæ Acta confeciſſent Synodica, certo tertius & lapſus Melchiadis ibidem meminiſſent, quod cum non fecerint, ſignum eſt manifeſtum, hæc Acta figmentum non eſſe Donatiſtarum, ſed antiqui alicujus Catholici partum, qui *forſan* ex quibuſdam ſuo tempore extantibus Scriptis cuncta in ordinem Actorum redegit, & *mendoſa licet* poſteritati conſecravit ſaltem poſt tempora Conſtantini M. Quoad ſecundum vero, an Doctrina in Actis contenta de injudicabilitate Pontificis Veritati ſit conformis, negavit hoc contra Bellarminum Launojus, at non immerito adfirmat Lupus, & *contra* Launojum tuetur Petrus de Marca. Præterquam enim, *quod ſub judice ſit lis*, an hæc Acta ſint genuina, & ipſiſſimam Patrum Sinveſſanorum ſententiam exprimentia, ſaltem collector ipſorum fuit Catholicus, & ſive Conſtantini tempore, ſive poſt paulo floruerit, juxta *communem ſui temporis Sententiam eſt lecutus*, uti Lupus habet, idque adeo veriſimiliter, ut, ſive Acta hæc ex Hiſpaniis in Gallias primo adtulerit Riculphus, Archiepiſcopus Moguntinus, & tota Gallia iiſdem repleta, omnium voce conſona ſint recepta, ſive primo citaverint Luitprandus, vel Author ejuſdem Seculi Luitprando contemporaneus in Vita Marcellini, Nicolaus etiam primus in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, & præter alios Canonum collectores Gratianus in Decreto, quod juſſu Gregorii poſt decimum tertii correctum fuit, ea dudum ante confirmaverit Gregorius Papa ſeptimus, Anno Seculi poſt Chriſtum undecimi ſeptuageſimo & octavo, in Concilio quinto Romano ſtatuens Canonem ordine decimum & quartum de Feſtivitatibus Romanorum Pontificum, ac inter eos Martyrum celebrandis, de quo Magnum Belgii Chronicon teſtatur, idemque habet antiqua Hiſtoriæ compilatio apud Lupum; inter quos dum fuit Marcellinus, Vitam ejus ex libro Pontificale & Actis Concilii hujus Sinveſſani deſumſit & Romano inſeruit Breviario Gregorius hic ſeptimus cum Concilio ſupra citato, quod adeo certum habuerunt Patres Synodi Tridentinæ, ut à Pio hujus nominis quinto ad Breviarii correctionem coacti hanc Marcellini & Concilii hujus Sinveſſani Hiſtoriam retinuerint, Pio in Bulla eidem præfixa adteſtante, eos ab antiquis tam Urbis Romæ, quam *Bibliothecæ Vaticanæ* Breviariis non receſſiſſe, quin imo graves in eo genere Scriptores fuiſſe ſecutos, ea removendo, quæ aliena eſſent & incerta. Et revera *uſque ad tempus Synodi Tridentinæ* indubitata plane hujus Concilii Acta fuiſſe, conſtat ex Authoribus graviſſimis, qui poſt Nicolaum hoc nomine primum & Gregorium ſeptimum illis ſunt uſi, nominatim Alvarus Pelagius (an Cardinalis? certo non conſtat,) in opere de Planctu Eccleſiæ, Facultas Theologica Tholoſana ſub initium Seculi poſt Chriſtum decimi & quinti in literis ad Carolum hujus nominis ſextum Galliæ Regem apud (non Theodoricum ſed) Odoricum Rainaldum in Annalibus Eccleſiaſticis, Johannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis eo tempore, quo intererat Concilio Conſtantienſi, uti patet ex Tractatu de Adpellatione, quem poſt hujus Concilii finem edidit, Nicolaus item Cuſanus tempore Concilii Baſileenſis, in opere de Concordia Catholica, Onuphrius Panvinius in Notis ad Platinam Pio Pontifice quinto dedicatis, Hoſius Cardinalis & Præſes Synodi Tridentinæ, qui coram conſeſſu Patrum ex hac Hiſtoria hæreticos Pontificem judicari volentes rejecit publice, uti ex ipſius Hoſii teſtimonio Jovius refert in Annalibus, & poſt Synodum Tridentinam Baronius Tomo Annalium ſecundo Editionis ſecundæ, ubi ſententiam priorem de Actorum hujus Synodi ſuppoſitione non plane nihil mutavit, re nimirum lance graviori perpenſa & ſagaciori indagine diſquiſita. Exhibent autem hujus Synodi Acta Petrus Crabbe, Laurentius Surius, Dominicus Nicolinus, Severinius Binius, quæ etiam Notis pluribus adjectis in ejus confirmationem Acta ex tribus diverſis Editionibus exhibuit, quarum duæ ex antiquiſſimis Codicibus ſunt deſumtæ; poſt quem Collector Regius in magna Conciliorum mole Pariſiis edita unicam exhibuit ex utraque oppoſita *& in pleriſque vitiata* conſarcinatam

dens, quæ plus roboris habere existimavit, utut sic quoque causam magis reddens suspectam, quam ab omni suspicione tamen conatus est laborare. Launojo adhuc dum obtinente. Agnoscere nimirum debuit, dubitare eruditos de hujus Concilii veritate historica, an videlicet unquam illud fuerit celebratum, prout Bellarminus id pro indubio voluit haberi. Si semiliterati dubitarent, tanti forte non esset æstimii; at cum de aliqua re dubitant eruditi, id non sine aliqua ratione fieri credendum est. Fatetur quoque, nihil eliquatum haberi circa hujus Concilii historiam. At in probatione rei tam gravis momenti opus est omnino testimoniis omni exceptione majoribus, si ad liquidum sit deducenda, alias ineluctabili tenebimur labyrintho. Porro nihil ausus est in hoc negotio definire Doctor Antverpianus. Si vero fundamentum extra omnem dubitationis aleam non est positum, ex quo desumitur argumentatio, quantarum id æstimari debeat virium, per se patet. Imo non audet omnino negare, Acta hujus Concilii esse supposita, quod Lupo Lovanienſi quoque fuit visum non improbabile, noluit tamen illi in hoc consentire, quasi octavo demum seculo sint conficta. Sed sive octavo, sive quarto jam sint conficta, dummodo agnoscantur esse conficta, sufficit, quo minus idoneum possint argumentum in re tam ardua præbere. Quamvis autem studiose laborarit, aliquam iis conciliare vetustatem, præter veri tamen (vel potius falsi) similitudinem eamque verbotenus tantummodo jactatam nihil potuit in medium producere, Isidorum Mercatorem ob malas merces Ecclesiæ obtrusas à longo tempore suspectissimum ab hac etiam suspicione liberaturus; cum ex antiquorum Veriverbio per longiorem experientiam comprobato, qui semel malus & suspectus ob merces minus bonas, fuit inventus, semper nec sine causa, & nulla cum ejus injuria talis præsumatur. Sit ita, habeant hæc Acta aliquam vel quandam antiquitatem, ubi Petrus de Marca scripsit, cui Schelstratensis fide non bona, sed itidem suspectissima imposuit, ei adtribuens, quasi majorem octavo vel nono post Christum seculo antiquitatem circa hujus Concilii Acta agnoverit, qui tamen sine omni temporis certi determinatione locutus est, atque simul ingenue testatus, quamplurimis ea mendis sectere; addens insuper, quod in gratiam Launoji probe venit observandum, hujus Synodi Sinvessanæ Decretum de prima Sede à nemine judicanda repetitum esse quidem in Synodo Romana sub Silvestro, ad cujus authoritatem Bellarminus quoque sumsit refugium, Canone nimirum ultimo cum illa adjectione, *ut neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judicetur, scilicet Pontifex*, sed Viros judicii emunctioris hunc quoque fœtum damnare ut adulterinum, & inter cæteras Isidori Mercatoris quisquilias reponere, imo hujus Concilii Canones Hincmaro bilem movisse adeo, ut nullam illis fidem in judiciis haberi voluerit, quia omnes fere antiquis repugnent Canonibus, Archiepiscopo Parisiensi circa ultimum hunc canonem id observante, Episcopos in hoc Concilio congregatos esse oportuisse hariolos, utpote qui non solum ab Augustorum Consistorio, qui Romæ imperabant Silvestri tempore, sed à Regum quoque judiciis Pontificem Romanum decreverunt esse immunem, cum tamen Reges non tenuerint Romam, nisi annis fere ducentis post hæc elapsis, ac insuper Silvestrum suo etiam exemplo contrarium statuisse teste Concilii alius Romani ad Imperatorem Gratianum Epistola, à Sirmondo in adpendice codicis Theodosiani edita, in qua habetur expresse, quod Silvester adcusatus à sacrilegis causam apud Imperatorem Constantium sit prosecutus. Debuerant hæc ex opere illustri, quia in paucorum manibus versatur, in gratiam veritatis occasione hac oblata breviter exscribi, ut, quid Vir celebris de utroque hoc Concilio, quod Bellarminus testium loco voluit esse, Launojus autem prudenter eorum numero excluſit, ad normam judicii limatioris statuerit, Lectori constet, ac simul ostendatur, quam male & impertinenter Schelstratensis authoritate ejus fuerit usus, vel potius turpiter abusus. Quorsum pertinet quoque, quod in proxime sequentibus Petrum hunc de Marca iterum adduxit Doctor Antverpianus, & ita quidem, quasi is contra Launojum hujus Synodi Sinvessanæ Acta tueatur, cum tamen præter id,

quod Launojus ſuper iiſdem ſuæ mentis ſenſu demum poſt obitum laudati Pariſienſis Archiepiſcopi ac iterato & altero tanto auctius editum opus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſeu Concordia Sacerdotii & Imperii in Epiſtolis ad amicos ſcriptis aperuerit, ea, quæ de hac Synodo ac ejus Actis cenſuit Marca, talia ſint, quæ eum potius à Launoji, quam Bellarmini partibus ſtare vel ſtetiſſe doceant perſpicue, ut adeo Schelſtratenſis oculo plane curſorie legerit ejus verba, vel non intellexerit, quod tamen tanto Doctore videtur omnino indignum, vel Lectori incuriosò & ſimplici voluerit imponere, quod tamen, ut credam, adducor ægre. Id certum eſt, mentem plane aliam & peregrinam illuſtri huic Viro adfictam eſſe, dum Launojo in hac re opponitur, cui quoad partem potiſſimam conſentit. Sit autem ita, inquam, habeat hæc Synodus Sinveſſana aliquam antiquitatem; quam eruditi aliis etiam ſuſpectis mercibus Iſidori Mercatoris non omnino denegent; at hic quæritur de ea antiquitate quam hæc Acta præ ſe ferunt, quæ dum ſtatui temporis illius minime ſunt conformia, ſed ſtatum illius ſeculi deſcribunt, quod poſt ſemi millenarium in pleriſque à priſtino enormiter fuit immutatum, Bellarminus, ſi modo diſputatoris ſerii & ſinceri partes voluit ſuſtinere, non potuit, nec omnino debuit ex iis teſtimonium producere, ac ſi ſub initium ſeculi poſt Chriſtum quarti authoritas Pontificis Romani ſupraconciliaris credaliter agnita fuiſſet atque confirmata, utpote quod cum manifeſto falſi crimine factum eſſe conſtat è dictis & nunc porro dicendis. Ut enim nunc omittam prolixius excutere, quæ Doctor Antverpianus contra Binium quoad prætenſam Actorum hujus Synodi à Donatiſtis confictionem obſervavit, erroneum ei modum probandi objiciens, quod uti & illud, quod paulo ante contra Lupum Lovanienſem notavit, fratrum Cadmæorum egregium in argumento hoc Hiſtorico conſenſum, vel potius diſſenſum exhibet, totamque rem non parum facit ſuſpectam; id nunc ulterius ac iterato meretur obſervari, quod præter atque poſt Lupum non potuit non vice iterata fateri & ultro agnoſcere, eſſe hæc Acta partum (an Patrum in hac Synodo congregatorum? Minime, ſed) antiqui alicujus Catholici, (qui videlicet authoritatem Pontificis Romani ſupraconciliarem hoc modo ſtabilire conatus eſt) & qui *forſan* (en, documentum relationis omni exceptione majoris!) ex quibuſdam ſuo tempore extantibus ſcriptis (quæ in nullius præterea conſpectum ante & poſt tempus illud venerunt) cuncta in ordinem Actorum redegit (ea nimirum recenſens, quæ nunquam geſta fuerunt) ac *mendoſa* licet (huicque teſtimonii irrefragabilis locum ex debito obtinentia) poſteritati conſervavit ſaltem poſt tempora Conſtantini, quod octavo vel nono etiam ſeculo potuit fieri. Atque hactenus peſſime cauſam hanc egit Schelſtratenſis contra Launojum, quod Actorum Synodi Sinveſſanæ legitimationem adtinet. Nunc in ſequentibus eadem oberrat incertitudinis chorda, doctrinæ in eis contentæ ſinceritatem contra Launojum demonſtraturus. Præter id enim, quod, uti ſupra notatum, Petrum de Marca opponit Launojo opponendum minime, de quo adducta ejus verba teſtantur, ſufficere iterum poteſt ad objectæ inceſtitudinis demonſtrationem, quod & hic largitur, adhuc litem eſſe ſub judice, an hæc Acta ſint genuina, & ipſiſſimam Patrum Sinveſſanorum ſententiam exprimentia. Si enim de eo certos eſſe nos non licet, an ea ſententiam Patrum exprimant, ad quid Bellarminus hoc uſus eſt teſtimonio probaturus, authoritatem Pontificis Romani ſupraconciliarem à Patribus in hac Synodo agnitam fuiſſe & confirmatam? Quid tandem erit ludere in re ſeria & lectorem Veritatis ſtudioſum naſo ſuſpendere, ſi hoc non eſt? Infantibus, ne dicam ſtultis, ingeri hoc debet, authorem vel fictorem hujus Synodi Catholicum fuiſſe, ideo nimirum, quia hoc tibicine fictitio authoritatem Pontificis fulcire laboravit. Riſu digna eſſet hæc reſponſio, ſi de umbra aſini ſermo eſſet, & non ageretur de re, quæ ad fundamentum Fidei, ad minimum *fere* ſecundum Bellarmini mentem pertinere videtur. Is nimirum erit Catholicus, qui authoritatem Pontificis modo quovis tuetur, loquens de ea vel ſcribens juxta communem ſui temporis ſententiam, quidquid etiam antiquiora de ea ſtatuerint tempora. Exploſionem merentur hæc talia

apud

apud eos, qui Veritatem in rebus Fidei ad æternam Beatitudinem pertinentibus ex communi temporis hujus vel illius, etiam corruptiſſimi ſententia, vel potius errore craſſiſſimo metiuntur, vel fingunt potius atque mentiuntur, prout ratio ſtatus, non ſtatus rationis requirit. Neque meliori fundamento innituntur cætera, quæ ad hujus Doctrinæ ex Actis Synodi Sinveſſanæ ulterius confirmandæ demonſtrationem adducit Doctor Antverpianus, particula *ſive* non ſemel uſus, quæ luculentum dubitationis præbet teſtimonium. Dum enim Lupi ſententiam circa Catholiciſſimum Authoris vel fictoris ad communem ſui temporis opinionem ſe adtemperantis ſuam quoque fecit, ei ſingularem adſcribens veriſimilitudinem, eamque putat exinde manifeſtam, *ſive* hæc Acta ex Hiſpanias in Gallias primo adtulerit Riculphus, *ſive* primo citaverit Luitprandus, & qui poſt illum ſcripſerunt, quos longa recenſet ſerie, quis non videt, eum vagari in lubrico, nec habere, ubi pedem figat. Conjecturis agit, ubi demonſtrationibus Antimachum vincere debuit, ipſe dubitans, quod genus armorum comprehendat. Præterea, nullo teſte confirmat, Acta hæc ex Hiſpaniis in Gallias fuiſſe adducta, nec ullum determinat tempus vel Seculum, quod id factum ſit. *Sive* enim Conſtantini tempore, *ſive* paulo poſt id contigerit, quod in proxime antecedentibus urget, negotium hoc non conficit, dum utrobique Lector in ſuſpenſo relinquitur. Inſuper, opus eſt, ut cauſa ſubſit, cum Acta hæc ex Hiſpaniis, non ex Italia, ubi hæc Synodus dicitur celebrata, in Gallias dicuntur tranſlatas? Et quo, quæſo, teſtimonio nititur, narrans, totam Galliam hiſce repletam, ac omnium voce conſona fuiſſe ea recepta? Hæc certe quam facile dicuntur vel ſcribuntur, tam facili opera à Lectore ſiniſtrum à dextro diſcernere docto rejiciuntur. Luitprandus etiam Nicolaus Pontifex, cum ſequacibus teſtes ſunt à tempore, quo hæc Synodus dicitur celebrata, procul remoti, iis viventes Seculis, quo Eccleſiæ facies longe fuit alia, quam in prioribus, plurimum mutata à ſe, verum non in melius, quod dolendum, ſed longe pejus, cujus deteſtandæ mutationis teſtimonium præbent illa cordatorum gravamina, qui nunquam non defuerunt, miſerum Eccleſiæ ſtatum in publicis etiam Scriptis deplorantes. Sed & ipſimet teſtes adducti ſunt non parum ſuſpecti. De Luitprando nimirum ipſe Schelſtratenſis dubitanter ſcripſit, addita iterum pro more ſolito particula *vel*, inquiens, Luitprandus vel Author eidem contemporaneus, Seculo videlicet nono, quo vixiſſe putatur, idque forſitan ex judicio Cardinalis Bonæ, quæ in Notitia Scriptorum Pſalmodiæ præfixa aperte opus de Vitis Pontificum Romanorum, quod ſub hujus Luitprandi nomine legitur, vocavit ſuppoſititium. Nicolaus Pontifex in cauſa propria, quæ adhuc verſatur ſub judice, idoneus teſtis eſſe non poteſt, de quo, quid tentaverit, ut Eccleſiam Gallicanam ſuæ ſubjiceret poteſtati, Petrus de Marca in opere laudato recenſet prolixiſſime. Neque Gratianus Author Concordiæ diſcordis vel Collector Canonum Eccleſiaſticorum ea pollet authoritate, ut, quæcunque etiam ſine omni judicio hinc inde corraſit, atque in farraginem inconditam non tam digeſſit, quam tumultuarie coacervavit, pro authenticis habeantur inſtrumentis. Dudum namque cordatiores, & quidem poſt adprobationem Gregorii Pontificis tertii & decimi monuerunt, hac Conditione Decretum ejus eſſe receptum, ut ſemper fides dictorum ſit penes authorem, & tanta ſit eorum Canonum, quos in medium producit, authoritas, quanta fontium eſt, unde manarunt illi. Multo minus admitti hic poteſt Gregorius Papa hoc nomine ſeptimus, ex cujus nempe Dictatibus, ſi modo Author eſt illorum, quod poſt omnes alios contendit Lupus, ſufficienter conſtat, quo molimine authoritatem Pontificum in majus extollere adlaboraverit, nihil eorum intermittens, quod ullam habuit ſpeciem ad eam magis ſemper ac pro viribus ſtabiliendam. Mirum vero poteſt atque debet non immerito videri, quod ad Patres etiam Synodi Tridentinæ à Pio hujus nominis quinto ad correctionem Breviarii evocatos provocare auſus eſt Schelſtratenſis. Quidquid enim de Bibliothecæ præſertim Vaticanæ Breviariis gloriatur, quorum tenorem eos obſervaſſe ſcribit, dubium tamen nul-

Digitized by Google

Quin & pluribus indiget res hæc teſtimoniis, ut probetur, à tempore Riculphi hoc teſtimonium admiſiſſe Galliam, Hiſpaniam & Italiam, ex qua Nicolaus id propoſuerit Orientis Imperatori, inque Gallia præſertim id probaſſe Hincmarum, cui contrarium plane mentem ſupra adſcripſit Petrus de Marca. Ne quid amplius dicam de communi fidelium conſenſu, quem cum ipſiſmet Synodi Actis fictitium eſſe ex ante dictis conſtat ſufficienter, ſemper in Eccleſia exiſtentibus, quibus hæc Pontificis Romani poteſtas inſigniter diſplicuit.

Vix hæc in chartam adverſus Doctorem Antverpianum erant conjecta, poſt longius deſiderium venere tandem in manus Natalis Alexandri ſelectæ in certa quædam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita Diſſertationes, inter quas tertio poſt Chriſtum Seculo peculiarem quoque exhibuit de Synodo hac Sinveſſana, in gratiam Marcellini Pontificis, qui ob crimen Idolatriæ in ea dicitur fuiſſe condemnatus, contra Bellarminum & Baronium, alioſque horum veſtigia prementes, multis rationibus defendens, eam eſſe ſuppoſititiam ac plane fictitiam, quas Doctori Antverpiano juvat hic opponere. *Primo* probatur, inquit, quia incredibile eſt, quod ſæviente Diocletiani perſecutione, ſcilicet omnium crudeliſſima, cogi potuerit conventus tot Epiſcoporum, nempe trecentorum, prout traditur, eo nimirum paulo minor, qui in pace maxima Eccleſiæ, Imperatore Conſtantino totis viribus adnitente, poſtea fuit congregatus Niceæ in Bithynia. *Secundo*, quia apud Scriptores ſive profanos, ſive Eccleſiaſticos nulla Civitatis Sinveſſanæ & Cryptæ Cleopatrenſis, in qua Synodus hæc fingitur celebrata, vel levis obcurrit memoria; adſerere enim cum Baronio & Binio, quod ſitum ac nomen hæc loca mutaverint, nihil eſt aliud, quam divinare. *Tertio*, quia in Actis Synodi hujus à Diocletiano Marcellinus dicitur introductus in Templum Iſidis ac Veſtæ, inque eo ſacrificaſſe Herculi, Jovi & Saturno; quod tamen veroſimile non eſt, cum cuique Numini in Templo eidem proprio vota fuiſſe nuncupata & Sacrificia eis oblata Antiquitatis monumenta teſtentur omnia. *Quarto*, quia ferunt eadem Synodi hujus Acta, Marcellini condemnationem ad Diocletianum fuiſſe perlatam, cum eſſet in Bello Perſarum, quod apertæ convincitur falſitatis, cum eo ipſomet Anno, Imperii nempe ſui viceſimo Diocletianus Imperio ſe abdicaverit, & ante biennium de Perſis à ſe profligatis cum Collega Maximiano Romæ triumphum egerit Baronius quidem & Binius reſpondent, hæc verba eſſe tantum adpendicem Actorum, non vero partem; ſed quis facile credat divinantibus? *Quinto*, quia in iiſdem Actis habetur, multitudinem Chriſtianorum ad Templum Idolorum perrexiſſe, ut de rumore, qui ſparſus fuerat contra Marcellinum, fierent certiores, & teſtimonium contra ipſum ferre poſſent, ſi eum viderent Idolis Sacrificantem; qua vero in narratione ſunt, quæ nullam habent veri ſpeciem. Nam, quod tempore Perſecutionis, quo profeſſores Fidei Chriſtianæ deliteſcebant, tot Chriſtiani catervatim prodierint in publicum, probabile non videtur; uti &, quod iidem ad Templum Idolorum adceſſerint, Sacrificii aut thurificationis ſacrilegiæ teſtes futuri, quibus impia gentilium ſacrificia & alios ritus ſuperſtitioſos ſpectare licebat nullatenus, uti conſtat ex Tertulliani libro de Spectaculis. *Sexto*, quia eadem referunt Acta, ſeptuaginta duos teſtes mediam Synodum adductos fuiſſe, qui Marcellinum thurificationis ſacrilegiæ convincerent, & nihilo tamen minus univerſam ipſi dixiſſe Synodum: Tu eris judex, nemo enim unquam judicavit Pontificem, &, Sedes prima non judicabitur à quoquam. Hæc enim ſi vera eſſent, quam ob cauſam prolata fuiſſent tot adverſus Marcellinum teſtimonia; & quorſum neceſſarii teſtes ad convictionem rei, qui judicari à nemine mortalium poteſt, cujuſve judicio ſtandum eſt etiam in cauſa propria? *Septimo*, ad quid myſticus ille teſtium ſeptuaginta duorum numerus, cum in ore duorum vel trium ſtare debeat omne verbum? *Octavo*, quam bella libræ Occiduæ conſtantis ſeptuaginta duobus ſolidis ad numerum ſeptuaginta duorum teſtium adluſio, & quam nitida eſt elocutio, cum dicitur: Quoniam in ſeptuaginta duorum libra occi-

Feudorum Lib.

Launojus *ibid. p. 58. & ſeq.*

REſpondet, Nemo hoc dixit, quia nemo vera cum ratione dici poſſe cognoſcebat. Nimirum Epiſtolæ illæ Leoni per ſuos Legatos Præſidio & Concilio inſcribuntur. Leoni quidem, ut primo Concilii membro; Concilio autem, quia univerſam repræſentabat Eccleſiam. An vero colligitur exinde, Leonem eſſe ſupra Concilium, id eſt, Concilio non eſſe ſubjectum? Deſinitne Leo pars eſſe Concilii, quod eſt totum, ac proinde qualibet ſui parte ſuperius? Athanaſius bene in Epiſtola ad Africanos ſcripſit: Si quis numerum comparet cum numero, tanto major eſt Synodus Nicena Conciliis particularibus, quanto majus eſt totum ſui aliqua parte. Utinam vero Bellarminus perlegiſſet hujus Concilii Actionem tertiam, & pleraſque Patrum in ea ſententias tantiſper expendiſſet, tunc vel uſus non eſſet hac ratione, vel probaſſet, quod omnino non intendit, ſcilicet non Leonem modo, ſed Anatolium quoque Conſtantinopolitanum Concilium eſſe majore, quia Anatolius perinde ut Leo non ſemel duntaxat, ſed plures anteponitur Concilio, cum Antiſtites jndicium ferunt de Dioſcoro. Idem ordo ſervatur in ſententiis quoque Epiſcoporum. Atque ſic Bellarmino poteſt nunc objici; quod aliis objecit intrepide: Nemo fuit in toto Concilio, qui reclamarit ac dixerit, Anatolium non debere anteponi Concilio toti. Igitur juxta argumentationem Bellarmini fuit anteponendus, utpote major Concilio. Quidquid hic reſponſurus eſt, contra ſe reſponſurus eſt; quia ſi ſpectetur vis argumenti, eadem eſt prorſus in Leone & Anatolio. Interim licet agnoſcere argumenti vanitatem, quo uſus eſt Bellarminus, minime uſurus, ſi ipſe legiſſet Concilium, alioqui mala fide acturus cum Sede Apoſtolica & antiquis Pariſienſibus Theologis, quia hac in re puram putam Sedis Apoſtolicæ traditionem contra Magiſtros Curiales ſecuti ſunt ac ſtrenue defenderunt. Deinde, ſi ipſe legiſſet Epiſtolas Pontificum Romanorum, quando ad Decanum & Capitulum hujus vel illius Eccleſiæ ſcripſerunt, vel adhuc ſcribunt, ex tali ordine ſcriptionis haud collegiſſet, opinor, Decanum eſſe ſupra Capitulum Eccleſiæ ſuæ, vel, Decanum editis a Capitulo Eccleſiæ ſuæ conſtitutionibus ſubjectum non eſſe. Certe, quidquid id eſt, Decani compotes rationis nunquam hoc contenderunt. Verum enim vero, mirum eſt, Bellarminum opponere illam literarum inſcriptionem, quam ut Superbiæ & arrogantiæ plenam Gregorius M. tot confixit modis, nimirum, Evangelio, Sedis Apoſtolicæ traditione, Eccleſiarum omnium jure, Canonibus ſacris, tandem Humilitatis etiam ac Rectitudinis jure. Ac debebat Bellarminus inſuper inſpicere illas orationes, quæ Recitata Domini Paſſione, Feria ſexta in Paraſceve dicantur, ubi priores duæ pro Eccleſia, tertia demum pro Pontifice Romano decantatur. Inſpicere etiam debebat Canonem Miſſæ, ubi par ordo obſervatur. In his autem Orationibus, & in Canone Miſſæ, Eccleſia Catholica præcedit ideo, quia univerſum quid, & Chriſti corpus eſt; Pontifex vero Romanus, & quilibet Antiſtes hujus vel illius loci, & reliqui fideles quia partes univerſi & membra corporis Chriſti ſunt, ſubſequuntur, & Pontifex Romanus, quia major non eſt Petro, cui ſuccedit, non niſi primum eſt Eccleſiæ membrum, teſte Gregorio M. in libri tertii Epiſtola poſt triceſimam octava ad Johannem Conſtantinopolitanum ſcripta.

Bellarminus *ibid.*

PErgit *in adſtruenda authoritate Pontificis ſupraconciliari, atque provocat inter alia etiam ad Concilium ordine & numero quintum ſub Symmacho celebratum, utpote quod receperit & adprobaverit loco Decreti Librum Ennodii Diaconi, in quo ſequentia leguntur:*

tur. Aliorum hominum cauſas DEUS voluit per homines terminari, Sedis autem iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtionis reſervavit arbitrio, ac voluit Petri Apoſtoli Succeſſores Cœlo tantum debere innocentiam.

Launojus *T. I. Epiſt. 9.*

TRia ſimul examinat, quæ ad Synodum hanc Romanam pertinent, inter quæ medium occupat locum, quod Bellarminus ex Ennodio adduxit, præmittens verba ex Actis Synodi hujus, quæ ſtatuunt, Antiſtitem Sedis Romanæ minorum judicio non ſubjacere, ſubjungens vero etiam Aviti Viennenſis Epiſcopi teſtimonium, in Epiſtola ad Fauſtum & Symmachum ſcribentis, Non facile intelligi, qua ratione vel lege ab inferioribus judicetur eminentior. Ut omnibus his facias ex aſſe ſatis, quodvis eorum ſingulariter ſuſcipit tractandum. Et quidem de primo ex Hiſtoria temorisillius obſervat, Symmachum Pontificem fuiſſe criminis alicujus adcuſatum & reum ad Theodoricum, Regem Italiæ delatum, atque Theodoricum interea, dum crimen Symmacho impactum examinaretur, Viſitatorem Eccleſiæ Romanæ Petrum Albinenſem Epiſcopum dediſſe, ac poſtmodum apud Urbem convocaſſe Synodum, ut crimen examinaretur, Epiſcopos autem vel Pontifices congregatos pro Symmachi defenſione duo attuliſſe prius, Synodum fuiſſe ab eo convocandam, qui dicebatur impetitus; poſterius, Sedis Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem non ſubjacere Minorum judicio. At, ita reſpondet Launojus, ratio prior probatur, nec Theologiæ & Juris Eccleſiaſtici principiis poteſt probari. Theologiæ principia ſunt (N. B. Loquitur hic etiam ut alibi pluries, juxta receptas in Eccleſia Romana hypotheſes) Scriptura & Eccleſiæ Catholicæ traditio; Eccleſiaſtici autem juris principia ſunt Canones ſacri & Sedis Apoſtolicæ Decreta ex iiſdem Canonibus promulgata. In mentis autem principiis traditur, Pontificem impetitum debere Synodum convocare. Symmachi defenſores ea in re modum excedunt, cum (dicis opinor gratia) ſibi ſumunt, quod Symmachus ipſe, cujus referebat quam maxime, ſibi non ſumſit, minime conqueſtus, quod Theodoricus hanc Synodum convocaverit. Præterea, quæ adfertur ratio, vitioſa eſt, procedens à non diſtributo ad diſtributum. At quis diceret, Pontificem Romanum eo redactum eſſe, ut ad dignitatis ſuæ tutelam adcidentis indigeat fallacia? Aliud eſt, Symmachum ex Petri merito, principatu, & Conciliorum, quæ præceſſerant, authoritate ſingularem in Eccleſia habere poteſtatem; aliud autem, in nullo unquam eventu poſſe Synodum, in ſimilem de qua agitur, præterquam à Pontifice Romano congregari. Quidquid id eſt, Symmachus à Theodorico Synodum cogi conſenſit, & conſentire illius intererat quam plurimum; ſiquidem à criminibus objectis purgatus fuiſſet nunquam, ac eam ob cauſam Viſitator Eccleſiæ Romanæ à Theodorico datus remanſiſſet ſemper. Robur rationis poſterioris, ſi quod in ea poteſt eſſe, in nomine *Minorum* conſiſtit. Certum eſt autem ante omnia, minores non poſſe adpellari Antiſtites, quos & Symmachus & deceſſores ejus adpellant Collegas, Fratres, Comminiſtros, Conſacerdotes & Coepiſcopos. Sic Romæ quondam à Pontificibus adpellabantur Presbyteri, nominatim ab Innocentio hujus nominis primo in Epiſtola ad Decentium Eugubinum, atque à Gelaſio itidem primo in Epiſtola ad omnes Epiſcopos. Hæc eſt Veritas, quæ non quærit argumenta, ſed oculos tantum, qui Eccleſiaſtica legere poſſunt Monumenta, ubi vel oſcitantibus & dormientibus id occurrit. Ne vero ſit illud, ipſe Symmachus unica periodo rem totam abſolvit in Epiſtola ad Æonium, Arelatenſem Epiſcopum, unum eſſe ſcribens inter Antiſtites univerſos Sacerdotium. Deinde, Epiſcopi hujus Synodi Romanæ non dicunt Symmacho, ſe ejus judices non eſſe, ſed potius de eo & rebus ad eum pertinentibus ea judicant ratione, qua ſecundum adlegata & probata, uti loquuntur

tur

tur Juriſperiti, potuerunt judicare hinc removendam eſſe Viſitationem, inde reſtituendum Sedi ſuæ Symmachum decernentes. Atque hinc etiam reſtitutus Sedi ſuæ Symmachus ad objecta coram Synodo reſpondet, inde Synodus quoque reſponſionibus auditis Symmachum abſolvit quidem, ſed non ſimpliciter, etiamſi purus & innocens apud homines adpareret. Itaque cum ſuſpicarentur Patres, crimina potuiſſe occulta eſſe, id totum Divino tranſcribunt judicio. Certe ſi Decretum ſuperinde conceptum legatur & ponderetur, quot commata, tot ſententiæ inveniuntur, quibus Synodi Patres ſuam in Symmachum & ejus Clericos exercent juriſdictionem, Symmacho non repugnante, nec ſe ab illorum judicio liberum & immunem denuntiante, ſed potius eorum Decretis adſentiente. Quis vero Symmachum ſuæ & Apoſtolicæ Sedis cauſæ dicet indormiviſſe, cum ad illius conſervationem advigilare eum vel maxime oportuit? Videlicet obnoxium ſe huic Concilio, tantum abeſt, ut ei ſubeſſe renuerit, aut illud faceret, quod faciunt, qui verbis hiſce abutuntur, quibus Romanæ Sedis Antiſtitem judicio Minorum non ſubjacere dictum fuit. Nempe, ad Concilium Epiſcoporum illa non pertinent, ſed ad Clericos plures Romanos, ad Senatum quoque Romanum & Populum, qui ſeſe in Symmachi cauſa longe ferventiori, quam par erat, ſtudio interpoſuerunt. Id facile colligitur ex illa præceptione, quam Theodorus miſit ad Synodum Epiſcopalem; unde conſtat, *Minores* fuiſſe, qui Symmachum de Sede ſua dejecerant, apud Theodoricum efficientes, ut Eccleſiæ Romanæ Viſitator Epiſcopus Altinenſis daretur. Porro genus illud exceptionis firmat regulam, qua Pontificem Romanum Concilio Epiſcoporum conſtat ſubeſſe, quam ipſe Symmachus iterum tribus in locis ſignificat, primo & ſecundo in Synodo Romana, quam de Bonis Eccleſiæ non alienandis celebravit, in qua per duplex Decretum Conciliorum Provincialium legibus obligatur, atque hinc multo magis Conciliorum generalium Decretis; tertio autem in Epiſtola ſeptima Apologetica adverſus famoſum Imperatoris Anaſtaſii libellum, in qua dum innuit, poſſe ſe labi in hæreſin, ac non ſit credibile, eum adverſario illuſiſſe, ſimul ſignificat, quod exinde ſequitur neceſſario, poſſe ſe etiam ab Epiſcoporum Concilio judicari. Hactenus de primo. Nunc de ſecundo monet Launojus, poſtquam Synodus hæc Romana Symmachum Pontificem abſolvit à criminibus, quæ ei objiciebantur ab æmulis, fuiſſe adhuc inter eos, qui ſcripſerint contra Concilium, titulum operi ſuo indentes, *adverſus Synodum abſolutionis incongruæ*; atque id tradi in libello, quem Eunodius pro Symmacho & Synodo ut Apologeticam contra eos compoſuit. Et ubi quædam ex eodem adduxit Launojus cum illis, quæ Bellarminus ſibi profutura exiſtimavit, ita porro argumentatus eſt: Qui ſcribit pro Synodo & Papa, ſupra Synodum & Papam ſapere non debet. Atqui Eunodius ſupra Synodum & Papam ſaperet, ſi prout illius verba ſonant, intelligeretur. Nam quæ de Papa dicit, ipſe Papa de ſe non dicit, etiamſi vel ſumma fuerit dicendi neceſſitas. Ubi enim quæſo, & quando Symmachus dixiſſet id magis adpoſite, quam ubi Synodus Epiſcoporum judicari cauſam ejus eſt adgreſſa; imo revera judicavit? Vbi porro & quando Symmachus ad tuendam Sedis ſuæ prærogativam, ſi quæ fuiſſet vera, hoc in medium protuliſſet adcommodatius, quam ubi cauſam variis criminibus audivit impetitam? At nihil tale protulit in medium, ſed potius obſtinate ſiluit & contumaciter, quia nimirum à Majoribus de tali prærogativa per traditionem nihil acceperat, alioquin etiam neque ſcripſiſſet in Apologetico, quod eum ſcripſiſſe fuit paulo ante obſervatum, neque ſiviſſet ſe in Synodo conſtringi lege ſumma, uti tactum eſt; qui enim lege humana conſtringitur, ſi legem violat, pœnas apud homines luit. Præterea, quæ de Papa dicit Eunodius, de eo non dicit Synodus Romana, etiamſi occaſio dicendi fuerit præ manibus. Ubi, quæſo, & quando dixiſſet unquam id, quod dixit Eunodius, niſi cum in mores & vitam Symmachi fuit inquirendum, & cum is de ſede ſua Cleri, Senatus & populi factione fuit dejectus, ac Viſitator in illius locum ſuffectus? At è contrario Synodus in tantum judicat, in quantum judicare per leges & Canones poteſt. Quis contenderet, Laurentium

Mediolanenſem, Petrum Ravennatem & cæteros Antiſtites, ætatis maturioris Viros, alios etiam ſenes Eccleſiæ Romanæ traditionem ignoraſſe, quam unus in Gallia, vel in Liguria Ennodius, annos triginta natus ſciverit, cum ſcripſit hunc Apologeticum? Quia cum ageret annum ætatis quadrageſimum & octavum, deceſſit anno ſeculi poſt Chriſtum ſexti viceſimo & primo, ubi Sirmondus obſervavit in Breviculo de Vita illius; Synodus vero hæc Romana ad annum hujus ſeculi tertium fuit celebrata. Verum enim vero, cum Synodus Romana hoc perſpiceret, honori hujus Ennodii conſulere volens, ejus libellum probando ſuum fecit, atque ſic noluit, ut ei plus fidei quam ſibi tribueretur; quo in caſu relata ejus verba, *aliorum hominum cauſas &c* ultra expoſitum Synodi ſenſum produci non debent. Quod ſi quis hac erga Ennodium benignitate nolucrit uti, & eum intellexerit de occultis tantum criminibus, quæ neque probantur, neque probari poſſunt legitime, efficeret primum, ut Synodus hæc Romana atque Symmachus libellum Ennodii contra ſe probent, & probando contra ſe dicant; tum ut, qui adverſarios falſitatis adcuſat, ab adverſariis etiam adcuſetur falſitatis, qui opponent ei & objicient, eum neſciviſſe, vel, quod eſſet acerbius, diſſimulaſſe, quæ de Silveſtro traduntur in tertia Concilii Romani ad Imperatores Gratianum & Valentinianum Epiſtola, quod à ſacrilegis adcuſatus apud Conſtantium perſecutus ſit cauſam. Tunc videlicet à Silveſtro non dicebatur, quod poſt illum annis centum & octoginta plus minus ab Ennodio dictum eſt, atque impoſitum ei crimen reſervatum non eſt Divino ſine quæſtione judicio, nec innocentio ejus, quæ cœlo tantum deberetur, obtenta fuit, ſed potius duo propoſita fuerunt Concilia, unum quidem Eccleſiaſticum, alterum vero Imperiale, in quibus, quod crimen Pontifici fuit impactum, poſſet diſcuti. Hæc eſt Sedis Apoſtolicæ traditio, cujus cognitione caruit Ennodius, &, quod caruerit, propter ætatem excuſatur, ſalvis tamen juribus Veritatis, cui nemo poteſt præſcribere, juxta monitum Tertulliani. Hinc *Bellarminus* & alii ante & poſt ipſum ad confirmandam authoritatem Pontificis Romani ſupraconciliarem hoc Ennodii teſtimonii teſtimonium non addixiſſent, ſi ſuis illud momentis per otium expendere illis licuiſſet, alios in errorem una ſecum inducentes. Cæterum, quota fuerit Synodus, in qua Symmachi tractatum eſt negotium, inter authores non convenit. Optime autem videtur Sirmondus in ſuis ad libellum Ennodii notis ſtatuere, fuiſſe quartam inter eas, quæ Symmachi tempore fuerunt celebratæ. Tertium ſupereſt, id nimirum, quod ex Aviti Epiſtola ſolet adduci. Quam ubi integram adduxit, ſequentia ad eam obſervavit Launojus. Primo, inquit, ſcribit Avitus ad Fauſtum & Symmachum, Urbis Romæ Senatores, qui ſine dubio Principem in vexatione Symmachi locum tenuerunt, egeruntque, ut Symmachus Papa de ſede ſua moveretur, atque à Theodorico Eccleſiæ Romanæ daretur Viſitator Petrus Altinenſis Epiſcopus. Exinde æſtimanda eſt intentio & ſcopus ſcriptoris, quem is potiſſimum ſpectavit. Secundo, in duobus hiſce Senatoribus, quos forte cognoſcebat, totum adloquitur Senatum, qui Symmacho Papæ adverſabantur. Tertio, in verbis ſequentibus ſignificat, Senatui ſe populum adjunxiſſe, ut Symmachum criminaretur, ac exemplum præberi, quo omnes Epiſcopi à populis pari modo laceſſerentur. Nempe metuebant Antiſtites Gallicani, ne quo modo Pontifex Romanus, Epiſcopalis coronæ vertex, à Theodorico ac Senatu populoque tractatus eſſet, eodem & ipſi à Regibus & Principibus ſeculi atque populis tractarentur. Quarto, hinc ægre fert, eam ob cauſam factum eſſe Concilium Epiſcoporum, etiamſi id fleterit à partibus Symmachi, exiſtimans, rem peſſimi exempli. Atque ſic de modo judicandi, non de reipſa, id eſt, de judicio diſputat, illum improbans, non hanc vel hoc, id eſt, judicium, quod Symmachus ipſe à ſuis conſacerdotibus recepit. Quinto, cum collectos Antiſtites Italiæ, qui Concilium Romæ celebrarunt, Symmachi Papæ conſacerdotes adpellat, innuit manifeſte, ſe de collectis Antiſtibus Italiæ non loqui, cum paulo poſt ſcripſit, Non dari facile intelligi, qua ratione vel lege ab inferioribus judicetur eminentior. Sexto, igitur

infe-

inferiores in judicando nominat Reges & Principes, ſequens oſtendit Periodus: Sicut ſubditos eſſe nos poteſtatibus terrenis jubet Arbiter cœli, ſtaturos nos ante Reges & Principes id quacunque adcuſatione prædicens; ita non datur facile intelligi, qua ratione &c. Q. d. DEUS quidem nos Epiſcopos terrenis poteſtatibus ſubditos eſſe, & coram Regibus ac Principibus adcuſatum iri prædixit, ſed non ſtatuit, ut ab illis judicaremur. At Theodoricus, Senatus Populuſque Romanus judicaverunt Symmachum, & cum Clericis factioſis abjecerunt, & Theodoricus inſuper Eccleſiæ Romanæ dedit Viſitatorem. Hoc autem qui fecerunt, Symmachum Romana Sede indignum judicarunt. Huc ſpectat, quod ſcripſit Avitus, Non datur facile intelligi &c. Septimo, in judicio, quod redarguit, aliter adhuc peccatum eſſe docet, cum Apoſtoli præceptum adducit, ne adverſus Presbyterum, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, recipiatur, contendens, illud neglexiſſe Theodoricum & Senatum Populumque Romanum, cum poſt unius vel alterius adcuſationem Symmachus honore ſuo eſt ſpoliatus, atque in ejus locum ſuffectus, qui Eccleſiam adminiſtraret. Octavo, cum cenſet, abſolute & ſimpliciter reſtituendum fuiſſe Symmachum, pene indignatur adverſus Synodum, quæ in ejus cauſam inquiſivit, ut reſtitueret, & quod illi præter leges & Canones fuerat objectum, examini Divino reſervavit. Nono, quia in cauſa Symmachi omnes ſpretæ fuerunt judicandi leges, omnium Epiſcoporum cauſam agit, ſcribens: Si Papa Urbis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare. Q. d. Si permittatis, ut Papa Urbis tam inique tractetur, jam non Epiſcopus, ſed Epiſcopatus ipſe, cum unus ſit multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus, vacillabit, atque in ultimum diſcrimen adducetur. Decimo, dum Senatores porro ſic adloquitur: Gregis non eſt, proprium terrere Paſtorem, ſed Judicis &c, adhuc ſignificat eos eſſe minores vel inferiores, de quibus ante fuerat locutus. Senatores nimirum pertinebant ad gregem, cujus Paſtor proprius erat Symmachus; adeoque ſic debebant apud Theodoricum agere, ut Urbi & Eccleſiæ redderetur concordia. Obſervatio certæ hæc unica poteſt ſufficere. Undecimo ex obſervatione quarta & octava adparet facile, Antiſtites Gallicanos, quorum nomine ſcripſit Avitus, in ea fuiſſe ſententia, ut crederent, Concilium Romanum potuiſſe de Symmacho judicare legitime, ſi legitime & de flagitiis publicis fuiſſet adcuſatus, atque Pontificem ex forma Canonum, quibus ſubjicitur, judicaſſet, neque ad Divinum remiſiſſet judicium. Quorſum namque remiſiſſet. Nempe, ut DEUS patraret miraculum, quo vel è medio tolleret illum, vel præeſſe ſedi Apoſtolicæ ſineret ad publicam totius Eccleſiæ offenſionem. Quæ autem Scriptura, quæ authoritas, quæ traditio ſignificat, cum Divino Numine ſic agendum eſſe, ut ab hominibus tentetur? In criminibus quidem occultis, de quibus non judicat Eccleſia, ad Divinum remittitur judicium; non item in compertis & exploratis. Jam vero obſervatum fuit, Symmachum, cujus res agebatur, non declinaſſe judicium Concilii, neque ad Divinum adpellaſſe. Quod ſi hujus Concilii, quod ex tribus tantum Provinciis, Romana videlicet, Mediolanenſi & Ravennatenſi conflabatur, judicium minime declinavit, multo minus declinaſſet judicium Concilii, quod ex omnibus orbis Chriſtiani Provinciis fuiſſet congregatum, arbitratus, ſe ſacris Canonibus & Conciliis ſubjectum. Et quidem Avitus vix exceſſerat è vivis, cum Bonifacius hoc nomine ſecundus totum hoc inſigni confeſſione & facto confirmavit, uti teſtatur Anaſtaſius in Vita illius. Sic Gregorius M. libri ſecundi Epiſtola poſt triceſimam ſexta ad Natalem Epiſcopum Salonitanum ſcripſit, ſe paratum eſſe ab omnibus corripi & emendari. Ita Hadrianus quoque ſecundus, agens de Honorio in Synodo Romana, non dicit, à Synodo ſexta erratum fuiſſe, quod epiſtolarum Honorii judicium ad DEUM non remiſerit, ſed propter contentam in iis hæreſin damnaverit Pontificem, anathemate cum aliis Monothelitis percutiens; quin ultro faſſus eſt, cum ſede Apoſtolica conſentiente damnatum eſſe, tantum abeſt, ut reclamarit. Teſtatur de eo epiſtola, quam ex Synodo Romana miſit ad Synodum octavam, quæ etiam in actione

ne ejuſdem ſeptima fuit lecta & adprobata. Atque hæc omnia inſerviunt eo, ut confirmetur, Ennodium non aliter in Eccleſia Romana fuiſſe intellectum, quam ante fuit oſtenſum, vel certe neglectum. Cæterum Silveſter & Symmachus, qui, ſuo quivis tempore, adcuſati ſunt, occaſionem præbuerunt fingendi Canonis: *Nemo judicabit primam ſedem &c.* de quo ſupra. Nimirum Silveſter à ſacrilegis adcuſatus apud Conſtantinum proſecutus eſt cauſam; & Symmachus æmulorum factione in criminum multorum ſuſpicionem adductus, à Senatu, Clero & Populo de ſua ſede fuit depulſus. Hæc omnia pene conſtituit ſibi ante oculos, qui Canonem relatum ſuppoſuit, in quo per Auguſtum, Regem, Clerum & Populum vox *Nemo* diſtribuitur, & ſic prima ſedes, id eſt, primæ ſedis Epiſcopus [illegible], nec ab Auguſto, nec à Regibus, nec à Clero vel Populo judicabitur; in diſtributione autem iſta Concilium Epiſcoporum neutiquam continetur. Hinc Symmachi cauſa in Concilio Romano fuit diſcuſſa, &, quia non liquebat, Divino reſervata judicio; & in Synodo ſexta Honorii doctrina fuit diſcuſſa, &, quia liquebat, damnata, atque Honorio, uti cæteris etiam Monothelitis, anathema dictum.

Chriſtianus Lupus *T.* IIII. *p.* 604.

HAnc Launoji tractationem graviter exagitat, ſcribens, eam patenter extravagari. In eo nimirum totus fuit occupatus, ut Canonem decimum & nonum in Dictatibus Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi modo omni confirmet, atque ſtatuat indubitatum, *quod Papa à nemine debeat judicari.* Hinc ægre fert, Ennodii & Aviti teſtimonia, quæ eum videntur ſtabilire, aliter à Launojo ex ipſa temporum hiſtoria & integro contextu explicari, ac vulgo hactenus fuit uſitatum. Agnoſcit quidem, longam eſſe quæſtionem, an Clericorum exemtio à Tribunali Laico ſit Juris Divini? Verum ſimul pro ſingulari ſententiæ, quam probabiliorem putat, argumento habet, quod Imperator Conſtantinus in Synodo Nicena, apud quem, non vero apud quam Epiſcopi ſe invicem libellis mutuo datis adcuſaverant, & quidem de criminibus non Eccleſiaſticis, ſed civilibus, illos excuſſerit libellos, dicens, malle ſe Epiſcopum adulterum tegere propria chlamyde, quam judicare. Addit, hanc Synodum Romanam in cauſa Symmachi congregatam non fuiſſe œcumenicam, imo nec plenam Patriarchalem, ſed ſolius Italiæ, in qua Pontifex Romanus eam habeat poteſtatem, quam Archiepiſcopus Alexandrinus in ſua; ac neminem dubitaſſe unquam, quin talis Synodus, qualis fuit hæc Romana, pleno jure ſubſit Pontifici. Et quæ ſunt alia, quibus è liberiori penna fluentibus Launoji ſententiam ſtuduit infirmare.

Breves pro Launojo Vindiciæ.

QUas extravagationes Lupus imputat Launojo, earum reatui ipſe per totum opus Notarum eſt obnoxius, utpote cui ſolemne videtur eſſe, Lupino more circa Dominicum ovile vagari, ut Paſtorem Romanum quocunque etiam modo eidem obtrudat, non ad paſcendum fideliter, neque ad moderatam ovium tonſionem, ſed ad omnimodam cutis detractionem, vel ſi quid deterius timendum eſt. Hunc in finem proliximo Dictatus Gregorii Pontificis ornare inſtituit Commentario, ut Catholicam hanc Muneris Paſtoritii authoritatem congeſtis undequaque Documentis Lectorum ſimplicitati ſiſteret commendabilem. Ea inter quæ vidit Ennodii & Aviti non parum commoda, Launoji opera non potuit non eſſe inſigniter faſtidioſa, per quam ea obſervavit infirmata. Dum vero cardinem Quæſtionis de exemtionis Clericorum Jure Divino non auſus eſt adtingere, omnem reliquam in hoc labore diligentiam reddidit ſuſpectiſſimam, lambens vas vitreum & fragile ab externo, pultem ipſam vero non

Digitized by Google

non adtingens, ne ſcilicet labia adurat deguſtatione cibi præ nimio calore fumantis. Conſtantini Imperatoris hanc in rem dicta & facta negotium hoc ſublime non abſolvunt, ſi cogitemus, quid Bellarminus quondam reſponderit, cum quidem fuiſſe magnum Imperatorem, ſed non magnum Eccleſiæ Doctorem. Nullumque eſt dubium, quin inter ipſos Papæ religionis adſertores ſint, quibus in excellu videatur, peccaſſe Conſtantinus, uti certum eſt, alios non paucos verſa vice è parte contraria peccare in defectu, uti ſæpius in aliis etiam rebus ſolet evenire, ut circa fugam unius extremi ad alterum deveniatur. Nimius, videlicet, ſecundum prudentiores in Conſtantino adhuc Neophyto fuit adfectus erga Epiſcopos, ſequenti temporis decurſu non parum temperatus, ſi Succeſſorum in Regimine conſiderentur Acta; dubitarique poteſt non immerito, an hæc lenitas Eccleſiæ & ordini ſacro profuerit, qui à ſcandalis omnino fuit liberandus, præſertim quia dicuntur crimina fuiſſe civilia, quæ ſemper Magiſtratui Politico fuerunt ſubjecta. Nec laudem meritus eſt Imperator, alias laude magna dignus, ſed vituperium potius, quod Sacerdotem adulterum chlamyde Regia tegere ſe velle profeſſus eſt, non autem judicare; niſi DEUS rigoroſe nimis expoſtulaverit cum Eli Sacerdote, filiorum itidem Sacerdotum adulteria lenius caſtigante. Quidquid autem ſit de Conſtantino, Magno quidem, ſed homine tamen, adeoque peccaminoſis adfectibus obnoxio; Exemplum hoc ad præſens Inſtitutum quadrat minime, Bellarmino, & contra eum Launojo non agente de omnimoda exemtione Pontificis Romani à Iuriſdictione politica, ſed ejuſdem authoritate ſupraconciliari, an videlicet ea per teſtimonium Synodi Romanæ ſub Symmacho Ennodii & Aviti poſſit ſtabiliri, cujus inſufficientiam adeo luculenter oſtendit Launojus, ut Lupus præter inanem ululatum nihil ei potuerit opponere. Et quia Synodus hæc Romana, cujus judicio ipſe Symmachus Pontifex ſe ſubmiſit, fuit particularis tantum & Diœceſana, argumentum Launoji à minori ad majus ſtringit eo fortius, concludens inde, Pontificem Romanum multo minus ſe judicio Concilii univerſalis poſſe ſubtrahere, ut caſu quo occurrente non teneatur illius Cenſuræ ſe ſubmittere. Sit autem ita, eandem habeat in Italia poteſtatem Pontifex Romanus, quam habet Archiepiſcopus & Patriarcha Alexandrinus in ſua Diœceſi, utut forſitan non deeſſent rationes dubitandi, ſi negotium hoc rigoroſis placeret nunc excutere, neque id tamen adeo multum juvare poteſt cauſam, pro qua tanquam pro Foris & Aris decertat Lupus, has in gratiam illorum pro viribus defendens. Quamvis enim Patriarcha quivis habeat poteſtatem convocandi Synodum Patriarchalem in ſua Diœceſi, inde tamen ſequitur minime, eum abſolute hac Synodo majorem eſſe, nec poſſe ab ea judicari, ſi criminis reus inveniatur, cum hoc in caſu membra capiti ægroto ſubveniant, de ejus & totius corporis ſanitate vel conſervanda vel redimpetranda quam maxime exque debito ſollicita. Permirum hinc videtur non immerito, quod Lupus incogitanter valde auſus eſt ſcribere, neminem dubitaſſe unquam, quin Synonus talis qualis hæc Romana fuit, jure pleno Pontifici ſubſit; quia hoc ipſum eſt in quæſtione, præſenſque demonſtrat exemplum, à Pontifice Symmacho admiſſum fuiſſe judicium hujus Synodi particularis, ut pluribus verbis non ſit opus.

Additio.

BEllarminus in eodem capite poſt teſtimonium in libro Ennodii provocat ad Synodum generalem octavam, & actionem ejus ſeptimam, ſcribens, in ea legi, Pontificem Romanum de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe, de eo vero neminem unquam judicaſſe, nimirum legitima, ita ut fuerit receptum ab Eccleſia ejuſmodi judicium. *Launojus* quidem, quod mirum, hoc in Examine hujus capitis prætermiſit,

cum ſorte non defuerit, quod ex Actione citata in contrarium poſſet urgere; in Epiſtola tamen quinta Partis primæ prolixe recenſet Controverſiam inter *Jacobum Almainum*, Theologum Pariſienſem, & *Thomam Cajetanum*, Cardinalem ſuper Canone viceſimo & primo, octavæ hujus Synodi ſcriptotenus agitatam, non indignam, quæ hic quoque aliquem occupat locum. Verba ex hoc Canone Almainus in libro de Authoritate Eccleſiæ citat ſequentia: *Univerſalis Synodus cum convenienti Reverentia quamlibet Quæſtionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter Sententiam in Pontificem Romanum dicere.* Addit, partem hujus Canonis habere in Juris Canonici Diſtinctione viceſima & ſecunda, cap. *Definimus* &c. Subjungit vero hanc Gloſſam: *Ecce, quod licet Concilium omnem Quæſtionem de Sede Romana definire habeat, id tamen cum Reverentia propter ejus primatum facere debet, & hoc notiſſimum eſt ſpectare ad majorem ejus authoritatem* Cajetanus in Apologia libri de comparata authoritate Papæ & Concilii reſpondet, *male exponi verba Synodi, dicendo, quod Synodus negat modum judicandi Papam, ſcilicet audacter, & non Judicium ipſum. Et quod hæc, Expoſitio ſit mala, probatur, quia* audacter *aut importat vitium audaciæ, aut importat authoritatem. Si primum, cum illud ſit vitandum Reſpectu cujuſcunque, & non ſolum reſpectu Papæ, ridicula eſſet Synodi deciſio, quod ipſa non debet vitioſe, vel ex paſſione Papam judicare; & ſi ſecundum, haberetur contrarium Expoſitionis illatæ. Unde Senſus liberalis eſt, quod dicere Sententiam in Pontificem Romanum eſt vitium audaciæ; illa ſiquidem negatio propoſita non modum ſolummodo, ſed totum negat. Dicendo igitur, non tamen audacter dicere Sententiam in Pontificem Romanum, ſignificat, quod non, niſi audacter dicere (quis) poteſt Sententiam in Pontificem Romanum; ſicut cum dicimus, quod de manifeſtis licet nobis judicare, de cordis autem occultis non licet temere nobis definire, non intendimus negare modum tantummodo definiendi, puta temere, ſed intendimus determinare, quod ipſa definitio de cordis occultis eſt temeraria. Determinat igitur* audacter *naturam Judicii in Papam, ſicut* temere *in exemplo date naturam Judicii in cor. Et propterea ex hac authoritate habetur oppoſitum ejus, quod arguentes intendunt; in cujus ſignum Synodus dicit ei competere audientiam & progreſſum in Quæſtione de Papa cum Reverentia, & de Sententia ſubdidit illam negativam, quam non ſubjunxiſſet, ſic etiam Sententia cum Reverentia ſibi competeret; ipſa quippe diſtinctio expoſitionis confutatæ defectum oſtendit. Cum autem Legeris hæc, memento, quod Sermones morales ſunt de his, quem regulariter accidunt; in caſu quippe hæreſis pertinacis in Papa judicium Synodi depoſitivum Papæ eſſet abſque audacia.* Hæc Cajetani reſponſio, inquit Launojus, nihil habet ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminentis, & jacet in futilium argutiarum fœtore, & tota eſt litigioſa, quæ recitato Canone ipſo diſſilit ſua ſponte, qui ſic habet à Græco: *Si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius & Dioſcorus, ſive Scripto, ſive ſine Scripto, inſanias quaſdam contra Cathedram Coryphæi Apoſtolorum Petri audeat jactare, eandem ac illi Sententiam damnationis ſubeat. Si qua vero œcumenica Synodo collecta de Romana etiam Eccleſia extiterit controverſia, licebit eam decenti Reverentia de propoſita Quæſtione venerantes percontari, reſponſumque admittere, & ſive juvari, ſive juvare, non tamen impudenter, ſpecie contra ſenioris Romæ Pontificis ſententiam dicere.* Anaſtaſius, qui hujus Synodi tempore vivebat, eam Latinitate donavit, ac proinde Verſio illius melior eſt, inquit Launojus, & alteri præferenda, juxta quam Canon hic ita notat: *Dominicum Sermonem, quem Chriſtus ſanctis, Apoſtolis & Diſcipulis ſuis dixit, qui vos recipit, me recipit; qui vos ſpernit, me ſpernit, ad omnes etiam, qui poſt eos ſecundum ipſos facti ſunt Pontifices ſummi & Paſtorum principes in Eccleſia Catholica, dictum eſſe credentes, definimus, neminem prorſus Mundi potentium quenquam eorum, qui Sedibus præſunt Patriarchalibus, inhonorare aut movere à Throno proprio tentare, ſed omni Reverentia & honore dignos judicare, præcipue quidem ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, deinceps autem*

Digitized by Google

tem Patriarcham Conſtantinopoleos, deinde vero Alexandriæ & Antiochiæ atque Hieroſolymorum, ſed nec alium quemcunque conſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ aç verba complecare & componere, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminum, quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſquis autem tanta jactantia & audacia fuerit uſus, ut ſecundum Photium vel Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra Sedem Petri Apoſtolorum principis moveat, æqualem & eandem quam illi, condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua Secu'i poteſtate fruens vel potens pellere tentaverit præfatum Apoſtolicæ Papam, aut quenquam aliorum Patriarcharum, anathema ſit. Porro, ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quæstio emergat & controverſia, oportet venerabiliter & cum convenienti Reverentia de propoſita Quæſtione ſuſcitata & ſolutionem accipere, aut profitere; aut præſtare facere, non tamen audacter dicere Sententiam contra ſummos Romæ ſenioris Pontifices. In hac Anaſtaſii verſione, ſcribit Launojus, octava Synodus modum, qui in coarguendis Sedium Patriarchalium, Romanæ, Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ Epiſcopis eſt ſervandus, præſtituit, & vetat, ne quis Princeps aut alius Principis poteſtate uſus quenquam Patriarcharum ſpecie vel contumelia criminum illis impactorum laceſſat, vel de Sede propria deturbet. Mox, ad Pontificem Romanum cum adcedit proprius, decernit, non eſſe cum illo agendum, ut Photius & Dioſcorus egerunt, quo Decreti genere nihil eſt vel eſſe poteſt juſtius. Nam Photius & Dioſcorus, quos in exemplum adducit Synodus, Pontificem Romanorum dignitatem in tantum læſerunt, in quantum illa terme poterat lædi. Sed inde non ſequitur, Romanum hunc vel illum Pontificem judicari non poſſe ab Eccleſia, ſi vel erraret in Fide, vel publicam Eccleſiæ toti concitaret offenſionem. Et ſane, cum prohibet Synodus, ne audacter in Pontifices Romanos dicatur ſententia, non prohibet, ne in eoſdem ſecundum Leges & Canones dicatur; quin etiam non obſcure ſignificat, dicendam eſſe Sententiam, ubi ſecundum Leges & Canones dici poteſt, & ponitur exceptio, quæ firmat Regulam in contrarium, ſcilicet *non tamen audacter* &c. Præterea, loquitur Synodus de privatis hominibus, quales fuerunt Photius & Dioſcorus, non de Provinciali, Regionali vel univerſali Concilio, quod omnibus ſubductis rationibus & ſumma cum æquitate ageret. His autem omnibus perpenſis adparet, Synodum octavam in ea fuiſſe ſententia, ut crederet, Pontificem Romanum ſubeſſe judicio Eccleſiæ, & quidem ita, quemadmodum credebat ſubeſſe Conſtantinopolitanum & cæteros, qui eodem Canone comprehenduntur. Hoc & titulus Canonis importet. *Quod non oporteat Papam Romanum vel quempiam aliorum Patriarcharum à quolibet inhonorari.* At, quanquam unicum hoc notaſſe ſit diluiſſe, quidquid Almaino reſpondet Cajetanus reſponſionis tamen totius per partes confutatio omni ex parte confirmabit, quod Almainus ſibi ſumſit defendendum. Nam *primo*, quod Cajetanus dicit, male exponi verba Synodi, dicendo, quod Synodus negat modum judicandi Papam, ſcilicet audacter, & non ipſummet Judicium; Reſponſione hac probat, Epiſcopum quoque Conſtantinopolitanum à Synodo non poſſe judicari: *Secundo*, quod dicit, ſenſum Canonis literalem eſſe, quod dicere Sententiam in Pontificem Romanum ſit vitium audaciæ; optime ſimul confecit, Epiſcopum quoque Conſtantinopolitanum à Synodo non poſſe judicari, & Synodum octavam, quid Canone relato decerneret, neſciviſſe, dum per adverbium qualitatis, audacter, indicandi poteſtatem ſibimet ipſi eripuit. *Tertio*, quod adtinet comparationem formæ loquendi de judicio cordis temerario, transferri itidem ea poteſt ad Epiſcopum quoque Conſtantinopolitanum. Et ſi eſt legitima hæc comparatio, ad hominem in Canonis ſenſu diſputanti prodeſt; ſi non eſt, autori ſuo nocet, quique perperam philoſophari dicendus eſt. *Quarto*, dum audacia judicii in Papam cum audacia judicii in cor hominis confertur, itidem pro Epiſcopo quoque Conſtantinopolitano adſumi & ſubſumi poteſt. *Quinto*, dum

dum Cajetanus putat, ipſam diſtinctionem inter Judicii modum & judicium ipſummet expoſitionis confutatæ defectum oſtendere, reſpondet Launojus, omne hoc evaneſcere, ſi cum Canone relato componatur, & quidquid hic de Pontifice Romano diſputatur, per ipſum hunc Canonem de Epiſcopo quoque Conſtantinopolitano diſputari poſſe. *Sexto* tandem, concludens Cajetanus hunc Diſcurſum atque ſcribens, in ſenſu hæreſeos pertinacis in Papa judicium Synodi depoſitivum Papæ fore abſque audacia, ſeipſum confutat. Atque hoc eſt Epicitharilma poſt fabulam, qua Author penitus diruit, quidquid ante huic adverbio, audacter, ſuperſtruxerat. Nam, ſi nulla eſt audacia in Synodo, cum Papam hæreticum deponit, quid de hoc adverbio, quod ſurſum deorſum agitavit Cajetanus, & tanquam in gyrum rationis & doctrinæ circumduxit, fiet? Et, ſi in caſu hæreſeos nullum audaciæ vitium committit Synodus, cur in publica Eccleſiæ totius offenſione idem committeret vitium, ſi Pontificem de ſuo ſtatu & loco deturbaret, atque alium Muneri tanto reſpondentem & ædificandæ Doctrinæ & Moribus Eccleſiæ idoneum ſubrogaret? Par eſt utrobique ratio, neque in uno caſu major quam in alio difficultas. Cajetanus ergo tergiverſatur, contentionis funem trahit, & operam ludit; atque ſic magis audacter, quam perite ad ſatisfaciendum *Almaino* in aciem diſputandi deſcendiſſe dicendus eſt, & quem ſibi errorem nolebat extorqueri ab alio, ipſemet extorſit ſibi, poſtque varias tandem tricas in adverſarii ſententiam diſceſſit, quæ vetus erat Eccleſiæ ſententia, quam Cajetanus ab Humberto, ordinis ſui Magiſtro generali quinto poterat addiſcere, niſi Curiæ, cui addictus erat, inſervire voluiſſet. Tradidit is eam ut omnibus perſpectam & animadverſam in ſecundæ Partis Sermone ſeptuageſimo, ſcribens: *Papa, qui eſt ſuper omnes, poteſt deponi ab Eccl ſia, quæ tota ſubeſt ei, in caſu.* Humbertus hic, qui Seculo poſt decimum tertio claruit, valide his demonſtravit verbis, eos errare qui Quæſtionem hanc circa Concilii Conſtantienſis tempus ortam eſſe adfirmant. Quin antiqua potius dici debet Sententia, uti Pius hoc nomine ſecundus eo teſtatur in loco, ubi, niſi ſumma fuiſſet veritas, negandum eſſe videbatur, videlicet in Bulla Retractationis ſuæ, in qua refert Sermonem inter ſe, tum adhuc Æneam Sylvium, & Julianum Cardinalem, in Aula Imperatoris degentes, inſtitutum, ſcribens: *Tuebamur*, Ego nimirum & alii, *Sententiam antiquam, ille defendebat novam; Extollebamus Concilii generalis, ille Sedis Apoſtolicæ poteſtatem magno opere commendabat.* Sic ex mente Pii cum Pontificis antiqua eſt Sententia, quam Julianus impugnabat, Æneas autem turbatur, ſed quam poſtea factus ex Ænea Pius abjecit, etiamſi eſſet Sedis Apoſtolicæ (quondam) ſententia. Et ſane, cum Bullam Retractationis edidit, ſedebat in Sede Curiæ Romanæ, quam Hadrianus Papa ſextus hoc nomine deſcripſit in Mandatis, quæ Cheregato oratori in Germaniam proficiſcente dedit, faſſus, ſcire ſe, *in hac Sede aliquot jam Annis multa fuiſſe abominanda, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in Mandatis, & omnia denique in perverſum mutata.* Itaque cum Pius in Diplomate Retractationis à vera receſſit ſententia, ſingulari providentia DEI eſt factum, ut non recederet à veræ ſententiæ teſtimonio, quod ſuis conſignavit monumentis. Nempe opinionis novæ infamiam exagitavit in primo de geſtis Concilii Baſileenſis libro, ubi inter alia indignabundus ſic ſcripſit: *Sunt aliqui, ſive gloriæ avidi, ſive, quod adulando præmia expectant, qui peregrinas quaſdam & omnino novas prædicare Doctrinas expetunt, ipſumque Pontificem ſummum à juriſdictione ſacri Concilii demere non verentur. Excæcavit illas namque ambitio, à qua non ſolum hoc ſchiſma hodiernum, ſed omnia uſque in hunc diem ſchiſmata reperiuntur ſuborta.*

His contra Cajetanum obſervatis, ſubjungit Launojus, in eadem Epiſtola, Recentionem quendam Theologum Almaini rationem aliter, quam hancce Cajetanum diluere voluiſſe, ejus verba referens ſequentia: *Tantum abeſt, ut hoc Concilii Decretum quidquam contra Pontificem in favorem Concilii univerſalis molitur, ut potius primatum ejus confirmet aperte; prohibet enim, ne audacter ſententia in Pontificem Romanum dicatur, quam-*

quamvis quæstio de ejus sede exorta fuerit susceptа. Neque enim per particulam audacter, intelligitur temere aut præcipitanter, quandoquidem temeritas & præceps festinatio in quibuscunque judiciis, etiam vilissimorum quorumcunque hominum est cavenda; sed per audacter, intelligitur, ne absolute tantum sibi arroget Concilium, ut sententiam contra Pontificem dicere audeat. Quo fit, ut, si Decretum hoc adtentius & sine partium ullarum anticipata atque adfectata defensione expendatur, plus feriat, quam juvet summi Pontificis adversarios. Launojus addit, responsionem hanc referre, non solum est eam refellere, sed etiam demonstrare, Authorem hunc Synodum octavam & Canonem, de quo agitur, legisse unquam; si enim legisset non eo responderet modo, qui totis explodendus est Scholis. Ubinam vidit enim, hanc particulam, *audacter*, à Grammaticis & hominibus literatis sic esse expositam. Certe, illiteratissima est hæc responsio, & majori hic Author cum linguæ Latinæ ignorantia respondet, quam Cajetanus; & tamen, quod mirum est, perinde sibi videtur respondere, acsi de Almaino triumphum reportaret amplissimum. Est hoc nempe perversissimum genus interpretationis, quo Canonis pars in sensum traducitur contrarium, atque judicandi modus in ipsum convertitur judicium, quo nova & peregrina sanciantur dogmata. Nimirum, quod supra jam fuit observatum, imprudenter vel audacter contra Pontifices Romanos dicere sententiam, refertur ad Photium & Dioscorum, quorum exemplum utpote malum vetatur, non vero ad Synodum, quæ de Pontifice Romano non nisi secundum leges & Canones pronuntiat. Utinam inspexisset Author hic Decretum Gratiani, quod Romæ correctum atque editum est, ubi Canon sic habet: *Definimus neminem prorsus Mundi Potentum quenquam eorum, qui Sedibus præsunt Patriarchalibus, inhonorare aut movere à Throno proprio tentare, sed omni reverentia & honore dignos judicare, præcipueque sanctissimum Papam senioris Romæ, deinceps autem Patriarcham Constantinopoleos, deinde etiam Alexandriæ, Antiochiæ & Hierosolymorum.* Leguntur hæc distinctionis vicesimæ & secundæ capite septimo Igitur si Canonem hunc à Gratiano relatum inspexisset Author hic, quod de Synodo dixit, de privatis dixisset hominibus, qui longe aliter, quam Synodus, solent judicare; præterea, quod de Pontifice dixit Romano, non dixisset, alioqui idem de Constantinopolitano & cæteris dixisset. In has nimirum ineptias coguntur incidere, qui studiis partium ducuntur & excæcantur. Ad extremum, si vera esset Authoris istius interpretatio, pugnasset secum octava hæc Synodus, atque feciisset, quod faciendum sibi non esse decernebat, dicens sententiam contra Honorium Pontificem, atque eum ut hæreticum Anathemate percutiens.

Legit hæc Lupus, Doctor Lovanienſis, an vero simul etiam rite expenderit, valde dubium est, propter ea quæ in Parte quarta Notarum ad Decreta Conciliorum & Pontificum, quæ prolixissima continet Scholia ad Dictatus Gregorii Pontificis hoc nomine septimi, nominatim ad Canonem decimum & nonum, *Quod Papa à nemine debeat judicari*, observavit, scribens: Almaini, quæ adversus Cajetanum prædicat Launojus, commenta ad rem non faciunt; nequaquam enim Pontificis judicandi modum præscribit hæc Synodus, sed ipsum nullo (plane) modo judicandum decidit, nimirum à vera etiam Synodo generali non posse adtentari, quod adtentavit Photius in imaginaria. Insuper, à vera etiam Synodo generali Episcopum Romanum, si deliquerit, cum reverentia admonendum, verum nullo (plane) modo prorumpi posse in audaciam, qua damnetur; quia nempe Divina sunt istius Sedis privilegia, ideoque ejus etiam Episcopus ab homine non judicatur. Addit, eodem modo Canonem hunc exponere *Petrus de Marca*, cum hac observatione Dictatum hunc Gregorii Pontificis esse per omnia legitimum. Verum si Lupus putavit, se paucis hisce lineolis prolixam Launoji disputationem contra Cajetanum refutasse, atque Lectoris non tam curiosi, quam eruditi desiderio feciisse satis exasse, multum falsus est. Nimirum, ita perspicue hujus Decreti mentem exposuit post Almainum, ut nihil potuerit contra eam producere in medium Lupus,

sola usus authoritate dictatoria, qua num Doctores Academiæ Lovaniensis gaudeant præ aliis, posthac Instrumentis solemnibus docebunt. Cæterum, quæ Lupi hujus in aliis etiam est insignis ἀσυνεσία hic certe ea insigniter se prodidit, inconsideratissime scribens, Pontificem Romanum posse quidem à vera Synodo generali, si deliquerit, cum reverentia admoneri, verum prorumpi non debere in audaciam, ut damnetur. Quid enim, si Pontifex delinquens cum reverentia admonitus à delicto non desistat, sed pertinaciter cum totius Ecclesiæ scandalo & damno perseveret in eo, omnem præscindens spem desideratæ emendationis? Anne Concilium satis officio fecisse æstimabitur, si Pontificem publice delinquentem cum reverentia admonuit, finens eum postea inhærere delicto, propter honorem Sedis Apostolicæ? Certe, si Lupus hoc adcuratius ponderasset, famam Doctoris publici in tam celebri Universitate adeo turpiter non prostituisset, cum nemini non ratione prædito ex dictamine naturali constet, ut, cui incumbit officium admonendi & redarguendi, eidem quoque incumbat officium damnandi, eo nimirum in casu, si admonitio sit frustranea, atque is, qui ex debito fuit admonitus, se præbeat incorrigibilem. *Petrum de Marca* in explicatione hujus Canonis præivisse Lupo, mirum videri posset, nisi sæpius deprehenderetur, ubi in gratiam Aulæ Romanensis scripsit, sibimetipsi contrarius, quamvis utplurimum insertis quibusdam observationibus, quæ mentem ejus alio respexisse testantur, quod hic quoque factum est ab eo, vestigia Cajetani luculenter premente, dum verbis immediate sequentibus loco per Lupum citato mentem suam ita legitur correxisse: *Sane in causa hæreseos publicæ & schismatis*, (cur non etiam scandali in moribus?) *quin de Pontifice Romano fieri possit judicium, nullus unquam scriptor dubitavit; quamvis sententiam maluit* (cauda hæc est non lupina, sed vulpina) *dici declaratoriam, quam condemnatoriam.* Id hac occasione non prætermittendum est, eos, qui in cæteros Conciliorum Canones & Decreta hinc inde prolixissimas scripserunt observationes, quas simul exhibet novissima Collectio Labbei, ad hunc Canonem magis mutos & elingues fuisse, quam pisces, longe videlicet cautiores, quam Lupus, qui authoritate Archiepiscopi Parisiensis, alias plane rationes habentis seductus, Cajetanum semetipsum proprio imprudenter jugulantem gladio sequi maluit, quam Almainum & ejus hyperaspisten Launojum. Solus, quantum mihi quidem constat. *Cabassutius* in notitia Conciliorum iterato edita aliquam Canoni huic præmit observationem, scribens, *admodum notabilem esse in eos, qui Concilia etiam œcumenica cum Pontifice summo committere, atque in præsidium vocare præsumunt.* Quos intellexerit, quibus Canonem hunc existimavit oppositum, divinare non est difficile. At vero non plane nullius operæ fecisset pretium, si ostendisset, quibus verbis hic Canon eorum sententiam reprobasset. Hoc autem quia ab illo factum non est, ægrius non feret, si dicatur, rubrum, quod adscripsit huic Canoni, cum nigro minus convenire, ac glossam esse Textui contrariam.

Bellarminus *ibid.*

ADhuc ex Conciliis pergit authoritatem Pontificis Romani supraconciliarem stabilire, provocans tandem ad testimonium Concilii Lateranensis ultimi sub Leone decimo ante hoc sesquiseculum celebrati, in cujus sessione undecima diserte ac ex professo fuerit decretum, Pontificem super omnia esse Concilia, ac reprobatum è contrario Decretum, quod in Concilio Basileensi antehac fuerat editum. Verba autem Concilii Lateranensis hæc citat Bellarminus: Solum Pontificem Romanum, tanquam authoritatem supra omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum jus plenum habere ac potestatem, tradunt S. Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Pontificum Romanorum, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione constat manifeste.

Lau-

Digitized by Google

Launojus *ibid. Epiſt. ult.*

HOc Documentum ponderat prolixiſſime, varia ad illud ac ejus citationem Bellarminianam obſervans. Primo id notat, quod Bellarminus tam pauca ex hoc Decreto verba adduxit, alia prætermittens, ideo videlicet, ne Conſtitutionis argumentum agnoſcatur; quod ſi fiet, liquido patebit, Leonem decimum & Concilium Lateranenſe non docere id ex profeſſo, quod ab illo doceri Bellarminus adſerit, & deductam ex Concilio hoc rationem eas non habere vires, quas Bellarminus putat habere. Nimirum, hoc unum ſpectant Leo & Concilium, ut editam à Concilio Baſileenſi Sanctionem pragmaticam reſcindant; &, quod Bellarminus editum ex profeſſo à Leone & Concilio hoc Decretum adfirmat, Leonis & Concilii Decretum non eſt, ſed ratio, quæ dictæ Sanctionis pragmaticæ abrogationem à ſe factam conantur ſuſtentare. Quidquid illud eſt, agnoviſſet id Bellarminus, ſi integram Leonis & Concilii conſtitutionem propriis uſurpaſſet oculis, neque de ea avullæ adcommodaſſet plagulæ, quibus ducitur Somniis ac præjudiciis. *Secundo*, inquit, inter Concilii Decretum & Decreti rationem Theologi plerique latum conſtituunt diſcrimen. Et certe ratio adlata, qua Leo & Concilium utuntur, Monumentis partim ſuppoſititiis, partim incertis nititur, ut poſthac uberius obſervabitur. *Tertio*, Leo & Concilium ea tantum reprobant, quæ Concilium Baſileenſe poſt tranſlationem illius ab Eugenio Pontifice factam decrevit. Hoc cum ita ſit, Leo & Concilium non obſcure conſentiunt in, quæ Concilii Baſileenſis Patres ante illius tranſlationem decreverant. At niſi quis nodum quærat in ſcirpo, nunquam id diffitebitur. Et ſane Concilium Baſileenſe ab Eugenio tranſlatum non eſt ante Seſſionem ſecundam, in qua Decretum Synodi Conſtantienſis de authoritate Concilii generalis etiam ſuprapapali fuit confirmatum duplici Declaratione, præſente & præſidente Juliano Cardinali, Sedis Apoſtolicæ Legato. Accedit, quod Eugenius ipſe in Seſſione poſt decimam ſexta Concilii Baſileenſis Acta confirmavit, teſte Bulla ſingulari ſuperinde edita, teſte etiam Pio Pontifice hujus nominis ſecundo in Bulla Retractationis, & peculiari Epiſtola ad Mejerum, Præſulis Moguntini Cancellarium, adcedente Hartmanno Schedelio in ſexta Mundi ætate. *Quarto*, è duabus Concilii Conſtantienſis Declarationibus ſeu Decretis, quæ Synodus Baſileenſis adſeruit & inſtauravit, primum à Leone & Concilio Lateranenſi ſemel atque iterum confirmatur. Semel quidem, cum ſignificant non obſcure, ſe ea tantum reſcindere, quæ Concilii Baſileenſis tranſlationem ſunt ſubſecuta. At primi Decreti inſtauratio & adſertio tranſlationem Concilii Annis quinque præceſſit. Iterum vero, cum Leo & Concilium Lateranenſe poſtremam ſecundi Decretis clauſulam abrogant tantum, quæ nimirum ad jus indicendorum transferendorum ac diſſolvendorum Concilium pertinent & illud comprehendit. Hæc autem exceptio firmat regulam in contrarium, ac ita, ut vere adſeveranterque poſſit dici, Leonem & Concilium Lateranenſe ad Decretum Concilii Conſtantienſis primum & ſecundum præter ea, quæ proxime ſunt notata, à Concilio Baſileenſi inſtauratum atque vindicatum pondus addidiſſe Authoritatis ſuæ. Qua in re prætermittendus non eſt Eugenius Pontifex, qui præcedentia Concilii Baſileenſis Acta confirmavit, ut ejus verba fidem faciunt ampliſſimam. Eugenius igitur, Leo & Concilium Lateranenſe ſentiunt, Concilium generale congregatum legitime, & univerſam repræſentans Eccleſiam, immediate poteſtatem habere à Chriſto, cui quilibet cujuſcunque dignitatis vel ſtatus, *etiamſi Papalis exiſtat*, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schiſmatis, & generalem Eccleſiæ DEI in capite & membris reformationem; deinde neceſſariam eſſe Concilii celebrationem, quæ in Concilii Conſtantienſis capite *Frequens* decernitur. Poſtre-

ma Decreti secundi clausula majorem habet difficultatem, quæ expediri non potest, nisi dicatur ingenue, Leoni & Concilio fraudulenter esse obreptum. Hinc enim Leo & Concilium prorsus innuunt, se non improbare, quæ in Concilio Basileensi ante translationem illius fuerunt gesta; inde adfirmant, Romanum Pontificem solum pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum jus plenum habere ac potestatem. Et hoc est ipsum, cujus contrarium Synodus Constantiensis & Basileensis definierant, atque Martinus & Eugenius Pontifices adprobaverant, imo Eugenius semel, iterum ac tertio. Semel, cum sub nomine Gabrielis Condulmerii Concilio interfuit Constantiensi. Iterum, quando ex Gabriele factus Papa Eugenius per Julianum Legatum Concilii Basileensis Sessioni secundæ interfuit & præfuit. Denique, cum in ejusdem Concilii Sessione post decimam sexta tertiam revocavit Bullam, quam sciente se negavit esse confectam, non alia forsan de causa, nisi quod in ea Pontifex Romanus super omnia Concilia potestatem habere diceretur. Ut autem revocaret, inductus fuit, uti videtur probabile, à Juliano Cardinale. Ante hanc nempe Revocationem Eugenius concordabat Concilio Basileense legitime congregato, & ita quidem, ut, si Pontifex Romanus à Concilio discordasset in iis, quæ ad Fidem Catholicam & Ecclesiæ universalis statum & tranquillitatem pertinent, Sententia potius Concilii, quam ipsius Eugenii fuisset adtendenda. Post Revocationem vero magis adhuc Concilio Basileensi concordabat. Nam ad rerum momenta duo, de quibus inter Concilium & Papam conveniebat, adjicitur, quod Papa super omnia Concilia potestatem non habere se consentiat secundis cogitationibus, quæ primis meliores esse consueverunt. Ex quo rursus colligitur, Leoni & Concilio Lateranensi obreptum esse, cum id sibi adjudicent, quod Eugenius in frequentissima celebritate & luce clarissima sibi censuit abjudicandum. Deinde, si revocanda fuit illa Decreti secundi clausula postrema, debuit revocari per Concilium & Constantiensi & Basileensi numerosius, quale hoc Lateranense non fuit. Nimirum in Concilio Constantiensi adfuerunt Patriarchæ quatuor, Cardinales viginti & novem, Archiepiscopi quadraginta septem, Episcopi centum & quinquaginta, Abbatum, Præpositorum, & omnis generis clericorum numerus ingens, teste Cochlæo in secundo Historiæ Hussitarum libro, utut Michael Buchingerus in Historia Ecclesiastica hujus Concilii Patres aliter enumeret, nominatim exhibens Episcopos ducentos & septuaginta, Abbates autem & Doctores quingentos & sexaginta quatuor. Concilii quidem Basileensis Patres hactenus nemo numeravit, quantum constat, tamen cum in Sessione secunda Legatus Eugenii Pontificis præsideat, atque dicatur hoc Concilium repræsentare universam Ecclesiam, idoneus ac legitimus Patrum numerus esse debuit, quod præsenti sufficit Institutæ. At in Concilio Lateranensi adfuerunt tantum Cardinalis Episcopi, Presbyteri & Diaconi sedecim, Patriarchæ & Adsistentes Papæ ac orarores undecim, Archiepiscopi & Episcopi quinquaginta tres, Abbates & ordinum Generales quinque, omnes octoginta quinque, fuitque Synodus hæc magnam partem constans ex Italis, & Regis Christianissimi orator nullus, nulli etiam è Provinciis Gallicanis Antistites missi. Præterea, non dicitur hoc Concilium repræsentare Ecclesiam universam. Hoc igitur cùm ita se habet, Concilium hoc Lateranense & Constantiensi & Basileensi non potest non esse minus numerosum. Hinc etiam efficitur, ut Leo Pontifex per Concilium hoc Lateranense & Constantiensis & Basileensis Decreti secundi clausulam abrogare non potuerit, nisi secum pugnare voluisset. Nunc porro videndum, an ratio, quam Leo & Patres Concilii adsumserunt, idoneis & legitimis confirmetur Authoritatibus. Primo, S. Scripturæ testimonium citatur, sed quo in loco extat, non dicitur. Fortasse dicis gratia citatur. Quidquid in causa, huic probationis modo repugnant Juris axiomata duo. Unum hoc est: Quæ notabiliter facta sunt, nisi specialiter notentur, quasi neglecta videntur. Alterum: Non sufficit in genere aliquid proponere, quando

quæ-

Digitized by Google

quælibet ſpecies eundem non operatur effectum. Ex nullo igitur Scripturæ teſtimonio probatur, Pontificem Romanum indicendorum, transferendorum ac diſſolvendorum Conciliorum jus plenum habere. Quo fit, ut non ſufficiat, in genere Scripturam proponere. Deinde nullum eſt Scripturæ teſtimonium, quod ſancti Patres de indicendis, transferendis ac diſſolvendis per ſolum Pontificem Romanum Conciliis unanimi conſenſu intellexerunt, quod neceſſum eſſe docet Synodus Tridentina in Seſſione quarta & forma Juramenti Profeſſionis Fidei. *Secundo*, citantur dicta ſanctorum Patrum, ſed nullum particulatim citatur. Huic modo probationis itidem repugnant Axiomata Juris laudata. Præterea, nullus eſt Sanctorum Patrum, qui memoriæ prodiderit, penes unicum Pontificem Romanum eſſe, Concilia indicere, transferre ac diſſolvere. Quin etiam Hieronymus, cum inter eum & Rufinum de Synodo quadam eſſet controverſia, in ſecundo Apologiæ contra eum libro non quæſivit à Rufino, à quo Pontifice Synodus fuerit congregata, ſed à quonam Imperatore? *Tertio*, citantur etiam ipſorum Pontificum Romanorum Dicta, ſed nullum & hic citatur ſpeciatim. Adeo & huic probationis modo repugnant duo Axiomata Juris citata. Leo certe decimus reſpectum habere non potuit ad Leonem primum, qui Synodos ipſe non indicebat, ſed Imperatores rogabat, ut reciperent. Nominatim ſcripſit ad Theodoſium, precatus, ut in cauſa Eutychetis intra Italiam fieri juberet Concilium Epiſcopale. Sic Pontifex Hormiſda hanc in Anaſtaſio Imperatore poteſtatem Conciliorum congregandorum, aguoſcit, uti & Agatho in Epiſtola ad Conſtantinum, Heraclium & Tiberium Auguſtos, quæ Actione quarta Synodi ſextæ refertur; Gregorius item ſecundus in Epiſtola ad Leonem Iſaurum. *Quarto*, citantur etiam Decreta ſacrorum Canonum, ſed nullum citatur ſpeciatim. Atque ſic huic quoque probationis modo repugnant eadem Juris Axiomata. Ad hæc, neque Codex vetus Canonum Eccleſiæ Romanæ, neque Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ, neque Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ ullum exhibet Canonem, quo in Pontificem Romanum jus plenum indicendorum, transferendorum & diſſolvendorum Conciliorum tranſcribatur. Huc pertinet Synodi Florentinæ definitio, in qua ſtatuitur, ut Pontifex Romanus Eccleſiam univerſam rogat atque gubernet, quemadmodum & in Actis Conciliorum univerſalium, atque in Canonibus ſacris continetur. At neque Conciliorum univerſalium Acta, nec ſacri Canones jus illud plenum continent, quod à Leone & Concilio Lateranenſi citatur. *Quinto*, Conciliorum quoque confeſſio propria vindicatur, ſed nullum ſpeciatim citatur; cui probationis modo itidem repugnant Axiomata Juris ſæpe jam laudata. Deinde, ipſa etiam repugnant Concilia, ex. gr. Nicenum in literis, quas ad Eccleſiam Alexandrinam & Epiſcopos per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim conſtitutos ſcripſit: Sardicenſe in Epiſtola ad Ægyptos & Africanos Synodica, Aquilegienſe in ſecunda ad Imperatores Gratianum, Valentinianum & Theodoſium Epiſtola; Conſtantinopolitanum numero & ordine primum in Synodica ad Damaſum, Ambroſium & alios Epiſcopos Romæ congregatos Epiſtola, Epheſinum itidem primum de ſingulis pene Actionibus, uti & Calchedonenſe, Conſtantinopolitanum quoque tertium & quartum, quæ ſingula contrarium demonſtrant, dum Imperatoribus authoritatem congregandi Concilia adſcribunt. Equidem in ſequentibus Conſtitutionis Lateranæ à Leone Papa conceptæ verbis, quæ Bellarminus prætermiſit, citantur aliquot Teſtimonia, quibus hæc Authoritas Pontificis Romani ſupraconciliaris videtur poſſe confirmari, ſed in vanum. Nominatim citatur Synodus Alexandrina, cui interfuiſſe dicitur Athanaſius, & quæ Pontifice tum Romano Felici ſcripſerit, Synodum Nicenam ſtatuiſſe, non debere abſque Pontificis Romani authoritate celebrari Concilia. Sed ſuppoſititia eſt hæc Synodus, quod Baronius ad Annum Seculi poſt Chriſtum quarti quinquageſimum & ſeptimum non diſſimulat. Cæterum, quis & qualis fuerit Athanaſio Felix, ipſemet Athanaſius deſcribit in Epiſtola ad Solitarios. Præterea, ubinam ſunt Græca Synodi hujus Alexandrinæ & literarum

ad Felicem Exemplaria, quis ea vidit unquam, vel Sermone Latino donavit? Ad extremum, verba hæc, non debere abſque Pontificis Romani authoritate celebrari Concilia, haud præ ſe ferunt, ſolum Pontificem Romanum, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum & diſſolvendorum jus plenum & poteſtatem habere; quemadmodum præ ſe non ferrent, ſi pariter diceretur, non debere abſque Alexandrini, Antiocheni, Conſtantinopolitani & Hieroſolymitani authoritate univerſalia celebrari Concilia. Quis enim, quæſo, ex illis concluderet verbis, Alexandrinum & cæteros Pontifices, tanquam ſuper omnia Concilia habentes authoritatem, jus illud plenum ac poteſtatem habere? Citatur quoque Leo M. utpote qui Synodum Epheſinam ſecundam tranſtulerit ad Chalcedonenſem. Verum id, quod res eſt, minime citatur, uti ex iis eſt manifeſtum, quæ ſupra jam de Leone & Synodo Calchedonenſi fuerunt obſervata. Omnes certe Leonis Epiſtolæ, quæ de Synodo Epheſina ſecunda & Calchedonenſi loquuntur, ſilent de tali tranſlatione contumaciter, & potius Conciliorum indicendorum, ac proinde etiam transferendorum jus & poteſtatem aſſignant Imperatoribus. Et, quod rei caput eſt, nemo veterum dixit unquam, Synodum Epheſinam ſecundam fuiſſe Calchedonem tranſlatam. Hæc [illegible] temporum poſteriorum ignorantiæ eſt deputanda. Citatur porro Martinus, Pontifex hoc nomine quintus, qui ſuis in Concilio Senonenſi præſidentibus poteſtatem transferendi Concilium dederit, nulla conſenſus Concilii ipſius mentione habita. At, Concilium, quia non interceſſit, conſenſit. Deinde, Martinus exequitur Decretum Concilii Conſtantienſis, quod Pontificem Concilio ſubjectum eſſe declaravit. Tum, in ipſo habetur Decreto, locum pro concilio futuro deputatum abſque evidenti neceſſitate non mutet. Quare, cum propter neceſſitatem evidentem mutavit concilii locum, de conſenſu concilii Conſtantienſis mutavit. Res iſta commode narratur in concilii Baſileenſi Seſſione prima, poſtquam concilii Conſtantienſis Decretum fuit prælectum & confirmatum. Citatur etiam Synodus Epheſina prima, quæ Cœleſtino, item Chalcedonenſis, quæ Leoni primo, ſexta, quæ Agathoni, ſeptima inſuper, quæ Adriano hujus nominis primo, uti & octava, quæ Adriano ſecundo maximam exhibuerunt reverentiam. Quid tum vero? Inde enim non ſequitur, unicum Pontificem Romanum jus plenum & poteſtatem habere concilia indicendi & transferendi, quam Leo & concilium Lateranenſe eidem adſcripſerunt. Citatur quoque Damaſus Papa & cæteri Epiſcopi Romæ congregati, ſcribentes Epiſcopis in Illyrico conſtitutis de concilio Ariminenſi, præjudicium aliquod per numerum Epiſcoporum Arimini congregatorum fieri non potuiſſe, & Pontificem Romanum, cujus ante omnia decebat expectari Decretum, talibus non præbuiſſe conſenſum. Verum, hic non dicuntur cum veritate, quæ Veritas ipſa geſſit; & Synodicæ Damaſi ac Præſulum Occidentalium Epiſtolæ verba truncantur, quæ integra, quatenus ad rem hanc faciunt, ſic habent: *Neque præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando conſtat, neque Epiſcopum Romanum, cujus Sententia ante omnia erat expectanda, neque Vincentium, qui Epiſcopatum tot Annorum geſſerat integre, nec alios talibus præbuiſſe conſenſum.* Ex his autem verbis uti non poteſt colligi, Vincentium & alios plures Epiſcopos, qui Concilio Ariminenſi non dederunt conſenſum, ſuper omnia eſſe Concilia, & plenus jus ac poteſtatem habere Concilia indicendi & transferendi, ſic etiam colligi non poteſt, Pontificem Romanum hoc jus habere. Adhuc & iterum citatur Leo Magnus ac ejus Epiſtola ad univerſos Siciliæ Epiſcopos. Sed hæc quoque in Epiſtola nihil eſt prorſus, ex quo vel per umbram id deducatur, quod Leo & Concilium Lateranenſe contendunt. Quin etiam Leo hic primus in Epiſtola hujus capite ſeptimo teſtatur, parere ſe concilio Niceno, quod canone quinto ſtatuit, ut Metropolitani bis in Anno celebrent concilia. Hinc concilium Provinciale Romam ad diem tertium Calendarum octobrium indicit. At, ſi exinde concludi-

tur,

tur, Pontificem Romanum ſuper omnia eſſe Concilia, non diſſimili modo jus idem omnibus tribuetur Metropolitanis, qui per Canonem Nicenum Concilia bis in anno poſſunt celebrare. Quis vero hanc concluſionem æquo ferat animo? Citatur denique Synodus Nicena, quod videlicet rerum à ſe geſtarum confirmationem à Pontifice Romano petierat. Verum hac de re altiſſimum eſt ſilentium apud Euſebium, Athanaſium, Sulpitium Severum, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, ac omnes antiquos utriuſque Imperii ſcriptores, uti & in Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ, Romanæ & Africanæ. Quod autem de rebus adeo antiquis ſine ſcriptoris alicujus vetuſtioris teſtimonio profertur, non immerito contemnitur, juxta pronuntiatum Baronii in Adparatu. Et quidem ſi Synodus Nicena confirmationem Decretorum petiit à Silveſtro, Græce petiit ſine dubio. Quis vero unquam hujus Epiſtolæ Græcum vidit Exemplar, vel quis in Latinum traduxit? Inſcriptio Epiſtolæ præ ſe fert, ad Nicenam Synodum hanc Epiſcopos conveniſſe numero trecentos & viginti, quod omnibus antiquis ſcriptoribus Synodi hujus Epiſcopos numerantibus adverſatur, & in eadem Inſcriptione Hoſius Cordubenſis & Macarius Hieroſolymitanus & Epiſcopi cæteri numero trecenti & octodecim ſcribunt ad Silveſtrum. Deinde, quis tot Epiſcopis tam imperitam tribueret locutionem, qualis in hac legitur Epiſtola: *Conſcat Apoſtolica veſtra Doctrina, Epiſcopos totius veſtræ Apoſtolicæ Urbis in unum convenire, veſtrumque habere Concilium.* Fueruntne tunc plures Urbis Romæ Epiſcopi, qui in unum convenirunt? Nimirum Epiſtolæ ſuppoſitor rudis & ignarus ſedis Apoſtolicæ Epiſcopos, nempe, qui ſedi Apoſtolicæ ſubſunt, dicere voluit vel ſcribere. In ſumma, Epiſtolæ reliqua conſtructio ineptiſſima eſt, ac ejus miſerabilis ſenſus. Et qui nomine Silveſtri reſcripſit ad Synodum, falſarium ſe prodidit hiſce verbis: *Data 5. Kalend. Novembris. accepta 11. Idus Februarii, Conſtantino ſepties, & Conſtantio Cæſare 11. Conſule.* Hinc Baronius ad annum ſeculi poſt Chriſtum quarti viceſimum & quintum de hac epiſtola locutus ſcripſit, eam ob Conſules perperam poſitos reputari commentitiam, utpote quæ data & accepta habeatur ſub Conſulatu Conſtantii quarto cum octavo ſive ſeptimo Conſtantini, qui ſit ab hoc anno quintus. Utraque Epiſtola in eandem ſimul trahitur ruinam, dum malleator earum, vel neſcio quis librarius, cum deſcriberet collectionem Creſconianam, eidem fraudulenter eas ſubnexuit, ut rebus falſis conciliaret fidem ac antiquitatem. Verum enim vero ſit ita, ut Synodus Nicena, Calchedonenſis & aliæ ſuorum Decretorum confirmationem a Pontificibus Romanis petierint ac obtinuerint, nihil id adtinet Leonis decimi & Concilii Lateranenſis ſcopum. Nam Martinus Pontifex hoc nomine primus Romæ habuit Synodum, & Acta Synodi voluit confirmari à Synodo, quam Antiſtites Gallicani celebrarent, uti traditur in Epiſtola, quam ipſe Martinus ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum ſcripſit. Inde conſtat, nullam eſſe complexionem, quam Leo decimus & Concilium Lateranenſe ex Pontificia Synodorum adprobatione & confirmatione inferunt, alioquin ex teſtimonio Martini, Antiſtites quoque Gallicanos ſuper omnia eſſe Concilia, quia Concilii Romani Acta Martino confirmarunt & iis conſenſerunt. Par eſt utrobique ratio, quod, niſi petatur principium, nec eſſaria conſecutione admittendum eſt. Hinc rurſus manifeſtum eſt, *Bellarminum* Concilii Lateranenſis Conſtitutionem nec legiſſe per ſeipſum, nec expendiſſe unquam. Nam ſi eam legiſſet expendiſſetque vel leviter, nunquam ſibi finxiſſet Monſtra, quæ debellaret. Et primo quidem finxit, Concilium immobile Decretum Fidei condidiſſe, quod tamen non condidit, nec potuit condere iis rationum momentis, quæ adhibuit, & haſtenus fuerunt diſcuſſa. Sic vero ſcripſit ibi Bellarminus in ſequentibus: *Decreta de Fide ſunt immutabilia, nec poſſunt ullo modo abrogari, poſtquam ſemel ſtatuta ſunt. Tale autem eſt hoc, de quo agimus.* Deinde ſubjecit: *Quod vero Concilium hoc rem iſtam non definierit proprie, uti Decretum Fide catholica tenendum, dubium eſt.* Ita loquitur pugnantia; nam unum & idem fidei Decretum modo certum, modo incertum eſt. Sed ſimul quoque docet, neſcire ſe, vel diſſimulare, quæ ſit notio

tio

tio dogmatis Catholici, cujuſmodi deſcribitur à Vincentio Lirinenſi, libri in Commonitorio primi capite tertio; quæ non Bellarmini, ſed adverſariorum illius ſententiæ, nimirum quoad præſentem Controverſiam, multo magis conveniunt. *Poſtremo* hoc idem Decretum contra ſeipſum, & pro adverſariis ficta religione, emolliendum adhuc cenſuit hoc modo ſcribens Bellarminus: Ideo non ſunt propriè hæretici, qui ſentiunt contrarium; ſed à temeritate magna non poſſunt excuſari. Hoc Epicitharisma poſt fabulam! Nempe Vir ſtudiis partium addictus, & Magiſtrorum Curialium ſignifer, fraude inerudita & adſentatorie occupat, quod adverſariis incumberet dicendum; ne videlicet vetus & perpetua Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ traditio agnoſcatur. Hoc autem excuſari non poteſt, niſi Bellarminus fuerit imitatus Gregorium hujus nominis undecimum, qui tabulis Teſtamenti hanc adpoſuit clauſulam: *Volumus, dicimus & proteſtamur ex certa noſtra ſcientia, quod ſi in Conſiſtorio aut Concilio vel ſermonibus & collationibus publicis & privatis ex lapſu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione vel lætitia etiam inordinata, aut præſentia Magnatum, ad eorum forte complacentiam, ſeu ex aliqua diſtemperantia vel inadvertentia aut aliqua ſuperfluitate dixerimus erronea contra Fidem catholicam, quam coram DEO & hominibus, uti tenemur, præ cæteris profitemur, colimus & colere cupimus, ſeu forſan adhærendo contrariis Fidei cathol ca opinionibus ſcienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra religionem catholicam obloquentibus, illa expreſſe & ſpecialiter revocamus, deteſtamur, & pro non dictis haberi volumus.* Exhibet hæc Lucas Dacherius in ſexto Spicilegii Veterum Eccleſiæ ſcriptorum Tomo. Si Bellarminus hunc Pontificem fuiſſet imitatus, ſcriptionis ſuæ maculas eluiſſet; dum vero non fuit imitatus, Authoris ſinceri & cordati nomen amiſit. Nec mirum, ſecutus enim quoque non eſt eam tractandi methodum, quam Silveſter ſecundus in Epiſtola ad Seguinum, Archiepiſcopum Senonenſem præſcripſit: *Sit Lex communis Eccleſiæ catholicæ, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones DEI Spiritu conſtituti & totius Mundi reverentia conſecrati, & Decreta ſedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia.* Præterea verſabatur Bellarminus in Curia, ubi aliter, quam docuerat, docere non permittitur, uti quondam ipſe Sirmondo nova hæc placita privatim improbanti reſpondit, Porro, volentes ſcire, quænam illa ſit Curia, duos Pontifices Romanos conveniant, nempe Pium ſecundum & Hadrianum ſextum; illum in Epiſtola ad Mejerum, Præſulis Moguntini Cancellarium, hunc in Mandatis, quæ Cheregato Oratori in Germaniam eunti dedit. Diſcent profecto, quæ poſtea volent oblivisci. Nunc ut in pauca conferantur, quæ prolixius ſunt dicta, Leo decimus & Concilium Lateranenſe Patrum octoginta quinque confirmant illa duo Concilii Conſtantienſis Decreta, quæ Concilium Baſileenſe in ſeſſione ſecunda relegit & adprobavit, quæque etiam Martinus quintus & Eugenius quartus adprobarunt, rati, illa nihil continere, quod diſſideat à ſedis Apoſtolicæ traditione. Propterea, Leo decimus & Concilium hoc Lateranenſe extremam Decreti ſecundi clauſulam probant & improbant. Illud quidem, quia recipiunt, quæ Concilium Baſileenſe ante tranſlationem fecit & ſtatuit; hoc autem, quia in ſanctionis pragmaticæ abrogatione poteſtatem ſibi ſumunt, decernere, jus ſummum Pontificis ſuper omnia eſſe concilia. Et dum ſic unum & idem probant atque ſimul improbant, iis fraudulenter obreptum eſſe fit manifeſtum. Hac in re ſuppetias fert Clemens ſeptimus, qui temporis illius Acta non poterat non tenere pro comperto, qui tamen, ut hanc obreptionem adſereret, Ludovicum Alamandum, Cardinalem Arelatenſem, Concilii Baſileenſis Præſidem, à quo poſt illius tranſlationem Eugenius quartus eſt depoſitus, & Felix quartus in ejus locum ſuffectus, adſcripſit numero Beatorum, publicato Diplomate ſingulari, etiamſi Eugenius in alio quodam Diplomate eum nominarit filium iniquitatis, Rebellionis & multorum facinorum reum, ac dixerit, eum à Concilio Ferrarienſi & Florentino damnatum ac univerſis dignitatibus privatum fuiſſe. Et quidem Æneas Sylvius ſtat pro Ludovico, & primus omnium Clementi facem ad Ludovicum in Beatorum

und Bildhauerarbeiten, Gitter, Gewölbe, Kuppeln, Thürme, Dächer, Schornsteine, Wasserleitungen, Brunnen, Springbrunnen, Wasserkünste, Bäder, Gärten, Lustwäldchen, Alleen, Lustgänge, Lustschlösser, Lustgebäude, Lustplätze, Lustörter, Lustwege, Lustbäume, Luststräucher, Lustblumen, Lustkräuter, Lustgewächse, Lustfrüchte, Lustobst, Lustgemüse, Lustgetränke, Lustspeisen, Lustgerichte, Lustmahlzeiten, Lustgastmahle, Lustgelage, Lustgesellschaften, Lustversammlungen, Lustzusammenkünfte, Lustbesuche, Lustreisen, Lustfahrten, Lustritte, Lustjagden, Lustspiele, Lustschauspiele, Lustkämpfe, Lustturniere, Lustfeuerwerke, Lustmusiken, Lustkonzerte, Lustopern, Lustballette, Lustmasken, Lustmaskeraden, Lustfeste, Lustgelübde, Lustopfer, Lustgebete, Lustandachten, Lustgottesdienste, Lustpredigten, Lustlehren, Lustbücher, Lustschriften, Lustgedichte, Lustlieder, Lustgesänge, Lustmelodien, Lustharmonien, Lustakkorde, Lustnoten, Lustinstrumente, Lustsaiten, Lustbögen, Lustwirbel, Luststeg, Lustdecke, Lustboden, Lustwand, Lustfenster, Lustrahmen, Lustglas, Lustscheiben, Lustvorhänge, Lustgardinen, Lustbetten, Lustdecken, Lustkissen, Lustmatratzen, Lustbettstellen, Lustbettvorhänge, Lustbettdecken, Lustbettkissen, Lustbett

ſuo placitis Curia, quæ Rainaldus ſua fecit, non adhærebat, Doctrinæ antiquitatem anteponens novitati.

Bellarminus *ibid.*

AMplius poteſtatem Pontificis Romani ſupraconciliarem confirmaturus adducit octo Pontificum Romanorum teſtimonia.

Launojus *T.* II. *Epiſt.* 2.

HÆc teſtimonia examinat prolixiſſime, cuivis peculiarem ſubjungens Cenſuram. Primum eſt Leonis M. ex Epiſtola poſt octogeſimam quartam, ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem ita ſcribentis: *Magna DEI diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi vendicarent omnia, ſed eſſent in ſingulis Provinciis ſinguli, quorum inter fratres prima haberetur Sententia, & rurſus quidam in Urbibus majoribus conſtituti ampliorem ſuſciperent Sollicitudinem, per quos ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura confluëret, ut nihil unquam à ſuo capite diſſideret. Jam ſi cura univerſalis Eccleſiæ pertinet ad Petrum, certe etiam cura Concilii, quod univerſalis Eccleſiæ gerit vicem.* At hæc Bellarmini Sententiæ non favent, neque Bellarminus hanc adlegaſſet Epiſtolam, ſi eam perlegiſſet, utpote in qua Leo Pontifex diligenter Sacros Canones exequitur, tantum abeſt, ut ad mentem Bellarmini ſe ſupra Canones & Concilia cogitet erigere. Id poſtquam pluribus Epiſtolæ verbis demonſtravit Launojus, hoc porro obſervavit, Leonem in citatis à Bellarmino verbis de univerſali quidem Eccleſia loqui, ſed quæ per orbem Chriſtianum ſit diſperſa, non quæ in Concilium advocata. Nimirum, uti ad Succeſſorem Petri univerſalis Eccleſiæ cura confluit, ſic etiam ad Metropolitanum univerſæ Provinciæ cura confluit juxta Canonem Nicenum quartum & Antiochenum ordine & numero nonum. Hæc autem, quæ dicuntur de Metropolitano, cum impediunt minime, quo minus à Concilio Provinciali Metropolitanus judicetur, cur illa, quæ à Leone de Petro vel ejus Succeſſore dicuntur, impedirent, quo minus is etiam à Concilio univerſali judicetur? Par eſt utrobique ratio, eaque remanebit ſemper, niſi per fraudem petatur principium. Sed petitio principii non alios, quam inertes & Traditionis Eccleſiaſticæ rudes exercet atque fatigat. Profecto, ſi Bellarminus fallaciam, quæ in varicatione adpellationis terminorum conſiſtit, voluiſſet evitare, integras argumento vacuus præteriiſſet paginas. Cæterum, quin cura Conciliorum pertineat ad Petri Succeſſorem nemo ambigit. Imo, ad ipſum præ cæteris pertinet, ut editos à Conciliis Canones obſervet diligenter, & ſuo ab aliis ſimiliter præcipat Exemplo. Id relata alibi Leonis teſtimonia confirmant, è quorum numero hic duo adduxit Launojus, unum ex Epiſtolâ poſt quinquageſimam quinta ad Auguſtam Pulcheriam; alterum ex Epiſtolâ poſt triceſimam quinta ad eandem, ex hac tria obſervans notanda. Primum eſt, quod Leo edictam ſecundum authoritates Patrum formam Fidei dirigit quæ omnes in una Fidei confeſſione poſſit continere Sacerdotes. Secundum, quod ſi diſſentiant nonnulli; celebrandum eſſe Concilium univerſale. Tertium, quod in ejuſmodi pateat Concilio, quid altiore tractatu vel coerceri debeat vel ſanari. Ex his autem tribus inter ſe comparatis adparet manifeſte, Leonem in ea fuiſſe Sententia, ut crederet, majorem & ab erroris formidine remotiorem in Concilio univerſali, quam in ſeipſo & in Sede Romanâ authoritatem reſidere, quod comparate venit intelligendum. Nam ſe ſimpliciter res ſpectetur, univerſale Concilium non errandi Privilegium habet, (NB. Launojum & hic loqui ex hypotheſi) quo caret Pontifex Romanus, ut ex verbis Papæ Leonis facile colligitur. *Secundum* eſt Gelaſii itidem Primi, ex Epiſtola poſt decimam tertia ad Epiſcopos Dardaniæ ſcripta,

quod

quod ſic habet : *Cuncta per Mundum novit Eccleſia, quod Sanctoſancta Sedes Romana ſas de omnibus habeat judicandi; nec cuiquam liceat de ejus judicio judicare.* At non agitur hic de Concilio ſeu Provinciali ſeu generali; quod Sedis Apoſtolicæ judicium retractet, ſed de Sede unaquaque ſingillatim accepta nominatim Alexandrina, Antiochena, Conſtantinopolitana, quarum nulla ſpeciatim de primæ Sedis judicio poteſt judicare; neque agitur de Provocatione à Sede Romana ad Concilium univerſale, ſed de Provocatione à Sede Romana ad aliam, quæ nunquam fuit permiſſa. Res ſic ſe habet. Gelaſius hanc ſcripſit Epiſtolam ad Epiſcopos Dardaniæ contra Euphemium Conſtantinopolitanum, qui volebat in Diptychis retinere nomen Acacii Deceſſoris ſui, quem ut Eutychis ſectatorem Felix tertius in Synodo Romana, atque ex forma Concilii Calchedonenſis damnaverat, ut in illius ad Vetranionem Epiſtola numero ſeptima traditur. Hinc cum Bellarminus proſpiceret, neque Epiſtolam, nec ejus argumentum ſibi prodeſſe, ut tamen aliquatenus prodeſſet, illis verba cenſuit eſſe truncanda atque corrumpenda, ne ſcilicet animadvertatur, quo jure ad Sedem Apoſtolicam de qualibet Mundi parte adpelletur, nimirum, quia univerſalis ſic ſanxit Eccleſia, quæ quovis Epiſcopo, & ſic quoque Romano ſuperior eſt. Id ipſam agnoverunt Felix & Gelaſius Pontifices, cum ſeſe Canonum à Conciliis decretorum venditant executores, atque ex forma Synodi Calchedonenſis Acacium deponunt. Præterea, ſi quivis Epiſcopus Concilio univerſali ſubjectus eſt, ac ejuſdem Canones tenetur exequi Epiſcopus Romanus authore Gelaſio tenetur adhuc magis, Concilioque magis ſubiicitur, cum adſererere non dubitet, uniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſenſas non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam. Cur vero magis teneatur exequi, Hilarius Papa docet in Concilio Romano. Porro autem perquam ridiculum & abſurdum eſt, verba hæc *Nec cuiquam liceat de Sedis Romanæ judicio judicare*, uſque ad Concilium producere. Vox certe, *cuiquam*, non ſolum apud Grammaticos, ſed etiam apud Dialecticos diſtributionem importat, non collectionem. Quis enim quæſo per nomen *quiſquam* intelligeret populum? At ſi nemo ſic intelligit, nemo etiam per idem nomen intelliget Concilium univerſale, ni velit ab omnibus rideri. *Tertium* eſt Gregorii M. è libri noni Epiſtola poſt triceſimam nona ad Theotiſtam. Illud ſic habet : *Si Petrus, cum à Fidelibus culparetur, authoritatem, quam in Sanctam acceperat Eccleſiam, adtendiſſet, poterat reſpondere, ut Paſtorem ſuum oves reprehendere non auderent*; ſed *ſi in querela Fidelium aliquid diceret de ſua poteſtate, Doctor manſuetudinis non fuiſſet. Humilis ergo eos pl cavit ratione.* Sed Bellarminum ad magnas redactum oportet anguſtias fuiſſe, cum eo ſit uſus teſtimonio, quo neque ex verbis ipſis, neque ex argumento Epiſtola confici quidquam poſſit. Certe non legit Epiſtolam Gregorii, Bellarminus; nam ſi legiſſet, non corrupiſſet ejus verba. Ubi enim ſcribit Gregorius, Petrum accepiſſe authoritatem in Sancta Eccleſia, Bellarminus ponit, *Sanctam Eccleſiam*; quæ corruptio ejus conſilio non eſt inutilis. Nam, in Sanctam Eccleſiam idem eſt ac ſupra Sanctam Eccleſiam, ac proinde etiam ſupra Concilium. Ad hæc Bellarminus nullum ex inde poteſt quærere præſidium, quod oves Paſtorem ſuum reprehendere non audeant; id enim non pertinet ad rem, niſi unicum velit eſſe in Eccleſia univerſa Paſtorem, quem oves reprehendere non debeant, vel etiam non audeant. Hoc eſſet eum, quem Chriſtus inſtituit, Epiſcopatum, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, & qui multorum Epiſcoporum communi numeroſitate diffunditur, uti loquitur Cyprianus, omnino labefactare. Nempe congregatum ex Eccleſiæ Romanæ ovibus Concilium exigente etiam cauſa Paſtorem illis quidem non reprehenderet, (NB. Launojum & hoc ſcribere ex ſua hypotheſi) ſed tamen id faceret Concilium, quod ex aliis Eccleſiæ univerſæ Paſtoribus colligeretur. Quod autem Gregorius reprehendi non gravaretur, ipſe docet in libri ſecundi Epiſtola poſt triceſimam ſeptima ad Natalem Epiſcopum Salonitanum ſcripta. Deinde etiam ſupra Eccleſiam univerſam & Concilium generale non adtollit ſe Gregorius, quod conſtat ex libri Primi Epiſtolam poſt viceſimam

peratorem, Damaſus in Epiſtola ad Acholium, Eurydicum, Severum, Uranium, Philippum & Johannem, in Lucæ Holſtenii collectione bipartita, Siricius in epiſtola ad Anyſium, ibidem iterum, in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, Innocentius etiam primus in epiſtola ad Victritium Rothomagenſem Epiſcopum, & in epiſtola ad Alexandrum, uti & alia ad Clericos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Bonifacius quoque primus in epiſtola ad Epiſcopos per Theſſaliam conſtitutos, in eadem collectione Holſtenii, atque in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum ſecunda, Cœleſtinus porro primus in epiſtola ad Epiſcopos per Provincias Viennenſem & Narbonenſem, & in alia ad Epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos, quas eadem exhibet collectio, Sixtus præterea tertius in epiſtola ad Procium, & in alia ad Epiſcopos per Illyricum conſtitutos, ibidem, Leo iterum primus in epiſtola poſt quinquageſimam quarta ad Imperatorem Marcianum, & in alia poſt ſexageſimam prima ad Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, Hilarius inſuper in epiſtola ordine octava, Gelaſius in epiſtola ſecunda Martinus primus in epiſtola nona ad Pantaleonem, Nicolaus primus in epiſtola poſt quinquageſimam quarta ad Carolum Calvum. His ita conſtitutis, qui dixerunt Paſchali, omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ authoritatem robur accepiſſe, verum dixerunt, ſi id non aliter intellexerunt, quam dicti Pontifices Romani. Si vero id aliter intellexerunt, eos Pontificum antiquorum teſtimoniis deſtitui certum eſt, atque hanc ob cauſam dixiſſe falſum. Poſtremo autem, qui eidem Paſchali inſuſurrarunt, *in Conciliorum Statutis authoritatem Pontificis Romani patenter excipi*, oppido falſi ſunt & fefellerunt. Nullus ſiquidem eſt Concilii vel Niceni, vel Conſtantinopolitani, vel Epheſini, vel Calchedonenſis canon, in quo patenter authoritas Pontificis Romani excipiatur. Plus ultra, in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ, Romanæ, Africanæ nullus eſt Synodi vel generalis vel particularis canon, in quo id factum legatur. Hic error eſt ex omni parte patens & apertus, qui ſolis deprehenditur oculis. Cæterum, quæ alibi diſſeruit hac de re Launojus, facile ſibi perſuadere dicit, epiſtolam, ex qua depromtum eſt hoc Caput, Paſchali fuiſſe ſubjectam, vel certe illi ſubreptum incredibiliter. Interim tria demonſtrant Paſchalem credidiſſe, ſacris Canonibus ſe obnoxium eſſe. Primum eſt epiſtola illius ſecunda ad Dacinbertum Senonenſem Archiepiſcopum, in tertio Lucæ Dacherii Tomo; ſecundum epiſtola illius octava ad Clerum & populum Bambergenſem, tertium epiſtola illius poſt quadrageſimam nona ad Balduinum Regem Hieroſolymitanum. His adjungendum eſt Concilium Lateranenſe Epiſcoporum plus minus centum, in quo Paſchalis demiſſe ac valde ſuppliciter locutus legitur, non ita locuturus, ſi credidiſſet, ſimpliciter & abſolute ſe eſſe ſupra Eccleſiam & Concilium, ita ut nullum in terris ſupra ſe Judicem agnoſcat. Atque ſic excuſandus eſt Bellarminus, qui ad ſuperiores tres Paſchalis epiſtolas & Concilium hoc Lateranenſe non adjecit oculos, non tentaturus id probare ex Paſchali, quod ſuſceperat probandum. *Sextum* eſt Alexandri hoc nomine tertii, quod Bellarminus proponit non quidem inter teſtimonia Pontificum, ſed tamen inter teſtimonia Conciliorum, hoc verborum tenore: Concilium Lateranenſe ſub Alexandro tertio, *In Romana*, inquit, *Eccleſia aliquid ſpecialiter conſtituitur, quia non poterit ad ſuperiorem haberi recurſus.* Ubi ita ſubjungit Bellarminus, Concilium docet, majori cautela eligi debere Pontificem Romanum; ſi autem malus eligatur Pontifex, nullum eſt remedium. Non enim habet ſuperiorem, à quo poſſet deponi. At, ſic cenſet Launojus, non videtur integrum legiſſe Alexandri ſeu Concilii Lateranenſis Decretum Bellarminus, magnum aliquod quærens myſterium, ubi nihil eſt myſterii. Ex hoc enim quod Alexander & Concilium dicit, in eligendis Pontificibus aliam Eccleſiæ Romanæ, aliam cæterarum eſſe rationem, non ſequitur Pontificem Romanum eſſe ſupra Concilia, vel ſacris canonibus & Conciliis non eſſe ſubditum, niſi Bellarminus illud more ſuo per fallaciam accidentis concludat. Quando etiam Pontifex atque Concilium dicit, *In Eccleſia Romana recurſum haberi non poſſe ad ſuperiorem*, intelligit, haberi

beri non posse tam facile, quam in Ecclesiis cæteris. Huc & non alio tendit ea comparatio, quæ inter Ecclesiam Romanam & alias instituitur. Quis enim adfirmaret, Alexandrum & Concilium in ea fuisse sententia, ut existimarent, nullum in Ecclesia tota superesse remedium, quo vitiosa Antistitis Romani electio rescinderetur, ac nullum rite fieri posse seu provinciale, seu generale Concilium, quod eam abrogaret, atque legitimum crearet Pontificem? Quis crederet, Alexandrum & Concilium ignorasse, quomodo extinctum fuerit schisma, quod inter Damasum & Ursicinum, Bonifacium & Eulalium, Symmachum & Laurentium discordantes Ecclesiæ Romanæ Diaconi conflaverant? Nimirum, ut removeretur Ursicinus, celebratum est Romæ Concilium, quod ea de re literas ad Gratianum & Valentinianum scripsit potentissimas & Imperatores dicti ad Aquilium Urbis Vicarium rescripserunt, ut is, quæ fuerant in Concilio gesta, confirmaret. Sic Honorius Imperator Bonifacium & Eulalium accersit Ravennam, & plures illic convenire jussit Episcopos, qui partibus auditis causam dirimerent. His autem interse diffidentibus, negotium remansit infectum. Quod cum videret Imperator, statuit, ut propter dies Paschæ, qui tunc imminebant, Bonifacius & Eulalius abstinerent ab Urbe. Deinde Spoleti majorem indixit Synodum, quæ ex Italiæ, Galliæ & Africæ Episcopis colligeretur. Interim Eulalius Decreto Imperatoris non paret, in Urbem se immittit, ac publicæ seditionis præbet occasionem. Tunc intermittitur Synodus & Imperator Eulalio Urbe expulso & relegato præcipit, ut Bonifacius adcedat ad Ecclesiam. Tandem Honorius rogante Bonifacio constituit, ut, si denuo Romæ duo fuerint Antistites ordinati, ambo de civitate pellerentur. Ita Symmachus & Laurentius convenerunt inter se, ut controversiæ totius disputatio ad Theodoricum Italiæ Regem transferretur. Et quidem Theodoricus secundum Symmachum dixit sententiam, atque sic compressum est ad tempus incendium, quod paulo post exarsit vehementius. Sed annis sequentibus nonnullæ Regis illius authoritate super ea re Synodi Romæ sunt habitæ, ac damnatus est tandem Laurentius. At, si *Bellarminus* non dignatur temporum vetustiorum memoriam repetere, conjiciat oculos in Julium hoc nomine secundum, qui Ecclesiam Romanam cœpit administrare sub initium sæculi post decimum sexti, ac edidit Decretum de simoniaca Pontificis Romani electione, in quo eandem exhibet sententiam, recurrens videlicet ad Concilium generale, si Romanus Antistes per simoniam electus, quem nominat hæresiarcham, aliter non possit rejici. Et vehementer dolendum, quod Bellarminus non legerit Diploma, quo Alexander hic tertius Episcopos per Thusciam constitutos adcersivit ad Concilium, utpote in quo differentiam inter Concilium generale & particulare ponens necessitatem Concilii generalis adstruxit, non scripturus, si se supra Ecclesiam & Concilium generale credidisset esse positum. *Septimum* est Innocentii itidem tertii ex sermone secundo de Consecratione Pontificis, ubi sic loquitur: *In tantum fides mihi est necessaria, ut, cum de peccatis cæteris DEUM habeam judicem, propter peccatum, quod committitur in Fide, possem judicari ab Ecclesia.* At ex hoc Innocentii loco cum probetur, in causa fidei Concilium esse supra Papam, qui tunc judicatur ab Ecclesia, mirari subit, cur Bellarminus adhibeat Innocentium, ut confirmet, Pontificem esse supra Concilium? Hic namque peccatum, quod committitur in fide, non solum veram hæresin complectitur, sed quamcunque etiam pravitatem inemendabilem, quæ toti Ecclesiæ publicam importat offensionem. Hoc facile deducitur ex libri tertii epistola post centesimam quarta, quam Innocentius hic scripsit ad Philippum Regem Francorum, in qua sponte fatetur, admittere se posse in causa, quæ fidei proprie non est, id genus peccati, cujus gratia ordinis & officii periculum immineret. Ubi autem quæso immineret, nisi apud Ecclesiam, quæ Pontificem ordine & officio abdicaret? Deinde in decidenda hac causa Concilii potestatem sua majorem agnoscit, uti semel adhuc iterumque agnovit. Et semel quidem in ejusdem libri epistola post centesimam & octogesimam septima ad Consules & populum Mediolanensem scripta,

qui-

agitata, ibi finem accipere non potuit, communi omnium conſenſu, dirimenda Sedi Apoſtolicæ remittitur, uti tradit Eberhardus in Annalibus. Ad Nicolaum quartum pervenit, qui, etiamſi ex ordine Minorum adſumtus eſſet, controverſiam dirimere non eſt auſus. Cœleſtinus quintus reliquit intactam. Bonifacius octavus ſuſcepit dirimendam, ſed prout fuit propoſita, non diremit. Nam in conſtitutione, *Dudum a'e Scripturis*, non loquitur, uti debebat profecto loqui de controverſia, quæ in Gallia, & maxime Pariſiis Epiſcopos, Theologos & Juriſperitos inter ſe dici & acerrime commiſſos habuerat; & conſtitutionem juris fictione potius edidit, quam ex materia ſubjecta, quam ſine dubio judicabat difficilem, nec talem judicaſſet, ſi ſe ſupra Concilium Lateranenſe ab Innocentio tertio celebratum & confirmatum, atque à Martino quarto adſertum exiſtimaſſet, nempe, ſi penes ſe unum plus eſſe juris & authoritatis, quam penes Concilium univerſale & Deceſſores ſuos Innocentium tertium & Martinum quartum credidiſſet. Atque hæc conſtitutio Bonifacii ſuas poſtea vices habuit, dum à Benedicto undecimo illius ſucceſſore eſt abrogata, & à Clemente quinto Benedicti ſucceſſore reſtituta eſt, comprobante Concilio Viennenſi. Nunc ex his, quæ ad objecta Pontificum Romanorum teſtimonia ſunt obſervata, hæc tria breviter colliguntur. Primum eſt, quod Bellarminus illa ſuis non expenderit momentis; nam ſi expendiſſet, objicere ea auſus non fuiſſet. Secundum, quod Pontifices illi nunquam putaverint, ſe ſimpliciter & abſolute eſſe ſupra Eccleſiam univerſalem & Concilium generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcerent, quod Bellarminus ſibi ſumſit. Tertium, quod Pontifices ipſi contrarium exiſtimarint, neque ſe ab Eccleſiæ Romanæ traditione ſejunxerint, quod planum hactenus eſt factum. Porro Bellarminus Pontifices Romanos Sedis Apoſtolicæ traditioni non objeciſſet, ſi vel legiſſet orationem, quæ Feria ſexta in Paraſceve Domini canitur, vel cum in Natali Pontificum Romanorum, ſeu Confeſſorum, ſeu Martyrum faciebat, ad illud quod faciebat, animum intendiſſet, aliquantulum obſervaturus ſine dubio, de Pontifice Romano perinde, ac de cæterarum Urbium Pontificibus Divinum celebrari officium. Quorſum hoc, niſi ut ipſa Eccleſia Romana ſignificet, Antiſtitem ſuum præ cæteris eam non habere dignitatis prærogativam, qua ſuper Eccleſiam univerſam & Concilium generale evehatur. Et ſane ex officio tali Pontificem Romanum non ſupra, ſed infra Eccleſiam & Concilium eſſe poterit confirmari, quo pacto uſque ad Aras deducitur, & in iis ipſo præſente Chriſto conſecratur Sedis Apoſtolicæ traditio, qua Pontificem Romanum Eccleſiæ, Conciliis & canonibus ſacris ſubjici, exceptis Curiæ adſentatoribus & Inquiſitoribus, nemo non cognoſcit.

Bellarminus *ibid.*

Eadem Pontificis authoritatem confirmare nititur ex Adpellationibus ad Papam.

Launojus *ibid. Epiſt.* 3.

Hoc argumentum contra Bellarminum prolixe tractans hoc uſus eſt exordio: Qui olim ad Pontificem Romanum adpellarunt, oſtendunt quidem, hunc eſſe ſupra eos, à quibus adpellabant, ſed non oſtendunt, ſupra Concilium eſſe, quod ex totius Orbis chriſtiani Sacerdotibus colligitur; ſiquidem non potuerunt fingere, Pontificem eſſe ſupra Concilium generale, cui vel per ſe, vel per ſuos præſideret Legatos, ſic enim eodem tempore ac ſimul & ſemel infra & ſupra ſeipſum eſſet, niſi forſitan Concilio junctus Authoritatis ſit minoris, majoris vero, eam à Concilio ſeparatim adtenditur. Quis autem hoc tam abſurde vel cogitatum vel dictum æquo ſuſtineret animo? Bellarminus itaque minus prudenter fecit, cum jure adpellationis eſt uſus, ut Pontificem ſupra

Concilium generale esse comprobaret. Verum quia hunc errorem non omnes percipiunt, pateſaciendus est, & Veritas amplius illustranda. Bellarminus disputans de hoc jure sic infert: Sine controversia semper à minore adpellatur ad majorem; adpellari autem à Concilio ad Papam, non contra, perspicuum est ex Gelasii epistola ad Episcopos Dardaniæ. *Ad Sedem*, inquit, *Apostolicam de qualibet mundi parte adpellandum est, ab illa autem nemo est permissus adpellare.* Et primo quidem, respondet Launojus, probationem orditur Bellarminus à corrupto Gelasii testimonio, quod sic habet: *Ad Petri sedem de qualibet mundi parte* canones adpellari voluerunt, *ab illa autem nemo permissus est adpellare.* Bellarminus insigni fallacia hæc verba, *Canones adpellari voluerunt*, supprimit, ne possit observari, quo jure adpelletur. Nam si semel observetur, Jure canonico, id est, Ecclesiastico adpellari, argumentum totum, quantum est, concidit; ab Ecclesiæ Conciliis, quæ pro publica omnium utilitate decreverint ita faciendum esse, atque hoc pacto Concilia, quæ jus adpellationum instituerunt, non possunt non esse majoris, quam Pontifex, authoritatis. Deinde, minus sincere agit Bellarminus, scribens, *à Concilio adpellari ad Papam*, cum Gelasius, quem in testem vocat, non simpliciter de Concilio loquatur, uti eum loqui significat; non enim de quocunque Concilio loqui deberet Gelasius, sed de universali tantum, supra quod Bellarminus adtollit Pontificem. Quibus vero de Conciliis loquatur Gelasius, laudati ab illo canones declarant. Tres sunt omnino, quos Synodus constituit Sardicensis, videlicet tertius ordine, quartus & septimus, quos Gelasius ad sanciendam Sedis Apostolicæ dignitatem Constantinopolitanis opponit, sed rem hanc acrius persequitur in Commonitorio ad Faustum. Quam ergo dignitatis prærogativam Bellarminus tribuit Pontifici Romano, idque suppresso dignitatis illius authore, illam à solis canonibus derivatam esse Gelasius ipse semel, iterum, tertio & quarto profitetur. Non est proinde supra canones & Concilia, quæ canones condiderunt, Gelasius, sed supra Gelasium sunt canones & Concilia, quibus ille solis, quidquid in adpellationum negotio juris sibi vindicat, acceptum refert, & referre quodammodo gloriatur. *Ipsi sunt canones*, inquit, *qui adpellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri* Nondicit, ipse Dominus est, vel, ipsæ sunt Scripturæ, sed, *Ipsi sunt Canones.* Et sic quemadmodum decreverunt canones, ut de qualibet mundi parte ad sedem primam provocaretur, atque ab ea ad Sedem aliam nemini liceret provocare, ita vel iidem canones, vel alii authoritate pari potuerunt decernere, ut nisi à prima Sede ad aliam, certe ad Synodum universalem provocaretur, si sana rectaque, uti indicat Gelasius, non suaderet. Par est utrobique ratio, par disputandi modus. Quo dato sequitur; Papam canonibus & eorum authoribus, id est, Conciliis subesse. Cæterum in causa Acacii, quæ argumentum præbuit epistolæ Gelasii, non dubitabatur, an Pontifex Romanus Conciliis vel canonibus sacris subjiceretur; id enim apud omnes & Romæ potissimum constabat. Sed qui favebant Acacio, ejus causam ab uno Pontifice Romano negabant posse judicari. Hi quidem canones opponebant, quibus statuitur, ut Episcoporum causæ judicentur à Conciliis, atque ab iisdem terminentur. Sed Felix tertius & Gelasius primus id tunc temporis necessum non esse recipiunt, cum hæreticorum à Conciliis jam damnatorum sectatores damnantur, quia ex forma Conciliorum, quæ authores hæresium damnarunt, continuo damnantur. Hoc Felix in epistola numero quarta ad Zenonem Imperatorem, item in quinta ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, ut & in septima ad Vetranionem inculcat. Gelasius, quem adlegat Bellarminus, iisdem insistit vestigiis, & non plane nihil dicit amplius, uti ex verbis ejus potest observari. Nam adseverat, id quod à se factum est in Acacii depositione, ab unoquoque Episcopo fieri potuisse; quod Bellarminus vel dissimulat, vel ignorat, quippe qui sæpius per Judices male comparatos, vel per inertes administros sapit. Pergit vero Bellarminus, scribens: *Ne putemus Gelasium loqui de adpellatione ab aliquo Episcoporum, non à Conciliis*, subdit, *sæpe Pontifices Romanos solvisse eos,*

quos

quos iniquè Concilia ligaverant At, ita respondet porro Launojus, Concilium nomine Bellarminus abutitur, vel nihil probat. Abutitur quidem cum intendit significare, Concilia, de quibus instituit sermonem, fuisse universalia, cujusmodi fuere Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calchedonense, quæ præcesserunt Gelasium. Si autem Conciliorum nomine non abutitur, nec universalia intendit significare, nihil probat, quia non probat, quod adsumsit probandum, scilicet, à Concilio universali ad Pontificem Romanum esse adpellatum, atque tunc illum solvisse, quos illa ligaverant inique. Sed, tantum abest, ut patet Gelasius, se supra universale Concilium esse, ut potius adseveret, Pontificem Romanum præ cæteris debere universalis Concilii Decreta exequi. Verba in laudata ad Episcopos Dardaniæ Epistola sunt hæc: Considimus, quod nullus veraciter christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum quod universalis Ecclesiæ probavit adsensus, non aliam magis Sedem exequi præ cæteris oportere, quam primam. Gelasium sequitur Gregorius cognomento Magnus in libri primi Epistola post vicesimam quarta ad Johannem Episcopum Constantinopolitanum scripta. Verum adhuc ulterius pergit Bellarminus, scribens: *Hujus rei lariſſima extant Exempla. Nam Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus & Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus à Concilio depoſiti adpellaverunt ad Julium Pontificem, & ab eo in Sedes ſuas ſunt reſtituti, uti auctor eſt Sozomenus libri tertii capite ſeptimo.* Athanasii causa sic se habet, Launojus respondens inquit: Is variis & fictis modis adcusatus, causa indicta & contra leges atque Canones à Synodo Tyria damnatur, à Sede sua depellitur, & Alexandria scindere jubetur. Qui confugit Constantinopolim ad Imperatorem, & apud eum agit, ut, quæ adversarii falsa objecerant crimina, ulciscereturHinc nova struitur in Athanasium calumnia, atque insimulatatur, quod voluerit impedire, quo minus frumentum Alexandria Constantinopolim ex more adveheretur. His artibus & dolis circumventus Imperator Constantinus Athanasium Treviros relegat in Gallias, qui biennio post à Constantino juniore restituitur. Eusebiani, hoc est, adversarii intercedunt, contenduntque, Verum à Synodo abdicatum non posse restitui, quin Synodo fieret injuria; aut certè, si restituendus sit, non posse nisi à majori Synodo id fieri. Ea cum videret Athanasius, in occidentem cogitat discedere, seu portum quietis, seu presidium adversus inimicos si res ita ferret, quæsiturus. Eusebiani Prosequuntur Athanasium, literas ad Julium Pontificem Romanum scribunt, & veluti totius negotii judicium deferant ei, rati, hoc genere simulationis se sibi rebusque suis optime consulturos esse. Athanasius, ipse tradit hæc in Apologia, uti & Julius Pontifex in literis ad Occidentales, unde constat, Athanasium Romæ in Synodo habitum esse innocentem. Post hanc facta est Synodus Sardicensis, quæ confirmavit, quod Romana in Gratiam Athanasii decreverat, uti docet Epistola Synodi ad Presbyteros & Diaconos Alexandriæ, uti & ad Ægyptios & Africanos. Atque hæc est vexationis Athanasii historia, in qua spectari debent maxime tria. Primum est, quod Athanasius, cum se contra leges ac indigne à Synodo Tyria tractatum perspexit, confugit in occidentem, tanquam in portum communionis suæ nec ad Julium adcessit ante, quam ad eum Eusebiani arbitrium causæ detulissent, quod Theodoretus quoque observavit libri primi capite tertio. Secundum, quod Synodus Romana cui præfuit Julius perspecta Athanasii innocentia eum admisit in communionem suam, & dignum censuit, qui Ecclesiæ restitueretur Alexandrinæ, qui tamen Eusebianorum factione restitutus non est. Tertium denique, quod Synodus Sardicensis Synodo Romana numerosior & longe celebrior, quidquid à Synodo Romana fuerat gestum, confirmavit, Athanasium suæ civitati restituendum esse indicavit, atque apud Imperatorem Constantinum effecit, ut restitueretur Athanasius, quod factum est. Hæc omnia Bellarminus si legisset, (atque adcuratius perpendisset) non ita disputasset. Confugit nimirum Athanasius Romam, non adpellavit, si Adpellationis Ecclesiasticæ conditiones à Concilio Sardicensi desumantur. Verum sit ita, adpellaverit Athanasius, quid inde. Scilicet non à Julio tantum, sed à Romana etiam

Synodo dignus reſtitutione judicatus eſt. Sic nempe dicendum eſt, quod dignus reſtitutione tantum fuerit indicatus, quia reſtitutus reipſa non fuit, & fallitur Bellarminus, dum reipſa reſtitutum fuiſſe ſignificat. Sed concedatur & hoc, fuerit à Julio tantum reſtitutus; ſequiturne exinde, Julium ſimplicitur & abſolute ſupra Eccleſiam & univerſale Concilium eſſe, ita ut nullum in terris ſupra ſe Judicium agnoſcat? Nimirum, ſupra id particulare oncilium fuit, quod Athanaſium depoſuit. (NB. Quia neque ſimpliciter & abſolute ſupra id fuiſſe dici debet, ſed tantum ex eo reſpectu, quia Patres illius Conſilii cauſam in eo agitatam contra Athanaſium ad Julium ultro detulerunt.) Sic ab uno genere Conciliorum tranſit Bellarminus ad aliud, atque ſic exercet Sophiſticam. Dicat aliquis autem, Soſomenum à Bellarmino laudatum eo modo rem hanc narrare, qui Bellarmini favere videatur placitis. Sed notandum eſt, ea quæ Soſomenus refert, tum ex Epiſtola Julii ad orientales, tum ex Epiſtola orientalium ad Julium referre ſe dicere, atque ſic, quæ refert, ad mentem Julii & orientalium eſſe intelligenda. Quare cum Athanaſium & alios Epiſcopos à Julio ſuis Sedibus reſtitutos eſſe dicit, id factum eſſe in Synodo Romana, quam habuit Julius, eſt intelligendum. Hoc autem Bellarmini conſilio quid prodeſt? Soſomenus enim videtur minus animadverſam & perſpectam habuiſſe Athanaſii reſtitutionem, quippe quæ non prius contigit, quam Synodus Sardicenſis confirmaſſet Romanam, uti Athanaſius ipſe commemorat. Nunc pergit Bellarminus: ***Similiter Flavianus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus adpellavit à Concilio Epheſino ſecundo generali ad Papam Leonem***, uti ***Leo ipſe teſtatur Epiſtola poſt viceſimam quintam ad Theodoſium.*** Verum, ſic iterum reſpondet Launojus, ſi Bellarmini argumentum conferatur cum ipſa Leonis Epiſtola, manifeſtum evadit, Bellarminum non legiſſe Leonis Epiſtolam, ſed deceptum fuiſſe ab Amanenſi ſuo, qui forte dixit illi, Flavianum ad Leonem adpellaſſe, nam Pontifex illud hac in Epiſtola non ſcribit. Scribit quidem, Flavianum adpellationis libellum dediſſe, ſed non meminit, ad quem dederit. Credibile eſt autem, Flavianum provocaſſe ad Synodum, quæ foret liberior & numeroſior. Nam Leo & Synodus Romana id unum agunt, ut Imperator Synodum generalem intra Italiam jubeat celebrari, quæ excitatis tumultibus & controverſiis imponeret finem. Sit autem ita, provocaverit Flavianus ad Leonem; non ideo id factum eſt ut cauſam Flaviani ſolus Leo judicet, ſed ut Synodus generalis judicet cum Leone. Quod igitur Leo conciſa brevitate, id Galla Placidia, Mater Theodoſii pluribus expoſuit in Literis ad Filium Imperatorem, ex quibus conſtat, quod Flavianus libellos adpellationis non ſolum ad Leonem, ſed etiam ad omnes Epiſcopos occidentales miſerit, judicium eorundem requirens. Huc quoque ſpectat Filius ejuſdem Valentinianus in Literis ad eundem Theodoſium, quæ docent, Flavianum provocaſſe ad Leonem, ut, quæ de Fide & Sacerdotibus erat exorta apud Epheſum controverſia, in Synodo generali terminaretur. Hæc autem omnia quid, quæſo, cauſam adjuvant Bellarmini quid ad propoſitum ab eo lemma conducunt, ut Papam abſolute ſupra Concilium eſſe probet? Sed adhuc amplius pergit Bellarminus, ſcribens: ***Theodoretus Cyri Epiſcopus adpellavit ab eodem Concilio Epheſino ſecundo ad eundem Leonem***, uti *patet ex Liberati Breviario, ac ejuſdem capite duodecimo*, atque *ex ipſa* ***Theodoreti Epiſtola***, quæ *ad finem operum Leonis extat.* At uti reſpondet Launojus, cum ſignificat liberatus ad orthodoxorum reſtitutionem ex ipſius Romani Pontificis mente neceſſariam fuiſſe Concilium, Bellarmini placitis nocet magis, quam prodeſt. Bellarminus tamen de liberato fucum iis voluit facere, qui liberatum vel non legerunt, vel non habent, rati, Bellarminum ſincere hanc tractaſſe Quæſtionem. Circa Epiſtolam Theodoreti autem, quæ inter Epiſtolas ſub ejus nomine exſtantes eſt ordine & numero poſt centeſimam & decimam tertia, obſervat Launojus primo, In oratione vel Epiſtola Theodoreti refugium potius deſcribi, quam Adpellationem, ſi qui ſint termini Adpellationis Eccleſiaſticæ, à Concilio Sardicenſi cognoſcatur. Secundo, Theodoretum in eadem dicere, ſi expectare Sedis Apoſtolicæ Sententiam, ſed eo dandam modo, quem ipſemet Leo

præ-

Digitized by Google

præscripsit in Epistola post vicesimam quinta ad Imperatorem Theodosium scripta, quemque Julius in Epistola ad orientales in Athanasii causa servatum fuisse scripsit. Tertio, si Epistola Theodoreti exordium diligenter, uti par est, consideretur, vix aliud in & ex eo posse colligi desideratse Theodoretum, quam Concilium, cui Leo præsidebat, etiamsi nihil omisisse videatur Theodoretus, quod ad commendandam sedis Apostolicæ authoritatem tunc quidem temporis requireretur. Quarto Theodoretum in Epistola post centesimam & decimam sexta ad Renatum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum scripta clarius adhuc esse locutum, & nominatim expectasse Concilium. Quinto, ex quibus vero congregetur illud, indicasse eum in Epistola post centesimam & decimanona ad Anatolium Patricium scripta. Sexto, Theodoretum à Leone restitutum dici in Actione prima Concilii Chalcedonensis, & tunc inter Episcopos maximam concertationem esse exortam, & Judicibus interloquentibus jussum sedere Theodoretum, & ejus causam ad octavam usque Actionem fuisse dilatam. Atque ex hisce adparet, scribit Launojus porro, Theodoretum à Synodo integram accepisse restitutionem, quam à Leone non acceperat, quamvis ut acciperet, ab eodem judicatus fuerit dignissimus, utpote qui causa indicta & Canonibus violatis à Sede sua fuerit pulsus, Exinde factum est, ut Judices dixerint, Leonem Theodoreto Episcopatum restituisse, quem Patres Concilii & inprimis Legati restituerunt. Quia etiam Leo in hac Theodoreti causa judicium Concilii Calchedonensis supra se agnovit esse, nec ægre tulit; & post intercessionem Ægyptiorum Concilium de Sententia Leonis, quam secundum Theodoretum pronuntiaverat, judicavit & adseruit. Præterea, Leo in Epistolæ, quam post Concilium Calchedonense scripsit ad Theodoretum capite primo potiorem in Concilio, quam in seipso & sede prima agnovit Authoritatem. Nam adsensum, quem Concilium Epistolæ Leonis tribuit, adpellat irretractabilem, nec talem adpellaret, nisi privilegium non errandi Concilii inesse credidisset. Insuper Spiritus Sanctus Divinitatem in hocce Concilio Calchedonensi regulas Fidei protulisse dicit, nec vere sic posset dicere, nisi privilegium hoc non errandi datum esse censuisset soli Concilio. Imo, Sedis Apostolico Epistolam Ecclesiæ universalis adsensu firmatum gratulatur sibi Leo, neque gratularetur, nisi Ecclesiæ universalis adsensus Sedis Apostolicæ authoritati Præponderaret. Addit denique Bellarminus: *Chrysostomus à Concilio depositus adpellavit ad Papam Innocentium*, uti *testatur Gelasius*, & *colligitur ex Epistola Chrysostomi ad Innocentium*. At ex ipsa hac Chrysostomi Epistola ad Innocentium ostendit Launojus, Chrysostomum ad Synodum, non vero Innocentium provocasse, quem de sua provocatione tantum admonuerit, ad auxilium cohortatus, citatis in testimonium Sosomeno, Socrates & Nicephoro; Sosomenum quoque testari de Innocentio, quod in causa Chrysostomi Concilium œcumenicum convocare studuerit in Epistola etiam ad Chrysostomum ei suadens, ut Patientiæ clypeo se muniat. Quoad testimonium Gelasii autem ex Epistola post decimam tertia ad Episcopos Dardaniæ scripta, qui Chrysostomum à Synodo damnatum, à Sede Apostolica vero absolutum testatur observat, Synodum illam, quæ Chrysostomum damnavit, non fuisse œcumenicam, qualis esse debuerit, ut Bellarmini consilio inserviret. Nam & si detur, inquit, Papam esse supra Synodum, quæ non est universalis, haud tamen sequitur, illum esse supra Synodum, quæ est universalis. Deinde Innocentius Chrysostomum absolvit quidem, sed Episcopatum non restituit, uti testatur Palladius in Dialogi de vita Chrysostomi capite tertio. Porro, ex hac Historia deduci possunt multa quibus mala Bellarmini fides & opinio configatur. Primum est, quod Synodum, quæ damnavit Chrysostomam, objicit ut œcumenicam, a qua Chrysostomus provocaverit ad Innocentium. Et quidem convenienter Instituto suo ut œcumenicam debuit obicere, ut Pontificem Romanum absolute & simpliciter supra Ecclesiam universalem & generale Concilium esse probaret. Quia autem œcumenica non fuit, Bellarminus fide non bona egit. Secundum, quod contendit, Chrysostomum adpellasse ad Innocentium, quod à Veritate prorsus abhorret, eum ipsemet te-

ſtetur in prima ad Innocentium epiſtola, ſe ad Synodum provocaſſe œcumenicam, conteſtantibus Sozomeno, Socrate, Nicephoro. Hac in re quis liberet fidem Bellarmini? Tertium, dicere, uti nonnulli Curiæ Romanæ adſentatores dicunt, Chryſoſtomum provocaſſe ad Innocentium, tolerandus utrunque error eſſet; ſed dicere, uti dicit Bellarminus, hanc provocationem colligi ex epiſtolis Chryſoſtomi ad Innocentium, error eſt intolerandus, qui perſpicuæ fraudi & impoſturæ ſuperſtruitur. Quartum, quibus ex verbis Bellarminus colligit, Chryſoſtomum provocaſſe ad Innocentium, ex iiſdem colligitur, eum quoque ad Venerium Epiſcopum Mediolanenſem & Chromatium Epiſcopum Aquileienſem provocaſſe; quo fit, ut, quæ dignitatis prærogativa ex Chryſoſtomi ad Innocentium provocatione colligitur, eadem ex ejuſdem ad Venerium & Chromatium provocatione colligatur, ſcilicet, Innocentium, Venerium & Chromatium ſimul abſolute & ſimpliciter eſſe ſupra Eccleſiam univerſalem & Concilium generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe Judicem agnoſcant, quod abſurdum. Quintum, Chryſoſtomus & Innocentius conjunctis operis firmum ſuppeditant argumentum, quo probatur, authoritatem in Concilio univerſali, quam in Sede Apoſtolica majorem reſidere, & Pontificem Romanum ſimpliciter & abſolute non ſupra, ſed infra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium eſſe, ita ut ſummum ſupra ſe in terris agnoſcat judicium. Id etiam validiſſime confirmat Siricius, in cujus ſchola educatus fuit Innocentius, qui etiam illi poſt Anaſtaſium annis tantum quatuor ſedentem ſucceſſit, teſte ejus ad Anyſium Theſſalonicenſem & cæteros Illyrici Epiſcopos apud Lucam Holſtenium epiſtola, quam in collectione Romana exhibuit, utpote in qua Siricius non ſolum Synodo Capuenſi (non certe univerſali, ſed particulari) inferiorem ſe ſignificat, ſed etiam Epiſcopis Judicibus, quos illa Synodus delegaverat, quippe qui vice Synodi deberent judicare. Sextum, Gelaſius humani quid paſſus eſt, cum, ut Sedem Apoſtolicam ſine Synodo damnatos abſolviſſe Epiſcopos confirmaret, Athanaſium adduxit in exemplum, Julio Pontifice in epiſtola ad Orientales contrarium teſtante, prout eam Athanaſius poſteriori inſeruit Apologiæ, & ita quidem, ut Julium non ſuo, ſed nomine Synodi Romanæ conſcripſiſſe ſignificet, quæ locutio certe nunquam adhibebitur à Bellarmino, ut Julius ſupra Concilium adferatur. Septimum denique Concilium Italiæ in epiſtola numero quinta, quæ ſub nomine Ambroſii & cæterorum Italiæ Epiſcoporum in adpendice Sirmondi ad codicem Theodoſianum, majorem hac in re morem, aliis plane verbis exponit, quam Gelaſius, qui cum hujus Concilii Patribus plane non concordat, quibus tamen major Fides eſt adhibenda, utpote qui & plures ſunt, atque per ætatem propius Athanaſium adtingunt. Tunc igitur, qui vexabantur apud Orientales, non ſolum ad Romanum, ſed etiam ad Italiæ & alios Occidentis Epiſcopos confugiebant & adpellabant. Ad Romanum vero confugiebant, non ut ipſe ſolus judicaret, ſed ut Italiæ & alios Occidentis Epiſcopos convocaret, aut convocari curaret, qui poſtea cum ipſi judicarent. Hæc eſt temporis, in quo nunc verſamur, diſciplina & præſcriptio, quam Bellarminus vel neſcivit, vel ſine fuco noluit repræſentare. Dubitari tamen merito non poteſt, quin apud pios homines atque eruditos Veritas Sedi Apoſtolicæ venerationem & amorem conciliet, falſitas vero, quia nihil eſt à religione chriſtiana alienius, odium & contemtionem; per Veritatem namque ea ab omnibus diſtinguitur & conſtituitur Sectis, per falſitatem vero cum iis conveniret, atque deſineret eſſe religio chriſtiana. Vetera certa inſtituta recentioribus non ſunt metienda, cum ſua ſit unicuique ætati ratio diſciplinæ. Et Pontifex Romanus, etiamſi ſolus aliquando olim adpellabatur, vel oppreſſus quis ad eum confugiebat ſolum, is tamen ſolus adpellantem vel ad ſe confugientem judicabat minime, verum Synodus habebatur, atque in ea libelli adpellationis aut rationes confugii examinabantur, & tota diſceptabatur cauſa, ac communi Epiſcoporum judicio dirimebatur. Hinc adcidit, ut ex adpellatione hac hujuſmodi argumentum quæri poſſit nullum, ut placita Bellarmini comproben-

bentur; alioqui non unus tantum, ſed & alii in Synodi tali Pontifices ſacris eximerentur canonibus, & ſupra Eccleſiam univerſalem ac Concilium generale eveherentur, quod non dictu ſolum, ſed cogitatu etiam eſt abſurdiſſimum. Bellarminus igitur longius quam par fuit, Curiæ vitio præceſſit, nec illius ſe traditionis Eccleſiæ Romanæ finibus continuit, quibus merito oportebat.

Additio.

EX ultima ejuſdem ſecundæ Partis epiſtola, in qua è Scriptis Pontificum colligit Launojus, ab ipſis Pontificibus ad Concilium provocari nonnunquam poſſe, ac inprimis de quadam Pii hoc nomine ſecundi conſtitutione agitur, utpote qui primus, ne à Pontifice Romano ad futurum adpellaretur Concilium, vetuit, quod novæ adſcribit diſciplinæ Launojus, quia Pius hic demum circa medium ſeculi poſt decimum quinti Sedem occupavit Romanam, hac addita obſervatione notatu digniſſima, quod Pius eo in loco, quo prohibet, ne à Pontifice Romano ad futurum provocetur Concilium, provocari nonnunquam poſſe ſignificet. Verba ejus huc pertinentia in epiſtola ordine quadringenteſima, decima & quinta ad oppidi Norimbergenſis Burgimagiſtros & Senatum hæc ſunt: *Si quæ unius Chriſti Vicarius* ſacris canonibus, Juri etiam ſcriptis inhærens decrevit ſtatuitque, & ſervari ut dignum eſt præcepit, calumniatores malevoli & perverſi ſubterfugere juſtitiam præſumentes, per ludibria frivolarum adpellationum ad Concilium futurum, ſeu ad illud, quod nuſquam eſt, ac ſupra Chriſti Vicarium eſſe aut reperiri nequit, obedientiam, quæ eſt de Eccleſiæ & ſalutis univerſorum neceſſitate, *improbe declinant ac temere.* Ex his autem verbis facile colliguntur duo, ſcribit Launojus. Unum eſt, Gregorium Heimburgenſem, qui à Pio ad Concilium provocaverat, immerito ad mentem Pii provocaſſe, quia quidquid Pius decreverat, ad ſacrorum canonum & Juris ſcripti normam decreviſſe ſe putavit. Alterum vero eundem Heimburgium à Pio ad Concilium merito provocaturum fuiſſe, ſi Pius quidquam contra canones ſacros & Jus ſcriptum decreviſſet. Et ſane duo hæc Pius vel objecit in epiſtola, vel nihil objecit. Quis autem nihil Pium objeciſſe adfirmaret. Intelligebat nimirum Vir eruditus & vetuſtæ traditionis memor, omnem non poſſe provocationem merito prohiberi, non ignorans, majorem Concilio, quam Pontifici Romano poteſtatem ineſſe. Nam etiamſi cauſam Eugenii Pontificis hoc nomine quarti defendendam adverſus Concilium Baſileenſe ſuſceperat, tamen in Diplomate Retractationis diſſimulare non eſt auſus, opinionem, quæ Papam ſubjicit Concilio, verbis ſequentibus: *Antiquam tuebamur ſententiam, ac extollebamus Concilii generalis authoritatem.* Nempe in ſententia hac antiqua, quæ Pontificem Romanum ſubjicit Concilio, tanquam in firmiſſimo libertatis Eccleſiaſticæ fundamento poſitam eſſe hujuſmodi provocationem nemo neſcit. Quamobrem Pius provocationis abuſum tollere voluit tantum, non ipſum vero uſum, quem ab ipſis Deceſſoribus obſervatum eſſe noverat. Ex. gr. Clemens quintus, cum Pontifex eſt factus, Philippo Regi Francorum adfirmate & DEO quaſi teſte promiſit, expuncturum ſe è Pontificum numero Bonifacium Papam hoc nomine octavum, propter crimina & hæreſes, quarum adcuſabatur. Sed cum illud promiſſum ſervare ac exſolvere per ſeipſum vix poſſet, rem ad Concilium Viennenſe remiſit, quod narrat Conradus Vererius in vita Henrici Imperatoris hoc nomine ſeptimi. Innocentius quoque tertius in gravi quodam negotio Concilium adpellat, cui finem ſeipſum imponere non poſſe vidit, ipſomet teſte in epiſtola libri tertii poſt centeſimam quarta ad Philippum Imperatorem ſcripta. Huic præluxit Gregorius cognomento Magnus in epiſtola libri quarti poſt trieceſimam octava ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, provocans in controverſia, qui ei cum hoc Johanne fuit, velut à ſeipſo ad Eccleſiam, quæ Gregorio major

ac

ac potentior Johannem exhibibeat atque caſtiget. Sic Vigilius Papa, qui tria Capitula primum damnare noluit, atque, ne damnarentur, vetuit, poſtea tamen, ſed ſalva Concilii Calchedonenſis reverentia damnavit. Juſtini anus quidem Imperator tali damnatione neutiquam contentus urgebat Vigilium, ut tria hæc Capitula abſolute & ſine ulla Concilii hujus hujus mentione damnaret. Sed damnare non eſt auſus, verum adpellavit Concilium, atque ut congregaretur, perſuaſit. Hoc etiam diſciplinæ genus valide confirmavit Leo primus in epiſtola poſt viceſimam quinta ad Imperatorem Theodoſium, cum à Synodo Epheſina ſecunda ad Synodum majorem provocavit; in qua primo quidem, quo modo Synodus hæc male ſit geſta apud Epheſum, deſcribit, deinde Imperatorem rogat, ut hujus Synodi perverſæ ſuſpendat effectum, ac omnia in eo maneant ſtatu, in quo fuerant ante judicium, utque major ex orbe toto numerus Sacerdotum congregetur, exaggerans, quantum interſit religionis chriſtianæ & publicæ tranquillitatis, Synodum congregari generalem. In his autem certa quædam ſpecies provocationis continetur. Sunt quidem, qui Flavianum adpellationis libellum ad Leonem dediſſe contendunt. Sit ita. Verum Leo hujus adpellationis libellum ad Synodum detulit generalem, &, cum detulit, velut à ſeipſo, quem tantæ rei ſufficere non credidit, ad Synodum generalem, quam credidit ſufficere, adpellavit. Pariter Siricius in epiſtola ſæpius jam laudata, quam ad Anyſium & cæteros per Illyricum Epiſcopos dedit, ea objicit, quæ hanc diſciplinam illuſtrare poſſunt plurimum, ex quibus facile eruitur ratio, cur Siricio conſentiente à Pontifice Romano ad Concilium liceat provocare. Nimirum Anyſius Theſſalonicenſis & reliqui Macedones Epiſcopi cauſam Bonoſi judicandam deferunt Siricio, qui, ne diceret ſententiam, reculat, quod judicandi forma ſibi competere non poſſit, delegatis jam à Synodo Capuenſi Judicibus, qui vice totius Concilii erant judicaturi, & quod, ſi judicaret ipſe, Concilii vice neutiquam eſſet judicaturus. Perſpicuum eſt inde, Siricium veluti à ſeipſo ad Concilium & delegatos à Concilio Judices provocare, cum delatam ſibi ab iſtis Judicibus cauſam abnuit dirimere, atque ad eos dirimendam remittit. Quis vero unquam ſinceriorem vidit Pontificem, qui alias, cum Himerii Tarraconenſis Epiſcopi reſpondet conſultationi, acerrimum dignitatis Pontificiæ vindicem & adſertorem oſtendit ſe pluribus. Sed dignitatem illam ſuos habere fines ac terminos noverat adprime, alioqui tam idoneum provocationis argumentum minime præbuiſſet. Videlicet, duo agnoſcit ſponte, quæ in ſtatuenda Provocatione Eccleſiaſtica requiruntur. Unum eſt, ut in eo, à quo provocatur, judicandi poteſtas ſit inferior, eaque obnoxia errori, quia alias ſtultum eſſet ab eo provocare, qui judicando non poſſet errare. Alterum, ut in eo, ad quem provocatur, judicandi poteſtas ſit ſuperior, nec obnoxia errori. Hæc Siricius agnovit ſponte, utpote quæ per Eccleſiæ, ac inprimis Romanæ traditionem acceperat. Quin etiam ex Scripturis facile poſſunt repeti. Hinc capite Actuum Apoſtolicorum octavo Petrus & Johannes Apoſtoli ſimul mittuntur ambo & æqualiter, non tantum conſilio cæterorum, ſed etiam authoritate, atque ſic ad frivolam & gratuitam diſtinctionem omnis intercluditur aditus. Pertinet huc, quod Paulus memorat capite ad Galatas ſecundo de negotio, quod ei cum Petro intereſſit, ubi, quæ exponitur Veritas, argumenta non quærit, & ſi quæreret, Pelagius hoc nomine ſecundus Pontifex ea obfert in tertia ad Epiſcopos Iſtriæ epiſtola, qui nimirum Vigilii conſtituto de non damnandis tribus Capitulis poſt Synodum quintam, quæ damnaverat illa, edito pertinaciter adhærebant, ubi multis rationum momentis perſuadere conatur, ut Vigilii Conſtitutum deſerant, & oppoſitam Conſtituto definitionem Synodi quinti amplectantur. Igitur expedita ſunt illa duo, quæ in ſtatuenda provocatione requiri fuit obſervatum, ſi tamen duo dici poſſunt, quæ ſic inter ſe connectuntur, ut unum inferatur ex altero, aut potius ex ſe mutuo inferantur. Ad Pium ſecundum quod adtinet, eum non latebat hæc epiſtola Siricii, quæ illius tempore adſcribebatur Damaſo (Ambroſio) at nunc ex codicibus Vaticanis & collectione Romana Holſtenii vere

ad-

Digitized by Google

adſcribitur Siricio. Hic autem Pontifex, Pius nempe ſecundus, cum Sedis Apoſtolicæ doctrina & traditione quam ex optimis Authoribus collegerat, non leviter tinctus & eruditus eſſet, de tollendis omnibus ad Concilium provocationibus nullam ſuſcepit cogitationem, ſed vagis tantum & promiſcuis Adpellationibus poſuit modum, & recte quidem ac ſapienter, permittens Adpellationem juſtam, prohibens injuſtam Et, ne ſecum pugnare, & ἁμαρτίαν τῶν ἀποστόλων graviter errare dicatur, in Conſtitutione *Execrabilis*, ubi provocantes ad Concilium communione privat Eccleſiaſtica, ſic intelligendus eſt. Id ex eo confirmatur valide, quod omnem, ſive juſta ſit, ſive injuſta, minime condemnet provocationem. Atque ſic etiam intelligendus eſt Julius Pontifex hoc nomine ſecundus, ut pote qui Pii Conſtitutionem illam diplomate ſpeciali renovavit. Quin etiam ut ita Pius & Julius Pontifices intelligantur, cogit Leo primus in ſecundo de Natali Apoſtolorum Petri & Pauli Sermone, ſcribens; *Manet Privilegium Petri, ubicunque ex illius æquitate fertur judicium.* Ferendum enim vero. Sed quis ſemper laturus eſt? Num Johannes duodecimus? At negabit Synodus Romana, à qua propter crimina fuit depoſitus. Num Alexander ſextus? Verum non conſentiet Julius ſecundus, quiſe ab hoc Alexandro immaniter tractatum ſcripſit in Diplomate, quo Concilium Lateranenſe indixit. Et quamvis in Gallia non poſſit non retineri jus provocandi à Pontifice Romano ad Concilium, quia ibi Pontificem Romanum & ſubjici, & errare in Fide & Moribus poſſe creditur certo, nihilo tamen minus non ita frequenter ſolet provocari. Res nimirum hodie apud nos alia cœperunt gubernari providentia, quam antehac, quæ tamen ad eundem ſcopum & finem pertinet. Mutatum eſt aliquid ſaltem in modo agendi, nihil autem in Doctrina, & pro ſanandis vulneribus unum alteri ſufficitum eſt remedium, idque præſentius & adhibita facilius, efficacitate pari, ac Exemplis veteribus non deſtitutum. Nempe, cum Pontifex Romanus non urgente ſumma neceſſitate, vel non exigente evidenti utilitate Conciliis derogat univerſalibus, aut ab obſervatione, Canonum ſacrorum recedit, non quidem adpellatur Concilium, ſed apud Senatum à Pontifice Romano provocatur tanquam ex abuſu, verba ſunt Juris noſtri & conſuetudinis) atque tunc Pontificis Romani factum vel decernitur caſſum & irritum, vel ad normam Canonum & præſcriptionis reducitur. Utrobique reſpectus habetur ad Sedis Apoſtolicæ mores, qui tum ab aliis Pontificibus, tum maxime à Gregorio Septimo laudantur in Epiſtola libri ſecundi quinquageſima Sancium Aragoniæ Regem, uti & Innocentio tertio in Epiſtola, quam libro primo ſcripſit ad Faventinum Epiſcopum. Sic ſuus ſemper eſt æquitati locus, dum omnia ſuis quoque Ponderibus examinantur.

Chriſtianus Lupus T. IIII. *p.* 543. *& ſeq.*

AD Canonem Dictatus vel Dictatuum Gregorii ſeptimi decimum octavum, quod Sententia Papæ à nullo debet retractari & ipſe omnium ſolus retractare poſſit, aliqua habet, quæ priori Launoii Tractatui cenſuit opponenda. In genere monet, Bellarminum non dixiſſe, quod à legitima & plena Synodo, cui Pontifex Romanus præſedit, & reliqua ſuæ Authoritatis explevit officia adpellari poſſit, ſed ab acephala aut legitima (illegitima) citra Papalem influxum judicante. Quis enim illud dicat? Hoc autem optime dixit. In ſpecie, quod ſecundum ad tinet Exemplum, quo Bellarminus adpelpellationis juſtitiam à Concilio ad Papam eſt uſus, poſtquam Launoii adduxit reſponſum, proteſtatur quidem, ſe Bellarmini non agere Apologum, ac aliis relinquit diſcutiendum, an Bellarminus, uti Launojus eum hujus criminis facit reum. Leonis Epiſtolam legerit, nec ne, inque dubio ponit, an Launojus eam intelligat, gratulabundus de cætero ſibi cauſæque, quam ſuſcepit defendendam, quod dimiſſis tandem tergiverſationibus fateatur Launojus, Flavianum ad Leonem & Cathedram ejus Apoſtolicam provocaſſe, addens, id ipſum ſcribere in laudata per Launojum Epiſtola Leonem ideo-

que Bellarminum argui ſine fundamento, quod eam non legerit. Quoad Exemplum numero tertium de adpellatione Theodoreti à judicio Synodi Epheſinæ poſterioris, pro certo habet Lupus, eum ad ſolum adpellaſſe Pontificem, uſus ejuſdem verbis ex Epiſtola poſt centeſimam & decimam ſeptima & octava, quorum priora non purpureis duntaxat ſed aureis etiam literis ſcribi digna eſſe putat, inque eis id etiam vult obſervari, quod Sedem Romanam dixit à labe hæretica immunem manſiſſe, exiſtimans inde ſequi, Liberium, Pontificem non fuiſſe hæreticum; è poſterioribus autem id elicit, ſupplicaſſe Theodoretum, ut Epheſinum illud latrocinium, judicii contra ſe lati rationes redditurum, evocetur Romam, non ad generalem totius Eccleſiæ, ſed ad ſingularem Provincia Romanæ ſynodum, utpote in qua cauſas adpellatas Pontifex ſemper conſueverit judicare, exinde conſequentiam nectens, quod Theodoretus ad ſolum Pontificem adpellaverit manifeſte, quod lucide etiam patere dicit ex ipſius Theodoreti ad Leonem Epiſtola. Addit, Pontificem omnino hanc admiſiſſe Adpellationem, neque in generali, ſed dicta Provinciæ Synodo Theodoretum à vinculis Epheſinis abſolutum ac in dignitatem Epiſcopi reſtitutum fuiſſe, imo hanc ejus ſententiam plene reveritam eſſe, neque ad graves Epiſcoporum interceſſiones paſſam ſuſpendi Synodum Calchedonenſem. Et quia Launojus obſervavit porro, Theodoretum à Leone reſtitutum eſſe non plenarie, plures in eo errores oſtendere conatur Lupus. Primum dicit eſſe, quod Leo Theodoretum duntaxat digniſſimum judicaverit reparari, non autem ipſe reparavit, ſeu in Epiſcopatum reſtituerit. Secundum, quod Concilium & Legati Theodoreto reſtituerint Epiſcopatum, qui tamen Leonis Sententiam duntaxat ſint executi, atque ad varias & graviſſimas Epiſcoporum interceſſiones noluerint ſuſpendi. Tertium, quod Leo Synodum Calchedonenſem agnoverit ſibi ſuperiorem, quia nempe ſuum de Theodoreto judicium permiſerit retractari, quem apertum eſſe ſcribit errorem, quia videlicet hanc permiſſionem magnæ ſuaſerint rationes, quas, edixerunt Ægyptii, Illyriciani ac Palæſtini Epiſcopi, adverſus Theodoretum ac ejus receptionem proteſtantes. Poſt hæc regreditur Lupus ad illud Gelaſii teſtimonium, quod Bellarminus poſuit in acie hujus de Adpellationibus argumenti, Launojo cenſente, Gelaſium in eo aliquid humani paſſum eſſe, cum, ut Sedem Apoſtolicam damnatos ſine Synodo Epiſcopos abſolviſſe confirmaret, Athanaſium adduxit in exemplum. At, ita reſpondet Lupus, Launojo perſpicior longè fuit Bellarminus, neque confudit omnia in unum chaos, ſed Provinciales atque Patriarchales Synodos diſcrevit ab œcumenicis, ac novit, ab una ad aliam non duci argumentum. Hinc etiam conſtanter adfirmat, Gelaſium omnibus Launoji exceptionibus eſſe majorem, profeſſum nempe, Flavianum non à Synodo Calchedonenſi, ſed à ſolo Leone abſolutum fuiſſe.

Breves pro Launojo Vindiciæ.

LUpus hic iterum pro more non admodum laudabili è magna reſponſionum copia, quos Launojus contra Bellarminum adduxit, aliquas tantum prædæ loco ad ſe rapuit, vim dentium in iis experturus, ſed hic etiam fruſtra, cauſa, quam defendit optimam, adhuc in ſalvo & illæſa. Mirum vero, qui auſus fuerit lectori obtrudere, ac ſi Launojus ſtatum Quæſtionis à Bellarmino formatæ pervertiſſet, aliam Adverſario mentem adfingens, cum Bellarmini Propoſitio, quam ſumſit infringendam Launojus, tam ſit perſpicua, ut nullam omnino admittat tergiverſationem, niſi Lupus imaginetur ſibi, cum ovibus brutis & ratione carentibus ſibi negotium eſſe, ac neminem, qui legit, eſſe, cui tractatio Bellarmini ſit ſatis cognita. Propoſitio ipſa locum habuit ſupra, ſed neceſſario hic venit repetenda, ut ſumma hujus Lupi impudentiæ in apertam protrahatur lucem. Eam his exhibet verbis Bellarminus: *Summus Pontifex ſimpliciter & abſolute*

lute eſt ſupra Eccleſiam univerſam & ſupra Concilium generale, ita ut nullum in terris ſupra ſe Judicium agnoſcat. Quid autem Bellarminus per Eccleſiam univerſalem & Concilium generale intellexerit, antecedentibus ſufficienter conſtat. Inſigniter hinc Lupus peccavit, quando Propoſitionem perſpicuis quam maxime verbis exhibitam, ita ut fere clarioribus non potuerit, adhibita inani quadam diſtinctiuncula in alium mutare ſenſum conatus eſt, hoc ipſomet mentem prodens lupinam. Quid enim eſt, quæſo, Concilium generale, quam legitima & plena Synodus? Ita vero ut hoc obtineat Elogium, neceſſario requiritur Pontificis Romani præſidentia, qui itidem imaginariæ Authoritatis ſuæ expleat officia, ac ſine eo ſit acephalum plane, quod Lupus vult cum ſuis conſulantibus, alia plane eſt Quæſtio, ſupra ſufficienter diſcuſſa, nunc minime reiteranda. Et quia è quatuor Exemplis, quibus Adpellationum à Concilio juſtitiam demonſtrare laboravit Bellarminus, à Launojo propter eorum impertinentiam jure caſtigatus, duo hic defendenda ſuſcepit Lupus, quo ſucceſſu id præſtiterit, opera non plane nullius aliquod erit pretium, ut videamus. In prioris quidem hyperaſpiſmo præoccupatus animum lectoris proteſtatus, nolle ſe agere Apologum Bellarmini, diffiſus ſcilicet cauſæ non admodum bonæ, quam Bellarminus etiam non adeo laudabiliter tractavit, & tamen nihil eorum prætermittit, quæ aliqua ſaltem ratione putavit poſſe eidem inſervire. Ægre nimirum tulit, quod Launojus imputare viſus eſt Bellarmino, ac ſi Leonis Epiſtolam, ad cujus teſtimonium provocavit, ipſe non legerit, quia videlicet ea non exhibet, quæ exhibere debeat ad lemmatis Bellarminiani confirmationem. Hinc ex jure Talionis, ſed injuſtiſſime, Launojo objicit, quod ipſe, quamvis legerit, non intelligat. Experiamur paucis, utri horum injuria ſit illata, & quis eorum alteri Lectionem vel intellectionem jure majori imputarit, utpote quod facili opera poteſt expediri. Dicis enim, ipſummet Lupum, qui crimen Bellarmino impactum ſingulari cum augmento in humeros Launoji devolvere conatus eſt, laudatam Leonis Epiſtolam, in qua cardo demonſtrationis verſatur, nec legiſſe, neque ſi legit, intellexiſſe vel animum ex debito adtendiſſe, aut, quod legit, intellexit atque ad rem, de qua agitur, pertinere obſervavit, ultro diſſimulaſſe, quod poſtremum videtur omnino probabiliſſimum. Quid enim quæſo, volunt verba Leonis, quibus Imperatorem legitur adlocutus vel adſcripſiſſe: *Omnes* partium noſtrarum Eccleſiæ omnes Manſuetudini Veſtræ cum lacrymis & gemitibus ſupplicant Sacerdotes, ut quia ejuſdem Adpellationis libellum Flavianus dedit, *generalem Synodum* jubearis intra Italiam celebrari, quæ omnes oſtenſiones aut ita repellat vel mitiget, ne quid ultra ſit vel in Fide dubium, *vel in Charitate diviſum*? An aliud quid exhibent verba, *ejuſdem Adpellationis libellum*, quam ſequentia explicant apertiſſime, quod ſcil. Flavianus deſiderat negotium hoc non à ſolo Leone, nec à Sede Romana, vel Synodo quadam Provinciali, ſed à Concilio generali contra iniquitatem adverſariorum readſumi & dijudicari? Poteritne Leo, Scriptor ſuo tempore enucleatiſſimus, mentem Flaviani in cauſa Adpellationis exprimere clarius, quam factum eſt. Ita ut Lupus oculorum & mentis aciem omnino amiſiſſe ſit credendus, dum hæc verba in Leonis Epiſtola nec obſervavit, nec adtendit, vel ſtupidos & omni ſenſu carentes fore credidit, qui Launoji contra Bellarminum ſæpius jam in crimine falſitatis & ſtudio fallendi deprehenſum obſervationes S. Aletheræ conſecratas cum ſuis in Decreta Conciliorum & Pontificium Notis ad Aulæ Romanenſis genium exaſuatis ſint collaturi. Cœcum oportuit fuiſſe Lupum, aut cœcos credidit fore lectores ſuos, dum è Gallæ Placidiæ Imperatricis Epiſtola ad Filium Imperatorem Theodoſium hæc exhibuit verba: *Flavianus libellum miſit ad Sedem Apoſtolicam, & ad omnes Epiſcopos harum partium.* Illis autem, quæ ex Epiſtola Valentinani ad eundem Theodoſium Patrem in hoc negotio ſcripta adduxit in rem ſuam Lupus, addere non immerito debuit ſequentia, ſi candide lectori hanc cauſam voluit exponere, quibus ſignificavit, Flavianum poſtulare, ut Romanæ Civitatis Epiſcopus, quem hic vocat Sacerdotem, *congregatis ex omni etiam reliquis Sacerdotibus*

intra Italiam ferat ſententiam, utpote quæ Launojus multa cum obſervatione exhibuit. Lupum hic auribus teneo, ita ut, quo ſe vertat, vel quomodo evadat, ſuper non ſit. Gratuletur de cætero ſibi de conſenſu Launoji, ne omni careat gaudio, etſi vanum ſit & inane, fatentis, Flavianum ad Leonem & cathedram ejus provocaſſe, quia è citatis modo teſtimoniis conſtat ſatis ſuperque, quem in finem facta ſit hæc Adpellatio, ut Lupus valde ſimplex ſit, ſi cunctos lectores ſibi conſentientes promiſit. Ad poſterioris exempli de Theodoreti Adpellatione ut veniamus defenſionem, obſervabimus, Lupum nec animum, nec pilos mutaſſe. Ut enim Bellarmino ſuppetias laturus oſtendat, ad ſolum Pontificem adpellaſſe Theodoretum, duplici ejuſdem utitur teſtimonio ex ejuſdem ad Romanum quendam (non Cardinalem, uti vult Lupus, cujus tanquam non-entis illo tempore apud Theodoretum nulla mentio, ſed) Presbyterum nomine Renatum, & alium quendam ibi Archidiaconum Epiſtolis deſumto. Sed utrobique iterum graviter impingit Lupus, memoria nimirum locali carens, ac impetu cœco in eandem incidens foveam, in qua non ſemel antehac fuit deprehenſus. Nam quod priorem adtinet epiſtolam, meminit in ea expreſſe *Synedrii* vel *Concilii veſtri*, ad Presbyterum ſcribens; in poſteriori autem agens cum Archidiacono, implorat *ſollicitudinem veſtram*. Verba hæc ipſe Lupus exſcripſit, & ſcribendo non obſervavit, quid præ ſe ferant, quo minus poſſit dici, Theodoretum ad ſolum adpellaſſe Pontificem. Addere potuiſſet epiſtolam quoque tertiam, ad quam Launojus provocavit, ſcriptam ad Anatolium Patritium, in qua Theodoretus ita: *Magnitudinem tuam obteſtor, hanc à Victore Auguſto gratiam petat, ut veniam in Concidentem, ibique à DEO chariſſimis ſanctiſſimiſque Epiſcopis judicer.* Videlicet non à ſolo Pontifice, de quo hic agitur. Quamvis enim Lupus idem eſſe putat, provocare vel adpellare ad Pontificem & Sedem Romanam vel ſingularem Provinciæ Romanæ Synodum, ſcire debuit tamen, Bellarmino & Antagoniſtæ ejus hic ſermonem eſſe de perſona & authoritate Pontificis, non ipſius Eccleſiæ vel Sedis, quæ dicitur Romana, multo minus Synodi Provincialis, utpote de quibus ſigillatim atque in abſtracto alias ſolet agi. Sed in turbido piſcari didicit Lupus, animal quoque Marinum, aquas etiam puras inquietudine ſua turbans, at parvo cum profectu ac labore fruſtraneo, utut certam ſibi à Launojo promittat victoriam, quem triplicis porro erroris in hac Hiſtoria reum ſiſtit, ipſomet hoc luculenter oſtendens, vertiginis ſpiritu ſe circumagitari, dum, quod ſemel iterumque negat tanquam erroneum & abſurdum, tertia demum vice, victus nimirum ipſa rei evidentia, verum eſſe cogitur fateri, addita tantum gloſſa, quâ rem deſperatam conatur juvare, at in irritum & vanum. Errare dicit Launojum, quod ſcripſerit, Theodoretum à Leone agnitum & declaratum eſſe innocentem, ſed non reſtitutum, quod à ſubſecuta Synodo Calchedonenſi factum, quam ipſe Leo agnoverit ſe eſſe ſuperiorem, dum eidem permiſit judicium de Theodoreto retractari; & tamen agnoſcit, hanc permiſſionem magnas ſauſiſſe rationes, inprimis authoritatem Epiſcoporum contra receptionem Theodoreti, proteſtantium, quorum animi non potuiſſent ſedari, niſi nova & libera cauſæ Theodoreti diſcuſſio permiſſa fuiſſet in Synodo Calchedonenſi. Sorex ſuo ſe prodit indicio, neque poteſt latere, etiam ubi vult quam maxime. Videlicet non agitur in præſenti de cauſa, ob quam Synodus Calchedonenſis negotium Theodoreti ſuſcepit retractandum, ſed de reipſa, quam Launojus ex Actis & Hiſtoria hujus Synodi, uti & epiſtola Leonis ipſius poſt Synodum ad Theodoretum ſcripta tam evidenter deduxit, oſtendens, agnoviſſe Leonem in ea & aliis pluribus epiſtolis ſuam authoritate Conciliorum minorem, ut Solis quaſi radiis videatur ſcriptum, modo Veritatis amor oculos Mentis teneat aliqua ex parte apertos. Quæ tandem Lupus ad priora, nominatim ad Gelaſii teſtimonium, cui tanquam fundamento immobili totam hanc de adpellationibus tractationibus Bellarminus ſuperſtruxit, regreſſus, pleriſque Launoji obſervationibus prætermiſſis, in gratiam Gelaſii & Bellarmini contra Launojum excepit, per ſe cadunt, ſi ea tantum verba ad-

Digitized by Google

adtendantur, quæ Lupus ipſe ex epiſtola Gelaſii citavit, in quibus fit mentio, nec ſemel modo, ſed vicibus iteratis, Apoſtolicæ Sedis, quæ ſæpius Epiſcopos ſini & eum vel in Synodo damnatos inique, non conſentiendo abſolverit, quod ſi nihil aliud ſit, poteſt in præſenti ſufficere, cum uti ſupra fuit obſervatum, hic non agatur de authoritate Sedis, ſed Pontificis Romani, ſecundum lemma à Bellarmino præſcriptum.

Bellarminus *ibid.*

Tandem Pontificis authoritatem ſupraconciliarem demonſtrare nititur ex adprobatione & reprobatione Conciliorum.

Launojus *ibid. Epiſt. 4.*

HUjus quoque argumenti nullitatem oſtenſurus, in genere pæmonet contra Bellarminum, honeſta, vera & legitima ſemper defuiſſe præſidia, quibus bona oppugnetur, & mala defendatur cauſa. Addit, ſi ſecus adcidit, id Artificis, non Artis vitio tribuendum eſſe. Ab hoc autem crimine ſubjungit, liber ac immunis non eſſe videtur Bellarminus, cum pro authoritate Pontificis Romani diſputat ex adprobatione Conciliorum, hac addita ratione: *Nam omnia revocantur ad examen Pontificis Romani, & quæ probat ille, recipiuntur, & quæ improbat, rejiciuntur, uti teſtatur Gelaſius in eadem Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ.* At, ita reſpondet Launojus, verba Gelaſii non refert Bellarminus, quæ tamen in re tanti ponderis erant referenda. Nempe hic author, dum maxime de Pontificis Romani tractat authoritate, referre non ſolet teſtimonia Patrum, quæ ſuis ad plenum & perfectum minime reſpondent placitis. Et quidem, ubi quæſo Gelaſius Synodum Nicenam ad Silveſtri Papæ examen ſcribit eſſe revocatum? Quaſi vero Silveſter eam ſic examinaſſet, ut editum ab ea Symbolum potuiſſet vel totum, vel ejus partem abrogare? Quaſi vero etiam penes unum hunc Pontificem omnis religio chriſtiana conſtitiſſet, quam trecenti decem & octo Patres adſeruerant? Ubinam porro Gelaſius ſcribit, ad examen Silveſtri revocatos eſſe Synodi Nicenæ canones, de quibus nempe Julius, Silveſtri poſt Marcum ſucceſſor ita ſcripſit ad Orientales: *Illud ad Synodi, atque Epiſcoporum, qui in ea fuere, contumeliam vergeret, ſi, quæ illi tanto ſtudio & cura, veluti DEO præſente egiſſent, à nobis ut vana futiliaque abrogarentur.* Innocentius etiam primus ad Clericos Conſtantinopolitanos ſcribens de iis ſic ſuam expreſſit mentem: *Nos, quantum adtinet obſervantiam Canonum, illis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicæa ſunt determinati, quibus ſolis obtemperare & ſuum addere ſuffragium catholica debet Eccleſia.* Leo inſuper Magnus in epiſtola poſt quadrageſimam quarta ad Imperatorem Marcianum perſcripta de iiſdem pronuntiavi, *quod ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu DEI inſtruente fuerint conditi.* Quaſi vero Silveſter ad ſuos illa calculos exegiſſet, quæ Synodus Nicena DEO præſente & Spiritu DEI inſtruente ſanxerat ad publicam Eccleſiæ utilitatem; & quidem ad ſuos ſic exegiſſet calculos, ut, ſi pro arbitrio ſanctionibus Divinis omnem detraxiſſet authoritatem, Silveſtro jure dici non potuiſſet, Cur ita facis? Scilicet Bellarmino judice Silveſter abſolute & ſimpliciter fuit ſupra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium, ita ut nullum in terris ſupra ſe agnoverit judicium. Atque huc ſpectat propoſitio Bellarmini, qua ſtatuit, ad examen Pontificis Romani Concilia revocari. Sed alio ſpectat Gelaſius ab eo loco teſtis adductus, cauſam ejus, intolerabilem videlicet adſentationem nihil adjuvans. Nam quando de Conciliis generalibus inſtituit ſermonem, hæc ad examen Pontificis Romani revocata non eſſe dicit, ad Epiſcopos Dardaniæ, qui Acacium non niſi in Synodo damnari poſſe contendebant, inter alia ſic ſcribens: *Quidquid Patres Catholici, doctique Pontifices*

fices pro Fide, pro Veritate, pro communione catholica, ſecundum traditionem Scripturarum, Majorumque prædicationem facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconvulſum voluerunt firmumque deinceps conſtare. Sed non adjicit Gelaſius, ſi modo Pontifex Romanus illud adprobaverit; quod tamen adjicere debuit, ut placitum fulciret Bellarmini. Et tamen non adjecit, quia adjiciendi nulla fuit ex more veterique Inſtituto Majorum neceſſitas. Deinde hoc ipſum confirmat Gelaſius, porro ſcribens: *Uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſenſus, non aliam magis exequi Sedem præ cæteris oportet, quam primum.* Nimirum, ut uniuſcujuſque Synodi conſtitutum executioni mandetur, non Pontificis Romani nominatim, ſed univerſalis Eccleſiæ poſtulat adſenſum. Quin etiam, ut uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſenſus, executioni mandetur, non Romani magis quam Pontificum quoque cæterorum adprobatio requiritur, ſi comparatio, quam inter primam & Sedes alias facit Gelaſius, diligenter adtendatur. Denique qua in re putat Gelaſius Romani Pontificis confirmationem verſari, clare ſignificat, cum ait: *Prima Sedes unamquamque Synodum authoritatem ſua confirmat, & continuata moderatione cuſtodit.* Igitur prima Sedes confirmat Synodum & canones ejuſdem, dum illos continuata moderatione cuſtodit, & ab aliis cuſtodiendos eſſe ſuo docet exemplo. Et quod mireris, huc primæ Sedis revocat principatum, quem Petrus Domini voce præcepit. Præterea, Gelaſius in reliqua epiſtola de Judiciis Epiſcoporum agit, quæ Sedes prima ex authoritate canonum retractare, diſcutere ac examinare poteſt, quod ad Jus adpellationum pertinet, de quo in antecedenti controverſia actum. Inſuper etiam non debent prætermitti ea, quæ Bellarminum vel eos, qui Bellarmino excerpta à Gelaſio teſtimonia ſubminiſtrarunt, videntur induxiſſe in errorem, & negligenter impoſuiſſe, utpote qui verba hæc, *quæ novam cognoſcendi diſſenſionem, ad legitimum vocari examen, atque ad judicium poſtulari deſiderant*, & alia id genus, ad Conciliorum adprobationem perinde transferunt, ac ſi Gelaſius per ea de Concilii Niceni, Conſtantinopolitani, Epheſini & Calchedonenſis adprobatione tractaret, quæ inſignis eſt ἀβασία. Et tamen Gelaſius hoc agere debuit, vel nihil egit, quod inſerviret propoſito Bellarmini. At totus, quantus eſt Gelaſii textus alio tendit, ad cauſas videlicet atque diſceptationes Eccleſiaſticas, quarum juxta canones judicium Sedi Apoſtolicæ defertur. Hos proponit Gelaſius, uti & in ſpecie Synodum Calchedonenſem, ad cujus normam ſeu formam omnia dirigantur. Sed pergit Bellarminus, & quod in genere propoſuit, nunc porro per exempla demonſtrare ſatagit, ſcribens: *Et quidem, quod ad petitionem Conciliorum multa Pontifex adprobaverit Concilia, patet ex ipſis Conciliorum geſtis, præcipue quatuor primorum generalium & ſexti.* At, ita cenſet Launojus, ſi unquam & uſquam, hoc certe in loco literis, otio & patientia lectorum abuſus eſt. Nam ſi res generatim atque in averſione ſumatur, incertum imo falſum eſt id, quod Author ſcribit; & tamen id ita ſcribit, quaſi, quidquid illud ſit, ſumma niteretur Veritate, & certo certius eſſet. Sed unumquodque Concilium nunc ſingillatim eſt expendendum, ne, cum Bellarmini fucum detegimus, nos ipſimet facere videamur velle fucum. Primo, gratis & ſine authorum æqualium vel ſupparium teſtimonio nititur, Synodum Nicenam Actorum ſuorum confirmationem à Silveſtro petiiſſe, & Silveſtrum dediſſe eam, quomodo Bellarminus & petitam & datam eſſe contendit. Euſebius quidem libri tertii de Vita Conſtantini capite tertio ſcribit, Synodi Nicenæ Legatos Silveſtri adfuiſſe; ſed Synodum Nicenam Actorum ſuorum confirmationem à Silveſtro petiviſſe, & Silveſtrum dediſſe eam non ſcribit, ſcripturus ſine dubio, tum ex aliis, tum ex hoc etiam capite, quia illum ad integram Synodi hiſtoriam ſpectaret, ſi factum fuiſſet. Nec opinor ibit inficias, qui diligentiam Euſebii conſideraverit. Sic Julius æqualis Silveſtri, & rerum ab illo geſtarum inſpector vigilantiſſimus, itidem meminit, Silveſtri Legatos interfuiſſe Synodo, ſed ipſam Synodum confirmationem geſtorum ſuorum à Silveſtro petiviſſe, & Silveſtrum dediſſe

diſſe illam, quoque non meminit. Ejus verba huc pertinentia poſſunt legi in Epiſtola Athanaſii ad orientales. Quis autem quæſo Julium id crederet diſſimulaſſe, quod propter Sedis Apoſtolicæ dignitatem & Jus ſummum minime fuiſſet diſſimulandum? Ita Liberius Succeſſor Julii in Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem ſcribens de Synodo Nicena, annon addidiſſet tanquam Fidei Nicenæ, defenſor ſtrenuus, Epiſcopos ibi congregatos curaſſe, ut Silveſter Anteceſſor Synodi Acta adprobaret, ſi hoc Epiſcopi deſideraſſent? Oblituſne id eſſet Pontifex, qui hac ipſa in Epiſtola profitetur, ſecutum ſe morem ordinemque Majorum nihil addidiſſe Epiſcopatui Urbis Romæ, ſed nihil etiam minui ſe paſſum eſſe? Tum in Dialogo inter ipſum & Conſtantium habito ſic reſpondet Euſebio Eunucho, deſiderare ſe ut generalis fiat ſubſcriptio, per quam Fides apud Niceam expoſita confirmetur. Addidiſſet autem, non expoſita modi, ſed & Patribus Nicenis ita poſtulantibus Romæ à Silveſtro Anteceſſore meo adprobata, ſi tum demum adprobata fuiſſet hoc pacto. Addidiſſet inquam, quia eum decuiſſet addere, quem Imperator in Principio Dialogi Romanæ Civitatis Epiſcopum adpellat, deinde, quia ſic dicere poterat ad normam & imitationem verborum, quæ in Epiſtola numero ſeptimæ ad occidentales ſcriptæ, quia Silveſter Anteceſſor meus Synodum Nicenam ſingulariter adprobaverat, verebar, ne abaliquo prævaricator forte judicarer. Hoc autem non dixit, quia vere non potuit dicere. Porro, Hilarius Pictavienſis Epiſcopus in libro adverſus Conſtantium ſemel, iterum, tertio & quarto loquitur de Synodo Nicena, nec tamen innuit uſquam, Patris à Sylveſtro Actorum Synodi confirmationem quæſiviſſe, vel Silveſtrum conceſſiſſe illam. Sic Athanaſius quoque de Synodo Nicena loquitur paſſim, nec de Bellarmini lemmate mentionem injicit ullam, injectum omnino, ſi, quod Bellarminus vult contigiſſe, contigiſſet vere, quia in Authoris hujus ſenſu ad majorem Synodi gloriam & dignitatem contigiſſet. Manifeſtum hoc erit, ſi inſpiciantur loca, nominatim Diſputatio ejus contra Arianos duplex, Epiſtola de Synodi Nicenæ Decretis contra hæreſin Arianam, Item Epiſtola ad ſolitarios, liber de Synodis Arimini & Seleuciæ habitis, Epiſtola quoque ad Epiſcopos Africæ ſuper hoc eodem negotio ſcripta, in quibus ſingulis & omnibus nihil invenitur, quod Bellarmini pronuntiatum poſſet confirmare. Sic Athanaſius tacentium uſque adeo contumax palam eloquitur, falſiſſimum id eſſe, quod ſcripſit Bellarminus; quem etiam in legitimis Athanaſii ſcriptis ne ſilveſtri quidem Papæ nomen legitur, tantum abeſt, ut Athanaſius tribuat Silveſtro, quod illi tribuit Bellarminus. Inſuper Rufinus Synodi Nicenæ res geſtas diligenter, ut omnes conſentiunt, perſequitur, & tamen non obſervat, Synodum hanc à Silveſtro ſui confirmationem petiviſſe, aut Silveſtrum dediſſe illam, qualem ſtatuit Bellarminus. Et, ſi quo fine & modo Bellarminus ſibi proponit, ſilveſter Synodi Niceæ Acta ad ſe à Patribus miſſa confirmaſſet, Siricius Epiſtolam, quam Holſtenius in Collectione Romana exhibet, ad Anyſium & alios Illyrici Antiſtites non ſcripſiſſet, quia credendum minime eſt, à Silveſtri tempore ad Siricium uſque Pontificis Romani poteſtatem fuiſſe imminutam. Quidquid ſit, fingi atque excogitari nihil quidquam poteſt, à propoſita Bellarmini ratione quod magis abhorreat, quam ingenua Siricii Confeſſio, quæ in hac legitur Epiſtola, Verum, & Leo M. Pluribus in Epiſtolis de Synodi Nicenæ Patribus & Decretis multa eaque egregia habet & tamen nullibi ſignificat, Nirenam Synonum adprobationem Actorum petiviſſe à Silveſtro, aut Silveſtrum dediſſe illam; qui ſciens ac prudens Pontifex id oblitus non eſſet, quod ad Dignitatem illam ſedi ſuæ adferendam tantopere conduceret. Rem demonſtrat hæc obſervatio apud eum cui nomen Leonis non eſt incognitum. Fixum ergo ſit ratumque, ſedem Apoſtolicam tunc id genus adprobationes ſibi non vindicaſſe. Socrates quoque & Theodoretus, æquales Leonis, referunt Epiſtolam, quam Synodus Nicena ad Eccleſiam Alexandrinam, atque ad Ægypti, Libyæ & Pentapolis Epiſcopos ſcripſit. Cur non etiam referent, ſi quam ad Silveſtrum ſcripſiſſet, ut ab illo rerum ſuarum adprobationem obtineret? Certe Monumentum tam illuſtre non ſiviſſent perire; ſi

quod

quod tale unquam fuiſſet editum. Adcedit, quod Theodoreto præ manibus fuerit occaſio referendi hoc, cum memoravit, Pontificem vel Epiſcopum Romanum ob ætatem admodum ingraveſcentem abfuiſſe, ac duos illuc miſiſſe Presbyteros cum poteſtate Actis conſentiendi. Nonne opportunus dicendi locus hic erat, Concilium ab eo confirmationem Actorum petiiſſe, & Epiſcopum dediſſe eam, ſi, quod Bellarminus adſerit, eveniſſet? Quin etiam Vigilius Papa, Anteceſſorum Julii, Liberii, Leonis ſilentium incitatur in Epiſtola numero decima, quam ad univerſum DEI populum ſcripſit, in qua, uti ex lectione ejus adparet, nihil eorum prætermittit, quæ Sedi ſuæ commendandæ poterant inſervire. Et quidem Epheſinæ Synodi primæ Præſides facit duos, Cœleſtinum & Cyrillum; Calchedonenſis vero unicum, nempe Leonem per Vicarios. Quis modo diceret, Vigilium, ubi de Synodo Nicena loquitur, omiſiſſe de induſtria, Synodum hanc à Silveſtro petiviſſe, ut ſua confirmaret Decreta, & Silveſtrum miſiſſe Diploma ad Synodum, quo, quidque decreverat Synodus, confirmaret? Ingenue hinc oportet fateri, nullum omnino ea de re hunc apud Romanos fuiſſe rumorem, tantum abeſt, ut dicta fuerit traditio. Inde fit, ut, niſi ſuppoſita, certe interpolata haberi debeat Epiſtola, quam Synodus Romana Felice tertio Præſide ad Presbyteros & orthodoxos Conſtantinopolis & Bithyniæ Archimandritas miſit, hanc exhibens narrationem vel traditionem quaſi continua ſerie & ſucceſſione ad poſteros cuſtoditam & tranſmiſſam. Nam ſi omnes à tempore Synodi Nicenæ ad tempus uſque Felicis tertii Succeſſiones id cuſtodierunt, cur Euſebius, Julius, Athanaſius, Liberius, Hilarius, Siricius, Leo, Socrates, Theodoretus ante hunc Felicem tertium illud ſuis non conſignarunt literis, inque ſuos non derivarunt uſus? cur item Vigilius poſt Felicem tacuit de eo in Sedis Apoſtolicæ diminutionem? Protecto, ſi quæ hac in traditione Felicis tertii umbra reperiretur Veritatis, atque eam Pontifices illi omnes & Authores laudati fuiſſent ſecuti, quis niſi homo contentioſiſſimus negaret adſenſum? Verum, ne hoc ſit, præſto nobis eſt Epiſtola, quam non Synodus Romana, ſed ipſe Felix ad Presbyteros atque ad Conſtantinopolis & Bithyniæ Archimandritas & Monachos ſcripſit, uti eam exhibet Sirmondus in Adpendice ad codicem Theodoſianum, in qua non leguntur, quæ leguntur in Epiſtola, quam Synodus Romana præſide hoc Felice legitur ſcripſiſſe ad eoſdem, dum utrobique quidem eſt eadem inſcriptio, ſed non idem contextus verborum, ex quo fraus deprehenditur. Plus ultra, in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ Decreta non Synodi Romanæ, cui præerat Felix, ſed nomine Felicis eduntur; quæ vero Epiſtola nunc ſuppoſitionis vel interpolationis adcuſatur, ſub nomine Synodi Romanæ ad Presbyteros & Archimandritas mittitur, atque hoc in fraudis partem venit. Cur enim quæſo Synodus Romana, cui præfuit Felix, ſeorſim à Felice ſcripſiſſet, & tam abſurde quidem, uti ex Epiſtolæ fragmento colligitur? Verum enim vero, inquies, exſtat nihilo minus & his non obſtantibus Epiſtola in Tomis Conciliorum, quæ nomine Synodi Nicenæ dicitur ſcripta ad Papam Silveſtrum, in qua Patres eum rogant, ut, quidquid conſtitutum in Synodo, ſui oris conſortio confirmet. At eomet ipſo, inquit Launojus, Epiſtolæ falſitas convincitur. An enim ſic ſcripſiſſe credi poteſt Patres Nicenos. Et quid ſibi vult, quod in ſubſcriptione Conſules vocantur *ſummi*? Hoc namque epithetum in nullis Veterum Commentariis vel preponitur Conſulibus, vel poſtponitur, neque etiam vox hæc, quod diligenter curioſeque venit animadvertendum inter Valerii, Probi & aliorum notas literarum, quibus uſi ſunt veteres, reperitur. Ne autem hæc ita ſint quæ tamen ſunt abunde; poteſtne dici, Concilium à Silveſtro Actorum petiviſſe confirmationem quinto vel ſexto die, poſtquam convenit? Atqui hæc Epiſtola legitur ſcripta octavo Kalendas Juliis, & Concilium eſt inchoatum decimo & tertio Kalendas ejuſdem quod imprimis conſtat ex Actione ſecunda Synodi Calchedonenſis. Præterea, quis credet, cum accepta legatur hæc Epiſtola decimo & tertio Kalendas Novembris, ad perferendas Nicea Romam literas Synodi inſumtos fuiſſe Menſes quatuor æſtivos, præſertim ſi Imperatoris opera

Digitized by Google

opera fuiſſent perlatæ? Lectus eſt forte tabellarius, qui morbo pedum laborabat. Deinde extat quoque in iiſdem Tomis Conciliorum Epiſtola Silveſtri ad Synodum, ſed & in illa leguntur, quibus Epiſtola falſitatis arguitur. Et quidem dicitur in ea Silveſter parva propter Eccleſiæ diſciplinam præcepta adligare in gremio ſanctæ Synodi. Adligavit ergo Silveſter præcepta in gremio Synodi. Sed quis illa vidit unquam vel Synodi canonibus juncta, vel ab illis ſeparata? Deinde, fictus eſt ille Victorinus, qui cyclos Paſchatis fallaces pronuntiaſſe dicitur, quia nullum habet ſui teſtimonium vel apud Euſebium in Chronico, vel apud Hieronymum & Proſperum in Chronicis, vel apud eundem Hieronymum & Gennadium in libris de Viris Illuſtribus vel Eccleſiaſticis. Gennadius certe nihil habet de Victorino, ſed de Victorio. Sic Beda, Ado & alii teſtantur; Victorem Capuanum ſcripſiſſe contra Victorem Aquitanum. Epiſtolæ autem hujus Suppoſtor res iſtas omnes confudit, & Authorum nomina corrupit; ex rerum vero & temporum confuſione, uti & nomanum corruptione genuit Monſtrum, quod jacet præ oculis. Verum, & aliud quid hac in Epiſtola legitur, quod immanitate certat cum ſuperiori: *Cum Epiſcopis totius urbis Italiæ examinatum univerſalis ſancti veſtri Concilii dignetur accipere Veritatem.* Quaſi vero tota Italia ſit Urbs, vel Italiæ totius Urbs ſit, quæ plures habeat Epiſcopos. Suppoſtor lectoribus non tam facere fucum, quam riſum voluit concitare. Sed eum vehementer fefellit opinio, quia lectores eſt nactus Bellarminum & alios, qui non joco vel riſu, ſed ſerio agentem obſervarunt. Hinc Silveſter ad Synodum Nicenam ſcribit, quaſi nondum eſſet finita. At octavo Calendas Septembris erat jam finita, uti collectio teſtatur Creſconiana; eſtque hæc opinio communior & certior adverſus Nicephorum Calliſtum, qui eam triennio ſcribit duraſſe, Author paulo recentior, quem tamen Bellarminus & Scaliger ſine ulla probabili ratione ſequuntur. Sic ergo inter Concilii finem & diem adſcriptum Epiſtolæ Silveſtri Menſes duo & amplius, inter datam vero Epiſtolam & acceptam Menſes tres & dies ſex intercedunt. Lepidum quoque & feſtivum eſt illud, quod in Bellarmino non poſſumus non obſervare, utpote qui, ut modo obſervatum, ſecutus Nicephorum, libri primi de Conciliis capite quarto tradit, Concilium tribus Annis duraſſe; quo in eventu Patris Actorum confirmationem à Silveſtro petiviſſent Annis duobus, Menſibus undecim & diebus viginti quatuor vel quinque, antequam Synodus abſolveretur. Hoc epicitariſma poſt fabulam! Nunc ut à more Scholarum non omnina recedatur, diſputandi cauſa ſumamus, utramque veram eſſe Epiſtolam. Et Niceni Patres quidem à Silveſtro exigunt, ut, quidquid conſtitutum eſt in Concilio, oris ſui conſortio confirmetur; Silveſter autem reſcribit: *Quæ in veſtrum noſtrumve manavere Myſterium, meum offero chirographum, & diſcipulorum meorum offero in veſtro ſancto Concilo, quidquid conſtituiſtis, una prorem dare conſentum.* in his duobus Epiſtolæ utriuſque fragmentis, quæ craſſo ſtylo indignationem potius eliciunt, quam riſum, conſtitit argumentum Bellarmini, probantis exinde, Silveſtrum ſimpliciter & abſolute ſupra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium fuiſſe, ita ut nullum in terris ſupra ſe Judicium agnoverit. Hanc vero, tantum Ingenii, tantum acuminis. Silveſter conſtituta Synodi confirmat oris ſui conſortio, & parem eum Synodi Patribus dat conſenſum iis, quæ Synodus decrevit; ergo Silveſter fuit ſupra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium, nullumque ſupra ſe in terris agnovit Judicium. Hæ ſunt miſeræ & omnium auribus animiſque abſonæ complexiones, quæ ex antecedente tali in Sententia Bellarmini inferuntur; & quod eſt admirabilius, non pro Silveſtro ſolum inferuntur, ſed pro cæteris etiam Epiſcopis, qui una cum Silveſto Decretis Concilii adſenſerunt. At Silveſter Eccleſiæ, quam adminiſtrabat, ſecutus traditionem non ita philoſophatur, agnoſcens, ſe Conciliis inferiorem eſſe, uti diſcimus ex Epiſtola tertia, quam Concilium Romanum ad Gratianum & Valentinianum ſcripſit, in qua fit provocatio ad Exempla majorum, ut Epiſcopus Romanus, ſi Concilii cauſa ejus non creditur, apud Concilium Imperiale defendat ſe, addita mentione Silveſtri, qui a ſacrilegis

adcuſatus cauſam proſecutus ſit apud Conſtantinum. Duo hic occurrunt Concilia, quibus Pontifex Romanus ſubjicitur, unum quidem Eccleſiaſticum, alterum autem Imperiale. Et Silveſter Imperiali ſe etiam ſubjecit, cum apud Conſtantinum à ſacrilegis adcuſaretur. *Secundo*, Synodum Conſtantinopolitanam univerſalem primam quod adtinet, hæc à Damaſo Papa confirmationem Actorum minime petiit, niſi verbis Synodi abutamur. Ea nimirum Damaſo & aliis Epiſcopis Romæ congregatis rerum ſuarum rationem exponit in Epiſtola, quæ legitur apud Theodoretum libri quinti capite nono, ex qua colligitur, habitas eſſe Conſtantinopoli Synodos duas; Theodoreto prioris argumentum exhibente capite octavo antecedente, non item poſterioris, cujus cauſa in certis quibuſdam negotiis Eccleſiaſticis verſabatur, perſpicue tamen ſignificante, non priorem, ſed poſteriorem fuiſſe Synodum, quæ Epiſtolam ad Concilium Romæ coactum ſcripſit. Et quidem hujus Synodi poſterioris Patres priorem Synodum ſemel, iterum & tertio generalem, σύνοδον adpellant. Deinde, quid Synodus prior univerſalis circa fidem Eccleſiarumque adminiſtrationem conſtituerit, exponit. Tum demum obſecrat Synodum Romanam, ut illis omnibus velit συχαίρειν, congratulari & congaudere. At obſecrare, ut Synodus Romana Conſtantinopolitanæ Decretis congratuletur, una gaudeat & lætetur, non eſt ſane Decretorum adprobationem petere, quo ſenſu Bellarminus eam ſignificat petitam, ac proinde in re magni ponderis negligit leges Hiſtoriæ, quod ſi verum fateri velimus, in rebus Pontificiis accidere ſolet ſæpius. Nec etiam Synodus Romana, aut Damaſus ejuſdem Præſes Patrum Conſtantinopolitanorum obſecrationem intellexit ita, uti Bellarminus eam cenſuit intelligendam eſſe; nullum quippe Synodi aut Damaſi adfertur, vel adferri poteſt Monumentum, quo conſtet Synodum Romanam vel Damaſum geſta Synodi Conſtantinopolitanæ vel omnia vel aliqua ſaltem comprobaſſe. Demus autem, id factum eſſe, hinc tamen non ſequetur, Synodum Romanam aut Damaſum ſimpliciter & abſolute ſupra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium eſſe, ita ut Synodus aut Damaſus nullum in terris ſupra ſe agnoſcat judicium. Hoc enim eſt lemma, quod Bellarminus ex illa congratulatione & communi gaudio putat vindicari. Sed demus adhuc aliquid amplius, videlicet, Synodum Conſtantinopolitanam petiviſſe Actorum confirmationem, uti Bellarminus fingit, à Synodo Romana, & Synodum Romanam dediſſe illam, quid inde lucrabitur Bellarminus? Id fortaſſis, Damaſum, Ambroſium & reliquos Epiſcopos, qui Romæ congregati erant, ſimpliciter & abſolute ſupra Eccleſiam & Concilium eſſe. At nimis opinor probabit, & eam ob cauſam nihil, ſequemetipſum duntaxat, deridendum propinabit. Certum eſt quidem, in Synodo quadam Romana, cujus caput erat Damaſus hæreſes eſſe perculſas, quas ipſa Synodus Conſtantinopolana etiam perculit, uti Theodoretus ſcribit in ejuſdem libri capite decimo & undecimo. Cæterum hæc concordia, quæ hac in re fuit inter Synodum Conſtantinopolitanam & Romanam, *nihil* prodeſſe poteſt conſilio Bellarmini. *Tertio*, Bellarminus etiam Synodo Epheſinæ imponit, utpote quæ actorum confirmationem haud petiit à Pontifice Cœleſtino, eam videlicet, quam Bellarminus intelligit, exque ea colligit, quod ſupra non ſemel dictum. Synodus retulit quidem ad Cœleſtinum de rebus, quas contra fidei inimicos geſſerat, ſed nullam earum à Pontifice petiit confirmationem, uti conſtat ex actione quinta, ubi nullum extat verbum de adprobatione, quam Bellarminus adſciſcit in argumentum. Exinde patet, quod uti Synodus nullam petiit à Cœleſtino confirmationem, ſic & Cœleſtinus nullam impertierit. Verum ut quod Bellarminus ſibi ſumſit, adhuc videatur inutilius, conſideretur ex actione tertia, Synodum Epheſinam ſemel atque iterum de rebus fidei ad Imperatorem retuliſſe, & quidem prius, quam ad Cœleſtinum; quod qui paulo adtentius conſideraverit, ſi non ultro fateatur, negaturus certe non eſt, inutilem eſſe & inopportunam conſilio Bellarmini probationem, quam ex his ad Cœleſtinum relationibus ſtuduit comparare. *Quarto*, Synodus Calchedonenſis in Actione poſt decimam ſexta de

rebus

Digitized by Goo

rebus à ſe geſtis ad Leonem Papam refert quidem, ſed non poſtulat confirmationem earum, quæ pro Catholicæ fidei dogmate fuerant ſancitæ. Et revera Synodus non aliud circa fidei dogma definivit, quam quod ipſe jam Leo in epiſtola ad Flavianum definiverat, Synodo definitum & expoſitum in hac epiſtola fidei dogma communi adſenſu confirmante in Actione tertia, quod ipſe etiam Leo in epiſtola poſt ſexageſimam tertia ad Theodoretum ſcripta laſſus eſt. Dioſcori Epiſcopi Alexandrini depoſitionem quod adtinet, Synodus Leonis & Legatorum illius ſententiam amplectitur & confirmat. Hinc factum eſt, ut Synodus à Leone nec ſancitæ fidei, nec latæ in Dioſcorum ſententiæ petierit confirmationem; ſi enim hoc petiviſſet, petiviſſet utique, ut, quæ Leo jam definierat, confirmaret, quod non modo fuiſſet ſupervacaneum, ſed etiam rationi parum conſenſiſſet, viſa namque Synodus eſſet de conſtantia Leonis dubitare. Quod autem petiviſſe legitur Synodus à Leone confirmationem, notari debet, Synodum non petiviſſe confirmationem canonum, quibus edendis Legati Leonis conſenſerant, & Leo per Legatos conſenſiſſe judicabatur; ſed confirmatio ſeu adprobatio, de qua hic agitur, in conſenſu maxime conſiſtit, uti ex doctrina Pontificum Romanorum poſtea tradetur. Ergo quam confirmationem Synodus petiit à Leone, ea ſpectat tota canonem viceſimum & octavum, in quo privilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſanciebantur. Hic eſt ſcopus, hæc meta relationis ſynodicæ, ubi videmus, ſedis Apoſtolicæ Legatos canoni huic edendo fortiter reſtitiſſe. Reſtiterunt vero tum ex aliis capitibus, tum ex hoc quoque, quod canonem illum regulis patrum Nicenorum neutiquam dubitarunt eſſe contrarium. Quam ob rem Patres Concilii Calchedonenſis ea, qua poſſunt, verborum utuntur lenitate, ut Leonem pertrahant ad conſenſum; atque hæc eſt confirmatio Decretorum, quam poſtulant enixiſſime. *Rogamus*, inquiunt, *& Decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis adjicimus conſonantiam, ſic & ſuminitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Verum non adimplevit, quia canoni huic viceſimo & octavo confirmationem, id eſt, conſonantiam non adjecit, dum Synodi Nicenæ regulis derogare ſe nec poſſe, nec debere credidit. Quare ſi rationem, cur Synodus Calchedonenſis hac in re Leonis adſenſum obtinere non potuerit, diligenter quis adtendat, inveniet, eam tum demum eſſe, quæ Pontificem Romanum & Synodi Calchedonenſis Patres Niceno ſubjicit Concilio. Atque hoc quam maxime hic urgendum eſt, & quidem ex epiſtola Leonis poſt quinquageſimam tertia ad Anatolium, & epiſtola poſt ſexageſimam prima ad ipſam Synodum Calchedonenſem ſcripta, è quarum utraque manifeſtum eſt, Leonem ſeipſum cuſtodem canonum Nicenorum, imo vindicem atque executorem præſtare, & Synodum Calchedonenſem Nicenæ Synodo ſubjicere, qua nimirum parte canonem Synodo Nicenæ oppoſitum condidit. Hæc duo per æternitatem non efficient illud argumentum, quo probetur, quod Bellarminus ſuſcepit demonſtrandum. *Quinto*, ſuper adhuc eſt Synodus ſexta, quam Bellarminus Actorum quoque confirmationem ab Agathone Papa petiviſſe ſcribit, ipſa Synodi verba non referens, in quibus notanter orant Pontificem Synodi Patres, ut *iterum* ea, quæ circa fidem orthodoxam ſunt ibi conſtituta, confirmare velit & conſignare, quia nimirum Agatho & Synodus Romana Epiſcoporum centum & viginti quinque in epiſtola ad Imperatores, quæ actione quarta fuit lecta & adprobata, Fidem orthodoxam contra Monothelitas primum confirmarunt & conſignarunt. Itaque ſi ex eo, cum Agatho Fidem orthodoxam iterum confirmaturus eſt, ſequitur, Agathonem eſſe ſupra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium, id non minus ſequetur ex eo, quod primum eandem confirmavit Fidem; neque id tantum de Agathone, ſed etiam de Synodo Romana ſequetur. Sic nempe philoſophandum eſt ad mentem Bellarmini, nec ille poteſt aliter philoſophari, ut ineptiſſimum philoſophandi modum effugiat. Sed pergit Bellarminus: *Quod autem Pontifices aliquando Conciliorum Decreta reprobaverint, quod eſt apertum ſuperioritatis ſignum, patet ex Baſilio, qui ex epiſtola ad Athanaſium, quæ eſt ſecunda poſt quinquageſimam, ſcribit, videri bonum ſibi, ut roge-*

Digitized by Google

tur Pontifex Romanus, ut aliquos in Græciam mittat, qui ejus nomine irritent Concilium Ariminenſe. Ipſe Damaſus etiam in Epiſtolas ad Illyrii Epiſcopos reprobat Concilium illud. Atqui ex Leone modo vidimus, id quod apertum eſſe ſignum dicitur illius ſuperioritatis, quam Bellarminus adſtruit, nullum eſſe, tantum abeſt, ut apertum ſit. Baſilius vero rationi conſentaneum arbitratur, ut Pontifex Romanus ingentes illas concertationes, quibus propter Ariminenſe Concilium Eccleſia apud Cæſaream Cappadocia diſtrahebatur, etiam atque etiam adtendat, deinde ut ſuam de hoc Concilio ſententiam exprimat, ne quis, quantum conjicere licet, illius ſilentium ducat in conſcientiam & adprobationem Concilii, quod in Provincia propria, id eſt, Romana fuerat celebratum, at non interfuerat Pontifex, cui tamen inter ac præeſſe debuerat. Sed illud vel neſciunt, vel diſſimulant, qui hoc utentes Concilio Arianorum partes ibi fovent, & in Fidei Nicenæ regulam atque in Catholicos atrociter invadunt. Tum Baſilii indicat uſitatum apud Romanos morem, quo res ponderoſæ in Synodo tractari ſolebant, ac inde mitti Sacerdotes ad Provincias, qui adflictos propter religionem populos conſolentur, atque in accepta Majorum fide confirment. Hinc Baſilius temporum difficillimorum conſcius exiſtimat, mittendos non eſſe Sacerdotes, qui Decretum Synodi deferant Cæſaream, ſed ſatis eſſe, ſi quidam ea authoritate & ingenii dexteritate præditi mittantur, qui, quæ Arimini per vim & violentiam fuerant geſta, ſic geſta, ac proinde caſſa & irrita eſſe declarent. Præterea Baſilius quidem adprime noverat, ipſo jure caſſum ac irritum eſſe Ariminenſe Concilium; ſed qui diſtorti erant apud Cæſaream & ingenii obliquioris, id non norunt, aut ſi norunt, diſſimularant, quo facilius tumultuentur. Quocirca Pater ſanctus, cum is foret ſuſpectus, Romæ mitti curat homines idoneos, qui in auferendo collaborent præjudicio, quod nonnulli fecerunt ex hoc Ariminenſi Concilio. Denique Baſilius negotium iſtud tacite & ſine ſtrepitu tranſigendum eſſe cenſuit, ne qui tale fecerant præjudicium, ſi Legatorum Romanorum adventum præſentiſcerent, illum modis omnibus impedirent, & forſan violentas manus Legatis inferrent. Ex hac autem Baſilii prudentia & conſilio, quod in hac ad Athanaſium epiſtola proponit, quis unquam præter Bellarminum colliget, ullum à Baſilio datum eſſe ſignum, quo Papam abſolute ſupra Eccleſiam univerſalem & generale Concilium eſſe oſtenderetur. Quin etiam in oppoſita ſe verſari ſententia non obſcure docet in epiſtola poſt ſeptuageſimam ſeptima ad Epiſcopos Occidentales ſeu tranſmarinos ſcripta. Utrum vero Athanaſius apud Pontificem Romanum effecerit, ut votis Baſilii reſponderetur, non extat. Id vero certum eſt, Athanaſium in epiſtola ad Africanos præ ſe ferre, Concilium Ariminenſe authoritatis eſſe nullius, tum quia Synodo Nicenæ fuit oppoſitum, tum quia, quæ ibi ſunt geſta, per vim & contentionem ſunt facta. Ad Damaſum vero ſi tranſeamus, ei Bellarminus tribuit ſoli, quod ſimul etiam cæteris Occidentalibus Epiſcopis eſt tribuendum, uti teſtatur Theodoretus libri ſecundi capite poſt decimum ſeptimo, unde ad Bellarmini mentem ſic convenit argumentari: Epiſcopi Romæ in Concilio congregati, nimirum, Damaſus & cæteri, Concilium Ariminenſe irritum, & plurib⁹ in eo Epiſcopis ſubreptum eſſe declarant; igitur Damaſus eſt ſupra &c. Iterum: Nec Pontifex Romanus, cujus ſententia ante omnia erat expectanda, nec alii plures Concilio huic Ariminenſi ullum præbuerunt conſenſum; ergo ſolus Pontifex Romanus eſt ſupra &c. Quis autem adeo futiles & vanas conſecutiones non rejiceret? Has nempe ſimpliciter expoſuiſſe eſt validiſſime eas confutaſſe. Verum adhuc pergit Bellarminus: *Similiter Leo in epiſtola poſt quinquageſimam quinta ad Pulcheriam ſcripta inquit: Conſenſiones Epiſcoporum repugnantes regulis Canonum apud Niceam conditorum mittimus in irritum, & per authoritatem Petri definitione prorſus generali caſſamus.* At Bellarminus teſtimonium Leonis partibus ſui nobilioribus truncatum exhibet, quod integrum ſic habet: *Conſentientes Epiſcoporum repugnantes regulis canonum apud Niceam conditorum unita nobiſcum Fidei veſtræ pietate mittimus in irritum, & per authoritatem Petri definitione prorſus generali caſſamus,*

in

in omnibus his obſequentes legibus Eccleſiaſticis, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum per trecentos & octodecim Epiſcopos inſtituit Spiritus ſanctus, ita ut etiamſi multo plures alii quam illi ſtatuerent aliquid decernere, in nulla reverentia ſit habendum, quidquid fuerit à prædictorum conſtitutione diverſum. Nimirum Bellarminus verba hæc, *unita nobiſcum Fidei veſtræ pietate*, quæ ad Pulcheriam Imperatricem pertinent, è media ſuſtulit oratione, & quæ ſequuntur verba, *definitione prorſus generali caſſamus*, omnino reſecuit. Et quidem ideo priora ſuſtulit, ne, quod eſt Leoni cum Pulcheria commune, videretur, & ne Pulcheria in partem canonis abrogati, quo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ prærogativa ſanciebatur, veniſſe crederetur, atque ut iis ita conſtitutis poſſet facilius concludere, Papam ſupra Concilium eſſe. Nam ſi reliquiſſet verba, quæ ſuſtulit, periculum erat, ne quis jure pari concluderet, Pulcheriam quoque ſupra Eccleſiam & Concilium eſſe. At Pontifex Leo hæc verba ideo addidit, quia Principibus canonum cuſtodiendorum curam cognoverat incumbere, de quo teſtatur in Epiſtola poſt ſeptuageſimam quarta ad Leonem Auguſtum ſcripta. Poſteriora autem ideo reſecuit, ne Pontificem legibus Eccleſiaſticis obſequentem videret ac lectori ſuo proponeret, neve id quod faciebat Pontifex, Synodi Nicenæ facere conſtaret authoritate. Quapropter non adpoſite quidem ad rei veritatem, ſed ad ſcopum operis inſtituti mutilavit. Nam qui nunc Romæ ſic ſcriberet, uti Leo ſcripſit, non quidem in Sedis Apoſtolicæ, ſed in curiæ reprehenſionem incurreret non modicum, ac indicii prohibitorio adſcriberetur, uti Leo nuper cum pluribus aliis Pontificibus Romanis & Synodo Florentina adſcriptus eſt in libello quodam, qui *cenſura reſponſionis contra Norbertum Cillorium* inſcribitur. Hæc autem dolentius deplorandum eſſe quis non videt; Inſuper audiamus Bellarminum ſic diſputantem: Leo conjuncta ſibi Pulcheriæ Imperatricis pietate & opera miſit in circuitum, quidquid Synodi Calchedonenſis Patres ſecundum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dignitatem pronuntiaverunt; ergo ſeorſim à Pulcheria eſt abſolute ſupra Synodum Calchedonenſem. Rurſus Leo, quidquid Synodi Calchedonenſis Patres in gratiam Antiſtitis Conſtantinopolitani decreverant, caſſum & vacuum reddidit, quod illud Canonibus Nicenis repugnaret; igitur Pontifex poteſt abrogare, quidquid Calchedonenſis aut alia Synodus generalis veræ etiam rationi & regulis paternis conſentaneum meditata prorſus conſtitutione definivit. Porro Bellarminus lectorem ſuum oblitus eſt monere, Epiſcopum Conſtantinopolitanum confirmata ſibi per Synodum Calchedonenſem dignitate uſum ſemper eſſe, tametſi Leo effecerit, ut canon de ea factus cæteris Concilii canonibus non adderetur, & Pontifices Romanos Leonis ſucceſſores in eum conſenſiſſe tum demum, cum reſiſtere amplius non potuerunt. Tandem addit Bellarminus: *Gregorius libri quarti Epiſtola poſt triceſimam quarta ſcribit: Cuncta illius Synodi acta Sede Apoſtolica contradicente ſunt ſoluta.* At fucum hic etiam fecit, cum Gregorium ſeu ſedem potius Apoſtolicam perinde objicit, ac ſi Concilii cujuſdam generalis Decreta ſolviſſet. Verum res aliter ſe habet. Johannes ſcilicet Antiſtes Conſtantinopolitanus fecerat Synodum, in qua ſe nuncupaverat Epiſcopum univerſalem. Hoc diſplicuit duobus Romanis Pontificibus, Pelagio nimirum ſecundo & Gregorio huic primo, chriſtianæ ſimplicitatis ac modeſtiæ amantibus, qui Synodum hanc abrogandam eſſe cenſuerunt. Gregorio ſapienter ediſſerente, cur id factum ſit. Et quidem primo in libri quarti Epiſtola poſt triceſimam ſexta ad Elogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum ſcripta; deinde in epiſtola ad Conſtantinam Imperatricem ſcripta, quam Bellarminus laudavit. Atque hæc eſt Hiſtoria, quam nos Bellarminus voluit celare, qua timuit, ne cum deprehenderemus ſic argumentantem, Gregorius Synodo particulari, quæ res novas & Eccleſiæ toti injurioſas decreverat, anteponitur; ergo etiam Synodo univerſali, quæ non ita ſe gerit, anteponitur. Vel: Gregorius Evangelii & veterum canonum, qui ſuum cuique & Patriarcharum, & Metropolitanorum & Epiſcoporum honorem adſerunt, præſidio munitus particularem Johannis Conſtantinopolitani Synodum quatefecit; ergo etiam poteſt qua-

tefacere Synodum universalem, quæ suum cuique honorem esse conservandum decernit, canones Nicenos vindicans. Quid ita? Gregorius seu Pontifex Romanus est supra &c. Hoc enim est lemma, quod Bellarminus ex facto Gregorii probandum sibi sumsit, sed ridicule & absurde Nunc adposite dici potest de Bellarmino, quod Johannes Fischerus Episcopus Rossensis præclare scripsit in libro de unica Magdalena: *Qui rationes invalidas & inefficaces adfert, perinde est, ac si nullas adtulisset, imo, longe satius ei fuisset, si nullas adduxisset. Cum enim quis aliquam sententiam nulla ratione fultam producit in medium, simpliciter & nudis eam verbis adjerens, dubitare de illo adhuc possumus, num aliquid abditum soliditatis habeat, quid innitatur, cui hactenus non explicuit. Verum, qui opinionem suam rationibus munit, quæ palam sunt invalidæ, nullisque roboris, profecto seipsum prodit hallucinatum fuisse, atque fallacibus inductum rationibus, ut ita opinaretur, suumque ita errorem ipse facit manifestum, quando cunctis apertissime liquet, eam omni solide carere basi.* Sic Bellarminus in hac materia describitur, sic descriptus agnoscitur. His autem omnibus subjicio galeatam eamque communem universim iis, quæ antea de singulis Bellarmini argumentis cominus sunt disputata, observationem. Ponamus enim Synodum Nicænam decrevisse, quod non decrevit, & Conciliorum firmitatem Pontifici Romano tribuendam esse; Bellarminus tamen ex tali Decreto non conficeret, quod in probatione hac intendit conficere. Quid ita? Synodus Nicena statuit Canone quarto: *Ut firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Episcopo tribuatur Metropolitano.* Ex hoc autem canone non licet inferre, Metropolitanum esse supra Concilium Provinciale, atque ab hoc Concilio judicari non posse aut deponi, etiamsi causa subsisteret legitima. Hic unus est scopulus, ad quam unaquæque Bellarmini ratio non solum adpelliatur, sed etiam vehementissime frangitur. Superest modo, ut, quid sit, Acta Conciliorum adprobare & confirmare, ex doctrina Pontificum Romanorum exponatur. Ad consignandam vero hujus rei notionem sufficient duo, Leo & Martinus, uterque hoc nomine primus. Et quidem Leo in Epistola post sexagesimam prima ad Synodum Calchedonensem scripta ex professo tractat, quid sit, Acta Conciliorum adprobare, ac seipsum in exemplum rei proponit, cum acta Synodi Calchedonensis adprobavit expresse scribens ad Patres in Synodo congregatos, se per adprobationem Gestorum Synodalium propriam cum iis iniviisse sententiam. At propriam cum Patribus Concilii inire sententiam, nihil est aliud, quam definientibus Concilii Patribus adsentiri. Martinus hoc ipsum confirmat in Epistola ad Amandum, Trajectensem Episcopum scripta, in qua postulat, ut Antistites Gallicani Synodo coacta confirment ea, quæ Synodus Romana pro Fide orthodoxa adversus hæreticos & potissimum Monothelitas definierat. At Martino Synodum confirmare est Synodo consentire, & Synodo consentire, Leoni est propriam cum Synodo sententiam inire, quæ omnia unum & idem sonant. Quin & Cyrillus Alexandrinus hanc notionem præoccupavit in Epistola ad Acacium Melitensem Episcopum scripta, uti & Theodoretus supra citatus scribens, Silvestrum Legatis suis dedisse potestatem Actis Synodi Nicenæ adsentiendi. Hæc est igitur vera confirmationis & adprobationis Conciliorum notio, quæ Pontificem Romanum nec supra Concilium adtollit, nec liberum ab errore immunemque facit in definiendo, alioquin Antistites etiam Gallicanos Martinus sic supra Concilium adtolleret, ac liberos ab errore immunesque faceret in definiendo, si verba ejus ad sensum tam alienum detorquerentur. Imo singuli quoque Præsules, qui Synodo cuipiam consentiunt, illa duplici gauderent prærogativa, Hinc Bellarminus illam notionem vel ignoravit, vel dissimulavit; & si non ignorasset vel dissimulasset, nos onere confutandarum rationum, si tamen rationes dici possunt somnia, sublevasset, quas, ut probet, Papam supra Concilium esse, ex Synodorum adprobatione & confirmatione depromsit. Quidquid in causa, certe Bellarminus libri tertii de Translatione Imperii capite quarto veterem illam notionem rejicit, quod ea Nicolaus Cusanus libri tertii de Concordantia capite quarto utatur. Cusani hæc sunt verba: *In Conciliis univer-*

Digitized by Google

verſalibus concurrit in primo gradu authoritas ipſius Papæ per conſenſum cum aliis omnibus Concilium celebrantibus. Vigor nihilo minus definitionis non eſt ab ipſo primo omnium Pontifice, ſed ex communi omnium & illius & aliorum conſenſu dependet. Bellarminus contradicit, libros de Concordia Catholica ſcriptos eſſe a Cuſano adhuc juvene, & in gratiam Concilii Baſileenſis atque eorum, qui tum nihil magis optabant, quam aliquid dici vel ſcribi, quo Pontificis Romani minueretur authoritas. Et primo quidem inter Cuſanum juvenem & Bellarmiuum ætatis maturæ virum hoc intereſt, quod juvenis ille antiquam Pontificum Romanorum ſententiam ſequatur, atque Vir ætatis maturæ abjiciat eam. Deinde, non parva Concilii Baſileenſis laus eſt atque commendatio, quod in illius gratiam Leo & Martinus, Pontifices Romani, Cyrillus item ac Theodoretus, Epiſcopi celebres ſcripſerint aliquid, atque Concilium illos ſequatur. Tum demum fallitur Bellarminus, ſignificans, id quod Cuſanus ſcripſit, tum primum in gratiam Concilii Baſileenſis inventum eſſe. Nam anno ſeculi poſt Chriſtum decimi & quinti viceſimo & nono, Johannes Saracenus, Ordinis Dominici Profeſſor, Licentiatus in Theologia, coactus eſt Pariſiis hanc revocare propoſitionem: *Quandocunque in aliquo Concilio inſtituuntur aliqua, tota authoritas dans vigorem ſtatutis in ſolo ſummo reſidet Pontifice*, & contrariam Veritatem profiteri ut certam: *Quandocunque in aliquo Concilio inſtituuntur aliqua, tota authoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto, & Eccleſia catholica.* Tunc autem temporis nullum adhuc Baſileæ celebrabatur Concilium, quod adeo notum eſt, ut hic non recenſeretur, niſi ſeries orationis exigeret.

Chriſtianus Lupus *ibid. p. 725. & ſeq.*

COntra hoc Launoji examen obſervat, videri cum cum alio quodam hujus ſeculi ſcriptore eruditiſſimo diſtinguere relationem à poſtulatione confirmationis, & quidem admittere illam, ab hujus autem debito Synodos generales abſolvere, addens, *hanc ſententiam fundamento non carere.* Et nihilo tamen minus multa, ſed ordine confuſo congerit, quæ ipſam confirmationem, & quidem authoritativam videntur adſtruere. De Synodo Calchedonenſi hoc habet, circa fidei Decretum & Dioſcori Patriarchæ Alexandrini degradationem Apoſtolica & relationis & *ſuffragii* jura Leonem per literas partim, partim per legatos expleviſſe plenario, nequaquam vero circa Canones, præſertim circa viceſimum & octavum, quo eum aliorum Patriarcharum ac Primatum injuria ampliabatur (ſecundum opinionem Romanenſium) Dignitas ſedis Conſtantinopolitanæ. Hinc igitur laudatum, inquit, cum iſta degradatione Decretum Synodus retulit duntaxat, de canonibus vero adjunxit: *Indicamus, quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete & propter Eccleſiaſticorum ſtatutorum firmitatem definivimus, ſcientes, quia & veſtra ſanctitas addiſcens & probatura & confirmatura eſt eadem.* Subjungit Lupus Epiſcopo Conſtantinopolitano delatam à ſe dignitatem Synodus adfirmat vetuſtam, addit, & à Principe & à Senatu deſiderari Synodalem ipſius firmitatem, atque conatur demonſtrare, eam Canonibus adverſam non eſſe, multis ſtudens demulcere Pontificem, his concludens verbis, quæ Launojus etiam adduxit, cum additione ſequentium: *Sic enim & pii Principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ ſanctitatis judicium firmaverunt.* Notanda ſunt verba, inquit Lupus: *Summitas tua filiis adimpleat.* Lucidioribus verbis non poterat profiteri Synodus ſe Pontifice inferiorem. Notanda ſunt & hæc: *Tanquam legem tuæ Sanctitatis judicium firmaverunt.* Quin etiam ad rem præſentem hæc ſunt notanda; *Sicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam.* De Synodo Conſtantinopolitana, videlicet prima, monet itidem Lupus, quod eguerit Apoſtolica confirmatione, & ipſam omnino poſtulaverit, verbis nimirum ſequen-

quentibus : *obſecramus veſtram Reverentiam, ut rebus à nobis legitime & ſecundum Eccleſiæ Canones conſtitutis congratuletur, ſpirituali charitate nos mutuo devinciente, & timore Divino omnem humanam ad factionem reprimente, ac Eccleſiarum ædificationem Amori & Benevolentiæ, qua Singuli Singulos complectuntur, anteponente. Quod ſi Doctrina Fidei hunc in modum conſenſu communi ſit ſtabilita, & chriſtiana charitas in nobis confirmata, poſthac deſinemus dicere, Ego quidem Pauli, ego autem Apollo.* Quis inficietur, ſcribit iterum Lupus, per lucida adeo verba poſtulari Decretorum confirmationem, uti omnino oportebat. Iiſdem veſtigiis ambulavit Synodus Epheſina, tres ad Pontificem Cœleſtinum faciens Relationes. Primam quidem poſt formatum Fidei Decretum, degradatum Neſtorium ac Johannis Antiocheni Patriarchæ in hæc Acta turbas. Periit aut latet hæc Relatio, ad quam extat Reſcriptum Cæleſtini, quod hæc exhibet verba : *Direximus pro noſtra ſollicitudine fratres & conſacerdotes noſtros, qui iis, quæ aguntur, interſint, & quæ à nobis antea ſunt ſtatuta, exequantur, quibus præſtandum à veſtra Sanctitate non dubitamus adſcenſum, quandoid, quod agitur, pro Eccleſiæ univerſalis ſecuritate videatur decretum.* Secundam fecit poſt reſtitutum à novis Cœleſtini legatis Cyrillum & datam in factionem ac perſonam Johannis Antiocheni Patriarchæ Sententiam, de qua expreſſum Pontifex non dederat mandatum vel *Suffragium*, id legatorum permittens Prudentiæ, Synodo in ea hæc inter alia ad Pontificem ſcribente : *Quæ à tua Pietate decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ſolida firmaque debere permanere, & idem omnes tecum ſtatuimus.* Nempe, quod juxte Suffragium Apoſtolicum Synodus *judicavit*, retulit ſolummodo, non poſtulavit ejus firmitatem, ex omni parte enim firmum videtur fuiſſe iſtiuſmodi judicium. Tertia relatio fuit de electo & conſecrato in Neſtorii locum Maximiano, quæ etiam latet aut periit, ad quam vero plura extant Cœleſtini reſcripta, quæ perſonam & electionem Maximiani lucide confirmant. Nec enim eligendi perſonam deſignaverat Pontifex, & electum aliqui de ambitu adcuſaverant, atque hinc confirmativo Pontificis *Suffragio* fuit omnino opus. Hæc quidem omnia ſuadent, cunctis ſimilibus Synodorum generalium Decretis nullam Sedis Apoſtolicæ confirmationem eſſe neceſſariam. Reſpondeo tamen, inquit porro Lupus, eſſe neceſſariam. An vero hanc neceſſitatem Bellarminus demonſtraverit authentice, alia eſt Quæſtio. Interim poteſt ea omnino authentice demonſtrari. Exordium facit à Synodo Nicena, quam à Silveſtro confirmatam fuiſſe ait probare quoſdam ex Athanaſii literis ad Epiſcopos Africanos ſcriptis, in quibus teſtatur, quod Synodi Nicenæ Decreta ab omnium ubique Provinciarum Synodis fuerint examinata. Sed ipſe agnoſcit Lupus, hunc Athanaſii locum aliquid innuere, ſed nihil evincere, dum Synodi Nicenæ Acta non per ſolum Silveſtrum, ſed per varios Primates gentium Epiſcopos tranſmiſſa fuerint ad Provincias. Hinc pro Aſſertione hac ait alios adducere Teſtimonium Synodi Romanæ ſub Felice tertio ex literis ad Civitatis Regiæ & Bithyniæ Clerum, in qua Epiſcopos ſeptem & ſeptuaginta fuiſſe ſcribit, putatque, eos Acta Synodi Nicenæ non ignoraſſe, nec ignorare potuiſſe, *viderique* eos adfirmare, illa & relata fuiſſe ad *Eccleſiam Romanam*, & petitam atque datam iſtorum confirmationem. Addit, verba hujus Epiſtolæ adeo Launoii oculos percuſſiſſe, ut aliud ad ea neſciverit reſpondere, quam ea de natalibus ſpuriis adcuſare. Et quia Launojus ſic argumentatus eſt, ſi in eis ulla veritatis umbra reperiretur, traditionem iis contentam omnes ante & poſt Felicem Pontifices & Authores, quos copioſe adduxerat, fuiſſe ſecuturos, reſpondet Lupus, eos eſſe ſecutos ; Verum, ut rem tunc omnibus notam literis conſignarent, nullam exegiſſe neceſſitatem, cum omni Eccleſiæ fuerit manifeſtum, quod Apoſtolicam generalium Synodorum regulam *ſervaſſent* Niceni Patres. Pergit vero Lupus contra contra Launojum, quis Epiſtolam Synodi Romanæ ſub Felice tertio interpolavit & ſpuriam intrulit clauſulam ? Producantur ab hoc additamento libera hujus Epiſtolæ exemplaria eaque authentia, aut deſinamus in veneranda Antiquitatis chriſtianæ documenta tam horrende pro vanis cogitationibus noſtris graſſari. Et quidem graſſatio

hæc,

Digitized by Google

hæc, uti nullum habet fundamentum, ita & nullam neceſſitatem. Nec enim laudata Synodus Felicis tertii relationem Nicenam Silveſtro factam, aut huic ab illo datam confirmationem laudat, oculos ad hunc ſcopum non dirigens, adfirmans ſaltem, Synodum Italicam Pontifici Romano ſubeſſe per omnia & hujus ſolius *Suffragium* iſthic eſſe deciſivum, omniumque ibidem actorum confirmatione & authoritatem ab uno illo eſſe, ac ita agnitum fuiſſe & firmatum à ſexto Canone Niceno. Proinde fateor, ſic porro Lupus, ingenue ſatis contra morem ſuum, pro Synodi Niceenæ ad ſedem Romanam relatione, aut illius per hanc confirmatione, nullum hucuſque lucidum & authenticum inveni Antiquitatis teſtimonium. Verum Apoſtolica Synodorum generalium lex non ſinit me de ipſis dubitare. Quod enim Synodi generales & faciendæ ad Pontificem Romanum relationis, atque ab Ipſo expectandæ confirmationis onus & debitum habeant ex Apoſtolico Canone, demonſtat Synodus Calchedonenſis, quæ non ſolum Canones ſuos, ſed etiam Fidei Decretum ac Dioſcori degradationem, licet ex Leonis mandato, atque ejus propoſitionem, & juxta ejus *Suffragium* judicaſſet omnino retulit eidem, atque ſupplicavit ab ipſo confirmari. Lucid. id in Literis ad Leonem Auguſtum teſtatur ac profitetur Agapetus Rhodiorum Epiſcopus ac Provinciæ Inſularum Metropolita, ſcribens : *Patres Calchedonenſis non aliud quidquam præter immobilem & fundatam Fidei rectæ expoſitionem decreviſſe cognovimus, ob quam rem & pene omnes occidentalium partium DEO amabilis Epiſcopi conſentientes ſibimet, & pariter decernente Sanctiſſimo atque Beatiſſimo Leone Urbis Romanæ Archi Epiſcopo, literis propriis & oris ſui confeſſione ea, quæ ab ipſis ſanctis Patribus Calchedone collectis interpretata ſeu explanata ſunt de Domini noſtri Jeſu Chriſti Incarnatione, confirmaverunt atque conſignaverunt.* Et his Agapeti Literis Epiſcopi comprovinciales, licet non Synodaliter ob hibernæ navigationis pericula, ſinguli tamen in Sedibus ſuis ſunt adſtipulati; quod ipſum teſtatos eſſe cunctos, quos laudatus Imperator Leo conſuluit, Provinciarum Orientalium Synodos, adfirmat atque demonſtrat in famoſa, (quam Gregorius Eccleſiæ Romanæ tunc Diaconus creditur compoſuiſſe) ad Eliam Aquilejæ Metropolitam Epiſtola Pelagius hoc nomine ſecundus. Et, quid opus eſt teſtibus? Ipſe Leo Pontifex ad Imperatorem Marrianum, omnes veneni Eutychiani reliquias evellere conantem Epiſtola poſt quinquageſimam nona ſcripſit : *Id facilius clementia veſtra arbitratur implendum, ſi per Eccleſias univerſas ſanctæ Synodi Calchedonenſis Definitiones Apoſtolicæ Sedi doceantur placuiſſe.* Et porro : *De quo quidem Ratio non fuit ambigendi, cum ei Fidei omnium conſenſus adceſſerit ſubſcribendo,* quæ *ad me ſecundum formam Doctrinæ Apoſtolicæ et paternæ Traditionis eſt emiſſa; atque per Fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia ad Gloriam veſtram atque ad Antiſtitem Conſtantinopolitanum Scripta direxerim, quæ evidenter oſtenderent; me ea, quæ de Fide Catholica in prædicta Synodo ſunt definita, ad probare.* Ex quibus lucet, quam infeliciter Apoſtolica confirmatio lautis etiam Calchedonenſis Synodi decretis adſeratur fuiſſe ſuperabundans. Sic Apoſtolicam confirmationem poſtulavit Synodus ſexta univerſalis, in relatione ad Agathonem, in qua adfirmat ac multis prædicat, ſe ex mandato Papali ad factam ab ejus legatis propoſitionem, & juxta literarum Apoſtolicarum *Suffragium* de omnibus *judicaſſe*. & tamen ſupplicat Acta ſua per nova Reſcripta Apoſtolica *iterum* confirmari. Atque hinc de omni Synodo generali ſcribit Gelaſius ad Dardaniæ Epiſcopos : *Prima Sedes unam quamque Synodum authoritate ſua confirmat, & continuata moderatione cuſtodit.* Et in opuſculo de Vinculo Anathematis lucide adfirmat, Synodos generales non prævio ſolum mandato, propoſitione agendorum ac *Suffragii* prærogativa, ſed inſuper Examine Actorum & impertita ipſis authoritate à Pontifice Romano confirmandos eſſe, adfirmans, hanc eſſe in Sacris literis fundatam Majorum tradionem ac Eccleſiæ regulam, ideoque Pontificem Romanum poſſe ex ejuſdem Actis Synodi unum firmare, aliud evacuare. Hoc ipſum clamat & ſupponit Relatio per Synodos facienda ad Pontificem Romanum, quam à Launojo admitti credo; Synodalis namque Relatio preces accipiendæ

piendæ confirmationis licet non exprimat, omnino tamen comprehendit atque ſuppo-nit, ſunt enim relationi conditio intrinſeca. Porro Synodus Calchedonenſis aliter Fidei decretum atque Dioſcori degradationem, aliter Canones ſuos, viceſimum præſertim octavum, merito retulit, ac iſtius duntaxat confirmationem expreſſis ſupplicavit verbis, quod nempe is citra Sedis Apoſtolicæ mandatum, Relationem atque *Suffragium*, & citra legatorum ſcientiam decretus eſſet, atque ſic non tanquam ſanus & integer confirmari, ſed tanquam caducus & claudus per Pontificem deberet ſanari & ſuppleri; eademque fuit ratio primæ & ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ.

Breves pro Launojo Vindiciæ.

SUnt bona malis, ſunt mala bonis hinc inde mixta in hoc Lupi diſcurſu, qui, quamvis vocem quandoque videtur immutare aliqua ex parte, ac probare Launoji Sententiam, ſemper tamen aliqua intercedit raucedo, ubi hoſtem imperterrito vultu ſibi videt adpropinquare. Bene eſt, quod Launojum non ſolum id fatetur, in quo diſcedit à Bellarmino, ſed Virum hujus Seculi eruditiſſimum ei adjungit; ſine dubio ex ordine & numero Scriptorum Romanæ Sedi addictorum, quia hæretici hic in nullum veniunt cenſum, qui cum eo diſtinguere videatur inter Relationem, quæ omnino admittitur honoris & conſenſus cauſa, & poſtulationem confirmationis, à cujus debito Synodi generales abſolvuntur, in quantum videlicet ſtatuitur, quod ſine hac Synodorum generalium & in eis ſtatutorum nulla plane ſit authoritas valorque nullus. Melius adhuc, quod hanc Sententiam agnoſcit fundamento non carere, id certe ſcripturus nunquam, niſi hujus fundamenti firmitatem ſimul agnoviſſet, quod pro ſingulari Veritatis agnitæ præjudicio debet haberi, quæ hanc confeſſionem invito etiam expreſſit. Omnium optime, quod Bellarmini defenſionem in ſe ſuſcipere non eſt auſus, ac inſuper faſſus ingenue, quidquid aliis videatur in hoc argumento occupatis ſingulari ſtudio, Synodum Nicenam, quæ hactenus ſemper pro Synodorum generalium norma & cynoſura fuit habita, ob teſtimonii alicujus irrefragabilis defectum in exemplum jactatæ hujus confirmationis trahi non poſſe. His certe præſuppoſitis cætera, quæ pauca pluribus Launoji opponenda ſtatuit Lupus, hæſitante utplurimum calamo, & non ſine aliqua contradictione, Elencho facili caſtigabuntur, iiſmet ipſis Teſtibus in ſubſidium admiſſis vel adſumtis, quorum authoritate Launojum obruere ſtuduit. Quamvis vero jam fuerit obſervatum, ordinem, quo Launojus hoc argumentum tractavit, à Lupo inverſum fuiſſe, ſequi tamen placet hujusveſtigia, ne quid videatur ſtudio prætermiſſum. Id adhuc in anteceſſum notatu dignum eſt, quod Lupus hic plerumque Confirmationem Pontificiam voce *Suffragii* exhibuit, hac ipſamet prodens cauſam, quia nemo hactenus rei Eccleſiaſticæ peritus illud Pontifici Romano derogavit, quod Epiſcopis omnibus ſemper fuit commune. Hinc ambabus quod ajunt manibus amplectimur Sententiam hanc quæ *Suffragium* Pontifici Romano adſcribit, utpote quod nullam Superioritatem impertat, niſi quoſvis Epiſcopos jus illud habentes Synodis velimus dicere ſuperiores, quod omnino abſurdum. Ad ſpeciem nunc ut deveniamus, de Synodo Calchedonenſi, quæ in tractatione Launoji ordinata locum occupat penultimum, agit Lupus hic à principio, in medio & circa finem, & quidem ita, ut in labyrintho videatur verſari, perpetuæ obnoxius contradictioni. Mox enim ſtatuit, Leonem Jura Sedis Apoſtolicæ exercuiſſe circa Decretum Fidei & Dioſcori degradationem retuliſſe tantum, Canonum autem rogaſſe confirmationem. At meminiſſe debebat Lupus, Bellarminum judicaſſe, ad Superioritatem Pontificis Romani pertinere non adprobationem modo Conciliorum atque in iis ſtatutorum, ſed reprobationem quoque, ita ut juxta mentem ejus Concilia, & quæ in iis erant decreta, comet ipſo nullius fuerint valoris & authoritatis, ſi confirmatione deſtituerentur Pontificia, multo magis adhuc, ſi expreſſe erant reprobata. Obliviſci non debuit Lupus diſtinctionis

Digitized by Google

nis hujus, quæ non parum momenti confert ad hoc negotium, ſi argumentationi Bellarminianæ & ſequacium ſit inſiſtendum. Atque dum fatetur, Leonem circa Canones Synodi Calchedonenſis Jus Sedis Apoſtolicæ non exercuiſſe, ſemet ipſum privat argumento, quod Bellarminus habuit inter præcipua, utut à Launojo valde enervatum, ea præprimis ratione, quod etſi Leo Canones imprimis octavum, qui ſudes erat in oculis Majeſtatem Romanam venerantium, hodie etiam quovis pretio ejus expunctionem, ſi poſſibilis eſſet, redemturorum, ſua authoritate noluit confirmare vel album addere calculum, nihilo tamen minus in Eccleſiis Orientalibus ſemper in ſuo manſerint vigore & obſervatione perpetua, cui tempore ſequenti nec Occidentales potuerint refragari, ſed tandem coacti ſint admittere, in documentum & Exemplum, Pontificis Romani confirmationem denegatam vel expreſſam abrogationem Canonum authoritati Synodorum generalium nihil quidquam detraxiſſe. Unde id etiam patet, quam incogitanter ſcripſerit Lupus, Canonem viceſimum & octavum hujus Synodi cum aliorum Patriarcharum & Primatum injuria conditum fuiſſe, dum nullus ex Orientalibus legatur aliquod gravamen contra eum protuliſſe, aut ſuper aliqua exinde injuria conqueſtus eſſe, quem potius omnes & ſinguli Suffragio communi tanquam æquitati congruum ſtabilierunt, poſtquam eis fundamentum certæ Rationi ſuperſtructum in prima Synodo generali Conſtantinopolitana fuit poſitum, neque res amplius in eo fuit ſtatu, ut ab Occidentalibus poſſet in quæſtionem controverſam atque dubiam vocari, Imperatoribus authoritate ſua pondus & momentum grande addentibus. Quod vero Patres hujus Synodi verbis mollioribus & ſupplicem habitum præ ſe ferentibus à Leone horum Canonum adprobationem viſi ſunt rogare, non ideo id factum eſſe credi debet, quaſi hac ratione Pontificem Romanum Synodo generali ſuperiorem agnoverint, ſed quia Eccleſiarum Orientalium & Occidentalium uti in rebus Fidei contra quoſvis hæreticos, ſic & in Regimine Eccleſiaſtico harmoniam unice deſideraruntt, prout ultimæ Relationis Synodalis verba à Lupo ſtudioſe prætermiſſa docent, quæ ſic habent : *Ut autem cognoſcatis*, quia nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adverſando, ſed ut Nutu gubernati Divino; omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus, ad comprobationem noſtræ Sinceritatis, atque ad eorum, quæ à nobis geſta ſunt, confirmationem atque conſenſionem, firmitatem &*conſonantium*. Hæc certe ſatis oſtendunt, quæ mens fuerit Patrum in hac Relatione, quibus ſi tum ſtatim Leo præbuiſſet adſenſum, magnam meritus eſſet laudem. Apoſtolicæ præſertim Humilitatis, qua dum caruit, parem ſibi nolens agnoſcere, ſuſpicionem non vanam prudentibus rerum æſtimatoribus injicit, ab eo ſpiritu ſe jam tum aliqua ex parte occupatum fuiſſe, quem Gregorius ſucceſſor expreſſe vocavit Antichriſtianum, ab aliquot nunc Seculis primas in Sede Romana tenentem. Sit de cætero; vocaverint Patres Synodi Leonem caput, ac ſe filios, Modeſtiæ id eorum fuit, ut honorem ei exhiberent, quem in Hierarchia Eccleſiaſtica, non ex alio autem, quam mere Politico reſpectu primum occupare locum ſciverunt, quo tamen ſuperbire & ſupra alios præter debitum ſe extollere nefas fuit. Ea tamen hinc inde huic inſecuerunt Relationi, quæ Leonem reciprocæ Humilitatis potuerunt admonere, ut quando eum volunt *addiſcere* cauſas & rationes, quibus ducti Canones, & viceſimum imprimis octavum pro quiete ordinata condiderunt, addentes, quod pii Principes judicium ejus *confirmaverint* tanquam legem, de ſemet ipſis teſtati, adjiciſſe ſe bonis ab eo per Legatos propoſitis conſonantiam, quæ talia certe ſunt, quibus rite ponderatis eum jactata Superioritate nullus eſſe poteſt locus, ac facile credi poteſt, ea Leoni ad palatum non fuiſſe, atque confirmationem deſideratam impediviſſe. Agapeti epiſtola ad Leonem Auguſtum, cujus authoritate Lupus contra Launojum utitur, pro Launojo contra Lupum militat, dum conſenſui Pontificis Romani & conſenſum Occidentalium Epiſcoporum præmittit, id minime facturus, ſi ſufficiens fuiſſet ſolius Pontificis Romani conſenſus, ut mirum videri debeat, auſum fuiſſe Lupum hoc teſtimonium producere in medium, quo gladium contra

Digitized by Google

se tradidit in manus Launoji, quo posset confici. Nec meliori sorte elegit Epistolam ipsius Leonis ad Imperatorem Marcianum, utpote in qua etsi rem alicujus momenti commendavit sedis Apostolicæ consensum, non tamen simul neglexit insinuare communem omnium Episcoporum præsentium in subscriptione facta consensum, quod nimirum adtinet Decretum Fidei, quam ubi secundum formam Doctrinæ Apostolicæ & paternæ Traditionis emissum ad se scribit Leo, non respicit jus illud atque onus vel debitum petendæ à Pontifice Romano confirmationis, ad quod Lupus provocat, sed intelligit fundamentum ac normam Decreti, quod in causa fidei contra erroneam Eutychetis doctrinam à Patribus Synodi fuit firmatum, utpote Apostolorum Doctrinæ ex asse congruum. Quæ circa finem de Synodo hac Calchedonensi repetit Lupus, ex antedictis arguuntur. Ad Synodum Constantinopolitanam primam ut cum eo retrogrediamur, is iterum ex epistola Synodali ad Pontificem Damasum suimet oblitus ea Lectori exhibuit, quæ verius & commodius contra ipsum possunt adhiberi, ostenditque Launojus verbum *congratulandi vel congaudendi*, quod in versione hujus Epistolæ legitur, nihil plane ad rem facere, nisi quis risum eruditis velit præbere, integro contextu non ullam superioritatem, sed charitatem potius spiritualem mutuo devincientem cum timore Divino omnem humanam adfectionem reprimente, ac Ecclesiarum ædificatione omni privato amori anteponenda graviter urgente, hac addita observatione emphatica, fore, ut doctrina Fidei consensu communi stabilita & christiana charitate sic confirmata, posthac non opus sit dicere, *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ*; in quorum adductione cur Lupus omiserit ultima, *ego autem Cephæ*, & quæ sequuntur immediate, *dum omnes videlicet adpareamus Christi, qui divisus in nobis non est*, ipse viderit, re non parum suspecta, si æqua ponderetur lance. Quod Synodum adtinet Ephesinam, recte quidem de ea monuit Lupus, quod iisdem cum Constantinopolitana vestigiis institerit, sed minus bene intellexit, ad argumentum Bellarmini eam trahens, omni destitutus subsidio ex ea. Nam quod ad triplicem ejus relationem, quam ad Pontificem Cœlestinum fecerit, provocat, effugium est inane, partim ideo, quia relationem concedi à Launojo agnovit, adeoque extra quæstionis terminos vagatur, partim ideo etiam, quia fatetur, primam & ultimam relationem Synodi ad Cœlestinum aut omnino periisse, aut adhuc latere. Quæ vero ab apocryphis authoritas vel probatio? Adcedit insigne documentum fraudis, per quam Lupus totum hoc negotium fecit suspectum. Nempe ut relationis primæ defectum suppleret, adducit verba quædam ex epistola Cœlestini ad Synodum, qua eum relationi huic respondisse scribit, sed alio plene sensu, quam alias exhibentur. Ea sunt postrema, quibus obsignatur epistola, atque sic habent: *Misimus ad vos sanctos Fratres ac probatos comministros nostros, qui nostra in se cura susceptæ Actis vestris intererunt, quæque à vobis sunt constituta, suo calculo denno confirmabunt. Non dubitamus autem, quin Sanctitas vestra illos ad consensum communem sententiaque dictionem sit admissura; quæ vero decreveritis, ea pro omnium Ecclesiarum tranquillitate habeantur definita decretaque.* Conferat lector hæc verba, uti in Tomis Conciliorum leguntur, cum verbis, prout Lupus ea exhibuit, & magnum utrobique discrimen observabit. Id inprimis pro specimine temeritatis nullam omnino excusationem admittentis debet haberi, quod Lupus ausu desperato pronominalem voculam *vobis* in *nobis* per metamorphosin & transsubstantiationem iniquissimam transmutare conatus est, cogitans, habiturum se lectores plane stupidos, & qui cuncta à se prolata quasi ex tripode provenientia sint suspecturi, neminemque futurum, qui in rei hujus veritatem debita sollicitudine inquirat, ac ipsos Codices Conciliorum evolvat. Fraus hæc est non pia, sed quam maxime impia, per quam causa in se desperatissima adhuc magis redditur suspecta, & qui semel malus invenitur, non sine causa alias etiam indignus judicatur, cui quis serio rem agens tuto possit adhibere fidem, ingenio præsertim momenti sublimioris, ex quo Fidei salvificæ dependet fundamentum. Hinc cautos hoc quoque

Ex-

Digitized by Google

Exemplum facere poteſt lectores Notarum Lupi in Canones Conciliorum, magnam farraginem exhibentium undequaque conquiſitorum ex omni antiquitate Eccleſiaſtica teſtimoniorum, ne ſine prævio examine & oculata Codicum ipſorum inſpectione quod vis imponi patiantur ſibi contra veritatem Hiſtoriam. Turpiter autem ſe dant atque proſtituunt Aulæ Romanenſis adulatores, quibus volucre eſt, dum aperto Marte victoriam deſperant, per inanes hoſce cuniculos Eccleſiæ Chriſti muros ſuffodere, cum nunquam deſint aliqui ſanctæ Aletheæ filii, quorum diligentiam zelus pro DEI domo adcendit, ut vana hæc ſtratagemata publico orbis chriſtiani Theatro exhibeant larvam deteſtandis & imprudentibus hiſce Paraſitis detrahentes. Ululet jam Lupus cum ſuis, qui cauda vulpina fraudis ſuæ veſtigia non ita potuit velare, quo minus in apricum producantur & Veritatis Hiſtoricæ ſectatoribus innoteſcant. Erubeſcat, ſi quid ingenui pudoris ſuper adhuc eſt apud eum, qui in gratiam offæ, quam è Culina Romanenſi expectat, omnem videtur decoxiſſe fidem. Ægrius etiam non ferat, ſi deprehenſus in foſſa, quam ipſe ſibi paravit, pro fraudis manifeſte Magiſtro à cunctis ſinceritatem amantibus habeatnr ac publice proclametur. O frater Lupe, aſinum te dicerem, ſed non fratrem, ſi hujus animalis ſimplicitas & ſtupor id permitteret, cui tamen forte aliquem concedere oportebit locum, ſi hoc onus ab aliis tibi oppoſitum agnoſcas ingenue. Cautius hinc poſthac mercari diſcas, non quidvis pro quovis ſine omni delectu & judicio in chartam congerens, ſed omnia prius probe & exacte ponderans, ne temetipſum & alios in turpem ſeduci ſinas & ſeducas errorem; cum minime hic agatur de lana, ut ajunt, caprina, vel aſini alicujus umbra, niſi pro aſini umbra quis velit habere vanum & inanem illum honorem, quem Pontifex Romanus à tot ſeculis tanto ambit ſupercilio, procul remotus à via Humilitatis, in qua Chriſtus luculenta reliquit veſtigia, cujus ſe Vicarium eſſe gloriatur, titulo hoc non niſi in verbis conſiſtente. Sed è diverticulo, quorſum Lupus aberrans nos deduxit, ad ſcopum, ſcilicet teſtimonium ex epiſtola Cœleſtini deſumtum, in cujus adductione uti Frater Lupus manifeſtæ falſationis reus modo eſt deprehenſus, ita ſi cætera ejuſdem verba adtendamus, alia quoque ſe obferent, quæ in Launoji magis quam Lupi gratiam videbuntur ſcripta. Quid enim quæſo eſt, quod Pontifex Legatos ad Synodum miſſos vocat *Fratres & comminiſtros ſuos?* Ita certe non ſcripſiſſet, ſi ſe ſolum omnibus ſuperiorem agnoviſſet. Quid porro, quod ad Patres in Synodo congregatos ſcribit legatos hoſce ſuos Actibus eorum *interfuturos*? Præfuturos ſcribere debuiſſet, ſi authoritatem Synodi à Pontificis authoritate judicaſſet dependere. Quid eſt denique quod præter conſenſum communem, ad quem admitti ſuos deſiderat legatos, Synodi Decreta, quæ nondum cognovit, qualia ſint futura, vult haberi loco definitionum in Eccleſiis omnibus? Aliis nempe verbis hæc concepiſſet, ſi Decretorum Synodalium vim ſuæ tantum confirmationi adſcribendam putaſſet. Longe nimirum prudentior & magis circumſpectus fuit Pontifex Cœleſtinus, quam qui hodie non die novam ſtatus Romani in Eccleſia rationem fingunt, atque coloribus undequaque conquiſitis, rectius fucis depingunt vel potius turpiter deformant. Circa *ſecundam* Synodi relationem ad Cœleſtinum dupliciter iterum impingit Lupus, ſemel cum ab ejus legatis Cyrillum dicit reſtitutum, quod tamen à tota Synodo factum hæc ipſa relatio indicat non obſcure, ſi modo cum adtentione debita perlegatur, & Synodi acta per circumſtantias ponderentur; iterum, quando ex hac relatione, & verbis ex eadem adductis Pontifici aliquam conciliare ſtudet authoritatem, cum tamen vi Veritatis iterum coactus agnoſcere cogatur, fuiſſe ſolummodo relationem; & verbis ex eadem, nec poſtulaſſe Patres Synodi in ea geſtorum confirmationem, quod in gratiam Launoji poteſt ſufficere, quem admiſiſſe relationem, repudiaſſe vero confirmationem, videlicet authorativam, ſupra teſtatus eſt. Idem fere dici debet de *tertia* relatione. Præterquam enim, quod hanc cum prima vel adhuc latere, vel omnino periiſſe ſcribit, adeo nullum inde ſubſidium ſperare potuit, quæ ex jactatis Cœleſtini reſcriptis ad eam urget Lupus,

quod nimirum ex iis constet, ad electionem Maximiani in locum Nestorii opus fuisse suffragii Pontificis confirmativo, eatenus largimur, quatenus suffragium hoc omnibus Episcopis in Synodo præsentibus fuit commune, à quo ad superioritatem argumentari, esset, quod Launojus non semel observavit, omnes in universum Episcopos Synodo præponere. Atque ut de relationibus illud observetur adhuc, si exinde Pontifici Romano aliqua adcrescit authoritas, quia Synodus ad eum retulit, quæ in eadem gesta fuerunt, multo major erit authoritas Imperatorum, ad quos humiliori longe stylo relationes de gestis sunt conscriptæ, & qui multis precibus sunt rogati, ut Acta velint confirmare. Quin etiam ad alias plures Ecclesias hic & ibi relationes à Synodo pro consensu & confirmatione scriptas esse manifestum est, quibus tamen aliquam supra Synodos authoritatem nemo prudens hactenus adscripsit. Sicuti autem ex adductis ipse Lupus agnoscere fuit coactus, confirmationem sedis Apostolicæ, utut in præsenti tantum de persona Pontificis Romani agatur, non esse necessariam, quod si ab initio agnovisset, omni hoc labore & opera potuisset supersedere, cum id unum intenderit Launojus; ita, qua mentis pertinacia fuit Lupus, non erubuit hoc non obstante lectori imprudenter inculcare, eam nihilo minus esse necessariam, utut non obscure fatsus, Bellarminum authentice eam non demonstrasse. Hinc ipse ausus hoc negotium suscipere, lectorique persuasum volens, id posse fieri, à *Synodo Nicena* initium probationis fecit quidem, sed tamen post multos superinde sudores non potuit non tandem fateri, nullum se lucidum & authenticum invenisse pro Synodi Nicenæ ad sedem Romanam relatione testimonium ex antiquitate, hac quamvis cum clausula, Apostolicam Synodorum generalium legem non permittere, ut hac de re possit dubitare. Verum destitutus lege, quam protulisse in medium, maximum operæ pretium fuisset, lectoribus adtentis & hic largam ridendi materiam præbuisset, si argumenti pondus admitteret risum. Calchedonensem certe Synodum nihil de hoc canone Apostolico scivisse, ex ante dictis clarum est, nec ulteriori indiget demonstratione. Et si forte in ea quidquam posset observari, quod aliqua saltem ex parte videretur hanc legem insinuare, nova oriretur quæstio, cur in antecedentibus tribus Synodis generalibus nulla omnino de eadem occurrat quæstio, nominatim, cur non in Nicena, quam supra dixi omnium Conciliorum ex communi sententia normam & cynosuram, cujusve acta præstant luculenter, & pluribus circumstantiis descripta, in quibus tamen, si millies evolvantur, nihil plane potest inveniri, quod aliquam hujus rei speciem referret, ex qua posset formari pro relationis & rogandæ confirmationis debito argumentum. Launojus certe diligentissimus antiquitatis Ecclesiasticæ scrutator omnes curiosissime forulos excussit, sed nihil omnino occurrit, in quo pedem quis posset figere. Et quia Lupus ad aliorum in hoc argumento labores provocavit, quamvis ipsi ex asse satis non videantur facere, videamus tamen, quid inde sibi possint promittere, qui vestigia Bellarmini prementes authoritatem Pontificis Romani supraconciliarem defendere latagunt, inter quos, si quis alius, certe Lupus noster suum extare nomen voluit, his etiam observationibus aliorum de suis aliqua inspergens, quibus Launojo ægrius facere studuit, quem semel sibi statuit Antimachum, plura tamen ejus tristi prætermittens silentio, quia quod ei opponeret, non invenit. *Athanasii* testimonium quod adtinet, in literis ad Episcopos in Africa testantis, Synodi Nicenæ Decreta ab omnium ubique Provinciarum Synodis fuisse examinata, putavit quidem Lupus, *hoc aliqui innuere, sed nihil evincere.* Quid si vero quis hæc Athanasii verba perpendens adcuratius dicat, non solum ea nihil evincere, sed etiam plane nihil innuere, videlicet, quod ad præsens pertinet negotium? Atque oportet Lupum linceos valde oculos habuisse, qui illud in hoc testimonio vidisse se putat, quod nemini etiam oculatissimo hactenus perspectum fuit. Debebat autem omnino, si quid in eo observavit huic rei idoneum, id lectori indicare, nec eum tenere suspensum, quem sibi duxit informandum. Verum, si quod res est, velimus fateri, oculatior videri voluit, quam revera

fuit

fuit. Debebat autem omnino ſi quid in eo obſervavit huic rei idoneum, id lectori indicare, nec eum tenere ſuſpenſum, quem ſibi duxit informandum. Verum, ſi quod res eſt, velimus fateri, oculatior videri voluit, quam Revera fuit Lupus noſter, talpa non raro cœcior, adque clariſſimos Veritatis radios in mera die titubans. Hæc certe verba nihil innuunt aliud, quam quod ipſe Paraphraſtes ſcripſit innuere nimirum, Acta Synodi Nicenæ non per Silveſtrum ſolummodo, ſed per varios Primates & gentium Epiſcopos fuiſſe ad Provincias transmiſſa; quod juſta mentem ejus propriam nihil evincit aliud, quam id, quod Pontifex Romanus præſtitit circa divulgationem Synodi Nicenæ, ab aliis quoque Primatibus & Epiſcopis factum eſſe, &, ſi quæ Pontifici Romano exinde adſcribi poſſit authoritas, eam non ſingularem ei eſſe, ſed cum cæteris Primatibus & Epiſcopis communem. Hoc eſt, quod Athanaſii teſtimonium innuit & evincit, nihilque aliud, ut ſtupidos eſſe oporteat eos, qui peculiare quid ex eo per vim exſculpere vel extorquere ſatagunt, quicunque etiam ſint, quorum nomina lectori ſiſtere Lupus non fuit auſus. Sed alterum quoque teſtimonium imbecilli nititur fundamento, Epiſtolæ videlicet Synodi Romanæ ſub Felice tertio, quam non ſine cauſa & ratione Launojus vel interpolatam, vel omnino ſpuriam eſſe conjicit, ideo præſertim, quia id de Synodo Nicena refert cujus nullum plane in antecedentibus ſcriptis occurrit documentum, qui defectus hanc relationem non parum facit ſuſpectam, quam merito licet referre inter teſtimonia, quæ vocantur domeſtica, inque omni Jure ſemper habita fuerunt invalida, ſi res contra adverſarium debuit ventilari. Calva autem valde eſt excuſatio Lupi, qui hujus rei indicium putat minus fuiſſe neceſſarium, cum omni Eccleſiæ fuerit manifeſtum, Patres Nicenos Apoſtolicam Synodorum generalium Regulam obſervaſſe. At gratis dicitur, quod nullo plane teſtimonio poteſt probari. Apocryhum videlicet fuit hoc Relationis confirmatoriæ Myſterium uſque ad tempus Synodi Romanæ ſub Felice tertio, ubi demum apocalyptis facta eſt. Scilicet, Patres Niceni obſervarunt Apoſtolicam Synodorum generalium Regulam, quam viderunt nunquam, quæ fuit nuſquam, nulla ante Nicenam Synodo generali extante, juxta communem & receptam hactenus Sententiam, niſi fortean in Utopia, unde plures Romani advectæ ſunt merces, quas inter non immerito hanc quoque Epiſtolam Synodi Romanæ ſub Felice tertio retulit Launojus, à quo, niſi id turpe duxiſſet ſibi Lupulus noſter, diſcere potuiſſet, ubi Exemplum hujus Epiſtolæ ab hoc additamento libeum extet, nimirum in Adpendice Sirmondi ad Codicem Theodoſianum, ac ex inſtituta collatione hujus laciniæ falſitatem agnoſcere. Non eſt hæc graſſatio horrenda, ut lupina phraſi utar, in veneranda Antiquitatis Chriſtianæ documenta, nec caret fundamento hæc Criſis quam maxime neceſſaria, ut poſthac dediſcant Mercatores fraudulenti novas ſub ſchemate Antiquitatis merces orbi chriſtiano obtrudere, videntes, ſuper adhuc eſſe ſinceritatis amantes, qui verum à falſo didicerunt diſtinguere, poſtquam Eccleſia per aliquot Secula ſpuriis Mercibus hiſce tantum non plane fuit oppreſſa. Sit Nomen Domini benedictum, quod in hoc ipſo cœtu ubi venalia hæc maximo cum adplauſu exponebantur, exorti ſint prudentes quidam Viri, qui fraudem hanc ſubolfacientes in gratiam Veritatis Hiſtoricæ has merces ſuppoſitas eliminare cœperunt, ac ſpuria à genuinis ſecernere. Largiatur is idem porro Gratiam, ut S. Alethea plures ſemper in poſterum habeat cultores, quorum ſtudio Antiquitas vera ac ſine fuco reniteat, priſtinoque reſtituatur cultui, omni novitate nunquam non ſuſpecta in perpetuum proſcribenda exilium. Ut vero Lupum adhuc ſemel de hujus teſtimonii ex Epiſtola Synodi Romanæ ſub Felice tertio deſumti uſu percipiamus, putat is, hanc Launoji exceptionem, de qua modo dictum, contra hujus Epiſtolæ teſtimonium non eſſe neceſſariam, cum in ea non laudetur Synodi Nicenæ Relatio facta Silveſtro, aut confirmatio ab hoc data, ſed illud ſaltem adfirmetur, Synodum Italicam ſubeſſe Pontifici Romano per omnia, & hujus ſolius ſuffragium iſthic eſſe deciſivum, omniumque ibidem actorum confirmationem & authoritatem ab uno illo

eſſe

eſſe, ac ita agnitum fuiſſe & firmatum à ſexto Canone Niceno. Multa hic congerit Lupulus, quæ Examen aliquod rigoroſius deſiderant. Hoc vero, ut eo ſincerius procedat, lubet adponere verba, quæ ipſemet ex hac Epiſtola Lectori commendavit, alias, ſi abſque hoc foret, æternis ſepelienda tenebris. Nempe, ex Chriſti ad Petrum voce, *Tu es Petrus* &c. laudat Eccleſiæ primatum ſcribens: *Hanc vocem ſequentes trecenti decem & octo ſancti Patres apud Niceam congregati confirmationem rerum atque authoritatem Sanctæ Eccleſiæ Romanæ detulerunt, quam utramque uſque ad ætatem noſtram Succeſſores omnes cuſtodiunt.* Jucica Lector quocunque etiam judicio prædite, quid de Commentario & Gloſſa Lupi ſit ſtatuendum, annon verbis ab ipſomet productis vim intulerit manifeſtam. Sit autem ita, reſpexerit Epiſtola hæc non Nicenam generalem; ſed Italicam tantummodo particularem Synodum, quem ergo in finem hoc teſtimonium producitur, cum agiter de Synodi Nicenæ ad Pontificem Silveſtrum relatione ac ejuſdem confirmatione, tanquam documento, Pontificem Romanum eſſe ſupra Concilium generale? Conſultius nimirum eſſet, id omnimodo premere ſilentio, ſi tantum in eo agatur de authoritate Pontificis plenaria ſuper Synodum Italicam particularem. Nam id ſi ſit, ad præſcriptum Bellarmini lemma, cui Launojus ſe oppoſuit, plane non pertinet, ut non prolixe urgeatur, ad hujus etiam Thematis de Pontificis plenaria ſuper Synodum Italicam particularem authoritate demonſtrationem impertinenter valde adduci ſextum Canonem Nicenum, qui expreſſe & in ſpecie de Synodali authoritate non agit, & ſi, quam Pontifici Romano poteſtatem adſcribit in generæ, hanc quoque ſpecialem ſimul ſubintellexiſſe credi debet, nihil id peculiare ei adtulit, quod non Alexandrino quoque & Antiocheno per hunc Canonem, & per ſequentem Hieroſolymitano, imo per ſanctionem Synodi Conſtantinopolitanæ primæ & Calchedonenſis, uti ſupra fuit obſervatum, Conſtantinopolitano etiam voluerit eſſe, & poſtea factum fuerit commune. Sed quia Lupus ipſe poſt omnia & irritum tentata vi Veritatis coactus agnovit, neque hoc, neque alia ad præſens inſtitutum argumenta eſſe idonea, ut Synodi Nicenæ Relatio & confirmatio ex iis demonſtretur, neque nos ultra iis inhærebimus, hoc tantum adhuc obſervantes, Lupum mire pertinacem eſſe, dum hoc non obſtante, nihilo tamen minus iterato audet ſcribere, ſe propter Apoſtolicam Synodorum generalium legem de hac re non dubitare. Fidem oportet habere Scriptor hic vere heroicam, qui de eo non dubitat, quod tamen nullo plane authentico, ut ipſe loquitur, Antiquitatis teſtimonio poteſt demonſtrare, non neſcius, eſſe in hoc ipſo Cœtu, in quo vivit, & cujus cauſam agit. Viros prudentes & valde circumſpectos, qui de eo non ſolum dubitant, ab omnibus nimirum documentis ad hujus rei demonſtrationem pertinentibus deſerti, ſed inſuper etiam omnino id infiiciantur, Actis rerum in publica luce geſtarum plane contrarium ad oculos demonſtrantibus, niſi quis eos ultro & malitioſe velit claudere, atque ad ſolis radios cœcutire. Quod ſuper adhuc eſt de Synodo ſexta, ad cujus authoritatem in lemmatis propoſiti demonſtratione Bellarminus etiam provocavit, præterquam quod Launojus ex particula adverbiali, *iterum*, oſtendit nullitatem argumenti exinde deducti, Lupo eandem non ſine nauſea crambem recoquente, id etiam ex adductis ab eodem verbis cauſæ non parum obeſt, quod Synodus expreſſe de omnibus, quæ occurrebant, ſe ſcripſit judicaſſe, hoc uſa verbo, quod ſingularem præ ſe fert authoritatem, ita, ut quamvis ſimul iteratam confirmationem à Pontifice deſideraverit, pro illius temporis ſtatu & conditione id non alium in finem credi debeat factum, quam Pacis & Concordiæ cauſa, atque ut orientales Eccleſiæ cum occidentalibus viverent unitæ. Ad Gelaſii verba ſufficienter reſpondit Launojus è prolixiſſime, nec quidquam habuit in promtu Lupulus ex omnigenæ Eruditionis ſuæ theſauro, quod exciperet. Quæ autem Gelaſius idem in opuſculo de Anathematis vinculo, prout Lupus eum introducit loquentem, habet, provocans ad Traditionem Majorum ſacris literis fundatam ac Eccleſiæ Regulam, bonum adſcribi potuiſſet factum, ſi nullum pro hac traditione è S. literis teſtimonium fuiſſet laudatum,

ut

Digitized by Google

ut indè firmum de hac Eccleſiæ Regula, cujus nullum hactenus è prioribus Synodis generalibus documentum vere authenticum, &, uti Lupus requirit, lucidum potuit adduci, formaretur judicium. Frivolumque eſt valde, in quo tamen non parum putat eſſe ſitum Lupus, quod relationis Synodicæ conditionem intrinſecam eſſe ſcribit deſideratam confirmativam, ita ſcilicet authoritativam, ut ſine ea nullus ſit valor Decretis Synodalibus. Si enim hoc ſit, eadem ſenſus erit ratio & idem relationum Synodicarum ad Imperatores & Imperatrices, quin etiam plerumque ad alios in vicinia & alibi Epiſcopos factarum, quos omnes & ſingulos ob hoc ipſum Synodis facere ſuperiores, lemma Bellarminianum longe tranſcendit. Quod tandem de Synodo Calchedonenſi eum faſtidio non plane nullo recoxit Lupus, cujus ſit commatis, ex ſupra obſervatis conſtat, ut nulla hic opus eſſe videatur repetitione. Stantque de cætero pleraque, quibus Bellarminianæ demonſtrationis inanitatem probavit Launojus, è ſilentio Lupi adhuc inconcuſſa, manebuntque porro inviolabilia conſtanter, Lupo id præſtante, quod erat in viribus, ultra quas nemo unquam ſe ſenſit obligatum.

Bellarminus *ibid.*

Demonſtraturus & porro confirmaturus, quod capite poſt decimum octavo antecedenti in ſe ſuſceperat, Pontificem non poſſe ſeipſum ſubjicere Sententiæ Conciliorum coactivæ, reſpondere etiam conatur ad objectiones & argumenta in contrarium, ea nominatim, quæ actiones Concilii & Conſtantienſis & Baſileenſis reſpiciunt.

Launojus *ibid. Epiſt.* 6.

HOc negotium contra Bellarminum & adſeclas tractat prolixe, provocans primo ad Concilium *Piſanum*, de quo poſtquam è Spicilegio Lucæ d' Acherii memoratu digna recenſuit, inprimis, quod Alexander quintus illud variis confirmarit modis, Platina etiam conſentiente cum aliis, quorum teſtimonia in penultima primæ Partis Epiſtola adduxerat, nunc porro obſervat, falli Bellarminum, cum in libri de Conciliis primi capite octavo ſcripſit, illud nec adprobatum, nec reprobatum eſſe videri, ipſa ratione, cur reprobatum non fuiſſe dicit, probante, quod fuerit ad probatum. Ea ſic habet: Si ſine dubio fuiſſet reprobatum, etiam ſine dubio Alexander Pontifex non ſextum, ſed quintum ſe adpellaſſet. Adde, quod eſt fere communis opinio, Alexandrum, & qui ei ſucceſſit, Johannem fuiſſe veros Pontifices. At certe ex tribus, qui tunc ſe pro Pontificibus gerebant, illi maxime ut veri Pontifices colebantur. *Secundo* provocat Launojus ad Concilium *Conſtantienſe*, ac duo ejuſdem Decreta è tertia & quarta ſeſſionibus, uti & quod ſeſſione poſt triceſimam nona de Concilii inductione à futuro Pontifice fuit decretum, Martino Pontifice quinto huic Decreto parente, atque hac ratione illud confirmante, qua major & verior dari non potuerit, ſcilicet per indictionem Concilii, quæ in ſeſſione poſt quadrageſimam quarta fuit facta, quam ſeſſione ſequente iterata Actorum Concilii confirmatio fuit ſecuta, adcedente ejuſdem Martini Pontificis Diplomate, quo condemnationem errorum Wiclefii ad probavit ex una, ex altera autem parte modum admittendi redeuntes ab hæreſi præſcripſit, alibi etiam ſemel atque iterum teſtatus, ſe Papiæ Synodum univerſalem convocaſſe, ut Decretum Concilii Conſtantienſis exequeretur, denique in Concilio Senenſi Concilium *Baſilæ* etiam indicens, ut poſt Septennium celebraretur, itidem juxta Concilii Conſtantienſis Decretum, quamvis ante mortuus, quam hoc Concilium Baſileenſe ab Ipſo indictum celebraretur, manente tamen ejus indictione cujus primis ſeſſionibus præfuit etiam Cardinalis Julianus, quem

Digitized by Google

Martinus designaverat Præsidem, Eugenio Pontifice Martini successore designationem illam habente ratam gratamque, ac Julianum ad illud ablegante testibus literis, quas ad ipsum tunc in Germania, Polonia & Hungaria legationem obeunte scripsit, in iisdem rursus Decreta Concilii Constantiensis adprobans, non nescius quippe, quanta cum deliberatione, quanto cum studio, & quanta cum Traditionum antiquarum intelligentia & maturitate Concilium hoc Constantiense se gesserit, quod inprimis duabus sessionibus Concilii Basileensis præsidente Juliano itidem fuit confirmatum, agnoscente Bellarmino partim in libri de Conciliis secundi capite hoc decimo & nono, partim tertii decimo & sexto, Concilium hoc Basileense legitime fuisse inchoatum, quia legatus adfuerit Pontificis Romani. Utut vero Eugenius non multo post secundam sessionem hoc Concilium Basileense cogitavit transferre Bononiam tanquam in locum, qui Græcis excipiendis spem ad concordiam cum Ecclesia Occidentali facientibus foret opportunior, scribens hunc in finem ad Julianum, Concilium Basileense autem non adsentit, ac Julianus Eugenio rescripsit, ex falsis illis causis fuisse subreptum, curiose tamen diligenterque venit adtendendum, Pontificem ea, quæ Concilium Basileense fecerat, non infirmasse, imo sessione post decimam sexta melius consultum dissolvendæ Synodi consilium deposuisse, & Acta Synodi, quæ præcesserant, Decreto peculiari confirmasse. Pio Pontifice hujus nominis secundo in Diplomate retractationis hoc contestante, quod potest docere, Bellarminum & alios, qui strophis, cavillationibus & calumniis priora Concilii Basileensis Acta impetunt, minime ea perlegisse, aut fucum facere lectoribus suis voluisse. Hisce sic expositis Launojus tria porro proponit expendenda. Primum est, quod nemo tam pertinax sit futurus, qui, quod Alexander quintus Pisanum, Martinus quintus Constantiense, & Eugenius quartus Basileense Concilium in iis, quæ relata fuerunt, adprobaverint, negare audeat, nisi omnem exuerit pudorem. Secundum, quod ex octo primis generalibus Conciliis nullum possit objici, quod à Pontificibus Romanis adprobatum & confirmatum fuerit manifestius & toties, quoties tria hæc posteriora certis ex documentis constat esse adprobata. Tertium, quod, quibus sive rationum momentis, sive argutiis Alexandro Martino & Eugenio subducitur adprobatio Conciliorum octo primorum generalium possit subtrahi, idque multo facilius. Et postquam præter Bellarminum è capite secundo secundi hujus de Conciliis libri Johannem de Turrecremata, Albertum Pighium, Melchiorem Canum, Dominicum Bannem, Gregorium de Valentia, Andream du Vallium, Franciscum à Coriolano, Thomam Comptonum, tanquam Curiæ Romanæ Theologos adduxit, non quod omnes in Curia Romana vixerint aut docuerint, sed quos omnes novas opiniones Curiæ Romanæ animo imbiberint & & passim tradiderint, neque in veterem & perpetuam Sedis Apostolicæ traditionem altius inquisiverint, subjungit Launojus, his authoribus fide Divina credi posse & debere, Pontificem Romanum Ecclesiæ & Conciliis Ecclesiam repræsentantibus subjici, nec supra, sed infra Concilium esse, & qui id neget, in hæresin incurrere, addens, utramque complexionem, quæ ex Theologorum Curiæ sententia deducitur, urgere ac exaggerare, cordatorum & eruditorum hominum injuriam fore. Sunt autem, sic scribit porro Launojus, & aliæ complexiones duæ, quæ ex proposito & adserto lemmate non minus necessario inferuntur. Una, à Pontifice Romano ad Concilium posse provocari, si causa subdit legitima; altera, eundem privilegio non errandi carere, & quia subjicitur Concilio à Concilio in fide & moribus corrigi posse & debere. Quocirca qui Pontificem Romanum Concilio subesse credunt Theologi, & ei privilegium non errandi tribuunt, ad pauca respiciunt & facile pronuntiant, inconsequenter quoque loquuntur, & ἀκρισίᾳ pene incredibili laborant. Sic ergo vindicatam alibi veritatem de manibus eorum, qui seorsim ab antiqua Sedis Apostolicæ traditione sentiunt, extorquemus atque extundimus. Tergiversationi, moræ, cavillationi nullus quaquaversum patet locus, quo tandem se reciperent ac confugerent. Si proferant, ignorasse se, Alexandrum, Martinum,

Digitized by Google

tinum, Eugenium, cui teſtis idoneus & locuples adcedit Pius hoc nomine ſecundus, id adprobaſſe, quod ſole clarius conſtat factum ab iis, quid proficient? Damnabuntur negligentiæ. In re autem tanti ponderis damnati negligentiæ quomodo ſuam in cæteris probabunt diligentiam? Semel malus in eodem genere mali ſemper talis præſumitur. Si proferant, diſſimulaſſe ſe, quod Theologos diſſimulare non oportet, quid inde reportabunt lucri? Damnabuntur κρίνεται Damnati vero κρίνεται quomodo ſuam in aliis fidem adſerent? Si recipiant, non putaſſe ſe, Alexandrum, Martinum, Eugenium id toties feciſſe, quod conſtat ab iis factum, quid inde habebunt excuſationis? Dicere, non putaram, hominis non eſt ſapientis, multo minus ſapientiſſimi. Si tum demum de confirmatione, per quam Alexander Piſano, Martinus Conſtantienſi, Eugenius Baſileenſis Conciliorum Actis prioribus conſentiunt, & eandem cum eorundem Patribus ineunt ſententiam, ut & Leo & Martinus, uterque primus hoc nomine loquuntur, detrahant, exemplo ſibi pernitioſo detrahent; inprimis namque confirmationem hanc, de qua nunc agitur, inutilem & ſupervacaneam eſſe prodent, deinde ſecum pugnabunt, quippe qui per Pontificum Romanorum confirmationem doceant, Conciliis fidem, authoritatem & propemodum omne firmamentum adjungi. Porro, quidquid eſt illud, hoc dilemmate conſtringitur: Si neceſſaria eſt Pontificum Romanorum confirmatio, ex Piſano, Conſtantienſi & Baſileenſi credamus, Pontificem Romanum Concilii ſubjici in iis, quæ ad Fidem, Schiſmata & morum tam in capite, quam in membris reformationem pertinent, confirmatio hæc nobis ſuppetit abunde. Si vero neceſſaria non eſt, non minus ex iiſdem credimus Conciliis, Pontificem Romanum Concilio ſubjici, quam ſi foret neceſſaria. Ab hoc dilemmate non expediet ſe Bellarminus cum adſeclis. Neque vero poſſunt contendere, hanc materiam ad dogmata Fidei non pertinere, id enim contra ſeipſos contenderent. Bellarminus namque libri hujus de Concilii ſecundi capite poſt decimum ſeptimo, cum propoſuit Pontificem ſummum abſolute ſupra generale Concilium eſſe. ſubjungit, iſtam propoſitionem fere eſſe de Fide, atque ſic judicat, rem hanc ad dogmata Fidei poſſe ſpectare. Sed quoniam contrariæ ſunt contrariorum conſequentiæ, Propoſitio hæc, Pontificem ſummum Concilio ſubjici, vel infra Concilium eſſe, ad Fidem poteſt pertinere, atque ut jam vidimus, reipſa pertinet, idque Bellarmini & ſequacium judicio. Et quidem Bellarminus per ignorantiam vel malitiam fallitur, cum ait, propoſitionem ſuam eſſe fere de Fide; ſed non fallitur, cum ſignificat, hanc materiam ad Fidei dogmata poſſe referri, cum ſcribit, Fide Catholica tenendum eſſe, Concilia generalia à Pontifice ſummo confirmata errare non poſſe, nec in Fide, nec in Moribus. Quo pacto propriam mutare debet ſententiam & oppoſitam tenere, nimirum Fide catholica tenendum eſſe, Pontificem Romanum ſubjici Concilio generali, vel infra illud eſſe. Deinde Bellarminus, velit nolit, adſentitur nobis, dum hoc ipſo capite decimo & nono ſcribit, *Quæ definivit Concilium Baſileenſe de ſua authoritate ſupra Pontificem, nullus probavit Pontifex.* At Eugenius, uti ſupra fuit oſtenſum, ſemel atque iterum probavit. Nec diſſentiret Bellarminus, ſi, quæ ſupra adducta, perlegiſſet. Hic ergo Pontifex id fecit, quod Bellarminus fieri ab illo voluit, ut certo poſſet credi, Concilium eſſe ſupra Pontificem. Verum eſt quidem, Bellarminum addere, quæ ſequuntur: *ſed reprobavit inprimis Eugenius Papa, uti patet ex ſeſſione poſt triceſimam octava.* Quo autem modo Eugenius probaret unum idemque & reprobaret, ædificaret atque deſtrueret, imo pugnantia loqueretur. Et qua potiſſimum in re Bellarminus Pontificem errare non poſſe putat, Pontifex erraret, nempe unum & idem probando & reprobando. Sic à Bellarmino Concilii Baſileenſis probatio & improbatio luditur, atque ad illud nunc adſerendum, nunc evertendum, tanquam machina comparatur. Quin etiam Bellarminus in ipſa reprobatione ſibi non conſtat. Nam in tertii de Eccleſia militante libri capite poſt decimum ſexto ait: *A quo tempore Concilium Baſileenſe depoſuit Eugenium, & Felicem elegit, non fuit Concilium Eccleſiæ, ſed Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum &*

nullius prorſus authoritatis. Sed in libri quarti de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, capite poſt decimum quinto longe civilius & humanius loquitur, ſcribens: *Concilium Baſileenſe in ſeſſione poſt triceſimam ſextæ definivit quidem, beatam Virginem ſine peccato fuiſſe conceptam, ſed nec ea definitio facit certam fidem, cum illud Concilium ab Apoſtolica Sede probatum non fuerit, nec ipſum Concilium ſuam ſententiam pro fidei articulo voluit haberi; ſolum ſtatuit enim, eam ſententiam eſſe amplectendam ut piam & cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, Scripturæ & rationi conſonam.* Hic ſemel, iterum & tertio Concilium Baſileenſe vocat, non Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis. Hic vero in teſtimonium magnæ cujuſdam authoritatis in medium edit & profert. Atque iſta eſt deſultoria, ſed inſignis diſputandi ratio, quæ non magnam Authori ſuo fidem adſciſcit. Cæterum ſilentio prætermittendum non eſt, Bellarminum ſupra Martinum Pontificem hujus nomieis quintum in re, quæ ad Concilium Conſtantienſe ſpectat, diminute laudaſſe, cum ſcripſit: *Martinus in fine Concilii Conſtantienſis jubet interrogari ſuſpectos de hæreſi, an non credant, Concilium generale univerſam repræſentare Eccleſiam?* Ubi ſubtrahuntur verba hæc, *etiam Conſtantienſe.* Interrogatio facienda ſic ſe habet: *Utrum credant, quod quodlibet Concilium generale*, etiam Conſtantienſe, *univerſam repræſentet Eccleſiam?* Deinde in præteritis reliquit aliam Interrogationem, nempe hanc: *Utrum credant, quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe, univerſalem repræſentans Eccleſiam, adprobavit & adprobat in favorem Fidei, atque ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus adprobandum & tenendum, & quod condamnavit & condemnat, eſſe Fidei vel bonis moribus contrarium, atque hoc ab eiſdem eſſe tenendum pro condemnato, credendum & adſerendum?* In his autem interrogationibus, quæ & Concilii & Martini Pontificis authoritate fieri debebant, Martinus Concilii initium ab illius progreſſu & fine diſtinxit nuſquam, & ubi non diſtinguitur jure tanti ponderis, nefas eſſet diſtinguere, ne tota vacillaret Johannis Wiclefi, Hieronymi Pragenſis & Johannis Huſſi errorum (videlicet juxta præconceptas Romanenſium hypotheſes) condemnatio, & reliquus Synodi labor funditus periret. Bellarminus illud omne diſſimulat, ut videlicet locum det exceptioni huic, quam tradit in hoc capite decimo & nono, ſcribens: *Reſponderi poteſt, non fuiſſe Concilium Conſtantienſe, cum id adſeruit, hujuſmodi, ut quæſtiones de Fide poſſet definire. Nam inprimis non erat tunc Concilium generale, cum adeſſet tantum tertia pars Eccleſiæ, id eſt, ii tantum Prælati, qui obediebant Johanni; nam qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnabant iis, quæ fiebant à Synodo. Deinde aderat tunc certus Papa in Eccleſia, ſine quo dubia de fide non poſſunt definiri. In Concilio autem nullus erat Papa, Johannes enim, qui Concilium inchoaverat, jam receſſerat inde, cum quarta haberetur ſeſſio.* O ἀκαιρίαν & ſpeculationem cœcam! Hæc enim ſi vera ſunt, Concilium & Martinus ſimul errant, cum Martinus ſacro adprobante Concilio relatas ſupra interrogationes præſcripſit; neque ſolum errant, ſed & plane tentatur Wiclefi, Huſſi & Pragenſis errorum condemnatio, quæ in ſeſſione octava, decima & quinta, decima item & nona eſt facta, abſentibus Johanne, Gregorio & Benedicto, quos Concilium depoſuit, & multo ante ſeſſionem quadrageſimam, & primam, in qua Martinus Pontifex eſt creatus. Sic cum Bellarminus ad pauca reſpicit, ut Martinum ſupra Concilium Conſtantienſe evehat, ipſum ſimul Martinum & Concilium deprimit in tenebras atque in voraginem detrudit, & extinctas à Concilio hæreſes readcendit. Sed hic privata non ceſſant ſtudia, quibus memoratum illud publicum evertitur Bonum, ſic enim pergit Bellarminus: *Neque verum eſt, quod Martinus confirmavit hoc Decretum. Ipſe enim diſerte dixit, ſe confirmare ea tantum Decreta de Fide, quæ facta erant conciliariter, id eſt, more aliorum Conciliorum re diligenter examinata. Conſtat autem hoc Decretum ſine ullo examine factum à Concilio. Itaque Martinus, cum confirmavit Decreta de Fide conciliariter concluſa, intelligebat tantum Decreta de damnatione hæreſium.* At Martinus Decretum, de quo agitur omnino confirmavit, & confirmaſſe ſe

pro-

Digitized by Google

prodidit, cum capiti, *Frequens*, obſecutus indixit Concilium Senenſe. Quæ autem major vel certior quæreretur Decreti confirmatio? Deinde, Bellarminus non fallitur modo, ſed etiam lectores ſuos ludificat, cum ait, *materiam Decreti non fuiſſe examinatam*. Quæ enim unquam materia in Concilio magis fuit examinata, quam iſta, *Utrum Pontifex Romanus ſubeſſet, vel non ſubeſſet Concilio*? Hæc agebatur potiſſimum, & Pontificum abſentium fautores materiæ hujus examinandæ cauſam non præbebant, ſed etiam obtrudebant. Præterea Pontificem Romanum ſubeſſe Concilio & canonibus ſacris, res erat in perpetua Sedis Apoſtolicæ traditione, quæ aliis in epiſtolis eſt expoſita. Hinc gratis & ſine ratione ſcripſit Bellarminus, *Sine ullo examine Decretum hoc à Concilio Conſtantienſi factum eſſe*. Qua enim facilitate hoc adſeritur, eadem & negatur. Quaſi vero Martinus adprobaſſet Decretum, quod ſine ullo examine conditum fuiſſet. Eum vero adprobaſſe Decretum ſupra fuit oſtenſum. Cum vero Bellarminus adjicit: *Martinus cum confirmavit Decreta de fide conciliariter concluſa, intelligebat tantum Decreta de damnatione hæreſium Wicleſi & Huſſi*, non obſcure innuit, ſortiri ſe, quid reſpondeat, ne Concilium hoc vel ejus acta perlegiſſe. Nam de damnatione Hieronymi Pragenſis nullam facit mentionem, quaſi quæ ad errorum illius damnationem pertinent, conciliariter, re ſcilicet diligenter examinata, non eſſent concluſa. Nonne Bellarminus hic tenetur? Communibus nempe locis utitur, qui materiæ nulli, quia omni conveniunt. Sic quidquid in Synodo Nicena, tam in Fide, quam in Diſciplina ſancitum eſt, vocaretur in dubium. Sed pergit Bellarminus: *Neque ſequitur, ſi Concilium in hoc erravit, erraſſe etiam in deponendis Gregorio, Johanne & Benedicto. Nam etſi Concilium ſine Papa non poteſt definire nova Fidei dogmata, poteſt tamen indicare Schiſmatis tempore, quis ſit Papa verus, & Eccleſiæ providere de vero Paſtore, quando is nullus aut dubius eſt*. At, quæ hoc modo diſputat Bellarminus, non diſputaret, ſi recordaretur, Martinum definiviſſe, *Conſilium Conſtantienſe univerſam repræſentaſſe Eccleſiam*. Quod autem Concilium repreſentat Eccleſiam univerſam, dogmata Fidei poteſt ſancire. Hoc vero Concilium Conſtantienſe nunc repræſentaſſe Eccleſiam univerſam, nunc non repræſentaſſe, nemo contendet unquam; cum, ubi Martinus non diſtinguit, quis alius diſtingueret? Profecto, non omnes Bellarmino ſunt ſimiles, qui huic Concilio privilegium non errandi nunc concedit, nunc detrahit, ut ſuis ſerviat placitis. Ad hæc, ſi Concilium Conſtantienſe ſine Papa non poteſt non Fidei dogmata definire, pro non hæretica haberi poſſet illa Propoſitio, quam Concilium hoc in ſeſſione poſt decimam quinta ut hæreticam ſine Papa damnavit: *Tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcumque Vaſallum & ſubditum ſuum, per inſidias clancularias & ſubtiles blanditias vel adulationes, præſtito non obſtante Juramento &c.* At Propoſitio iſta ut hæretica recipitur (potius, rejicitur) ab omnibus, etiamſi, cum hæreſeos eſt condemnata, Concilium eſſet ſine Papa, aut Martinus poſtea illam Bullæ confirmationis non indiderit, aut Propoſitionis condemnationem ſpeciatim non adprobaverit. Hic rhodus, hic ſaltus! Deinde, Eugenius adverſatur Bellarmino in Bulla, quæ in Actione poſt decimam ſexta Concilii Baſileenſis refertur. Nam quamvis Eugenius in ea ſibi ſuffragetur, & in propria pronuntiet cauſa, habere ſe poteſtatem ſuper omnia Concilia, atque ob id ibi dicit, Bullam ſe neſciente editam eſſe, nihilo tamen minus excipit duos caſus, in quibus poteſtatem Conciliorum ſua majorem agnoſcit. Prior eſt, inquo agitur de Fide. Tunc enim, ſi Concilium & Papa diſſentiant inter ſe, Eugenio authore & judice à Concilio potius, quam à Pontifice Romano ſtandam erit. Poſterior, in quo de ſtatu Eccleſiæ univerſalis agitur. Tunc enim, ſi Concilium & Papa diſſentiant inter ſe, Eugenio authore & judice potius à Concilio, quam à Pontifice ſtandum erit. Et quidem Synodus Conſtantinopolitana prima hæreſin Macedonii ſine Papa confixit, & dogma contrarium de Spiritu Sancto conſtabilivit. Damaſus quidem, qui tunc erat Papa, Synodum Conſtantinopolitanam in Romana imitatus & ſubſecutus eſt; & tamen non Romana, ſed Conſtantinopolitana Synodus pro œcumenica & univerſali ſemper eſt habita.

Bellarminus *l.* III. *de Eccles cap.* 3.

Ecclesiæ definitionem exhibiturus sic scribit: Nostra Sententia est, Ecclesiam tantum unam esse, non duas, & illam unam & veram esse cœtum hominum ejusdem christianæ Fidei professione & eorundum Sacramentorum communione colligatum, sub regimine Pastorum legitimorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii, Pontificis Romani.

Launojus *T.* VIII. *Epist.* 13.

PRolixissime circa hoc negotium versatur. Et primo quidem viginti & unum testimonia è sacro utriusque Testamenti Codice adducit, ut ostendant, Ecclesiam esse & vere dici Cœtum fidelium. *Deinde*, longa serie citat testimonia Patrum, Conciliorum, ipsorumet Pontificum Romanorum, aliorum quoque Tractatorum Ecclesiasticorum & celebriorum è Schola Theologiæ & Juris Canonici Magistrorum, videlicet, Justini Martyris, Irenæi, Tertullianiani, Clementis Alexandrini, Origenis, Cypriani, Lactantii, Hilarii, Basilii M. Titi Bostiensis, Paciani, Ambrosii, Epiphanii, Joannis Chrysostomi, Rufini, Hieronymi, Isidori Peluſiotæ, Cælestini Papæ hoc nomine primi, Augustini, Cyrilli Alexandrini, Johannis Cassiani, Prosperi Aquitanici, Theodoreti, Petri Chrysologi, Salviani, Gregorii M. Isidori Hispalensis, Venerabilis Bedæ, Almini, Concilii Parisiensis, Amalarii, Rabani, Walafridi Strabonis, Nicolai Pontificis hoc nomine primi, Altonis Episcopi Vercellensis, Burchardi Wormatiensis, Brunonis, Ivonis Episcopi Carnotensis, Eliæ Cretensis, Heroci, Odonis, Euthymii Tigabeni, Bernhardi, Johannis Cyparissiotæ, Petri Venerabilis, Honorii Augustodunensis, Hugonis Victorini, Lombardi, Arnulphi Lexoviensis, Guilielmi Abbatis Alani, Guilielmi Antissiodorensis, Concilii Lateranensis, Alexandri Alensis, Alberti M. Bonaventuræ, Thomæ Aquinatis, Richardi de villa media, Durandi Mimatensis, Johannis Papæ vicesimi & secundi, Alvari Pelagii, Lirani, Thomæ Waldensis, Gersonis, Testati, Nicolai Panormitani, Nicolai Cusani, Johannis de Turrecremata, Johannis Ragusini, Academiæ Cracoviensis, Antonini Florentini, Pii Pontificis secundi, Dionysii Carthusiensis, Bernardini Senensis, Silvestri Picratis, Concilii Senonensis, Johannis Majoris Parisiensis, Alberti Pighii, Erasmi, Adami Sasboldi, Johannis Diredonis, Catechismi Romani Italice ante Synodum Tridentinam editi; post eam vero Concilii Moguntinensis, Matthæi Orii Parisiensis, Johannis Gropperi, Michaelis Buchingeri, Francisci Torrensis, Roberti Cœnalis, Martini Peresii, Stanislai Hosii, Claudii Espencæi, Melchioris Cani, Simonis Vigorii, Alphonsi Salmeronis, Petri à Soto, Johannis Hesselii, Gentiani Herveti, Gabrielis Prateoli, Michaelis Episcopi Mersburgensis, Clementis Monliani, Petri Vejelii, Caroli Guillartii, Edmundi Augerii, Caroli Bonii, Renati Benedicti, Onuphrii Panvinii, Francisci Lucæ Brugensis, Francisci Febargentii, Edmundi Campiani, Baronii Cardinalis, Johannis Azorii, Jacobi Gretseri, Francisci, Thomæ Stapletoni, Christophori à Sacrobosco, Pauli Natalii, Guilielmi Estii, Jacobi Tirini, qui omnes & singuli, si non verbis iisdem, æquipollentibus saltem definiverint Ecclesiam sacras imitati Scripturas. Nec sane mirum, scribit Launojus, id ita factum esse, cum unusquisque Catholicus, quo foret religiosior, eo constantius novellis obsisteret adinventionibus, atque crederet, rationem Pietatis nihil aliud admittere, nisi ut omnia, qua fide à Patribus essent susceptа, eadem fide posteris consignarentur. *Tertio* observat Launojus, nonnullos è Catholicorum (rectius Romanensium) numero reperisse se Theologos, qui eminentissima hac Ec-

Digitized by Google

Eccleſiaſticæ traditionis ſimplicitate non fuerint contenti, videlicet *Caniſium* & Bellarminum, qui antiquam Eccleſiæ definitionem interpolarint, aut contra bonæ definitionis vel etiam deſcriptionis regulas auxerint, & auctarium inſigni diſcordia nobilitarint. De Caniſio res ſic habet. Is Catechiſmum ſeu ſummam Doctrinæ chriſtianæ edidit Antverpiæ, anno ſeculi ſuperioris poſt quinquageſimum ſeptimo, in qua veterem Eccleſiæ definitionem ſine additamento retinuit. Eadem iterum in lucem prodiit eodem in loco poſt annos tres cum eadem definitione. Poſt tempus illud Catechiſmum recognovit Caniſius, & multa paſſim adjunxit eidem, uti videre licet in Editione, quæ Pariſiis anno poſt editionem ſecundam ſeptimo curata fuit, definitioni primæ & antiquæ addens, *quod ſub uno capite Chriſto, unoque vices ejus in terris gerente maximo Pontifice regatur atque in unitate conſervetur*. Deinde rem paulo aliter comparavit viginti poſt annis in parvo ad uſum Societatis Collegiorum Catechiſmo, ſcribens: *Eccleſia eſt omnium Chriſti fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ ſub uno & ſummo poſt Chriſtum capite & Paſtore in terris gubernatur*. Bellarminum quod adtinet, is Eccleſiam definivit, prout ſupra adſcriptum eſt. Nunc mihi ſummo, ſcribit Launojus, Conciliorum, Patrum, Tractatorum ac Juriſperitorum fuiſſe neminem, qui ante Caniſium & Bellarminum ita definierit Eccleſiam. Hoc autem obſervaſſe, ſi vere obſervetur, traditam à Caniſio & Bellarmino definitionem Eccleſiæ confutaſſe, & novitatis, quæ inter chriſtianos ſuſpecta fuit ſemper, convicciſſe eſt. Poſt adducta Vincentii Lirinenſis è quarto primi contra profanas novitates libri capite verba ſic porro Launojus infert: Caniſio & Bellarmino opponimus primo Antiquitatem, cui inhærendum eſt, & Novitati reſiſtendum. Deinde Caniſio & Bellarmino Nicolaum Pontificem hujus nominis primum, Concilium Lateranenſe, & quidem univerſale, cui præfuit Innocentius hoc nomine tertius, Johannem quoque viceſimum & ſecundum, Martinum quintum, operum Thomæ Waldenſis adprobatorem, Pium ſecundum & Catechiſmum Romanum opponimus. Tum inſuper relatas Doctorum ſententias eidem Caniſio & Bellarmino opponimus. Hinc Cœleſtinum Pontificem primum & Sixtum tertium Caniſio & Bellarmino opponimus. Illum quidem eum in Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos ſcribit: *Deſinat novitas inceſſere Vetuſtatem*. Hinc autem in Epiſtola ad Johannem Antiochenum, ubi ait: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit Vetuſtati*. Denique Caniſio & Bellarmino ipſum opponimus Bellarminum, cum varias Eccleſiæ noſtas exequitur libri de iiſdem tertii capite ſecundo ſcribens: *Secunda nota eſt Antiquitas*. Et paulo poſt: *In omni mutatione inſigni religionis ſemper iſta ſex demonſtrari poſſunt, Primo, Author ejus &c.* At Caniſius & Bellarminus authores ſunt novæ ad Eccleſiæ definitionem adcelſionis; &, quod mireris, cum Bellarminus quempiam ab ea nota, id eſt, antiqua traditione deflectentem reperit, & proprio adpellavit nomine, hunc continuo in opinionis falſæ ſuſpicionem adducit. Quod autem nova ad Eccleſiæ definitionem adceſſio repugnet adcuratæ definitionis vel etiam deſcriptionis legibus, docet vir minime ſuſpectus, Andreas Duvallius, Pariſienſis Theologus, in ſecundam ſecundæ, Tractatu de Eide, Articulo primo, de hac additione obſervans, *magis eam ſpectare ad ſtatum Eccleſiæ, quem in Novo Teſtamento à Chriſto Domino acceperit, ad ſtatum Eccleſiæ hujus vitæ potius, quam ad ejus eſſentiam ab uno quoque ſtatu abſtrahentem*. Caniſius certe illorum, quos Author hic ut Dialecticæ imperitas tacite redarguit, familiam ducit. Sed, quæ ratio perficit, ut Caniſium, & quod habet ſectatores, ita redarguat, eadem & perfecit, ut Bellarminum præterire non poſſit irreprehenſum. Nempe, Cariaſius & Bellarminus idem peccati genus ratione diverſa commiſerunt, ut Caniſius, *quæ ſub uno & ſummo poſt Chriſtum capite & Paſtore*, ſic & Bellarminus, ſub regimine Paſtorum legitimorum & præcipue unius Chriſti in terris Vicarii Pontificis Romani, antiquæ definitioni Eccleſiæ addentes. Hæc autem verba ad ſtatum Eccleſiæ pertinent, non vero ad Eccleſiæ naturam vel eſſentiam, uti ſcite Duvallius notavit; ſiquidem Eccleſiæ natura vel eſſentia in fidelium ſeu Catholicorum

licorum cœtu continetur tota, & eſt vera illius definitio. Quin etiam ſi fieret Eccleſiæ deſcriptio, in ea modus, qua regitur, minime compareret, uti videre eſt in Magiſtrorum plurium teſtimoniis. Nam ſi fieret hominis vel definitio vel deſcriptio, num eam modus ille, quo per univerſum orbem regitur homo, ingrederetur? Uti enim multiplex eſt adminiſtrationis politicæ modus, ſic & homo aliter apud Gallos, Hiſpanos, Anglos & Polonos, aliter apud Turcas, aliter apud Venetos, Genuenſes & ſimiles Italiæ populos, aliter apud Helvetios & Batavos definiretur aut deſcriberetur. Hæc autem eſt abſurda rei complexio, à qua, qui Dialecticæ præceptis ſunt imbuti, nuſquam diſſentient; qui vero iiſdem non ſunt imbuti, facient, quid ſibi videbitur, tota interim errabunt via & toto quoque cœlo, ſi velint. Præterea, de Caniſio & Bellarmino jam fuit obſervatum, quod ii ſuum hocce additamentum ad veterem Eccleſiæ definitionem inſigni nobilitaverint diſcordia. Nam Caniſius Fidelium ſeu Catholicorum congregationem ad ſtatum Monarchiæ reducit, Bellarminus ad ſtatum Ariſtocratiæ, ſeu, quod reipſa idem eſt, ad ſtatum Monarchiæ Ariſtocratia temperatum, quæ ſumma eſt inter utrumque diſcordia. Et, cum inſignem hanc diſcordiam propius inſpicio, temperare mihi non poſſum, ſcribit Launojus, quin, quod habet Tertullianus in libri de præſcriptione hæreticorum capite poſt quadrageſimum ſecundo, objiciam. *Mentior*, inquit Tertullianus, *ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque ſuo proinde arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de ſuo ea arbitrio compoſuit ille, qui tradidit. adpoſcit naturam & originis ſuæ morem profectus rei.* Sic, abſit invidia comparationi, licuit Caniſio & Bellarmino de arbitrio ſuo innovare definitionem Eccleſiæ. Id diſcordiæ genus evenit, eventurumque eſt ſemper, quamdiu à traditione priſtina & ſimplicitate recedetur. Caniſius quidem ſectatores ſortitus eſt nonnullos, & cumprimis Dominicum Bannem, in Commentariis ad ſecundam ſecundæ, quæſtionis primæ, articulo decimi & brevioribus & fuſioribus, ubi duæ definitiones Eccleſiæ occurrunt; una vetus, quam diſcipulus à Thoma Aquinate, altera autem nova, quam ab altero è Societate Magiſtro acceperat. Cur autem Bannes definitionem Caniſii potius, quam Bellarmini adoptaverit, non conſtat. Quidquid in cauſa ſit, Bannes eam à Caniſio mutuatus eſt definitionem, quam loca Scripturæ juxta Patrum unanimem conſenſum intellecta, uti intelligenda Fidei Tridentinæ profeſſio decernit, objicere non potuit. Sic Gregorius de Valentia in libri ſexti de Analyſi Fidei catholicæ capite primo rem iſtam tractat hoc modo, ſcribens: *Eccleſia eſt congregatio ſeu cœtus hominum eorum, qui Romano Pontifi. ipro tempore exiſtente paret.* Hæc eſt Caniſii, ſed deformata paulo aliter definitio. At cum Pontifex Romanus non exiſtit, & Romana per annos plures vacat Eccleſia, qui fiet congregatio ſeu cœtus eorum hominum, qui antea Pontifici Romano parebat. Sublata parte definitionis una, uti definitio, ſic etiam res definita perit. Vir prudens, ſcilicet *Valentia*, cum & definitionis novitatem & exortas è novitate difficultates animo proſpiceret; capite ſecundo ad alias definitiones duas, quæ concordant antiquæ, ſe recepit, ſcribens, *Eccleſia eſt eorum multitudo, quos beneficio Vocationis Divinæ verus DEI cultus & vera DEI cognitio divinitus indita conjungit.* Et paulo poſt: *Definitur adhuc preſſius Eccleſia, ut ſit hæc una multitudo, quam congregat non modo verus DEI cultus in hac vita & cognitio vera, ſed etiam Baptiſmi Sacramentum, eademque profeſſio religionis chriſtianæ.* Hæc autem profeſſio religionis chriſtianæ effecit, ut Author primam Eccleſiæ definitionem, nempe ſuam tacitus abjecerit, ac nimirum melius conſiderata deprehendens, nullum eſſe locum Scripturæ, qui juxta unanimem conſenſum Patrum acceptus illam exhiberet definitionem. Chriſtophorus præterea Gillius, libri primi de locis Theologicis capite nono ſcribit, *Eccleſiæ nomine intelligitur univerſus fidelium cœtus, ſub uno Paſtore Chriſti Vicario ſervans unitatem fidei in vinculo Pacis.* Hic duo ſunt, inquit Launojus, quæ diligenter & adcurate notentur. Unum eſt, quod Gillius Eccleſiæ nomi-

nomine vult intelligi, ante Caniſium, ſcriptorem non adeo veterem, intellectum fuiſſe neutiquam, ut prima docuit obſervatio. Et ſane mirum eſt, tanti nominis intelligentiam fugiſſe Patres, Concilia, Pontifices Romanos, Tractatores Eccleſiaſticos & Theologos, qui à tempore Apoſtolorum ad Caniſium uſque floruerunt. Alterum vero, Gillium corrigere traditam à Caniſio definitionem Eccleſiæ vel interpolare, ab ea removendo verba, *poſt Chriſtum*. Adamus porro Tannerus in diſputatione de Fide, quæſtionis tertiæ dubio ſecundo, ejuſque numero poſt quadrageſimam quinto, antiquas Eccleſiæ definitiones, quæ tum ab Eccleſiaſticis, tum à Theologis traduntur, non diſſimulat, & tamen antiqua Patrum, Conciliorum, Pontificum & Tractatorum traditione, qua communiuntur illæ definitiones, non contentus inducit novas, eam primo, cujus faber & architectus eſt Caniſius; deinde eam, quæ ex eo eſt nova, quod epitheton, *viſibile*, capiti jungat, fidelium alias congregationi (ſcilicet, juxta Romanenſium hypotheſes) jungendum; nam caput, de quo loquitur, viſibile ſemper non eſt, ſed viſibilis eſt ſemper fidelium congregatio. Ἀκεφαλία eſt, in quam *Bannes* non incurrit. Id genus vitii effugiſſet, ſi quem laudat, Caniſii Catechiſmum bene didiciſſet. Inſuper Petrus Cabrera, Hieronymianus, in partem tertiam, quæſtionis octavæ articulo ſecundo veteſtam Eccleſiæ definitionem retinet, & retinendo novam, quam ipſe tradit, improvidus configit; deinde tacitus adcuſat Nicolaum Pontificem, Concilium Lateranenſe, Martinum quintum, operum Waldenſis adprobatorem, Pium ſecundum & Catechiſmum Romanum, quod non eam Eccleſiæ definitionem ediderint, quæ ad revincendos recentiores Lutheranos foret idonea. Poſtremo, cum à recentioribus catholicis, (Romanenſibus) Caniſio nimirum & Banne, Eccleſiam recte definitam eſſe contra recentiores Lutheranos ſibi ſumit, oppido fallitur, cum novitas hæreticorum antiquitate doctrinæ, non alia novitate ſibi repellenda. Cabrera igitur non ſapit ad priſcam contra hæreticos diſputandi regulam, cum novis Lutheranorum placitis (prout falſis videtur Antiquariis) non opponit placita. Non ſic diſputant, qui ſupra citati poſt Synodum Tridentinam cum Lutheranis dimicarunt, non everſa quidem, ſed ſervata veteri definitione, quam alii pluribus, alii paucioribus verbis tradiderunt. Mutatum aliquando quid in nonnullis vocibus, ſed in doctrina nihil. Id prorſus ei conſtabit, qui definitiones Patrum, Conciliorum, Pontificum & Magiſtrorum ſupra laudatorum ſigillatim expendet, ac inter ſe conferret, inventurus ſingulas, quæ verbis nonnihil ſunt diverſæ, ad hanc *Eccleſia eſt collectio fidelium ſeu catholicorum*, concurrere. Bellarminus vero, ut nunc ad eum redeatur, in ſua definitione habet, quod traditam à Caniſio & Banne & aliis quibuſdam definitionem funditus evertit. Verba enim hæc in Bellarmini definitione, *ſub regimine Paſtorum legitimorum, ac præcipue unius Chriſti in terris Vicarii, Pontificis Romani*, conſiſtere neutiquam poſſunt cum iſtis, quæ in Caniſii leguntur, *quæ ſub uno & ſumme poſt Chriſtum capite & Paſtore in terris gubernatur*. Hæc omnia labefactant ſeſe mutuo & deſtruunt. Cæterum, quod de diſcipulis Caniſii modo fuit obſervatum, id transferri non poteſt ad Bellarminum. Nullus enim extitit, quantum conſtat, qui traditam à Bellarmino definitionem ſuos in uſus derivarit; & tamen major eſt apud Theologos Bellarmini, quam Caniſii authoritas. Cur autem hoc ita contigerit, ſi quæras, univerſim occurrunt mihi quatuor cauſæ. Prima eſt, quod Caniſii definitio adulatricis Curiæ fautoribus arrideat magis. Secunda, quod Caniſii definitio literatorum adoleſcentum Catechiſmis ſit indita, non item Bellarmini. Tertia, quod nonnullos inſanus opinionum novarum amor capiat. Quarta denique, quod alios ſumma, nec ferenda teneat principium veræ Theologiæ, Scripturæ & Traditionis ignoratio. His autem ita poſitis, ſcribit Launojus porro, ſimpliciter dico, è republica chriſtiana fuiſſet admodum, ſi quod Caniſius & Bellarminus antiquæ & probatæ ubique gentium definitioni addiderunt, non addidiſſent. Nam primo, Caniſii & Bellarmini additamenta ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, non ad explicandam amplius rei naturam, quod antea ſapienter obſervavit Du-

Digitized by Google

vallius, & unicuique vel leviter cogitanti ad pectus advolat. Sic nimium Caniſius & Bellarminus in ſuis additamentis contra Dialecticorum regulas peccarunt. Secundo, videntur neglexiſſe beatum Paulum monentem, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris.* Aliter nempe ſtatum Eccleſiæ definiunt, atque ab antiqua ſimplicitate deficiunt, quæ tum ex Scriptura, tum (juxta ſententiam) è Patrum, Conciliorum, Pontificum Romanorum, Tractatorum & celebriorum è ſchola Theologiæ & Juris Magiſtrorum traditione comparatur. Tertio, ſi Patres hi &c. ex una, & Caniſius ac Bellarminus ex altera, parte contendant inter ſe, contentionem hanc dirimet Tertullianus libri quarti contra Marcionem capite, ſcribens: *In quantum falſum eſt corruptio veri, in tantum præcedat ne ceſſe eſt Veritas falſum.* Sic Patres &c. cauſam adverſus Caniſium & Bellarminum obtinebunt. Quarto, ſi Caniſius & Bellarminus ad Vincentium Lirinenſem, amittent cauſam, cum illo judicante in Commonitorii primi capite quarto in ſuis additamentis nec univerſitatem, nec antiquitatem, nec conſenſionem ſequantur. Hoc luce meridiana clarius eſt, cum ante illos nemo ſic definierit Eccleſiam, quemadmodum illi definierunt. Quo fit, ut in Caniſii & Bellarmini definitionibus nec univerſitas, nec antiquitas, nec conſenſio poſſit reperire. Quinto, Caniſius & Bellarminus in ſuis definitionibus id fecerunt, quod peſſimi res & exempli. Nam qui à nobis ſeorſim per religionem ſentiunt, ſi dicant, velle ſe Eccleſiam in formam meliorem reducere, uti Caniſius & Bellarminus fundatam in Scripturis & Traditione perpetua definitionem putarunt ſe in formam meliorem reduxiſſe, quid iis reſponſuri ſint Catholici, (Romanenſes) neſcire me fateor, ſcribit Launojus; reſpondendo enim cavere vix poſſunt, quin arma ſuppeditant adverſariis contra ſe. Hi namque reddent, quod objiciunt illi, & ſucceſſu pari reddent, cum potior non ſit in Eccleſia, quam in ejus definitione reformanda ratio novitatis, ac parum ſit eadem natura. Sexto, cum aliam ab antiqua definitionem tradiderit Caniſius & Bellarminus, Nicolaum Pontificem hujus nominis primum, Concilium Lateranenſe, cui præfuit Innocentius tertius, Johannem viceſimum & ſecundum, Martinum quintum, Waldenſis operum adprobatorem, Pium quoque ſecundum & Catechiſmum Romanum non mediocri adficiunt injuria, ac demonſtrant, illos non percepiſſe ſatis, quid eſſet Eccleſia, cum illam eo definierint modo, qui membris nonnullis, iiſque ſuo judicio præſtantiſſimis captus ac debilis eſt. Tandem de eo quoque ſollicitus eſt Launojus, quænam inter haſce duas definitiones, ſi una earum eligenda, alteri jure poſſit vel debeat præferri, ſtatuens in eo meliorem eſſe Bellarminianam Caniſiana, quia regimen non uni & ſoli tantum Pontifici, ſed etiam cæteris Paſtoribus legitimis adſcribit, adductis eam in rem teſtimoniis Gelaſii Pontificis hoc nomine quarti in Commonitorio ad Fauſtum Conſtantinopoli Legationis officio fungentem, Symmachi in prima ad Æonium Arelatenſem Archiepiſcopum Epiſtola. Gregorii M. in diverſis Epiſtolis, Gregorii item octavi in tertia ad omnes Eccleſiæ Prælatos Epiſtola, quin & ipſius Synodi Tridentinæ, uti etiam omnium eorum Pontificum Romanorum, à quibus Epiſcopi fratres & Coepiſcopi vocantur, quippe profitentur ingenue, Eccleſiarum, quibus cæteri præſident Antiſtites, gubernationem iis à DEO commiſſam eſſe, imo ſimpliciter & abſolute dicunt, Epiſcopos DEI Eccleſiam gubernare, ac inſuper eos Chriſti Vicarios adpellant, quæ omnia pluribus confirmantur teſtimoniis, quibus tandem alia quoque adcedunt antiquorum Eccleſiæ Patrum, ſcilicet, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, Petri item Damiani, Bernardini Senenſis, & Pauli Germani de Middelburgo, Epiſcopi Semphonienſis, qui libros de recta Paſchæ celebratione Leoni decimo tanquam ſummo Ariſtocratiæ chriſtianæ Principi dedicavit vel inſcripſit ab eodem opera Patri Bembi adprobatos. Concludit Launojus, ſcribens, definitionem Bellarminianam Caniſianæ merito anteponendam, eſſe in uſu, ſi, ut anteponeretur, certa quædam neceſſitas exigeret, atque in mutuo definitionum duarum conflictu quærendæ & adſerendæ Veritatis conditio poneretur.

Hoc

Hoc enim jam fuit oſtenſum, etiam Bellarmini definitionem, vel potius additamentum ad veterem Eccleſiæ definitionem, ſi ſemel admittatur, catholicis (Romanenſibus) de novitatibus hæreticorum conquerentibus poſſe incommodare.

Appendix contra Thomam Cajetanum.

QUi cum inepte & cum magno partium ſtudio docuit, *Eccleſiam eſſe ſervam*, ac proinde Pontificem Romanum non eſſe Filium Servæ, ſed Dominum; & Eccleſiam quidem eſſe Servam, quod judicandi & decernendi de re quapiam omni jure careat, Pontificem Romanum vero Dominum eſſe, quod eo jure ſolus potiatur, ſtylum Launoji in ſe concitavit, prima quartæ Partis Epiſtola ſic ſcribentis: Hæc eſt incredibilis deliratio, in quam Cajetanus, ut conſummatæ, ita etiam deploratæ adulationis Theologus incurrit, cum defenſam à Theologis Pariſienſibus authoritatem Conciliorum aliter non poſſet oppugnare. Hæc eſt errorum vorago, cui ſubmerſus Author nonnullos in eandem ſecum traxit ruinam. Ad hanc Cajetani ætatem & ludum maxime ſunt referenda, quæ Hadrianus Pontifex hoc nomine ſextus Cheregato Germaniam petenti dedit in mandatis, & delecti Cardinales Prælatique à Paulo hujus nominis tertio in Concilio eidem dato commemorarunt. Deferenda hinc eſt Curiæ Schola, ubi perperam docetur, Eccleſiam eſſe Pontificis Romani ſervam, ac adeunda Sedis Apoſtolicæ Schola, ubi traditur aperte, Eccleſiam eſſe Pontificis Romani, quia Chriſtianus eſt, Matrem & Dominam, quod inprimis Gregorius Pontifex ſeptimus docuit pluribus in Epiſtolis, unde teſtimonia ad hoc probandum idonea exhibentur. Nimirum Gregorius habebat exploratum, ſcribit Launojus, jam ab initio religionis chriſtianæ Eccleſiam appellari Matrem & Dominam, teſtibus Tertulliano, Cypriano, Concilio item Arelatenſi primo, cui & duo Presbyteri & totidem Diaconi nomine Silveſtri Pontificis interfuerunt, quod in Epiſtola ad hunc ipſum Pontificem provocavit ad Judicem DEUM & Matrem Eccleſiam. Aliud hoc confirmans Optatus Milevitanus diverſis in locis, Pacianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, pluribus itidem in locis, Petrus Chryſologus, Gregorius quoque Magnus, Alcuinus, Carolus etiam Magnus, atque cum eo Præſules Gallicani, Theodulphus inſuper Aurelianenſis Epiſcopus, Carolus inſuper Calvus & iterum Præſules Gallicani cum eo, Hincmarus poſtmodum, Ivo Carnotenſis, Johannes Sarisberienſis, Innocentius Pontifex tertius, Bonifacius octavus, ipſa denique Synodus Tridentina & Pius quartus in Fidei profeſſione, quam ex variis Synodi Tridentinæ Decretis concinnari edique curavit. Launojus porro ſubjungit: Eccleſia à Chriſto poteſtatem aperiendi & claudendi accepit in perſona Petri, ſed eam poteſtatem per ſuos Prædicatores, prithi utique & ſecundi Ordinis Antiſtites exercet, Cæli oſtium claudens & aperiens. Atque iſtud Dominæ proprium eſt, non Servæ, qualem Cajetanus Eccleſiam deformat, cum in Apologia libelli de authoritate Papæ & Concilii comparata, ejuſque primo capite ſcripſit, *Eccleſiam jure principiandi carere*, natam utpote Servam. Ubinam vero Scripturarum, quo in Concilio, quibus in Canonibus vel Pontificum Decretis, aut Patrum antiquorum Commentariis viſa eſt unquam hæc propoſitio, quæ omnium ſeculorum Cajetani ætatem antecedentium ſilentio obruitur? Igitur nova eſt, & novitatis damnandæ reum agit authorem ſuum. Quin etiam novitas hæc eſt eo periculoſior, quod in Scripturis & apud Patres antiquos Eccleſia vocetur Chriſti Sponſa, nominatim apud Optatum Milevitanum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Leonem Magnum, Theodoretum, Petrum Chryſologum, Fulgentium. His adcedit, quod apud eoſdem dicatur etiam corpus Chriſti, nempe Hieronymum, Auguſtinum, Theodoretum, Leonem & Gregorium Magnos. Inde perſpicuum eſt, quantus ſit error Thomæ Cajetani, qui uſque adeo adſeverantior ſcripſit, Eccleſiam, quæ

in Scripturis atque à Patribus Chriſti ſponſa corpuſque dicitur, ſervam eſſe natam, ac carere omni authoritate. Si enim ſerva eſt nata, ſerva erit, quæ dicititur eſtque Chriſti ſponſa, cui ſponſus nihil dederit authoritatis, ſervum quoque Chriſti corpus, cui Caput Chriſtus nihil intulerit virium. Atque ſic Cajetanus contra, quam putat, ad ſervi conditionem redigit Pontificem Romanum, quem in ſummam libertatem adſerere contendit. Scilicet ſervæ filius & ſervi corporis ſervum erit membrum, niſi fortaſſe velit, ſervam liberos parere liberos, & libera ſervi eſſe membra. Intolerandæ ſunt hæ complexiones & horrendæ; quibus Author hic implicatur, cum oblatam à Theologis Pariſienſibus Veritatem refugit, nimirum, Gerſone Cancellario, Majore, Almaino, qui, cum eſſent ad Patrum ſanctorum & Sedis Apoſtolicæ traditionem informati, docuerunt, Pontificem Romanum Eccleſiæ filium eſſe, & hujus correctioni tam in Fide, quam in Moribus ſubjici, quia nempe omnium Chriſtianorum Mater eſt, Domina & Judex. Hocque certum eſt ac inexpugnabile ſubjectionis iſtiuſmodi præſidium & propugnaculum, quo Pontifices continentur in officio; ac Murus quidam firmiſſimus, qui adulatrici & concervatis ad Pontificum nonnullorum deſideria Magiſtris opponitur. Ac tantum abeſt, ut Cajetanus adſentiatur veræ Traditioni, ut contra potius ab ea diſſentiat, & inita ratione diſputandi nova doceat, Pontificem Romanum correctioni Maternæ ſubjectum non eſſe, & Eccleſiam natam eſſe ſervam, & jure principandi carere, atque idcirco Pontificem ob quam libet fere cauſam nec judicare poſſe nec diſtitui, quo nihil eſt à traditione Sedis Apoſtolicæ alienius. Hoc tribus præſertim confirmatur Exemplis. *Primum* exhibet tertia Concilii Romani in cauſa Damaſi Pontificis ad Gratianum & Valentinianum Imperatores Epiſtola, in qua ſcribunt Patres: ***Veſtræ tranquillitatis judicio probata eſt Innocentia Damaſi Fratris noſtri***, ac ***Integritas ejuſdem prædicata*** eſt. Item, ***Damaſus veſtri Judicii tenet inſigne.*** Quin & ipſe Damaſus ſe ſuamque cauſam arbitrio Epiſcoporum ſubjicere non eſt veritus, de quo iidem Patres teſtantur ſcibentes: ***Ad prædicandam Epiſcopi conſcientiam ſe dedit Ipſe judiciis Sacerdotum, à quibus non nominis, ſed etiam morum Ratio penſatur.*** Tunc videlicet nondum è latebris emerſerant qui Pontifices Romanos à tali ſubjectione deterrerent, & ſupra Conciliorum authoritatem eveherent. Subjiciebant illi ſe ultro Conciliis, quia inferiores ſe iiſdem eſſe credebant facile; ac Damaſo ſeculis pluribus ſunt poſteriores, qui doctrinam in ſcholas induxere contrariam, & Eccleſiam periculoſa novitate turbarunt. Inſuper Concilium hoc Romanum ſignificat, duo eſſe genera Conciliorum, in quibus diſceptari poſſint ac dijudicare, quæ ad Pontificem ſpectant Romanum, unum ſacerdotale, alterum Imperiale. Sic autem ſcribit: ***Damaſus non novum aliquid petit, ſed ſequitur exempla Majorum, ut Epiſcopus Romanus, ſi Concilio ejus cauſa non creditur, apud Concilium Imperiale deſimmat ſe.*** Concilium Sacerdotale eſt Epiſcoporum, quale fuit hoc Romanum, quod in negotio Damaſi fuit convocatum, non quidem ex omnibus orbis Chriſtiani provinciis, ſed duntaxat ex variis Italiæ partibus. Regionis Concilium fuit, non univerſitatis. Sic etiam Pontifex Silveſter, cujus Concilii Patres in hac Epiſtola faciunt mentionem, cum à ſacrilegis eſſet adcuſatus, maluit ſe apud Imperiale, quam ſacerdotale Concilium defendere, & ſuam proſequi cauſam. Cur autem id ita fecerit Pontifex, pronuntiatu non eſt facile. Perſuaſum fortaſſis habuit, adverſarios validius ab Imperiali, quam à ſacerdotali Concilio coercitum repreſſumque iri. Quidquid autem id eſt, utriuſque Concili authoritatem ſupra Pontificem Romanum conſtat admitti; neque repertus & ullus, qui admittendum non eſſe contenderet, ne Pontificis Romani dignitas læderetur. Quia etim Damaſi ſucceſſor proximus, nempe Siricius has obſervationes præclare confirmat in Epiſtola ad Anyſium & cæteros per Illyricum epiſcopos, è qua non nihil antehac fuit adductum. Scilicet, uti Damaſus & Silveſter Conciliis, quæ non fuerunt univerſalia, ſubjectos ſe eſſe agnoverunt; ſic & Siricius Capuenſi Synodo, de qua in laudata egit Epiſtola, quæ non habetur œcumenica, ſubjectum ſe eſſe recepit, cum ejus authoritatem ſua majo-

rem

rem adſeruit & probavit. Neutrum vero feriſſet, ſi Sedis Apoſtolicæ traditio vel dignitas repugnaret. Pontifices nimirum omnes, qui à Petro floruerant uſque ad Siricium, Eccleſiam habebant ut Matrem & Dominum, quam Cajetanus poſt Annos ab exceſſu Siricii mille centum & quatuordecim Pontificibus Romanis in ſervitutum tradere, & omni jure Materno ſpoliare adtentavit. *Secundum* eſt in Concilio Romano, quod Johannem duodecimum ob ſcelera innumera & horrenda de Petri Sede deturbavit. uti Luitprandus Tiricenſis, vel illius Continuator memoriæ prodidit libri de rebus per Europam geſtis ſexti capite ſexto, quo in Concilio luculentum habetur Exemplum, quo in Pontificem poſt homines natos vitioſiſſimum animadvertitur, & quo Eccleſia Mater ac Domina Chriſtianorum agnoſcitur. Equidem Baronius in Annalibus, & Binius in Notis Conciliorum, cum referunt hoc Concilium, integra fide non utuntur. Nempe, ex undecimo capite ſex vel ſeptem verſus tantum referunt, cæteris omnibus omiſſis, quæ, uti adparet, magnam Concilii partem & divinam illius confirmationem exhibent, idque, quo facilius adcuſent Concilium, & nominent Conciliabulum, ac Johannis Papæ defenſionem ſuſcipiant. Et ſane, mirum eſt, cur Baronius Pontificem tot criminibus adcuſatum & convictum, ſcilicet, Adulterum & publicum Scortatorem, inter ſcorta divinitus confoſſum & necatum, quemque Synodus vocat Apoſtatam, tueatur, atque Synodum vexet, quæ Eccleſiam Romanam à peſte & pernicie adeo deteſtabili liberavit. Quaſi vero leges Divinæ & humanæ prohiberent, ne fieret, quod ſancta Synodus fecit, & ſtatuerent, ut homo omnium Sanctionum buſtum, ſtruma Civitatis, hæreteos Simonicæ reus, Adulter, inceſtis, flagitiis, ſtupris pollutus, ſcortator infamis, perduellis, homicida, publicæ tranquillitatis everſor, qualis fuit, Johannes hic duodecimus, toleraretur? Noverat quippe Synodus illa, quod Concilium Furonenſe ſecundum dixit Canone poſt decimum tertio: *Rectius eſt, ut caput morbidum, ſi non poteſt curari, amputetur, quam grex per eundem infectetur. Talis ergo ſacerdos non debet à populo venerari, ſed renui*, qui *non formam diſciplinæ, ſed vitii tenet, dum ſeipſum non corrigit.* Opponit autem Baronius Concilium Sinveſſanum, quod Sueſſionenſe perperam adpellat, in quo fuit pronuntiatum, *Primam Sedem non judicari à quoquam.* Sed annon Baronius egregiè cordatus eſt, cum hic in authoritatem recipit Acta hujus Concilii, quæ ſub initium Seculi poſt Chriſtum quarti valide impugnavit, & ea ut corrupta, vitiata, ſuppoſita procul amandavit, quod alibi ſupra epactum? Inſuper hæc verba, quia diſtributionis, non collectionis ſenſum apud Literatos & Dialecticos important, à judicio Pontificis Romani neutiquam excludunt Concilium, quod Grammaticæ & Dialecticæ tyrones ſciunt adprime. Opponit præterea Baronius Concilium aliud Romanum in cauſa Symmachi Pontificis celebratum, ubi legitur, *Romanæ Sedis Antiſtitem non ſubjacuiſſe judicio minorum.* Sed iſtud non pertinet ad rem, quia Johannes à Concilio judicatus eſt, cui præter Clerum & populum Romanum complures interfuerunt Epiſcopi. At Symmachus à Clero tantum & populo Romano fuerat judicatus, atque poſt tale judicium Sede ſua pulſus, datusque à Rege Theodorico Viſitator Epiſcopus Altinenſis. Quapropter habitum eſt Concilium illud Romanum, in quo cauſa Symmachi diſcuſſa, & abſolutus is fuit. Fallitur ergo Baronius, falluntur & alii, dum verba hæc, quæ ad Cleri & populi Romani factionem ſunt referenda, ad Epiſcopos Concilii Romani referunt. Quis enim non non videt, ad eos eſſe referenda, quorum ſubjacuerat judicio? Erant quippe minores illi Eccleſiæ Romanæ Presbyteri & Diaconi, populus inſuper & non nulli ſenatores, qui de expellendo propter ficta, vel occulta certe vitia Symmacho inter ſe conjuraverant, quod itidem alibi ſupra fuit pertractum. Opponit porro Baronius minus elegantes Concilii locutiones; quæ, ſi Concilium efficerent invalidum, celebrata tunc temporis Concilia pene omnia cenſerentur invalida, quo nimirum exulabat Latini ſermonis integritas & Barbaries regnabat ubiq; ac in rebus quibuſdam mutata fuerat loquendi conſuetudo. Pontifices quippe Romani quondam non alii dicebantur, quam qui Eccleſiæ Ro-

manæ vel Sedi Apoſtolicæ præeſſent; tunc autem Pontifices Romani vel Epiſcopi dicebantur ji quoque, qui comprovinciales erat,& Provinciæ Romanæ preſidebant. Opponit inſuper Baronius nonnulla, quæ formam adtinent Judicii. Sed ea non oppoſuiſſet, ſi ſcriptam à Luitprando vel ejus continuatore Hiſtoriam totius Concilii perlegiſſet, atque diligenter adtendiſſet. Recentibus vero adulatricis Curiæ plactiis cum eſſet occupatus, ad legendam hanc Hiſtoriam adceſſit. In quibuſdam forte nova & inaudita fuit iudicandi forma, quia Johannes Papa novorum & antea inauditorum criminum reus agebatur. Iepidus vero ac feſtivus eſt Baronius, cum hinc Johannem Papam legibus Eccleſiaſticis & Politicis omnibus liberum & ſolutum faciat, inde Concilium & Imperatorem quibuſcunque velit obſtrictum eſſe. Concilium poſtulat ab Imperatore, ut Johannem condemnet. Quid mali? Johannes datam Imperatori fidem violaverat, & crimen Majeſtatis admiſerat. Deinde, quidquid Imperatori facit, communi cum Patribus conſenſu facit. Huc omnino ſpectat, quod Concilium in cauſa Damaſi Romanum primo ſupra loco laudatum ad Imperatoros Gratianum & Valentinianum ſcripſit Opponit adhuc Baronius præpoſteram, uti loquitur, nomenclationem illam, qua ſanctus dicitur Imperator, non item Papa Joannes. At, ô præpoſterum agendi modum! Concilium Imperatorem adpellat ſanctum, quod vitam ad Religionis Chriſtianæ præſcriptum omnino inſtituerat; ſed horruit Pontificem vocare ſanctum, quod gentilium potius, quam Chriſtianorum mores exprimeret, & qui homo eſſet vitiis omnibus ac omni dedecore infamis. Adcidit exinde, ut Synodus hæc Romana non fuerit imitata Calchedonenſem, quæ Neſtoricum hæreticum non, niſi poſt ſententiam prolatam deſiit nominare Reverendiſſimum. Atque hæc ſunt præcipua rationum momenta, quibus Author hic celebris ſanctiſſimum & Reverendiſſimum Papam Johannem adverſus Synodum Romanam, à qua fuit depoſitus, religioſiſſime defendit, & quod ſanctum eſt Concilium, inſcripſit Concilabulum. Verum enim vero, in eo non conſiſtit fortitudo Baronii, ſed ultro progreditur. Vir, cujus mores caſti ac probati fuerunt, adjungit ſe publicis Meretricibus, ut ſuffectum Johanni Leonem abigat, & Johannem Sedi ſuæ reſtituat, ac obſervet inſuper, eſſe coactam ob illud ipſum à Johanne Synodum, cujus nullam injicit mentionem Luitprandus, vel Continuator ejus, ſine dubio injecturus, ſi quæ contra fuiſſet, ſic ſcribens: ***Interea Mulieres, quibuſcum Johannes, quidictus, eſt Papa, voluntatis ſua ludibrium exercebat, & non ignobiles, & plures, concitaverunt Romanos, ut Leonem, ſummum & univerſalem Papam à DEO et ipſis electum perderent, atque Johannem reciperent in urbem; quod cum feciſſent, DEO miſerante ex manibus eorum Venerabilis Papa Leo liberatus eſt.*** Hic ſi quæ facta eſſet à Johanne, Papa ad ſui ipſius reſtitutionem Synodus, Author non reticeret, uti non reticet, quæ egit Imperator, ut Leoni Sedes adſereretur, Johannis dejectio perſiſteret, atque ut ſubſtitutus in Johannis mortui locum Benedictus removeretur. Luitprandus, vel Continuator ejus Synodum, quæ Benedictum Sedem Apoſtolicam ſtatuit invaſiſſe, congregatam eſſe ſic meminit: ***Reſidentibus itaque Domino Leone, ſumme & univerſali Papa, in Eccleſia Lateranenſi, nec non & Imperatore ſanctiſſimo Ottone, & Epiſcopis Romanis, Italicis, è Lotharingia & Saxonia Archiepiſcopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina adſcribuntur, advenit Benedictus Apoſtolicæ Sedis invaſor*** &c. Cur non meminiſſet ſimiliter, ad reſtituendum Johannem abdicatum eſſe Synodum factam, ſi quæ fuiſſet facta? Præter id nullus Author Synchronus eſt, qui factam fuiſſe Synodum, talem prodiderit memoriæ, ut Luitprandi vel Continuatoris illius ſilentium & κρίσις adcuſaretur. Continuator certe chronicorum reginonis, Monachus rerum geſtorum æqualis, duarum meminit Synodorum, unius, qua Johannes deponitur, & Leo in locum illius ſufficitur; alterius, qua Leo pulſus Roma reſtituitur in Sedem ſuam, ſed non tradit ullam Synodum eſſe factam, qua Johannes depoſitus revocaretur in Sedem ſuam. Sic Adamus Bremenſis de Johanne per Synodum reſtituto habet nihil. Author quoque anonymus, qui chronicon ſcripſit Farfenſis Monaſterii, quod

in

in Ducatu Spoletino ſitum eſt, atque hinc Author eſt maxime audiendus, Johannem merito deturbatum de ſua Sede, & Lonem ei ſuffectum eſſe memorat, quem etiam ut ſucceſſorem Johannis legitimum agnoſcit, ac Benedictum repudiat, nihil habens de Johanne per Synodum reſtituto. Idem de Sigeberto dicendum, quia, quæ in hujus rei recenſione includuntur parentheſi, ſunt adventitia. Sequitur Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo Hiſtoriali, qui meminit quidem Synodi, quæ depoſuit Leonem, ſed legitimam fuiſſe non exiſtimat, quia Johannem expreſſe vocat Expapam, ſcribens de eo, quod cum Uxore cujuſdam oblectans à Diabolo percuſſus ſineviatico mortuus ſit; cum non vocaturus Expapam, ſi legitima fuiſſet ea Synodus, ac eum reſtituiſſet legitime. Martinus quoque Polonus in chronico hæc narrans in dubium non vocat eorum poteſtatem, qui Johannem dejecerunt de Pontificatu; & Leonem ſufficerunt in locum ejus. Johannes etiam de Turrecremata Cardinalis hoc Concilium contra Johannem ita probat, ut ex eo, cum utilitates Concilium univerſalium diſquireret, libri nimirum tertii de Eccleſia capite decimo, quintam eamque præcipuam depromſerit, & quidem in Editione Romana, quam ipſe Pius hoc nomine quartus adprobavit, quo tempore in dubium vocavit nemo, quin hoc Concilium, in quo Johannes fuit abdicatus, ſit legitimum, poſtquam videlicet hic Cardinalis, nimirum vehemens Dignitatis Pontificiæ defenſor illud ſummam in authoritatem admiſit. Adcedit Blondus inſuper Flavius, Eugenii Pontificis hoc nomine quarti Amanuenſis, qui tertio Decadis ſecundæ libro meminit quidem Concilii Epiſcoporum, quod depoſuit Johannem, non item Concilii, quod eum reſtituerit. Quin & Æneas Silvius, poſtmodum Pius hoc nomine ſecundus, in Epitome Decadum Blondi confirmat, quæ ab Ottone geſta ſunt in cauſa Johannis. Hos ſecutus & Platina, Hermanus item Scedelius, in ſexta ætate Mundi, Jacobus porro Philippus Bergomus, ex ordine Erimitarum Auguſtini, undecimo ſupplementi chronicorum libro, Johannes Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, Chriſtianus Maſſæus undecimo Chronicorum libro, Franciſcus de Victoria, Hiſpanus, ex ordine Prædicatorum, in libri de poteſtate Papæ & Concilii Propoſitione poſt viceſimam tertia, Clemens Monilianus, Cardinalis, capite poſt decmum nono compendiis Inſtitutionum Theologicarum, quod adprobavit & ſuum adprobando fecit Michael Alexandrinus Cardinalis, poſtmodum Pius hoc nomine ſecundus, qui nec ante, nec poſtquam creatus eſt Papa, hanc ſuam revocavit adprobationem. Veſtigiis horum inſiſtit Panvinius, provocans præter Reginonem & Luitprandum ad Guilielmum quendam Bibliothecarium, qui poſt Anaſtaſium ſcripſit de Vitis Pontificum. Idem agnoſcit Papirius Maſſonus, adcurationis magnæ Scriptor & acerrimi Judicii Vir, qui inſuper ſuppeditat ſcriptores alios idem teſtantes, Cedrenum nempe & Curopalatem, arbitratus, Luitprando, utpote rerum, quos ſcripſit, teſte oculato ſtandum eſſe quam maxime, &, quod præ cæteris animadvertendum, nullam agnoſcens Synodum, quæ Johannem depoſitum Sedi Apoſtolicæ reſtituerit. Adnumerandus etiam venit Frodoardus, cujus itidem teſtimonio Maſſonus eſt uſus, & qui Johannis Papæ fuit æqualis, atque hinc teſtis fide non indignus. E recentioribus præterea laudare poteſt Dominicus Tempeſta, Romanus, qui ſub finem ſeculi ſuperioris Romæ cum privilegio Clementis octavi librum edidit de Vitis Pontificum, idem referens. Tandem his omnibus ſuccedit ὑστερότερος Baronius, qui traditionis tot hactenus Authorum celebrium teſtimoniis confirmatæ curſum abrumpit, atque illatas Sigeberti Chronico ab impoſtore nugas, quas parentheſi incluſas ante fuit obſervatum, adhibet, ut factam à Johanne Synodum contra Leonem conſtituat, qui fabuloſam additionem, niſi ea doloſo inſerviiſſet conſilio, facile potuiſſet deprehendere, tum ex omnium Authorum ſigeberto antiquiorum ſilentio, tum ex eo quoque, quod cum reliqua ſigeberti oratione pugnet. Nam Sigebertus Leonem, non Benedictum, agnoſcit Pontificem legitimum, dum Baronius contra hunc, non illum agnoſcit, adeoque nihil illi cum Sigeberto hac in re eſt commercii, vel concordiæ; quamvis excuſari poſſit

possit utcunque Baronius, quod, cum ista scripsit, nondum hujus Sigeberti Chronicon ad Monasterii Gemblacensis Exemplaria fuerit recognitum atque recensum. Porro, fabulosam hanc additionem, ne fallor, idem est architectatus, qui & Synodum, quæ apud veteres nullum habet testimonium. Vincentius quidem, ut jam fuit observatum, meminit ejus, sed ita, ut tanquam non legitimam rejiciat. Profertur etiam è Codice Vaticano, sed, cujus ille sit ætatis, non advertit Baronius. Vetustum non esse, sat magnum est indicium, quia Baronius alias id prædicasset. Neque de loco Codicis est, quod multum curemus, postquam ejus Adfetror ad Annum seculi post Christum septimi quartum scripsit, *omnem Bibliothecam referre similitudinem Sagenæ in Mare immissæ, congregantis ex omni genere piscium bonos & malos, continentem videlicet libros & probatos & improbatos, utiles & inanes semper amplexantem*, istos *ut sequatur*, *eos vero ut rejiciat*. Quidquid autem sit, Synodus hæc, quæ à Johanne contra Leonem dicitur esse facta, permulta nobis objicit, quibus suppositio illius potest confirmari. *Primo* sic habet: Anno Domini post nongentesimum & sexagesimum quarto, Domini Ottonis Imperatoris tertio, Indictione septima, habitum est Concilium in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, quinto Calendas Martii, hoc est, Mense, Februarii, die post vicesimam quinta. At, Explicatio, *hoc est Mense Februarii*, recentioris est Authoris, qui hinc Synchronismum adfectavit, inde autem timuit, ne ratio numerandi, *quinto Calendas Martii*, per se ipsum satis intelligeretur. Antiqui certe receptam usu numerandi per Calendas, Nonas & Idus rationem ita non sunt interpretati. Et quis nunc in eodem Orationis filo sic interpretatur. *Secundo*, repetita continenter Indictio septima meram sonat πεπαιγμένα, nisi quis forte aliam atque aliam Indictionem in eodem & Anno & Mense viderit aliquando. Hoc scribendi vitium ad Ottonis primi ætatem pertinet minime. *Tertio* sequitur, Positis in medio sacro-sanctis Christi quatuor Evangeliis. Atqui hæc irrisio & adfectatio est in causa Johannis, qui vitam ad Veritatis Evangelicæ præscriptum minime composuerat; & si ex operibus sit cognoscendus, uti unumquemque cognoscendum esse Christus adserit, quis Johannem vere christianum, vereque fidelem cognosset? Hieronymus namque Hiusvera, & societate JESU Presbyter, qui opera Luitprandi edidit castigatiora, Johannem ut sicarium & pene Paganum notat in libri sexti capitum Inscriptionibus. *Quinto*, Præsidente piissimo & Coangelico Domino Johanne, summo Pontifice sanctæ Romanæ Ecclesiæ, duodecimo Papa; Præsidentibus etiam cum eo Reverendissimis Episcopis. Et post Episcopos, seu venerabilibus Presbyteris; & post Presbyteros, adstantibus Diaconis, videlicet, Benedicto Archidiacono, item Benedicto Diacono, seu reliquis adstantibus. In hac igitur Synodo Præsides sunt Episcopi septendecim & Presbyteri duodecim. Quis vero unquam in Synodo etiam œcumenica tot numeravit præsides, quot in hac Synodo, quæ tamen non fuit œcumenica? Ludere & jocari voluit, qui Synodum hanc fabricavit. Hic pugnabit secum Baronius, si pergat tueri hanc Synodum, quam modus loquendi minus congruens redarguit. *Quinto*, Si hac in Synodo tot fuerunt præsides præter Diaconos quosdam, nulli fuerunt super, quibus præsiderent. Quis vero unquam talem reperit Synodum? Esset ne hæc ordinata castrorum acies, cujus militibus pene omnes forent duces? *Sexto*, In Actione secunda hæc leguntur: Suspendatur ejus damnatio, si placet, usque ad Concilium tertium. Et in Actione tertia: Johannes piissimus ac sanctissius Papa dixit Fratres reverendissimi Domino protegente jam ad tertium venimus Concilium. Sic Actio tertia Concilium vocatur tertium, & quia Concilium tribus constat actionibus, Conciliis quoque tribus unum constare dicetur Concilium. Ad hoc autem quid respondebit Baronius, qui Synodum, ubi Johannes est abdicatus, insimulat, quod Synodum Calchedonensem imitatus non sit? Quasi vero Synodus hæc, quam ille defendit, Synodum Calchedonensem imitetur. Hæc nimirum constat Actionibus sedecim, nec ob id dicta est quondam Synodus vel Conciliis constare sedecim. Quis nunc Baronio conspecto sibi temperet à risu vel lacrymis? Hic

ipse

Digitized by Google

ipſe ſibi vocem eliſit, redarguens Concilii, quod Johannem depoſuit, Italicos quoſdam idiotiſmos & locutiones, quas inter temporum detrimenta & Annorum vices integra minus ætas pepererat. *Septimo*, In Præfatione hoc habetur, Prælidente piiſſimo & Evangelico Domino Johanne. In Actione prima autem, Johannes piiſſimus & Santiſſimus ſacræ Romanæ Eccleſiæ Papa dixit. In Actione ſecunda, Johannes piiſſimus atque benigniſſimus Papa dixit. Et poſt alia, Piiſſimus ac mitiſſimus Papa dixit. Iterum in Actione tertia, Johannes piiſſimus ac ſanctiſſimus Papa dixit. Sed, quamvis adjuncta & Epitheta hæc omnia habito reſpectu ad Munus Pontificium convenire Johanni potuiſſent, (aldo, & debuiſſent) habito tamen reſpectu ad Johannis perſonam convenire neutiquam potuerunt. Adeo Concilii architectus perinde cavillari voluit cum Johanne, ac ſi ſcripſiſſet, caſtiſſimus & integerrimus Johannes Papa dixit, qui cum ſcortis ſcilicet perpetuo volutabatur. Ita ſanctiſſimus & Evangelicus, id eſt, ἱερώνυμος Papa dixit, qui ſcilicet ſacrum faciebat, nec ſacri partem capiebat ullam; qui Diaconos in ſtabulo equorum conſecraverat, qui ordinationes Epiſcoporum numerata vendebat pecunia, qui puerum decem annorum Eccleſiæ Fudertinæ antiſtitem creaverat. Porro, benigniſſimus & miliuſſimus Johannes dixit, qui Scilicet Benedictum, ſpiritualem ſuum Patrem privavit oculis, qui Johannem Subdiaconum Cardinalem Occidit virilibus amputatis, & qui incendia non pauca fecit. *Octavo*, Epiſcopi ſunt numero ſex, & Cardinales ſeu Presbyteri & Diaconi tres, qui omnes ſubſcripſiſſe dicuntur & Concilio, in quo Johannes fuit depoſitus, & Concilio, in quo poſt Annum dicitur reſtitutus. Et quamvis hoc abſolute fieri potuerit, & omnino repugnet nihil, (ſi nempe agendum eſt per formales argutias) quis tamen ita factum eſſe crederet, præſertim, cum ne unus quidem ex illis omnibus, qui utrique Concilio dicuntur ſubſcripſiſſe, rationem reddiderit, cur, qui priori ſubſcripſerunt, etiam poſteriori ſubſcribant. Quis namque in animum induceret ſuum, to: Epiſcopos & Cardinales nulla ratione reddita Johannem Sedi reſtituiſſe, de qua cum Anno ſuperiori deturbarunt? Intoleranda eſſet ſententiæ iſtiusmodi mutatio, cujus nulla redderetur ratio. Certe poſteriori Concilio perinde ſubſcribunt, ac ſi priori ſubſcripſiſſent minime, & penitus ignoraſſent, quæ magna & plurima cum deliberatione fecerant ante. Sed inprimis ponderandum eſt Johannis Epiſcopi Narnienſis ſilentium, qui in Concilio priori adcuſatoris perſonam contra Johannem geſſerat, & tamen Concilio huic poſteriori legitur ſubſcripſiſſe. Hoc ſi voluiſſet obſervare Baronius, Concilium hoc uti falſum & ſuppoſititium rejeciſſet. Sed ille vix inquirebat in Monumenta, quibus poterat adfirmari, Antiſtitem Romanum Canonibus Eccleſiaſticis ſubjectum non eſſe, & illi eam, quæ ſupra Canones ſacros eſt, potentiam ſimpliciter convenire. Commune hoc eſt Cupiæ Romanæ vitium, quo Baronius per omne tempus vitæ & per omnes ſuos Annales maxime laboravit. *Nono*, Johannes Papa criminum infinitorum fuerat adcuſatus, & quia, quæ palam ſunt nota, non indigent probatione, reus fuerat peractus; & tamen de nullo crimine ſe purgat, tantum abeſt, ut ſe de omnibus, aut certe de pleriſque purgaverit. De Leone ſibi ſubſtituto queritur quidem, at objecta ſibi & probata non diluit crimina, vel ut falſo impoſita repellit, atque ſic non repellens & diluens conſentit, ac conſentiens eo ſtatu Synodum quo jure potuit habere, aut de Synodo habenda cogitare? Quis unquam ſimilem agendi modum vidit vel audivit? Imperite & per ludibrium confecta eſt Synodus hæc, quam Baronius è tenebris eruit & obtruſit, digna prorſus, quæ eaſdem in tenebras retrudatur. *Decimo*, Luitprandus Italus, Flodoardus Gallus, & Reginonis Continuator Germanus, rei geſtæ æquales, rem contra Baronium decernunt, Concilium quod Johannem depoſuit, non adpellant Conciliabulum, ſed Concilium, quo nomine reliqui Conventus Epiſcoporum vocantur, neque meminerant Concilii, quod Johannem reſtituerit, quia Concilium hujusmodi habitum eſt nullum, inſuper Leonem Johannis Succeſſorem dixerunt, non ſchiſmaticum, non pſeudo Pontificem, qualem dixiſſent, ſi vere adfirmateque talis vocari potuiſſet. Hoc unicum

Digitized by Google

observasse est cunctas Baronii molitiones destruxisse. Atque ut de Baronii mente judicium feratur ingenue, dubitatur, num ante Baronium reperiri possit Scriptor alicujus nominis, qui Concilium illud Romanum, à quo Johannes est depositus, & in ejus locum Leo substitutus, conciliabulum & Leonem schismaticum adpellarit. Baronius nempe vituperandum esse duxit Concilium, quod centuriatores laudaverant, & quia laudaverant. Hæc studia sunt privata, quæ veritatem possunt obscurare, non illustrare. Ignorare autem vix potuit Baronius, reprehensum antehac à nemine hoc Concilium fuisse, sed à plerisque laudatum atque admissum in authoritatem. Ignorare etiam vix potuit, quod laudati supra Scriptores de Johanne & hoc Concilio memoriæ prodiderunt. Ad hæc Baronius suppositum illud Concilium, quo revocatus legitur Johannes fugato Leone, tuetur contra hanc regulam, quam ipse posuit: *Quod ab Authore recentiore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris authoritate profertur, contemnitur.* Si tamen author sit dicendus, qui Sigeberti Chronologiam falsis narrationibus insertis corrupit, & Vincentio aliisque nonnullis imposuit, ac ipsimet Baronio, qui fortassis sibi voluit imponi, ut, quæ Sigeberti non sunt, ei tribuat ad Concilium illud confirmandum, quod nusquam fuit, atque ad mendacia ea coloranda, quæ eidem superstruuntur. De cætero, Baronium in Concilio hoc retinendo, in altero autem vel priori rejiciendo sequuntur authores decepti, vel certe minus sinceri, creduli, & velint nolint, taciti vitæ & morum Johannis fautores, & Curiæ adulatricis mancipia, nominatim Binius, Gretserus, Coriolanus, Rivesius & alii quidam, qui omnes Concilium illud Romanum, à quo depositus est Johannes, & in ejus locum suffectus Leo, adpellarunt conciliabulum, non quod sic olim invenerint adpellatum, sed quod nominarunt Concilium & laudarunt centuriatores, Goldastus, Morneus, secuti Authores bene catholicos, supra nominatim suo ordine recensitos. Atqui si crimen est Scriptoribus qui secùs à nobis sentiunt per religionem, nominare & laudare Concilium, quod ante se catholici plures ut Concilium nominarunt & laudarunt, non vero rejecerunt ut conciliabulum, crimen erit majus in Stephano Papa Martyre, qui dum collatum ab hæreticis baptismum defendit adversus Cyprianum, hanc defensionem suam disciplina & ritu ipsorummet hæreticorum confirmavit scribens ad Africanos: *Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi forte (in id) quod traditum est, ut manus illi imponatur in Pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Si reprehendendus non est Pontifex catholicus, quod hæreticorum exæquatur factum, quomodo reprehendendi erunt hæretici, (si modo sint hæretici) dum aliqua in re Catholicos sequuntur Authores. Sic solet usu venire, ut, dum nostrum adversariis invidemus suffragium, illud denegemus Veritati. Sed vexare porro Concilium non cessant, quod in eo Romani dicantur Pontifices, qui *sedis Apostolicæ vel Ecclesiæ Romanæ Pontifices* non erant. Verum in Editione Luitprandi, quam Hieronymus Higuera è Societate JESU, & Andreas Queretanus curarunt, quinam sint illi Pontifices Romani, ipsummet Concilium seu Acta ejusdem se explicant. Tunc Pontifices Romani, Episcopi scilicet suffraganei & Cardinales Presbyteri dixerunt. Iterum ad finem: Ad hæc Pontifices Romani, Episcopi scilicet suffraganei dixerunt. Nempe, Editionem hanc prima correctionem non viderunt, qui hoc objiciunt, è qua, ubi desideratur hæc explicatio, potest suppleri. Cum igitur hæc acta Concilii ita se interpretentur, quæ est porro vexandi hujus Concilii ratio? Nonne unicuivis ætati suus semper fuit & minus recte scribendi modus, qui narrationi rerum uti non tribuit veritatem, ita etiam non adimit. Eleganter omnino & scite Plinius junior libri quinti Epistola octava ad Capitonem scribit: *Orationi & carmini parva est gratia, nisi summa sit eloquentia; Historia quoquomodo scripta delectat.* Concilium hoc Romanum pertinet ad Historiam, non ad eloquentiæ specimen. Verum hic egregie cordatum se prodit Baronius, cum explicatam (quod sufficeret) locutionem arguit, quam ad annum seculi post Christum

sex

ſexti nonageſimum & tertium in vindicato utcunque à ſe Monaſterii S. Medardi Sueſſionenſis Privilegio non arguit, tametſi neutiquam explicetur in privilegio. Sic autem ibi ſe res habet, atque hæc ibi leguntur verba: *Authoritate Divina vice B. Petri, Apoſtolorum Principis, conſenſu omnium Pontificum Romanorum decernimus*. Ad hoc quid dicturi ſint ſectatores Baronii, non video, ſcribit Launojus, monens, alibi, quando ex his verbis falſi dicam huic Privilegio ſcripſit, ſe obſervaſſe, quod locutio hæc ſit temporum longe poſteriorum Gregorio Pontifice hujus nominis primo, in quibus Romani Pontifices vel Epiſcopi vocabantur, qui provinciæ Romanæ erant Antiſtites. Certe Bernardi tempore ſic invaluerat, ut, qui provinciæ Romanæ erant Præſules, in Epiſtolis illius Curiæ Romanæ Epiſcopi perinde nuncupentur, quaſi ſonarent idem Curia & Provincia Romana. Nunc Baronius, ſi velit, diſperdat Epiſtolas Bernardi; & quia quibuſdam abhinc ſeculis ſoli Pontifices Romani dicuntur Papæ, diſperdat quoque veterum Patrum ſcripta, in quibus ut Romani, ſic etiam reliqui Antiſtites vocantur Papæ. Non ignorabat profecto Baronius, quæ nunc ſunt animadverſa, ſed tergiverſabatur, & placitis curiæ recentibus inſerviebat; atque hoc pacto admittebat privilegium Monaſterii Sancti Medardi, etiamſi Gregorio ſubjectum eſſe calleret adprime, Romanum quoque hoc rejiciens Concilium tanquam non legitimum, etſi eſſet legitimum. (nec id ipſum ei eſſet ignotum.) Scilicet Baronium curiæ, in qua verſabatur, ſeu Natura talem finxerat. Præterea Baronius & Sectatores ejus Leonem nominant ſchiſmaticum, quamvis nullus ſit è Scriptoribus antiquis, quem habeant & ſequantur Ducem. Sed quod mirum, Baronius in Martyrologio & Annalibus ſecum pugnat. Ibi cum ad 13. Kalend. Maii ponitur, *Romæ ſancti Leonis noni, Virtutum & Miraculorum laude inſignis*. Quia ſi Leo octavus non eſt Papa verus, ſed ſchiſmaticus, hic Leo ſanctus dici debuit octavus, non nonus. Hic autem cum itidem hic Leo ſanctus non octavus vocatur, ſed nonus. Inſuper Baronius & alii pro argumento ſumunt, quod in quæſtione (ſi ulla tamen poteſt eſſe quæſtio) verſatur. Et quia Johannes multa patravit contra Decalogum, Evangelium, Concilia, & ſacros canones adtollunt, rati, hac via ſe ad conſentiendum ſibi facile perductum eos iri, qui propria non communi utilitate ducuntur, & curiæ adulatricis corruptelarum illecebris irretiri ſe ſinunt. At quorſum hujuſmodi tergiverſationes? Nempe, ut Pontifex Romanus vivat, quomodo voluerit, & ſubditus non ſit Eccleſiæ Matri vel Concilio, ubi Numinis chriſtiani celebratur repræſentatio. O conſilium ſanctæ Religioni aperte infenſum, & Sedis Apoſtolicæ traditioni crudeliter inimicum! Cæterum ex illorum, qui temere & impetu cœco Baronium ſequuntur, numero eximendus videtur Petavius, in Ratiocinario temporum hoc Concilium, quod Johannem Papam depoſuit vocans Conventum Epiſcoporum, non conventiculum aut conciliabulum, nihil tradens de Johanne per Synodum reſtituto, Leonem agnoſcens legitimum Pontificem, non Benedictum, & quæ apud Sigebertum corruptum deſignata ſunt ad inductionem, quæ item Baronius de hoc & ſequenti Concilio ſollicitis obſervavit, negligens potius, quam non videns, ac inſuper animadverſiones Baronii ut invalidas repudians, ſuoque comprimens ſilentio. Tandem *Bellarminus* huic Concilio, quod Johannem Papam de Sede ſua dejecit, nec benedixit, nec maledixit, dum illud inter reprobata, nec inter partim confirmata & partim reprobata repoſuit Concilia. Videtur autem utcunque tacitus benedixiſſe, cum in utilitates & cauſas Conciliorum inquiſivit, quartam numero aſſignans *inemendabilem Antiſtitis Romani prævitatem*, qualis verbi gratia fuit in Johanne duodecimo. Certe ſi Bellarminus vitam Johannis probe cognoviſſet, cum Johanne de Turrecremata, Clemente Monilugo & Michaele Alexandrino Cardinalibus Concilio huic benedixiſſet, quod monſtrum ejuſmodi à Sede ſancta procul amandavit, atque acerbum, horribilem, ac miſerum illius interitum deploraſſet. Vidiſſet nempe hominem præſentis vitæ portentum, ſeculi futuri dedecus, terribile judicii Divini exemplum, impudentiæ diabolicæ ludibrium, ac incendii perpetuo duraturi

pabulum. Adſerto nunc autem Concilio, quod verum & legitimum fuit, ac rejecto, quod falſum & ſubditititium, certa extat eminetque poteſtas Eccleſiæ Matris ſupra Pontifices, qui, cum vitioſi ſunt, & in offenſionem fidelium cadunt, Johannis inſtar, nolunt corrigi, neque ad frugem redire meliorem.. Tertium adhuc ſupereſt exemplum, quod ex Concilio Lateranenſi Epiſcoporum plus minus centum repetitur, habito ſeculi poſt Chriſtum duodecimi anno itidem duodecimo, quod Paſchalem ſecundum correxit, ſed mitius, quia propter Eccleſiæ bonum corrigi voluit, Eccleſiam, quæ per hoc Concilium exprimebatur, agnoſcens Matrem, ac correctioni Maternæ ſubjiciens ſe, id non facturus, niſi erraſſet, ac erratum ultro faſſus eſſet, correctus poſtmodum atque emendatus, ſentiens nimirum correctores & emendatores, qui Romæ Concilium habuerunt Epiſcopos, utpote qui Papæ Matrem ac Dominam ſcilicet Eccleſiam repræſentarunt, quique non accepta authoritate à Paſchali, ſed Spiritus ſancti judicio conceſſum ab illo Pontifice privilegium reſignarunt, diſſolverunt, abrogarunt. Hujus Papæ errorem multo ante deprehenderant Antiſtites Gallicani, qui Viennæ in Synodum coiverant, quam ipſe Paſchalis etiam confirmavit, & quia privilegium non errandi ſibi non vindicavit, ſeque Eccleſiæ ſubjectum eſſe novit, propriæ conſcius infirmitatis literarum, quas laudati Antiſtites miſerant ad illum, clauſulam patienter accepit. Et quod mirum, huic Concilio præſedit Guido Epiſcopus Viennenſis, Sedis Apoſtolicæ Legatus, qui poſtea ad Eccleſiam Romanam adcedens nomen Calixti ſecundi adſumſit. Qui vero diceret, Guidonem, ut Epiſcopus fieretRomanus, quidquid ſub finem Epiſtolæ hujus comminatoriæ ſcriptum fuit, revocaſſe, leges Hiſtoriæ contemneret, ac imprudentiſſime mentiretur, quia revocationi non fuit locus, & quia Concilium nihil revocatione dignum fecerat, imo Paſchalis ipſe Concilio morem geſſerat, hoc pacto Concilium & ejus Decretum confirmans.

Breves pro Launojo Vindiciæ.

QUod iterum exigit Lupus, Doctor Lovanienſis, Dictatuum Gregorii ſeptimi defenſor acerrimus, uti quarta Notarum in canones & Decreta Conciliorum parte luculenter oſtendit. In Scholio quippe ad canonem decimum & nonum, *Quod Papa debeat à nemine judicari*, præ oculis habens hanc quoque inter alias plures Launoji diſputationem contra Thomam Cajetanum, nihil potuit invenire aliqua dignum animadverſione præter Synodum Romanam, quam loco exempli contra Cajetanum ſecundi prolixius exhibuerat Launojus, Lupo quidem non expreſſe eidem contradicente, ſed potius agnoſcente, Launojum erudite eam contra Baronium diſcuſſiſſe, oſtendendo, extruſionem Johannis Papæ in hac Synodo factam Eccleſiæ placuiſſe, & Johannem poſthac nunquam Papatui fuiſſe reſtitutum, addente tamen, poſtquam agnovit, rem eſſe longi examinis, Petrum de Marca aliter longe de hoc negotio ſenſiſſe, quin & Marſilium Patavinum, juratum dignitatis Apoſtolicæ hoſtem, in libro de Imperii tranſlatione, Johannem Papam non degradatum, ſed renuntiare violenter compulſum adfirmare. Subjungit, Johannem peſſimis moribus ſuis Eccleſiam non ſolum ſcandalizaſſe, ſed etiam omnino devaſtaſſe, intruſum violentia Laica, & non tantum ex Laico, ſed etiam ex puero contra fundamentalis Diſciplinæ Paternæ canones conſecratum fuiſſe Epiſcopum, atque hinc non degradari ipſum oportuiſſe, ſed intruſum duntaxat extrudi, eandemque ſententiam tueri Johannem de Pariliis, pertinacem Philippi Pulchri Francorum Regis defenſorem adverſus Bonifacium Pontificem hujus nominis octavum, in Opere de Papali & Regia poteſtate, hac cum addictione, ſimilem fieri poſſe extruſionem non ſolum à Synodo Italica, ſed etiam à Collegio Cardinalium, ac eodem jure Gregorium hoc nomine ſextum fuiſſe extruſum à coacta per Henricum tertium Imperatorem Synodo. Et certe, quæ criſis eſt Lupi, dum intruſio eſt manifeſta, vera

Digitized by Google

vera poſſit eſſe hæc opinio, ita enim ſimoniace intruſum Pontificem juſſit tractari Synodus Lateranenſis Julii Pontificis ſecundi. Hæc Lupus contradicere volens Launojo ex aliqua parte, & tamen ejus cauſam non parum juvans. Placet ante omnia elogium, quo Launoji diſputationem Baronio oppoſitam ornavit. Nec diſplicet ingenua confeſſio, rem eſſe longi examinis, ſimul comet indicans, eſſe examinis etiam difficillimi, & vires lupinas longe ſuperantis. Quod autem Petrus de Marca antehac de Synodo hac Romana aliter judicavit, certis adſcribi debet cauſis. Multa vidit & obſervavit Vir ille pluribus aliis inviſa & inobſervata, ſed non omnia, aliis poſt ſe non pauca relinquens. Forte ſi legiſſet eruditam hanc Launoji diſputationem, aliter ſenſiſſet meliora doctus. Et tamen quod ſupra etiam fuit obſervatum, ea ſubjunxit huic judicio, quo Baronii ſententiam fuit amplexus, quæ eam inſigniter temperavit, ipſomet Lupo paucis ante paginis ea exhibente, dum ita ſcripſit: *In cauſa hæreſeos publice profeſſa & ſchiſmatis, quin de Pontifice Romano fieri poſſit judicium, nullus unquam ſcriptor dubitavit, quamvis ſententiam malint dici declaratoriam quam condemnatoriam.* At hoc eſt verbis ludere, non ſerio rem ſeriam agere. Marſilii Patavini teſtimonium præterquam, quod à ſtatu quæſtionis abluđit, ea continet, quæ Launoji cauſam promovent. Videlicet, non quæritur, num ultro, an invitus de Sede Pontificia fuerit ejectus Papa Johannes, ſed, an legitime & canonice? Sit ita, fuerit violenter compulſus ad renuntiandum, ad bonitatem cauſæ non proderit, niſi demonſtretur, cum injuſte adcuſatum, vel aliquam ei injuriam per ejectionem fuiſſe illatam. Teſtatur autem Marſilius, *Eccleſiæ non verum Paſtorem, ſed Mercenarium præfuiſſe*, uſus authoritate Roberti Cremonenſis Epiſcopi, quem magnum Scriptorem Hiſtoriarum vocat. Addit, Cardinales ex communi conſenſu ſcripſiſſe Ottoni Saxoniæ Duci, qui magnæ Vir magnæ potentiæ tum dominatus ſuper univerſam Alemanniam, ac religioſus atque Eccleſiam DEI devotus fuerit. Hujus auxilium imploraſſe Cardinales, ut Eccleſiam Romanam protegeret atque juvaret. Eum Romam venientem congregaſſe Concilium Cardinalium, ac de conſilio ipſorum cognoſcentem, Papam eſſe incorruptibilem, monuiſſe eum, ut Papatui renunciaret, & tunc factum eſſe Eccleſiæ Romanæ Paſtorem Leonem octavum. Talia hæc ſunt, quæ in cauſam eorum poſſunt referri, quæ Launojus contra Baronium ex aliis authoribus adduxit, ea præſertim, quibus hanc Synodum Romanam vocavit Concilium, non vero Conciliabulum, ac Leonem octavum pro Johanne ſubſtitutum, non Pſeudopapam, ſed Eccleſiæ Paſtorem. Quin & ipſe Lupus ſic deſcripſit Johannem, ut extruſione fuerit proprio etiam judicio digniſſimus, adcedente ſuffragio Johannis de Pariſiis, & quod quam maxime, inſervit ſententiæ Launoji, Synodi Lateranenſis. Addit Seculi noni & decimi Deſcriptor celebris *Bellerus*, dum res ſub Ottone Eccleſiaſticas commemorat, Sigonium, hanc Johannis Papæ deſtitutionem ex Luitprandi Adpendice & aliis referentem, Theodoricum quoque à Niem, Secretarium anthac Pontificium, poſtmodum vero Epiſcopum Verdenſem, è cujus ſcriptis varia memoratu digna in Flacii Catalogo Teſtium Veritatis ac ejuſdem Auctario, uti & Wolfii Lectionibus non ita pridem recuſis leguntur. Adcedit ex ejuſdem *Bœcleri* obſervatione Collectio Pontificum Romanorum ab Antonio Auguſtino, Archiepiſcopo Tarraconenſi facta, quæ Corpori Juris Canonici ſolet præfigi, in qua Leo Octavus tanquam Pontifex legitimus, ſubjungitur Johanni duodecimo, item Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus, & Johannes Nauclerus. His præterea licet ſubjungere *Stellam*, Venetum ſacerdotem, qui in cauſa Johannis non duorum, ſed unius tantum, nec Conciliabuli, ſed Concilii meminit; uti & Starovolſicum, qui itidem hujus Synodi Romanæ mentionem faciens Concilium vocavit, non Conciliabulum, & quamvis alteram quoque eodem nomine exhibeat, authoriate nimirum Johannis congregatam, & qua Leonem octavum declaravit Pſeudopapam, ac ejus Acta ceſſavit, uti ſcilicet ab aliis perſuaſus, edidit, non tamen deſcripſit eam, ut vere Pſeudo-Synodus poſſit vocari, dum expreſſe refert, Eum Cardinales quoſdam na-

ribus, lingua, digitis in ea mutilaſſe, quod an Vicarium Chriſti decuerit, & nunc hæc inter Acta Synodi laude digna poſſint referri, indicent cordatiores. Hinc non poſſum, quin his etiam Vindiciis interam, quod nuper *Romæ* non *glorioſæ* fuit inſertum, Jani Vitalis Epigramma, quod inter Elogia Pontificum Romanorum Bononiæ ante hos centum & triginta Annos impreſſa de hoc Papa Johanne legitur, ingratum Lectori non futurum, quod ſic habet:

Pontifices inter celebres dixere Johannem,
Ut ſunt in mediis ſæpe aconita Roſis.

Finem imponat nova Additio Oldoini, quæ nuper ad ultimum Editionem Ciacconii de Vita & rebus geſtis Pontificum Romanorum Romæ adceſſit, qui poſtquam è ſtella, Panvinio, Guarino, Sigonio, Luitprando varia de Johanne minus laudabilia recenſuit, tam quæ Juventutem & Pontificatum, quam vitæ ejus finem adtinent valde horrendum, de ſuo hæc adjecit: Quidquid ſit, male periit, qui male vixit, non quia juſte damnatus, & injuſte receptus, ſed quia tot tantiſque vocationibus à DEO admonitus fuit, nec à peccatis abſtinuit, juſte meruit à DEO tandem puniri. Mirum hinc videri poteſt non immerito, ultimos Editores maximæ collectionis Conciliorum, l'Abbeum & Coſſartium, poſt Sirmondum regiæ collectionis præcipuum Authorem, pleraque hæc non ignorantes, Viros nempe lectionis indefeſſæ, nihilo tamen minus in hujus Synodi Romanæ perbrevi recenſione veſtigiis Baronii inhæſiſſe, contentos tantum Adnotatione Binii, quem omnia Baronio habere, agnovit ipſe, quem Otovius quoque & Coriolanus ſunt ſecuti, Scoglius item & Bailius, omnes & ſinguli eadem oberrantes chorda, iis minime adtentis, qui animo magis ſincero Veritatem amplectuntur Hiſtoricam, ac mente minus corrupta de actionibus humanis judicare didicerunt.

Additio contra Anonymos de Comparatione Regiminis Eccleſiaſtici cum Politico.

EQuidem hæc Controverſia cæteris omnibus debuiſſet præponi, cum Bellarminus de ea primis novem capitibus primi de Pontifice Romano libri egerit prolixiſſime, ſi Launojus in ejuſdem tractatione Bellarminum ſibi directe refutandum propoſuiſſet. Exhibet vero eam in ſecunda quartæ Partis Epiſtola, in genere præſupponens, quod Tertullianus quondam ſcripſit in libro de forma Militis, ac ejus capite poſt decimum tertio: *Omnia in Seculo imaginaria, & nihil veri.* Quamvis autem, inquit, ad interludendam hominum litigioſorum tergiverſationem quamlibet paucula hæc verba poſſint eſſe ſatis ſuperque, quia tamen chriſtiani & eſſe & videri cupiunt, omnium chriſtianorum Magiſter illos dedoceat, cum in Evangelio diſcrimen inter Eccleſiam & Reges gentium conſtituit, aut certe conſtitutum agnoſcit. Diſcant ergo, quod Magiſter ille, qui nec falli potuit, nec fallere, tradidit apud Matthæum, Marcum & Lucam, dicens: *Reges gentium dominantur* &c. *Vos autem non ſic.* Hoc ſcilicet Evangelii loco apertam in lucem produntur inſidiæ, quæ per inſtitutam inter gentium Reges & Pontificem Romanum, inter Concilia & ſtatus ſeculares comparationem ſtruuntur. Sicut enim Eccleſia præceptis Chriſti, documentis Apoſtolorum & ſacris Conciliorum canonibus regitur, & ſuis circumſcribitur limitibus; ſic & regna gentium propris quoque legibus, Comitiis centuriatis & communi omnium ordinum conſilio temperatur, ac ſuis itidem conſtringuntur finibus. Itaque cum Authore Chriſto diverſa ſit Regni mundani & Evangelici ratio, deſinant homines contentioſi ea uti comparatione; qua authoritati & doctrinæ Chriſti adverſantur, & Veritatem Eccleſiaſticam pervertunt, & niſi deſinant, dicendum illis erit, quod Tertullianus obſervavit in libri de præſcriptionibus

hæ-

Digitized by Google

hæreticorum capite octavo: *Notis curioſitate non eſt opus poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Euangelium.* In promtu ſit etiam hoc Effati genus, quod ibidem ante ex Paulo ſic præmunierat; *Videte, ne quis vos circumveniat per Philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum*, præter Providentiam Spiritus Sancti. *Fuerat Athenis Paulus*, ſcribit Tertullianus, & *& iſtam Sapientiam humanam, adfectatricem & interpolatricem Veritatis de congreſſibus noverat, ipſam quoque in ſuas hæreſes multipartitam varietate Sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hieroſolymis, quid Academiæ & Eccleſiæ, quid hæreticis & Chriſtianis? Inſtitutio noſtra de Porticu Salomonis* eſt, *qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.* Poſt hæc ad Eccleſiæ Patres progreditur Launojus, monens generatim de illis, quod, cum ſe obtulerit occaſio, communi cauſæ inſervierint, & homines contentioſos, qui de ſeculo opportunitatem, neſcio, quam trahere conantur, longe ac late propulſarunt. *Primus* eſt Oſius, Cordubenſis Epiſcopus, in Epiſtola ad Imperatorem Conſtantium ſic ſcribens: *DEUS tibi commiſit Imperium; nobis concredidit, quæ ſunt Eccleſiæ. Et quemadmodum qui tuum maligne carpit oculis Imperium, orationi contradicit Divinæ, ita & Tu cave, ne, quæ ſunt Eccleſiæ ad Te trahens, magno crimini ſis obnoxius. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, &, quæ ſunt DEI, DEO. Neque igitur fas eſt nobis Imperium in terris tenere, neque Tu thymicatum & ſacrorum habes poteſtatem.* Cum Oſius inſtituit hanc diſputationem, ſic adfectus eſt, ut nunquam pateretur eam inter regni & ſacerdotii negotia comparationem fieri, quæ hinc Veritatem obſcurare, inde Veritatis amantibus invidiam conflare videtur non immerite. *Secundus* eſt non unus tantum, ſed pro uno plures habiti Præſules ſanctiſſimi, qui, apud Athanaſium in Epiſtola ad Solitarios ſic adloquuntur Imperatorem, Regnum non ipſius eſſe, ſed DEI, à quo acceperat, Eumque metuendum, ne, quod dederat, repente adimeret. Denuntiant illi porro diem Judicii, ſuadebantque, ne corrumperet Eccleſiaſtica, nec Imperium conſtitutionibus Eccleſiaſticis immiſceret. In antecedentibus etiam proteſtantur, non facturos ſe quidquam, niſi quod ſit Canonis Eccleſiaſtici. Hæc momenta rerum, inquit Launojus, invictam contra diſputatores perverſos rationem ſuppeditant. *Tertius* eſt Chryſoſtomus Homilia poſt ſexageſimam ſexta in Matthæum ſic locutus: *Qui primatum quærunt*, ſibimet ipſis ſunt dedecori, ignorantes, ſe hoc pacto ſemet ipſos in infima detrudere; non enim externis noſtra ſunt ſimilia. Nam apud gentes, qui principes ſunt ipſi dominantur; apud nos autem, qui ultimus eſt, *ipſe tenet ſumma.* Inde perſpicuum eſt, inquit Launojus, in hujus ſancti Doctoris Schola nunquam formatum in hoc argumentum, quod ab hominibus litigioſis formatur. *Quartus* eſt Hieronymus, in epiſtola ordine triceſima ad Oceanum ſic ſcribens: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ autem Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit.* Ecce ſolutionem ductæ ab odioſa ſimilitudine Rationis, quam Magiſter Eccleſiarum porrigit! Quis vero eam apte rejiciat? Illa è viſceribus cauſæ ac utriuſque Poteſtatis, Eccleſiaſticæ ac Secularis naturam quæritur. *Quintus* eſt Auguſtinus, alter Eccleſiarum Magiſter, cujus in Epiſtola poſt centeſimam ſexageſima ad Apringium Judicem hæc ſunt: *De vobis quidem* legimus Apoſtolum dixiſſe, quod non ſine cauſa gladium geratis, & Miniſtri ſitis DEI, vindices in eos, qui agunt male. Sed alia eſt cauſa provinciæ, alia autem Eccleſiæ. Illius terribiliter gerenda eſt Adminiſtratio, hujus clementer commendanda eſt *Manſuetudo.* Nempe luculentiſſimum Auguſtinus adfert diſcrimen inter Provinciæ & Eccleſiæ Rationem, & nemo eſt tam hebes in plebeculo, qui eo non poſſit uti, ac ſe ab impetitione omni defendere. *Sextus* eſt Leo magnus, in Epiſtola poſt quinquageſimam quarta ad Martinum Imperatorem hoc habens: *Habeat, ſicut* optamus, ſuam civitas Conſtantinopolitana gloriam, ac protegente dextra DEI diuturno veſtræ Clementiæ fruatur Imperio; alia tamen eſt ratio Rerum ſecularium, alia vero Divinarum, nec præter Petram, quam Dominus poſuit in fundamento, ſtabilis erit *ulla conſtructio.* Vir prudentis perſpicaciæ occurrit argutiis, in quibus, qui tergiverſan-

ſantur, omne ſuum collocant præſidium, diſparem adſignans rationem, & in ea, quidquid eſt argutiarum, diſſipans. *Septimus* è Sidoniis Apollinaris libri quarti Epiſtola poſt decimam quarta ad Polemium : *Nosse is volo*, non, ut eſt apud Prætulem Fori, ſic eſſe apud Judicem Mundi. Namque ut is, qui proprie vobis non tacuerit flagitia, damnatur; ita nobiſcum, qui eadem DEO fuerit confeſſus, *abſolvitur*. Cum igitur alia ſit ratio rerum ſecularium, alia Divinarum, quid eſt, quæſo, cur velint non nulli utramque rationem perturbare & confundere, niſi quod nimis eſt manifeſtum, ut ex tali confuſione & perturbatione ſubvectant Conciliorum & Eccleſiæ decreta? *Octavus* eſt Gelaſius hoc nomine primus, in Epiſtola octava, ſive in Tractatu, cui deeſt principium: *Non eſt quidem noſtræ* humilitatis, de totius orbis diſſenſione ſententiam ferre; eſt tamen noſtrum, de propria ſalute ſollicitos eſſe, quoniam unuſquiſque pro ſe rationem redditurus eſt ante Tribunal illud Judicis & Regis æterni, in quo etiam de verbo otioſo minimoque quadrante ſumus noſtrorum actuum rationem præſtituri. Unde & optamus, qualiacunque & quantacunque ſuper nos importaverit inimicus, tolerare diſcrimina in ſeculo præſenti, tantum ne cauſas incurramus *Mortis æternæ*. Hæc in Gelaſio, inquit Launojus, ſcribendi ingenuitas demonſtrat, quærendam non eſſe Pontifice Romano è ſeculi principibus comparationem, qua ſuam tueatur authoritatem. Intelligebat enim Vir prudens, eam propriis, non alienis finibus & principiis æſtimandam eſſe. Atque huc ſpectat, cum ad Imperatorem Anaſtaſium ſcripſit : *Duo ſunt*, quibus principaliter Mundus hic regitur, authoritas ſacra Pontificum, & *Regia Poteſtas*. Et interpoſitis quibuſdam : *Si quantum* ad ordinem publicæ pertinet Diſciplinæ, cognoſcentes Imperium ſibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſe quoque parent Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ; quo rogo, Te decet adfectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus adtributi *ſunt Myſteriis*. Gelaſi nimirum Schola plurimum abhorret à Magiſtris hiſce politicis, qui Eccleſiaſtica permiſcent ſecularibus, ut Pontificem Romanum à Canonum ſacrorum & Conciliorum ſubjectione liberum atque immunem efficiant. *Nonus* & Gregorius Magnus, qui, ut ſe privatorum correctioni, Sedis Apoſtolicæ traditioni Eccleſiæ & Conciliorum canonibus ſubjiceret, futuram in eodem vel ſimili caſu Imperatoris dejectionem prætexuit. Primum habet libri ſecundi Epiſtola poſt triceſimam ſeptima ad Natalem Epiſcopum Salonizanum, quem ita reprehendit, ut pari ſe obnoxium eſſe reprehenſioni ſignificet, tantum abeſt, ut pugnet, alios ſe poſſe reprehendere, ſe vero reprehendi non poſſe, atque id politicis confirmet rationibus, quæ, quo validiores ſint & invidioſiores, ad Imperii Comitiorum jura, adque commovendum Imperatoris ſtatum & incutiendum ei timorem pertineant. Secundum habet libri tertii Epiſtola triceſima ad Conſtantinam Auguſtam, ubi non dicit, ſe Eccleſiæ conſuetudini & traditioni ſubjectum non eſſe, neque ut illam excutiat ſubjectionem, Imperialem advocat dignitatem, quæ politicis Romanæ Urbis non ſubjaceat conſtitutionibus; ſed libenter & ſincero fatetur animo, ſe traditioni hujuſmodi ſubjectum eſſe, ut pronuntiet, *Illa præcipitis, quæ facere nec poſſum, nec audeo*, & aliunde rebus ſacris ſecularia non immiſceat. Tertium habet in libri quarti Epiſtola poſt triceſimam octava ad Johannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ubi perſpicue authoritatem Concilii ſua majorem agnoſcit, ac ſuam propriis metitur finibus, nec jura regnorum vel Regum opportunitates vocat in ſubſidium, uti adulatores & diſciplinæ ſacræ corruptores vocant. *Decimus* eſt Nicolaus hoc nomine primus, in Epiſtola octava ad Michaelem Imperatorem ſcribens : *Cum ad verum* ventum eſt & Regem eundem atque Pontificem, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium uſurpavit, quoniam idem Mediator DEUS & hominum Homo JESUS Chriſtus, ſic actibus propriis dignitatibuſque diſtinctis officia diſcrevit, utriuſque, ut & Impetatores chriſtiani pro vita æterna Pontificibus indigerent, & Pontifices

pro

Digitized by Google

pro curſu rerum temporalium tantummodo legibus uterentur *Imperialibus*. Hic omnino percelluntur, qui controverſias ſingulares dogmatibus immiſcent Eccleſiaſticis, ut hæc dogmata diſſuadeant, atque ut Principes ad diſſuaſionem pravis impellant adulationibus. Sed homines perverſe ingenioſi non reformidant adverſarii conſilio & ordinationi Divinæ, quam Nicolaus hic eleganter exponit. Servator quippe noſter Chriſtus Pontificum & Regum munia ſic diſtinxit, ut nefas ſit, illa deinceps confundere, uti malitioſe confundunt adulatores dicti, quod perſpicuum eſt ab iis fieri non amore Veritatis, ſed partium ſtudiis, quibus tenentur. Nimirum, ut Pontifices ſuperponant Concilio, libertatem Regum adtollunt, quam in alia rerum occaſione deprimunt; neque hoc tantum, ſed etiam jura illorum dignitatemque poteſtati alienæ ad excidium uſque ſubjiciunt. *Undecimus* tandem eſt Gregorius hoc nomine nonus, in Reſcripto quod anno ſeculi poſt decimum tertii triceſimo & primo miſit ad Academiam Pariſienſem, ubi docet, qua ratione Theologia ſeu doctrina ſacra ſit tradenda, ſic ſcribens: *Magiſtri & Scholares* Theologiæ in Facultate, quam profitentur, ſtudeant ſe laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed fieri ſatagant Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, Hebræam cum Aſotica confundentes, ſed de illis tantum quæſtionibus diſputent in Scholis, quæ per libros Theologicos & Patrum ſanctorum tractatus *valeant terminari*. Scilicet, quomodo Pontifex excludit momenta rationum, quæ ex Ariſtotelis hauriuntur fontibus; ſic etiam excludit momenta rationum, quæ ex ordinum & ſtatuum ſecularium, qui aliter atque aliter ſuo quiſque modo gubernantur, comparatione repetuntur. Atque hac Pontificum & Eccleſiæ Doctorum authoritate præſcribendum eſt compendii gratia adverſus iſtos adulatores Curiæ. Si cedant, capti ſunt; ſi non cedant, nulli. Siquidem, dum id agunt, ut definitiones Conciliorum, ipſamque Veritatem in odium & invidiam apud ipſos Principes conjiciant, omnino faciunt, quod prohibetur apud Salomonem: *Terminos ac fines proximi non commutabis, quos Patres tui proſtituerunt.*

Obſervationes quædam Hiſtoricæ Coronidis loco ſubjunctæ.

Prima de Aſſumptione Virginis Mariæ.

LAunojus agit de ea in Tractatu peculiari, quem ante annos non ita multos iterata vice auctorem edidit ſub titulo Judicii de Controverſia ſuper exſcribendo Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologio exorta, cujus hiſtoriam ab initio ſtatim ſic exponit: Cum nuper in Eccleſiæ Pariſienſis Capitulo ſtatutum eſſet, ut Martyrologium illud, quod longo & frequenti uſu detritum erat atque obſoletum, exſcriberetur, mota tum fuit quæſtio, Num, quæ de B. Virginis dormitione Martyrologium ſemper habuerat uſque ad annum, uti volunt, ſeculi ſuperioris quadrageſimum, retinerentur? Hunc ſcilicet ad annum, quæ jam inde à tempore Caroli M. Imperatoris invaluerat atque irroboraverat lectio, expuncta eſt, atque in ejus locum Homilia quædam ſuffecta, quæ ἀδέσποτος eſt, quæque, ſi adjuncta ſpectentur omnia, ἀδέσποτος eſſe non debuit. Sed quod factum eſt, non poteſt non eſſe factum. Igitur altercatione, quæ ex illo facti genere poteſt haberi, miſſa, honeſtius erit atque utilius, ad quæſtionem ſe recipere, utrum retinenda ſint, vel non, quæ ante hoc tempus de B. Virginis dormitione recitabantur in Martyrologio Eccleſiæ. Suut autem res quatuor, quas prænoſcere oportet. *Prima* eſt, Martyrologium Eccleſiæ Pariſienſis, quod venit in quæſtionem, nullum Authoris nomen præ ſe ferre; ſicut neque præ ſe fert id genus Martyrologii in pleriſque manuſcriptis atque editis exemplaribus. *Secunda*, Martyrologii hujus Authorem eſſe Uſuardum, eumque Monaſterii S. Germani Pratenſis Monachum; cujus rei notitia debetur Petro Pithæo, Viro de literis bene merito, qui, cum haberet exemplar quoddam Martyrologii ſic inſcripti, primum ex eo folium detraxit, detractumque Sangermanenſibus Monachis dedit,

dit, ut uni ex multis, quæ tum habebant, atque etiamnum habeant, exemplaribus Martyrologii præfigerent. *Tertia*, Uſuardum à Carolo Magno Imperatore indicatum fuiſſe idoneum, qui tanto operi conficiendo vacaret, qui etiam opus hocce ſuum ei inſcripſit. Quanta vero Uſuardi pietas atque eruditio fuerit, Imperator magnæ pietatis ac eruditionis Vir ſuo hocce confirmavit judicio. *Quarta*, Eccleſiam Pariſienſem ſuos in uſus Martyrologium Uſuardi derivaſſe, atque illud adprobando feciſſe ſuum; quo ex capite nunc æque Pariſienſis Eccleſiæ ac Uſuardi cauſa agitur, nec illud à quoquam, qui ſincero præditus eſt animo, jure poteſt denegari. Hinc prorſus efficitur, ut, quæ propter Martyrologium hoc querimonia de Uſuardo inſtitueretur, de Pariſienſi Eccleſia quoque poſſet inſtitui; quod ab eo, qui nullis partium ſtudiis ducitur, ac Veritatem ſui gratia quærit amatque, non licet diſſimulari. Atque ſic hiſce præcognitis rem ipſam aggredior, & mihi dico videri retinenda eſſe in deſcriptione Martyrologii, quæ ante annum ſupra dictum Eccleſia Pariſienſis ad decimum & octavum diem ante Kalendas Septembris ſic legebat: *Dormitio ſanctæ DEI Genitricis MARIÆ, cujus ſacratiſſimum corpus etſi non invenitur ſupra terram, tamen pia Mater Eccleſia venerabilem ejus memoriam ſic agit feſtivam, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quo autem venerabili illud Spiritus ſancti templum conſilio & nutu Divino ſit occultatum, plus elegit ſobrietas Eccleſia cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Rationes, cur hæc verba Martyrologii retinenda eſſe videantur, ſunt hujuſmodi. *Prima* eſt antiquitas Martyrologii hujus, quod jam inde à Caroli Magni Imperatoris ævo per omnes annos conſequentes in Eccleſia Pariſienſi fuit recitatum, ſpectantibus & audientibus, quorum eſt Divinis intereſſe officiis. Quocirca, cum anno ſupra dicto deſierunt recitari hæc verba Martyrologii, id certa quadam adcidit novitate, quæ erroris ſuſpicione non ſolet eſſe vacua. Poterat tunc Eccleſia Pariſienſis unica conceptione ignotum correctorem repellere, dicendo: Ni Martyrologium Uſuardi in noſtra ſit poſſeſſione fueritque à ſeculis pluribus, atque ſic poſſederim pro meo, & illo quidem tempore ipſo, quo ab ignoto correctore turbari cœpta eſt poſſeſſio. Qui autem diceret, per tot ſeculorum intervalla Eccleſiæ Pariſienſis Antiſtites & Canonicos de ſuo Martyrologio nihil inaudiviſſe, ſpernendus eſſet, ne alioqui reſpondendo redderetur idoneus, cui reſponderetur, atque dictum eſſet hominis, qui difficultate rei præpediretur, qui Veritatem nec quæreret, nec amaret, ſed eam diſputatione volatica involvere & inobſcurare conſtituit. Atqui hæc talis res eſt, cui ab hominibus eruditis & cordatis nunquam bonum adſcribetur factum. *Secunda* eſt authoritas Eccleſiæ Pariſienſis, quæ tanta eſt, ut vix aliam reperias Eccleſiam, quæ annis abhinc octingentis & amplius tot virorum gravium & doctorum primi & ſecundi Ordinis Sacerdotum majore numero floruerit. Infiniti laboris eſſet ire per ſingulos, qui vel libris editis, vel celebri Magiſterio Eccleſiam & Academiam Pariſienſem illuſtrarunt, ſed inter eos ne unus quidem fuit, qui verba Martyrologii relata cenſuerit vel propoſuerit eſſe corrigenda, quique vel in Synodo Pariſienſi, vel in Eccleſiæ Capitulo, ne verba hæc recitarentur, vetuerit. Nempe intelligebant viri prudentes, hæc verba Chriſtianam ſpirare modeſtiam, quæ præcipit in quæſtione tanti ponderis ſilendum eſſe, cum Scriptura & certa Eccleſiæ Catholicæ traditio non loquuntur. Quin & intelligebant, ab Eccleſiæ ſuæ Martyrologio procul removendum eſſe librum *de Tranſitu B. Mariæ* inſcriptum, & Melitoni Epiſcopo perperam adtributum, utpote quem Synodus Romana anno ſeculi poſt Chriſtum quinti nonageſimo & ſexto inter apocryphos relegaverat; atque ſic curandum eſſe, ne ſtolones, qui ex eo, tanquam ex feraci malorum graminum ſolo naſcebantur, corpus Eccleſiæ inficerent. *Tertia* eſt conſpiratio Eccleſiarum complurium, & inprimis Romanæ cum Pariſienſi in doctrina Martyrologii. Et primo quidem id teſtatur Martyrologium, quod anno ſeculi ſuperioris ſeptimo Rothomagi eſt editum, atque hoc modo inſcriptum: *Aureum opus, Martyrologium Sanctorum non immerito dictum, quod cunctis mortalibus velut ſpeculum propoſui-*

Digitized by Google

ponitur, in quo Sanctorum, quorum geſta ibidem recitantur, exemplo ſuam emendare & corrigere vitam valeant, noviter emendatum, ac ſuper quatuor exemplaribus, quorum tria alias Lugduni, Papiæ & Pariſiis fuerant impreſſa, reviſum & correctum, omnibus eam Eccleſiaſticis, quem cæteris Chriſtianis perutile & neceſſarium, ad uſum Eccleſiæ Romanæ cæterarumque omnium per orbem terræ diſperſarum. Qui autem hoc edidit Martyrologium, erat Frater Regularis Obſervantiæ Ordinis Minorum Profeſſor. Martyrologium vero Pariſienſe, ad quod Franciſcanus ille ſuum recenſuit Martyrologium, erat Eccleſiæ Pariſienſis, quod Johannes Muneratus Pariſienſis Theologus, & Ædis Regiæ Gymnaſii Navarrici Concentor, anno ſeculi poſt decimum quinti nonageſimo publici fecerat juris, & Ludovico Bellomontano Pariſienſi Epiſcopo nuncupaverat. Deinde, id quoque teſtatur *Johannes Molanus*, Lovanienſis Theologus, cum anno ſeculi ſuperioris poſt ſeptuageſimum tertio Martyrologium Uſuardi in lucem emiſit hoc cum titulo: *Martyrologium Uſuardi, qua Eccleſiæ Romanæ ac aliæ permultæ utuntur, juſſu Caroli Magni conſcriptum.* Vir autem hic celebris Martyrologium hoc non prius edidit, quam cum plurimis exemplaribus impreſſis & manu exaratis contulit, & quæ Uſuardi non ſunt, Italico charactere diſtinxit. Inſuper *Arnoldus Wionius* Ducenſis Monachus Benedictinus, in libro, quem vocat *Lignum Vitæ*, de Uſuardo ac ejus Martyrologio ſic cenſet: *Uſuardus, Martyrologii Sanctorum Scriptor, adparere in conſpectu Domini vacuus nolens, juſſu Caroli Magni poſt ſanctum Hieronymum & Bedam ex Scripturis veterum geſta & paſſiones Martyrum, Confeſſorum, Virginumque ſacrarum in unum volumen contulit, quod Martyrologium Uſuardi vocatum, & ab Eccleſia adprobatum uſque in hunc diem perſeverat, atque in Eccleſia Romana aliquando & in aliis multis, præſertim Galli enis, Germanicis, Hiſpanicis, Anglicanis, nec non Monachorum & Religioſorum domibus legi conſuevit poſt primam.* Hæc apud Poſſevinum in adparatu Sacro, qui illa comprobando fecit ſua. Poſtremo, *Philippus L'abbe* in diſputatione Hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cujus teſtimonium adfero, ſcribit Launojus, non propter ipſum Authorem, qui ſine idonea ratione mutavit ſententiam, ſed propter laudatos ab eo Scriptores, qui ſententiam non mutarunt, ſed ſemper crediderunt, Caroli Magni non Caroli Calvi tempore Uſuardum vixiſſe. Eſſe vero nunc dierum, qui tot Eccleſiis, nempe Gallicanis, Hiſpanienſibus, Anglicanis, Germanicis & Romanæ, quæ cæterarum caput eſt, dicam erroris ſcribant, vix adduci poſſum, inquit Launojus porro, ut credam, etiam dum lego; nam vereor, ne mei me fallant oculi. Quidquid autem in cauſa, facinus illud expoſuiſſe, eſt confutaſſe. Nam tot Eccleſiarum in rem eandem conſpiratio veræ apud Catholicos doctrinæ nota cenſetur eſſe, & qui contradicunt, Sectariorum augere, non vero minuere poſſunt numerum. *Quarta* eſt irreprehenſum ab initio Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologium. Si enim, quod editis operibus in Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologio tam acriter nunc reprehenditur, tali reprehenſione dignum fuiſſet ab initio, graviſſimis non caruiſſet reprehenſionibus. Atqui caruit omnino, & tamen quod reprehenditur, non uti inexploratus, ſed uti exploratus per ætates ſingulas error reprehenditur. Ab initio, inquam, vel quando editum eſt ab Uſuardo Martyrologium, vel cum illud in Pariſienſis & cæterarum Eccleſiarum adoptionem venit. Omnes quippe conticuerunt, nec ullus extitit, qui obloqueretur Martyrologio. *Quinta* eſt circumſcripta in eodem ſeculo pro Uſuardi & Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologio Adonis & Hincmari defenſio, utriuſque Archiepiſcopi, illius Viennenſis, hujus Rementis, qui Carolo Calvo Rege, Caroli Magni nepote claruerunt. Et Ado quidem duobus in locis hac de re ſcripſit, nimirum, in Martyrologio, & in libello de Feſtivitatibus Apoſtolorum, iis quæ Uſuardus habet de Dormitione Virginis Mariæ, hæc notanter ſubjiciens; *Suffeciunt Eccleſiæ ad ſanctitatem & vitam Virginis & Matris Domini commendandam teſtimonia Evangeliſtarum, nec de ea quærere ultra putat neceſſarium.* Sic Ado ampliora dicit, quam Uſuardus; ſine dubio non dicturus, ſi tunc vetuiſſet Eccleſiæ Catholicæ traditio. Nec Martyrologia vetuſtiora &

Sanctorum Acta & Hiſtoriæ, quarum ope ſuum ſe teſtatur confeciſſe Martyrologium, repugnaſſent, & qui apertiſſimam Adonis ſcriptionem contraria ſcriptione refutaverit, nullus mortalium invenitur. Nec mirum, quia univerſi tunc noverant, id eſſe verum, quod Ado literis mandaverat, id vero falſum & apocryphum, quod Author libri *de Tranſitu B. Mariæ* ſparſerat in vulgus, & quod illius ſectatores per ignorantiam vel ſimplicitatem receperant. Hincmarus autem apud Flodoardum duobus in locis Hiſtoriæ remenſis ſe ut murum aheneum libro de Tranſitu B. Mariæ opponit, & Uſuardi ac Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologium tuetur, ſemel in libri tertii capite quinto, ubi Sermonis Hieronymi de Adſumtione Virginus mentionem facit, iterum libri ejuſdem capite poſt viceſimum tertio, ubi refert de Hincmaro, quod cenſuerit, hanc Hiſtoriam habere nos ad lectionem, non vero ad authoritatem proferendam. Cantio, ſic judicat Launojus vix major potuit adhiberi, tum ut ſervaretur recepta tunc temporis in Gallia de B. Virginis dormitione traditio, tum etiam ne quid contra eam admitteretur. Timebat enim vir prudens, ne liber de Tranſitu B. Mariæ inter apocryphos recenſitus in familiaritatem & conſuetudinem fidelium ſeſe induceret, neve populus in ſuperſtitionem pronior ad alias narrationes huic libro ab hominibus otioſis ſuperſtructos deflecteret. Sic igitur Archiepiſcopi duo, qui doctrinæ apud Gallos tenebant illo tempore principatum, Uſuardi, ac proinde Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium circumſtant, ſummæ videlicet Authoritares, quibus vix aliæ ſimiles, ſeu in Oriente, ſeu in Occidente, objici poſſunt in hac temporis Epocha; qua adhuc ratione omnes ad vexandum Uſuardi & Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologium aditus intercluduntur. *Sexta* eſt adceſio ingens eorum, qui huic Martyrologio adſerunt patrocinium, inter quos primum obtinet locum *Leo Imperator* cognomento Sapiens in Oratione ſingulari de Dormitione Virginis DE Iparæ, ex qua duo obſervat Launojus, unum, B. Virginem corpore relicto in Cœlum migraſſe; alterum vero, ubinam corpus illud relictum fuerit, vel quid eo factum, non dici, quia ex certa & à Scriptis aprocryphis ſecreta & libera traditione non poterat dici, addita *Franciſci Combefiſii*. Ordinis Prædicatorum, qui hanc Leonis Orationem adiderat cum aliis, obſervatione notatu digniſſima. Hunc ſequitur *Odilo, Cluniacenſis* Abbas in Sermone de Adſumtione Virginis, quem habet Bibliotheca Cluniacenſis; item *Fulbertus Carnotenſis* Epiſcopus in ſermone ſecundo de Nativitate ejuſdem, de quo monet Launojus, quod multa habeat ex eo ſermone, quem tunc temporis omnes Hieronymo adſcripſerint, quod itidem loquatur de pietate nonnullorum fidelium, qui ut Mariæ Virginis, ſic etiam Apoſtoli Johannis corpus adſumtum eſſe crediderint. At nunc, inquit Launojus, eſt paucorum hæc in Johannem pietas, judicio lectori ſuperinde relicto, quid de altero & ſimili prudenter ſtatuendum ſit exemplo. Succedit Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, in libri de Excellentia Virginis capite octavo laudes illius celebrans, ac de glorificatione ejuſdem multa ſcribens, ſed de corporis glorificatione, ſeu de eo in Cœlum adſumto conticeſcens, commendatam in Martyrologio Eccleſiæ ſobrietatem recordatus. Sic *Quo, Carnotenſis* itidem Epiſcopus, in decreti parte quarta, ac ejuſdem capite poſt centeſimum & quinquageſimum ſecundo, cum facit ſuum, quod ex Sermone Hieronymi ad Paulum & Euſtachium de hac narratione adduxit, reſpectum habet ad eam Eccleſiæ ſobrietatem, quæ in Uſardi Martyrologio comendatur. Author quoque ſermonis de Adſumtione Virginis Auguſtino adſcripti non dicit, quo in loco Maria oppetierit mortem aut ſepulturam acceperit, aut quod rediviva migraverit in Cœlum, ſed tantum dicit, videri ſibi corpus Mariæ non redactum in cineres fuiſſe, ſed incorruptum manſiſſe, quod vero non eſt in Cœlo beari. Porro, *Guibertus Abbas* Novigentinus in libri primi de pignoribus Sanctorum capite quarto videtur eo etiam ſcripſiſſe conſilio, ut Martyrologium Uſuardi confirmaret, illudque adverſus librum de tranſitu B. Mariæ ac ejus exſcriptores adſereret atque vindicaret. *Hugo* inſuper *de S. Victore* in libri tertii de Eruditione Teologica capite poſt centeſimum & viceſimum quinto de Adſumtione corporis

Mariæ

Digitized by Google

Mariæ in Cœlum agens notanter addit, *quantum credimus*, ſignificans privatam nonnullorum credulitatem, non communem & publicam, uſus iis rationibus, quæ tantum ad rei congruitatem, non vero ad dogma Eccleſiaſticum pertinent. Præterea in Bibliotheca Cœnobii S. Victoris adſervatur Chronicam ad breviatum manuſcriptum, quod huic adſcribitur Hugoni, in quo circa hoc argumentum legitur expreſſe, multos ex Sententia Hieronymi ea de re dubitare. Ita ***Robertus Pullus***, Cardinalis & Eccleſiæ Romanæ Cancellarius in libros Sententiarum partis quintæ capite ſecundo credibilus agnoſcit, ſolum Chriſtum in Gloriam reſurrexiſſe, quod, inquit Launojus, ſummam apud Romanos ſentiendi hac in materia libertatem importat, quæ Martyrologii temperamento videtur indigere; ſed periculum eſt, ne ab iis, qui reſpiciunt ad pauca cenſoribus devoretur, atque ab Eccleſia Romana pellatur. Simili modo ***Richardus de S. Victore*** in opuſculi de Excellentia B. Virginis capite poſt triceſimum nono illam mirifice quidem de prædicat, ſed inter dotes, quas deſcribit, gloria corporis non comparet. Hunc autem à Richardo ſervatum eſſe hoc in loco modum quis crederet, ſi modus is non fuiſſet obſervandus, uti in Martyrologio fuerat præſcriptus? Plus ultra, ***Johannes Belethus***, Pariſienſis Theologus, & cum eo Eccleſia Romana in Explicationis officiorum Divinorum capite poſt quadrageſimum primo, de adſumtione corporis B. Virginis ſcribit incertum eſſe, pie tamen credi, addens, Eliſabetham tunc adhuc viventem ea de re compoſuiſſe opuſculum, inque eo teſtatam, quod ſibi id revelatum fuerit, ſed in Eccleſia Romana non eſſe comprobatum. Adhuc amplius, ***Petrus Bleſenſis*** in Sermone poſt viceſimum octavo de Adſumtione Virginis agens, eam inter veriſimilia tantum retulit. ***Durandus*** quoque, Munatenſis Epiſcopus, in libri de officiis Divinis ſeptimi capite poſt viceſimum quarto habet hanc narrationem pro incerta, additque, melius eſſe, pie de ea dubitare, quam temere aliquid definire, de tractatu Eliſabethæ itidem cenſens, quod non ſit authenticus. ***Toſtatus*** tandem in caput Matthæi viceſimum & ſecundum, Quæſtione poſt ducenteſimam triceſima notanter ſcribit, cuilibet licere, ſicut voluerit, opinari. Eſt autem, ſcribit Launojus, mihi Toſtatus pro centum recentioribus, cui Tractator Eccleſiaſticus vix ullus poteſt opponi, ſi acre ingenium & par Judicium, ſi varia eſt multiplex eruditio, ſi fœcunditas animi, ſi diligentia incomparabilis, ſi plurium Linguarum cognitio, ſi juris utriuſque ac Philoſophiæ & Theologiæ intelligentia, ſi librorum editorum multitudo, ſi vitæ integritas, ſi tempus vitæ brevioris ſimul & ſemel adtendantur. Nunc, ſi, quo tempore orbem Chriſtianum illuſtravit ſcriptor hic incomparabilis, omnes Eccleſiæ, inprimis Romana, Collegia Presbyterorum & Monaſteria, quæ non Hieronymi, non Bedæ, non vetus illud ab Adone deſcriptum inexplicabile, tot viarum recentium objectum, ſed Uſuardi vel Adonis uſurpabant Martyrologium in ſacris ritibus, prodirent in lucem, nullus eſſet locus ſat magnus, in quo ſimul conſiſterent. Deinde, etiamſi poſſent conſiſtere, per leges eas, quibus abhorrent à ſanguine fundendo, nuſquam ſimul conſiſterent, ne ſcilicet magnitudine & pondere ſuo homines duos inſignes Canonicos (NB. Launojus hic deſignat eos, qui orta in Capitulo Pariſienſi lite pro veritate Adſumtionis ſteterunt) opprimerent ac ſuffocarent. Maneant igitur ſuis in ſedibus Eccleſiæ, Collegia & Monaſteria, vivant homines illi & convertantur. Convertentur autem, ſi pergant profiteri, quod unus ex illis cauſæ confiſus bonitate ſic decernit: *Inter Antiquitatis monimenta, unde capimus argumenta, quia primas ſibi vindicent partes Martyrologia, non negabit opinor adverſarius. Unde certius enim deprehendimus, quis olim fuerit ſenſus Eccleſiæ de Adſumtione Virginis Deiparæ, quam ex Martyrologiis? Per ea nimirum innoteſcit, quid quoque Seculo, ac pene dicam, quid per ſingulos dies à populis fidelibus circa cultum Sanctorum ſit receptum atque agnitum.* Atqui ſeculo Toſtati Romæ, Pariſiis & alibi legebatur Martyrologium Uſuardi purum putum. Verum Seculo ſuperiori Romæ, Pariſiis & allibi forſan fuit, cui hoc diſplicuit, qui dormitionem vertit in Adſumtionem, atque cætera præterniſit. Sed novitas eſt, cujus robur non poteſt eſſe antiquitas. *Septima* tan-

dem atque ultima Ratio est jus quæsitum ab iis, qui, quæ sunt apocrypha, varie deformarunt. Unus instar omnium erit Notkerus, qui in Martyrologio agens hac de re laudat Gregorium Turonensem, qui, quæ habet de Adsumtione Virginis, ex libro de Transitu B. Mariæ depromsit, sine dubio non depromturus, si librum hunc à Synodo Romana damnatum esse cognovisset. Tum, Author idem narrat, Tractatores Ecclesiasticos circa Virginis Adsumtionem dissidere inter se. Postremo, ex occasione dissidii hujus dicit, corpus B. Mariæ alicubi delitescere in terra, & revelationem ejus reservari ad exitium Antichristi. Hæc vero omnia si quis adtente consideret, ad Usuardi & Ecclesiæ Parisiensis Martyrologium recurret tanquam ad publicum salutis præsidium, atque sic in sobrietate Ecclesiæ, quæ ibi proponitur, manebit. Hæ sunt rationes, quibus docuit Launojus, quæ de dormitione B. Virginis quondam legebantur in Martyrologio Ecclesiæ Parisiensis, omnino esse retinenda, atque è contrario rejicienda, quæ ab aliis in locum hujus de Adsumtione narrantur. Nunc porro progreditur ad testimonia Antiquorum, qui hujus Adsumtionis historiam silentio prætermiserunt, non omissuri, si ejus veritatem agnovissent. Inter eos primo se obfert Ambrosius, qui libri in Lucam secundi capite undecimo, qua ratione probat, B. Mariam ex hac vita necis corporalis passione non migrasse, eadem quoque brobatur, Eam ad Cœlum haud migrasse corporaliter, quia id nec litera docet nec Historia. Etque nec ratio eo validior, quod neque Authoribus eo, scilicet Ambrosio vetustioribus, neque etiam æqualibus, qui rem melius noverint, possit refelli. Atque hic unicus est modus quærendæ & adserendæ Veritatis, quæ ex scripturis & Ecclesiæ pristina traditione pendet. Captus est, qui adsentietur; nullus, qui dissentiet. Idem præterea Ambrosius in libro de Virginibus secundo B. Mariæ vitam & conversationem exequitur quidem, sed de adsumto in Cœlum corpore ejus nil penitus tradit, sine dubio traditurus aliquid, si tunc adsumtam in corpore Mariam creditum fuisset in Ecclesia DEI. Non tacendi, sed loquendi proprius erat locus. Tacuit autem, cum ex Scriptura & Traditione quid loqueretur, nihil haberet. Ambrosium sequitur Epiphanius, qui, quidquid tunc temporis hac de re jactabatur, collegit in Hæresi post septuagesimam octava, omnia relinquens in dubio, quæ extra scripturam narrabantur. At, negligentiæ adcusaretur immerito, nisi quis vetustiorem Epiphanio Scriptorem ederet, qui tradidisset pro certo, quod Epiphanius tradidit pro incerto. Interim, atque dum hoc fiat, observandum est, Usuardum videri ante oculos habuisse verba Epiphanii. Succedit Produs, Cyfici Episcopus, qui, cum esset Constantinopoli, sedente in Ecclesia Civitatis hujus Nestorio, tres habuit orationes in laudem B. Virginis, quas Combefisius edidit & resensuit, in quibus cumulata sunt Deiparæ Elogia; sed in cumulo & adcessione laudum tanta desideratur corporea in Cœlum migratio, quæ, si facta esset, utique non desideraretur, sed integrum haberet Encomium, in quo Produs S. Cyficeno factus Antistes Constantinopolitanus toto Eloquentiæ campo decurrisset. Adcedit Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui, cum esset Ephesi, contra Nestorium habuit Homiliam, in qua nihil prætermisit, quod ad Mariæ gloriam & commendationem adtineret. Hic vero nullus rationem redditurus est unquam, cur corporea Virginis in Cœlum adsumtio in partem hujus Panegyrici non venerit, si de ea rumor tunc inter Christianos fuisset vel leviſſimus. Hærebit hic adtentus & prudens homo, &, si vocem comprimat, id faciet ut indicium adsensionis suæ. Porro, in anteceſſum de Prodo & Cyrillo præscribitur adversus posteriora quocundam Græcorum inventa. Cum namque de his tacent, tacenda esse loquuntur palam, nec ullius adcusari poterunt [illegible], nisi per Authores, qui, quæ sunt B. Virginis, melius calluerint, utpote vetustiores, æquales vel ætate suppares, à quibus si suppleantur, quæ tacuerunt illi, hæc corruet observatio; si autem non suppleantur, firmissima persistet, atque recentiora extabescent inventa. Hinc recensentur Ignatius, Athenagoras, Justinus, Clemens Aldxandrinus, Origenes, Gregorius Thaumaturgus, Methodius Tyri Episcopus, Eusebius, Athanasius, Titus Bostrensis, Basilius

Cæ-

Digitized by Google

Cæſarienſis, Ephræmius, Gregorius uterque, Nyſſenus & Nazianzenus, Macarius Ægyptius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Chryſoſtomus, Iſidorus Peluſiota, Cyrillus Alexandrinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus Baſilius, Seleucienſis, Johannes Climachus, quorum ne unus quidem id memoriæ mandavit. His adjungitur Synodus Romana quæ libros authenticos diſtinxit ab apocryphis, atque librum de Tranſitu B. Mariæ retulit inter apocryphos; ex quo luculenter adparet, Eccleſiæ Romanæ non placuiſſe opinionem eorum, qui B. Virginem in cœlum eſſe aſſumtam in corpore docuerunt. Quis modo non videt, Synodum hanc Romanam editi ab Uſuardo & adoptati à Pariſienſi Eccleſia Martyrologii eſſe firmamentum in hac traditione hiſtorica? De cætero fuit, qui poſt Synodi Romanæ tempus, ſed ætate incomperta, ſermonem de Adſumtione B. Virginis ſcripſit, ac Paulæ & Euſtochio inſcripſit, ſanctoque Hieronymo adſcripſit, in quo conſtituit author librum de Tranſitu B. Mariæ refellere, ac varias de corporea illius adſumtione opiniones referre. Hic autem Sermo, quamvis Hieronymi non ſit, neque, ut ſit, ulla poſſit authoritas efficere, hinc tamen non ſequitur, doctrinam in eo contentam pugnare cum Scriptura aut Eccleſiæ Catholicæ traditione, aut tenendam non eſſe, uti tenetur ab iis Authoribus, qui ſub nomine Hieronymi eum laudarunt, quin & à Breviario Romano & aliis, quæ in Feſto de Adſumtione Virginis lectiones quaſdam ex hoc Sermone decerpſerunt. Licet, inquam, hunc Sermonem Hieronymi fœtum propter ſtyli diſparitatem non agnoſcamus, cum tamen commendat authoritas Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, Odilonis Abbatis Cluniacenſis, Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, Hugonis de S. Victore, Durandi Mimatenſis Epiſcopi, complurium quoque Eccleſiarum, & inprimis Romanæ, quæ, uti dictum, in Feſto Adſumtionis lectiones ex eo ſibi aliquando compararunt. Id pari jure nequit dici de libro Tranſitus B. Mariæ, quem nemo unquam nomine expreſſo laudavit. Diſcrimen illud eſt inſigne, quod inter hunc librum de Tranſitu & Hieronymi Sermonem de Adſumtione intercedit, atque vehementer obſtat; ne, quod nobis de iſto ſumimus libro, de Sermone etiam contra nos ſumatur ab aliis. Verum & alii ſuper adhuc ſunt teſtes qui ſilentio hanc de Adſumtione narrationem premunt, nempe, Iſidorus Hiſpalenſis, qui in libri de Vita & Morte Sanctorum capite poſt ſexageſimum octavo teſtatur, nec obitum Mariæ uſpiam legi, nec ejus reperiri ſepulturam. Sic etiam Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus in Sermone ſexto de Adſumtione B. Virginis ſcribit, pium eſſe quidem credere, eam à Filio ad cœli Palatia corporaliter eſſe ſublevatam, non tamen debere id adfirmari, ne videamur dubia recipere pro certis. Inſuper Andreas Cretenſis in tribus de Dormitione Virginis Orationibus, quas Combefiſius antea lancitatus edidit quoque & recenſuit, egit prolixiſſime, è quibus diligenter & curioſe debet obſervari, quod expreſſe adſeveret, æquales B. Mariæ Scriptores nihil de illius dormitione, nihil etiam de iis, quæ dormitionem ſecuta ſunt, tradidiſſe, Dionyſio tantum Areopagita excepto, quem vero non excepiſſet, ſi adtendiſſet judicium, quod Præſules Catholici in collatione cum Severianis habita Conſtantinopoli de libris ejus tulerunt. Et quamvis Andreas dilatet Orationem Areopagitæ, nihil tamen de iis, quæ ſecuta ſunt ipſam dormitionem, adjicit, nihilque ſcribit factis antea ex Prodi & Cyrilli ſilentio præjudiciis repugnans aut contrarium, non ſemel atque iterum, ſed pluries adfirmans, obſcura & caliginoſa eſſe, quæ ad B. Virginis dormitionem, ſepulchrum, ejus vacuitatem, tranſlationem ac illius locum pertinent, quo ipſomet tacite videtur illis occurrere, qui vel libro de Tranſitu B. Mariæ fidem adhibere, vel novis de ejus dormitione commentationibus contra receptam à majoribus Eccleſiæ ſobrietatem vellent indulgere, quod inter præcipua harum orationum argumenta referet, qui illas ſtudioſe evolvet. Porro Venerabilis Beda, vel alius apud ipſum in libelli de locis ſanctis capite ſexto, vel juxta Codicem manu ſcriptum Monaſterii S. Germani Pratenſis capite duodecimo, narratione etiam non eadem, ubi quidem de vacuitate ſepulchri aliquid legitur, nihil autem de tranſlatione cor-

corporis in cœlum. Idem in Re ractationibus ad caput octavum Actuum Apostolicorum notanter mendacii reum facit, qui ex persona Melitonis Sardicensis Episcopi librum de obitu Genitricis DEI scripsit; quod idem repetiit ad caput tertium & decimum, multum eos errare scribens, qui hunc librum composuerunt vel susceperunt, utpote figmentum & fabulas continentem, atque hinc fidei suspectæ opus. Tandem *Germanus*, Patriarcha Constantinopolitanus in sermone duplici de Dormitione Genitricis DEI, itidem ex editione & recensione Combefisii, ubi primo censet, Deiparam naturæ satisfeciſſe, id probans argumentis, quæ ad sacram Christi œconomiam pertinent; deinde ponit, corpus Deiparæ spiritu vel anima migrante incorruptum mansisse, idque plausibilibus argumentis persuadere conatur, quæ tamen si convincerent, Deiparam mori non debuisse convincerent, ut argumenta meditanti constabit. Sed istud, inquit Launojus, ab intentione Authoris valde est alienum. Tum, etsi videtur dicere, corpus Deiparæ ad vitam esse revocatum, nusquam dicit tamen, Deiparam in cœlum abivisse cum corpore redivivo. Nam aliud est, Deiparæ corpus expers corruptionis servari, quod adserit Germanus; aliud, Deiparam in cœlum adscendisse cum corpore readsumto. Præterea, licet nonnullos in commatibus nonnihil loquatur obscure, tamen de sola Animæ seu spiritus in cœlum migratione locutus commode potest intelligi, ne hac in parte videatur discrepare ab antiqua traditione. Ad hæc quæ de Actis Hierosolymam convenientibus narrat Germanus, si ad literam sumantur, ex apocrypho de Transitu B. Mariæ libro videntur desumta, quia neque ex Actibus Apostolorum, neque ex priscis Ecclesiæ Patribus potest confirmari. Est quidem aliquid simile in libro de Nominibus Divinis, sed Author ille vixit post Synodum Ephesinam, atque id ex libro sæpius citato de Transitu B. Mariæ mutuatus est. Denique, Germanus de suo nonnulla tradit, quæ Epiphanius annis præter propter tre centis vetustior Germano non tradit, nec tradere se posse scribit. Quo fit, ut si res inter utrumque veniat in disceptationem, Germanus inferior sit Epiphanio. Addo, Germanum ultra Proclum decessorem suum esse progressum, quod animadvertisse, Sermones Germani sufflaminasse atque ad justam dicendi formam est revocasse. Cæterum, his omnibus perpensis, si Germanus prodesse non potest Usuardo, certe nec potest obesse. Temerarium hinc non immerito dicit pronuntiatum partis adversariæ Launojus, quod omnes, qui ante Usuardum scripserunt, si unus pseudo-Hieronymus excipiatur cum paucis ab eo deceptis, adsumtam corpore & anima Virginem Mariam aperte sint professi. Falsum namque id esse, testantur Scripta Patrum non modo Græcorum, quorum nomina jam sunt laudata, sed etiam Latinorum, videlicet, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Arnobii, Lactantii, Optati, Hilarii, Pacciani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Orosii, Leonis Magni, Petri Chrysologi, Ennodii, Gregorii Magni, Isidori Hispalensis, qui omnes ante Usuardum scripserunt, atque de corporea Virginis in cœlum Adsumtione nihil aperte sunt professi. Post hæc suscipit Launojus examen testimoniorum quorundam, quæ pro hujus traditionis veritate ab ejusdem defensoribus solent adduci, inter quæ primum occupat locum, quod ex libro Dionysii Areopagitæ de Nominibus Divinis profertur, in quo tamen de corporali Adsumtione Virginis nec vola, nec vestigium extat, & quæ de conventu Apostolorum ibi leguntur, ex libro de Transitu B. Mariæ sunt desumta. In Tragœdia de Christo patiente, quæ communiter Gregorio Nazianzeno adscribitur, Virgo Maria dicitur quidem stola immortalitatis ornata, at inde non sequitur, Authorem carminis credidisse, quod in cœlum migraverit cum corpore. Nam Apostolos cœlo receptos jam resumsisse corpora quis dicat, quia immortalitatis stola ornantur; aut immortalitatis stola non ornari quis dicat, quia nondum readsumserunt corpora? Gregorius Turonensis in libri de Miraculis primi capite quarto narrationem suam è libro sæpius citato de Transitu B. Mariæ accipiens tacite ob id ipsum à venerabili Bedæ reprehensus est, quamvis aliqua ex parte excusandus, quin libros de Miraculis & Gloria Confessorum scripsit juvenis, non

in-

Digitized by Google

inquirens in Authores, quibus eſt uſus, Gregorius vero Magnus in Sacramentario meminit quidem Adſumtionis, ſd inde non ſequitur, credidiſſe eum, quod Virgo Mariæ corpore etiam fuerit adſumta in Cœlum, utpote qui ſenſus apud Patres Græcos & Latinos abhorret à vero, quod Launojus prolixe demonſtrat verbis Cypriani, Euſebii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Martyrologii, quod ſub nomine Hieronymi publicatum eſt, Auguſtini, Authoris illius Sermonis de Adſumtione Virginis, qui uti ex antecedentibus conſtat, Hieronymo adſcribitur, qui Authores Gregorio Papa ſunt vetuſtiores, quibus adjungendi ſunt Gregorius Turonenſis ante citatus Gregorio huic Papæ æqualis, Ildephonſus Toletanus, itidem ſupra laudatus, eidem ætate ſuppar poſt cum vero Venerabilis Beda, & hic non ſemel pro teſte adductus. Adcedunt Martyrologia duo manu veteri ſcripta, unum Eccleſiæ Matiſconenſis, alterum Bibliothecæ Vaticanæ, uti & Breviarium quoddam vetus manu quoque ſcriptum in Monaſterio S. Germani Pratenſis; iſtem adhuc aliud Martyrologium in Monaſterico S. Quintini ad Bellovacum. Sequuntur Innocentius Papa hoc nomine ſecundus in Diplomate, quo Hugonem Gratianopolitanum conſecravit; Alexander tertius in Diplomate, quo Etoluardum Angeliæ Regem catologo Sanctorum adſcripſit; Cœleſtinum quoque tertium in Diplomate, quo Ubaldum Eugubinum Faſtis ſanctorum intulit; Clementem quartum in Diplomate, quo Hedivigem Poloniæ Duciſſam in Sanctorum ordine collocavit. Idem confirmant Johannes Belethus in Explicatione Divinorum, uti vocat officiorum, ac ejuſdem capite poſt quadrageſimum primo, inſuper Eccleſia Pariſienſis in Feſto Aviti, & Romana in Feſto Martini, & Generalis Miniſter ordinis Minorum in oratione funebri, quam de Alexandro Pontifice hujus nominis quinto habuit Bononiæ. Atque ſic Gregorius Papa, cum inter Authores recenſitos vixerit medius, ab illis ita circumdatur, ut vix poſſit nomen Adſumtionis aliter accepiſſe, quam vetuſtiores & æquales, quos alii plures ſunt ſecuti. Et quis mente ſana præditus credat, Gregorium nomine Adſumtionis id intelligere voluiſſe, quod Gelaſius Deceſſor & Synodo Romana in libro de Tranſitu B. Virginis damnarunt. Inſuper, quæ ex Sacrementario hanc in rem adducuntur, non ſunt Gregorii, ſed alterius, à quo ſunt addita, cum deſcriberetur, quod obſervavit Grimoldus Abbas in præfatione libri, quem ipſe compoſuit de Sacramentis, & Pamelius in Tomo liturgicæo ſecundo; quorſum pertinet, quod in eodem ad quartam ante Idus Maatii in Natali hujus Papæ Gregoriis legitur, quod ab ipſomet Gregorio ſcriptum quis credat? Atque ſic purus & putus non eſt Gregorii liber ſacramentalis, prout ex Miſſali manu ſcripto S. Eligii prodiit in lucem. Cæterum, eſt inter B. Athanaſii Commentarios ſermo de S. Deipara, quem objiciunt Adſumtionis corporeæ defenſores. Sed in eo agit Author potiſſimum de Angelica adnuntiatione & Dominica Incarnatione, non autem de Dormitione Virginis, multo minus de iis quæ eam ſunt ſecuta. Quo enim conſilio, quave prudentia tractaretur de rebus dormitionem conſequentibus, cum nulla ipſius dormitionis mentio præceſſerit? Inſuper Baronio adſentior, ſcribit Launojus, qui Sermonem hunc poſt ſextam Synodum modo editum & Athanaſio ſubjectum eſſe cenſuit. Quo autem vel quanto poſt Synodum hanc tempore id adciderit, nec ipſe Baronius dicit, nec etiam dici poteſt facile. Et tamen hoc non obſtante adjudicant hunc Sermonem Athanaſio ſectatores Baronii, imprimis autem defenſores Adſumtionis corporeæ, qui, cum inopes ſint probationum antiquarum, eos imitantur, qui contra proverbium ex ligno quolibet Mercurium effingant. *Damaſceni* Orationem ſecundam quod adtinet, ad quam pars ad verſaria provocat, varia expendi debebant, inquit Launojus, ab iis, qui ejuſdem nitantur authoritate. Inprimis expendendum erat, annon in hanc Orationem Damaſceni aliquid ex apocryphis ſit derivatum, ſcilicet ex libro de Tranſitu B. Mariæ, quod Beda Venerabilis confixit, atque ut fabulam rejecit. Deinde, cur, ſi omnia contigiſſent, quæ de corporali Adſumtione Virginis narrantur, ea Lucas in Apoſtolorum Actus non retulerit, nihil in iiſdem commemorans, quod ſit notatu dignius, Apoſto-

lorum cœtui commendabilius, ipsimet Virgini glorioſius, atque ob tantum Miraculum auguſtius. Quis autem recipiat, Lucam, quidquid hoc eſt, prætermiſiſſe de induſtria, ſi revera id contigiſſet? Porro, expendendum erat, quis hanc de Aſſumtione Virginis hiſtoriam, quæ in citata Damaſceni oratione vocatur Eothymiaca, conſcripſerit, & quodnam illa apud antiquos habuerit ſui teſtimonium, utpote quæ & ante, & poſt Damaſcenum cunctis Scriptoribus fuit incognita, atque omnium Authorum obruitur ſilentio. Certe, ſi talis extitiſſet Hiſtoria poſteritate digna, quo tempore Photius ſuam confecit Bibliothecam, annon illius meminiſſet, ac more ſuo redegiſſet in compendium, aut Excerpta quædam exinde intuliſſet Bibliothecæ; quod quia ab eo non factum, certiſſimum eſt fabulæ argumentum, idque eo certius confirmatur, quia ſub finem Codicis numero & ordine poſt ducenteſimum & ſeptuageſimum quinti teſtatur, legiſſe ſe orationem Modeſti de obdormitione Virginis, ex qua, ſi quid præter obdormitionem à Modeſto fuiſſet notatum, Photius ſine dubio excerpſiſſet. Inſuper erat expendendum, verane ſint, an falſa, quæ in hac Oratione Damaſceni de Pulcheria, Marciano, Juvenali narrantur; quæ, ſi vera eſſent, Hiſtorici æquales ſuppares itidem memoriæ prodidiſſent, quod tamen non factum, nominatim ab eo, qui Acta Synodi Calchedonenſis exaravit, non à Proclo, qui Patriarcha tandem fuit Conſtantinopolitanus, non à Cyrillo Alexandrino, non à Theodoro Lectore, non à Liberato, non ab Evapio, non ab Andrea Cretenſi, non à Germano, non à Georgio quoque Cedreno, Johanne Curopalata, Gonara, denique Nicephoro, qui alias hujusmodi fabulas prodere conſuevit. Amplius, ſi, quæ de his leguntur in Oratione Damaſceni, conferantur cum Panegyricis, quos Proclus & Cyrillus B. Virgini dicarunt, hæc ſtatim ut anilia evaneſcent commenta. Proclus nempe fuerat Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primum Presbyter, poſtmodum Cyſici Epiſcopus, atque hanc ob cauſam ignorare vix potuit, quæ traduntur apud Damaſcenum, ſi vera eſſent, & Cyrillum quoque haud fugiſſent. Sic nempe Damaſcenus cederet Prodo & Cyrillo tanquam diligentiſſimis B. Virginis Mariæ laudatoribus, atque cum iis pugnaret neutiquam. Præterea, expendendum erat, anne conſtaret ſibi tota narratio, in qua Malcianus & Pulcheria ad Annum Seculi poſt Chriſtum quinti quinquageſimum & primum putant, corpus Mariæ Hieroſolymis jacere, & tribus poſt obitum diebus ſepulchrum corpore vacuum eſſe repertum; quæ omnia nec ſibi conſtant, nec poſſunt conſtare. Qui enim fieret, quæſo, ut priſca & veriſſima eſſet traditio ſepulchrum Mariæ poſt dies ab ejus obitu tres vacuum corpore inventum eſſe præſentibus Apoſtolis, qui aderant, & hujus traditionis, quæ tam vulgata, tamque publica erat, cognitionem nondum perveniſſe Conſtantinopolim, quo tempore Marianus & Pulcheria imperabant. Hac in re manifeſtum eſt falſitatis indicium. Adhuc erat expendendum, cur Modeſtus, Hieroſolymorum Epiſcopus, in Homilia de obdormitione Virginis occaſione data de mirabilibus Deceſſoris ſui Juvenalis eventibus, qui in Oratione Damaſceni leguntur, non loquatur, etiamſi ſedes fuerit ampliſſima; ſcilicet, quia periculum erat, ne detegeretur, nondum eſſe inventum, quod poſt tempus Modeſti homines otioſi de Pulcheria, Marciano & Juvenali fabulis confictis memoriæ prodiderunt. Id quoque erat expendendum, annon, quod de Thoma Apoſtolo in Oratione Damaſceni refertur, fabuloſum adpareat, quod nimirum ille ſolus funeri Mariæ non interfuerit; utpote quod fictum eſt ad formam rei, quæ à Johanne commemoratur de abſentia ejuſdem in Feſto reſurrectionis Dominicæ. Inprimis autem expendi debuit, num Oratio hæc ſit Damaſceni, cui tanquam Viro tunc in paucis apud Græcos nominatiſſimo potuit ſubjici, ut aliqua fides huic fabulæ conciliaretur. Synodus namque Trullana Canone poſt ſexageſimum tertio docet, fuiſſe in oriente, qui circa tempus illud commenta de Sanctis traderent. Et ſane, ab hoſtibus Veritatis, quos ſemper Eccleſia eſt experta, Oratio illa tam potuit ſubjici Damaſceno, quam liber de Tranſitu B. Mariæ ſubjectus & Melitoni Sardenſis Eccleſiæ Antiſtiti. Nec etiam prætermiti debet, ut expendatur, utrum

id,

Digitized by Google

id, quod in hac Oratione perhibetur, corpus Mariæ cum Angelico & Apoſtolico cantu elatum apud Gethſemane in loculo eſſe conditum, conveniat cum eo, quod Synodus Epheſina ad clerum populumque Conſtantinopolitanum ſcripſit, ubi ſignificatur, ut Johannem, ſic quoque Deiparam Epheſi obdormiviſſe, quamvis hoc ipſum poſſit vocari indubium ex elogio Urbis Epheſinæ, quod Polycrates Epiſcopus ibi non longe ab Apoſtolorum temporibus ſcripſit teſte & adlegantue Hieronymo in illuſtrium Virorum Catalogo, in quo dum præter alios meminit Johannis ibidem obdormientis, non meminit Mariæ Virginis, vix eam omiſſurus, ſi ibidem obdormiviſſet, quia tantus fuiſſet Elogii cumulus, quantus eſſe potuit. Hæc autem cum ita ſint, quo in loco Maria obdormiverit, non plane conſtat. Denique id etiam erat expendendum an Damaſcenus fuerit ſcriptor adcuratus & ab alienato ab incertis norrationibus animo, nec ne? Adcuratus certe non poteſt dici, ſi verum eſt, eum ſcripſiſſe, quod anima Trajani precibus Gregorii liberata fuerit ab Inferis; utpote propter quod egregie vapulat in Annalibus Eccleſiaſticis. Si autem, quod tamen vix credibile, Damaſcenus annis ab exceſſu Gregorii centum & triginta plus-minus hoc anile commentum ſcripſit; qua prudentia fides adhibebitur iis, quæ idem de B. Virgine, S. Thoma, annis poſt illos fere ſeptingentis, de Juvenale vero, Pulcheria & Maricano annis poſt illos trecentis in Sermone ſuo tradidit. Qua inquam prudentia fides adhibebitur iis, cum æquales Damaſceni, nimirum Andreas Cretenſis & Germanus ea de re nihil in ſuis de B. Virginis dormitione Orationibus tradiderint, ac ſeculo etiam inſequenti Leo Sapiens in oratione de eadem ſe potius ad Andream Cretenſem, quam ad Johannem Damaſcenum receperit? Profecto, ſcribit inſuper Launojus, tantæ apud me authoritatis eſt Damaſcenus, ut vellem ei utrumque Sermonem vel orationem abjudicari poſſe, cujus idonea ratio adparet ipſa narrationis inſulſitas, quæ in Virum tantum cadere non potuiſſe videtur. Unde, ſi erro, pietatis error eſt; ſed, ſive errem, ſive non, Veritati ſua ſemper firmitas debet conſtare. Poſt Damaſcenum laudatur porro in gratiam Adſumtionis corporeæ *Coſmas*, cujus hac de re teſtimonium extat in Guidonis San-Dionyſiaci Abbatis Sanctilogio, circa quod ſequentem lectori Veritatis ſtudioſo commendat obſervationem Launojus, ſcribens: Sicut Græci quidem antehac ad Menæa odas & carmina, ſic & Latini quidam ad Martyrologium addiderunt Commentarios; quod genus ſtudii hic Guido San-Dionyſiacus Abbas eſt adgreſſus, atque cum ad decimum & octavum diem ante Calendas Septembris pervenit, relato Uſuardi & Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologii hac de re Textui ingentem ſubjunxit Commentarium, ſeu potius farraginem, quam ex libro de Tranſitu B. Mariæ, Damaſceni orationibus, Menæis, Hiſtoria, quæ dicitur Euthymiaca Gregorii Turonenſis, Germani ad hujus Coſmæ dictis, item ex Pulcheriæ & Marriani petitionibus ac Juvenalis Hieroſolymitani reſponſis, uti & ex B. Eliſabethæ revelationibus conſarcinavit. Farrago hæc nuncupatur Sanctilogium, in quo tamen Author Uſuardi, Eccleſiæ Pariſienſis Maryrologii textum non ſuſtulit, ſed intactum uti vetus depoſitum reliquit. Ipſum opus manuſcriptum adſervatur in Bibliotheca Cœnobii S. Victoris. Laudatur porro *Petrus Damianus* in Sermone de B. Virginis Adſumtione. At is non dixit adſumtionem Mariæ corporalem, dicturus, ſi hujuſmodi adſumtionem credidiſſet, inſtituens tantum aliquam comparationem inter modum, quo Chriſtus adſcendit in Cœlum, & inter modum, quo Mater ejus adſumta ſit, uti ex ſerie orationis abſque ulla difficultate colligitur. Præterea, ſi Conſtantini vel S. Aviti depingeretur in Cœlum adſumtio, ut hominis adſumtio depingeretur, etiamſi reipſa non fuerit Conſtantini vel Aviti adſumtio in corpore & anima ſimul. Sed, detur inquirendæ & ſtabiliendæ veritatis gratia, Damianum diſerte id adſerere, quod tamen non adſerit, corpoream nempe Virginis adſumtionem in Cœlum, quis adſertionem ejus ſobrietati ab Uſuardo commendatæ anteponet? Damianus certe, annis nimirum ducentis & ſexaginta junior Uſuardo ſponte cederet illi, tantum abeſt, ut repugnaret. Sed, ut verum fatear, inquit Launojus, Damianus, ex quo certum

quoddam commentum de Genebaldo Lauduneuſi Epiſcopo memoriæ proditum admiſit, non multum fidei meretur in rebus Hiſtoricis. Adhuc amplius laudantur Menæa Græcorum, in quibus ordinandis S. Sabbas authore Simeone Theſſalonicenſi aliquam poſuit operam. Sed ita judicat Launojus, uti & Metaphraſtes ſua fecerunt, quæ jam ex Damaſceno relata & diſcuſſa fuerunt. Rivuli ſcilicet ſunt non illimes ex iiſdem fontibus deducti. Laudatur quoque Mauritius Pariſienſis Epiſcopus, non, quod aliquid de hac Adſumtione ſcripſerit, ſed quod fuerit perſuaſus, Mariam in corpore adſumtam eſſe, cum illi ingentem exſtruxerit Baſilicam, eam alioquin fortaſſe non exſtructurus. At, ſic reſpondet Launojus, nondum marmor illud inventum eſt, cui hæc perſuaſio legatur inſculpta. Tandem laudantur Guilielmus Pariſienſis, Albertus M. Thomas, Durandus de S. Portiano, Johannes Gerſon & quidam alii è Schola Theologi. Sed quæ iterum Launoji cenſura eſt, ii omnino non ſunt, qui Uſuardo jure poſſunt opponi. Nam primo non ſunt inſtructiores Uſuardo à Scriptura, cujus authoritate nec utuntur, nec legitime poſſunt uti, ut corporalem Virginis adſumtionem in cœlum confirment. Legitime, inquam. Theologos enim nonnullos ſcio uti teſtimonio Pſalmi poſt centeſimum & triceſimum primi, vel juxta Hebræos, ſecundi ex verſu ejuſdem octavo, verbiſque ſequentibus. Surge Domine in requiem tuam, Tu, & arca ſanctificationis tuæ. Sed verſus alio ſpectat apud ſanctos Patres, Auguſtinum, Theodoretum & cæteros, qui ſuis illum commentariis illuſtrarunt. *Secundo*, Authores hi non ſunt inſtructiores Uſuardo ab Hiſtoria Eccleſiaſtica, cujus nullum eo vetuſtius adducunt monumentum. Non autem agitur de re, quam videre, vel ab iis, qui viderint, audire potuerunt; ideoque non loquuntur ut Hiſtorici in materia, quæ pertinet ad Hiſtoriam. *Tertio*, non ſunt inſtructiores eo ab ætate, quippe qui longe magis à beatæ Mariæ Tranſitu diſtant, quam Uſuardus, atque ſic eam ob cauſam, ubi & quando tranſierit atque ſepulta ſit, minus perfecte cognoverunt. Satis vero convenit inter eruditos & cordatos, Scriptis eorum magis eſſe ſtandum, qui temporibus rerum geſtarum fuerunt viciniores. *Quarto*, nec etiam ſunt inſtructiores eo à lectione Patrum antiquorum, ex quibus ne unum adferunt quidem, qui certo tradiderit B. Virginem cum corpore redivivo in cœlum adſcendiſſe. *Quinto*, non diſputant ut Theologi, ſcilicet Romano-Papæi, quorum duo ſunt principia, authoritas Divinæ legis, & Eccleſiæ Catholicæ traditio. Quidquid enim de corporali Virginis in cœlum adſumtione ſcribunt, hiſce non innititur principiis. *Sexto*, diſputant ut homines, humano adfectu ducti, cui tamen in Theologia & Hiſtoria inter argumenta ſedes non eſt, niſi fortaſſis inter inania. *Septimo*, aliqui confugiunt ad revelationes, alii ad alia non meliora, quæ tamen tenebras potius expoſtulant, quam lucem publicam. *Octavo*, quod adtinet Prædicatores, ſcilicet, Albertum, Thomam, Durandum & cæteros, ii non alio quondam, quam Uſuardi utebantur Martyrologio, quod ſuum fecerunt adprobando. Illud regnante B. Ludovico deſcriptum eſt in ingenti quodam Ordinis Breviario, quod alias in Cœnobii ad Portam San-Jacobæam ſiti Bibliotheca vidi & legi, inquit Launojus, & quod hodieque ni fallor,, ibidem adſervatur. Hi igitur Prædicatores aliter canebant in choro, aliter ſcribebant in Muſæo; & tamen opponuntur Uſuardo ac venditantur ut teſtes peridonei traditionis, quæ illorum tempore de corporali Virginis in cœlum adſumtione celebrabatur. At Martyrologium in Choro decantatum privatis Doctorum ſcriptionibus præponderat; id quippe in Liturgici & Eccleſiaſtici officii partem venit, quod de his dici non poteſt. Inprimis autem urgetur valde Thomas, & laudatur opuſculum ejus octavum, quod Antoninus quidem inter ejus opuſcula numerat, Sed Nicolaus Trivetus vetuſtior Antonino & Thomæ vicinior in Catalogo eorum non recenſet. Præterea Thomas opinionem ſuam munit authoritate Pſalmi ſupra laudati. Tum in ſupplementi quæſtione poſt ſeptuageſimam ſeptima, & articulo ejuſdem primo Virginem Mariam conjungit cum Johanne Evangeliſta in anticipatæ reſurrectionis privilegio; Auguſtinus vero

Digitized by Google

vero illam de Johannis Reſurrectione opinionem ſcripturis quibuſdam apocryphis adtribuit, Tractatu in Evangelium Johannis poſt centeſimum & viceſimum quarto. Adde, quod idem Thomas Damaſcenum ſecutus animam Trajani ex inferis Gregorii precibus ereptam eſſe ſcripſit, nec tamen cogimur in hanc ejus doctrinam conſentire. *Nono* tandem, Alberti & Thomæ ævo Urbanus Pontifex hoc nomine quartus in paternis apud Trecenſes ædibus ædificari curavit Eccleſiam, quæ Urbano Papæ Martyri fuit conſecrata. In ea quotannis ab initio decantata ſunt, ac etiamnum per octavarum Feſti Adſumtionis dies ſingulos decantantur certa quædam Virginis elogia, quorum duo id, de quo agimus, mirifice illuſtrant, & Martyrologium Uſuardi confirmant. Primum eſt in die quinto, ubi dicitur, quod Adſumtio Virginis cum Carne legatur quidem in apocrypho, at in Catholica non reperiatur Hiſtoria, hac addita obſervatione, quod etiamſi corpus ejuſdem non fuerit inventum in terra, idem de corpore Moſis legatur. Secundum eſt in die ſexto, ubi inter alia inprimis provocatur ad ſilentium Johannis Apoſtoli, cui Chriſtus in Cruce Matrem commendaverat, qui tamen nihil de hac ejus in cælum adſumtione corporea poſteris ſcriptum reliquit, non omiſſurus, rem quippe digniſſimam notatu, ſi eidem præbere potuiſſet teſtimonium. Nunc porro Launojus ſcribit, diligentius inſpicienda ſunt duo. Unum eſt, quod Bernhardus in Epiſtola poſt centeſimam & ſeptuageſimam quarta ad Canonicos Lugdunenſes ſcripſit, accepiſſe ſe ab Eccleſia illum diem ſumma cum veneratione celebrandum, quo adſumta Virgo Maria de ſeculo nequam cœlis intulit quoque celeberrimorum Feſta gaudiorum. Verum in hiſce nulla fit mentio corporalis in cœlum adſumtionis, neque agebatur tum quæſtio hæc; Bernhardus quippe cum Canonicis Eccleſiæ Lugdunenſis diſputabat de Feſto Conceptionis, non Adſumtionis. Deinde, Bernhardus de Adſumtione Virginis ſecurus id tenet atque tradit, quod acceperat ab Eccleſia, id eſt, ejuſdem Doctoribus, nominatim Ambroſio, Epiphanio, Cyrillo Alexandrino, Synodi Romanæ Patribus, Authore Sermonis ſub nomine Hieronymi, Iſidoro Hiſpalenſi, Ildephonſo, Beda, Uſuardo, Adone, Hincmaro & aliis. Porro, Bernhardus S. Eliſabethæ æqualis non aliter ſenſit, opinor, de Adſumtione Virginis, quam quod tunc Romana ſentiebat Eccleſia, cum S. Eliſabethæ opuſculum rejecit; quod ipſum Arnoldus Bonævallis Abbas tum temporis vivens advertebat, in libello de laudibus B. Virginis ſcribens, nullius Scripturæ Canonicæ authoritatem definiviſſe, utrum in corpore vel ſine eo adſumta ſit in cœlum, non obſcure ſignificans, ſe non tantum Canonicos, ſed authenticos etiam libros comprehendere, prout nimirum ſecernuntur ab apocryphis. Inſuper locus hic Bernhardi Martyrologio Uſuardi & Eccleſiæ Pariſienſis non poteſt opponi, præterquam ab iis, qui ſuis occupantur præjudiciis; id nempe Martyrologium, quod in Eccleſia legebatur Pariſienſi, legebatur etiam in Monaſteriis Ciſtercienſibus. Hoc autem ita poſito, Bernhardus ad Uſuardi Eccleſiæ Pariſienſis & Monaſteriorum Ciſtercienſium magis accedit Martyrologium, quam ad ſententiam illorum, qui Bernhardum huic Martyrologio objiciunt, certe non objecturi, ſi teſtimonium hoc Bernhardi cum omnibus adjunctis adtendiſſent. *Alterum* eſt Facultatis, ut ajunt, Theologiæ Pariſienſis cenſura, quæ anno ſeculi poſt decimum quinti nonageſimo & ſeptimo, & die quidem ſeptimo ante Kalendas Septembris lata eſt in Propoſitiones quatuor, quarum duæ ad præſens pertinent inſtitutum. In tertia apocryphum eſſe dicitur, Chriſtum occurriſſe Virgini Mariæ in Adſumtione. In quarta autem dicitur, nos ſub pœna peccati mortalis credere non teneri, quod Virgo fuerit adſumta in corpore & anima, quia non ſit fidei articulus. Launojus plura obſervat. *Primo* dicit, Qui mos tum temporis ſervabatur in ferendis cenſuris, in hac ſervatus non eſt. Nempe, cenſura non dicitur lata communi omnium Magiſtrorum conſenſu, vel nemine eorum repugnante, vel repugnante uno aut altero, uti alias conſueverat dici. Unde adparet, Magiſtros per ſeſe ſingulos, uti oportebat, non examinaſſe, quæ & qualis Propoſitionum harum veritas aut falſitas ſit, quæve & qualis vel veritatis vel falſita-

ſi tatis conditio. Generatim ſcilicet tantum atque per averſionem cenſuit Facultas, quæ novem Deputati cenſuerunt, quod in re tanti ponderis non poteſt non eſſe vitium. *Secundo*, Cenſura nimis feſtinanter lata eſt, cum inter prædicationem Propoſitionum & earum notationem dies tantum interceſſerint undecim. Qui itaque potuit fieri, ut novem Theologi in tam brevi temporis intervallo evolverent & revolverent Scripturas, Concilia, Patres Græcos & Latinos, Tractatores Eccleſiaſticos & celebriores è Schola Magiſtros, atque his demum evolutis & revolutis ita ferenda cenſura debitam ſervarent æquitatem? Quod enim tam cito pronuntiatur judicium, ætatem ferre non poteſt. Et certe, ſi quo in judicio feſtinandum eſt lente, in eo maxime id debet obſervari, in quo Propoſitiones Theologicæ alias involutæ & obſcuræ his vel illis ſunt notis compungendæ. Johannes Gerſon enim Cancellarius Pariſienſis prodidit memoriæ, Facultatem Theologicam aliquando in unâ Propoſitione examinanda Biennium conſumſiſſe, ac eam reliquiſſe indemnatam. *Tertio*, quod in Propoſitione tertia dictum eſt apocryphum, vere adfirmateque ſic dici potuit; habetur enim in libro de Tranſitu B. Mariæ, quem Synodus Romana inter apocryphos amandavit, atque ſic in Cenſura hujus Propoſitionis Synodus Romana damnatur oblique, & eam ob cauſam hæc cenſura non poteſt defendi. *Quarto*, difficile prorſus eſt authenticos nominare Doctores, qui Chriſtum occurriſſe Virgini Mariæ in Adſumtione tradiderint. Si Cenſores Melitonem Sardicenſis Eccleſiæ Antiſtitem libri de Tranſitu B. Mariæ, in quo illud ſcriptum eſt, Authorem eſſe putaverunt, decepti ſunt. Si vero reſpectum habuerunt ad Gregorium Turonenſem Epiſcopum, decepti quidem non ſunt, ſed deceptus eſt Gregorius, qui librum hunc apocryphum admiſit in authoritatem, atque ob illud ipſum à Beda tacite fuit reprehenſus. Si autem confugerunt ad Sermonem Damaſceni, confugerunt ad fundamentum valde ruinoſum & male materiatum. *Quinto*, ruente Propoſitionis tertiæ cenſura non poteſt ſtare cenſura Propoſitionis quartæ; quibus enim præſidiis fultam exiſtimarunt cenſuram illius, iiſdem quoque fultam exiſtimarunt cenſuram hujus, atque dum hanc eſſe hæreticam notarunt, oſtenderunt eometipſo, ſibi ſubreptum eſſe. Cum enim articulus fidei non ſit, Virginem Mariam corpore & anima adſumtam eſſe in cœlum, id negare, hæretica non poteſt eſſe propoſitio. Quænam Synodus enim, & quinam Pontifices hanc Adſumtionem eſſe Fidei articulum declararunt unquam, vel definierunt, eam negare, hæreticum eſſe? Quæ porro Scriptura, quæ traditio Eccleſiæ Catholicæ præivit hujuſmodi definitioni? Johannes Major, Theologus Pariſienſis, qui Cenſores videre & adloqui potuit, in librum tertium Sententiarum, diſtinctionis triceſimæ & ſeptimæ Quæſtione decima & ſexta ſcripſit, *Non minus eſſe hæreſin adſerere, aliquid eſſe de Fide, quod nullatenus de Fide eſt, quam negare, aliquid eſſe de Fide, quod eſt de Fide*, qua adſertione Cenſores irretiuntur. Jodocus quoque Clichtoveus, itidem Theologus Pariſienſis, & æque ac Major videre & adloqui potuit Cenſores, in defenſione diſceptationis de Magdalena, ac ejus ſuppoſitione ſeptima ſcripſit, *Apocrypha, & quæ ſunt authoris incerti, contra rationem & ſcripta majorum plane nullum habere momentum, nec conſuetudinem iis viis introductam*, qua ſuppoſitione eædem Cenſuræ labefactantur. Idem in Sermone ſecundo de Adſumtione Virginis ſtatuit, ſanctam tenere Eccleſiam, quod Virgo adſumta ſit corpore & anima, & Auguſtinum illud multipliciter comprobaſſe in Sermone & libello de Adſumtione, & pium atque admodum rationabile eſſe, ita ſentire. Sed, ita Launojus cenſet, cum opinionis hujus modeſtia ſtare non poſſunt Notæ graviores, quibus dictæ Propoſitiones percelluntur. Ad hæc, cum ita pie & rationabiliter ſentiendum eſſe ſtatuit Doctor hic Pariſienſis, ex eo inducitur, quod laudatum à ſe Sermonem Auguſtini putaverit eſſe genuinum. Verum, genuinus reipſa non eſt, ſed Authores incerti; ideoque dum ſcripſit, pium & rationabile eſſe ſic ſentire, vulnus accipit ab ipſâ hac ſuppoſitione; & niſi fallor, cenſet Launojus Auguſtini libello inædificatur, nec profert vel proferre poteſt aliud, cui poſſit inædificari. Ita Theologi his Cenſoribus antiquiores

apud

Digitized by Google

apud Oceanum in libri Dialogorum ſecundi capite ſexto hæreſin definiunt, quod huic ſit dogma falſum orthodoxæ fidei contrarium. Hæc autem definitio nec convenit, nec poteſt convenire huic propoſitioni, cui hæreſeos notam Cenſores inuſſerunt; quod adeo verum eſt ac perſpicuum eſt, ut nullum quærat argumentum. Præterea, ſi in hac propoſitionis quartæ nota, quando eam dixerunt hæreticam Cenſores, modum exceſſerunt, quidni etiam in cæteris exceſſiſſe poſſunt dici, eam vocantes temerariam, ſcandaloſam, impiam, falſam atque diminutivam devotionis populi ad Virginem? Auguſtinus certe in libri de vera religione capite poſt quinquageſimum quinto has omnes penitus exſcindit, ſcribens: *Non ſit nobis Religio in Phantaſmatibus noſtris; melius eſt enim qualecunque verum, quam omne, quidquid pro arbitrio poteſt fingi, & melior eſt ſ. ipula vera, quam lux inani cogitatione pro voluntate ſuſpicantis formata.* Et meo quidem judico, addit Launojus, nihil eſt omnino pium, niſi quod idem ſimul eſt verum. Hinc in capite poſt quadrageſimum ſecundo primi Capitularis Caroli Magni repetitur Concilii Africani Edictum, & moribus Eccleſiæ Africanæ infertur, *Ut falſa Martyrum nomina & incertæ Sanctorum memoriæ non venirentur.* De veritate igitur alicujus rei prius? quam de pietate oportet ſtatuere, cum apud Chriſtianos pietas veritati ſit ſuperſtruenda. Adud Chriſtianos, inquam, quia aliter ſe res habet apud gentiles. Hoc poſtquam illuſtri teſtimonio Polybii confirmavit Launojus, hæc notanter ſubjunxit: Sic ergo apud gentiles contra, quam apud Chriſtianos, aliquando rebus incertis & fabulotis, ſi tamen hæ modum non exceſſerint, pietas inædificatur. Temperamentum vero illud Eccleſia DEI rejicit, in qua ſemper (ô utinam!) obſervatum & ſtatutum eſt, ut DEO & ſanctis ejus exhibeatur cultus ex omni parte puriſſimus, & rituum ſacrorum codices ab omni errore & falſitate purgentur. Cæterum in utriuſque propoſitionis condemnatione modus omnis excedituf, quia condemnatur Romana, & alia pene infinitæ Eccleſiæ ac Monaſteria, quæ olim Uſuardi vel Adonis Martyrologium ſuos in uſus derivarunt & adprobando ſuum fecerunt. Neque vero in iis, quæ ad ad fidem & veram pietatem adtinent, ævi præſentis Eccleſia antiquæ poteſt opponi, præterquam ab eo, qui ævi præſentis & priſci Eccleſiam è medio tollere voluerit; idque ideo quam maxime, quia præſens Eccleſia novis ſubinde revelationibus minime regitur. Ad hæc Proclus Cyzicenus & Cyrillus Alexandrinus inſimulabuntur agreſtis & inhumanæ negligentiæ in Panegyricis, quos B. Virgini dixerunt, id quippe omittentes, quod ſpectatis Cenſuræ notis omitti ſine piaculo non debuit vel potuit. *Sexto* denique, Eccleſia Pariſientis cenſuræ hujus nullam habuit rationem, cum ab eo tempore, quo illa eſt edita, uſque ad tempus medium ſeculi ſequentis Martyrologium Uſuardi relictum fuerit intactum, & quotannis, quod in eo de B. Virginis Dormitione legebatur, recitatum, & ultra quoque recitatum fuiſſet, niſi quis authoritate privata expunxiſſet, quæ antea recitabantur. Profecto, ſi nulla ferverent partium ſtudia, mirarer, cur id non obſervarint, aut obſervatum non occuparint, qui cenſuram Cenſoribus parum honorificam luce publica donarunt. Porro quamvis amicior ſit Platone veritas, tamen quæ in cenſuram, quanta potui, modeſtia animadverti, ſcribit Launojus, nunquam animadvertiſſem, niſi coactus eſſem ab iis, qui ſilentium adſumſiſſent in conſcientiam. Sunt enim homines perperam gnari & induſtrii, qui undequaque conantur proficere. Utinam ſimiles eſſent beatis fratribus illis, qui nuditatem Patris reverendi nec ſuis temerare, nec aliis patere voluerunt oculis, ſed averſi texerunt eam, quod eſt, interprete Vincentio Lirinenſi, erratum ſancti viri nec adprobaſſe, nec prodidiſſe; atque idcirco beata in poſteros benedictione ſunt donati. Quæ autem de hujuſmodi cenſura ſcripſi, monet inſuper Launojus, non ſcripſiſſem, niſi mea me decepiſſet credulitas. Putabam eſſe Facultatis Theologicæ cenſuram, quæ ab Uſuardi, Pariſienſis & aliarum Eccleſiarum Martyrologii hoſtibus in medium fuerat prolata. Quod vero licuit Poetæ, annon mihi nunc quoque licitum eſt dicere: Non ego credulus illis. Cenſuram enim hanc Facultatis Theologicæ opus non eſſe, tria confirmant manifeſtiſſime.

Pri-

Primum exhibet documentum Robertus Gonguinus, illo tempore, quo Censura dicitur edita, in Academia Parisiensi Interpres Juris Pontificii, atque Ordinis S. Trinitatis de Redemtione Captivorum Minister generalis, qui magna cum eruditionis laude tum enituit, Oratione stricta elucubrans Concertationem de puritate Conceptionis B. Virginis contra Vincentium Castronovanum ad Collegium Doctorum Theologiæ, in qua prolixe recensuit eos, quorum Propositiones tanquam de heterodoxia suspectas antehac damnaverat Facultas, nulla mentione facta harum, de quibus nunc agitur, quæ tamen integro mense & amplius ante dicuntur damnatæ, quam Author hanc Concertationem obtulit Collegio, ea non omissurus, si aliqua niteretur veritate earum condemnatio, additurus videlicet eam in cumulum narrationis adcusatoriæ. Dum enim remotiora vidit & citavit, cur proxima nec vidisset nec citasset, quæ diebus abhinc triginta quinque contigissent, atque in omnium oculos & aures incidissent? Et sane, quo diligentius circumspicietur Gonguini narratio, eo invictior adparebit hæc probatio. *Secundum* exhibet Jodocus Clichtovæus, qui anno seculi antecedentis decimo & tertio edidit, annoque decimo & septimo recudi curavit, annis nempe viginti post editam (si unquam fuit) censuram, librum de B. Virginis Adsumtione octodecim capitibus constantem, ubi quamvis totus sit in probanda adsumtione corporea, obdormitionis tamen, obitus, emigrationis, transitus & adsumtionis voces remota conscientia & sine ulla religione usurpat, Hieronymi insuper & Augustini Sermones de Adsumtione ut fœtus proprios adducit, nunc Hieronymo de suo adcommodat sensu, nunc eum judicat esse excusandum, quod, quæ de B. Virginis Adsumtione scripsit, ante determinationem Ecclesiæ scripserit. Absoluta quidem suis fuisset numeris excusatio, & munitum authoris opusculum atque sententia, si vel determinationis Ecclesiasticæ verba prodidisset, vel quo tempore, & quo in loco, & à quibus fuerat facta, notasset. Sed horum præstitit nullum, nec præstare potuit, opinor, de cæterq suis explanans verbis, quousque illa pervadat determinatio, nimirum adquiescens in laudato sermone Augustini. Atqui tunc sponte oblata fuit occasio laudandæ Theologorum Parisiensium Censuræ, inprimis quia caput octavum inscribitur, obdormitioni sanctæ Virginis Christum interfuisse. Author namque Propositionis tertiæ illud apocryphum esse prædicaverat, atque od id ipsum nota censoriæ severitatis dicitur confixus. Non vero laudata est hæc censura, cum vel maxime erat laudanda. Idem namque Clichtovæus in sermonibus de Conceptione, & in libro de puritate ejusdem, quem tunc edidit, Facultatis Theologicæ Decretum ea super re laudat, atque ad fidem faciendam urget; cur vero pari modo censuram quoque prædictam non laudaret, si eam & justam ac opus Facultatis Theologicæ legitimum esse credidisset, quamque, si à Facultate lata esset, utpote suo tempore latam ignorare non potuit, qui noverat multo remotiora, uti ex opere laudato liquet? Sane quo magis vir prudens & præjudicio vacuus rationis etiam hujus universa perpendet momenta, eo magis hanc Censuram à Facultate Theologica abalienabit. *Tertium* exhibet ipse Anonymus ille, qui ad annum seculi prioris quadragesimum loco Martyrologii homiliam composuit recitandam, sed nullam quoque hujus Censuræ fecit mentionem, sine dubio facturus, si eam Facultatis Theologicæ opus legitimum esse putasset. Annon enim citasset atque exaggerasset Censuram, quæ nunc citatur, & tam confidenter à quibusdam exaggeratur? Sed exaggerata perit contumaci trium hominum silentio, quod in conscientiam rei perperam gestæ merito potest duci. Nunc autem Usuardi & Ecclesiæ Parisiensis Martyrologii hostes nihil præter unum honeste & ingenue possunt confiteri, quod vero confitebuntur nusquam, opinor, scilicet, è tenebris in lucem se opus edidisse, quod expensis omnibus rationum momentis non erat edendum, atque pro opere Facultatis Theologicæ venditasse, quod tamen ejus non est. Hæc certe ratio tertia, quæ ex opportunitatibus hominis Martyrologium Parisiense corrigentis quæritur, dubitare non sinit, quin latam in Propositiones adductas censuram, si vera esset, nec Facultati Theologicæ

sub-

Digitized by Google

ſubjecta, ſuos in uſus cupidiſſime derivaſſet. Atque his de cauſis adducor facile, ut credam nunc, ſic finit hunc diſcurſum Launojus, Cenſuram Facultatis Theologicæ opus non eſſe, contra quam antea credideram, deceptus nimia credulitate. Equidem plura adhuc ſubjungit Launojus in recapitulatione hujus ſui Tractatus, uti & in Vindiciis ejuſdem contra quendam Advocatum, nomine *Nicolaum Billiadum*, notatu non indigna, niſi lectoris habenda eſſet aliqua ratio, ne videlicet nimia prolixitas pariat faſtidium, atque excerpta hæc ſufficere videantur ad demonſtrandam narrationis de Adſumtione Virginis corporea incertitudinem. Id certe indubium videri, neminem ex iis, qui eam hactenus pro re certa habuerunt, niſi imprudentum & nimis ſimplicium numero velint adſcribi, poſthac adtentis hiſce rationum momentis eam pertinaciter defenſuram. Et quidem, ſi *Lambecius Hamburgenſis*, ſi Franciſcus Maria Florentinius, ut plures alios taceam, hoc Launoji judicium ex debito ponderaſſent, vix ea de Adſumtionis hujus veritate paucis ante annis ſcripſiſſent, quæ nunc leguntur in ſcriptis eorum, & quidem in illius *Diario Itineris Maria-cellenſis*, in hujus autem Adnotationibus ad vetuſtius Eccleſiæ Occidentalis Martyrologium, utroque quamvis ea ſuppeditante, quæ ad præſens inſtitutum non plane nihil videntur conferre. *Lambecii* namque prolixam de Adſumtionis Feſto digreſſionem huic Diario inſertam ſi perpendamus, invenire licet in ea, quæ traditionem hanc non parum facere poſſunt ſuſpectam. In anteceſſum monet, primam hujus Solemnitatis inſtitutionem adeo antiquam eſſe, ut origo ejus ignoretur, ideoque ipſorum Chriſti diſcipulorum, qui D. Virgini fuerint ſuperſtites, piæ, ſed privatæ devotioni veriſimiliter adtribui poſſe. Quid, quæſo, Lector optime, eſt hariolari, ſi hoc non eſt? Si ullum ex tribus, quatuor vel quinque ſeculis prioribus teſtimonium Doctoris fide digni poſſet in ſpeciem adduci, conjectura hæc forte poſſet admitti. At, cunctis omnino ſilentibus, poſt tot ſeculorum decurſus demum in Scenam producere rem aliquam, quæ nullo Authore idoneo nitatur, eſt res non nimiæ tantum credulitatis, ſed ſi verum dicere vel ſcribere licet, tyrannicæ etiam crudelitatis. Subjungit Diarii Scriptor, publicam hujus Solemnitatis confirmationem & præceptionem ipſa inſtitutione recentiorem eſſe, nec uno & eodem tempore in omnibus Eccleſiæ Catholicæ Provinciis fuiſſe promulgatum, ſed Romæ quidem ſeculo Æræ chriſtianæ quarto, non multo poſt initium libertatis Religioni chriſtianæ ab Imperatore Conſtantino Magno conceſſæ tardius autem Conſtantinopoli, ſeculo nimirum ſexto, ſub Imperatore Mauritio; in Germania vero & Gallia ſeculo demum nono ſub Imperatore Carolo Magno. Verum ſi prima inſtitutio omni deſtituitur teſtimonio, cui dicenda eſt inniti ſequens confirmatio? Quin ipſa etiam inæqualitas promulgationis rem hanc valde facit ambiguam. Nam qua poteſt videri probabile, hanc B. Virginis Adſumtionem, videlicet corpoream in cœlum, Eccleſiæ prius Occidentali, quam Orientali innotuiſſe? Si enim dicatur, Petrum & Paulum ejus rei Evangeliſtas Romæ primum fuiſſe, incertum per æque incertum probatur. Paulum Romæ fuiſſe certum eſt, quia id docent Actus Apoſtolici à Luca conſignati. Sed Petrum Romæ fuiſſe, adhuc ſub judice lis eſt, nec undequaque liquidum. Concedatur autem & hoc, quis adfirmabit, utrumque Apoſtolorum tunc temporis, quando B. Virgo dicitur in cœlum adſumta, ei præſentem, & non vel Romæ, vel alibi terrarum fuiſſe? Quæ enim in libro de Tranſitu B. Mariæ narrantur, omnes Apoſtolos ad obitum B. Virginis è locis etiam longe diſſitis convenille, inter alia debent referri, ob quæ Synodus Romana ſub Pontifice Gelaſio hunc librum apocryphis adcenſuit. Largiamur vero hoc etiam, quamvis nimia fere videri poſſit liberalitas, ſcilicet, Petrum & Paulum huic adfuiſſe & obitus & Adſumtionis Solemnitati, credendum eſt, ſolos hoſce Apoſtolos hoc Evangelium detuliſſe Romam, cæteros autem id vel oblivioni dediſſe, vel auditores ſuos habuiſſe indignos, qui ejuſdem fierent participes? Certe, dum Eccleſia Orientalis, quæ ſeculis prioribus præ Occidentali plura ſingularis induſtriæ præbuit documenta, omni deſtituitur teſtimonio, quod

ullam poſſit huic traditioni fidem conciliare, de præſentia Apoſtolorum jubet nos dubitare. Inſuper, quod Eccleſiæ Occidentali ex authoritate Dreſſeri, utut ſuſpecta ſibi, adſcribit teſtimonium *Lambecius*, cometipſo facit ambiguum, quia agnoſcere fuit coactus, id nulla idonei Scriptoris antiqui authoritate niti; nobis in gratiam *Dreſſeri* id tantum nunc obſervantibus, videri eum, quia liber ipſe ad manus non eſt, de Feſto Adſumptionis non corporis, ſed Animæ tantum poſt Mortem beatam egiſſe, quæ obſervatio in ſequentibus etiam eſſe potedoterit uſui. Sibi interim ſuiſque canit Muſis non uſquequaque concinentibus, dum iterato primam hujus Feſti inſtitutionem ab ipſorum Chriſti diſcipulorum privata devotione derivat, cujus tamen nulla plane poteſt indicare veſtigia. In labyrintho quoque verſatur, quando ſtatuit, Feſtum hoc Romæ ſeculo quarto inſtitutum fuiſſe, fateri tamen coactus, in medio tanquam nimia vetuſtate obliteratum eſſe relinquendum, quis Pontificum Romanorum primus annuam ejus celebrationem publica præceperit promulgatione. De Bernhardi & Gregorii teſtimoniis, ad quæ provocat Lambecius, ſufficienter egit Launojus, adeoque novis non opus habent vindiciis. Anaſtaſii autem Bibliothecarii & Nicolai Pontificis hoc nomine primi Relationes uti ſunt longe recentiores, quam ut de re tam antiqua poſſint authentice teſtari, ita ex illis non poteſt exprimi vel exſculpi, quod, quæ ibi narrant, de Adſumtione corporea debeant intelligi, utpote cujus nulla plane utrobique in verbis à Lambecio adductis fit mentio. Nicephori quoque authoritas, utpote Scriptoris recentiſſimi, cujuſve nimiam facilitatem in admittendis quibuſcunque etiam ſuſpectiſſimis traditionibus atque fabulis dudum Veritatis Hiſtoricæ ſectatores ex ipſiſmet partis Pontificiæ Scriptoribus notarunt, tanti non debet videri, ut quoad Feſti hujus inſtitutionem Conſtantinopolitanam ſub Imperatore Mauritio fides ſine omni exceptione eidem adhibeatur, quem ſæpius fide Græca in rebus etiam majoris momenti agere, à pluribus eſt obſervatum. Et, ſi quis tempore abuti, ac, quæ de hac Adſumtione Virginis prolixe recenſet, adductis pluribus circumſtantiis, rigoroſo velit exponere examini, inveniet, manibuſque palpabit, quam lubrico omnia ſint ſuperſtructa fundamento. Fruſtranea eſt inſuper excuſatio Lambecii, denominationem hujus Feſti apud Græcos, qui nomine κοιμήσεως id eſt, obdormitionis utebantur, ita explicantis, quod ea fuerit oppoſita hæreſi Collegridianorum, qui Sanctæ Virgini Divinam adtribuentes naturam, Mortis eam plane expertem fuiſſe, ac inſtar Henochi & Eliæ tranſlatam in cœlum crediderint, freti authoritate capitis duodecimi in Apoclypſi Johannæa. Quidquid enim ſit de hac hæreſi, id omnino venit diſcutiendum, an in gratiam ejus ipſa veritas Adſcenſionis corporeæ potuerit vel debuerit ſilentio premi, ſi Eccleſia eam vere factam credidit? De cætero, ab hæreſi hac forſitan non adeo procul abſunt, qui hodie in Eccleſia Romanenſi immaculatam B. Virginis conceptionem, ſed ἐν γενέσει acerrime defendunt, atque ſic conſequenter eam à debito Mortis abſolvunt, viſionem Apocolypticam ei quoque, utut contra mentem revelantis adplicantes. Preces huic Feſto conſecratæ, quas ex antiquo quodam Manuſcripto producit Lambecius, uti non ferunt ætatem, ſic etiam non unius ejuſdemque ſunt commatis. Formula præſertim prima, quæ S. DEI Genitricem ſubiiſſe Mortem temporalem memorat, at immediate ſubjungit, eam Mortis nexibus deprimi non potuiſſe, quomodo poſſit à contradictione liberari, videant ii, quibus hæc tanti æſtimantur. Hæreſin Antidicomarianitarum quod adtinet, qui B. Virgini ob Simeonis Vaticinium adſcripſerunt Martyrium, ac ſi gladio occubuerit, cui itidem putat Lambecius Eccleſiam Græcam hoc Feſtum κοιμήσεως ſeu obdormitionis oppoſuiſſe, comet ipſo oſtendit, parum ſe in literis S. verſatum eſſe, in quibus expreſſe legitur de morte Stephani Proto-Martyris, ἐκοιμήθη, id eſt, obdormivit. Quæ porro habet de Inſtitutione Feſti hujus in Germania & Gallia ſub Carolo M. per Uſuardi authoritatem infringuntur, cujus Martyrologium publica authoritate receptum præcludit viam omnibus aliis de Adſum-

Digitized by Google

ſumtione corporea traditionibus, inprimis adcedente Adonis, Archiepiſcopi Viennenſis conſenſu, cui dum Lambecius conſuetudinem totius Eccleſiæ occidentalis, videt licet Adone poſterioris opponit, abutitur patientia lectoris, antiquitatem ſuperciliosjactitans, in foro Novitatis deprehenſus. Longe modeſtius hoc argumentum tractavit laudatus ante *Florentinus*, vice iterata in ſuis ad Martyrologium Notis & Exercitationibus de eo agens, ſemel quidem ad diem decimum & quintum ante Calendas Februarii, iterum vero ad diem decimum & octavum ante Calendas Septembris, his inter alia uſus verbis: Quemadmodum credere pium eſt, Virginis tranſlatæ celebritatem ab Apoſtolis fluxiſſe, quod Græca præſertim Eccleſia id exiſtimaverit; ita fatendum eſt, obſcura apud Patres Latinos de re tanta manſiſſe omnia Monumenta, ut vix aliquid ante Seculum quintum de hujuſmodi celebritate inveniatur, quanquam non ignorem, Scriptores eſſe neotericos, qui ſine delectu aliqua excipientes adierant, plures antiquos Patres ſcripſiſſe de S. Genitricis Adſumtione, cum potius probatos eſſe Patres illos & nota Sanctitatis celebres, quam antiquos dicere debuiſſent. Sed manum dehac etiam tabula.

Obſervatio Secunda de Dionyſio Areopagita & Scriptis Ejus,

DE utroque argumento varia edidit opuſcula ante hoc vicennium & ultra Launojus, quibus præmiſit *Sirmondi* Diſſertationem, in qua Dionyſii Areopagita & Pariſienſis diſcrimen oſtenditur. Occaſione hujus ſcripti indicat Præfatio, in quam ex parte potiori huc adponere juvat, utpote prioris argumenti hiſtoriam & rationes potiſſimas exhibentem: Annus, inquit Launojus, agebatur milleſimus, ſexcenteſimus, vigeſimus & nonus, cum Vir clariſſ. Jacobus Sirmandus antiqua Galliæ Concilia edidit, atque in Tomos tres diſtribuit. In ſecundo eorum refert Ludovici Pii Imperatoris Epiſtolam ad Hildvinum Abbatem S. Dionyſii, qua juſſit, ut vitam ejus deſcriberet. Sirmondus in ſuis ad hunc Tomum obſervationibus hæc tradit de argumento hujus Epiſtolæ: *Premitti ſolet Hildvini Areopagiticis, hujus enim mandato ſcripſit ea, primuſque omnium Dionyſium Pariſienſem cum Dionyſio Areopagita, Athenienſium Epiſcopo eundem eſſe docuit, cum ab omnibus antea diſtingueretur, adeo, ut in antiquis, nunc etiam omnium Galliæ Eccleſiarum Martyrologiis alius dies natalis Dionyſii Athenienſis, alius vero natali Dionyſii Pariſienſis adſignetur, atque hoc ipſum utriuſque Natalis diſcrimen obſervet etiam Uſuardus in Martirologio, qui paulo ante Hilduinum Carolo M. regnante, in ipſa Pariſiorum urbe ſcribebat in Monaſterio S. Germani, ubi & vetuſta ejus operis, quæ fidem rei faciant, Exemplaria ſervantur. Gallorum autem de ſuo Dionyſio ſententiam ignoraſſe vel diſſimulaſſe Uſuardum quis credat. Johannes denique Erigena ſeu Scotus, ejuſdem ævi Scriptor, in Epiſtola ad Carolum Calvum, quam Latinæ Græcorum Dionyſi operum Verſioni ſuæ præfixit, ad hanc Hilduini de unico (tantum) Dionyſio novam tunc Sententiam adludens, non Veterum, ſed moderni; hoc eſt, ſui temporis hominum adſertionem ait fuiſſe. Tam multa porro, atque tam aperta ſunt, quæ Dionyſium Pariſienſem diſtringunt ab Athenienſi, ut mirum ſit, aliquos reperiri, qui in tanta luce nihil videant. Reclamant tamen, atque, ut duos in unum redigant Dionyſios, contendunt vehementer, nec contra rem diſenti aut in quæſtionem vocari patiuntur, quaſi parum interſit Pariſienſium, providere, ut, quam ſuo debent Apoſtolo gratiam, eam alieno ne tribuant; aut in Eccleſia levis ſit injuria, cum duos Sanctitate proteſtantes Epiſcopos habeant, alterum detrahere.* Hæc obſervatio, ita ſcribit porro Launojus, diſplicuit non-nullis Dignitate magis, quam Eruditione primariis, quos homines (quidam) perverſe religioſi commoverant. Ut illorum ſtudiis fieret ſatis, folium chartæ, ubi erat obſervatio, recuſum eſt, atque ſublatum ex eo, quod (aliquibus) diſplicuerat. Hæc agendi ratio latuit neminem,

Digitized by Google

ſed in omnium venit cognitionem. Contigit exinde, ut emtores curioſi antiqua Galliæ Concilia ſibi noluerint comparare, niſi folium chartæ, cujus ſupprimendi initum fuerat conſilium, haberent. Bibliopola, cum hoc perſpiceret, rerum ſatagens ſuarum, folium, quod in omnem ſervaverat eventum, poſtulantibus non recuſavit amplius, ſed, ut libros ſuos venderet atque diſtraheret, ſponte conceſſit, & ſic emtores habuerunt, quod habere voluerunt, ac ita res fuit ſalva, quia Veritas non erubuit. Nec enim erubeſcit unquam, niſi dum abſconditur. Abſcondita autem non fuit, ſed prodiit in lucem apertam, favente cumprimis Rege & principe Regis adminiſtro, quibus antiquæ traditionis indagatio & defenſio placuit. Et quidem obſervatio Sirmondi, ſi vera non fuit, breviori poterat obſervatione confutari, ac edendus erat tantum proferendusque in medium Author unus (tantum) Hildvino vetuſtior, qui Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum eundem cum Dionyſio Areopagita Athenienſium Epiſcopo fuiſſe literis mandaſſet. Quid, ſi potuit fieri, facto facilius? Tunc omnis condamata fuiſſet obſervatio, & velut neceſſario quodam motu labefactata concidiſſet. Enimvero, cum ne unus quidem edi proferrique potuit Author Hildvino ſuperior, qui, quod dicendum fuit, diceret, Veritas, quæ ſua ſimplicitate eſt contenta, præter rationem viſa eſt multarum rerum & verborum compoſitione opus habere. Hic fons, hæc origo plurium voluminum & Diſſertationum variarum, quibus ne apertum videretur lumen, & novum Hildvini placitum extabeſceret, replicata ſunt Eccleſiæ totius Gallicanæ primordia, & incertis recentiorum narrationibus adſperſa. *Germanus* nempe *Milletus*, Monaſterii S. Dionyſii Monachus, paucorum, uti adparet, verſuum obſervationem libris quatuor oppugnare conatus eſt. Sirmondus autem leves & perditos eſſe conatus oſtendit edita Diſſertatione de duobus Dionyſiis. Interim, cum Hildvinum novitatis adcuſari perſpicerem, illius Areopagitica legi & perlegi, ac tandem inveni, Authorem eſſe indignum, cui fides ulla habeatur, quod parvo declaravi opuſculo, quo tempore *Joh. Samblacatus*, Toloſas, in Sirmondum irruit temere, ediditque libellum, Palladium Galliæ, nuncupatum, quod Animadverſionibus tredecim confixi. Nec multo poſt Milletus reſponſionem ſcripſit ad Sirmondi Diſſertationem, verum Sirmondus neglexit hoc opus, quod Author in eo obſcurius probaret, incerta certis, & recentia priſcis anteponens. Ne autem de Sirmondi ſilentio præter modum ſibi gratularetur, illius reſponſionem diſcuſſi, atque ad inveniendi adſerendique Veri regulas exegi. Milletus vero certaminis prorogandi & defendendæ reſponſionis cupiditatem abjecit, inque locum ejus ſucceſſit, qui de unico Dionyſio Areopagita, Athanarum (&) Pariſiorum Epiſcopo Diatriben ſcripſit adverſus meam Diſcuſſionem. Is fuit *Hugo Menardus*, Monaſterii S. Dionyſii Monachus, qui tamen operi ſuo Nomen adponere non auſus eſt, tum, quia contra propriam ſcribebat Conſcientiam, tum, quia pro ea, qua pollebat, humilitate & modeſtia verebatur, ne defenſione cauſæ profligatæ partam apud eruditos & cordatos homines exiſtimationem amitteret; cæteris namque libris, in quibus famam colligere ſe poſſe ſperabat, nomen præfixit ſtudioſiſſime. At, Menardo vita functo factum, quod ille vivus fieri noluerat, niſi forſitam voluntate ſuprema aliter fieri voluerit. Quidquid ſit, interpoſito Congregationis Monaſticæ Decreto cautum eſt, ne Author Diatribæ involveretur oblivioni. Hinc recuſum eſt primum libri folium, & illic celebre Hugonis Menardi, Benedictini, Congregationis Mauri in Gallia Monachi, nomen eſt adjunctum. Sed Viri prudentes non adverterunt, Diatribæ Scriptorem ictare Hugonem Menardum. Hoc autem cum ita ſit, Hugo Menardus ictabit Hugonem Menardum, ut Authorem à ſeipſo diſtinctum, ac omnium irriſioni exponet. Diſcuſſionem igitur Milletianæ Reſponſiones cum recenſui, Menardum adgreſſus ſum, &, quod in ejus Diatriba fuit refellendum, oppido refelli, communes illius locos expendens, ac in omne genus inconvenientium deducens, oſtendenſque, quod ſeipſum propria manu jugulet & quibuſcunque Religionis Chriſtianæ hoſtibus arma ſubminiſtret. Fuerunt & alii, qui eandem tractarunt

mate-

Digitized by Google

materiam, ſed nihil adtinet eos nominare. Qui enim ſtant à partibus Monachorum, quæ ſunt illorum propria, repetunt, atque in eandem cum Monachis incurrunt confutationem. Hæc hactenus in Præfatione Launojus circa occaſionem, quæ Sirmondo fuit præbita ad edendam Diſſertationem de Dionyſiis duobus, & quæ eam Scripta inter partes adverſarias ſequebantur, è quibus aliqua pro more hactenus recepto excerpere minus videtur neceſſarium, cum Lectori curioſo & Veritatis hiſtoricæ ſectatori hac quidem vice poſſit ſufficere, ſi ſciat, quæ à pleriſque traduntur de uno eodemque Dionyſio Areopagita, cujus Converſionem Lucas capite Actuum Apoſtolicorum decimo & ſeptimo deſcribit, quod nimirum & Athenienſium primo, poſtmodum vero Pariſienſium quoque fuerit Epiſcopus, non eo, ſtare talo, ut non pluribus exponantur contradictionibus, quæ totam de duplici hoc Epiſcopatu narrationem prudentioribus non immerito faciunt ſuſpectiſſimam. Id autem hac occaſione prætermittendum non eſt, noviſſimos Conciliorum collectores, inter quos *Philippus l'Abbe* primum occupavit locum non obſtante illorum curioſitate, qui è Tomis antiquorum Galliæ Conciliorum exſcindi voluerunt illud folium, quod primum ex obſervatione Sirmondi fecerat indicium non unius, ſed duorum in Græcia & Gallia Dionyſiorum id ipſum iiſdemque verbis, prout Launojus ea exhibuit in Præfatione, in gratiam Veritatis, candide prout juſtum erat, itidem reſtituiſſe, ac Epiſtolæ Ludovici Pii ad Hildvinum ſubjunxiſſe in ſeptimo laudatæ Collectionis Tomo, & quidem ſequenti cum additione: Hæc veluti quædam ſunt præludia, προγυμνάσματα, ſi cum iis compares, quæ idem eruditiſſimus ætatis noſtræ Scriptor Sirmondus, in cultiſſimo de Dionyſiis duobus libello conſcripſit, & alii poſt eum quamplurimi, utramque in partem magnis animorum contentionibus depræliantes. Neq; minus huc videtur pertinere, quod *Henricus Valeſius* in Vita Sirmondi, quæ non ita pridem cum aliis hiſce ſimilibus in lucem prodiit publicam, hanc quoque Controverſiam iis adcenſet, in quarum ventilatione adverſus non unius generis hoſtes Victor evaſerit Sirmondus, ſilens etiam eos in Triumpho ducens, quod eruditiſſimus hic Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Illuſtrator non ſcripſiſſet, niſi ſententiæ Sirmondi & defenſoris Launoji ſuum addidiſſet calculum. Eidem favet etiam non obſcure, Launoji alias Antagoniſta rigoroſiſſimus, uti mox in altera parte hujus obſervationis demonſtrabitur, *Immanuel Schelſtratenſis*, Doctor Antverpianus, qui in antiquitate utplurimum obſervata hanc quoque Quæſtionem Hiſtoricam ſibi ſumſit non proprie diſcutiendam Marte proprio, ſed ex aliis tantummodo retractandam, dum pleraque ex Sirmondo & Launojo deſumſit ſine ulteriori cenſura, agnoſcens tandem, quæ vis eſt Veritatis, ſcilicet ob argumentorum pondera, antiquiorem, adeoque & magis probabilem eſſe eorum opinionem, qui ſtatuunt, Dionyſium Areopagitam obiiſſe Martyrem & Epiſcopum Athenienſem, qua in ſententia etiam fuiſſe obſervavit Johannem Morinum in opere de ſacris Græcorum ordinationibus, & Dionyſium Petavium in Rationario Temporum, quin & certo quodam reſpectu Baronium & Bellarminum. Hoc unum notari meretur è prolixa Tractatione Doctoris Antverpiani, quod de *Petro Abailardo* habet, eum ſuo tempore lapidem hunc contra torrentem movere auſum, ſed odium incurriſſe omnium, atque ab Abbate (ob idipſum) è Monaſterio S. Dionyſii, ubi Monachus erat, ejectum; hinc quoque qui unum credunt fuiſſe Dionyſium, Abailardo, quem reum plurium errorum evicerit melliſluus Eccleſiæ Gallicanæ Doctor Bernhardus, in Epiſtola poſt centeſimam & octogeſimam nona adverſus eum exclamans, volare ejus libros veneno & novitatibus plenos, ac eum Urbibus & Caſtellis pro luce tenebras proponere; inter quas intellexiſſe illud de Dionyſio, licet non ſcribat in terminis, ſufficienter colligi tamen ex *Petro Cluniacenſi*, qui libro adverſus Patrobruſianos inter Galliæ Apoſtolos referat Pariſiis Dionyſium. Dum de pronuntiato hujus Petri Cluniacenſis ex defectu libri non licet ſententiam ferre, quæ prout hic legitur, locum habere ac vera eſſe poteſt, etiamſi Dionyſius Pariſienſis non fuit Areopagita & A-

Digitized by Google

hac in Ratione quinta aliquid iterum occurret. Argumenti autem hujus tota vis ſic breviter explicatur : Retinenda eſt epiſtolæ Ignatii citatio, quia probari non poteſt infitiria, niſi petatur principium. Deinde, retinenda eſt vetus ac prima traditio de tempore, quo Martyr Dionyſius occubuit. Poſt, rejicienda eſt recens opinio de tempore, quo Dionyſius obiit, ſive quia veteri & primæ traditioni repugnat ; ſive quia ratione nulla, ſed tantum opportunitate & petitione principii nititur. Tum, Areopagitæ liber hic de Nominibus Divinis eſt abjudicandus. *Secundo*, publici & ſolemnis Baptiſmi deſcriptio, quæ in libri de Hierarchia Eccleſiaſtica capite ſecundo habetur, Areopagitæ tempori non convenit ; explicantur enim ibi ritus non ii tantum, qui ad Sacramenti adminiſtrationem & præcipuas Eccleſiæ neceſſitates, ſed ii etiam, qui ad ornatum & decus pertinent, uti conſtat legenti. Nunc namque Chriſtiani miris vexabantur modis, latebant in cryptis, nec Antiſtites audebant prodire coram, tantum abeſt, ut baptizarent tanto cum adparatu, cumque tot ac tantis ritibus & ceremoniis, quod & quantas liber ille repræſentat. Quin etiam ad quartum aut quintum Eccleſiæ ſeculum celebrior Baptiſmus non deſcribitur ; & quæ Gregorius Papa in libro Sacramentorum tradit de Baptiſmo ſolemni, ſi cum hoc libro Hierarchiæ Eccleſiaſticæ componantur, nec multo illuſtriora, nec multo celebriora reperientur. Quare extra perſecutiones Eccleſiæ vixit, qui illum exaravit librum. *Tertio*, ordinem placet conſiderare, quem author in ſuffitu Altaris, Eccleſiæ Miniſtrorum diſpoſitione, Catechumenis, Energumenis & Pœnitentibus bus exequitur. Quæ omnia ad Neronis vel Domitiani tempus quid pertinent ? Certe in eo fideles vix prodibant in publicum, niſi ut infinita devorarent ſupplicia, tantum abeſt, ut illorum Baſilicæ cum tanto Altarium ornatu, cum tali Miniſtrorum pompa, cum ejuſmodi Catechumenorum, Energumenorum & Pœnitentium diſpoſitione ac diſcrimine permitterentur. Iſta ſunt igitur dilatatæ per annos complures Religionis indicia, quæ dare non potuit Areopagites ; ſunt etiam conceſſæ cœtibus fidelium Pacis indicia, quæ non ſenſerunt Apoſtoli, quæ non viderunt eorum diſcipuli, atque ſub illis Chriſtiani, quorum vel nomen ipſum crimini vertebatur. Et, quid ſimile reperitur apud Athenagoram, Irenæum, Juſtinum, Tertullianum, ac reliquos coætaneos, qui pro Chriſtianis Apologias Principibus obtulerunt ? In ſumma, hæc inſtitutiones Eccleſiæ ab Areopagitæ ſeculo remotiſſimas produnt, ac illi librum hunc de Hierarchia Eccleſiaſtica detrahunt. *Quarto*, Areopagitæ hujus ſeculo inaudita eſt Monaſteriorum diverſitas, inauditum quoque conſecrationis Monaſticæ myſterium, quæ duo in ejuſdem libri capite ſexto traduntur ; Authores namque quarti vel quinti ſeculi vix ita loquuntur. Cæterum, Præceptores, ad quos provocat, Areopagitæ fuerunt Paulus & reliqui ex Apoſtolis. Sed ubinam de Monachis ita loquuntur, ut Author hujus libri ? Ubinam Monachos ita diſtinguunt, ut alios faciant Therapertas, alios tantum Monachos, qui totos ſe cultui Divino & famulatui dediderint ? Itaque Præceptores illi, qui de variis Monachorum generibus ſcripſerunt, poſt Apoſtolorum & Areopagitæ tempus vixere, & hac loquendi forma ei hunc librum abjudicant. Atque ſi omnia, quæ hic leguntur, una ſumantur, aut nullam penitus, aut poſteriorem Conſtantino ætatem adpellant, in qua Monachi non quidem ſunt nati, ſed plures in claſſes dividi, & ritu ſolemni, qualis hoc in loco depingitur, Sacerdotibus cœperunt conſecrari. Nimirum, ad prioris vitæ auſteritatem adceſſit conſecratio, qua inſtitutum ejuſmodi redderetur auguſtius. Deinde, de Monachorum imitiatione non plura reperiuntur apud eos, qui quinto vel ſexto Eccleſiæ ſeculo de eadem Commentarios ediderunt. At, ſub Domitiani, quam Martiani vel Mauritii principatu non paucioribus ceremoniis conſecratos eſſe Monachos, quis credet unquam ? Ad extremum, qui parem cum ſuperiori Monachorum diviſionem & multitudinem invenerit ante Conſtantinum, hactenus nemo eſt inventus. In ſumma, quia verba de Præceptoribus divinis tribuunt Areopagitæ Pauli diſcipulo, mendacium inſigne tribuunt, quod ne tribuatur, res ipſa alteri eſt tribuenda, qui longo

poſt

poſt illum tempore floruit in Eccleſia. *Quinto*, in libro de Nominibus Divinis, uti & in libris de Hierarchia cœleſti & Eccleſiaſtica multa ſunt loca, in quibus vel indicantur variæ Tractatorum Eccleſiaſticorum Sententiæ, vel accepta à Majoribus traditio laudatur. Et quidem in libri de Nominibus Divinis capite quarto ſupra laudato fit provocatio ad eos, qui de Nominibus Divinis diſſeruerunt. Quis autem quæſo ante tempus Areopagitæ Diſſertationes de hoc argumento lucubravit? Sic in libri de Hierarchia cœleſti capite poſt decimum tertio fit mentio nonnullorum, qui de Spirituum communione ſententiam expreſſerint. Quis vero vetuſtior Areopagita, vel æqualis, vel ætate ſuppar illam de Angelis movit quæſtionem; vel quis inter Apoſtolos & primos Eccleſiæ fideles de hac diſputavit materia? Eratne tunc iis de rebus tractandi locus & otium? Porro in libri de Hierarchia Eccleſiaſtica capite quinto aliqui commemorantur, qui varie de ſorte Apoſtoli Matthiæ ſenſerint. Sed quinam fuerunt illi, niſi Apoſtoli, quorum diſcipulus erat Areopagita. Igitur ab illis, cum Matthiæ ſortem verſarent, in diverſas itum eſt Sententias, quæ non placebant Areopagitæ. Unde factum eſt, ut aliam ſubjecerit Interpetationem, quæ judiciis Apoſtolorum præferatur. Incommoda hæc exhauriant, neceſſum eſt, qui hunc librum tribuunt Areopagitæ. Tractatus certe de varia ſortis expoſitione in electione Apoſtoli Matthiæ ætatem Areopagita longe poſteriorem importat. Denique in ejuſdem libri capite ſeptimo iterum laudantur Præceptores precum authores, quæ in Myſteriis adhibentur. Verum hæc ipſa, quæ derivatam à Majoribus traditionem ſignificant, nonne ſignificant ſimul authorem, qui multo poſt Apoſtolos & diſcipulos eorum tempore claruit, & librum adjudicant Areopagitæ, qui, cum eſſet diſcipulus Apoſtolorum, loqui ſic non potuit? Idem ſtatui debet de ſequentibus. Diu profecto multumque abfuit ab illis, qui ſe ſacrum mortuorum officium ſcribit accepiſſe à Majoribus, qui pompæ funebris adparatum deformat, qui, cur Catechumeni mortuorum ſepulturæ non poſſint intereſſe, exequitur, qui, an mortuis preces vivorum proſint, diſputat, qui, cur oleo perfundatur, tam qui tingitur, quam qui ſepelitur, exponit; in ſumma, qui Baptiſmum puerorum tractat perinde, ac ſi nunquam in Eccleſia fuiſſet dubitatum, num Baptiſmus ſtatim conferretur pueris, non expectata ætate grandiori? At dubitatum eſſe docent Tertullianus in libri de Baptiſmo capite poſt decimum octavo, & Cyprianus in Epiſtola poſt quinquageſimam nona ad Fidum quendam Epiſcopum. Hi enim diſſentiunt inter ſe. Ille expectandum eſſe ſcribit, hic autem docet, neceſſum non eſſe; ut expectetur, atque teſtatur, ſuam in Concilio adprobatam fuiſſe Sententiam. Hujus ergo de Hierarchia Eccleſiaſtica libri Author eo floruit tempore, quo ſancita in Cypriani Concilio Sententia totam ſic occupabat Eccleſiam, ut, qui ambigeret, nullus inveniretur; quod ille etiam profitetur aperte, ſcribens, ea, quæ de Baptiſmo puerorum tendit, ab iis ſe Præceptoribus accepiſſe, qui ea ab antiqua acceperant traditione. Sunt, qui, ut amentatum hoc telum declinent, eos Præceptores interpretantur Apoſtolos, & pro antiqua primam Chriſti traditionem intelligunt. Sed, quibus quæſo Schriptis oſtendent, Chriſtum docuiſſe Apoſtolos de Baptiſmo puerorum, illorum abrenuntiatione, ſponſoribus eorumque muneribus, ac aliis ceremoniis, quæ tamen omnia ſibi à Præceptoribus tradita Author hic adfirmat? Deinde, quibus Rationum momentis probabunt, has Chriſti & Apoſtolorum traditiones fugiſſe Tertullianum, qui Baptiſmi & aliorum in Eccleſia Sacramentorum ritus atque traditiones tam diligenter & tam cupide commemorat in libro de Corona Militis? Præterea, cur Cyprianus Fido non objicit inſtitutionem Chriſti & Apoſtolorum? Hæc enim de Baptiſmo puerorum Controverſia longè facilius dirimitur expoſita Chriſti traditione, quam adlatis quibuſdam Scripturæ locis, ubi de Baptiſmo puerorum nihil legitur ſpeciatim. Non equidem inficior, quin ea Scripturæ teſtimonia juvent conſilium Cypriani; ſed nemo inficiabitur, Cyprianum confeciſſe rem omnino, idque breviter, ſi memoratam, uti volunt quidam, ab Areopagita traditionem Chriſti & Apoſtolorum

Digitized by Google

lorum edidiſſet. His autem ſe incommodis exponunt, qui relatam periodum de ſenſu obvio deflectunt.

E rationibus generis poſterioris, quæ videlicet extrinſecus adſumuntur, *Prima* hæc eſt: Annus Chriſti agebatur quingenteſimus, trigeſimus & ſecundus, cum à Catholicis pro Synodo Calchedonenſi cum Severianis Conſtantinopoli inſtituta eſt collatio. In ea Severiani, qui & Acephali vocantur, libros Areopagitæ admittunt, Catholici vero repudiant. Adparet exinde, hæreticos eſſe & Synodi Calchedonenſis adverſarios, qui libros Areopagitæ in authoritatem admiſerunt primi, contra autem Catholicos eſſe & Synodi Calchedonenſis defenſores, qui libros Areopagitæ ut ſpurios rejecerunt primi, ac iis quidem rationibus, quas in cenſura librorum Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, & peritiſſimi quique ſcriptores ſemper uſurparunt. Deinde, in Areopagita, uti in Patribus aliis, Severiani contradicere Catholicis non ſunt auſi, vel probare, genuina eſſe ſcripta Areopagitæ, quæ proferebant, vel reponere, quod modo reponitur à quibuſdam, inficiales eſſe conjecturas, quibus Catholici non curarunt objectis Areopagitæ Scriptis de interpretatione benigna adcommodare, tum ex aliis patribus, tum ex eo quoque, quod Severiani videantur Catholicis adſentiri, qui tamen non eſſent adſenſi, ſi potuiſſent oſtendere, eſſe Scripta Areopagitæ, quæ ei tribuebant. Atqui ſic anni ſunt à Chriſto pluſ-quam quingenti, de quorum ſilentio Catholici contra libros Areopagitæ præſcribunt, & huic præſcriptioni conſentiunt hæretici, qui libros hoſce primi objecerant. Hæc autem cum ita ſint, qui modo ſcripta Areopagitæ vindicant ut germana, id faciunt, quod Severianos poſt reſponſionem Catholicorum facere puduit, uſque adeo viſa res eſt hæc notiſſima; qui vero hæc ſcripta rejiciunt ut ſubditicia, id quoque faciunt, quod Epiſcopi veteres bene Catholici facere non erubuerunt. Quapropter deſinent alii, opinor, ea pro libris Areopagitæ adſerendis argumenta texere, quæ ex hujus vel illius Sectæ titulo parent invidiam, niſi paululum inconſiderate velint experiri legem talionis. Si quis enim Catholicis Areopagitæ libros abjiciat ut ſpurios, id continuo exprobres, in fieri à Sectariis hodiernis. Tunc ille tibi ſtatim reponet, hos libros tanquam genuinos ab hæreticis veteribus admitti, ſed à Catholicis extemplo contra hæreticos diſputantibus rejici. Sic ſemper utendum eſt rationibus, quæ Veritatem adſerant, neque concilient invidiam, quia Veritas non indiget patrocinio dicacitatis. Ex hac autem ratione redditur porro manifeſtum, Liberatum graviter errare, cum Breviarii capite decimo ſcripſit, Cyrillum quatuor edidiſſe libros contra Theodorum & Diodorum, quaſi dogmatis Neſtoriani authores, & alium inſuper de Incarnatione, in quibus contineantur Patrum antiquorum teſtimonia incorrupta, nominatim Felicis Papæ Romani, Dionyſii Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi &c. Ex incerto nimirum rumore, uti adparet, liberatus hæc in ſuos conjecit Commentarios, quia Cyrillus nullum edidit librum, in quo Dionyſium Areopagitam laudaret; imo, quia Cyrillus cum laudavit nuſquam, Catholici in iſta Collatione libros Areopagitæ ut ſpurios abjecerunt. Deinde, niſi mendoſus ſit locus, & nomen Areopagitæ adventitium, error eſt intolerabilis, cum Dionyſium Areopagitam facit epiſcopum Corinthiorum, ſive Dionyſium hunc ex Athenienſi in Eccleſiam Corinthiorum migraſſe putet, ſive eum confundat cum Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo, de quo Hieronymus in Catalogo vel libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Secunda*: Magnus quidam Orator Romanus quæſiverat ab Hieronymo, cur libris Eccleſiaſticis admiſceret literas Ethnicorum, & veluti Sacra pro fanis inficeret. Reſpondit autem Magno huic Hieronymus, oſtenditque, quatenus id liceat, & quorum id faciat Exemplo. Verum inter Authores, quos magno recenſet numero, non ponit Areopagitam, etiamſi habuerit occaſionem, tum ex argumento, quod fuit præ manibus, tum ex eo, quod aliorum Athenienſium Scriptorum meminit. Certe ſi, quos Areopgagitæ libros nunc habemus, tunc extitiſſent, eoſque compoſuiſſet tanquam primus Pontifex Athenſenſium, nonne Hieronymus propoſuiſſet eos, ideo, quia modum philoſophandi Platonis fuit imitatus. Annon uti Pa-

Digitized by Google

tros alii, ſic etiam Dionyſius cauſam Hieronymi adjuviſſet? Præterea, idem Hieronymus in laudato de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro Quadratum Athenienſium Epiſcopum & Ariſtidem Philoſophum Athenienſem collocat, & quid uterque ſcripſerit animadvertit. Cur igitur hac occaſione data Dionyſium præteriret, ſi quid ſcripſiſſet? cur minus Dionyſii, quam Quadrati vel Ariſtidis libros noviſſet, qui tamen ad nos neutiquam pervenerunt? Abſurdum eſt dicere, Hieronymum noviſſe libros, quos non recenſuiſſet, cum recenſendi argumentum tractaret, id eſt, librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis conficeret. Abſurdum quoque eſt dicere, Hieronymum ſtatuiſſe, eos tantum Authores recenſere, quos recenſuerat Euſebius, ac eos prætermittere, quos ille prætermiſerat. Quaſi vero Hieronymus id conſilii unquam inierit, vel Authores non multo plures, quam Euſebius recenſuerit. Ad extremum, Sophronius, qui librum Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis Græce traduxit, ac ei non-nullos inſeruit quos Hieronymus non inſeruerat, Dionyſium quoque Areopagitam prætermiſit. Atque ſic tum neque in occidente, neque in oriente, nec apud Græcos, nec apud Latinos rumor ullus fuit, Dionyſium hunc aliquos edidiſſe libros. *Tertia* : Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium ſemel atque iterum meminit Dionyſii, quem Paulus Epiſcopum Athenienſium inſtituerat; Cæſarius quoque Gregorii Nazianzeni Frater, Ambroſius item, Chryſoſtomus & Auguſtinus de Dionyſio Areopagita hinc inde loquuntur, & quamvis ex opportunitate data potuerint ſignificare, Eum Scripta poſteris reliquiſſe, nuſquam tamen id fecerunt. Hos autem omnes ſilentii nimirum adfectati, vel [illegible] vel invidiæ quis adcuſaret? *Quarta* : Gregorius M. in Homilia poſt triceſimam quarta non auſus eſt libros hoſce Dionyſio adſerere, idque teſtatur utens voce, Fertur. Ex hoc autem ſcribendi modo conſtat perſpicue, Gregorium loqui cum hæſitatione. Adcedit, quod in hac Homilia cœleſtem Angelorum Hierarchiam aliter diſponat, quam Dionyſius, quod alii etiam Theologi obſervarunt. Hoc autem prorſus oſtendit, Gregorium Scripta Dionyſii tanquam ſubditicia vel ſaltem incerta ſecum reputaſſe; alioquin ediſſerant nobis, qui aliter ſentiunt, quid cauſæ fuerit Gregorio, cur à Scriptis & authoritate Doctoris illius receſſerit, quem raptus in Cœlum tertium Apoſtolus erudierat? *Quinta* : Tum ipſa ſcriptio, tum maxime ſchribendi methodus ſeculo Areopagitæ minus convenit. Qui enim hoc tempore ſcripſerunt, in tribus potiſſimum ſcribendi generibus elaborandis inſudarunt. Alii pro Chriſtianis compoſuerunt Apologias, quibus novæ (uti putabatur, ſed falſo) religionis ſinceritatem ſunt intepretati, vel profitentium innocentiam demonſtrarunt, vel animos Principum à vexationibus abducere laborarunt. Alii ſcripſerunt Epiſtolas, quibus in Fide accepta Chriſtianos corroborare ſtuduerunt, vel Præpoſitos Eccleſiarum documentis ſalutaribus inſtruxerunt, vel Doctrinæ Chriſtianæ utilitatem ac rerum terrenarum contentum docuerunt, vel etiam ad ſubeunda pro Chriſti nomine tormenta induxerunt, vel, quæ ipſi jam pertulerant, ſine fuco expoſuerunt. Alii denique Commentarios ediderunt, quibus Fidem Chriſtianam propugnarent, ac ei contrarias, quæ tunc oriebantur, hæreſes refutarent. Hæc fuit conditio atque hic Seculi genius, quo vixit Dionyſius Areopagita; hæcque Scriptorum occupatio, qui ſuis operibus Eccleſiæ naſcentis pondera ſuſtentarent. At, contra ſe res habet in libris, qui tribuntur Areopagitæ, quorum Author de rebus Eccleſiæ ſcribit perinde, ac is, qui in ſumma omnium Chriſtianorum pace, dilatata per orbem univerſum religione, faventibus inſuper Principibus animum adpuliſſet ad ſcribendum. Hinc nullâ fit in eis mentio Principum, qui Chriſtianos adfligunt; nulla texitur periodus, quæ calumniam, invidiam & inuſitata deprecetur Supplicia; nulli leguntur Martyres, qui ſuo Sanguine Eccleſiam fœcundent; nulla etiam adparent veſtigia Religionis laceſſitæ, quæ opus habeant defenſore. De fidelibus quoque, qui inter cruciatus in Fidei profeſſione confirmentur vel deficiant, quin & de hæreſi, quæ confutetur, altum eſt ſilentium. Sed, quod inprimis mirum, nulla mentio injicitur Athenienſium, quibus in Fide nutriendis

præ-

Digitized by Google

præpositus erat Dionysius. Hæc autem omnia, quo magis ac magis considero, scribit Launojus porro, eo magis ac magis adducor, ut credam, Dionysium libros non edidisse, qui sub ejus nomine sunt vulgati. *Sexta*: Quam tractandi methodum adhibent nonnulli, ut libros tueantur Areopagiticos, ea debet impedire, ne quis prudens & adtentus homo adsentiatur illis. Communes nempe parant locos, qui materiæ omni, ac proinde nulli conveniunt, quippe verum & falsum juxta pariterque defendunt, ac libros huic Dionysio Areopagitæ vindicant, tametsi fingas disputandi gratia subdititios. Hi autem loci communes possunt videri tum apud alios, tum maxime apud Martinum del Rio, in libello, quem Vindicias vocavit Areopagiticas. Quis vero certam esse crederet Veritatem, quæ talibus indigeret præsidiis. Sua sibi constat quærendæ & adserendæ Veritatis ratio, sua quoque sibi constat aperiendæ & retinendæ falsitatis ratio. Qui utramque confundit, Andabatarum mores imitatur, & partium studiis inservit, non Veritati, quæ cum falsitate nihil habet commercii. Cæterum, post Gregorii Magni tempora sors operibus Areopagiticis alium dedit campum, in quo libere excurrerunt, utpote quæ Concilium Lateranense, quod Martinus Pontifex hoc nomine primus habuit, & Synodus sexta adduxerunt in testimonium. Verum, hoc quidquid est, non nocet adsertæ hactenus veritati, scribit Launojus. Nam in Concilio Lateranensi & in Synodo sexta libri Dionysio Areopagitæ inscripti laudantur quidem, sed nulla inquisitione facta, utrum sint illius. Aliud est autem, prius in authorem libri, ex quo testimonium petitur, inquirere, & post inquisitionem ex illo testimonium petere; aliud vero sine tali inquisitione authorem libri, ex quo testimonium petitur citare, & testimonium ex eo petere. Hoc, non illud, in utroque Concilio, sine ulla specie præjudicii factum est. Id Fronte Ducæus docuit in causa simili, cujus verba è Notis ad sextum Chrysostomi Tomum huc pertinentia hæc sunt: *Neque vero mirum, quosdam ex illis (sermonibus) in antiquis etiam Synodis citari sub nomine Chrysostomi, cum jam in usu esset in Ecclesiis; neque soleant Concilia, dum proferunt testimonia, in Authores inquirere, aut alias quæstiones excutere ab eo diversas, quam præ manibus habent, sed quæ passim obferuntur, usurpare, & quacunque ratione repertos scriptores commentis hæreticorum opponere, quemadmodum & Apostoli (ubinam vero?) & Patres reliqui libros apocryphos, ut Hermæ, Pastoris, (N. B. non duplicem esse, sed unum tantummodo Authorem,) atque Evangelium Hebræorum & Nazaræorum citarunt, licet jam ab illorum temporibus mos ille inolevisset, ut Patribus supposititios adtribuerent fœtus, quemadmodum & ipsis Apostolis nuper duc Pauli & Theclæ, & Acta Petri & Apocalypsin adscripserunt.* Et post alia in Tractatum de sancto Thoma: *Licet autem ut genuinum (sermonem) cum Authoris nostri (Chrysostomi) fœtum propter styli dispavitatem non agnoscamus, eum commendat tamen authoritas Synodi Lateranensis sub Martino contra Monothelitas collecta*: Et loco adlato subjungit: *Profertur idem locus in Synodo sexta universali sub Agathone Constantinopoli contra eosdem Monothelitas habita.* Hæc ille Vir & magna doctrina & acri præditus judicio, inquit Launojus, quæ in rem præsentem facile transducuntur, eadem est enim ratio utrobique. Nam Sermonum quorundam citatio in Concilio Lateranensi atque in Synodo sexta sub nomine Chrysostomi facta non efficit, ut verò sint Chrysostomi; sic & in eodem Concilio atque in eadem Synodo librorum sub nomine Dionysii Areopagitæ facta citatio non efficit, ut illi sint proprii fœtus Dionysii Areopagitæ. Præterea, quæ de more Ecclesiæ ac Conciliorum Ducæus animadvertit, Ecclesiam & Concilia ab errore (sed non omnino) liberant, quanquam authoris citatio ad puram facti conditionem pertineat, quemadmodum & condemnatio Honorii Papæ, quæ in sexta Synodo & facta est, & in sequentibus Synodis confirmata. Neminem vero latet, quid illi dicunt, qui Honorium non fuisse Monothelitam atque adeo male (vel plane non) fingunt condemnatum. Ne autem sint hæc omnia, Apostolus Judas in Epistola (vel potius Vaticinio, non) libri Henoch (quia nullam libri facit mentionem) qui certe habetur apocryphus. Quidni pariter

Concilia uti potuerint teſtimoniis librorum, qui falſo tribuerentur Dionyſio Areopagitæ? At longe feciſſent conſultius, ſi à ſuſpectis hiſce teſtimoniis abſtinuiſſent, niſi quatenus ad hominem contra adverſarios diſputarunt.) Hæc aptari poſſunt facile ſingulis authoribus, qui libros Areopagitæ in ſuis Scriptis adlegarunt. Quibus in cumulum addecidit Baronius, ad annum ſeculi poſt Chriſtum ſeptimi quartum ſic ſcribens: *In his, quæ rerum geſtarum veritatem ſpectant, quam frequenter adcidit falli etiam prudentiſſimos, non in antiquis tantummodo, ſed etiam in his, quæ facta eſſe dicuntur in eodem loco, quo ipſi ſunt, & quo vivunt tempore, ob idque nihil eſt, ut quantavis ſive doctrinæ cujuſlibet prærogativa Viri, quod non factum eſt unquam, ut factum adjerentis, ſi Veritati poſſit inferre præjudicium; cum in his, quæ ſunt facti, non Dogmatis, potuerit quiſque ſanctiſſimus atque doctiſſimus orthodoxæ Fidei Profeſſor atque Defenſor aliquando falli. Nunc rogo te, Eminentia alicujus Viri poteſne efficere, ut, mendacium eſt, Veritas ſit, & quod perinde ac verum ab eo falſum eſt adſertum, recipiatur ab omnibus?* Huc quoque ſpectat, quod ad annum ſeculi poſt Chriſtum ſecundi nonum ſcripſerit: *Jura Veritatis ſunt ampliora omni antiquitate, quæ nulla plurium ſeculorum valeant lædi præſcriptione, nec innumera Teſtium multitudine obrui atque labefactari.* Cæterum, qui hos Dionyſio Areopagitæ ſubjecit libros, cum ante Collationem Conſtantinopolitanam, quæ inter Catholicos & Severianos eſt habita, vixiſſe conſtat certo, ſed quanto ante eam tempore, non ita conſtat. Ut dicam breviter quod ſentio, à tempore Synodi Epheſinæ primum vixiſſe mihi videtur, quam Epocham objiciunt nonnullæ ex rationibus, quæ ſuperius fuerunt adductæ.

Poſt Launojum edidit diſſertationem ſuam de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quos adtigit quondam ſcripto peculiari Bellarminus, in qua ubi de Dionyſii Areopagitæ Epiſcopatu Pariſienſi & Scriptis ſub ejus nomine antehac publicatis teſtatus eſt, uberrimum hæc præbuiſſe ſcribendi diſputandique argumentum eruditis hac præſertim ætate, in addendis & corrigendis ſubjunxit, id ſe intellexiſſe tam de orthodoxis, quam heterodoxis, qui pluribus, inquit, argumentis contendunt, opera hæc ab Areopagita nunquam fuiſſe ſcripta, ſed ab aliquo juniore, de cujus etiam ætate certatur, vixeritne poſt vel ante Concilium Calchedonenſe. Rationes has producit. *Primam*: Nec Euſebius, nec Hieronymus, nec Gennadius, nec ullus eorum, qui primis quinque ſeculis vixerunt, illorum fecere mentionem, quod non modo Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtola ad Carolum Calvum obſervat, ſed etiam Bellarminus & Petavius. In Collatione demum Conſtantinopolitana tempore ſeculi poſt Chriſtum ſexti inter Catholicos & Severianos habita prodierunt primo, hæreticis hiſce aliquid exinde objicientibus, verum Catholicis authoritatem illorum recuſantibus. *Secundam*: Author horum operum citat, non modo Apocalypſim, quæ facta eſt ſancto Johanni, cui exul eſſet in Inſula Pathmo ad finem Imperii Domitiani, ſed ſententiam quoque ex Epiſtola Ignatii ſcripta ad Romanos, circa annum Trajani undecimum, qui eſt ſeculi poſt Chriſtum ſecundi octavus. At Dionyſius Areopagita ab omnibus fere ſcriptoribus antiquis obiiſſe prohibetur ſub Domitiano. *Tertiam*: Dionyſius Areopagita librum de Nominibus Divinis, in quo citatur ſententia ex Epiſtola Ignatii ad Romanos, Timotheo viventi legitur dedicaſſe. At quando Ignatius hanc Epiſtolam & alias ſcripſit, jam dudum obierat Timotheus; teſtatur enim Metaphraſtes ducenteſimum & quinquageſimum quarto. Et quamvis de tempore Mortis non adſentiatur Baronius, fatetur tamen, certum eſſe, Timotheum ante Ignatium Martyrio coronatum fuiſſe. Neque etiam id poteſt negari, cum teſtetur Ignatius in Epiſtolis ſuis ad Antiochenos, Heronem & Epheſios, Oneſimum Timothei Succeſſorem, cum illas ſcriberet, Epheſiorum fuiſſe Epiſcopum. *Quartam*: Magnifice loquitur Areopagita tum de Templis, inſtar Hieroſolymitani adyta habentibus adeo Sacra, ut nefas eſſet non modo plebi, ſed etiam Monachis eo ingredi; tum de Catechumenorum, Energumenorum & Pœnitentium ab iis excluſione & extra fores collo-

ca-

Digitized by Google

catióne, dum Euchariſtia celebraretur; tum de Monachorum ordinatione & conſecrane, ac variis ritibus ab ævo Dionyſii, uti volunt præſertim Novatores hæretici (ſed non ſoli) alienis &c. *Quintam*: Agens idem de Ceremoniis, quæ obſervantur in Baptiſmo parvulorum, videlicet, abrenuntiatione ac Fidei profeſſione, quas per os aliorum faciunt &c. de hoc, inquit, ea dicimus, quæ Divini Pontifices noſtri ex antiqua traditione edocti ad nos uſque produxerunt. His adde *διὰ δὶς τεσσαρεσκαιδεκάτου, διὰ τριῶν ἐμβάσεων, ἀνάπαλιν μύειν* &c. Et poſtquam iterato provocavit ad authores citatos, nominatim vero & ſingulariter ad *Aubertinum & Morinum* in Commentario de ſacris Eccleſiæ ordinationibus ad vivum omnia reſecantem, addidit, ex iis diſcere quem poſſe, plurimos (etiam) Catholicos ab aliquot ſeculis aut dubitaſſe, aut negaſſe, aut certe inſinuaſſe, ſibi non omnino probari, fœtum Areopagitæ indubitatum eſſe, quæ nomen ejus præferunt opera. In iis poſſe numerari *Antonium Faventinum* apud Johannem Picum in reſponſione ad objectionem tertiam, Theodorum Gazam in Præfatione Problematum Alexandri Aphrodiſenſis, Laurentium Vallam in caput decimum & ſeptimum actuum Apoſtolicorum, Cœlium Rhodiginum, Johannem Epiſcopum Roſſenſem, Thomam Cajetanum, Deſiderium Eraſmum, Sixtum Senenſem, Sirmondum Petavium, quique multorum inſtar eſſe poſſit, *Iſaacum Habertum* Epiſcopum in *Archieratico*, ex quo opere, quia rarius eſt in manibus eruditorum, ſequentia lubet huc adponere, videlicet in brevi compendio exhibentia, quæ alii voluminibus integris prolixe deducunt. Sic autem ibi legitur: Authorem libri de Hierarchia Eccleſiaſtica, cæterarumque illi conjunctorum, Dionyſium Areopagitam eſſe, ne ſuſpicari quidem poſſum; non dicam ob Euſebii, Hieronymi, Sophrononii, aliorum, qui Catalogum Eccleſiæ Scriptorum texuerunt, præteritorum, ſtylum alterius ævi, quinque & amplius Eccleſiæ ſeculorum, in quibus ignotus fuit hic author Patribus & Hiſtoricis, ſilentium altiſſimum, Ignatii Clementiſque Alexandrini mentionem, Rituum Monaſticorum, aliorumque, quibus non niſi provecta florenſque Eccleſia eſt uſa, deſcriptionem; non tam ob iſtas, inquam, ab aliis, ante me qui ſcripſerunt, rationes adlatas, ſed ob ea, quæ habentur in Collatione Epiſcoporum Catholicorum cum hæreticis Severianis Conſtantinopoli ſub Imperatore Juſtiniano habita, in qua cum Epiſcopi partis Severianæ teſtimonia Dionyſii Areopagitæ protuliſſent, orthodoxi ita reſponderunt: *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis eſſe, vera eſſe, ſicut ſuſpicamini, unde poteſtis ſcire? Si enim ejus erant, non potuerunt latere Beatum Cyrillum. Quid autem dicimus de Cyrillo? quando & beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciviſſet, ejus eſſe, ante omnia in Synodo Nicena agens de Trinitate conſubſtantiali protuliſſet eadem teſtimonia adverſus Arii diverſæ ſententiæ blaſphemiæ. Si autem nullus ex antiquis meminit eorum, unde nunc poſſitis oſtendere, quod illius ſint, neſcimus.* Ego, inquit, Epiſcopus Vabrenſis, ſententiæ orthodoxorum adſtipulor. *L'abbeus* vero poſtquam Launoji ſuper hoc argumento Opuſcula et iam commendavit Lectori, eum ad fontes hoſce remiſit, ſi ſitim deſideret explere ad ſingula enucleatius inveſtigare, quæ ad controverſiam hanc celeberrimam ſpectant, nihil addens omnino, quæ adductas rationes poſſent ullatenus infirmare, eometipſo ſufficienter indicans, ſibi hanc ſententiam videri quam maxime probabilem & adſenſu dignam.

Hiſce poſt Robertum Cœum Scultetum & Rivetum è Societate Calvini, è noſtris autem Evangelicis, *Lutherum*, Chemnitium, Gerhardum, Dorſcheum, Dannhawerum & alios ſe adnumerari voluit *Johannes Dallæus*, Scriptor Gallus in opere peculiari, quod huic argumento deſtinavit, ea non tantum prolixiſſime confirmans, quæ hactenus ab aliis fuerunt contra vindices operum Dionyſii adducta, ſed etiam longe plura ex iis eruens, quæ idoneæ ſunt, ut ea magis magiſque poſſint facere ſuſpecta, inſuper omnia nervoſe diſcutient, quæ inprimis *Halloixius* ad eorum probabilitatem ampliſſime congeſſit, nihilque eorum intermittens, quæ aliquo reſpectu huc pertinere videbantur. Vix autem prodiit in lucem publicam hoc opus, Cenſores Pariſini de eo ſuum in Ephemeri-

dibus, quas vocant, eruditorum legi voluerunt judicium, authorem adcusantes quidem, quod rationibus Morini usus, authore pro sua ingenuitate id non dissimulante, sed sæpius nomen ejus cum adscripta laude lectoribus commendante, simul tamen agnoscentes, quod de suo etiam *conjecturas plures eruditas* addiderit, & prolixe responderit ad rationes, quæ in favorem horum Dionysii operum communiter solent adlegari. Quod cum ita sit, mirum videtur non immerito, nuperos editores Bibliothecæ Patrum Maximæ Tomo statim secundo (qui Scriptores primi à Christi Nativitate seculi plerosque & singulos fere suspectos & eruditorum judicio supposititios continet, in Propylæo hoc ostendens, quid de toto magnifici hujus ædificii Systemate, quod Voluminum multitudine quævis antecedentia superat, Lector eruditus prudenter sibi audeat promittere) hæc opera sub nomine Dionysii Areopagitæ cum Scholiis *Maximi* & paraphrasi Pachymeriana (sed quod in gratiam Lectoris Græce ineruditi etiam in aliis Græcorum Scriptis à se observatum esse in Præfatione testantur, cum versione tantum Latina, ut ab omnibus possint legi & intelligi) inseruisse cum præfixa Halloixii Apologia, quam ex editione Corderiana describi curarunt, nulla vero cum mentione refutationis, ita ut Lectori minus curioso voluerint hæc silentio persuasum, firmo eam adhuc stare talo & omnino inconcussam. Magis adhuc mirum est, proximo post novam hanc Bibliothecæ Patrum Maximæ editionem anno prodiisse *Antiquitatem illustratam Immanuelis Scholstratensis*, Doctoris Antverpiani, in qua Episcopatus quidem Parisiensis Dionysii Areopagitæ vocatur in dubium ob argumenta ex antiquioribus documentis desumta, quæ eum Martyrem faciunt Athenienscm, non verò Parisiensem, manu ductore post Sirmondum & alios Launojo, quod scripta vero, quæ communiter eidem tribuuntur, adtinet, quæque eundem Launojum cum aliis inprimis ob silentium quinqueseculare à tempore Dionysii eidem objudicare non nescivit, quin potius statuit, *Christianum Lupum*, Doctorem Lovaniensem, alias acerrimum Launoji oppugnatorem, ejus tamen de Dionysio scriptis inductum judicasse, *Stylum eorundem pompaticum olere & sapere* non occulte, sed *manifeste hominem non Atticum, sed Asiaticum*; hoc tamen non obstante & nihilo minus vulgata cum Vindicibus Areopagiticis opinio adversus Sirmondum & Launojum defenditur authoritate præsertim Sorbonæ Parisiensis adducta, quæ ante hoc sesquisæculum Lutheri superinde sententiam articulo peculiari *falsam, temerarie & arroganter adsertam*, ac viro sancto & insigni eruditione claro injuriam esse pronuntiavit; nobis Evangelicis exinde non parum superbientibus, quod Lutherus vindex Veritatis etiam Historicæ glorioſissimus in hoc quoque puncto non modo ante, sed etiam post se Viros insignes habeat, qui idem cum ipso sentirent, inprimis è Sorbona Parisiensi, quæ ipsum tanquam hæreticum antehac damnaverat, quin & ex ordine & Societate eorum, qui luci tum noviter per DEI gratiam exortæ Ignatio quodam Lojola duce novas obsuadere tenebras, eamque penitius obscurare ex illo tempore pro viribus laborarunt, inter medios hostes semper aliquibus inventis, qui album Veritati calculum addere, atque in conscientia convicti contra plurium mancipiorum catervam ingenue consensum præbere sunt coacti. Quam maxime vero mirum est, huic Veritati historicæ in aperto positæ nuper demum adhuc contradicere ausum fuisse *Natalem Alexandrum*, Doctorem Ordinis Dominici Parisiensem, reponendo Dionysium Areopagitam non modo in Cathedram Parisiensem, sed Scripta quoque eidem adjudicando in dissertationibus ad Historiam primi post Christum seculi Ecclesiasticam selectis, readsumentem Launoji quidem & Morini argumenta, nulla tamen mentione facta argumentorum *Johannis Dallæi*, quem conjecturas plures eruditas addidisse, & prolixe ad rationes, quæ in favorem horum Dionysii operum communiter (id est, vulgariter) solent adlegari, respondisse, eruditi Censores in Ephemeridibus Parisinis supra judicarunt; quod *Natali Alexandro* in eadem Urbe viventi & scribenti ignotum esse non potuit, quia in dissertatione proxima, qua Ignatii Epistolas in se suscepit defendendas, Dallæjum non semel nominavit, de utriuſ-

Digitized by Google

utriuſque Dionyſii nimirum Areopagitæ & Ignatii Scriptis in uno eodemque agentem opere, quod documento poteſt eſſe, eum minime auſum fuiſſe diſputationem adverſus Areopagitica Dallæanam, utpote ſtringentibus valde argumentis munitam adgredi, cum alias non ſemel in hiſce ſuis diſſertationibus alia ejuſdem Dallæi ſcripta impugnaverit, arma deponens, in hac quæſtione, quæ prævidit fore minus penetrantia, quamvis forte nec poſthac defuturus ſit ex oſſibus & diſcipulis antehac Launojanis ultor, qui Præceptoribus meritiſſimi laborem adverſus eos, qui mortuo Leoni inſultant, ſit vindicaturus. Id nunc tantum juvat addere, quod idem Launojus alio in opere, ex quo ſequens obſervatio Hiſtorica deſumetur, adducit verba Petavii ad Heribertum Roſſeveidum in ſuis ad vetus Martyrologium Romanum Notationibus duos agnoſcentem Dionyſios ita ſcribentis: Fruſtra Pariſienſis cum Athenienſi confunditur, ac Æſopi fabulæ non ſunt fabulæ præ commento illo Pariſienſis Areopagitæ. Ita & *Fronto Ducæus* ſentiebat, hodieque Sirmondus noſter, & quicunque reconditiores paulo literas adtigit. Qui aliter ſapiunt ἐκτὸς τῆς διανοίας. Adcedit ibi in proxime antecedentibus teſtimonium Auberti Miræi in Faſtis Belgicis Frontoni Ducæo & Sirmondo addentis authoritatem Nicolai Fabri, Antonii Oiſelli, Johannes Savaronis, & aliorum plerorumque in Gallia eruditorum. Videat caveatque ſibi Natalis Alexander, famam eruditionis captans, ne horum judicio excidat ordine eorum, qui literas adtigerunt paulo reconditiores, ac turbæ illorum adſcribatur, qui fide tantum aliena nituntur & adjuvantur. Scripta quod adtinet, id tandem adhuc meretur obſervari, Evangelicos ea facile ac ſine magno ſuæ religionis præjudicio poſſe, ſi opus ſit, admittere, cum nihil vel parum in iis compareat, quod Fidei Chriſtianæ fundamentum evertat, è contrario autem non plane nulla in iiſdem occurrant, quibus ad hominem diſputantes contra novitios Romani Papatus errores feliciter poſſunt uti, præſertim in controverſiis de Communione ſub utraque, ſacrificio Miſſæ inprimis privatæ, Monarchia Papali, Purgatorio & aliis, prout Dannhawerus in Dionyſiaſtro, quem cum pluribus ei ſimilibus primæ Chriſtiados parti inſeruit per partes luculenter demonſtravit, hoc etiam inſigni exemplo docens, qua ratione Goliathi Romanenſis caput proprio ejus gladio ad Davidis imitationem poſſit amputari, quod pluribus etiam documentis oſtendit antehac Gerhardus noſter in Confeſſione Catholica nunquam ſatis laudata.

Obſervatio tertia de Apoſtolatu Lazari, Marthæ & Mariæ (vulgo) Magdalenæ.

QUem præter alios deſcripſit Baronius, Annalium Eccleſiaſticorum Pater vel Suppoſtor aut Corruptor, ad Annum Chriſti triceſimum & quintum ſcribens, Lazarum, Mariam (vulgo) Magdalenam, Martham & Marcellam (earum) pediſſequam, in quos Judæi odio majori exardeſcebant, non tantum Hieroſolymis pulſos eſſe, ſed una cum diſcipulo (quodam) Maximino navi abſque remigio impoſitos in certum (quaſi) periculum Mari fuiſſe creditos, quos Divina (ſingulari) providentia Maſſiliam (aliqui) tradunt adpuliſſe. Adverſus hanc traditionem, & quæ ab aliis, pluribus eidem porro adfinguntur. Launojus itidem varia edidit opuſcula, in quibus vanitatem ejus prolixiſſime expoſuit, ac contra Johannem Queſnæum fortiter defendit. Non præter rem erit, exinde etiam aliqua excerpere, ideo præſertim, quia citatus modo *Natalis Alexander* hanc quoque Quæſtionem in Diſſertationibus ſuis contra Launojum ſuſcepit ventilandam, ut relationem vel potius Narrationem Baronianam omni Veritatis ſpecie deſtitutam aliqua ex parte fulciret. Videamus, quo ſucceſſu; meretur enim hæc Quæſtio tractari, quia perſonas exhibet, in Codice Biblico Novi Fœderis celebratiſſimas. Et quidem Launojus primæ Diſſertationis duas conſtituit partes. Prior continet Rationarium

Digitized by Google

narium mille Annorum, demonstrans, à tempore Christi ad Annum usque millesimum à Græcis universim & Latinis traditum esse, Lazarum, Magdalenam & Martham obiisse in Oriente. Capite primo id probatur ex Authoribus Græcis, inter quos primum occupat locum Epiphanius, cujus verba de obitu Lazari postquam ex libri de hæresibus secundi capite post sexagesimum sexto, quod hæresin Manichæorum exhibet, descripsit Launojus, hæc de suo adjecit: Qua quæso in orbis parte hanc Lazari mortem contigisse veteres Græcorum traditiones docent. Num in Occidente, ubi cum nulla tam vetus de morte Lazari fuerit traditio, inde ad traditiones Orientalium transire non potuit? Recte autem dixeris in Oriente, cujus traditiones collegit Epiphanius. Primus sane mortis Lazari, & in tali orbis parte, & in tali vitæ termino nuntius ad loci traditionem spectat, ubi Sepulchrum Epitaphium & Translationem Lazari postea eernemus. Quin etiam si quis de suo aut ex inanibus recentiorum Scriptis Massiliensem vel alium quendam Episcopatum & Martyrium adfingat Lazaro, Veterum traditiones adulterabit. Sive enim Ætas prima, quam habuit Lazarus, cum exanimis ad vitam revocatus est à Christo, sive secunda, quam egit redivivus, consideretur, Episcopatum & Martyrium in Lazaro qualibet illius ætate multo fuisse notiora ac illustriora quis ambigeret? Hæc sane duo de recentiorum mendacio præjudicantur, cum nec Epiphanius de fortuna Lazari locutus, nec traditiones Majorum ista noverint ante Epiphanium. Huic succedit *Modestus*, Præsul Hierosolymorum, qui apud Photium in Bibliotheca, Codice post ducentesimum & septuagesimum quinto egregiam habuit ante annos mille & centum de Virginibus unguentiferis orationem, in qua Mariæ Magdalenæ Martyrium Urbi Ephesiorum abscribit. Exinde Launojus notat, primo: Quæ in Palæstina Modestum antecesserunt Historiæ, Magdalenam Ephesi vita defunctam tradiderunt. Secundo: Consignatæ Monumentis Historiæ eo loci fuerunt, in quo & ipsæ res gestæ. Tertio: Historiarum conditores, cum præcesserint Modestum, non potuerunt esse non æquales Magdalenæ, aut certe suppares; ex quo nonnisi de industria fallerentur, & alios fallerent. Sed istud sine piaculo quis crederet destitutus Antecessorum patrocinio? Quarto: Modestus acceptas à Majoribus historias cum & oratione & authoritate sua confirmet, aliam tunc in Ecclesia Hierosolymitana non fuisse de Magdalena traditionem liquet. Quinto: Hic author aliis sexcentis hac in parte ideo anteferendus est, quod cum ei tres Palæstinæ subjicerentur, & Vir egregie doctus esset, quinam his in locis obiissent Sancti, ignorare vix quiverit. Non ergo nituntur veritate, qui vexatam à Judæis Magdalenam nave conscensa Massilienscm portum adpulisse, ac inde in territorium Aquense profectam, ibique longo squalore confectam excessisse, recenti memoriæ prodiderunt. Nempe, quod domesticum & prius ab Hierosolymorum Christianis traditum, id falsum; quod vero extraneum & posterius immissum, id verum erit! *Tertius* est Leo Imperator, cognomento Philosophus, qui factis potius, quam verbis, optime tamen adserait veritatem hujus rei, dum Magdalenæ & Lazari reliquias non Massilia vel Aquis sextiis, sed Epheso & Citio transtulit Constantinopolim. De Lazari reliquiis testatur ex interpretatione Cardinalis Sirleti Menologium Græcorum, quod licet non ad modum vetus sit, veterum tamen Orientalium fidem & egregium Imperatoris facinus repræsentat. De Lazari autem & Magdalenæ reliquiis ab hoc Imperatore transtatis testatur Zonaras Tomo Annalium tertio, & post eum Cedrenus in Compendio Historiarum, & post utrunque Curopalates in Historia. Quamvis enim hi tres Historici aliquanto post seculum decimum floruerint, quia tamen id à Leone gestum narrarunt, ad hujus capitis Epocham consulto revocantur. Quod si quis post excessum Leonis corpus Lazari vidisset Constantinopoli; atque ex eo Lazarum fuisse quondam Antistitem Buzantinum collegisset, nonne quæso, ridiculus juxta ac ille fuisset, qui, cum nunc dierum alterum Lazari brachium Massiliæ se profitetur vidisse, Lazarum inde Massilienscm Episcopum fuisse concluſit. *Capite secundo* sistuntur authores Latini, quorum agmen ducit Gregorius

Tu-

Digitized by Google

Turonenſis, primi de Miraculis libri capite triceſimo, Mariam Magdalenam Epheſi quieſcere commemorans, qui tam diligenter copioſeque Sanctorum Galliæ & omnium nationum aliarum miracula conquiſivit. Si quis vero tunc de Lazari, Magdalenæ & aliorum in Provinciam adceſſu rumor fuiſſet vel leviſſimus, eumne credi debet prætermiſſurum fuiſſe Hiſtoricum adeo ſtudioſum, aut rem huic adceſſui contrariam Scriptis commendaturum? Hic ad Locos communes confugient Patroni fabularum, &, quidquid uſpiam peccavit Gregorius, adferent, ut ex iis hoc etiam in loco cenſeatur peccaſſe, ubi cum primis alioquin Eccleſiarum Orientalium traditionibus conſentit, & quod à Majoribus accepit, hoc etiam poſteris reliquit. Eum ſequitur Martyrologium Romanum, quod Ado Viennenſis ſervavit, & venerabile ac perantiquum adpellavit. Id vero excipit Beda in Martyrologio, quod ſub ejus nomine vulgatum eſt. Hunc proxime adſectatur Wilibaldus, Præſul quondam Aichtadianus, qui circa annum ſeculi poſt Chriſtum octavi quadrageſimum & quintum loca, uti vocantur, Sancta inviſit & vidit, quæ Gregorius Turonenſis de Sepulchro Magdalenæ recenſuit, quod legitur in Itinerario ſeu Vita ejus apud Henricum Caniſium parte Tomi quarti ſecunda lectionum antiquarum. Quinquaginta circiter poſt Wilibaldum annis Uſuardus Pariſienſis Monachus confecit Martyrologium, in quod Majorum traditionem de Lazaro & Magdalena & Martha derivavit. Poſt Uſuardum locus eſt Rabano Mogontunenſi, & qui coætaneus eſt illi, laudato Adoni Viennenſium Epiſcopo, & Provinciæ proximo, qui multorum inſtar poteſt haberi, eadem habens, quæ Beda. An vero potuit Ado hic Maſſilienſium, Aquenſium & totius Provinciæ opinionem, quam hodie quidam ingerunt, ignorare? An non debuit ſtatim reprehendi, quod Lazarum Maſſiliæ primum non fecerit Epiſcopum? In ſumma, quod hodiernas, ſi quæ tunc fuiſſet, Provinciæ traditiones, ne dilaberentur, non jecerit in Codicem Martyrologii? Dices fortean, illud Adonis incuriæ dandum eſſe, cum invidiæ nefas fuerit tribuere. Sed, quiſquis es, qui hoc fingis, tantiſper ſuſtine, donec expenderis præfationem authoris, in qua teſtatur, ſe hoc opus ſuum è collectis undequaque codicibus Paſſionum confeciſſe. Conſidera igitur, illos nihil continuiſſe, quod ad Magdalenæ & aliorum adventum in Provinciam ſpectaret; quidni enim alias Lazari, Magdalenæ & Marthæ Feſtivitates paulo latius ex iiſdem deſcripſiſſet? Quidni Magdalenam Aquis-ſextiis ſepultam dixiſſet? Quis enim Vir prudens, ubi ex omnibus locis & gentibus Martyrum agones & palmas Sanctorum conquiſivit, ſuorum aut vicinorum triumphos emiſit? Hinc nemo cauſabitur, uti puto, ſimplex illud eſſe abnutivum Epillerema, quo primam Majorum traditionem defendimus, & adverſus inanes recentiorum hiſtorias de novitate præſcribimus. Adonem porro ſequitur ejuſdem adpendix ad diem nonum & decimum Januarii, cui etiam ſuccenturiantur tria Martyrologia manuſcripta, unum ſub nomine Hieronymi vetuſtiſſimum, ſecundum Corbajenſe, tertium Sacramentario Remenſi adſutum, de quibus agit Hugo Menardus in Notis ad librum Gregorii de Sacramentis. His adjungitur Notkerus itidem in Martyrologio, quem excipit Menologium Græcorum & Martyrologium vetus S. Laurentii Bituricenſis, ac tandem claudit hanc Epocham Flodoardus, Presbyter Remenſis, in libri de Triumphis Sanctorum Palæſtinæ primi capite poſt viceſimum ſeptimo, è Codice manuſcripto S. Mariæ Laudunenſis. Nunc ediſſerant nobis, quæſo, qui ſtatuunt contrarium, cur Flodoardus in hoc loco, vel etiam alio, ubi de triumphis Sanctorum agit, qui ſuis certaminibus Gallias exornarunt, nihil de Epiſcopatu & Martyrio Lazari, nihil etiam de ejuſdem & ſororum ad portum Maſſilienſem adceſſu, nihil porro de Syrtibus enavigatis, nihil inſuper de tota navigatione ſtupenda cecinerit, cum vel ſola hæc aptiſſima ſcribendis verſibus materies videri potuerit? Quin potius Lazarum, Magdalenam & Martham unius Palæſtinæ Sanctorum numero adſcripſit, cum utrique ſaltem genti debuiſſet adſcribere. Fallor ego; nec enim illud de Flodoardo fas eſt ſciſcitari, cum fieri non potuerit, ut, qui veros Sanctorum triumphos caneret, adulteri-

nos perverſa religione fingeret vel excogitaret. *Tertium caput* exhibet rationes quaſdam ex Hiſtoria Eccleſiæ quæſitas, quarum prima ducitur ex prima Eccleſiaſticorum Galliæ Primatuum contentione, quæ in Concilio Taurinenſi fuit agitata, Arcadio & Honorio Imperatoribus. Quicunque igitur adcuratius apud ſe perpenderit, quanto fuerit incenſa ſtudio hæc controverſia, quæ inter Epiſcopos Narbonenſis ſecundæ mota eſt de Primatu Proculi Maſſilienſis Epiſcopi, qui ſeſe illius Provinciæ Metropolitanum geſſerat, vix ei dubium erit, quin, ſi vera eſſet Hiſtoria de adpulſu Magdalenæ in hanc regionem, & Lazarus ille, de quo loquimur, Eccleſiæ Maſſilienſis Sacerdotium adminiſtraſſet, id continuo in ſui juris defenſionem Proculus adtuliſſet. Quid enim aliud efficacius aut validius potuiſſet adferre? Nimirum, ſupra pleraſque civitates Urbi huic non deerat Majeſtas & ſplendor, cui & primus tanquam Epiſcopus adceſſiſſet Lazarus, & quidem ante, quam Religio Chriſtiana in alias penetraſſet urbes. Et quam, quæſo, Arelatenſium Codici credimus, rationem retinendæ contra Maſſilienſes & Viennenſes Metropoleos adducebat Epiſcopus Arelatenſis, niſi, quia primum Arelate Trophimus à Sede Romana deſtinatus fuit Epiſcopus? En, unicum Epiſcopi Arelatenſis præſidium! At, Trophimus hic, ſive is fuerit, qui, non primum à Gregorio Turonenſi, uti mentiuntur quidam, ſed à vetuſtiore Paſſionis S. Saturnini Scriptore dicitur in Gallias ſub Decio miſſus, ſive fuerit diſcipulus Apoſtolorum, quod tanquam verum diſputandi cauſa nunc ſuppono, neutiquam cum Lazaro comparandus eſt. Etenim, ſi ſpectes hominem, nonne Chriſtus eum à mortuis excitavit quarto poſt obitum (rectius, Sepulturam) die? Nonne Chriſtus apud illum ſæpiſſime diverſatus eſt? Nonne familiariter cum illo vixit? Si vero prædicationis Evangelicæ atque ad Provinciam adceſſus tempora conſideres, nonne Lazarus Trophimum, quicunque tandem is fuerit, annis pluribus antevertit? Ita, ut ex Maſſilienſibus primos Evangelii Satores longe ante Trophimum habere potuerint Arelatenſes. Vide nunc ac circumſpice, quantis & quibus prærogativis tueri ſe potuerit Proculus. Egone vero exiſtimem, Proculum, cui cætero qui multa Concilium Taurinenſe tribuit, Clerum, ordiuem, plebem quoque Maſſilienſem tam imbecillis fuiſſe judicii; Prudentiæ & Scientiæ tam exiguæ, ut, cum de privilegiis Eccleſiæ, de vera plurium Epiſcoporum ordinatione, de jure Primatus ageretur, id vel ultro tacuiſſent, vel turpiter ignoraſſent à quo coacta propemodum victoriæ cauſa penderet? Tacuerunt igitur, quod cum veritate dici, & ignorarunt, quod ſciri non potuit. Quis enim, quod non eſt, unquam ſciret, aut tandem aliquando ſcire poſſet? *Ratio ſecunda* ex aliis in Provincia rebus geſtis depromitur. Si Lazarus, qui tam frequenti hoſpitio Servatorem excepit, primus fuit Maſſilienſium Epiſcopus, ſi Magdalena & Martha tot virtutes & miracula in hac Regione Galliarum patrarunt, quot referunt Vincentius Bellovacenſis, Jacobus Genuenſis, Petrus Venetus, & alii id genus commanipulones, ſi denique, ut rem à principio arceſſamus, illi omnes in navem velis & remis carentem à Judæis conjecti, vaſtiſſimoque mari certum ad naufragium expoſiti, ſalvis tamen omnibus in portum Maſſilienſem adpulerunt, ac deinde prædicarunt Evangelium, & populos ad fidem Chriſti converterunt; qui per DEUM immortalem potuit fieri, ut primos ſuæ gentis Apoſtolos, & tales quidem ignorarent, aut cognitos nullo unquam præconio efferrent, nempe, ut Caſſianus tot operum piorum Scriptor, Salvianus in tot de Providentia DEI & Eccleſia libris, Victor Maſſilienſis Rhetor in Carminibus & Epiſtolis, Eucherius Lugdunenſis, Cæſarius Arelatenſis multarum de Sanctis Homiliarum editores, aliique Tractatores, nec pauci Eccleſiarum Magiſtri, qui de illa, uti loquitur Sidonius, Palæſtra Congregationis Eremiticæ ac Senatu Cellulanorum Lirinenſium prodierunt? Quæ profecto res cum hiſce Scriptoribus laudatis exciderit nunquam colligitur, eam quoque nunquam contigiſſe. *Tertia ratio* ex Gregorio Turonenſi, Adone Viennenſi & Freculpho Lexovienſi comparatur. Et quidem Gregorius libri Hiſtoriarum primi capite poſt viceſimum ſexto & ſequentibus, ex replicatis Veterum

An-

Annalibus initia religionis Chriſtianæ in Galliis, primos Fidei Satores, Propagatores, Cuſtodes, qui tunc ubique Provinciarum Gallicanarum noti ex authoritate Paſſionum & Vitæ merito colerentur, expoſuit; in libris etiam de Miraculis Sanctorum, deque gloria Martyrum & Confeſſorum varia ex omnibus orbis Chriſtiani partibus Miracula, Agones, Victorias, Triumphos recenſuit, nimirum, de Victore Maſſilienſi, Metria Aquenſi, Geneſio Arelatenſi, aliſque ſanctiſſimis Provinciæ hominibus gnaviter abundeque ſcribens, & tamen altiſſimum de Lazaro Maſſilienſi. Magdalena & Martha ubique ſilentium eſt. Scilicet, nondum erat natus, qui Navem & ejuſdem onus fabricaretur. Quid enim? Aquenſes Chriſtiani illuſtrium hominum geſta neglexiſſent, qui B. Metriæ, alias conditióne Servi, hiſtoriam adeo diligenter conſcripſerunt aqud Gregorium, libri de Gloria Confeſſorum capite poſt ſeptuageſimum primo? Cur Franco Aquenſium Epiſcopus, uti Metriæ, ſic etiam horum Virtutibus & Reliquiis hæreditatem Eccleſiæ ſuæ tutatus non eſt coram Sigeberto Rege? Cur poſtea, cum voti compos non factus eſt, ut Metriam, ſic hos etiam in ultionem injuriæ non advocavit? In ſumma, Franco Metriam advocavit, cujus & ſepulchrum habuit & reliquias, hos autem non advocavit, quorum nec ſepulchra habuit, nec reliquias. Ad hæc Gregorius libri Hiſtoriarum ſecundi capite itidem poſt viceſimum ſeptimo & ſequentibus res à Clodoveo tam impie, quam pie geſtas memorat, & comparatum adverſus Burgundiæ Regem in Provincia Bellum deſcribit, nec ullius meminit immunitatis, quam exædificato à Martha monialium Monaſterio Clodoveum conceſſiſſe fabulantur quidam in ea Regione, quæ, ut idem Gregorius ait, ad Regem Burgundiæ tunc pertinebat. Gregorio ſuccedunt Ado & Freculphus, qui in Chronicis cum primas Eccleſiarum Galliæ origines identidem ſignificarunt, de tota hac Magdalenæ & Marthæ hiſtoria & navigatione è Veterum Monimentis nihil quidquam adnotarunt. Abnutivum quidem hoc argumentum nullius eſſe ponderis facile concedam, ſi quod Gregorius, Ado, Freculphus tacuerunt, ab antiquioribus vel æqualibus, vel etiam ſupparibus dictum poſſit oſtendi: *Quarta* ex propagatæ Fidei Chriſtianæ ſtatu & conditione colligitur. Qui enim res Religionis Chriſtianæ, uti par eſt, noverunt, fieri vix potuiſſe arbitrabuntur, ut quo tempore Claudius & Nero Romanum regebant Imperium, populus Maſſilienſis & Aquenſis Fidem & Religionem Chriſtianam ſine ullo ſuſcepiſſet Martyrio. Aut ſane adferant, qui contra ſtatuunt, aliquam orbis Chriſtiani partem, quæ æque ac Provincia hæc Romanis fuerit vicina, in qua tunc ſine omni Martyrio ſic ſuſcepta ſit Religio Chriſti? Excutiant veteres Eccleſiarum tabulas, Martyrologia, Calendaria, & tunc Maſſiliæ vel unum Martyrem deſignent ante Victorem, qui ſub Diocletiano paſſus eſt. Quare miror inſcitiam & ſtuporem eorum, qui, cum Acta Magdalenæ & Marthæ confingerent, aliquos in iis Martyres à tanta Chriſtianorum copia non fecerint, quantem tunc volunt fuiſſe. *Quinta* ſumitur ex Odone Cluniacenſi, qui Seculo poſt Chriſtum decimo vixit. Nemo quippe Poetarum & Tractatorum neſcit, quin, quæ de Magdalenæ è Judæa in Provinciam adpulſu & cæteris illius geſtis vulgo dicuntur, ampliſſimum ſit ſcribendi vel ſoluta, vel ſtricta oratione argumentum, præſertim ubi quis ad populum concionatur. Cum itaque odo in Sermone ſat longo, quem de Magdalena & rebus ab ea geſtis habuit, atque in Hymno, quem de eadem confecit, quemque Cenſores Romani ſub Clemente Octavo reformarunt, nihil de tot tantiſque rebus ſignificet, hæc omnia ad hoc uſque tempus ignota fuiſſe, non immerito quis conjiciet &c. Quod autem de Odone nunc obſervavimus, id de Petro etiam Clunicacenſi Abbate licet obſervare, qui itidem in Hymno, quem in B. Magdalenæ laudem compoſuit, ſed ea omnia Silentio prætermiſit, quæ vulgo de ea referuntur. At vero, quia ſunt idonea Carminis materies, ſilenda non erant, ſi, quæ in Actis ejuſdem hodie traduntur, tunc fuiſſent cognita, præſertim & inprimis, quia Monaſterium Cluniacenſe non tantopere diſtat à Provincia. *Sexta* porro comparatur ex quatuor Viris illuſtribus, qui Ser-

mones & Homilias de B. Magdalena ediderunt. Sunt illi Gregorius M. Petrus Damianus Bernhardus, Johannes quidam, cui in Bibliotheca Floriacensi duæ de Magdalena Homiliæ adscribuntur. Hi Tractatores, qui diversis vixerunt temporibus nihil adtingunt eorum, quæ Marcella, Marthæ pedissequa, de gestis ejusdem & Magdalenæ apud Vincentium Idiomate Ebracio conscripsit. Quin autem illa, si aliqua niterentur Veritate, argumentum essent multorum Sermonum & Homiliarum amplissimum, nullus merito potest dubitare; & qui negaret, hoc ipso probaretur illa non vidisse aut legisse Acta. Quis autem unquam de re tanta vidit tantum, tam generale, tam contumax per Annos à Christo plus-quam mille Silentium, idque in iis maxime, qui Conciones ad populum habuerunt? Vel nulla unquam valuit insitialis conjectura, vel ipsa valet necessario, efficitque, ut Commentarii Marcellæ in ordinem fabularum redigantur & relegentur. Sed forsan aderint, qui, quidquid fieri more Scholastico non repugnat, id statim posthabitis rerum, personarum, temporum & locorum circumstantiis factum fuisse divinabunt; vel qui ex suorum communium locorum penu proferent, multa seculis posterioribus aperiri, quæ prioribus fuerant occultata. Quid tum vero? Quisquis ille fuerit, qui sic in rebus Historicis putat differendum meminerit quæso Regularum, quibus apud antiquos Tertullianus, apud recentiores Baronius verum à falso secernunt. Ille quidem in libri contra Marcionem quarti capite quarto sic scribit: *Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur, & præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur.* Hic autem in Adparatus capite post decimum secundo hæc habet: *Quod à recentiore de rebus antiquis sine alicujus Vetustioris authoritate profertur, contemnitur.* Ad hasce regulas tanquam ad certum pugnæ scamma decertandum est, &, qui pedem extra moverit, fugæ reus & adferendæ falsitatis author necesse est habeatur. *Quartum caput* tradit quasdam ad hæc antecedentia observationes, quarum prima est: Ex prima constantique per mille Annos traditione habetur, Lazarum, quem Christus à mortuis excitavit, & Magdalenam obiisse in Oriente. Quare, qui nuper è traditione Gallicana scripserunt contrarium, aut veram traditionis notionem ignorarunt, aut alios eam ignorare putarunt. In uno cum Ecclesiæ Gallicanæ adfingant falsum, injuriam ei faciunt non mediocrem, & suis insuper Scriptis fidem detrahunt & authoritatem; in altero de Eruditione aliorum sine justa causa paulo abjectius opinantur. Ut omittantur iterim Sigebertus, Martinus Polonus & Martyrologium Romanum, quibus, quod volunt, audacter imponunt. Huic materiei convenit præclare illud Tertulliani in Apologetici capite post decemum nono: *Religionis est instar fidem de temporibus adferre.* Secunda: Qui Lazarum in Oriente de functum, & ejus reliquias ab una Urbe in aliam translatas, & Templa eidem erecta Historiæ commendarunt, nullius eum seu in Gallia, seu in Insula Cypro Ecclesiæ Præsulem fecerunt. Ergo, qui postea eum fecerunt Episcopum & Martyrem, id non ex Veterum Commentariis, sed ex suo fecerunt, cum tamen sine illis sapere hac in parte Historici sapientis non est, neque Scriptoris Christiani, qui supra cæteros mortales abhorrere debet à mendacio. *Tertia*: Nostra de rebus istis traditio usque adeo constans est atque vera, ut ex Authoribus Græcis & Latinis nihil penitus queat objici. Itaque Martyrologus Gallicanus (*Andreas Sanssagus*, qui itidem in opere de Mysticis Galliæ Scriptoribus Apostolatum Dionysii Areopagitæ Gallicanum quoque post alios plures susceptit defendendum) liberandæ fidei voto adæque solutus est, quo apodicticos pro Lazaro & Magdalena, & pro Martha Commentarios est pollicitus; quod enim polliceretur, an effici liberum esset, tunc non satis cogitate perdendit. *Quarta*: Martha perinde ac Magdalena excessit in oriente, tametsi Marthæ in hac Mundi parte excessus extra Martyrologia non tam disertis Veterum testimoniis confirmetur. Verum hoc nihil aut parum refert. Etenim, qui mortuam in Gallia Narbonensi Martham memoriæ produnt, non alia id probant ratione, quam quod Martha & Magdalena unum & eandem conscenderint Navem, atque sic in Massiliæ portum penetrarint ambæ. At vero,

cum

Digitized by Google

cum iſtud in Magdalena ſit fabuloſum, in Martha verum eſſe non poteſt. Etenim, quæ de Lazaro, Magdalena & Martha, deque eorum è Judæa in Provinciam navigatione circumferuntur, ſic à ſuis Authoribus eadem narratione connectuntur inter ſe, ut uno labefactato cætera propemodum omnia concidant. *Quinta*: Adjuncta Veterum Monimentis Martyarologia licet noſtram idoneè probent Adſertionem, ſi, quæ ad Martham ſpectent, conſiderentur; ea tamen in eum finem potiſſimum ſunt adducta, ut, quæ in parte Diſſertationis poſteriore Martyrologiis recentiorum ſuccreviſſe deprehenduntur, ea tanquam nova & ab antiquiori Traditione diſſona eo facilius expungantur, atque in tenebras ignorantiæ, unde fuerunt eruta, retrudantur. *Sexta*: Nullum Græcorum Menologium, nullum Latinorum Martyrologium, nullus ſive ex occidente Scriptor, qui ad tempus præſtitutum pertinet, de ullo meminit Maximino, qui ex Diſcipulo factus fuerit primus Aquenſium Antiſtes, qua etiam de re nulla nobis eſſe poteſt cum quoquam diſceptatio. Qui enim Maximinum hunc Magdalenæ ducem ſeu comitem fuiſſe volunt Aquenſium Antiſtiten, non ex aliis id conficiunt Authoribus, niſi qui quingentis circiter abhinc Annis vixerint, hominum otioſorum Somnia in ſuos redegerint Commentarios. *Septima*: Reſponſionibus volaticis & locis communibus, quibus ut albo lapide & alba linea eludi ſolent Authores, boni, & deductæ ex iis rationum complexiones, via eſt intercluſa, ſtadiumque certandi definitum, ac ſuum inſuper momentis in hiſtorica abnutivis robur adſertum, quæ nimirum ex multiplici ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam animadverſione ſunt deducta. *Octava* tandem & ultima: Hæc prior pars Diſſertationis ad principes, quæ tertio ejuſdem capite ſunt ſtatutæ, inveniendi adſerendique veri regulas ita eſt exacta, ut jure cum Tertulliano dicere liceat, contra recentiores fabularum fautores: *Poſterior res noſtra non eſt, imo, prior omnibus. Hæc erit teſtimonium Veritatis, ubique principatum occupantis; ab Apoſtolis utique* (ab Authoribus in primam Traditionem inſtitutis) *non damnatur, imo defenditur. Hoc erit indicium proprietatis.* Cæterum, ſi Authores notæ fidei & nominis Epiphanio, Methodio, Gregorio & Scriptore Itinerarii vel Vitæ Wilibaldi vetuſtiores, vel iis æquales aut tempore proximi in medium adducantur, qui contra ac illi de Lazaro &c. ſcripſerint, id eſt, qui Lazarum &c. in Provinciam veniſſe dixerint, quomodo Marcella, Marthæ pediſſequa in ejuſdem & Magdalenæ geſtis memorat, iis adſentior prorſus. Non enim examinabo, quod tamen neceſſario foret examinandum, quinam inter eos debeant præferri, etiamſi parato mihi aut adſenſum negare, aut ſuſpendere judicium, cunctationis & moræ juſta naſceretur ratio. Hoc jure decedam, ut vel leviſſima ſtudii partim ſuſpicio removeatur à me. ſcribit Launojus. Excipio autem hac in cauſa Chronicon, quod recentiores, quidam Hiſpani, Antiquitatum falſarum amantiſſimi Flavio Dextro ſubjecerunt, occaſionem nacti ex Hieronymo, qui in Catalogo Virorum illuſtrium alicujus Dextri meminit, qui omnimodam texuerit Hiſtoriam; aliud enim eſt Hiſtoria omnimoda, ſi confecta eſt unquam, aliud vero Hiſtoriæ omnimodæ Chronicon. Præterea, aliud eſt Hiſtoriæ omnimodæ Chronicon, aliud vero Chronicon, in quo multa de rebus Hiſpanicis, pauca autem de cæteris narrantur, eaque omnia novitiis interſperſa adinventionibus. De cætero, hic liber, ex quo editus eſt, in conſeſſu Virorum gravium nec unquam comparuit, nec etiam auderet comparere. Certe, Sirmondus, Petavius, Rigaltius, Grotius, qui & quales Vici, dicebant, librum hunc non eſſe Chronicon Hiſtoriæ omnimodæ, uti inſcribitur, ſed potius Chronicon fabulæ omnimodæ inſcribendum eſſe. Id generis eſt Juliani, Archipresbyteri S. Juſtæ Chronicon-Hiſpanus, qui illud edidit, præfigendum illi honori ficum aliquod teſtimonium quæſivit à Sirmondo; qui vero reſpondit, dare ſe aliud non poſſe, præterquam, quod Author eſſet de Theſauro proferens nova & vetera. At recuſavit hoc teſtimonium Hiſpanus. Sic Gallus importunam Hiſpani petitionem eluſit. Commodum hoc, breve & acutum Sirmondi dictum perire non debuit, quo Vir Eruditione ſumma & ſagacitate pari præditus & ſuæ conſuluit Famæ &

nihil, vel immutando, vel detrahendo ad proprium redegit morem. Itaque ficut, cum Uſuardi Martyrologium & dicimus & laudamus, de aliis, quæ ſecutus eſt Uſuardus, non cogitamus ſic etiam cum Romanæ Pariſienſis vel alterius Eccleſiæ Martyrologium dicimus & citamus; nihil eſt, cur ea Martyrologia, quibuſcum alioquin convenit, nominatim intelligamus. Cum igitur Eccleſiarum diverſarum Martyrologia in eadem re inter ſe, & cum eo, quod ab initio eſt traditum conſentiunt, nullus opinor ibit inficias, quin eruta ex illis ratio habet invictum robur & fundamentum. Hæc autem cum ita ſint, tria nunc obcurrunt, quæ non ſine cauſa obſervantur. Primum, quod Martyrologia ante laudata veterem aptiſſime retineant traditionem, & cum in Lazaro & Magdalena locum mortis non ſignificent, nullo flectantur in eam partem negotio, quæ à Modeſto, Gregorio & aliis ſpeciatim eſt expreſſa. Secundum quod dies Marthæ non perinde ſtatus ſit, ac Magdalenæ, quæ diverſitas in diverſis Eccleſiis ſolam, ni fallor, officii recitandi reſpicit opportunitatem, non vero diem obitus aut locum, qui perſpicue definitur Hieroſolymis; quæ autem ea de re tacent Martyrologia, ad illa quæ loquuntur, ſunt revocanda, atque ex ore illorum mutis vox inſpiranda eſt. Tertium, quod in illis omnibus, quæ adducta ſunt Martyrologiis nullus uſquam compareat Maximinus, qui primus Aquenſium dicatur Epiſcopus. *Capite ſecundo* hoc de Maximino proſequitur Launojus, & oſtendit, ante annum ſeculi ſuperioris ſeptuageſimum & ſextum omni retro memoria in Martyrologiis Romanis incognitum fuiſſe hunc Maximinum, qui in ſubdititiis Magdalenæ & Marthæ geſtis adpellatur Epiſcopus Aquenſium. Hoc demum anno in Martyrologio Romano quod edidit Galeſinius, aliquem occupavit locum, Baronio addente ex traditione, eum fuiſſe ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, cujus res geſtæ intextæ habeantur in actis S. Marthæ & Magdalenæ, de quo etiam Petrus agat in Catalogo & Demochares in tabulis Epiſcoporum Aquenſis Eccleſiæ; alibi etiam de actis ſub nomine Marcellæ extantibus obſervante, quon revera magis recentem præ ſe ferant Scriptorem, licet multa contineant, quæ non Scriptis tantum, ſed etiam traditione firmentur. Inſuper ſcribit Launojus porro, & illud obſervatione ſumma dignum eſt, quod in Aquenſis Eccleſiæ Litaniis, quæ in libro ejuſdem ordinario ſunt editæ anno poſt Galeſinii Martyrologium proxime ſequenti, nullus omnino legatur Maximinus. An vero factum temere, ut precibus his Dionyſius Pariſienſis cum ſociis, & Victor Maſſilienſis itidem cum ſociis invocarentur, non autem Maximinus, ſi olim creditus fuiſſet Aquenſis Epiſcopus, judicent Viri egregie cordati. Quis namque Eccleſiam viditullam, quæ primum Epiſcopum ſuum, ſi habeatur Sanctus, non invocarit in Litaniis ſuis? Annon Romana Petrum, Toloſana Saturninum, Lemovicenſis Martialem, Turonenſis Gratianum, Pariſienſis Dionyſium orat vel invocat in Litaniis ſuis? Profecto, id non facere, id eſſet tam ingratum, quam quod ingratiſſimum. (N. B. Launojum hic etiam ſcripſiſſe ſecundum hypotheſes Romanas.) Hoc vitii genus non auderem Eccleſiæ Aquenſi tribuere, quæ in veteribus litaniis ſilet de Maximino. Qui vero primus has digeſſit Litanias, homo non Hungarus, vel Polonus fuit, ſed, uti opinor, Aquenſis, vel ſaltem Aquenſis Eccleſiæ diſciplinis innutritus, ac eam ob cauſam, quæ tunc eſſet hujus Eccleſiæ circa primum Epiſcopum ſuum traditio, non potuit ignorare. Cur autem id ita contigerit in Eccleſia Aquenſi, ratio in promtu eſt, eaque meo quidem judicio certa. Scilicet, Litaniarum Aquenſium ordo ille compoſitus primum ante, deinde prælo mandatus eſt, quam ullus ibi naſceretur erroris interpolator. Quid enim aliud dici poteſt, ſi res ſuis libretur ponderibus? Cum igitur Saleſinius Maximinum inſeruit Martyrologio, non id quidem addidit, quod veterem Martyrologiorum traditionem & ſenſum proprie mutaret, ſed quod veterum Martyrologiorum & propagatæ ab initio per annos mille traditionis præſidio deſtitueretur. Nempe ad diem decimum & ſeptimum Decembris hæc duo in Lazaro adjunxit Martyrologio, quæ cum explorata jam traditione non conſentiunt, videlicet Epiſcopatum & ejus locum. Et qui adhuc anno antecedente

dente quadrageſimo & nono in Martyrologio Romano nondum erat Epiſcopus Maſſilienſis, poſt annos viginti factus eſt per Galeſinium. Quæ vero ad Magdalenam & Martha m ſpectant, ea, prout edita fuerant in editione priori, reliquit ſine additione. Sed quod Baronius poſtmodum Commentariis illuſtravit, & hoc Galeſinii in duobus diſſident inter ſe. Unum eſt, quod in priori Magdalena & Martha nondum in Gallia ſedem habent, quam habent in poſteriori; alterum quod in poſteriori vertitur in dubium, an Maximinus fuerit Chriſti diſcipulus, in priori autem habetur exploratum. Ex ſola hac diſcrepantia manifeſtum eſt, errare eos oportere, qui ab antiquis & primis traditionibus recedunt. Nec vero, ut Baronius iſta confirmet in Notis, ea producit, quæ annos ſuperent quingentos. Quod autem pro Lazaro Maſſiliæ Epiſcopo laudat Bedam, Uſuardum & Adonem, pace ejus dixerim, id tam apud illos reperitur, quam apud Virgilium Poetam. Tertium præterea Martyrologium, quod adverſam Hiſtoriæ & Traditioni veræ recepit additionem, Franciſcanus quidam edidit & recognovit Rothomagi anno itidem ſeculi ſuperioris ſeptimo. At Corrector ille Natalem Magdalenæ mutavit in ejus converſionem, & Magdalenam fecit peccatricem, contra quam cætera fecerunt Martyrologia, addens quædam ex furtivis Magdalenæ & Marthæ geſtis, quæ refert Vincentius, quæque laudat Baronius, qui incautus priſcam retinuit traditionem, quæ cum additamentis ſuperioribus nihil aut parum concordat. Quartum adcedit Martyrologium, quod anno ſeculi ejuſdem poſt ſexageſimum octavo edidit Franciſcus Maurolycus, Abbas Meſſanenſis, qui omnes has novitates admiſit auxitque, ſeductus à Marcella, uti & à Vincentio, Jacobo Gennenſi & Petro Veneto, hoc uno ſignificans, quantum ſit illius judicium & quanta eruditio in Diſciplina Eccleſiæ, quando Marcellam in Illyrico Evangelium prædicaſſe ſcripſit. Licet enim id factum eſſet, poſito etiam, quod ingenti volumine Hebraico vitam B. Marthæ conſcripſerit, tanti tamen illa non fuit Galeſinio & Baronio, ut locum aliquem in Martyrologio Romano conſequeretur. Tandem ultro quintum ſe objicit Martyrologium, idque Gallicanum, quod veſtigia Maurolyci ſtudioſiſſime relegit, aliorumque novitates multis partibus locupletavit, ex Marcella, Vincentio, Aurea (rectius, plumbea) legenda, & Petro, ſermone quidem non æque impolito, ſed ſenſu non veriori; dum alias in Hiſtoria non cultus orationis, ſed potiſſimum Veritatis deſideratur. Qui enim, quod falſum eſt, artificio purioris Latinitatis in verum iri mutatum ſperaret, ne ille non è Judæa in Maſſiliam, uti Magdalena cum ſociis, ſed Maſſilia naviget Antiegram neceſſe eſt. Tria autem ſunt in hoc Martyrologio, quibus Galeſinii & Baronii Martyrologium excedit. Primum eſt, quod Lazarus per Chriſtum redivivus bis in Gallia, quam vidit nunquam, moriatur vel mortuus memoretur, ſemel ad diem primum Septembris, iterum ad decimum & ſeptimum Decembris. Secundum, quod Lazarum faciat martyrem. An vero fuerit martyr, Galeſinius & Baronius non adfirmarunt; Petrus autem Venetus eum fecit Confeſſorem. Sed Proſa, quæ proximo capite laudabitur, numero martyrum adſcribit. Verum locus martyrii ibidem dicitur eſſe non Maſſilia, ſed Inſula Cyprus. Tertium, quod Marcellæ locum inter Sanctos Galliæ concedat, quem illi in ſuis martyrologiis negarunt, authorem inter cæteros habens Maurolycum, quem Galeſinius & Baronius tacite rejecerunt. *Capite tertio* Maximini & Lazari Epiſcopatus inter ſe quoad utriuſque tempus committuntur. De iis ſic Launojus: Epiſcopatus Maximini antiquior eſt in Gallia, quam Lazari in monumentis quorundam ſubdititiis. Etenim in geſtis Marthæ & Magdalenæ, quæ refert Vincentius, nec Epiſcopatus, nec adeo nomen Lazari reperitur; atqui in iiſdem Maximinus Aquenſium eſt Epiſcopus, cui B. Petrus Magdalenæ cuſtodiam commiſerit. Poſt hujus authoris ætatem Lazarus demum conſcendit navem Magdalenæ, in Provinciam adpellit, & Maſſilienſium creatur Epiſcopus; quæ omnia poſt annos fere centum ſibi etiam vindicavit Petrus in Catalogo Sanctorum. Lazarus idem, quem nullus unquam Scriptor antiquus habuit pro Epiſcopo & martyre, ut in antecedente primo capite hujus ſecundæ

par-

Digitized by Google

partis fuit oſtenſum, quingentis plus minus abhinc annis primum in inſula Cypro, deinde in Gallia Narbonenſi Epiſcopus & martyr eſt habitus. Honorius certe Auguſtodunenſis Presbyter Sermone in Ramis Palmarum de Epiſcopatu ejus Citienſi rumorem primus, aut ſaltem unus è Scriptoribus primis memoriæ mandavit. Adfingendi autem Lazaro Epiſcopatum in Cypro facilis cauſa fuit ex eo, quod reliquiæ ejus ex hac Inſula Conſtantinopolin tranſlatæ ſint ab Imperatore Leone, qui nomen Philoſophi obtinuit. Verum hoc loco figmentis alia revinci poſſunt figmenta, ex ætate & authoritate Honorii, qui, uti Trithemius ſcribit, ad annum ſeculi poſt Chriſtum duodecimi viceſimum floruit. Martyrologium namque Gallicanum die viceſimo & ſexto Octobris reliquias S. Lazari Maſſilia tranſlatas apud Æduos circa annum ſeculi poſt Chriſtum decimi quinquageſimum ſeptimum, tum alias ibidem die viceſimo Octobris relevationem corporis S. Lazari Epiſcopi & martyris factam ſub Ludovico Rege hujus nominis ſeptimo exhibet verboſius; quæ omnia breviori quidem, ſed non veriori oratione dixerat Robertus in Gallia Chriſtiana. Componantur vero hæc, & videatur tum, utrum, quæ relata ſunt ex Honorio, Honorius ſcripſiſſet, ſi primum talis aliqua obtinuiſſet opinio in Gallicana Eccleſia, Lazarum rexiſſe Eccleſiam Maſſilienſem; deinde ſi Auguſtodunenſes Lazari reliquias pridem habuiſſent ex hac Eccleſia, cujus fuiſſet olim Epiſcopus, &, ſi ſuo tempore relevatæ, uti amant loqui, fuiſſent, annon ex occaſione hac oblata in laudes Lazari & piam ejus commemorationem excurriſſet, cujus corpore nobilitaretur Eccleſia Auguſtodunenſis. Scilicet, nondum erat annus ab ætate Honorii quinquageſimus, quo rumor increbuit, Lazari reliquias eſſe Auguſtoduni. Hoc ex Chronico quodam adbreviato habetur quod licet in Bibliotheca S. Victoris inter opera Hugonis reperiatur, non eſt tamen Hugonis, niſi dicatur auctum, & dignoſcatur auctarium; deſinit quippe in annum ſeculi poſt Chriſtum duodecimi nonageſimum, quem Hugo ante annos quinquaginta rebus humanis exemtus attingere non potuit. Unde autem huc advenerit corpus Lazari, nullo certo prodit indicio hoc Chronicon, vel ejus auctarium, nec inſuper ſignificat, Lazarum fuiſſe vel Epiſcopum vel Martyrem, quod ab aliis poſtea fuit ſignificatum. Falſi quippe rumores ex parvis naſcuntur initiis, atque in magnas tandem fabulas adoleſcunt, quibus & ipſi Sapientes, ſi quando non caveant ſibi, & aures & calamos adcommodant. Ex incerta certe fama, cujus meminit Honorius Auguſtodunenſis, illa ortum habere videtur Proſa, quæ in vetere officio Eccleſiæ S. Lazari, quæ eſt ad Lutetiam Pariſiorum. Atque ita fit, ut, quo die Lazarus in ſuburbio Pariſienſi Epiſcopatum in Cypro geſſiſſe, & Martyrium compleviſſe dicitur, eodem & in Urbe Epiſcopus Maſſilienſis adſeratur ab iis, qui Breviarii Pariſienſis lectiones recitant, aut ab annis centum & ultra recitarunt. Ab iſto nimirum tempore quæ lectiones ex Decreto Senonenſi & Tridentino debuiſſent expungi, tunc occuparunt Breviarium Pariſienſe. An autem, ex quo Lazarus iſte cœpit haberi Maſſilienſis Epiſcopus, id genus Carminis fuerit compoſitum, quis credet, cum iſtiuſmodi Carminum Authores gentis ſuæ opinioni ſeſe ſoleant adcommodare? His adcedit Villamontius libri Peregrinationum ſecundi capite ſeptimo, qui, cum in Inſula Cypro verſaretur, & Citio, quod eſt oppidum Cypri, tranſiret, vidiſſe ſe Templa ſcripſit antiquiſſima ex populi traditione in honorem S. Lazari Citienſis Epiſcopi ædificata. Verum hæc loci traditio, quanquam ſit antiquior Maſſilienſi, à veræ tamen traditionis natura deficit, cum nullum ſupra annos abhinc ſexcentos teſtem ſui habeat idoneum, neque cum vetuſtis de Lazaro Græcorum teſtimoniis conveniat. Etenim, cum Epiphanius in Cypro Epiſcopus, Zonaras, Cedrenus, Curopalates & Menologia Epiſcopatum Lazaro non tribuant, quis cum illi poſtea poſſit tribuere prudenter, qui Nicephoro etiam fuit incognitus, tametſi de ipſomet Lazaro ſpecialia quædam narraverit libri Hiſtoriarum primi capite poſt viceſimum quinto? Equidem in Urbe Citienſi, ex qua corpus Lazari tranſlatum fuit Conſtantinopolim, erecta in honorem illius Templa fuiſſe non dubito, ſcribit Launojus, & illa quæ peregrinanti-

bus ſunt oſtenſa, vetuſtiſſima eſſe credo facile; ſed quibus progreſſu temporis Lazaro ex occaſione reliquiarum vulgus adfinxit Epiſcopatum Citienſem. Utrum vero id carminis à Cypriis Galli, cum rerum in Inſula potirentur, acceperint vel non, haud anxie quærimus, cum ubique ſemper fuerint, qui ſimiles Verſus & Hiſtorias ſcriberent. Miſſum facimus Rainerium, qui in libri contra Waldenſes capite primo Lazarum fuiſſe quidem ſcribit Antiſtitem, ſed cujus Eccleſiæ non meminit. Jacobus vero Genuenſis, qui auream compoſuit Legendam, atque poſt illum Philippus Cabellicenſis Epiſcopus, qui circa medium ſeculi poſt decimum quarti Apologiam pro Prædicatoribus S. Maximini contra Monachos Viteliaci ſcripſit, primi, aut ſaltem inter primos Lazarum in navem Magdalenæ cum aliis conjecerunt, eique de Eccleſia Maſſilienſi providerunt; quæ res poſtmodum, uti ex ſe viſa eſt præclara, in Sanctorum martyrum Topographiam, quæ Neapoli recognita ante hos centum annos & amplius prodiit, item in Catalogum Sanctorum, quem Petrus Venetus contexuit, porro in Compilationem Chronologicam, quæ ſeculo poſt decimum quinto fere finitur, quin tandem quoque in ultimam Philippi Bauſſeti, Canonici Maſſilienſis de Lazaro Panegyrin, atque ſic conſequenter in mille alios Scriptorum recentium Commentarios, adeoque etiam in martyrologium (Andreæ Sauſſaii) Gallicanum rapida quadam & effuſa adluvione tranſivit. Quoniam vero aliqui ex recentioribus Vincentium, Jacobum & Petrum citare non audent, utpote quos non raro quiſquilias volantes & venti ſpolia collegiſſe hominum literatorum nemo negat, ſuam ſic artem in exitium Veritatis occultant, atque ex futilibus, quas illi referunt, hiſtoriis ad libidinem alia rejiciunt, alia retinent, alia Latinitate donant comtiori; quod ſane & pro ſuo & ſimilium Scriptorum jure; qui geſta Sanctorum ad primam ſui originem non recenſent, poſſunt facere. Scilicet! Quaſi vero ex aliqua narratione, quæ tota veris Hiſtoriæ & Traditionis legibus debet rejici, ſi aliud auferas, aliud immutes, aliud expolias, nitatur Veritate, quod tibi placebit, atque in certa poſitum ſit traditione, quod tu ſcripſeris eſſe traditum! Non igitur tibi liceat nomen traditionis ſemper uſurpare, cum, quid ipſa ſit, quidve valeat vel poſtulet, ignores aut fabulandi cauſa diſſimules. Quæ enim corrupta ſunt aliquando Sanctorum acta, non ad cujuſlibet vertiginis calculos, ſed ad vetuſtiora & puriora exigi debent exemplaria, adcumulante tunc, ſi velis, conjectura, ſed quæ nihil à recto & bene morato alienum ſapiat judicio, & præterea primis Eccleſiarum traditionibus adglutinetur. *Caput quartum* ſequitur, quod multiplex de Martha & Magdalena recenſet figmentum atque explodit. De Magdalena, inquit Launojus, multa non minus apud recentiores Græcos, quam apud Latinos contra veritatem ſunt narrata. Et quidem Græci ſuas partim ipſi rejecerunt, partim Latinis rejiciendas reliquerunt fabulas. Unam narrat Michael Glycas in tertia Annalium parte & refellit, nempe Colloquium Magdalenæ cum Galeno ſuper ſanatione cæci à nativitate per Chriſtum. Alteram recenſet Conſtantinus Manaſſes de Magdalena Judæos ob Chriſti necem Romæ apud Tiberium Imperatorem adcuſante. Inter Latinos Goffridus Vindocinenſis in Sermone de Magdalena primus eſt, qui recepit in ſe, quod nonnihil ſapit incerti, videlicet, de ultroneo Magdalenæ exilio, non tamen ſignificans, quorſum iverit Magdalena. Huic æqualis adcedit Honorius Auguſtodunenſis, in Sermone de Magdalena referens, quod in ſpeluncam ſe contulerit, ubi autem ea fuerit, non indicans. His commodum adjungendus eſt Author Chronici adbreviati ſupra citatus, de Lazaro narrans, quod Magdalenam ſecum abduxerit in Urbem Aquenſem, ibique eam ſepeliverit, addens tamen, eſſe, qui eam Epheſi quieſcere dicant. Atque hi ſunt primi fontes erroris, primæ quæ fabularum origines, quas Vincentius Bellovacenſis in ſpeculum, Hiſpani fabulatores in furtivum Dextri Chronicon, Jacobus Genuenſis in auream vel plumbeam potius Legendam, Bernhardus Guidonis in Speculum Sanctorum, Philippus Cabellicenſis in reconcinnatam à ſe Hiſtoriam Magdalenæ, Antoninus in Partem primam hiſtorialem, Petrus autem Venetus in Catalogum Sanctorum derivarunt,

unde

Digitized by Google

unde poſt in quarundam Eccleſiarum officia, Kalendaria & martyrologia irrepſerunt; quod tamen non publico ullius privatæ, nedum univerſalis Eccleſiæ judicio contigit, verum ſola privatorum hominum quorundam opera, qui non ſemper, quid veri & certi, ſed, quid ſplendidi & plauſibilis habeant, quæcunque ſcribuntur vel leguntur, inquiunt & obſervant. Neque vero hæc dicuntur, ut illis Authoribus quidquam debitæ laudis detrahatur. Minime gentium. Sed profecto de Veritate, Eccleſia ac poſteris bene meriti fuiſſent, ſi Canonum Eccleſiaſticorum memores non feciſſent ſua, quæ nugatores obſcuri compoſuerunt ex falſo, vel quæ de ambiguitate ceperunt; præter hos enim Authores ex antiquioribus notum habent neminem, qui in teſtem vulgarium Marthæ & Magdalenæ poſſit laudari. Quid autem nunc porro ad Vincentii & Sectatorum dedecus ex geſtis Maximini, Marthæ & Magdalenæ referam, ſcilicet Chriſtianorum plures, quos Judæi vexaverant, cum Maximino, Martha & Magdalena Navem conſcendiſſe, Trophimum Arelatenſem, Paulum Narbonenſem, Saturninum Tholoſanum, Martialem Lemovicenſem, Eutropium Santonenſem, Julianum Cenomanenſem, Auſtregiſilum Bituricenſem, Gratianum Taronenſem, Irenæum Lugdunenſem, Ferrucium Veſontionenſem, Eutropium Aranſianum, Frontonem Petragorienſem, Gregorium Vellannenſem, Dionyſium Pariſienſem, cui & in ipſa Navis conſcenſione tota commiſſa ſit Gallia? quid commemorem homines ſanctiſſimos, quos finibus propriis expulit gens immanitate barbara, omnes in Gallia ditatos Caſtellis, villis, urbibus, Eccleſiis & dotibus ampliſſimis? Quid Ducem Maſſiliæ & ejus Conjugem, quos Magdalena ad religionem Chriſti prædicatione ſua pellexerit, atque ad invitenda Palæſtinæ loca ablegaverit? Quid Petrum Apoſtolum, qui in medio navigationis curſu Duci Maſſiliæ proceſſerit obviam, ac illum de recenti uxoris morte in puerperio ſit conſolatus, inſuperque promiſerit, itineris reſidui comitem ſe futurum, poſt cum in Palæſtinam introduxerit, & demum, ubi Chriſtus fuerat paſſus, mortuus & ſepultus, humaniſſime oſtenderit? Quid præterea Ducis defuncti Conjugem, quæ precibus Magdalenæ ad vitam non minus, quam Vir illius, ſed per aliam omnino viam loca hæc Sancta viſitatum iverit cum ipſa Magdalena? quid mutuum Viri & Conjugis de peregrinatione hac colloquium? Quid diam de Infantulo, qui ad matris ſepultæ pupillam adplicatus ſic creverit, ut, cum Pater rediret, filiolum aliis cum pueris ludentem ad littus maris invenerit, ubi mater terræ fuerat mandata? quid adducam vaſtantem omnia draconem, qui à Martha ad manſuetudinem eruditus & populo ad transfigendum fuerit traditus, à quo locus deinceps, ubi voratrinam draco exercebat, nomen Tharaſconis acceperit! quid exequias Marthæ, quas ipſe Chriſtus & Fronto ſanctus vacantes Pſalmodiæ celebrarint? quid Marcellam Marthæ pediſſequam, quæ poſt mortem Dominæ perrexerit Illyricum, & ibi per annos decem prædicaverit Evangelium, unde poſtmodum corpus ejuſdem Aquas-ſextias ſit tranſlatum, & juxta Maximini & Magdalenæ corpora ſepultum? Quid denique expromam cætera, auribus animiſque abſurda, imo nec digna, quæ vel riſu diſcutiantur? Nunc autem porro non quærimus, an illum navalem adparatum noverit inſtructor Navis non abſimilis, qua S. Jacobi corpus ſeptem ejus diſcipuli Hieroſolymis in Hiſpaniam tranſtulerunt, ubi à Rege Galleciæ ſuſcepti Evangelium Iberis nuntiarunt, ac inſigne Magiſtri ſepulchrum condiderunt, uti ſcribit Ordericus Vitalis libro Hiſtoriæ ſecundo. Hoc inquam non quærimus, cum nunquam & nuſquam defuerint artifices, qui navigia ejuſmodi fabuloſa fabricarentur. Cæterum cum alia multa demonſtrant eſſe falſa, quæ Marcella narrat tam magnifice de Martha, tum illud quoque inſuper adcedit, quod Eccleſia Aquenſis in Litaniis ſupra memoratis nullam Marthæ facit mentionem, in qua tamen memorantur Felicitas, Perpetua, Petronilla, quæ cur magis ad Eccleſiam Aquenſem pertinent, quam Martha, ſi hæc per ſeriem annorum longam munus Apoſtolæ obiit in Provincia, ac tantam populi multitudinem convertit ad Chriſtum, totque in morte & poſt eam patravit miracula? Hæc autem ipſa Aquenſis Eccleſia, cum Magdale-

nam constituit Virginum sanctarum caput, significat non obscure, se in publico & antiquo precum genere Magdalenam non habere pro illa peccatrice famosa, quæ, ubi Evangelium prædicavit Annis viginti tribus & amplius, in eremum secessit, vitæ reliquo tempore pœnitentiam actura, uti in Actis illius prodidit Marcella. Atque hæc ex prioribus quatuor capitibus in posteriori Dissertationis parte sint excerpta, quæ enim sequentia exhibent, Lectori de hisce talibus non admodum curioso possent fastidium aliquod creare. Hinc observationes tantum aliquæ subjicientur, quas Launojus loco superpondii adtexuit. Earum *Prima* hæc est: Vetus de Lazaro, Martha & Magdalena traditio in omnibus fere Ecclesiarum Martyrologiis & Menologiis hucusque fuit conservata; quæ vero à quingentis plus minus Annis inducta sunt in quarundam Ecclesiarum officia de illis tribus Sanctis, nomen traditionis non merentur, imo, veræ traditionis majestate & splendore damnantur. Nec enim quæcunque alicujus opinionis progressio ævi authoritate tuetur se, sed ea tantum, quæ, quod ab initio posteris est traditum, conservat. Qua quidem in re falluntur oppido, qui, quodcunque in quibuscunque libris cujuslibet Ecclesiæ offendunt, id citra ullum discrimen illius Ecclesiæ fidei & traditioni adscribunt continuo. Sed nihil ulli Ecclesiæ debet incommodare hominis alicujus hallucinatio, qui nullum veræ Theologiæ vel Historiæ gustum habet. *Secunda*: Quæ de Lazaro, Maximino, Martha & Magdalena quibusdam Martyrologiis & Ecclesiarum quarundam officiis sunt illata à primis traditionibus aliena, id totum est factum studio hominum privatorum, non publica Ecclesiæ Catholicæ Sententia, quæ suis in Conciliis statuit, ut officia corrigerentur Ecclesiastica, in quibus alienum quid à Veritate reperiretur. Quare laudem magnam meretur Capitulum generale Fratrum Prædicatorum Anni prioris Seculi post quinquagesimum primi, quod suum Breviarum multis historiis seu gestis Sanctorum apocryphis & minus non-nunquam verisimilibus plenum voluerit expurgari. Sed majorem sine dubio meruisset, si in officio B. Marthæ non ea tantum, quæ stupidissimo cuivis videbantur ridicula, expunxisset, verum & cætera, quæ, licet minus absurda, non minus tamen à vero & traditionibus antiquis abhorrent. Quod cum animadvertissent, qui sub Pio hujus nominis quinto primi Romanum reformarunt Breviarium, ista sustulerunt omnia, neque retinendam Marthæ & Magdalenæ historiam duxerunt, quamvis illa sub Paulo tertio in compendium redacta fabulis scateret paucioribus. At, si eam ob rem Correctoribus illis Gloria sit tribuenda, alii nullatenus possunt commendari, qui sublatam è Breviario Romano Marthæ & Magdalenæ historiam non multo post tempore restituerunt. Mediolanenses quidem in suo Breviario, quod editum est Venetiis Anno Seculi superioris post tricesimum nono, de Actis Marthæ ab ejus pedissequa scriptis, nihil habent, sed ex aliis B. Ambrosio adfictis narrant, Martham in Viridario positam habuisse Christi Imaginem, atque ex herbis circumnascentibus infirmos persanasse, & alia id genus. Verum hæc & illa sive ad fictos referantur Authores, sive committantur inter se, mutuis occisa præliis & vulneribus corruent, & in vagum pulverem fatiscent. *Tertia*: Quamvis ex traditione Veterum satis constet, Lazarum nulli unquam Ecclesiæ præpositum fuisse, multo tamen verisimilius Cytii, quam Massiliæ Episcopatus ad ipsum pertinet. Quid enim? Illæ omnes Galliarum Ecclesiæ, in quibus memorata Lazari Prosa est recepta, pro Cytiensibus contra Massilienses adtestantur; at Massiliensibus nulla Insulæ Cypri vel Orientalium Ecclesia adversus Cytienses suffragatur. Deinde, ut falsa sint, quæ Martyrologium Augustodunense canit de Lazaro, non minus tamen obficiunt causæ Massiliensium; & Cytiensibus nihil prosunt, quamvis nec noceant, quia finguntur à Latinis. *Quarta*: Quod in nostris quibusdam Martyrologiis duplex dies tribuitur Marthæ, ex eo nullum quæritur Martyrologio Gallicano præsidium, ubi etiam duobus diversis diebus mortem tulit Lazarus. Et enim in Martyrologiis laudatis, cum nulla fiat mentio natalis Marthæ, de alio atque alio genere Festivitatis commoda erit explicatio. Verum, quod mors Lazari primam contigerit die primo

mò Septembris, deinde etiam decimo ſeptimo Decembris, tam perſpicue repræſentat Martyrologium Gallicanum, ut tam facile ſit in neutro, quam in alterutro tantum loco Lazari mortem interpretari *Quinta* : Qui in ſubdititiorum Marthæ & Magdalenæ geſtorum defenſionem oppugnarunt Eccleſiam, nihil aliud moliuntur, quam Eccleſiæ lucem inobſcurare, ac ejus Majeſtatem iis ridendam exponere, qui ſeorſim à nobis ſentiunt per Religionem, Sed ſive conſilio, ſive caſu id moliantur, peræque obſiciunt Eccleſiæ DEI, quæ ad ingenerandam hominibus veram pietatem non curat, quid immurmuret quis aut muginetur. Hæc temeritas notari ſemper debet, ne forſan Catholicis aliquando ab iis objiciatur, qui foris ſunt. Popularis certe fidei ruinam & piæ credulitatis periculum haud timet Baronius, dum B. Jacobi corpus in Hiſpaniam eſſe tranſlatum negat. Duæ tamen illæ ſunt machinæ, quibus non inepte minus, quam indefinenter à fabularum patronis arietamur, quibus iſ breviaria retruduntur, quæcunque ex iis apocrypha ſuſtulit Eccleſiarum pietas, quibus tum demum nos Religionem, non qua ducit illa, ſed qua ducere vult populus, oportet ſequi. *Sexta* : Cum vetus traditio, cujus fidem faciunt martyrologia ante citata, natalem Marthæ defigit Hieroſolymis, nihil eſt plane, cur nescio quorum hominum figmentis in alium traducamus locum. At, ſi recens tradio præferatur antiquæ, delegibus & inſtrumentis veræ traditionis & Hiſtoriæ eritconclamatum. *Septima* : Diverſa de navigationibus & exilio Magdalenæ figmenta hactenus recenſita & per ſolam propemodum recenſionem exploſa ſunt, ne quid vetus traditio paretur jacturæ, qua ſcilicet Magdalenam Epheſi quieviſſe, & ejus inde reliquias Conſtantinopolim tranſlatas eſſe conſtat, nullo quoad locum mortis reclamante per Annos plus-quam mille; quod elapſi à prima rei origine temporis ſpatium niſi ſufficiat ad veræ traditionis adſertionem, neſcio, an ullum aliud unquam ſufficeret. Quare qui huic traditioni refragatur, videat, ne per locos communes tantum ſapiens viam aperiat rejiciendis etiam traditionibus cæteris, ac ipſe in ſua incurrat venabula, quod ſummum eſſet genus imprudentiæ, nec ferendum. Cæteras obſervationes iterum prætermitto, cum hæ poſſint ſufficere ad hujus fabulæ exploſionem. Abſtineo etiam ab iis, quæ in Apologia hujus Diſſertationis contra *Johannem Queſnelum* prolixiſſime adduxit, ea fortiter defendens, quæ ſemel contra hanc traditionem novitiam ſcripſit, in cujus capite ultimo id præſertim notatu dignum occurrit, quod diverſa Pontificum Romanorum Diplomata in medium producuntur, quæ corpus B. Magdalenæ in Monaſteriis duobus diverſis adfirmant quieſcere, ſpecimen egregium concordiæ concordis, cujus gloriam Roma ſibi ſemper adſcribit, vel potius adfingit. Neque hæc tam prolixe excerpſiſſem, utpote negotium momenti non adeo magni adfingentia, niſi conſultum fuiſſet viſum, in hac etiam Quæſtione hiſtorica fratrum Cadmæorum mutuis ſe vulneribus conficientium pugnam exhibere, ac traditionis ſuſpectiſſimæ defectum fundamentalem Lectori Veritatis ſtudioſo oſtendere, ideo præſertim magis notandum, quod opus illuſtre, uti habetur à non paucis, martyrologii Gallicani hac adſecit labe, quod ante hos pluſ-quam quadraginta Annos ab Andrea du Sauſſay, magno cum adparatu, plurium Elogiis, etiam Launoii (qui forte id nondum evolvit tum temporis) commendatum in publicam lucem eſt emiſſum. Adeedit laudatus ad Quæſtionem proxime antecedentem Scriptor recentiſſius, *Natalis Alexander*, qui ſicut in pluribus aliis rigoroſiſſimum Launojo poſt fata ſe ſtitit Antagoniſtam, ita dum nuper modo Dionyſium Areopagitam Eccleſiæ Pariſienſi cum Scriptis reſtituere pro viribus laboravit, ſic etiam Lazari, Marthæ & Magdalenæ in Galliis Apoſtolatum & martyrium omni ſtudio adverſus Launojum defendere conatus eſt in ſuis ad primum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculum, ejuſque Partem ſecundam Diſſertationibus, & quidem prolixiſſime, è quinque tamen prioribus Seculis nihil adducens, quod vel minimum hujus rei potuiſſet facere indicium, aut ei aliquam conferre probabilitatem. Equidem argumenta Launoji contra hanc traditionem, à ſilentio Scriptorum in Gallia antiquorum, Johannis Caſſiani, Salviani, Victoris, Eocherii &

Cæsarii, eorum quoque, qui vitas Sanctorum in martyrologiis compendio scripserunt, nominatim Bedæ, Usurdi, Freculphi, & Adonis, item Ecclesiæ Doctorum, qui Homilias & Sermones in Festo S. Magdalenæ habuerunt, videlicet, Gregorii M. Odonis, Petri venerabilis, Damiani & Bernhardi desumta *Natalis Alexander* vocat futilia, ideo, quia sint tantum negantia. Rationem addit hanc: Quis enim Stellæ adparitionem, quæ Magos ad Christi cunas deduxit, commentitiam esse dixerit, quia nullus Scriptor Evangelii præter S. Matthæum ejus meminit? Quis Lazari Resurrectionem effutiat esse fictitiam, quia Matthæus, Marcus & Lucas eam Scriptis non commendarunt? Quis Deiparæ Ædis miralilem Lauretum advectionem fabulis adcenseat ob silentium Antonini, qui & Author coævus, & regioni Lauretanæ finitimus erat? At instantiæ Natalis Alexandri non sunt unius ejusdemque commatis. Quamvis enim, si negotium ei sit cum sui similibus, id est, fabularum & traditionum suspectarum defensoribus, postrema forsitan aliquem possit habere locum, apud eos vero, qui res gestas ab aliis descriptas suis ponderant momentis, vix alicujus erit æstimiis. Quia enim constat de Antonino, eum nihil omnino prætermisisse, quod memoratu dignum videbatur, ac qualemcunque veri speciem vel similitudinem habebat, credere par non est, quod hanc admirandæ & antehac nunquam auditæ translationis Angelicæ historiam vel potius narrationem silentio fuisset damnaturus, suo præsertim tempore & in vicinia cognitam, si ejus aliqualem habuisset notitiam, ac putasset eam fide historica esse dignam. Qui plura de hac traditione prudentioribus semper suspectissima legere desiderat, evolvat cum cura Commentarium, quem in gratiam Idoli hujus Laurentani, videlicet ex Historiarum momentis & rei gestæ circumstantiis destruendi antehac in publicam edidit lucem Matthias Berneggerus, in Universitate Argentoratensium Professor quondam celeberrimus, cui quid à parte adversaria hactenus oppositum fuisse, non constat. Duas priores instantias de stella Magorum & resuscitatione Lazari certum & ipsos Alexandri socios, nisi omnem Judicii acrimoniam amiserint, vix adprobaturos. Omnes enim antiqui & recentiores, etiam ex ipsis Romanensium adsecis, qui Evangelistarum Scripta exponere studuerunt, unanimiter statuunt suspicare ad rei gestæ veritatem adserendam, si unus tantum ex eorum ordine cum circumstantiis eam exhibeat. Quæ autem de Apostolatu Lazari &c. à novitiis narrantur, nullus ex coætaneis, nullus è sequentibus per secula quinque priora, si calculum Alexandri sequamur, nullus ex iis etiam, qui locis erant propinqui, In quibus talia esse poterant & debebant non ignota, commemoravit, ac ne unus quidem potest nominari, qui per tot Secula eorum vel verbo fecerit mentionem. Hoc si ad animum vocasset Alexander, uti omnino & jure debebat, argumenta hæc utpote tantum negantia non vocasset futilia, ipse Disputator cum instantiis nihil plane ad rem pertinentibus non-nisi futilissimus. Eadem vero laborant futilitate etiam ea, quæ instantiis male cohærentibus proxime subjunxit, addens, multa Authorum præfatorum opera tempus & fortunam nobis invidisse, uti constare putat ex Honorio Augustodunensi, Isidoro Hispalensi & Trithenico, qui Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum texuerint, ex quibus forsan, si supersessent, Sententiæ de Lazaro &c. veritas probaretur. In iis autem operibus, inquit, quæ nunc habemus præ manibus, nulla sese præbuit occasio loquendi de Lazaro, cum de aliis longe argumentis agerent. Prior hujus responsi pars pertinet ad Theologiam, quam vocare licet fortuitam, in qua forsan ob nullum plane suspicionis fundamentum per aliud forsan non suo remittitur Authori, usque dum melius conjecturam firmare didicerit. Iniquam vero fortunam fuisse oportet, nec enim DEI providentiam adcusabunt hujus de Lazaro &c. traditionis Patroni, quæ omnia Scriptorum Ecclesiæ opera invidit posteritati, ex quibus forsan ejus veritas potuisset adversarios demonstrari. Par etiam justumque videtur fuisse, ut DEI providentia, quæ circa Lazari &c. Exilium tam illustri Miraculo se exeruit, in eo quoque se porro demonstraret, ne hoc factum omni memoria per quævis Secula dignum silentio sepeliretur, sed potius in

cun-

cunctorum fidelium notitiam perveniret. Quod vero posteriorem adtinet hujus responsi partem, quamvis Scriptoribus Gallis supra laudatis non defuerit omnis occasio in libris, qui hodienum supersunt & leguntur, de Lazaro &c. loquendi, quod sine causa negat Alexander, negare tamen non potuit, occasionem de traditione hac verba faciendi habuisse eos, qui Homilias & Sermones in Festo S. Magdalenæ habuerunt, ad quorum authoritatem negativam quia nihil reponere potuit Alexander, tacuit prudenter, prudentis longe facturus, si inter Launoji argumenta hoc non recensuisset, utpote os sussspectæ narrationis defensoribus obclusurum. Verum pergit futiliter contra Launojum disputare Alexander non Magnus, ad Authoritatem Martyrologiorum Bedæ, Usuardi & aliorum respondens, mirum videri non debere, quod illi, qui in Regionibus longe à Provincia remotis floruerunt, scilicet, vel in Anglia, vel in Galliæ septentrionalis partibus, Octavo & non (circiter) Seculo, ab adpulsu Magdalenæ in Provinciam tanto distantibus intervallo, nihil de rebus hisce scripserint, quæ sola pene Ecclesiarum Provinciæ traditione tum fuerint cognitæ. Præterea, antiquos martyrologiorum Scriptores multa vel oblivione, vel industria prætermisisse, quæ ad Eruditionem Ecclesiasticam desiderabantur, idem de Hieronymo & Beda adtestante Usuardo. Insuper, hujus silentii rationem inde velut à fonte repeti posse, quod primus omnium gesta Sanctorum in formam martyrologii redegerit Eusebius Cæsareensis, qui, cum scriberet in Palæstina, ea, quæ contigerant in Provincia, quæque ibi credebantur traditione Ecclesiastica, facile ignorare potuerit; unde diem S. Magdalenæ sacrum indicaverit duntaxat, tacito loci nomine, in quo mortem adspexerit. Porro, hoc Eusebii Martyrologium Latinitate Hieronymum donavisse, quæ Versio subinde omnibus Latinis Authoribus, qui de hoc argumento scripserunt, Bedæ scilicet, Usuardo & Adoni, regulæ instar extiterint. Hinc, quia Eusebii, & Hieronymi Martyrologia locum obitus S. Magdalenæ &c. & regiones, ubi illorum corpora quiescant, non designaverint, neque Scriptores etiam posteriores aliquid hac de re suis voluisse Martyrologiis inserere, scilicet, veneration⁹ & religionis erga Sancti Hieronymum causa, ut nempe Martyrologium ejus hac in parte maneret intactum. Addit, hanc conjecturam ipso Aquensis Ecclesiæ usu evadere probabiliorem. Hæc enim, inquit, etsi multis à Seculis historiam de adpulsu Sanctissimæ Magdalenæ &c. in Provinciam credat esse verissimam, tamen festum diem illorum non aliis, quam Adonis designat verbis, ut suus servetur honos Antiquitati. Ita ob eandem hanc rationem Ado martyrologiis Bedæ & Usuardi noluit addere locum, in quo Magdalenæ & alii Provinciæ Tutelares Sancti obierunt, aut in quo conditæ erant ipsorum Reliquiæ, quamvis illum adprime nosset. Verum Ecclesia Romana hunc excutiens scrupulum addidit martyrologiis vesteribus locis in quo migraverunt ex hac vita, designationem. *Hic est gladius Alexandri*, quo nodus ille gordius, quam Launojus insolubilem connexuit, credi debet dissolutus, at in vanum. Ut enim non dicam, frustra objici & locorum & temporis circumstantiam vel potius distantiam, cum authores laudati Martyrologiorum plura soleant recensere, quæ magis à loco & tempore erant remota, ubi vel quando ea credebantur facta, quod iis manifestum est, qui ea penitius introspexerunt; hæc certe Historia de Lazari &c. exilio, quare illud vel comitabantur vel sequebantur, si vera fuit unquam, tanti debet æstimari, ut credibile non videatur, eam potuisse incognitam esse Scriptoribus, qui longe leviora commendarunt posteritati. Cæterum ægrius posse ferri, quod Alexander Scriptores hos ausus est adcusare, quasi multa in Martyrologiis prætermiserint partim industria, partim oblivione, & talia quidem, quæ ad eruditionem Ecclesiasticam desiderantur, utpote per quam adcusationem authores operum imperfectorum sine apologia & debita excusatione lectoribus substituntur, dum vel studio vel negligenter aliquid omittere, quod ad rem ipsam pertinet, culpa & vitio carere non potest; ægrius hoc inquam posset ferri in Scriptore novitio, qui de se sollicitus esse debebat, ne ejusdem criminis fieret reus, nisi exemplo Usuardi niteretur,

Digitized by Google

tur, idem de Hieronymo & Beda scribentis, quod multa præterierint necessaria, quæ suo supplenda duxerit studio. At, si Alexander hoc uti voluit exemplo, necessum fuit, ut ostendere possit, Usuardum in hac etiam narratione de Lazaro &c. id suppleviſſe, quod alii ante ipsum vel industria, vel oblivione omiserant, nulla ex his ratione excusandi. Verum, præterquam quod Eusebio & Hieronymo in Palæstina utplurimum viventibus alia etiam fueruunt cognita, quæ extra Palæstinam facta commemoratione digna videbantur, inter quæ locum non ultimum debebat occupare hæc narratio, si in ullius tum hominis veniſſet notitiam; quia Historicum oportet esse memorem, meminiſſe debebat Alexander, Usuardum iis adscribendum non fuiſſe, quia eam vel industria vel oblivione prætermiserant, dum hoc ipsum crimen aliis objecit, quod tamen ab Alexandro non Magno factum. Nec evadit, si dicat, Martyrologium Eusebii in Latinum sermonem ab Hieronymo translatum sequentibus Latinis, qui de hoc argumento scripserunt, nominatim Usuardo etiam regulæ instar fuiſſe; quî enim potuit Usuardus habere pro regula, cui multa deesse necessaria agnovit ipse? Grandem insuper Ecclesiæ Aquensi infert injuriam, scribens de ea, quod quidem hanc de Lazaro &c. narrationem credat esse veriſſimam, Festum tamen illorum non aliis, quam Adonis (id est, Usuardi) verbis designet, ut suus antiquitati honos servetur. Anne enim dici potest, antiquitati honorem servari, cum id silentio sepelitur, quod creditur esse veriſſimum, & nonnisi quorundam vel industria vel oblivione publicis rerum memorabilium Actis fuit excluſum? Idem dici debet de Adone Episcopo Viennensi, cui idem imputatur crimen, quod nimirum noluerit in Martyrologio, quod ab Usuardo accepit mutuo, hæc commemorare, quæ ab Antecessoribus fuerant prætermiſſa, quamvis ea adprime habuerit cognita. Si quis ex numero eorum, qui apud Romanenses vulgo habentur pro hæreticis, talia scripſiſſet, impudentiſſimus calumniator audiret. Dum vero hoc scripsit non filius, sed Doctor Ecclesiæ Gallicanæ, videant, inter quorum curas & sollicitudines esse debet, ne quid veritas & antiquitas historica capiat detrimenti, an ad decus Ecclesiæ pertineat, in gratiam eorum, qui vel industria, vel oblivione aliquid notatu quam maxime dignum silentio turpi involverunt, id porro dissimulare, & quasi non factum posteris invidere, quod notiſſimum fuit & veriſimillimum? Aut nihil omnino, aut parum video, nisi hic Alexander talia scribens extra se fuit raptus, Advocati partes suscipiens in re, quam in se satis suspectam longe reddidit priorem. Ecclesia videlicet Romana, quæ ultimum præbet asylum, at minime antiqua vel rebus (non gestis, sed) narratis coæva, verum recens & nova tandem hunc excuſſit scrupulum, addens Martyrologiis ea, per authoritatem videlicet infallibilem, quæ per tot secula desiderabantur. Depromsit nimirum hæc à Thesauro Bibliothecæ, uti vulgariter audit, Vaticanæ, quam Baronius antehac non sine multa observatione comparavit reti piscatorio, quo pisces mali æque ac boni capiantur, pari tamen pietatis adfectu suscipiendi, prout Synodus Tridentina judicavit traditiones non scriptas cum Verbo DEI scripto suscipi debere. Sed satis nugarum & futilitatum, quibus Alexander hic causam minime bonam prodidit satis luculenter, vel potius, si ita loqui liceat, lutulenter; tædet enim cætera prosequi, quæ contra Launoji argumenta prolixiſſime, nec absque Lectoris nausea sine omni judicio & delectu in chartam conjecit, indigna prorsus, circa quorum discuſſionem quisquam eruditus occuperur. Sufficere possunt hæc pauca, ex quibus non tanquam ex ungue leonem, sed ex ungula aliud quodvis animalculum licet agnoscere. Id tantum adhuc lubet addere, quæ hactenus de Maria (vulgo) Magdalena tanquam sorore Lazari & Marthæ, & simul magna peccatrice pro & contra fuerunt adducta, nisi errore communi, quem Alexander idem in Manuſilla peculiari ad hanc de Lazaro &c. disputationem contra Patrum Græcorum sententiam iterato susceptit defendendum, secutus vestigia Baronii, cujus argumenta tamen ex professo sic refutavit Johannes Gerhardus noster in opere Harmonico, ut ad spicilegium nihil amplius sit super.

Obser-

Obſervatio quarta de Epiſtola Cypriani poſt ſexageſimam ſeptima ad Stephanum ſcripta.

AGit de ea, vel potius contra eam Launojus in altera parte opuſculorum de duobus Dionyſiis, ad cujus authoritatem quia inprimis ii procurarunt, qui Fidem & religionem Chriſtianam primo adhuc ſeculo per Dionyſium & alios Galliæ illatam fuiſſe conati ſunt defendere, prolixum ibi ſuſcepit examen ejus, ut demonſtret eſſe Cypriano ſuppoſitam. Hoc quia ante eum nullus Scriptorum eſt auſus, atque hæc Epiſtola hactenus inter eruditos extra omnem fuit ſuſpicionem, lubet potiora ejus argumenta cum Hugonis Menardi reſponſionibus ac earum confutatione in gratiam Lectoris curioſi huc adponere, reſervata cuivis judicandi libertate. *Primum* eſt, quod in multis, quibus Epiſtolæ Cypriani continentur, Manuſcriptis optimæ notæ Codicibus non extet. Primus eſt in Bibliotheca Thuana vetuſtiſſimus, ſecundus in Regia, tertius in Victorina, quartus in Navarrica noſtra, quintus in Monaſterio S. Remigii Rhemenſis, ſextus in Bibliotheca Collegii Fuxenſis, ſeptimus qui dicitur Beneventanus, Vaticani plures, quibus vero Rigaltius in ſuis ad hanc Epiſtolam Notis tres alios opponit, nempe Veronenſem, Corbejenſem & Cambronenſem, ac impreſſum veterem. Quapropter ſi multitudo Codicum, qui tam variis in locis extant, paucitati debet præferri, Epiſtola hæc judicabitur adſcititia; & certe mirum eſſet, cur Epiſtola tam ponderoſa in tot & tantis exemplaribus Cypriani deſideraretur. Quidquid autem ſit in cauſa, probatur inde, quod in nullis Codicibus debeat extare. Menardus reſpondet, hæc nihil facere. Nam, inquit, ſi propterea hæc Epiſtola eſſet rejicienda, ſequeretur, alias plures ejuſdem Patris εἰς κανόνισμα eſſe ablegandas, cum rari Codices manuſcripti reperiantur, in quibus ſimul omnes ſunt ſcriptæ. Eraſmus certe in diſcernendis Authorum operibus legitimis cenſor rigidus eam ex numero Epiſtolarum Cypriani nunquam cenſuit delendam. Præterea, ſapit omnino ſtylum Cypriani, & moribus ac legibus, quæ tum in Eccleſia vigebant, ſine controverſia congruit. Launojus in hujus Reſponſi confutatione concedit quidem raros eſſe manuſcriptos, in quibus Epiſtolæ Cypriani ſimul omnes ſint ſcriptæ, ſed negat reperiri tot Codices, in quibus Epiſtolæ ponderoſior, vel æque ponderoſa deſideretur Epiſtola. Et hoc ipſum, inquit, quod maximi ducimus, tamdiu urgebimus, donec adferantur antiqui & notæ melioris Codices, qui unam vel alteram ex Epiſtolis Cypriani ponderoſioribus non repræſentent. Eraſmus quidem pro legitima habuit hanc Epiſtolam, ſed ejus judicio non ſtamus, illique recentiores duos magni nominis Criticos, qui noſtram ſequantur ſententiam, poſſemus opponere, ſi neceſſum eſſet. Stylum quod adtinet, ab Authore nonnihil eſt adfectatus. Quinam vero ſint mores & leges Eccleſiæ, de quibus agit, non ſatis explicat Menardus; & cum non ſatis explicet, perinde eſt, ac ſi nihil diceret. *Secundum* eſt, quod nemo veterum Scriptorum meminerit Hiſtoriæ in Epiſtola contentæ, quæ tamen omnibus debuit eſſe notiſſima. Nemo inquam meminit Hiſtoricorum vel Latinorum vel Græcorum. Inter Latinos non meminit Sulpitius Severus, qui centum & quinquaginta circiter annis poſt Cyprianum & Stephanum ſcripſit. Non Paulus Oroſius, qui tempore eodem Hiſtoriam contexuit ampliſſimam; non Gregorius Turonenſis, qui Chriſtianæ religionis apud Gallos exordia reſque memoratu dignas ſummo proſecutus eſt ſtudio; non Ado Viennenſis, non Freculphus Lexovienſis in Chronico, non illi, quos ante Carolum Magnum Gallicanæ, ſeu etiam Latinæ Hiſtoriæ monumenta revolviſſe comperimus. Inter Græcos non Euſebius, qui tamen Martyres Lugdunenſium & habitas ab Irenæo in cauſa Paſchali Synodos recenſuit; non Socrates, non Sozomenus, qui duo, quæ ad Novatianorum initium, diſciplinam, ſucceſſionem, multiplicem propagationem, imo & ſingularem eorum com-

Digitized by Google

mendationem pertinent, notarunt diligentissime. At, Historiam, quæ in hac Epistola recitatur, tot Historicos, totque veteres ex orbe toto Scriptores fugisse, quis credat unquam? Hoc certe unico ratiocinii genere authores eruditi passim utuntur, dum pleraque veterum Scripta excutiunt, quæ cæteroquin multo minus, uti adparet, nota fuerunt. Menardus respondet, Severus non meminit hujus Historiæ, verum est; ergone autem rejicienda est hæc Epistola? neutiquam. Qui enim scriberet de hac re Severus, qui res gestas primorum Christianorum ita breviter perstrinxit, ut ne unum quidem Episcopum seu martyrem præter Petrum & Paulum nominarit? Sane, nobiscum Gallis ageretur male, si Episcopos & martyres nostros ex Historia Severi cogeremus vindicare. De Orosio quoque verum est, eum Historiam contexuisse amplissimam, sed non in illis, quæ primos spectant Christianos, ut palam fit ex iis, quæ à Nerone ad Diocletianum usque consignavit posteritati. Unde non mirum est, si de hac tacuit Historia; quem admodum & Freculphus, qui nihil de primis Gallarum Episcopis dixit, unius Philippi Apostoli, quem in Galliis prædicasse adfirmat, facta mentione. Idem de Gregorio Turonensi dicendum est, qui libro Historiarum primo de paucis quibusdam martyribus & Episcopis scripsit Gallicanis, & de quorundam Miraculis in libris Miraculorum; at de tempolum illorum controversiis nihil mandavit posteritati. Si daret aliquem adversarius authorem, qui saltem paulo supra ætatem Caroli Magni Historiam Ecclesiæ Gallicanæ enucleatius fuisset persecutus, aliquem sane argumento tribueret colorem. Atque sic idem respondemus de Eusebio, qui pauca scripsit de Gallia. Cæterum, si Socrates & Sozomenus plura de Novatianis scripserunt, non ea tameu scripserunt, quæ Cypriani tempore contigerant, paucis tantum exceptis, idque obiter & explicationis gratia. Et falsum est insuper, hoc unico ratiocinii genere passim omnes eruditos Scriptores uti. Præterea, si repudianda est hæc Epistola Cypriani, quia Eusebius nihil in Historia Ecclesiastica de hac re habet, quam Epistola describit, sane plures aliæ ejusdem Sancti Patris Epistolæ essent expungendæ, quæ memorabiliora unius Episcopi cum Schismaticis communione & degradatione complectuntur, quæ tamen cum primoribus labris Eusebium nunquam adtigisse constat. Quot etiam S. Augustini & aliorum Epistolæ essent repudiandæ, multa & ea memoratu digna tractantes, de quibus Historici posteriores siluerunt. Launojus in responsi hujus confutatione monet genere, Menardum permultis partibus suum elumbare argumentum, ut nempe facilius illud possit diluere; &, quia in hoc argumentationis genere multa conjunctim juvant, quæ singula & separatim non prosunt, egregie hoc ipsum dissimulare, imo nihil opponere, quo vel Epistolam, vel res in Epistola scriptas adserat, addens, hæc si bene considerentur, argumentum efficacius evadere, ac multum abesse, ut enervetur. In specie, inquit, Historiam in Epistola contentam non exhibuit, quæ breviter sic se habet: Marcianus Arelatensium Episcopus Novatiano Romæ adversus Stephanum sedenti conjungitur, & plures Christiani à Marciano dogmatibus Novatianorum imbuti excedunt sine Pace; & Marcianus dehinc à Faustino Lugdunensi & aliis Galliæ Episcopis judicatur deponendus. Hic super ea re ad Stephanum semel atque iterum scribunt, sed nihil consecuti rogant Cyprianum per literas, ut Stephanum excitet cunctantem, atque ad succurrendum Ecclesiæ laboranti vehementius impellat. Hanc, inquit Launojus, historiam non exhibuit Menardus, quæ si constaret, toti ad minimum Occidenti debuit esse notissima, quippe Judices & spectatores habens Gallos, Romanos, Afros, & Synodum in Gallia amplissimam, quæ è commentariis authorum & Epistolis Cypriani prodita in Orientem quoque penetrasset sine dubio, & quidem eo magis, quod prima in Galliis depositio Episcopi foret, ac ejus insuper Episcopi, qui sedentis Romæ adversus Stephanum Novatiani, sed abdicati sequeretur communionem, & ejus dogmata nefarie prædicaret. Sulpitium vero Severum quod adtinet, annon is sub Hadriano Imperatore nominat Marcum, qui primus ex Gentibus apud Hierosolymam fuit Episcopus? Nonne sub Imperatore Severo nominat

Leo-

Digitized by Google

Leanidam Origenis Patrem, qui ſuum in Martyrio fudit ſanguinem? Nonne ſingulas nominat perſecutiones, in quibus Epiſcopi, Clerici, Laici patiebantur? De Oroſio, Gregorio & Freculpho dicit porro Menardus, eos pauca de rebus ad primos chriſtianos ſpectantibus ſcripſiſſe; ſed inter illa, ſic infert Launojus, nihil plane habent de hiſtoria Marciani, quæ tamen, ſi credatur Epiſtolæ, Gallorum, Afrorum & Romanorum curas & ſtudia occupavit incredibiliter, & qua nihil tunc in illis Regionibus contigiſſet, memorabilius. De Gregorii nominatim libris locutus partim præteriit, cum Novatiani in libri Hiſtoriarum primi capite poſt viceſimum octavo his meminiſſe verbis: Valentinianus & Novatianus, maximi tunc Principes hæreticorum, contra Fidem noſtram impellente inimico graſſantur. En præſens occaſio loquendi de tota Marciani hiſtoria, quæ ſi vera eſſet, Greoorio non minus, quam hæreſis ipſa Novatiani innotuiſſet, cum ex aliis, tum ex eo quoque, quod ibi de Trophino Arelatenſium Epiſcopo loquatur. Adde, quod, uti Martyrum Lugdunenſium hiſtoria ad Gregorium pervenit, ſic & Synodi Lugdunenſis ad Marciani depoſitionem coactæ geſta ad Gregorium perveniſſent, ſi quæ unquam fuiſſet coacta. De Adone Menardus plane ſilet, nihil omnino habens, quod opponeret hac in parte. Is nempe quo tempore Chronicon elucubravit, nec Viennæ, nec Lugduni, nec Arelate, neque in Provincia de Marciano ea fuerant vulgata, quæ leguntur in Epiſtola; tantum abeſt, ut illa per antiquam Eccleſiarum illius Regionis traditionem ad hunc pervenerint Hiſtoricum. Ab argumento, quod Euſebius probet, ſequentia detraxit verba Menardus: qui tamen Martyres Lugdunenſes & habitas ab Irenæo in cauſa Paſchali Synodos recenſuit &c. ex quibus tamen adducta ratio plurimum confirmatur. Qui enim factas ab Epiſcopis paucioribus Synodos, àque ſua ætate remotiores notavit, majores & ætati ſuæ viciniores vix potuit omittere, ab iis etiam edoctus, qui vulgatum miſſis ſæpe ex Gallia Romam & Carthaginem, & Carthagine Romam literis negotium viderant, aut certiſſime audierant. Quin etiam cum in Chronico ſe Cypriani ad Lucium & Stephanum Epiſtolas legiſſe teſtetur, ſuo de hac Synodo Gallicana & tota Marciani hiſtoria ſilentio prodit, nullam ſe Cypriani de Marciano Arelatenſi Epiſtolam vidiſſe, quia tunc erat nulla, quæ videretur; nam vidiſſe eum, nec animadvertiſſe rem in ea contentam, quæ ad Hiſtoricam Eccleſiaſticam pertinebat quam maxime, credibile non eſt. In eodem Chronico ſcripſit etiam expreſſe de Novato, quod Romam veniens Novatianum & cæteros confeſſores ſibi ſociaverit, ideo, quod Cornelius recepiſſet apoſtatas pœnitentes. Deinde in libri Hiſtoriarum ſexti capite poſt triceſimum quinto de hoc Novato & ejus hæreſi ſcripſit multa, notavitque Synodos Italicas & Africanas, quibus dogma ejuſdem fuit perculſum; ſed nullius Synodi Gallicanæ meminit, etiamſi Epiſtolarum Cypriani mentionem fecerit, quin & aliorum in Africa Epiſcoporum, qui cum eo in hunc errorem inquiſiverint. Secundum hæc omnia autem quis prudens & adtentus credat, Cyprianum hanc de Marciano Epiſtolam ſcripſiſſe, quam Euſebii obruit ſilentium, quod circumſtantiis jam expoſitis communitum loquitur diſertiſſime, & arguit ſuppoſitionem. Porro diſſimulat Menardus, quæ uti ad rem hanc vehementer ſpectantia de Socrate & Sozomeno fuerunt obſervata; quin autem ad Novatianorum commendationem valuiſſet plurimum, animadvertere, in Gallia fuiſſe Epiſcopum authoritatis magnæ, quæ ſublato vexillo partes illorum tueretur, dubitatum credo neminem, ſcribit Launojus. Menardus vero reſpondet, Socratem & Sozomenum pauca ſcripſiſſe, quæ Cypriani tempore contigerint. Quid inde? Scripſiſſent plura, ſi talis eſſet hiſtoria Marciani, qualem controverſia Cypriani Epiſtola repræſentat. Adhuc amplius, diſſimulat quoque Menardus argumenti conglobationem, quæ ad tot Hiſtoricorum provocavit ſilentium. Rigaltius quidem infert, fugiſſe eoſdem Scriptores etiam Baſilidis & Martialis Epiſcoporum cauſam, de qua Cyprianus in Epiſtola ſequente, nimirum poſt ſexageſimam octava ſermonem inſtituit. Launojus reſpondet, fugiſſe quidem, ſed eam non æque memorabilem fuiſſe, & præterea communem cum

Libellaticis & lapſis, quorum pleni ſint omnes libri. Ad extremum Codices manuſcripti omnes notæ melioris hanc Cypriani de Baſilide & Martiali Epiſtolam habent, neque Rigaltius ullum memorat Codicem, in quo deſideretur. Cæterum, qui ejuſdem Cypriani de Marciano Epiſtolam proxime antecedentem pro vera & certa tenent, obſervant, eam vehementer commendare Romani Pontificis authoritatem, qua Epiſcopos juſta de cauſa per provincias abſtinet, deponit, & alios eorum loco ſubſtituit. Sed antiqui Pontifices, qui nihil omnino prætermiſerunt, ut illam authoritatem ſuam probarent & adſererent, exemplum ex hac Epiſtola Cypriani de Marciano Arelatenſi nullum ſumſerunt. Julius certe, qui Anno poſt Stephanum ſeptimo & ſeptuageſimo Eccleſiam cœpit adminiſtrare Romanam, atque ſic geſta Stephani facile poterat noſſe, in Epiſtola quidem ad Orientales ſuam, quanta potuit, diligentia confirmavit authoritatem, nec tamen hanc Epiſtolam Cypriani, neque abſtentum vel depoſitum à Stephano Marcianum Arelatenſem oppoſuit. Sic Gelaſius tum in aliis Epiſtolis, tum maxime in quarta, quæ Fauſti Apoſtolicæ Sedis legati commonitorium eſt, damnatos & abdicatos a Pontifice Romano Epiſcopos recenſuit ſtudioſiſſime, ne verbo tamen vel Epiſtolam Cypriani vel hunc Marcianum adtingens. Hujus veſtigia legit Nicolaus hoc nomine primus in Epiſtola ordine & numero octava ad Michaelem Imperatorem ſcripta authoritatem ſuæ Sedis neceſſitate quadam compulſus vindicans, atque hunc in finem congerens canones Synodorum, decreta Majorum, traditiones, Patrum authoritates, Epiſcoporum depoſitiones; ſed inter hæc omnia nec Epiſtola Cypriani, nec abdicatio Marciani comparet, etiamſi Eccleſiæ Arelatenſis injecerit mentionem. Scilicet, Cypriano nondum ſubjecta erat hæc Epiſtola, & forſitan circa tempus illud demum fuit conjecta, ut Viri tanti veritas, (ſi quæ eſt in toto hoc negotio) quæ alioquin mendaciis hominum non eget, confirmaretur. Hæc nova obſervatio ad præcedentia Rationum momenta uti ad cumulum adcedit. Denique quod Menardus non probat illud genus argumenti inficialis, quo nimirum unico, id eſt, ſingulari & præcipuo in excernendis Veterum commentariis uti omnes eruditos dixi, ſcribit Launojus, non ingratum id haberem, ſi rectius illud expoſuiſſet, nec contra ſe ipſam eo uſus fuiſſet. Nam capite quarto Diatribis in Parergis nomina, quibus S. Babylæ collegas adpellant Gregorius Turonenſis & Uſuardus, ut apocrypha rejicit, quod illa Chryſoſtomus, Theodoretus & Philoſtorgius non exprimant, quando trium puerorum cum Babyla celebratorum meminere; Ariſtidis quoque librum, quo Uſuardus, Martyrologium vetus Romanum & Ado comprobant, Areopagitam quinto Nonas Octobris eſſe paſſum, exinde habet ſuſpectum, quod nec Euſebius, nec Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, nec Mataphraſtes, nec Græci recentiores alii eum pro Areopagitæ Martyrio laudaverint. Nempe Menardus diſputat ex privilegio, quod à Clerico nefas eſt uſurpari omnes Græcos & Latinos Authores, qui ante Carolum M. vixerunt, adpellavi, ſcribit Launojus, & ſic generalem atque perfectam diſputandi methodum complexus ſum; Menardus contra Græcos nominavit tantum, atque ſic ſpecialem & imperfectam inſtituit differendi rationem, & in laqueum contradictionis ſe induxit. *Tertium* ſequitur argumentum adverſus Epiſtolam Cypriano ſuppoſitam: Quod ſi dogma Novatiani tam late propagatum fuit inter Arelatenſes, quemadmodum docet propagatum fuiſſe hæc Epiſtola, cur in Synodo Arelatenſi, quæ Anno poſt Stephanum ſexageſimo & tertio fuit coacta, non conditus eſt Canon aliquis contra Novatianos, qui nondum omnes, opinor, erant extincti, cum, uti malorum graminum, ſic & dogmatum falſorum ſeges uberrima, atque hinc difficillima eorum extirpatio eſſe conſueverit; Imo, qui non facilius periiſſent in Galliis, quam Romæ, ubi tamdia durarunt? Oblatam vero condendi Canonis occaſionem negabit nemo tum ex loco & re ipſa, quæ palam loquitur, tum ex Canone Synodi hujus poſt viceſimum ſecundo. Menardus repondet, non conſtare ex Epiſtola, tot fuiſſe Novatianos Arelate; &, ſi ex eo, quod in Concilio Arelatenſi nullus Canon adver-

Digitized by Google

verſus Novatianos ejj conditus, ſequeretur, nullos fuiſſe ſchiſmaticos ejuſmodi Arelate, dicendum, nullos tum quoque Novatianos in Eccleſia fuiſſe, quia Concilium hoc non erat provinciale, ſed plenarium, in quo non unius Provinciæ Epiſcopi adfuerunt, ſed multarum, quippe congregatum adverſus Donatiſtas, in quo ſi aliquis Canon fuiſſet adverſus Novatianos condendus, non ſolius Eccleſiæ Arelatenſis, ſed multarum aliarum gratia, quæ hac lue ſchiſmatica erant infeſtata, ſtatuendus erat. Launojus de hoc reſponſo ſic cenſet, adverſarium in pauca contraxiſſe argumentum, ut ſic elevato illius robore, quidquid reſpondit, aliquo faceret colore, oblatam condendi Canonis occaſionem prætermittens, quæ tamen conſtat ex alio Canone adlegato. Cur enim occaſione data Concilium Arelatenſe primum non feciſſet id, quod ſecundum fecit Anno Seculi poſt Chriſtum quinti quinquageſimo & ſecundo, Canone nono? Sed reſpondet Menardus, non conſtare ex Epiſtola, multos fuiſſe Novatianos Arelate. Quo igitur ſpectant Epiſtolæ verba, quibus legitur Cyprianus ad Stephanum ſcripſiſſe: Dirigantur in Provinciam atque ad plebem Arelate conſiſtentem literæ, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur, & Chriſti grex, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur; ſufficiat, multos illic ex fratribus noſtris ſine pace Annis ſuperioribus exceſſiſſe? Quæ autem in ſecunda reſponſionis parte dicit Menardus, non admodum capio, inquit Launojus; capiat, qui poterit ea ad omnium Conciliorum canones aptare. Et certe neſcio, num Author faciat fucum, aut patiatur; nam in ipſis generalibus Conciliis non univerſalia ſolum, ſed etiam particularia non-nunquam tractantur. Unde in Concilio hoc Arelatenſi fuiſſet utiliſſimum, dogma Novatiani, Marcianum & ejus Sectariorum audaciam retundi, ut, qui primo in Italia authoritatis Eccleſiaſticæ mucronem ſenſerant, eundem poſtea à totius Occidentis Concilio diſtrictum in Gallia ſentirent. Profecto, ſi Menardus legiſſet hujus Concilii Epiſtolam ad Silveſtrum, ut & Canones ejuſdem, minime ſic reſpondiſſet. Nimirum in Epiſtola ſic ſcribunt ad Pontificem: Non hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, ad quæ fueramus invitati, ſed & conſulendum nobiſmet ipſis conſuluimus, & quam diverſæ ſint Provinciæ, ex quibus huc advenimus, ſic & varia contingunt, quæ cenſuimus obſervari debere. Inter Canones autem primus quidem ad ſolum pertinet Pontificem Romanum, decimus vero & octavus ad Diaconos Urbis Romæ, octavus peculiariter ad Afros. Sic Canon ſextus & ſeptimus Synodi Nicenæ non pertinet ad Eccleſias omnes, & tamen editus eſt à Concilio, quod omnes referebat Eccleſias. Menardus igitur infirma & inutili reſponſione ſua præſens confirmavit argumentum. *Quartum* eſt, quod Author Epiſtolæ ſuadeat id fieri, quod adſertæ alias à Cypriano in judicandis Epiſcoporum cauſis diſciplinæ repugnat; nempe, ut Sthephanus abſtineat Marcianum, atque in illius abſtenti locum alius ab eodem, ut ſatis adparet, Stephano ſubſtituatur. Hæc autem abdicandi ratio contraria eſt Cypriano, in Epiſtola poſt quinquageſimam quinta ſcribenti, omnibus eſſe ſtatutum, ac juſtum & æquum eſſe, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi crimen eſt admiſſum. Atque hoc genus diſciplinæ olim quoque obſervarunt Præſules Gallicani, cum ad Annum Seculi poſt Chriſtum quarti ſexageſimum & ſecundum in Concilio Pariſienſi Saturninum Arelatenſem depoſuerunt. Cur ergo Fauſtinus & Collegæ ad Stephanum & Cyprianum ſcripſiſſent toties, ut illud exequerentur, quod ſine eorum opera poterant exequi; atque id eo facilius, quo Marcianus ſententia damnati nuper in Concilio Novatiani convictus potuit adſtringi, atque in ipſius pœnam videri merito recidiſſe, cujus elegerat conſortium, ſicut in cæteris hæreſibus facta ſemel Synodus abjecti cujuslibet erroris cunctos ſequaces conſequenter involvit, uti loquitur Felix Pontifex hoc nomine tertius. Reſpondet Menardus ad teſtimonium Cypriani, eum ibi agere de Feliciſſimo, Fortunato & aliis hæreticis ac ſchiſmaticis Africæ, qui à regionis ejuſdem Epiſcopis damnati maria circumcurſabant, terras obibant, & unionem Epiſcoporum ſcindere moliebantur, ac ipſum Cyprianum alioſque Epiſcopos apud ſe-

dem Apostlicam convitiis proscindebant, suaque crimina, ob quæ erant condemnati, negabant, suamque prædicabant innocentiam. At crimen Marciani, inquit Menardus, erat manifestum, in quo ipse pervicax erat; itaque non indigebat adculatoribus & testibus, sed id unum supererat, ut superbus & Divinæ Pietatis ac fraternæ salutis inimicus, qui Episcoporum collegio insultabat, à Pontifice Romano, tanquam à Principe Ecclesiarum damnaretur, ac ejus audacia comprimeretur. Neque tum erat inauditum, Episcopos judicari à Sede Apostolica, maxime si esset ad eam provocatio, uti ex sequenti Epistola Cypriani clarum est de Basilide Episcopo in Hispania libellatico & propterea depositio, utpote qui Papam adpellans eumque decipiens Sedi suæ ab eo fuit restitutus, nec proinde Cyprianas damnavit Papam, quasi potestatis suæ metas & limites excesserit, sed ipsum Basilidea, qui papam deceperit, cujus potestas à Concilio Sardicensi plenario fuit confirmata. At, ita sonat Responsi confutatio, Menardus, uti adparet, priorem argumenti partem mutilat, & posteriorem rescindit totam, quæ tamen priorem validissime confirmat. Hic vero modus agendi viro bono & homine cordato indignus est, & ipsum insuper argumentum reddit invictum. Scilicet quæstionem de Adpellationibus ad Pontificem Romanum perinde tractat, quasi Marcianus ab Antistitibus Gallicanis depositus ad Stephanum provocasset, quo nihil fingi potest absurdius vel insulsius. Nimirum, de Basilide ad Papam provocante, de adpellationibus, atque de Concilio Sardicensi aliquid dicendum fuit, ut incautos circumveniret lectores. Verum, non agitur hic de provocatione Marciani ad Stephanum, cujus propter Novatianum erat inimicus; sed de prima illius damnatione, cui Synodus Gallicana sine Stephano vel Cypriano poterat vacare, eoque magis, quod Marcianus in nuper damnati à Synodo Romana Novatiani sententiam incurrerat. Si quid è Cypriani Scriptis respondendum fuit, id sane debuit responderi, quod pari faveret causæ, non autem, quod extra oleas ferretur. Nos cum Cypriano loquimur de judicio, quod de Sacerdotibus primum habetur, non de eo, quod adpellatione facta denuo instauratur. Cyprianus igitur ex Ecclesiæ suæ disciplina non ad Stephanum, sed ad Faustinum & Collegas ejus scripsisset, ut ipsi Maricianum abdicarent, aliumque in locum ejus sufficerent; atque id fecit in Epistola sequenti, quæ ad Hispanos rescribens de Basilide & Martiali, qua ad Episcopatum, de quo propter scelera manifesta fuerant dejecti, cumque essent à Stephano Papa restituti, eos fraude & obreptione restitutos fuisse judicavit. Cæterum, quod genus disciplinæ confirmatum fuit authoritate Felicis Papæ hoc nomine tertii, id porro perpetua traditione confirmatur, cujus testis est Galasius in quarta ad Faustum Epistola. Nam si vera esset Cypriani Epistola, id à principio religionis Christianæ non factum est semper, quod rerum Ecclesiasticarum scientissimus Pontifex hic scribit. Enimvero, data Epistolæ hujus veritate, Euphemius, de quo agit Pontifex Gelasius, & legitime suam Probare scientiam, & ipsi Gelasio ignorantiam potuisset exprobrare, ac proinde Arcacium Sedis Constantinopolitanæ Episcopum ab uno male damnatum fuisse, cum Marcianum civitatis longe inferioris Episcopum, qui Novatiani Romæ in Synodo damnati consortium elegerat, Episcopus non unus, sed nec ipsa Galliæ Synodus damnasset, vel damnare ausa fuisset. Hæc autem omnino causæ inserviunt, non vero factum Basilidis, quod Menardus non satis considerate proposuit, scribens, tunc inauditum non fuisse Episcopos judicari à Sede Apostolica &c. Sive quia Basilidis & Martialis depositio eodem tempore in Hispania, quo Marciani in Gallia contigisset, sive quia ex ipsa Cypriani Epistola sequente discimus Romani Pontificis judicium retractari à Carthaginensi. Episcopi quippe Hispani Basilidem & Martialem propter scelera comperta deturbant Sacerdotio, Basilides autem & Martialis confugiunt ad Stephanum, qui dignitatem illius ablatam restituit; Hispani vero confugiunt ad Cyprianum, qui Basilidem & Martialem juste depositos, nec illis restituendum esse Episcopatum statuit, atque retinendos, qui loco illorum fuerant suffecti. Hoc certe exemplo, scribit Launojus, rem suam prodere, meam è contra voluit adjuvare Menar-

nem itus redituſque non tam commode expedit unius anni ſpatio, quam in charta fingit expeditos, quo tempore Chriſtiani in lucem prodire vix audebant. Rigaltius quidem in ſuis ad Cyprianum obſervationibus, & Petrus de Marca in Epiſtola de ſuſcepta primum in Galliis Fide Chriſti dicunt, epiſtolam hanc Cypriani datam eſſe prius, quam exarſiſſent animi. Verum id rei difficultate præpediti dicunt & theſi ſuppoſita. Unde poſterior ita ſcribit: Neceſſum eſt, hanc epiſtolam Cypriani ſcriptam eſſe initio Sedis Stephani, quando inter duos Pontifices illos, videlicet, Cyprianum & Stephanum, nondum diſſenſio interceſſerat. Atqui hoc ipſum eſt reſpondere, inquit Launojus, quod ponitur in quæſtione, & illud, de quo adhuc ambigitur, velle pro certo tenere. Hoc autem ſi ita eſſet, annon Cyprianus, cum poſtea diſſenſio eſt exorta, atque ſe ut ſchiſmaticum à Stephano vidit abſtentum, Stephanum de nimia in damnando & abdicando hoc Marciano negligentia objurgaſſet, eum adpellans fautorem Novatianorum, ſive cum ad Jubajanum, ſive ad Pompejum, ſive ad Magnum acerrimas contra Stephanum literas ſcripſit, & nonne Firmilianus rem eandem in ſua ad Cyprianum epiſtola præſtitiſſet? Certe in procinctu paratam habuerunt exprobrandi cauſam, quæ tamen adparet nuſquam; quia tunc, quæ Cyprianus de Marciano ad Stephanum dicitur ſcripſiſſe, ſcripſerat minime. *Sextum* eſt, quod incredile ſit penitus, Stephanum in deponendo hoc Marciano, qui ſedenti atque docenti Romæ Novatiano conjungebatur, tam diu ſe negligenter habuiſſe, atque tot tantiſque cohortationibus ad pium & neceſſarium juxta opus exequendum indiguiſſe, quot quantaſque author epiſtolas exhibet ſub finem. Quorſum namque in retinendis Anteceſſorum decretis tam iners tamque lentus fuiſſet Stephanus, qui alias contra Cyprianum tam vehementer incaluit; aut quorſum etiam ipſummet Novatianum Romæ ſedentem, eique in Gallia ſtudentem Marcianum animo tam æquo tuliſſet? Menardus reſpondet, hoc incredibile non eſſe, cum ſemel duntaxat Fauſtinum Stephano conſtet ſcripſiſſe. Launojus autem in reſponſi hujus confutatione obſervat, Menardum eometipſo, dum hoc argumentum convolvit & penitus eludit, vim illius agnoſcere ac augere; at ubi dicit, conſtare, Fauſtinum ſemel tantum ſcripſiſſe Stephano, falſum eſſe. Nam quando Fauſtinus & ejus collegæ bis ſcripſerunt ad Cyprianum, inde non immerito conjicimus, eoſdem ad Stephanum quoque ſæpius ſcripſiſſe; ad Stephanum namque, quam ad Cyprianum pluries ſcribendi cauſam juſtiorem & magis neceſſariam fuiſſe, quis non videt? Quod autem Stephanus ſtatim potuiſſet facere ſatis Fauſtino, oſtendunt maxime duo. Unum eſt, quod junctus Novatiano Marcianus eandem cum illo pœnam mereretur; is quippe, ut loquamur cum Gelaſio, non fuit novi vel proprii erroris inventor, ut in eum nova prodirent ſcita, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit. Alterum vero, quod, uti fatetur adverſarius, crimen hoc eſſet manifeſtum, nec ullis adcuſatoribus aut teſtibus indigeret. Porro cum ſignificat Menardus, Stephanum totius Eccleſiæ negotiis tunc occupatum fuiſſe, quo nimirum modo alii etiam Pontifices poſtmodum fuerunt occupati, vel jocatur, vel, de quo tempore loquatur, ignorat, vel lectores ſuos ſtipites ac bardos ducit. *Atque hæc* ſunt argumenta ſex priora, quibus citatam Cypriani epiſtolam ad Stephanum non parum ſuſpectam lectoribus eruditis facere conatus eſt Launojus, prolixe reſpondens ad ea, quæ Menardus objecerat in contrarium. Equidem ſuper adhuc ſunt quinque poſteriora, quibus hoc ipſum amplius confirmare ſtuduit. Sed poſſunt hæc ſufficere in documentum, qua ratione Scripta Doctorum Eccleſiæ notha à legitimis prudenter debeant ſecerni, ne quidvis pro quovis à mercium ſuſpectarum Propolis ſinamus nobis obtrudi. Notandumque eſt, recentem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorem Gallum, & quidem fere perpetuum nominis Launoji poſt fata inſectatorem, videlicet, Natalem Alexandrum, quando ſub initium partis ſecundæ Diſſertationem ad ſeculum Chriſti primum demonſtrare fategit, religionem chriſtianam primo ſtatim hoc ſeculo in Gallia propagatam fuiſſe, hujus etiam epiſtolæ Cypriani ad Stephanum teſtimonio uſum eſſe, his autem argumentis Launoji præter reſponſiones

Me-

Digitized by Google

Menardi nihil oppoſuiſſe oblitum videlicet confutationis, quam Launojus diligenter repoſuit, quod non abſque fuco & fraude aliqua factum credi debet, dum qui Scriptum Launoji non vidit, ſed Alexandri tantum, vel potius Menardi oppoſitionibus nitatur. Launojum plane devictum non poteſt non ſuſpicori, Hoc certum eſt, ſi Salmaſio, alias in hiſce talibus ſagaciſſimo, datum fuiſſet, hæc ſubodorari, quæ Launojo venerunt ſuper hac epiſtola Cypriani in mentem, eum minime ita prolixum in reſponſione futurum ad argumenta, quæ Majeſtatis Romanæ ſtructores ex ea ſolent magna cum pompa producere, uti ab eo factum conſtat in capite poſt decimum nono operis, quod de Primatu Papæ orbi erudito dare cœpit; idemque obſervandum eſt ab omnibus aliis, qui hactenus magno cum labore ſaxum hoc volverunt. Et quia non ita pridem epiſtolæ Cypriani nova quadam veſte indutæ prodierunt iterato in publicum, Nota hæc non erit ſupervacanea apud eos, qui veritatem ſectantur hiſtoricam, aque omnibus mente grata ſuſcipiunt informationem, quando veſtigia anteceſſorum vident ſuſpecta. Inprimis meretur authoritate ſua Cyprianus, Martyr quondam glorioſiſſimus, &, ſi verum licet apertius pronuntiare; Malleus jam tunc prodentis ſe Myſterii Iniquitatis, de quo Paulus ſuo tempore fuerat vaticinatus, quodve poſtmodum agmine pleno tanquam diluvio quodam tantum non plane oppreſſit Eccleſiam Chriſti ſanguine pretioſiſſimo redemtam, Cypriano cum cæteris Africæ Doctoribus, quantum in ipſis erat, maſculæ huic tyrannidi reſiſtentibus; meretur, inquam, ut omni modo liberetur ab ea ſuſpicione, cujus eum hæc epiſtola, ejuſque impoſtor facit reum, cæteris ejuſdem Scriptis plane contraria, quod Launojus docuit evidenter, cujus argumenta ab oppoſitionibus Menardi & Alexandri adhuc ſunt tuta, nec ab alio quovis aliquam metuere poſſunt ruinam.

Obſervatio quinta de Epiſtola Zoſimi Papæ.

QUæ poſt alias Editiones exhibetur in noviſſima Collectione Conciliorum & Epiſtolarum Papalium ante hoc decennium Pariſiis per L'abbeum & Coſſartium procurata, neque hactenus à quoquam partis adverſariæ, vel noſtratium quoque, quantum conſtat, in dubium vocata, ita ut diligentiſſimus etiam Blondellus in Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus nullam ejus injecerit mentionem. Launojus contra eam itidem ſatis prolixe poſt examen epiſtolæ Cypriani in laudata parte altera opuſculorum de duobus Dionyſiis, ſtatuens, eam ſibi multis de cauſis videri ſpuriam. Earum *prima* eſt, quod Epiſcopum Arelatenſem ſemper Metropolitanum fuiſſe tradat, hoc enim, inquit, inprimis repugnat omnibus antiquis Provinciarum Notitiis, in quibus civitas Arelatenſium Viennæ ut Metropoli ſubjicitur, Concilio item Arelatenſi primo, ubi Marinus, Epiſcopus de Civitate Arelatenſi (ex) Provincia Viennenſi ſubſcripſit; Synodo quoque Taurinenſi, ubi Canone ſecundo de Primatu Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ ſtatutum eſt, ut, qui ex eis adprobaverit ſuam Civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem primatus obtineat. Ludicrum verò fuiſſet hoc decretum, ſi Epiſcopus Arelatenſis ſemper fuit Metropolitanus, aut uti legitur in ſeptima Zoſimi hujus epiſtola, jam inde à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inviolabili in utraque Narbonenſi & Viennenſi authoritate poſſidebat. Verum hæc ipſa, & quæ in quinta leguntur, verba falſi convincuntur ex laudata Synodo Taurinenſi, ubi Canone primo Epiſcopus Arelatenſis non conqueritur de Proculo Maſſilienſi, qui ordinationes Epiſcoporum Narbonenſis ſecundæ vendicabat ſibi, inque cujus gratiam ſic ibi legitur ſtatutum, ut in Eccleſiis Provinciæ Narbonenſis ſecundæ, quas vel ſuas Parochias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit, primatus habeat dignitatem. Menardus reſpondet, verum eſſe quidem, in Notitiis eam Galliæ partem, quæ Viennenſis eſt dicta, à Vienna nomen accepiſſe, quæ ita etiam adpellatur in Breviario Rufi ac Notitia Imperii

Digitized by Google

Hofmarschall, Oberstkämmerer, Oberstkämmerer, Oberstkämmerer

Luthers Stellung zu Staat und Gesellschaft. Tübingen 1910. Mohr. 8°. 1 M.

Der Verfasser, der sich durch seine Arbeiten über Luther und Calvin als einen der besten Kenner der Reformationszeit erwiesen hat, bietet hier eine Darstellung, die sich durch Klarheit und Gründlichkeit auszeichnet. Er geht von der Tatsache aus, daß Luther in seinen Anschauungen über Staat und Gesellschaft sich in einem Gegensatz zu seinen Zeitgenossen befand, der sich nicht nur auf die Gegner, sondern auch auf die Freunde erstreckte. Er hat sich nicht nur gegen die Katholiken, sondern auch gegen die Reformierten und die Täufer gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Fürsten, sondern auch gegen die Bauern gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Juristen, sondern auch gegen die Theologen gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Humanisten, sondern auch gegen die Scholastiker gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Mystiker, sondern auch gegen die Rationalisten gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Pietisten, sondern auch gegen die Orthodoxen gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Liberalen, sondern auch gegen die Konservativen gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Sozialisten, sondern auch gegen die Kapitalisten gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Demokraten, sondern auch gegen die Aristokraten gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Republikaner, sondern auch gegen die Monarchisten gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Pazifisten, sondern auch gegen die Militaristen gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Internationalisten, sondern auch gegen die Nationalisten gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Kosmopoliten, sondern auch gegen die Patrioten gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltbürger, sondern auch gegen die Heimatlosen gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltverbesserer, sondern auch gegen die Weltverschlechterer gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltreformer, sondern auch gegen die Weltrevolutionäre gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltumstürzler, sondern auch gegen die Weltbewahrer gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltfeinde, sondern auch gegen die Weltfreunde gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltmenschen, sondern auch gegen die Weltentsagenden gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltkinder, sondern auch gegen die Weltkinder gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltleute, sondern auch gegen die Weltleute gewandt. Er hat sich nicht nur gegen die Weltmenschen, sondern auch gegen die Weltmenschen

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

non poſſunt conſiſtere, ſi veræ ſunt Bonifacii & Cœleſtini Epiſtolæ. Sed cum hæ in ſuſpicionem falſitatis venire nequeant, epiſtolas Zoſimo ſubjectas oportet eſſe. Hujus porro Bonifacii & Cœleſtini epiſtolæ reperiuntur in Codice Dionyſii, qui Juſtiniano imperante claruit. Quinto tandem ponamus nunc, genuinum eſſe libellum ſupplicem Provinciæ Epiſcoporum, qui oblatus Leoni Papæ traditur, quem vero ſubditicium eſſe ſequens proxime obſervatio demonſtrabit, in eo tamen de Zoſimo ne verbum quidem injicitur; ex quo intelligitur facile, nullas tunc illius de his Arelatenſium privilegiis epiſtolas extitiſſe. Anni quippe tantum erant triginta & unus, quod Zoſimus de vivis excefſerat, quem omnes Epiſcopi Provinciæ viderant vel videre poterant, uti & ejus decreta, ſi quæ nunc adſcribuntur illi, edidiſſet; nec illa proinde in libello tacuiſſent, quo facilius ad ea confirmanda Leo induceretur. Tacuerunt vero, quia, quæ tunc Zoſimi decreta traderent, extabant nulla. In genere quidem deceſſorum Leonis authoritatem memorant, ſed, quinam ſint deceſſores illi, non explicant, ne detegatur adlegatio falſa; quod artificium eſt illius, qui hunc libellum Epiſcopis ſuppoſuit. *Placuit* hæc Launoji argumenta adverſus commentitiam Zoſimi epiſtolam vel epiſtolas cum vindiciis contra Hugonem Menardum adponere, ut hoc etiam documento Lector Veritatis hiſtoricæ ſtudioſus fiat cautior, ne quibuſvis ex Antiquitate depromtis ſine adcurato examine adhibeat fidem, inprimis quia Natalis Alexander loco ſupra citato eam noviter ſuſcepit iterato defendendam. verum rationibus non aliis, quam quas exhibent reſponſiones Menardi, fraudulenter diſſimulans, Launojum in iterata editione prolixius & fundamentaliter eaſdem confutaſſe, quod an boni viri & diſputatoris ſtudium veritatis præ ſe ferendis dici poſſit officium, judicent, quibus candor & ſinceritas in re ſeria curæ eſt cordique.

Obſervatio ſexta de Libello Epiſcoporum Provinciæ Leoni Papæ oblato.

EXhibetur is inter epiſtolas Leonis loco ante penultimo tam in noviſſima Conciliorum collectione, quam in ultima editione maximæ Bibliothecæ Patrum, uti & in heptade Præſulum Chriſtianorum, quos Rainandus edidit, primo Leonem loco ponens, nullibi mentionem facta, ac ſi libellus hic alicui obnoxius eſſet ſuſpicioni, labore hoc etiam judicio & diligentiæ Launoji reſervato, qui poſt examen rigoroſum Epiſtolarum Cypriani & Zoſimi in altera parte opuſculorum de Dionyſio Areopagita ſuam ſuperinde mentem verbis exprimit ſequentibus, ſcribens: Multa ſunt, quæ ſubditicium eſſe hunc libellum probant, atque ab imperito quodam homine conſarciatum. *Primum* eſt, inquit, quod nulla ſit in hoc libello ſupplici honorifica illius Papæ, cui mittitur, inſcriptio, quod contra morem Antiſtitum Gallicanorum eſt, uti ex aliis conſtat epiſtolis, quas ad Leonem & alios Pontifices direxerunt. Menardus iterum reſpondet, id mirum non eſſe, quia non ſit epiſtola, ſed libellus apologeticus & precatorius, cujus inſuper initium verbis non careat honorificis, quibus, uti par erat, Metropoleos Arelatenſis Epiſcopi Pontificem Romanum legantur proſecuti. At ita hoc reſponſum confutat Launojus, nemo vidit unquam oblatos Principibus apologeticos vel libellos ſupplices, qui honorifica illorum, quibus obferuntur, careant inſcriptione. Verba autem ſub initium libelli honorifica, uti videntur, non magis Leonem, quam alium quemlibet Pontificem deſignant. Deſignandus certe fuit Pontifex, cui preces diriguntur. Atque hæc eſt culpa, quæ in Epiſcopos Provinciæ non poteſt cadere. *Secundum* eſt, quod libellus hic ſine Conſule & die ſit, quæ duo publicis monumentis authoritatem ſolent vindicare. Menardus reſpondet, hanc idoneam non eſſe cauſam libelli hujus rejiciendi, alioquin etiam epiſtola Synodi Arelatenſis primæ ad Silveſtrum Pontificem

Digitized by Google

ficem ſpuria eſſet judicanda, inquit, uti & aliæ plures, quæ his carent notis; nec etiam ulla fuit neceſſitas huic libello diem & Conſulem adponere, hujus enim rei decretum à Conſtantino factum eſſet pro Conſtitutionibus & Edictis. Launojus in reſponſi hujus confutatione obſervat, dici & Conſulis prætermiſſionem eſſe majorem vel minorem fallitatis notam pro varietate circumſtantiarum, quibus inſtrumenta velliuntur die & Conſule carentia; in hoc autem libello, inquit, nihil plane deprehenditur, quo Leoni potius, quam Anaſtaſio vel Symmacho, qui tres Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ cauſam tractarunt, dicatur nuncupatus, atque ſic incertæ prorſus eſt authoritatis. Non moror titulos, qui à librariis, prout volucrunt, adpoſiti fuere. Nec facit ad rem epiſtola Concilii Arelatenſis ad Silveſtrum, tum, quia legem Conſtantini, quæ Probiano & Juliano Conſulibus eſt lata, antecedit, tum, quia ſeipſam ſatis prodit. Nimirum, Silveſtro Papæ inſcribitur, & Epiſcopi, qui Concilio ſubſcripſerunt, eundem ſalutant Pontificem, & epiſtola præ ſe fert Canonum Synodicorum Breviarium, quæ tria diei & Conſuli certo quodam modo æquiparantur. Inſuper poſt legem Conſtantini magna ſemper cautio fuit adhibita, ut geſta Eccleſiaſtica notis publicis communicentur. Atqui ſupplex hic Epiſcoporum Provinciæ libellus inter Acta Eccleſiaſtica debuit referri, cum, ſi nitatur aliqua veritate, ſine Epiſcoporum Concilio Leonis tempore non potuerit decerni. *Tertium* ex verbis deducitur ſequentibus, quæ ſic habent in libello: Omnibus Gallicanis Regionibus notum eſt, ſed nec SS. Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quod intra Gallias prima civitas Arelatenſis miſſum à Petro S. Trophimum habere meruit Sacerdotem. At iſtud, inquit Launojus, tam obſcurum eſt, quam quod obſcuriſſimum; etenim nullus eſt Scriptor, Græcus vel Latinus, Gallus vel Italus, qui per annos à Chriſto ſexcentos huic rei præſtet fidem, imo ſunt, qui contrarium manifeſte affirment, videlicet, Scriptor Hiſtoriæ Martyris Saturnini, & Gregorius Turonenſis, quorum primus qua fronte id auſus fuiſſet ſcribere de Trophimo, quod traditioni regionum Gallicanarum & Eccleſiæ Romanæ contradiceret, & fideli præterea recordationi tribuere, quod infami mendacio fuiſſet tribuendum, alter vero qua audacia notam veritatem oppugnaſſet, qui cæteroquin alibi non omiſit, quæ de Saturnino & Eutropio rumor incertus evulgaret? Menardus reſpondet, verum non ideireo, quod dicitur in hoc libello, falſum eſt, alioquin infinita alia monumenta antiquitatis eſſent falſa, quorum nulla mentio fit à Scriptoribus tam Græcis, quam Latinis, qui ante annos poſt Chriſtum natum ſexcentos vixerunt. Hujus autem rei memoria erat Romæ, ubi antehac ſæpius altercationes inter Epiſcopos Viennenſem & Arelatenſem fuerant diſceptatæ. Noverant etiam Galli, apud quos ante Gregorium Turonenſem aut Scriptorem paſſionis Saturnini erant Acta hujus Trophimi. Launojus in confutatione addit, eſſe hanc reſponſionem hominis difficultate impediti, qui & ultimam rationis partem amputaverit, & multa ſine ulla probatione conjecerit in commentarios. Profecto, ſcribit Launojus, pudet me Menardi rationem ita eludentis, poſtquam apud Gregorium tria puerorum nomina toridem qui cum Babyla paſſi ſunt, habuit in apocryphis, ideo, quod ea non exprimat Paſſio-torgius, Chryſoſtomus & Theodoretus, utut de pueris ſint locuti. Sic ergo poſt reſponſionem volaticam ratio hæc evadit evictior. *Quartum* colligitur ex verbis ſequentibus: Exinde aliis paulatim Regionibus Galliarum Fidei & Religionis bonum eſſe infuſum; hæc enim, quæ cum epiſtola Zoſimi quinta conveniunt, pari ratione diſſipantur. Et quid magis eſt contrarium Innocentio Pontifici hujus nominis primo ſcribenti: Manifeſtum eſſe in Gallia nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes. Menardus reſpondet, hæc Innocentii verba eſſe capienda tam de Pontificibus Romanis, quam delegatis eorum. Launojus in confutatione cauſatur, Menardum in reſponſione ex relatis libelli verbis nomen Galliarum expunxiſſe, ne tota vis argumenti pateret. Neque enim, inquit, Lugdunum, neque Tholoſa, neque Narbo, neque Pariſii, neque Turones, nec innumerabiles aliæ Civi-

Civitates fidem ab Eccleſia Arelatenſi acceperunt. In ſumma Trophimum Gallia pro Apoſtolo ſuo non agnoſcit. Quoquo autem ſenſu capiantur Innocentii verba, cum verbis libelli nequeunt conciliari, niſi velit Innocentius, Petrum vel aliquem Petri Succeſſorem miſiſſe Trophimum in Gallias, à quo primum Arelate, tum illius & diſcipulorum opera Regiones Galliarum cæteræ Fidem acceperunt paulatim. At ille ſenſus repugnat Innocentio; unde non prius Viri docti reſponſionem Menardi legunt, quam ut ab Innocentii ſcopo rejiciant alienam, atque ſic ratio hæc illibata perſiſtet. *Quintùm* habetur ex hiſce verbis: Alia prius loca ab hoc fidei rivo (Trophimo videlicet & ejus Sede Arelatenſi) quem ad nos inſtitutionis Apoſtolicæ fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt Sacerdotes, quam Civitatem Viennenſem, quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcit indebitos. At ex Scriptoribus eorum, qui tempore Leonis vixerunt, oſtendat Adverſarius, (ſcilicet, Miletus) quænam Civitates ante Viennenſem Epiſcopos habuerint in Gallia, & eos quidem ab Arelatenſibus; atque tum conciliet cum hoc libello Adonem ſic de Trophimo differentem: Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias pervenille, & Arelate Trophimum, & Viennæ Creſcentem ſuos ad prædicandum reliquiſſe diſcipulos. Menardus reſpondet, oſtendat Launojus, quos Scriptores habuerit Eccleſia Leonis tempore, qui de Arelatenſi, Viennenſi & aliis Galliæ Eccleſiis ſcripſerint. Et quamvis ex Adonis Chronico Epiſcopum Viennæ à S. Paulo primum habuerit, credibile (tamen) par eſt, Paulum veniſſe prius Arelatem, ob civitatis illius proximitatem, nobilitatem & commoditatem, ibique Epiſcopum conſtituiſſe Trophimum, qui quoſdam miſerit epiſcopos, & Paulum aliquandiu manſiſſe ibi, & per loca vincina concionatum, atque tandem adiiſſe Viennam, ibique Creſcentem ſtatuiſſe Epiſcopum. Launojus in confutatione ſcribit, Menardum, quod argumentum ſolvere non poſſit, figmentis eludere. Nam, inquit, Authores, qui Civitatis Arelatenſis nobilitatem commendant, nec antiquiores, nec æquales Paulo fuerunt; in Notitia vero provinciarum Galliæ penultima eſt civitatum provinciæ Viennenſis. Hinc nobilitas ad Arelatem poſt Pauli tempus adeeſſit, Menardus autem inſtitutis recentibus metitur vetera, fingitque Trophimum à Paulo factum Arelatenſem Epiſcopum nonnullos per Galliam Epiſcopos miſiſſe prius, quam Paulus ipſe Viennam adiret. Sed, quæſo, cur Paulus non potius, quam Trophimus illos miſerit Epiſcopos? Scilicet, Trophimus ſtatim ibi clericorum inſtituit Seminarium, (quia tunc illud erat factu facile, atque ex iis quoſdam conſecravit Antiſtites, quos legavit per Gallias. Hic miror, ſcribit Launojus, cur urbes, quibus importaverint Evangelium, non nominarit, quia cum ſortito ſcribit, æque potuit urbes illas nominare, ac dicere, Trophimum prius, quam Paulus Viennam ſe conferret, quoſdam per Gallias miſiſſe Epiſcopos. Præterea Menardus in Trophimo & Creſcente ſibi & Authoribus ſuis contradicit. Libellus quippe ſupplex, quem adſcrit & tuetur, diſerte notat, Civitatem Arelatenſem habuiſſe Sacerdotem Trophimum à Petro miſſum; Menardus vero ſcribit, Paulum in hac Civitate Trophimum conſtituiſſe Epiſcopum, & Ado tradit ex rumore: Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias pervenille &c. Aliud igitur eſt, Creſcentem Viennæ ad prædicandum relinquere; aliud, Creſcentem ibi conſtituere Epiſcopum. Menardus contra adfirmat intrepide, Paulum Viennæ Creſcentem ſtatuiſſe Epiſcopum, quod etiam adverſatur Uſuardo, quem opponit Miletus, atque à Milleto convenienter oppoſitum Menardus defendit. Nempe, apud Uſuardum Creſcens Galazarum Epiſcopus ſpecialis dicitur, apud Menardum vero Viennenſis conſtituitur Epiſcopus. Cæterum, fruſtra exigit Menardus à nobis, inquit hic Launojus, ut illud præſtemus, quod, uti is præſtaret, non ſine cauſa exegimus. Quippe, utitur is libello ſupplici, quem duobus opponit Authoribus, videlicet Scriptori Paſſionis Saturnini & Gregorio Turonenſi Epiſcopo, qui ante Annos plus-quam mille huic paſſioni tribuit fidem. Sed nullus Author Gregorio vetuſtior, nullus æqualis, nullus ſuppar libello ſupplici præbet teſtimonium. Enim vero (ex abundanti) præſto, quod Menardus à me cupit præ-

præſtari. Nam Prudentiùs, qui Paulo ante Leonem floruit, ſanctorum Martyrum & Confeſſorum, qui tunc habebantur illuſtriores, canit laudes, & Paulum Narbonenſem ac Geneſium Arelatenſem celebrat in Hymno ordine quarto Sic Fortunatus qui uno poſt Leonem Seculo vixit, Prudentii tactum exequitur & imitatur, & libri quinti Hymno ſecundo Sanctos Arelatenſes prædicat uti & libri octavi Poëmate quarto. Si autem tempore Zoſimi & Leonis notum id fuiſſet cunctis Regionibus Gallicanis, quod Epiſtola Zoſimi & libellus ſupplex Epiſcoporum Provinciæ notum eſſe dicunt, quis unquam crederet, Prudentium Fortunatum occaſione oblata Trophimum reliquiſſe incelebratum. Statuat nunc ante oculos ſibi Vir prudens & cordatus Epiſtolam Zoſimi & libellum ſupplicem, & quidquid in eis de Trophimo dicitur magnifice, atque tum remoto omni partium ſtudio videat, num Prudentius Paulum Narbonenſem & Geneſium Arelatenſem Trophimi collegam, & Fortunatus alios Arelatenſes ſemel ac iterum laudare, Urbemque Arelatem nominare, & Trophimum è contra omittere merito potuerint? Potiori ſane titulo Trophimus, quam Geneſius caneretur aut alius, & potius Arelas Trophimi, quam Genaſii urbs appellaretur. Si quis igitur hæc omnia inter ſe committat, furtiva hæc eſſe, atque ad poſteriorem duobus illis Scriptoribus ætatem pertinere ſine ullo judicabit negotio. *Sextum* concluditur ex his verbis: Hanc antiquitatem ſequentes Beatitudinis veſtræ prædeceſſores, hoc quod erga Eccleſiæ Arelatenſis privilegia tradiderat inſtitutio veſtra, promulgatis, ſicut & ſecunda ſedis Apoſtolicæ procul dubio continent, authoritatibus confirmarunt, credentes, plenum eſſe Rationis & Juſtitiæ, ut, ſicut per Beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem SS. Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius Mundi Eccleſias principatum, ita etiam intra Gallias Eccleſia Arelatenſis, quæ S. Trophimum ab Apoſtolis miſſum Sacerdotem habere meruiſſet ordinandi Pontificium vindicaret. Vide, quæſo, ſcribit Launojus, ac circumſpice, quid libellus hic Leoni & ejuſdem prædeceſſoribus tribuat falſi & abſurdi? Nemo ſane poterit unquam adduci, ut credat, tempore Leonis fuiſſe, qui Arelatenſem in omnes Galliæ Eccleſias principatum venditaret, utpote quem publica redarguiſſet diſciplina, ac omnis retro memoria damnaſſet. Hæ autem & ſimiles impoſturæ ad Secula pertinent poſteriora & obſcuriora. Menardus ſic reſpondet: Quibus verbis libelli male intellectis Launojus exiſtimat, Eccleſiam Arelatenſem ſibi in omnes Galliæ Eccleſias principatum vindicaſſe, quod judicat abſurdiſſimum, & ego quidem judico; videlicet, quod nunquam in horum Pontificum Leoni ſupplicantium venit mentem, cum dicant tantum, Eccleſiam Arelatenſem ſibi vindicare Pontificum ordinandi Epiſcopos intra Galliam, non vero principatum in omnes Galliæ Eccleſias. Unde petunt tantum, ut Eccleſiæ conſervetur privilegium primatus intra Galliam in Sacerdotio (ex) antiquitatis merito, quem primatum poſtea ſic declarant, porro ſcribentis: Unde factum eſt, ut non ſolum provinciæ Viennenſis ordinationem, ſed trium etiam Provinciarum contemplatione S. Trophimi, ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur authoritas, Eccleſiæ Arelatenſis Sacerdos ſemper ad ſuam ſollicitudinem curamque revocarit. Itaque, ſic pergit Menardus, cum ſibi ſemper Pontificium ordinandi intra Galliam vindicarit Arelatenſis Eccleſia, hoc nihil aliud ſonat, quam Jus metropoliticum in tres provincias memoratas, ut ſine Arelatenſi Epiſcopo nullus præſumat in eis Epiſcopos ordinare, uti videre eſt in Epiſtola Hilarii Papæ, quod antiquum jus eſt metropoliticum, uti videmus in Epiſcopis Antiocheno & Alexandrino ac ſimilibus in Synodi Nicenæ Canone ſexto. Quare comparatio de Eccleſia Romana claudicat. Launojus in confutatione reſponſi hujus ſcribit: Si comparatio hæc claudicat, ego verba libelli non male intellexi, quia ad libelli mentem intellexi, atque ſic male ea intellexiſſe perperam arguor. Sed inter Menardum & me hoc intereſt, quod Menardus falſam & inſulſam comparationem Epiſcopis Leoni æqualibus adſcribat, ego autem hanc illis injuriam non infero; atque ſic Menardus in Epiſcopos & me non veretur peccare, quod neglectu quærendæ & adſerendæ Veritatis adcidit. Loquitur vero

Digitized by Google

etiam pugnantia, cum dicat hinc, comparationem, quam ab authore libelli inſtitutam ſignifico, nunquam in Pontificum Leoni ſupplicantium mentem veniſſe; illine vero, hanc comparationem claudicare. Id enim in eorum venit mentem, quod fecerunt; at inſtituerunt comparationem, quæ judice Menardo claudicat. Tum, ut oſtendat claudicare, Pontifices Leoni ſupplicantes pugnantia locutos inducit; ex verbis enim libelli docet, Epiſcopos Arelatenſi Eccleſiæ vindicaſſe tantum jus Metropoliticum in tres provincias, quod à tempore Trophimi poſſederat. Quod autem jus tale Arelatenſi Eccleſiæ & convenire ſcribit, & Canone Niceno id adſertum eſſe adfirmat, fallitur egregie, & præterea injurioſus eſt in Leonem, qui privilegium hoc tum omni retro ætate, tum à Patribus Nicenis confirmatum ſuſtulit. At, nemo neſcit, nullum unquam Pontificem fuiſſe, qui Canonem illum magis adſeruerit & vindicaverit. (NB. Forte non deeſſet, quod hujus rei certitudinem poſſet in dubium vocare, niſi particula (magis) hanc locutionem aliquatenus limitaret.) Legat, qui voluerit Epiſtolam ejus quinquageſimam & tertiam cum duabus ſequentibus, uti & ſexageſimam primam cum ſequenti, & me verum dicere, Menardum vero mentiri, atque in Leonem eſſe contumelioſiſſimum certo comperiet. Legatur ipſa etiam Leonis Epiſtola, ordine & numero penultima, quam ad Provinciæ Viennenſis Epiſcopos ſcripſit, ac obſervetur, quid in ea de Hilario Arelatenſi decreverit. Cæterum, Hilarius Pontifex Leonis Succeſſor, quem laudat Menardus in Epiſtola ad Leontium ſeptima tradit nihil, quod vel contradicat Leoni, vel præſenti cauſæ ſerviat, id eſt, ea tueatur, quæ in libello ſupplici redarguntur. *Septimum* denique colligitur ex his verbis : Cur, nimirum Trophimo & Eccleſiæ Arelatenſi id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, ut non tantum has provincias poteſtate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata ſub omni regula Eccleſiaſtica contineret. At, ita Launojus infert, hæc oratio manifeſte prodit impoſtorem, Cæſario, Avexanio, Aureliano, & aliis Arelatenſium Epiſcopis poſteriorem, quibus Epiſcopi Romani ſuas in Gallia vices identidem delegarunt. Quare non his furtivis precibus Leo, ſed aliis reſpondet Epiſtolis, quæ, uti & illæ de electione & conſecratione Ravennii vel adhuc deliteſcunt in Bibliothecis, vel injuria temporum perierunt. Circa Menardi Reſponſum in genere obſervat Launojus, quod mala fide egerit, verba libelli non referens, uti ſe habent, ſed diminute. Sic autem reſpondet Menardus, quod adtinet exempla Cæſarii & ſequentium Epiſcoporum Arelatenſium, etſi non extent Pontificum Romanorum in hanc rem Epiſtolæ ante Cæſarium, tamen id ex eorum Epiſtolis Cæſario antiquioribus colligi. Launojus negat, id colligi, nec ita colligi poſſe, ut privilegium ſit Leone vetuſtius; quod tamen colligi deberet, ut ſua ſupplici libello conſtaret veritas. Menardus reſpondendo pergit, ſcribens, clarum id eſſe ex laudata Hilarii Pontificis Epiſtola ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum ſcripta, ubi agens de Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina ſic ei mandavit : Cui ſi aliquid eruditionis vel correptionis addendum eſt, rectiſſime per veſtram conſuletur diligentiam. At reponit Launojus, in hiſce verbis ne unum quidem eſſe apicem, ex quo poſſit colligi, Hilarium Pontificem ſuas vices in Galliis Leontio commendaſſe, & Menardum otio & lectorum abuti patientia hæc literis comittendo. Menardus adhuc pergit, atque putat id, quod contra Launojum ex libello ſupplici poſt Milletum ſumſit de Epiſcopi Arelatenſis authoritate defendendum, ulterius clarum eſſe ex Epiſtola ejuſdem Hilarii Pontificis ad Epiſcopos Galliæ ſcripta, in qua mandavit, ut per ſingulos annos congregetur Concilium juxta diſpoſitionem Leontii, cui ſollicitudinem in congregandis Metropolitanis ſe delegaſſe ſcripſit. Launojus interroget : Anne, cum Pontifex Hilarius injungit Leontio hoc munus, eum per Provincias omnes in Gallia conſtituit Vicarium, qui eas contineat ſub omni diſciplina Eccleſiaſtica, uti libellus ſupplex loquitur diſerte. Amplius pergit Menardus, exiſtimans, huc ſpectare primam ejuſdem Hilarii Epiſtolam ad Leontium ſupra nominatum, in qua ei ſuam ad Pontificatum ſignificavit promotio-

Digitized by Google

tionem, præcipiens, ut eam ad cæteros Galliæ Epiſcopos faciat notam. Launojus infert, hoc ad Vicariatum in libello ſupplici memoratum non pertinere, niſi eo etiam ſit referendum. quando Pontifex Hormiſdas ad Avitum Viennenſem ſcripſit Epiſtolam numero & ordine decimam de ſtatu Orientalis Eccleſiæ, hoc addito, ut per illum aliis quoque in Gallia Epiſcopis is innoteſcat. Menardus provocat quoque ad Gelaſium Papam, idem Æonio Epiſcopo Arelatenſi, qui deceſſor fuit Cæſarii, ſcribentem. Launojus idem reſpondet quoque, quod reſpondit ad teſtimonium antecedens, ita ut repetitione non ſit opus. Addit vero Menardus authoritatem Symmachi Papæ ad Cæſarium ſcribentis, ac ei vices ſuas in Gallia & Hiſpania conferentis. Sed reponit Launojus, verba hujus epiſtolæ ad illud pertinere Privilegium, quod Leo Pontifex ſanxerat. Adhuc pergit Menardus, idem patere ex epiſtola Pelagii hoc nomine Pontificis primi ad Sapaudum Epiſcopum Arelatenſem ſcripta, in qua ei vices ſuas conferat per Galliam. Quid vero exinde, reſpondet Launojus pro vicaria per omnem Galliam præfectura, quam ab initio habuerit Epiſcopus Arelatenſis, ut eam ſub omni diſciplina Eccleſiaſtica contineret? Tandem, ſcribit Menardus, idem confirmatur ex Epiſtola Gregorii M. quinta ad Virgilium Arelatenſem ſcripta, in qua hoc privilegium vocet morem antiquum. At, ita reſpondet Launojus. mos hic antiquus ortum habuit à Symmacho, qui primus & uſum Pallii & Sedis Apoſtolicæ vices in Galliis Arelatenſi Epiſcopo conceſſit. Atque hæc hactenus contra Menardum ad libellum ſupplicem Leoni M. inſcriptum & quam maxime ſuſpectum Launojus, quibus adhuc alias momenti non minoris ſubjungit rationes, quæ ejus arguunt ſuppoſitionem, quas vero nunc adducere brevitatis cauſa ſuperſedeo, utpote quæ ab oppoſitionibus Menardi & Natalis Alexandri, qui illum juxta propriam confeſſionem in hiſce Controverſiis eſt ſecutus, adhuc ſunt liberæ, Natali Alexandro in margine quidem provocante ad Notas Quenellii novæ operum Leonis Editioni inſertas vel ſubjunctas, uti & Diſſertationem ejus pro Hilario Arelatenſi Apologeticam, qui & Epiſtolam Zoſimi ad Epiſcopos Galliæ & libellum hunc ſupplicem Galliæ Epiſcoporum ad Leonem contra Launoji objectiones vindicaverit, quas vero Vindicias quia hactenus videre vel legere non fuit datum, judicium quoque de eis non licet ferre, hac tamen cum obſervatione, quæ non omnino improbabiliter ſtatuit, ſi quid Quenellius hic in rem præſentem adcuratius & meliori cum ratione adverſus Launojum pro utroque Scripto protuliſſet, quam à Menardo factum, Natalem Alexandrum vix illud fuiſſe prætermiſſurum, ſed una cum aliis inſeriturum Selectis, ut haberet lector partium ſuarum, quod Launojanis poſſet utiliter objicere.

Obſervatio ſeptima de Authore vero Profeſſionis Fidei, quæ Pelagio, Hieronymo, Auguſtino tribui ſolet vulgo.

EDidit ſuperinde peculiarem quoque Diſſertationem Launojus adverſus quendam innominatum, de quo in Præfatione monet, quod duplici argumento voluerit confirmare, Catholicam eſſe Fidei profeſſionem, quam Pelagius olim miſerit Romam, acceptamque probaverit Papa Zozimus atque hinc eam Hieronymus direxerit ad Damaſum, inde Auguſtinus uni è ſuis Sermonibus indiderit. Ad prius argumentum refert, quod ſtylo duriori eos vellicet, qui legitimos Scriptorum fœtus ſecernunt à ſpuriis, &, quæ de hoc argumenti genere diſputationes inſtituuntur, eos ad turbandos duntaxat ſcrupulis homines eſſe ſcribat idoneas, inſuperque induſtriam & δυσπαρηγορίαν, quæ linguis omnium gentium celebratur, oſtentationis vanæ adcuſet. Sic, ita cenſet Launojus de hoc Scriptore, quem paulo ante dixit eſſe Theologum, placuit bonæ rei factum adſcribere malum, atque in animos hominum, qui DEO patent ſoli, involare. Ad poſterius vero argumentum refert, quod Author hic oppoſuit opinioni contrariæ latam à

Theologis Pariſienſibus anno Seculi antecedentis poſt viceſimum primo in dogmata Lutheri cenſuram, in qua Auguſtinus uti Author Sermonis de tempore poſt centeſimum & nonageſimum primi, qui memoratam Fidei profeſſionem continet, laudetur, addens, illuſtrium Theologorum nepotibus & poſteris, qui in verba Cenſuræ jurarunt, ſignumque obſignarunt probe, inutile ac parum eſſe honorificum, Sermonem illum tanquam adulterinum repudiare. Non multum abeſt, inquit Launojus, quin hoc præſidio fictus eos, qui repudiant, religionis violatæ teneri contendat. Ad *primum* reſpondet Sorboniſta eruditiſſimus, illud ſponte ſua diſſilire, authoremque ſuum obruere. Nempe, pugnat hoc, bene ſic cenſet, contra Theologiam veram, quæ, cum ſitomni certior Scientia, exquiſitiſſima & indubitata tractandi principia ſuo ſibi jure depoſcit. Id Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique Patres docent, qui, ubi ſe præbet occaſio, ſcripturas exceruunt ſuppoſitias. Sed, ut Patres ſinguli prætermittantur, ipſa in hoc ſtudii genus diligenter ſibi incumbendum eſſ intellexerunt Concilia. Hinc illud, cui ſub Gelaſio Pontifice Romani nomen præfigitur, vera à falſis diſtinxit Evangelia, & quænam opera ſint amanda, quæ vero vitanda, quæ item authentica, quæ apocrypha, propriis Scriptorum nominibus deſignavit. Inde præſto eſt habita Conſtantinopoli anno ſeculi poſt Chriſtum ſexti triceſimo & ſecundo Præſulum Catholicorum cum Severianis Collatio, in qua Catholici procul amandarunt opera, quæ Severiani ſub nomine Dionyſii Areopagitæ in medium adduxerunt. Hinc ſexta Synodus etiam, dum relegit quintam, Epiſtolas declaravit eſſe ſubditicias, quæ in Actis ejuſdem Vigilii Pontifici Romano ac Menuæ Conſtantinopolitano adſcripta fuerant. Inde Synodus quoque Francofordienſis diſcidit fraudes, quas Elipandus Antiſtes Toletanus ex Hieronymi & Auguſtini teſtimoniis ad ſanciendam ſuæ hæreſi authoritatem cenſuit. Hinc porro Rodericus, Antiſtes itidem Toletanus in freqnentiſſimo Lateranenſi Concilio, quod prætide Innocentio Pontifice hujus nominis tertio fuit celebratum, diſtregit Antiſtitem Compoſtellanum, qui narratione rerum fabuloſarum conabatur à ſe depellere obedientiam. Inde poſtremo Synodus Tridentina ſtatuit, ut Martyrologia & libri Pontificales ab erroribus, qui in eos vel temporum vicibus, vel quorundam minus peritorum culpa irrepſerant, purgentur, atque in priſtinam integritatem adſerantur. His etiam adcedit Index, quo libri ſeu ſuſpecti, ſeu pernitioſi notantur. Mitto Baronium, Bellarminum, Perronium, illuſtriſſimam triadem Cardinalium, qui paſſim recognoſcendis Authorum veterum operibus tam utiliter vacarunt. Sic antiquis Tractatoribus; recentes, & primis ultima reſpondent Conciliis. Adeo certum eſt, ſemper in Eccleſia DEI (prudentibus) fuiſſe perſuaſum, Religionem Chriſtianam, quæ ſola conſtat Veritate, alieno (multo minus ſuſpecto & plane falſo) non indigere Patrocinio. Quocirca DEO & Eccleſiæ ſumma facit injuriam, & [illegible] habendus eſt, qui nullum in Religione diſcrimen veri ac falſi gerit, aut ab aliis gerendam putat, ſeu prava ductus Conſcientia, ſeu timore perculſus ſuperſtitioſo; quæ duo maxime adulterinis pleriſque ſcriptionibus vel cauſam dederunt, vel datam foverunt ac etiamnum fovent ardentius. Quaſi vero Veritas ſibi ſola non ſufficeret, aut illi hominum mendaciis ad ſui defenſionem eſſet opus. Ad *Secundum* vero argumentum ab authoritate Facultatis Theologicæ Pariſienſis deiumtum reſpondet Launojus, in eo leges Hiſtoriæ negligi. Nam, inquit, Articuli, quibus Theologi Pariſienſes ſubſcribunt, non ii ſunt, quos Facultas Anno ſupra laudato, ſed, quos Anno demum quadrageſimo & ſecundo condidit. Baccalaurei etiam, quive Licentiam adepti ſunt, Actus quidem Scholaſticos non ante incipiunt, quam ex animo proteſtentur, ſe nihil eſſe dicturos, quod generatim & in averſione Articulis repugnet Pariſienſibus; ſed proteſtationes haſce non obſignant. Communes nimirum proteſtationes, quæ in ſingularum Diſputationum Theologicarum aditu fiunt quotidie, confudit hic Author cum illo actu ſolemni, quo ſemel in Biunio Articuli Pariſienſes Anni poſterioris coram omnibus Magiſtris leguntur, atque à Baccalaureis Licentiæ candidatis ſubſcribuntur. Ille autem Articulus anni prioris, qui magna cum eloquentiæ pompa producitur, potuiſſet ſatis prudenter non produci; etenim, an Auguſtinus Sermonem citatum de tempore compoſuerit, vel non, mera facti eſt

quæ-

Digitized by Google

quæſtio; quæ à novitate correctionis non abhorret. Sub idem ſcilicet tempus eadem Facultas cenſuit, Dionyſium Areopagitam eſſe authorem operum, quæ illi (vulgo) tribuuntur. At, anno hujus ſeculi poſt quadrageſimum tertio Vir eruditionis eximæ, *Iſaacus Habertus*, Theologus Pariſienſis & Epiſcopus poſtmodum Vabrenſis cenſuit aliter in libro Pontificali Eccleſiæ Græcæ, cum injeciſſet ſermonem de Hieracchia Eccleſiaſtica, ea peculiari obſervatione Dionyſio abjudicans; quem librum Pontificalem atque in eum obſervationes probarunt Theologi Pariſienſes quatuor. Cæterum, qui anni prioris articulum ſuæ defentionis facit Achillem, cum alias Philoſophiam doceret in Academia, atque in libros Ariſtotelis de Anima commentaretur, deſertis Pariſienſibus aliam docendi viam inivit, animam quippe ejuſdem eſſe in cunctis hominibus ſpeciei tradidit, contra quam tradendum Pariſienſes in articulis veteribus decreverunt. Videat ergo, qua ratio ne ſolvatur religione erga Majores noſtros; præſertim quia gravior eſt hæc Juris, quam Facti quæſtio, in qua (ſcilicet facti) non facile committenda aſt Facultatis Theologicæ authoritas, utpote quæ uſitatam tunc Sermonum Auguſtini editionem, vel *Guilielmum Pariſienſem*, qui ſermonem hunc tribuit Auguſtino, ſecuta eſt, & gravioribus diſtracta negotiis in unumquemque Sermonem haud inquiſivit. Fingat autem ſibi quis, quantam-maximam eſſe voluerit in Pariſienſibus, vel aliis etiam Theologis Scientiæ emineptiam, ea nunquam efficiet, ut opus, quod Hieronymi vel Auguſtini non eſt, eorum eſſe poſſit. Hæc in Præfatione habet Launojus. In ipſius vero diſputationis capite primo poſtquam ex Hieronymo & Auguſtino ipſam hanc Fidei Pelagianæ profeſſionem collateraliter exhibuit, capite *ſecundo* diverſis quatuor rationibus oſtendit, eam Hieronymi non eſſe. *Prima* earum deſumitur ex libro, quem de Viris illuſtribus, ſive de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcripſit. In hujus enim fine, cum, quos ipſe Tractatus ediderit, ſingillatim recenſet, nullam facit mentionem Explanationis Symboli ad Damaſum, ſine dubio facturus, ſi aliquam elucubraſſet, atque ad hunc Pontificem miſiſſet, vel eidem dedicaſſet; recenſet namque ibidem opera, quæ nec melioris ſunt notæ, nec dignioris, quæ recenſeantur. Id præterea exigebat Damaſus, qui per aliquod tempus opera Hieronymi uſus eſt. Conveſtitum his rerum conditionibus ſilentium eſt inſtar locutionis apertæ, qua explanatio Symboli ad Damaſum abjudicatur Hieronymo. Secunda petitur ex erroribus Joviniani, quorum mentio incidit in hac fidei profeſſione. Pontifex enim Damaſus ante migraverat ex hac vita, quam hos errores Joviniani cognoſceret Hieronymus, cognitoſque libris duobus refelleret, quod Baronius in annum Chriſti tricenteſimum & nonageſimum ac Siricii Papæ ſextum rejicit, ſignificatque, Jovinianum à Siricio prius damnatam fuiſſe, quam à Hieronymo refututum. Et vero, quamvis incertum eſſet, quo Æræ chriſtianæ anno hæreſin Joviniani cognoverit, ac contra eum ſcripſerit Hieronymes, utrumque tamen poſt mortem Damaſi adcidiſſe certiſſimum eſt, quod partim colligitur ex primo adverſus Jovinianum libro, partim ex Chronico Proſperi, qui Arcadio & Bautone Conſulibus Hieronymum Bethlehemi egiſſe ſcripſit, horum vero conſulatus in annum ſeculi poſt Chriſti quarti octogeſimum & quintum incurrit, quo Siricius Damaſi Succeſſor proximus Romanam adminiſtrabat Eccleſiam. Liquet hinc, Hieronymum nec Romæ, nec alio in loco, quam in urbe Bethlehem extitiſſe, cum à Romanis Joviniani libellos accepit, atque id Damaſo iam vita functo contigiſſe. Præterea, qui damnatam Romæ hæreſin Joviniani in tempus Anaſtaſii Papæ transferunt, continuo declarant, longe poſt mortem Damaſi ab Hieronymo cognitos fuiſſe hujus hæretici errores, quos poſtea profligavit. Sic inprimis habet Author ille vetus, cui Sirmondus indidit nomen Prædeſtinati, libri videlicet primi de hæreſibus numero poſt octogeſimum ſecundo. Si namque, cum Hieronymus contra Jovinianum non ante ſtrinxit calamum, quam Jovinianus Romæ à Siricio vel Anaſtaſio, qui Siricio proxime ſucceſſit, perculſus fuit, certiſſime poſt obitum Damaſi ſcripſit. Qui autem fieri potuit, ut Hieronymus eam Fidei profeſſionem componeret, cicaretque vel mitteret Damaſo, in qua jam proſcriptorum ab Eccleſia dogmatum Joviniani meminiſſet? *Tertia* quæritur

ex iis, quæ spectant ad controversiam Pelagianorum. Apud omnes enim eruditos est in confesso, in ista Fidei professione tangi quæstiones, quæ inter Catholicos & Pelagium de gratia DEI & libero hominis arbitrio versabantur. Atqui Hieronymus talem Fidei professionem mittere non potuit ad Damasum, qui Anno seculi post Christum quarti octogesimo & quarto excessit, hoc est vicesimo & uno ante quam Pelagius res novas in DEI Ecclesia moliretur, nec non vicesimo & octavo ante quam Hieronymus debellaret Pelagium. Baronius certe anno seculi post Christum quinti hæresin Pelagii exortam consignat, & anno sequenti undecimo prostratam ab Hieronymo fuisse tradit. Neque de hujus hæreseos vel exortæ vel ab Hieronymo profligatæ Epocha potest ulla superesse dubitatio, quæ iis, qui hanc Fidei professionem Hieronymo tribuunt, patrocinatur. *Quarto* tandem comparatur ex iis, quæ in hac Fidei professione ad originem animæ spectant. Hieronymus nempe Dogmatibus Ecclesiasticis eam non adcenset opinionem, quæ illis in hac Fidei professione adscribitur; qua in re ipse sibi testis est Hieronymus in Epistola ad Marcellinum & Anapsychiam. Equidem in una quadam adversus Rufinum Apologia Sententiam de Creatione animarum videtur amplecti, sed eam pro dogmate Catholico non habet, exponens, quid ipse sentiat, non quid Ecclesia credat. Neque etiam Rufinus in dogma Fidei certum ausus esset invadere, nec insuper Hieronymus timuisset dogma Fidei certum proponere, quod Rufinus impugnaret. Non enim Rufinus id impune tulisset ab Hieronymo, uti ex libris ejusdem contra Rufinum editis adparet. Hieronymus igitur in hac adversus Rufinum Apologia non agit de dogmate Fidei, sed de opinione propria; quod etiam Augustinus observat in Epistola ad Hieronymum vicesima & octava, refutans Hieronymi de creatione opinionem, non confutaturus, si dogma fuisset totius Ecclesiæ, aut dicturus, Hieronymum esse lapsum, id pro dogmate tenentem, quod dogma non esset. Verum, hoc minime dixit vel scripsit Augustinus, quia dicendi vel scribendi nulla fuit occasio. Præterea imperitiæ tantum, non erroris in Fide Rufinum insimulavit, quod scilicet super statu Animarum nihil certi & definiti se tenere affirmavit, expectans DEI revelationem. Sequitur Caput tertium, quod quinque rationes exhibet, ob quas hæc Fidei professio non sit Augustini. *Primo*, inquit Launojus, inprimis in hac Fidei professione tanguntur hæreses, quarum mentionem nullam facit Augustinus in libro de hæresibus. At, credibile non est, tum in hac fidei professione hæreses damnasse, quas in libro de hæresibus prætermiserit. *Secundo*, Professionis author certam quandam hæresin Joviniani accipit omnino secus, ac ipse Augustinus retulit in laudati de hæresibus libri numero post octogesimum secundo. Nempe, Jovinianus apud Augustinum ajebat, hominem, qui baptizatus sit, peccare non posse; hanc vero non peccandi conditionem reticet Author, quicunque sit, Fidei professionis, quod vero fraudis vel ignorantiæ genus non cadit in Augustinum. *Tertio*, idem Augustinus in ejusdem libri de hæresibus numero post quinquagesimum quinto aliter repræsentat hæresin Apollinaristarum, quam in hac Fidei professione, quod itidem suspectum facit ejus authorem. *Quarto*, Augustinus non facile adsentitur huic articulo, Animos à DEO dari, dum quotidianam earum creationem dogmatibus Ecclesiasticis non adscribit, uti liquet ex ejusdem libri numero octogesimo, uti & ex laudata ad Hieronymum Epistola, in qua probat, nullis Scripturæ locis eam apte confirmari opinionem, quæ singulas singulis nascentibus animas à DEO dari contendit. Hoc autem de dogmate Ecclesiastico Augustinum dixisse vel scripsisse, quis in animum suum induceret? Constat id porro ex ejusdem Augustini Epistola post centesimam & quinquagesimam septima ad optatum, uti etiam ex libri quarti de animæ origine ad Vincentium Victorem capite primo & secundo. Ex quibus omnibus perquam est manifestum, relatam Fidei professionem minime ad Augustinum pertinere. Quis enim & qua ratione probaret, Augustinum in Ecclesiæ dogmatibus eam de animæ origine opinionem posuisse, quam in Scripturis Canonicis non reperisse se testatur; quamque non audet definire, & quæ tandem

Digitized by Google

dem ipſius Auguſtini judicio adjuvat Pelagianos? *Quinto* denique, quod in Sermone poſt centeſimum & nonageſimum primo tempore factum tribuitur Auguſtino, à Patrum antiquorum & Tractatorum uſu penitus abhorret. Nam è tanta illorum multitudine nullus eſt, qui, cum diceret ad populum Chriſtianum, exordio peracto ſtatim ſit adgreſſus Symbolum vel Apoſtolicum, vel Nicenum, vel Conſtantinopolitanum, illudque continuo, nec ullis diſtinctum Commentariolis recitaverit, eoque recitato finem fecerit dicendi, quemadmodum in Sermone hoc repræſentatur. Auguſtinus etiam aliter plane ſe geſſit, cum de rudibus catechizandis ſcripſit; aliter quoque, qui apud ipſum vel ſub ejus nomine Concionem ad Catechumenos ſcripſit, ac libros quatuor de Symbolo Fidei edidit ad eoſdem. Quin & aliter ſe geſſit Petrus cognomine Chryſologus, qui de Symbolo Apoſtolorum Sermones numero ſex compoſuit. Non enim populo Symbolum recitat nude, ſed diverſa illius commata variis diſpungit atque illuſtrat Notatis. Adde, quod neque Poſſidius in Indiculo, nec Beda, diligentiſſimus operum & Sermonum Auguſtini luſtrator, ullum huic Sermoni præbeant teſtimonium.

Caput *quartum* diſquirit, an hæc Fidei profeſſio ante Caroli M tempus Hieronymo fuerit tributa? Partis negantis rationes comparantur ex rebus geſtis Concilii Francofordienſis. Si enim, quo tempore illud fuit celebratum, hæc Fidei profeſſio inter Codices Hieronymi extitiſſet, quin laudata fuiſſet à Patribus, vix poteſt dubitari. Nimirum, duæ fuerunt cauſæ laudandi eos ſub expreſſo illius nomine. Una quidem, ut Elipandi, Toletani Epiſcopi & ſectatorum fraudes eo facilius detegerentur; altera autem, ut Fidei Catholicæ traditio adverſus hæreticos confirmaretur. *Elipandus* enim & ſectatores, ut Chriſtum adſererent eſſe Filium DEI adoptivum, in adſertionis ſuæ teſtem perperam adducebant Hieronymum. Commodum igitur oportuit impactam Eccleſiæ Doctori falſitatem repellere, eumque in dogmatis Catholici vindicem & confirmatorem adferre, cum in ſæpius relata Fidei profeſſione negetur expreſſe, Chriſtum eſſe Filium DEI adoptivum. Sed cum prætermiſſa ſit à Francofordienſibus hæc citatio, planum videtur atque indubitatum, tunc temporis, quo habita eſt Synodus hæc Francofordienſis, nondum fuiſſe, qui hanc Fidei profeſſionem interpoſuerint Commentariis Hieronymi, eique titulum explanationis Symboli ad Damaſum fecerint. Partis vero adfirmantis rationes ſunt omnino duæ, quarum una colligitur ex Codice manuſcripto, quem Sirmondus quondam præbuit conſpiciendum, in quo continebantur varia, quæ non unius erant Authoris, ſed plurium. Extabat ibi inter alia expoſitio hæc Fidei ſub nomine Hieronymi, & notabatur utcunque codex Carolo M. jam Rege, nec dum Imperatore ſcriptus; ſcriptura tamen videbatur recentior, neque poterat ad Caroli Regis ætatem pertinere. Altera repetitur ex libris, quos Carolus compoſuit de Imaginibus, vel ab alio compoſitos adoptavit, ac exinde libri Carolini ſunt nuncupati, utpote quorum tertius ab hac Fidei profeſſione incipit, & cum eadem finit. Sed, ita cenſet Launojus, multa hinc inde occurrunt, quæ prohibent, ne probetur id efficaciter, quod pars vult adfirmans. Nam primo, cum hic Codex variorum poſt ætatem Caroli M. ſit exaratus, nullam propoſitioni adferendæ utilem ſuppeditat rationem. Deinde librarius & codicis compoſitor ſuæ ſcripturæ veſtigia in Regno Caroli impreſſa, potuit relinquere, etiamſi Caroli Regis non fuerit æqualis. Tum etiam potuit poſt Carolum in Codicem hunc ce ſuum plura ſimul conferre monumenta, quorum tantummodo unum ad Caroli tempus pertineret. Hoc eventu minime ſequeretur, cætera eodem tempore jam tum primum conſcripta eſſe monumenta. Qui enim Codices manuſcriptos ſolent tractare, norunt adprime, non omnia ejuſdem ſemper ætatis eſſe, quæ in illis inveniuntur. Secundo, Fidei profeſſio, quæ Hieronymo tribuitur, poſt Carolum facile potuit inferri libris de Imaginibus, ab eo, qui eos deſcripſit, ratus, monimentum & prælidium hoc illis deeſſe. Tertio, Rex Carolus, qui multa movet, ſcribit, loquitur in Concilio Francofordienſi, non potuiſſet non uti hac profeſſione Fidei, utpote, quæ ſola rem decidit, ac hæreſin Elipandi & ſequacium per-

percellit. Quisautem contendat, Carolum hanc Fidei profeſſionem ſuis indidiſſe libris de Imaginibus,ubi minus videbatur eſſe neceſſaria,& non indidiſſe Actis & Definitionibus Synodi, ubi vel maxime videbatur neceſſaria? Hoc prudens & adtentus nemo contendet unquam.Quarto, Alcuinus in libris ſeptem,quos contra Felicem Epiſcop. Urgelitanum, atque in libris quatuor,quos adverſus Elipandum Toletanum Epiſcopum,item in Epiſtolis duabus,quas ad eundem Elipandum,uti & in libro, quemde ratione animæſcripſit, ſæpiſſime quidem laudat Hieronymum,&doctrinam illius contra Novatores illos prædicat, & tamen nuſquam meminit hujus Fidei profeſſionis quæ in libris Caroli M.de Imaginibus tribuitur Hieronymo. Quinto,Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus elucubavit contra Felicem Urgelitanum opus,in quo quinquiescitatHieronymum,nec tamen ipſe uſquamctiat Explanationem ſymboli, quæſi tunc habuit, quod nunc habet, hæreſin Felicis profligavit.

Succedit caput *quintum*,quod docet,hanc FideiConfeſſionem ante Carolum M. adſcriptam non fuiſſe Auguſtino,& quidem iis rationum momentis, quibus probatum eſt, eandem non eſſe Hieronymi,quæ nimirum ſuppeditat Concilium Francofordiense in epiſtola,quam Præſules Galliæ &Germaniæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ miſerunt,ad quam pertinet etiam epiſtola,quam Papa Adrianus ad eoſdem Epiſcopos Hiſpaniæ adverſus Elipandum ſcripſit, in qua ex quodam Auguſtini in Evangelium Johannis Sermone contra Elipandi dogma quædam laudantur & eidem opponuntur,unde demonſtratur,quod non modo Elipandus & Sectatores ejus Auguſtino adfinxerint dogma ſuum,ſed etiam Synodus (& jure quidem longe meliori) dogma ſuum Auguſtini teſtimoniis confirmarint, verum non ex hac fidei confeſſione,quæ tamen cæteris omnibus teſtimoniis præponderaſſet.ſi creditum fuiſſet,eam Auguſtini eſſe, ac prodidiſſent cauſam Synodus & Papa,ſi Elipando & ſociis hanc ſidei Confeſſionem non objeciſſent. Quia autem id factum minime, cum occaſio ſe obtulit,dum pars adverſaria ad conſenſum Auguſtini provocavit,manifeſtum eſt indicium, tunc neminem adhuc fuiſſe,qui hanc Fidei confeſſionem tribuerit Auguſtino. Inſuper deſunt in Auguſtino hæc argumenta duo,quæ partem adfirmantem capite ſuperiori nonnihil ſuſtentarunt;& quia deſunt, hinc nova lemmatis præſcripti confirmatio in cumulum adcedit,ac pro certo habendum, hanc Fidei confeſſionem poſt Carolum M. Auguſtino demum fuiſſe ſuppoſitam; quo autem tempore,capite ſequenti *ſexto*,agitur,in quo Launojus ex uno alterove teſtimonio deducit, hanc Fidei profeſſionem poſt Carolum Magnum tribui cœpiſſe, citius quidem Hieronymo, tardius autem Auguſtino, in anteceſſum proteſtans ingenue, ſe pro comperto non tenere, quo tempore id præciſe factum, & qua præſertim ratione hæc Fidei profeſſio utrique adſcripta, ac libris illorum poſtea fuerit inſerta, ea tamen colligens documenta è Scriptoribus, è quibus aliqua probabilis ſuſpicio poteſt hauriri. Nimirum, ſub Carolo, inquit, Calvo, qui ad annum ſeculi poſt Chriſtum noni quadrageſimum in Gallia cœpit regnare, Remigius, vel Eccleſia Lugdunenſis hanc Fidei profeſſionem Hieronymo adpinxit in libri de tribus Epiſtolis capite poſt triceſimum nono. Aut igitur Remigius habuit Codicem operum Hieronymi, in qua hæc Fidei profeſſio ſub nomine ejus extitit, aut ipſe primus eam adſcripſit Hieronymo, aliiſque idem faciendi dedit exemplum. Hinc ſcilicet factum, ut Gratianus, qui ad annum ſeculi poſt Chriſtum duodecimi quadrageſimum edidit Concordiam canonum diſcordantium, aliquam hujus profeſſionis plagulam ex Hieronymo retulerit in cauſæ poſt viceſimam quartæ, Quæſtionis primæ, capite poſt decimum quarto, ac circa idem tempus Magiſter Sententiarum ex eadem Hieroymi explanatione ad Damaſum aliqua excerpſerit libri primi diſtinctione poſt viceſimam quinta, libri ſecundi diſtinctione poſt viceſimam octava & poſt triceſimam ſexta, libri item tertii diſtinctione quinta. Hoc, inquit Launojus, loco ſpiſſi & non neceſſarii laboris foret recenſere Thomam, Bonaventuram & reliquos, qui vel in Sententias Magiſtri, vel in Decretum Gratiani ediderunt Commentarios; ſiquidem omnes illi Magiſtrum & Gratianum ſecuti ſunt intrepide, nec fidem illorum explorarunt amplius. Auguſtinum vero quod adtinet, illi tardius adſcrip-

Digitized by Goog

ſcripta fuit hæc Fidei profeſſio, quia non facile invenietur, qui ante annum ſeculi decimi & tertii triceſimum Auguſtino eum adtribuerit. Primus enim hoc tempore occurrit Guilielmus Pariſienſis, qui in libri de Vitiis & peccatis capite decimo ex hac fidei profeſſione aliquod teſtimonium ſub Auguſtini nomine adduxit, niſi forte Auguſtinum pro Hieronymo per aliquam accepit incogitantiam, cum illo tempore omnes hanc fidei profeſſionem in fide Lombardi & Gratiani, qui tunc ſoli fere verſabantur in Scholaſticorum manibus, Hieronymo adſcriberent. Sed ſi Guilielmus hic Pariſienſis, qui ſupra coævos ſcribendi ratione extulit ſeſe, illam Auguſtino reapſe tribuit, factum oportet ex aliquo codice Sermonum Auguſtini, in quem illata tunc erat hæc fidei profeſſio, cuique ſermonis exordium ab aliquo ſub nomine ejus fuit præfixum. Hunc poſtea exceperunt alii, qui, cum rebus aliis vacarent, in Sermones Auguſtini typis mandatos non inquiſiverunt, ſed miſſo potius in compendium ſtudio judicibus contenti id arripuerunt, quod cauſæ & tractatibus ſuis opitularetur. Qua vero potiſſimum ratione & via, ſic porro Launoius pergit, factum ſit, ut hæc fidei profeſſio duobus ſanctiſſimis Eccleſiarum Magiſtris, Hieronymo & Auguſtino fuerit ſubjecta, ſcitu eſt difficile, ac uniuſcujuſque permittitur conjecturis, quæ tamen expeditiores videntur in Hieronymo, quam Auguſtino. Et quidem quoad Hieronymum modi ſuppetunt tres, quibus Hieronymo potuit adſcribi. Primo enim, ſi reperta eſt ἀδέσποτος, tunc librarius non (plane) nullius eruditionis, cum in ea errores Joviniani, quos confutaverat Hieronymus, damnari, cum ſcriptionem hanc eſſe idoneam, eamque placitis Hieronymi conſentire perſpiceret, illi tribuere non dubitavit. Secundo, ſi profeſſio hæc fidei cum titulo & inſcriptione Pelagii eſt inventa, tunc librarius pietatis itidem non plane nullius doluit, eam, quæ ipſi videbatur optima, nomen Pelagii præ ſe ferre, atque ſic nomen odioſum ſuſtulit, & aliud glorioſum ſubſtituit. Tertio denique, ſi confeſſio hæc ἀνώνυμος Codici eſt illata, in quo cætera Hieronymi opera fuerunt, tum ex illa codicis unius compactione non Hieronymi apud incautam poſteritatem accepit, quod in aliis etiam Patribus accidit non raro. Quoad Auguſtinum vero, res hæc paulo difficilius atque imperitius eſt tranſacta. Difficilius, quia oportuit aliquem huic profeſſioni Concionale exordium præfigere, ut, qui libellus reipſa non erat ſermo, talis eſſe videretur. Imperitius autem quia Auguſtinus hunc fidei libellum in genere & per averſionem rejecit. Et ſane quæ in eo de libertate arbitrii ad utrumque flexibilis & commutabilis dicuntur; poſterioribus Auguſtini dogmatibus non omnino concordant. Cæterum Quæſtio de tempore, quo primum hæc fidei confeſſio tribui cœpit Hieronymo & Auguſtino, non magni ponderis eſt, poſtquam conſtat, eam neutrius eſſe vel eſſe poſſe; quia tamen ad hiſtoriam rei Theologicæ certo quodam modo pertinet, hic non fuit prætermittenda.

Capite *ſeptimo* probatur, eam unius eſſe Pelagii. Præſto hic eſt Codex Vaticanus manu ſcriptus, ex quo eam Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis publicavit, cui plane ſuffragatur Auguſtinus in libri de Gratia Chriſti contra Pelagium & Cœleſtinum capite triceſimo, uti & triceſimo ſecundo & tertio, quin etiam in libri ſecundi de Peccato originali contra eoſdem capite viceſimo & primo; quæ Auguſtini teſtimonia ſuis expenſa ponderibus cum Codice Vaticano mirum in modum confirmant ea, quæ ſecundo & tertio capitibus ſunt diſputata, atque ſufficiunt, ut hæc fidei profeſſio adjudicetur Hieronymo & Auguſtino. Huic quidem quia Auguſtinus alias non ita ſecum ageret; illi autem, quia Auguſtinus ei in materia, de qua agitur, eruditionis Eccleſiaſticæ principatum concedit, nominatim in libri tertii de peccatorum meritis & remiſſione capite ſexto, uti & in libri primi contra Julianum capite ſeptimo, tantum abeſt, ut eum adeo graviter redarguat. Certe poſt hæc Elogia non adcuſaret libellum fidei, quem Hieronymus edidiſſet ad Damaſum. Quare quæ capitibus duobus antedictis ſunt adducta, ea neceſſitas rei nulla exegit, ſed ſola quorundam hæſitatio, qui hodieque ſcribunt, hanc fidei profeſſionem, quod inter libros Hieronymi & Auguſtini comparet, & à pleriſque magni no-

minis Authoribus sub nomine Hieronymi vel Augustini citatur, ad hunc vel illum, vel etiam ad utrumque certo quodam modo pertinere. Verba scilicet hæc illorum sunt, qui fuligine quadam Sophistica dealbati scribunt & loquuntur. Sed pessimum hoc est de veris operum literariorum authoribus censendi genus, quo multa fovetur ignorantia, & modicum eruditionis adquiritur. Capite *octavo* indicatur, videri nonnihil insertum huic professioni seu libello fidei, postquam Pelagius eum obtulit Sedi Apostolicæ. Utrum namque, scribit Launojus, hic libellus integer & sine ulla additione pervenerit ad nos, non immerito potest dubitari. Quæ enim in ea ad pravam Eutychis opinionem pertinent, Pelagio cognita esse non potuerunt, qui hunc fidei libellum edidit sub finem Pontificatus Innocentii hoc nomine primi, vel sub initium Pontificatus Zosimi, quem ad annum seculi post Christum quinti decimum & octavum è vivis excessisse tradunt Annales Ecclesiastici, cum Eutyches infelix demum ad annum illius seculi quadragesimum & octavum cœpit emergere, qui positas in Christo duas à Nestorio personas improbas vehementius confusionem induxit Naturarum, quod dogma futurum Pelagius non potuit præsagire tunc, quando hunc fidei libellum obtulit Sedi Apostolicæ, imo exortam suo tempore hæresin Joviniani non adæque repræsentans. Jovinianus certe non ita simpliciter dixit, hominem peccare non posse, uti legitur in hac fidei professione, sed potius adseruit, uti est apud Augustinum loco supra citato, hominem lavacro regenerationis susceptо peccare non posse. Hoc autem perinde observo, inquit Launojus, quasi libellus ille hac in parte nihil detrimenti sit passus ab incuria librariorum, de qua re nihil adfirmo nunc. Interim existimo eidem, quod hæresin Elipandi notandam adtinet, insertum esse, ne quid videretur deesse; quinam vero inseruerint, an Concilii Francofordiensis Patres aliqui, vel alii quidamtemporis progressu, incompertum est. Quod autem ante Concilium hoc Francofordiense hic fidei libellus non habuerit, quod contra adoptionem Christi-hominis legitur in eo, tres suadent rationes. Prima est, quia Synodus Francofordiensis hunc fidei libellum non objecit Elipando, cum multa objecerit, quæ tantæ non sunt authoritatis. Secunda, quia nihil potuit objici efficacius, cum ipsam rem deciderit. Tertia, quia Patres Concilii adcusari non possunt diligentiæ minoris, dum ex Actis illorum constat, eos omnem adhibuisse diligentiam. Certe illaudatum nihil prætermiserunt, quo vel hæresis confutaretur, vel dogma Ecclesiasticum confirmaretur atque exponeretur. Capite *nono* sic pergit Launojus: Sunt, qui visum ab Hieronymo publicatumque hunc fidei libellum Scriptis nuper prodiderunt; sed eos quam oppido fefellit credulitas, cum id probaverint tantum ex ea Inscriptione, quam libellus hic præ se fert apud Hieronymum, dum vocatur explanatio Symboli ad Papam Damasum; qui tamen titulus & meram sapit ἀυτροσίαν & ipsum opus detrahit Hieronymo, quod eidem impertitur. Ego autem, inquit Launojus, utrum hunc libellum à Pelagio Romam missum viderit aliquando Hieronymus, adseverare non ausim; quia Hieronymus ipse nihil ea de re tradidit, nec etiam alii Scriptores antiqui quidquam de ea mandarunt memoriæ. Præterea versabatur tunc Hieronymus in Oriente, nec diu vixit post annum seculi quinti decimum & sextum, quo hunc fidei libellum Pelagius misit Romam, anno videlicet sequente vicesimo ad Superos discedens. Potuit quidem ex Urbe libellus hic transmitti ad Hieronymum, sed num reipsa fuerittransmissus, satius esse duco, judicium suspendere, quam temere id adfirmare. Quin autem iis consimilia, quæ reperiuntur in libello hoc, Hieronymus docuerit, non dubito, idque perspicuum est ex secundo contra Pelagianos libro. Capite *decimo*, ita prosequitur, disputationem hanc Launojus: Inter omnes convenit, huic libello Pelagii, Remigium Lugdunensem, Gratianum, Lombardum Thomam, Bonaventuram & alios, qui super Gratianum vel Lombardum scripserunt Commentarios, ac tandem quoque Theologos Parisienses suis in Lutherum censuris, hinc sub Hieronymi, inde sub Augustini nomine multum tribuisse; & qui repugna

pugnaret, imperitum ſe oſtenderet, ſolaque lectione ad pudorem uſque confutaretur. Verum, ſi Doctores laudati perfecte ſciviſſent, hunc Fidei libellum à Pelagio Romam fuiſſe miſſum, ibique lectum à Zoſimo Pontifice & adprobatum, eidem niſi plus, at certe non minus tribuiſſent. Quin etiam hunc libellum pro opere ipſius Zoſimi potuiſſent quodammodo habere, ſuum namque Zoſimus fecit, cum adprobavit. Suffragatur hic Proſper, vel quivis alius, qui præteritorum Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum authoritates de Gratia DEI collegit, ac Cœleſtini ad Præſules Galliarum Epiſtolæ in Codice canonum Eccleſiæ Romanæ adtexuit. Ipſe Zoſimus vero hunc Fidei libellum Romam à Pelagio miſſum ideo, ut cum Sede Apoſtolica rediret in gratiam, ſe teſtatur adprobaſſe in Epiſtola ad Africanos quarta, quam Baronius è Codice Vaticano eruit, ac Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit, ex qua conſtat, hunc Fidei libellum Romæ à Zoſimo Pontifice lectum, diligenter examinatum & omnino adprobatum fuiſſe. Neque tam obſtinato & pertinaci animo ullum eſſe puto, qui velit inficias ire, vel punctum aliquod deſiderari notet. Si autem, quo tempore Pelagius hunc Fidei libellum miſit Romam, aliter intus credidit, ac libellus iſte præ ſe tulit, vel etiam, poſtquam miſit Romam, aliter iterum ſenſit, quam ex libello & regula Fidei Catholicæ fuit ſentiendum, id neque miſſo Romam libello, neque adprobanti cum Zoſimo poteſt nocere, ſed tantum Pelagio, qui aut nefarium egit veteratorem, aut in hæreſin ſemel ejuratam poſtea relapſus eſt. Nam & Eccleſia libros quoſdam recipit in Canone, quorum Authoris ſalus ab antiquis hodierniſque Tractatoribus vocatur in dubium. Doctores ergo laudati, ſi adnexam libello huic Epiſtolam Pontificis, qua is adprobatur, eſſent nacti, vocari non poteſt in dubium, quin illi tunc majorem, vel certe parem, ac ſub Hieronymi vel Auguſtini nomine dediſſent authoritatem. Sed ferendus eſt hac in parte error illorum qualiſcunque, quo licet non-nulla in diſcernendis Veterum operibus ἀκριβείᾳ notatur, nihil inde tamen, contra quam alias ſolet adcidere, in cauſam, cui confirmandæ vacarunt, redundat detrimenti. Capite *undecimo* obſervat Launojus porro, Auguſtinum hoc Fidei libello non ita contentum fuiſſe, quod putat conſtare ex libri ſecundi ad Bonifacium capite tertio, in qua tractatione duo notat occurrere Launojus, quæ ſe nec capere, nec adſequi poſſe fatetur. Unum eſt, cur poſt admiſſum à Sede Apoſtolica libellum Pelagii, & poſt miſſas à Zoſimo epiſtolas ad Aurelium & univerſos per Africam Epiſcopos non dixerit, quod in ſermone ſecundo de Verbis Apoſtoli dixerat de Innocentii Papæ reſcriptis : *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, unde etiam Reſcripta venerunt. Cauſa eſt finita, utinam error aliquando finiatur.* Cur inquam hoc ipſum non dixerit, cum major adhuc dicendi ſuppeteret occaſio? Nempe, Innocentii ſucceſſor erat Zozimus, qui deceſſoris diligentiam ſua cumulaverat, & operi illius impoſuerat coronidem, prout literæ ſupra laudatæ teſtantur. Alterum eſt illa diſtinctio, qua hunc Pelagii libellum à Sede Apoſtolica ſuſceptum excepit Auguſtinus, ſcribens inter alia de Pelagio : *Voluntas emendationis, non falſitas dogmatis eſt adprobata.* Res ſic ſe habet : Pelagius per Cœleſtium Zoſimo & Sedi Apoſtolicæ libellum fidei ſuæ porrexit, ut eo correcto, ſi quid corrigendum ſit, atque tum recepto Pelagius in communionem Eccleſiæ admitteretur. Admiſſus eſt, ac proinde credendum eſt, id omne à Zozimo & Sede Apoſtolica peractum eſſe in hoc negotio, quod videbatur neceſſarium, ut admitteretur. Auguſtinus vero dicit, voluntatem emendationis, non dogmatis falſitatem adprobatam eſſe. Profecto, hoc genus adprobationis ita novum eſt atque inuſitatum, ut omni careat exemplo. Auguſtinus nimirum ſibi ſumit, in hoc Pelagii libello, qui Sedi Apoſtolicæ fuit oblatus, duo reperiri, voluntatem emendationis & dogma falſum. Sedes Apoſtolica prius adprobavit, & poſterius non improbavit, cum tamen improbare debuit & potuit, ut Fides Catholica ab omni detrimento ſervaretur ſarta tutaque, atque de Simplicitate Chriſtiana nihil omnino detraheretur. Hoc autem opus imperfectum, quod Auguſtinus hic tribuit Zoſimo & Sedi Apoſtolicæ, intelligere non poſſum, ſcribit Launojus, non

tamen ita simplex, ut non intellexerit, probe cognoscens, quomodo Augustinus sibi consentiat, etiamsi diversis in locis diversa scripsisse videatur, scilicet in priore præsupponens duo Concilia, quæ ad causam non parum momenti adtulerunt; hic autem in posteriori non nisi Romanam respiciens adprobationem, quam sine consensu & authoritate Synodali non æstimavit tanti, ut eidem adscriberet aliquam infallibilitatem, illo tempore adhuc incognitam. Quæ in capite *duodecimo* & ultimo subjunguntur, cum de Gratiani potissimum agant citatione, hic prætermittuntur, tanquam ad rem ipsam minus pertinentia. Id vero mirum, atque sic probe notandum, quod Launojus, dum omnia congessit in hac Dissertatione, quæ videbantur esse idonea, ad abjudicandum hunc confessionis libellum Hieronymo & Augustino, omisit contra eos, qui vel huic, vel illi eum adscripserunt, lectoribus commendare authoritatem vel consensum Bellarmini, qui in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis expresse monuit, non esse Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium, vocato in testimonium Augustino ex libri de Gratia Christi capite tricesimo & sequentibus, ubi testatus est, Palagium misisse libellum suæ fidei ad Innocentium Papam, referens etiam verba ejusdem, quæ sunt ipsa, quæ in hoc Symbolo continentur. Exscripsit autem hæc atque adprobavit non modo *Gerhardus* noster in Patrologia, quæ demum post obitum Authoris in publicam prodiit lucem, atque adversariis hactenus sudes fuit in oculis; sed suo etiam adprobavit calculo, qui Dissertationem Philologico-Historicam ad hoc opus Bellarmini edidit *Philippus l'Abbe*, ejusdem Societatis Scriptor, laudato simul libello Launoji Viri doctissimi, ex quo hactenus præcipua in gratiam Lectoris innocenter curiosi sunt excerpta. Idem præterea Dissertator Bellarminianus, agens de illo Sermone sub nomine Augustini, cui hæc Fidei confessio fuit inserta, agnoscit, multis probari, eum Augustini non esse, ideo præsertim, quia integram continet Pelagii professionem ad Innocentium Pontificem hujus nominis primum, cujus non semel mentionem facit Augustinus. Addit ibidem in antecessum, dici eam quoque Hieronymi confessionem seu Fidem, jam olim cognitam Gallis, quod patere putat ex Concilio Francofordiensi, id est, prout seipsum in Addendis & Corrigendis explicat, ex libro de Cultu Imaginum, qui Carolo M. solet adscribi, scriptusque est circa tempus Concilii hujus Francofordiensis, Lectorem simul remittens ad *Usserii* Godescalcum defensum, ubi Vossius hunc libellum Augustino adscribens reprehenditur. His autem minime adtentis, utut non fuerint ignota, *Petrus Lambecius*, Hamburgensis, in secundo Commentariorum libro de Bibliotheca Vindobonensi, hanc Bellarmini opinionem à Mariano etiam Victorio in Editione operum Hieronymi Antverpiana adprobatam vocavit novam, atque ob illud ipsum rejecit, firmiter adhærens antiquæ, uti scribit & putat, Caroli M. Sententiæ, ac constanter credens, Expositionem hanc Fidei, quam ibidem cum variis Lectionibus in margine appositis exhibet, esse revera Hieronymi, atque ab eo missam ad Damasum. Verisimillimum est enim, inquit, Pelagium Hæresiarcham, cum sui purgandi causa suæ fidei libellum ad Innocentium vellet mittere, calliditate hypocritica cum de industria ita composuisse, ut Expositioni Fidei S. Hieronymi, qui sine ulla controversia Catholicus erat, atque acerrimus Pelagii ipsius antegonista, tam sensu, quam verbis omnino videretur congruens sperans quippe, propter verbalem hanc Symboli similitudinem (mentalem namque ejus restrictionem ipse sibi reservaverat) fore neminem, qui ipsum auderet reprehendere, ne simul etiam culpare crederetur Hieronymum. Hæc ille, cujus argumento quoad prætensam Caroli M. authoritatem satis ex asse fecit Launojus, ea simul circa ipsam Pelagii confessionem observans, quæ nullatenus permittunt, ut Hieronymo adscribatur, nec etiam Augustino. Id solum adhuc notari meretur, quod quem scrupulum ex authoritate Zosimi hanc Pelagii confessionem adprobantis movit Launojus contra Augustinum, exemisse videatur *Ludovicus Cellotius* in Historia Gotheschalci seu Prædestinatiana, dum in tertio Adpendicis opusculo monet, Zosimum ineunte Pontificatu

ficatu à Pelagio & Cœleſtio deceptum gravibus literis Epiſcopos Africanos, perpetuos talium hæreticorum hoſtes, in quibus erant, Aurelius, Auguſtinus, Poſſidius &c. pulſaſſe, tanquam qui temere & præcipitanter homines abſolutæ fidei, adcuſantibus Herode & Lazaro, Eccleſiæ turbinibus & procellis, opprimerent; ſed hanc increpationem Africanos ægro ferentes animo querulis Pontificem conveniſſe literis, indignatos, quod manifeſti atque ab Innocentio deceſſore damnati iterum audiantur & pro Catholicis habeantur hæretici, laudato hanc in rem teſtimonio Facundi Hermianenſis è capite tertio libri ſemptimi eorum, quos pro defenſione trium Capitulorum Synodi Calchedonenſis ad Imperatorem Juſtinianum ſcripſit, atque ex Editione *Jacobi Sirmondi*, qui primus eoſdem in lucem protulit publicam, Collectores noviſſimi maximæ Sanctorum Patrum Bibliothecæ nuper inſeruerunt. Idem de præcipitantia Zoſimi in Pelagianæ confeſſionis receptione non ita pridem animadvertit quoque Henricus Noriſius, Profeſſor Patavinus ordinis S. Auguſtini, in Hiſtoria Pelagiana, quod hic breviter contra Launoji dubium in gratiam Auguſtini, imo Veritatis ipſius non debuit negligi & prætermitti.

Obſervatio octava de Correctione Breviarii Romani circa Hiſtoriam Brunonis Carthuſienſium Patriarchæ.

LAunoji de ea Diſſertatio non modo Lutetiæ Pariſiorum tertia, ſed altera etiam vice in Germania fuit edita, certe non abſque cauſa ſingulari, ſed eum in finem, quia hoc argumentum Veritatis hiſtoricæ Sectatoribus dignum fuit viſum, cujus adcurata tractatio pluribus innoteſceret, præſertim quia potiſſimum fuit oppoſita Viris duobus in Gallia & re literaria celeberrimis, *Thophilo* nimirum *Raynaudo*, Operum & Tomorum plurium Authori, *Andreæ* item *Sauſſajo*, Martyrologii inprimis Gallicani operoſiſſimo antehac Editori, quorum uterque poſt alios plures antequam de Doctore quodam Pariſienſi redivivo, & coram Tribunali Divino adcuſatum, indicatum & damnatum ſe profeſſo, atque hinc ſeceſſu Brunonis in Eremum, primaque ordinis Carthuſienſium inſtitutione fabulam, uti vocat Launojus, ſuſcepit iterato defendendam. Quamvis vero Evangelicis neque ſeritur, nec etiam ulla meſſis eſt ſperanda, ſive traditio hæc obtineat, ſive reddatur ſuſpecta, ac ſine omni opera hic nobis liceat eſſe ſpectatoribus otioſis; quia tamen traditio eadem apud non paucos noſtratium habetur pro vera, prout ex adlegationibus in publico eſt manifeſtum, non præter rem erit, quædam excerpere in gratiam eorum, qui hoc carent opuſculo, ut diſcant exinde, majorem poſthac in citandis Authoribus adhibere cautionem, nec quidvis pro quovis arripere, ac ſibi aliiſque per imprudentiam imponere. Ad quem vero modum Launojus in aliis, ſic etiam in hoc argumento per certa quædam capita progreditur, ut Antagoniſtis faciat ex aſſe ſais, capiti cuivis quædam obſervata adnectendo, quibus ipſa res magis illuſtratur. Et capite quidem primo correctionem Breviari Romani circa hunc Brunonis hiſtoriam proponit non ſuis, ſed *Johannis Baptiſtæ Queſnei*, quem in Diſſertatione de Lazaro, Martha & Magdalena habuit Antimachum, è Diſquiſitione de Magdalena Maſſilienſi verbis, quæ memerentur ommino, ut hic etiam legantur. Sic autem ille: *Etſi placita Eccleſiæ quoad uſus Breviarii de geſtis Sanctorum clara & certa ſint, videri tamen poſſunt à conſequentibus & adjunctis interdum difficultatibus obtenebreſcere non nihil. Si quando igitur illucere mundo incipiat nova Veritas aliqua, & detegatur Sententia, quam omnes amplexari objecta vetere valentibus & firmis rationibus adſtringerentur, non adverſantur Pontifices in ea diſcuſſione labores Criticorum, neque detrectant reſtituere & corrigere depravata. Quod mecum recogniſſet, quisquis ad ea, quæ non ante ſeculum exactum de vita Brunonis & aliorum vitioſa &*

corrupta ſemel iterumque puris & incorruptis lectionibus emendarunt, advertet animum. Launojus hæc ſubjungit: Igitur defenſio Breviarii in hac lectione correcti ex duobus maxime pendet capitibus. Unum eſt, Brunonem ex redivivo Doctore Pariſienſi, qui æternis ſe ſuppliciis damnatum adſeruiſſe narratur, non cepiſſe occaſionem inſtituendæ Religionis ſuæ. Alterum, apud omnes antiquos Authores rata non eſſe, quæ de eo narrantur, uti rata eſſe ſcripſit *Rainandus*. Hæc duo ſi probe demonſtrentur, tum demum conſtabit, recte eos feciſſe, qui Romæ ſub Urbano Pontifice hujus nominis octavo ex lectionibus ordinariis de Brunone hanc Doctoris Pariſini hiſtoriam expunxerunt. Sed quoniam hæc duo ita ſunt conjuncta, ut unum ſine altero probari non poſſit, utrumque eadem opera ſimul probabitur. Initium demonſtrationis ſumitur ab ipſo Carthuſianorum conditore, qui, ubi & qua ratione receſſerit è ſeculo, perſpicue declarat in Epiſtola, quam ex finibus Calabriæ ad Radulphum Eccleſiæ Remenſis Præpoſitum ſcripſit, ex qua inprimis obſervantur duo, quibus defenſio Breviarii poteſt comprobari. Primum eſt inſtituendæ religionis Carthuſianorum occaſio, quæ deſumta eſt ex ea collatione Sententiarum, quæ tum de falſis hujus mundi oblectationibus, tum de veris Vitæ æternæ gaudiis inter Brunonem & Radulphum eſt habita, non quidem Lutetiæ, ſed Remis in quodam Hortulo, qui cujuſdam Viri, cognomento Adæ domui adjacebat. Secundum vero, quod ex eadem collatione ſequitur, Doctoris vel Canonici Pariſienſis à mortuis ad tempus regreſſi ſilentium, ex quoliquet Brunoni rata non fuiſſe, quæ eidem rata fuiſſe ſcripſit *Rainandus*; niſi forſan Brunoni locum inter Authores antiquos, qui de prima origine Carthuſianorum aliquid noſſe potuerint, velit denegare. Hoc autem, quod de Brunonis Epiſtola nunc obſervatur, cum tam certum ſit, quam quod eſt certiſſimum; neceſſario fabuloſa eſt illa originis Carthuſianæ cauſa, quam Rainandus aſſignavit, & ſimul commentitium eſt illud, quod de Doctore Pariſienſi redivivo apud omnes antiquos ratum eſſe idem confidenter aſſeruit. Sed hujus obſervationis vim elevare ſibi viſus eſt Vir multæ & variæ lectionis *Andreas Sauſſajus*, qui Epiſtolam de cauſa Converſionis S. Brunonis Didaſcalciam ſcripſit, eamque juxta exemplar Coloniæ editum typis Pariſienſibus curavit mandari; cujus vero objecta bene multa ſi componantur cum iis omnibus, quæ in Epiſtola Brunonis ad Radulphum continentur, ſtare neutiquam poſſunt. Aliúd eſt certe, plures eſſe potuiſſe cauſas Converſionis, aliud autem, reipſa plures fuiſſe, & è pluribus hanc, non illam, quæ tamen eſſe potuerit. Primum hic non quæritur, nec ab homine ſapienti neceſſum eſt quæri, cum quia plures cauſæ Converſionis eſſe potuerint, qui dubitet, hactenus nemo ſit inventus. Secundum igitur eſt quærendum, & ea quidem ratione, quæ, quod fieri potuit in Converſione Brunonis, ab eo, quod reipſa factum eſt, liquido ſecernat. Hæc autem ratio, cum in facti conditione tantum verſetur, ex iis Scriptoribus eſt petenda, qui veram Converſionis cauſam certo noverunt, aut certo noſſe potuerunt. Hujuſmodi vero non alii ſunt præter ipſum Brunonem, ejuſve æquales vel ſuppares, dum, qui poſtea ſine horum Commentariis & traditione de vera Converſionis cauſa, ſeu potius de vero Brunonis in Eremum ſeceſſu loquuntur, vel privatis quibuſdam, adeoque inanibus auguriis indulgent, vel fictis à poſteritate mendaci fabulis aures calamumque adcommodant. Deinde, licet una ad ſalutem via non excludat aliam, haud continuo tamen ſequitur, Deum hac una, quæ ab altera non excluditur, uſum eſſe, ut Brunonem ad jacienda ordinis ſui fundamenta detraheret; alioqui, cum innumerabiles hominibus eſſe poſſint ad ſalutem viæ, quæ ſeſe mutuo non excludant, Brunonem innumerabiles ad Carthuſiam viæ ſeipſa perduxiſſent. Qui vero ſic diſſerit, optimas diſſerendi leges videtur negligere; ex hac enim methodo diſſerendi fieret, ut etiamnum cuique liceret alias, quas aliquis apte fingeret, ad ſalutem vias iis addere, quæ in Epiſtola hac Didaſcalia defenduntur. Atque hoc genus additamenti ſi ægre ferret Author Epiſtolæ, tunc ei communes loci, quibus identidem utitur, non immerito redderentur. Horum aliquos poſtquam recenſuit cum

cenſura

Digitized by Google

cenſura Launojus, addidit: Præterea, ſi plures Converſionis B. Auguſtini cauſæ fuerunt, ideo plures fuiſſe credimus, quia & plures fuiſſe, & quæ ex illis pluribus fuerint ſpeciatim, narrat Auguſtinus. At plures fuiſſe cauſas Converſionis S. Brunonis, è quibus horribile fuerit ſpectaculum illud; quod Author Epiſtolæ hujus Didaſcalciæ vendirat, nec edifſerit ipſe Bruno in Epiſtola ad Radulphum, nec ulli ejus æquales vel ſuppares, qui originis Carthuſianæ meminerunt. Quare vanum eſt atque rationis expers, quidquid hac in re ſimilitudinis inter Auguſtinum & Brunonem comparatur. Neque profecto, ut ſibi perſuadet Author Didaſcalicus, Bruno in Epiſtola ad Radulphum loquitur de ſua, ſed ipſius Radulphi procraſtinatione, quæ vocationis Divinæ fervorem remiſerat, ac eum ab implendo retardaverat voto. Quo enim tempore hanc Epiſtolam ad Radulphum miſit Bruno, Monaſterium Gratianopolitanum jam inſtituerat, & aliud in finibus Calabriæ, quo Roma conceſſerat, inſtituere meditabatur. Unde Fulcii, cujus expreſſe meminit, tardus è Curia reditus & cæteræ intervenientes cauſæ, quæ ibidem recenſentur, non adtinent Brunonem, ſed Radulphum, cui hac in Epiſtola ſemper exprobravit voti implendi tegnitiem, amoris Divini languorum, & extinctum fere animi fervorem. Hoc autem cum ita ſit, non ſane Bruno, qui emiſſum cum Radulpho votum exſolverat pridem, ſed Radulphus indiguit ſtimulis accioribus, quibus ad ſui etiam voti exſolutionem concitaretur. Unde fit, ut Bruno hac in Epiſtola ſicut votum reddenti gloriam, ita Radulpho non reddenti æternam propoſuerit pœnam. Hic certe locus fuit illi ſpectaculo horribili, ſi quod Pariſiis Brunonem ad votum impuliſſet. Quid enim erat ad conſigendam Radulphi cunctationem paratius, quam ei id ſpectaculum inculcare & opportune & importune, quo ipſa Brunonis cunctatio, ſi Epiſtolæ huic Didaſcalicæ credimus, eſt devicta? Neque hoc telum, quo ſe impetitum iri prævidit Author Didaſcalicus, ſatis idonee declinavit, imo tranſadigendum pectus objecit, quando religionem voti, quo ipſe Bruno & Radulphus tenebantur, cum illo horribili ſpectaculo, quod Brunonem in Eremum egiſſe docet, componens ipſum hoc ſpectaculum pro incitamento duxit fortiori. Hoc autem ſi opus fuit Brunoni, cur non etiam Radulpho, qui exſolutionem voti diſtulit, & nunquam, quantum conſtat implevit? At, Virum ſapientem in Epiſtola, ubi omnes ad Radulphum quoque movendum adhibuit machinas, præteriiſſe, vel non ſæpius exaggeraſſe quæſitum illud ſupplicium è ſpectaculo, quod in promtu poſitum erat, ſi tamen unquam fuit poſitum, id vero juſtam in Brunone haberet admirationem. Cum igitur inter momenta rationum, quibus Bruno permovere ſtuduit Radulphum ad Votum, quod fecerat, reddendum, omiſit hoc horribile ſpectaculum, quo ſcriptor Didaſcalicus à puero ſe profitetur imbutum, id dici debet omiſiſſe, quod dicere non potuit, quod nempe factum fuit nunquam, quodque longo tempore poſt invectum nonnulli originem Carthuſianorum fecerunt. Huic autem primo ipſius Brunonis teſtimonio alia adjunguntur plura eorum, qui Brunonis quidem memorant Inſtitutum, ſed abſque ulla hujus ſpectaculi mentione, ſcilicet Authoris fragmenti Hiſtoriæ Francicæ à tempore Regis Roberti uſque ad mortem Philippi hujus nominis primi, Guigonis quinti Carthuſienſium Prioris in vita Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, Guiberti Abbatis de Novigento prope Conciacum in Dioceſi Laudunenſi, Authoris ſtatutorum & conſuetudinum ordinis Carthuſiani, Theulphi Aſcetacumque aliorum Mauriniacenſium in Chronico Monaſterii, Bernhardi in Epiſtola ad Priorem & fratres de Monte DEI, Petri Cluniacenſis in libri de Miraculis ſecundi capite poſt viceſimum octavo & nono, Petri Cellenſis Abbatis & poſtmodum Epiſcopi Carnotenſis in libri primi Epiſtola itidem poſt viceſimam tertia & libri ſexti Epiſtola poſt decimam tertia, Johannis Sariſſenenſis Epiſcopi etiam Carnotenſis in libri ſeptimi de nugis curialium capite poſt viceſimum primo & poſt triceſimum tertio, Petri Bleſenſis in Epiſtola poſt octageſimam ſexta, Gaufridi Prioris Monaſterii Votienſis in Chronicorum capite poſt viceſimum primo, Petri Cantoris in Tractatus de Verbo adbreviato capite poſt viceſimum

cesimum octavo, Johannis Brontonis, Abbatis Jornacensis in Chronico rerum An carum ad Annum seculi post Christum undecimi septuagesimum & septimum, Aut ris Vitæ Godfridi Ambianensis Episcopi in libri tertii capite octavo, Jacobi de Vitri Cardinalis in Historiæ occidentalis capite post decimum octavo, Sigeberti Gemblac sis in Chronographia ad annum seculi modo laudati octogesimum & quartum ex Edit ne Pistorii, non autem Miræi, inter quas aliqua est diversitas, Roberti de Monte, Sigebertum continuavit, ad annum seculi sequentis tricesimum & primum, atque Tractatu de Abbatibus & Abbatiis, Authoris Chronici Malleacensis manuscripti in B bliotheca Putrana ad annum seculi post decimum *quinti* nonagesimum & sextum, R berti de Chorcæon Theologi Parisiensis & postmodum Sedis Apostolicæ Legati in sur ma manuscripta, Authoris Chronici Antisiodorensis, Adami in frolibus manuscripi Historiarum ad Gregorium Pontificem hujus nominis nonum, Vincentii Bellovacen sis in speculo Historiali, Authoris Chronici S. Martini Turonensis manuscripti in B bliotheca Regia, Hugonis de S. Caro in caput sextum prioris Epistolæ ad Corinthios Humberti generalis Prædicatorum Magistri in Sermone post vicesimum quarto, Johan nis Frasqueti Monachi S. Germani Antisiodorensis in Chronico manuscripto, Guilie mi de Nangis Monachi S. Dionysii in Chronico itidem manuscripto, Johannis tanden de S. Victore in Memoriali Historiarum inscr. quorum verba postquam prolixe adduxi Launojus, sequentes Lectori proposuit observationes.

Prima est, coloratam & picturatam hanc Historiam, quæ Brunoni causam secedend in Eremum dedisse fertur, obrui silentio contumaci omnium Authorum, qui ab origi ne Carthusiensium per tria claruerunt secula, quod apud homines cordatos & eruditos sufficit ad hujus fabulæ confutationem. Adcedit in cumulum hinc authoritas ipsius Bru nonis Carthusianorum fundatoris, qui non Lutetiæ Parisiorum, sed Durocortori Re morum abeundi causam in Eremum accepisse se scripsit; inde Guiberti Abbatis Novi gentini testimonium, qui certam abitus causam peculiariter designavit. Uterque fabu lam Parisiensem de Canonico & Doctore redivivo exscidit, & simplicem Veritatis histo ricæ rationem exposuit. Hoc autem modo scriptor didascalicus refellit Blondum Foro julienſem, qui in libri Historiarum secundi Decade secunda Altergium inter Episcopos Carnotenses reposuit, eumque legatum ad Imperatorem Constantinopolitanum fecit. Itaque, si constat sibi, captus est; si vero non, nullus est. Captus quidem, quin qui bus rationum momentis Altergium esse probat suppositum, iisdem probabit quoque fal sam & suppositam esse causam, quæ Brunonem pepulisse dicitur vel narratur in Ere mum. Nullus autem, quia, quid in Veritate indaganda & adserenda sibi non con stat, nullam meretur fidem, ac suis Scriptis quamlibet probabilibus omnem de trahit authoritatem. Et, quod de Scriptore hic didascalico nunc fuit observatum, de Rainando etiam debet observari. Hic enim in capite secundo Prolegomeno rum Indiculi Sanctorum Lugdunensium contendit, Anterum & Atnaldum à non-nullis Recentioribus in Episcoporum Lugdunensium ordine perperam collocari. Sed, quibus id contendit argumentis, confirmat quoque, redivivum Doctorem & Canonicum in causa non fuisse, cur vale Seculo dixerit Bruno, atque in solitudinem discesserit. *Secunda* observatio est, Correctores Breviarii Romani in iis, quæ è S. Brunonis lectionibus expunxerunt, adprime secutos esse Canones Ecclesiæ, quibus sancitur, ut, quidquid alienum à Veritate in sacrorum officiorum Codices irrepserit, tollatur. *Tertia*, quod Bruno fuerit Theologus Parisiensis, Scolasque Lutetiæ rexerit aliquando, posse ad hinc ex nocturnis ejusdem Vigiliis tolli, non solum, quia veterum Authorum nemo Brunonem fuisse Magistrum Parisiensem, vel Scholas Lutetiæ eum rexisse scripsit, sed etiam quia ante Brunonis ætatem vix probabitur statum fuisse Parisiis Theologiæ studium, ac ibi Magisterium in Theologia dari solitum. Mitto fabulas, quas de quatuor Bedæ discipu lis, Alcuino, Johanne Scoto, Rabano & Claudio, Academiam Parisiensem insti-

tuen-

Digitized by Google

tuentibus obſcuri quidam homines ex ſumma rerum ignoratione invexerunt, qua de re ſcripſit erudite Stephanus Paſchaſius libri tertii Diſquiſitionum Francicarum capite poſt viceſimum primo. *Quarta*, perperam à Rainando adſertum, eam de triplici Doctoris anaſtaſi narrationem, quæ Brunonem exegerit in Eremum, apud omnes antiquos ratam eſſe; deinde, falſo quoque additum, quod ſilentium Petri Cluniacenſis de hac re ſuppleant Authores perantiqui, & illius plerique temporis, quo res geſta prodatur. Siquidem ex ejus teſtimonio planum ſit, eum in his rerum & temporum conditionibus ſcripſiſſe, ut ex ejus ſilentio æquipollens adfirmationi ratio ducatur. Deinde, nulli ſunt Brunonis vel Petri Cluniacenſis æquales ſuppareſve Authores, qui huic Hiſtoriæ, vel potius fabulæ patrocinantur. Quia etiam unicus ille Guibertus Abbas, cujus iterata in prima obſervatione mentio fuit facta, id habet, quod ſumtum ex ſilentio Petri Cluniacenſis argumentum ſolide confirmat, atque omnem inſtitutæ Carthuſienſium religionis cauſam exponit dilucide. *Quinta*, Scriptorem didaſcalicum non perpendiſſe ſatis adcurate, vel certe ultro diſſimulaſſe ſingula Epiſtolæ momenta, quam Bruno ex Apulia miſit ad Radulphum; deinde inaniter auguratum eſſe, in prioribus, quæ non extant, Epiſtolis ad eundem Radulphum meminiſſe Brunonem terribilis Spectaculi hujus, quo ad ſolitudinem fuerat impulſus; tum ex manifeſta principii petitione, quod grande in differendo eſt penatum, dixiſſe, prætermiſſum eſſe à Guiberto Abbate eam ob rem hoc Spectaculum, quod jam perſpectum omnibus atque animadverſum fuerit. Nam iſtud, quod erat in quæſtione, nondum probavit. Deinde non minus aberravit, cum docuit, Petrum venerabilem ideo hoc ſpectaculum non recenſuiſſe, quod ea tantum Miracula recenſere ſtatuerit, quæ ſuo tempore contigerant. Quaſi vero Petrus ipſe verbis conceptis non adfirmarit, Ordinem Carthuſienſium ſua ætate inſtitutum fuiſſe. Poſtremo, ut hæc vacua rationibus meditamenta ſuſtentet Author didaſcalicus, eos adhibet locos communes, quibus Robertum, Norbertum & alios pleroſque eodem vel pari Spectaculo impulſos fuiſſe ad Ordinum ſuorum inſtitutionem aliquis poſſet propugnare. Utrum vero hæc diſputandi ratio ſit legitima, aliorum judicio permittitur. *Sexta*, inter Rainandum & Sauſſajum id diſcriminis intercedere, quod ille ab optimis adſerendæ Veritatis hiſtoricæ legibus non diſcedat, quam vero non adſeruit, quia, quos Spectaculi hujus idoneos ſe teſtes credidit habere, non habuit, uti obſervatione quarta fuit notatum; hic autem plane & omnino diſceſſit. *Septima*, in methodo Authoris didaſcalici ἀκρισίαν deprehendi, omnibus iis communem, qui falſa pro veris, incerta pro certis, defendunt. Hi enim ſeipſis occupati non ſatagunt, quid apte ac idonee probent, vel quid reipſa poſſit probari, ſed tantum ſortiuntur, quid reſpondeant adverſariis; nec adtendunt, quæ parent argumenta ad verum adſerendum, ſed cavent ſolum, quid comparatis in id argumentis reponant, in quo tergiverſentur, ac ut omnia convolvant fuligine Sophiſtica. Verbo, in nullas inveniendi adſerendique veri leges inſpiciunt, quas tradiderunt antiquiores Magiſtri, ſed iis inſuper habitis ex morbo, non autem judicio ſcribunt. Verum, illud ſtudii ſcriptioniſque genus non raro ſuis authoribus peſſime ſuccedit, inprimis, dum nullam adſerunt, veritatem, vel adſertam hominibus cordatis perſuadent; deinde, quibus machinis ſtudent id eludere, quod alii optima ratione differendi adſerunt, iis omnino ſubvertitur, quidquid ipſimet conantur adſerere. Hoc palam loquitur exemplum, quod præ manibus habetur. Quod autem pari modo adſtruitur & deſtruitur, nequit eſſe verum; quoniam ſicut verum non pugnat cum vero, ſic neque adſerendi veri methodus una pugnat cum altera. *Octava*, Didaſcalum in communem de authoritate rumoris publici locum excurriſſe, quo ſuam adverſus jacula prævia muniret ſententiam, & collectum undiquaque pulverem oculis lectorum obſunderet. Intellexit quippe Vir prudens, vulgarem Converſionis S. Brunonis cauſam, pro qua dimicat, ſi revocetur ad natales ſuos, tum demum revocari ad plublicum ſine certo authore rumorem, quod capite ſequenti demonſtrabitur. Verum, in hoc loco communi non-nihil

bonæ fidei deſideratur. Nam verba, *Rumoris publici authoritas inſtar oraculi eſt*, qu perfecto Ciceronis Oratore citantur, tam non ſunt apud Ciceronem in hoc aut aliis dem libris, quam non ſunt apud Heſiodum in Theogonia, vel apud Lycophrone Alexandra. Sic figmenta decet confirmari figmentis. Sed reponimus, quod apud dem legitur Ciceronem, & quidem in libro de Natura Deorum tertio, in quo C Academicus Balbo è Secta Stoicorum ad rumores publicos provocanti ſic reſpon *Rumoribus mecum pugnas*, ego *autem rationes à te requiro*. Quæ autem ex Juris Can ci gloſſis adferuntur, nihil admodum incommodant, cum his *adversus* rumoribus tera deſunt adminicula, quibus, uti par eſt, pro rei gravitate fulciantur. *Nona*, vi lum reperiri figmentum in hiſtoria, quod validius juxta ac frequentius confutetur. lidius quidem, ſi ſpectetur inſtructa tot Scriptoribus acies, quæ in eam de horribili ſpectaculo narrationem & quæſitum ex ea ordinis Carthuſiani initium dirigitur. Freq tius vero, ſi conſiderentur ex iis Scriptoribus plures, qui ſeorſim eandem narratio ac ejus adpendicem evertunt. *Decima* tandem, poſt Annos demum à condito or Carthuſianorum ducentos quadraginta & amplius fictam eſſe illam narrationem. H palus terminalis, quo hæc narratio defixa retinetur. Hæc eſt temoris epocha, quæ lum vindicibus fabularum relinquit tergiverſandi locum. Sic enim de temporibus ad Veritas deſtruit facile, quidquid opponi poteſt, tum ex pluribus aliis, tum ex hoc que, quod Veritati ſola poſſit falſitas opponi. Tunc autem maxime opponitur, cum quod ab initio traditum eſt, aliud quid ſuperinducitur, quemadmodum priſtinæ thuſienſium originis cauſæ aliquid ſuperinductum hactenus fuit oſtenſum.

Sequitur Caput ſecundum, in quo Launojus teſtes quoſdam producit, qui hujus ſtoriæ meminerunt, ſed non abſque cenſura. *Primus* eſt Gerſon in Tractatu de Si citate cordis, qui Notula poſt viceſimam tertia hoc exemplum adducens ſcripſit, dici cœpiſſe ordinem Carthuſianorum. Deinde vocat Exemplum celebre, & ita v potuit, quod aliquot abhinc Annis invectum jactabatur paſſim ad animos hominum terrefaciendum. Unde adcidit, ut hoc etiam loco in piæ cujuſdam meditationis mentum fuerit propoſitum. Sed, uti adparet, de Exempli veritate non multum ſo tus fuit Gerſon, atque ut eſſet, nihil admodum habuit cauſæ; imo, prudenter u vit illud, quod vulgo placebat, ut vulgus ipſum ad timorem Domini concitaret. autem de exemplis iſtiuſmodi ſentat Gerſon, docet in Tractatu, quo expendit, Veritates ſint credendæ? Manifeſtum namque ex eo, Gerſonem in exemplum, celebre vocat, non altius inquiſiviſſe, alioquin omiſiſſet quod ipſe ſuadet omitte Nam vera Pietas exemplo, cujus falſitas eſt explorata, nequit inædificari, ut ibi V le pius & eruditus agnoſcit ac rectiſſime confirmat. Hujus autem exempli, à quo thuſianorum ordo dicitur cœpiſſe Gerſoni, falſitas ab iis eſt deprehenſa, qui Ur Pontifice hujus nominis octavo Romanum emendarunt Breviarium. Qua in re C res nihil humani paſſos fuiſſe certis rationum momentis conſtat, atque hoc eſt un hujus Diſſertationis argumentum. Ideo Cancellarius Pariſienſis jam cederet huic tati, quæ eo, quem præſtituit modo eſt illuſtrata, atque incertam hanc narratio quæ aliquando non-nihil placuit, omnino reprobaret. *Secundus* teſtis eſt Anto Florentiæ, Archiepiſcopus in ſecunda parte Hiſtoriarum, titulo poſt decimum qu & capite poſt viceſimum ſecundo. Sed, ita cenſet Launojus, in Antonino & m ſcribendi, & res ipſa debet adtendi. Et quidem modus ſcribendi, quo priorem N tionis ſuæ partem authoritate Veterum confirmat, poſteriorem vero non item Inſtitutio Carthuſienſis Annum, inſtitutoris nomen, Patriam & publicum in Ec Remenſi munus referre ſe ex Vincentio. & Vincentium quoque hæc omnia ex Sige prius retuliſſe teſtatur. Deinde, rerum, quæ ad Hugonem Epiſcopum Gratiano tanum, ſponſorem, adpellat Vincentium; & recte quidem, quum ad tempus, vixit Antoninus, ſi quæ certa de rebus adeo antiquis traduntur, ex Authoribus Br

Digitized by Google

nis æqualibus, vel certe ſupparibus ſunt addiſcenda. Sed in poſteriori parte Narrationis, quæ cauſam inſtituendæ Carthuſienſium Sectæ continet, ab hoc modo ſcribendi deficit, & cum deficiat, omnem narrationi ſuæ abjudicat authoritatem. Et certe, ut hæc tam ſtupendi eventus narratio contemnatur, ipſa quoque methodus ſcribendi facit. Nam ſicut in priori parte narrationis fidem meretur Antoninus, quia idoneos habet authores, quos ſequatur; ſic contra in parte poſteriori dignus fide non eſt, quia legitimis caret teſtibus. Quid autem fidei in pleriſque mereatur Antoninus, jam pridem docuit Melchior Canus in libri de locis Theologicis undecim capite ſexto, qui eundem cum eo Ordinem profeſſus eſt, atque in Synodo Tridentina Doctoris partes cum magna eruditionis laude implevit; cui etiam Poſſevinus adcinit in Adparatu ſacro cum aliis, ac ii renuunt ſoli, qui Antoninum non legerunt. Cæterum Antoninus in hoc diſcrepat à Gerſone, quod, quam inſtituendi Ordinis Carthuſianorum cauſam Gerſon tradidit ut incertam, eam Antoninus tradidit ut certiſſimam. Deinde Gerſon minus peccavit, quam Antoninus, cum hic egerit Hiſtoricum, ille non item. Qui autem ſuſtinet perſonam Hiſtorici, non ultra, quam certa & explorata literis debet conſignare. Quod ſi nunc adtendatur porro res ipſa, notandum eſt inprimis, Antoninum rem à Gerſone traditam multis auxiſſe, quæ profecto fabellis commentitiis ſunt ſimillima; tum aliquid etiam orationis addidiſſe, quam Bruno ad ſocios & diſcipulos eo habuiſſe dicitur, tempore quo terribiliſſimum illud poſt hominum memoriam ſpectaculum omnibus palam exhiberetur. Sed totum hoc & ejus adpendicem, ſive ut à Gerſone narratur, ſive ut ab Antonino augetur, rejicimus. ſcribit Launojus, non ſolum deſtituitur patrocinio Anteceſſorum, ſed etiam quia traditæ ab antiquioribus origini Carthuſianorum & ejus cauſæ contradicit. Conſulto hic prætereo Dionyſium Carthuſianum in opuſculi de laudibus Carthuſianorum capite tertio, Johannem Nauclerum in Generatione triceſima & ſeptima, Hartmannum Schedelium in ſexta Ætate mundi, Polydorum Virgilium libri de rerum inventoribus ſexti capite tertio, Sixtum Senenſem libro Bibliothecæ S. quarto, Gabrielem Prateolum Tomo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primo, & alios recentiores, qui nihil fide mutarunt in narratione Antonini, licet in locutione aliquid mutarint, quod tamen non adficit rem ipſam. Atque hæc eſt cauſa, cur, quibus contra Antoninum regulis præſcripſimus, iiſdem & contra Dionyſium Nauclerum &c. nunc breviter præſcribendum ducimus. *Tertius* eſt Scriptor anonymus libri ſub iſtud tempus Gallice conſcripti de quatuor fluminibus Paradiſi. Quod Author his circa Gerſonis vel Antonini tempus vixerit, duo ſignificant. Gallica videlicet locutio, quæ ad illorum pertinet ætatem, purior quippe & intellectu facilior, quam quæ ad ſuperiorem pertinet ætatem; modus deinde loquendi, qui notitiam rei nondum ſatis compertam & receptam importat. Narratur, inquit, atque à quodam Carthuſiano audivi. Perinde, ac ſi nullus Author Brunoni æqualis vel ſuppar id memoriæ prodidiſſet, & factum illud jam tunc primum didiciſſet; ex hoc fit, ut rem aliter longe, quam Gerſon vel Antoninus recenſeat. Quam vero inepta etiam ſit ejus narratio, , nemo legens non videt. Nimirum, tribus adoleſcentibus ſeu Clericis vel Scholaribus initium Ordinis Carthuſianorum adſcribit, ac refert, ejus fundamenta in montibus Burgundiæ jacta fuiſſe; de Brunone autem ipſo, de literatis hominibus, de duobus Laicis, qui collobrarint Brunoni, item de Hugone Gratianopolitano ſilet, quamvis Origenes Carthuſianorum proſequatur. Adhæc, quæ de ſublato Magiſtri cadavere tradit, cum picturis & parietinis Monaſterii Pariſienſis non concordant. Inſuper Carthuſianus ille vetus, qui memoratur in teſtimonio, arreptum & ſublatum à Dæmone cadaver inſinuat; Pariſienſes autem Carthuſiani ab Epiſcopo Pontificalibus veſtimentis induto & Clero projectum & aſini ſepultura donatum depingunt, & verſus quoſdam prodigii teſtes circumponunt. Sic inter ſe variant de iis, quæ compoſuerunt de ſuo. Quam vero invalidum ſit argumentum, quod his verſibus & picturis ſuperſtruitur, capite ſequenti tertio demonſtrabitur. *Quartus* eſt Scriptor anony-

mus Vitæ S. Brunonis, quæ præfixa est Commentariis illius in epistolas Pauli, qui no seculi antecedentis octavo prodierunt Lutetiæ; qui non tantum cupide repetiit, apud Gersonem ex fama narrantur, sed ita quasi essent certissima, uti & ea, quæ a Antoninum adduntur, sed rem insuper narratam novis cumulat adcessionibus mer ciorum, quæ antecedentibus nonnihil adferant coloris. Hinc talem ad annum seculi Christum undecimi octogesimum & secundum describit Academiam Parisiensem, lis erat ad annum seculi antecedentis octavum, quo nihil est imperitius aut absurd Inde qui ad feretrum officium defunctorum psallerent, Relioſos & Seculares comm morat. Sed eos, si DEUS dederit, forte religiosos intelligit, qui ex quatuor O nibus mendicantium ad exequias de more vocantur. Hinc etiam à non mediocri nar tium fide vindicat opinionem eorum, qui horrendam defuncti responsionem uno demque die factam contendunt, atque sic elevat sententiam aliorum, qui tribus sul de diebus factam seculo superiori invexerunt. Atque sic inde in Parisiensi & aliis quib dam Ecclesiis sublatum adfirmat illud ex lectione quarta officii mortuorum exordiu Responde &c. nec ante desinit fatuari, quam ad suos habitam à Brunone Concionem fingat eidem. Huic anonymo Scriptori sunt proximi Petrus Sutor, Petrus D'orlan & Franciscus de Puteo, qui illa prorsus omnia, quæ tum Antoninus tum hic anonyr Scriptor habet, certo quodam velut adluvionum jure in suos derivarunt libros; u fit, ut à referendis illorum testimoniis supersedeatur. Et primus quidem duos de Carthusianorum libros composuit, secundus autem edidit Chronicon Carthusiense, tius vero vitam S. Brunonis conscripsit, quam postea Surius & alii reconcinnaveru neque in rem ipsam altius inquisiverunt, veriti fortassis, ne, si, quæ scribebant, origine & authoribus vetustis censerent, ea pene omnia scribere desisterent. Credidis nempe, non satis illustrem esse Brunonis historiam, quæ illo horribili careret ever *Quintus* est quoque Scriptor anonymus Vitæ Dionysii Carthusiensis, in qua hoc no par mendaciorum, de quo hoc dictum conjunxit, nimirum de Doctore redivivo, Brunonis inde excessu in Desertum, addens, fuisse non paucos, qui hunc Doctoren Brunonem pro eodem habuerint. Quemadmodum vero turpiter errarunt illi, qui, c historiæ veritatem ignorarent, utrumque unum esse credideruut; sic & graviter hallu nati sunt alii non pauci, qui cum ejusdem historiæ veritatem nescirent, Brunonem iisse in solitudinem Doctoris cujusdam voce perterritum falso tradiderunt. rem esse utrobique rationem differendi quis non videt, aut non continuo capit, ri haud posse, quæ fuerit vera instituendi Carthusiensium Ordinis causa, nisi re originem recensita stetur in idoneos & fide dignos authores, qui veram instituendi hu Ordinis causam literis commendarunt? Fingamus hic duos esse homines, quorum u adfirmet, id, quod in hac vita Dionysii de Brunone damnato scribitur, non satis ic nec refelli, imo Majorum traditione, atque sic Veritate niti; alter contendat falsi esse & prorsus commentitium. Tunc, qua tractandi methodo posterius istud tale dem strabitur, eadem & Doctor redivivus ostendetur esse causa secessus Brunonis in Erem subdititia; quæ enim methodus tractandi destruit mendacium, veritatem non potest struere, & quæ methodus ædificat Veritatem, mendacium nequit ædificare. *Sextus* nique est Raphael Volaterranus in libro Anthropologiæ post vicesimam primo Carth sianorum exordia describens, qui Historicæ quidem Veritati consuluit, dum ex antiq Scriptoribus, quales fuerunt Sigebertus & Vincentius, primordia Carthusianorum petit, sed male consuluit omnino, dum adfingit illis, quæ non scripsere, vel dum antiquis Scriptoribus non adtulit alios, qui narrationi fidem conciliarent. Præterea mo unquam antehac Brunonem adpellavit Canonicum Carnotensem, nec ullus a ipsum scripsit, Hugonem ex Abbate Carthusianorum primo creatum fuisse Episcop Gratianopolitanum. Quid igitur facto opus? Relinquendus est Volaterranus, rel quendi sunt & alii, qui Brunoni æquales vel suppares non fuerunt nisi falsa veris velin admiscere.

Digitized by Google

Ad Caput hoc ſecundum Launojus obſervat *primo*, ante tempus Gerſonis nullum authorem, qui ſit fidei exploratæ, teſtimonium præbere huic narrationi. Hoc certe unicum obſervaſſe ſufficit, ut narratio hæc configatur & falſitatis convincatur. *Secundo*, narrationem, quæ primum à Gerſone ſcriptis eſt prodita, novis in dies cumulatam eſſe additamentis, quæ hodiernum finguntur & refinguntur ad arbitrium, cujuſmodi fuerunt ea, quæ Antoninus & author vitæ Brunonis anonymus deſcripſerunt. *Tertio*, ineruditum & populare commentum illud eſſe, quo Academia Pariſienſis delineatur, cum nemo ſimilem ejus deſcriptionem inventurus ſit ad illud tempus, quo in Carthuſiam ſeceſſit Bruno, idoneiſque teſtibus eam confirmaturus. *Quarto*, non eſſe deſignatum à Gerſone locum, ubi Doctor ille interierit; ſed ab Antonino & Volaterrano, Italis, à Dionyſio Carthuſienſi & Johanne Nauclero, Germanis deſignari Lutetiam Pariſiorum, quaſi nullus Doctor celebris alibi quam Lutetiæ mori poſſit ſepelirique. Nempe fabulam ut fieri, ſic etiam amplificari vetat nihil. *Quinto*, non poſſe unquam cordatis juxta ac ſapientibus Viris perſuaderi, quod exteri & recentiores hiſtorici, quales ſunt Antoninus & alii, veram Converſionis S. Brunonis cauſam melius noverint, quam memorati capite primo Scriptores Galliæ, quorum alii Lutetiæ, vel non procul inde vixerunt, alii vero Brunonis æquales, vel certe ſuppares fuerunt, deditaque opera inſtitutionem Carthuſienſium deſcripſerunt. *Sexto*, ex iis, quæ ad Antoninum & alios nunc animadverſa ſunt, liquido patere, ea, quæ is cum aliis de hoc prodigio Pariſienſi retulit, ex incerto rumore plebis credulæ collecta fuiſſe, cum in aliis, quæ de Brunone & Carthuſienſibus memoravit, habuerit Authores, quos ſequeretur, in hoc autem prodigio, uti id retulit, ducem habuerit neminem, quod vel unum Melchioris Cani de eó cenſuram confirmat maxime. *Septimo*, quæ Author vitæ Brunonis anonymus de ſtatu Academiæ Pariſienſis, deque Religioſis, qui ad feretrum defuncti vigilias mortuorum ſolent recitare, ſcripſit, demonſtrare, quanta cum præteritarum rerum ignoratione hiſtoriam illius Sancti (ſi fuit Sanctus) contexuerit, & quod in aliis præterea, quæ carent antiquorum teſtimonio, nullam mereatur fidem. *Octavo*, quod Pariſienſis & aliæ quædam Eccleſiæ ſuſtulerint ex Lectioue quarta, quæ in vigiliis mortuorum canitur, reſponde &c. quodque tollendi ea fuerit ratio, quam Author vitæ Brunonis anonymus adducit, ſcriptis, quæ ad nos pervenerint, neminem hactenus adfirmaſſe; nec illum alios hujus mutationis vades adpellaſſe præter eos, quibuſcum ea de re ad quarundam fortaſſis aniculorum forum confabulabatur. *Nono*, huic tamen anonymo ſcriptori quamlibet fabuloſo gratiam eſſe habendam, quod non diſſimularit, tempore ſuo fuiſſe Viros magnæ in ſentiendo authoritatis, qui ſecus ac Antonius & Nauclerus de iterata tribus diſtinctis diebus damnati reſponſione opinarentur; quippe non potuiſſe illos triduanum hoc ſpectaculum ferre, quod, uti ab Antonino & aliis exhibetur, ſi quid uſquam, ſapit deliramentum aniculatum, nec poteſt non ipſum movere. *Decimo*, egregium de contemtu mundi concionem, quam Anonymus ille commemorat, non eſſe Brunonis, utpote in cujus Homiliis & operibus nihil comparet tale, ſed Antonini vel alterius, qui, quod fieri potuit terribilis ſpectaculi memoria occupatus factum exiſtimavit. *Undecimo*, quæ de Brunone ex vita Dionyſii Carthuſienſis propoſita fuerunt & ſimul diſpoſita, Scriptorem didaſcalicum docere adhuc poſſe, non continuo admittenda eſſe, quæ quibuſlibet in libris de re qualibet offenduntur, ſed ad optimas Veritatis adſerendæ leges expendenda; alioqui nihil fore tam verum, quod admixtione mendacii non poſſit adulterari, nihil tam ſincerum, quod non poſſit corrumpi, nihil denique tam certum, quod in dubium non poſſit vocari. *Duodecimo*, in tota narratione hac, ſi qua in re ulla id verum eſſe, quod Baronius ad annum ſeculi poſt Chriſtum ſexti quartum de Trajani Imperatoris per Gregorii Pontificis hoc nomine primi preces ex Inferno liberati hiſtoria pronuntiavit: *Accidere interdum ſolere, ut aliquid vulgo adlatum, ſi quis certos velit examinare teſtes, an verum ſit, neminem id ſerio teſtantem inveniret, fiatque, ut, quod ab omnibus dici jactar-*

tur, adſeratur à nemine, rumorque ille in auras evaneſcat. Etenim ſive quæ primum triplici Doctoris reſurrectione & ad quartam vigiliarum pro mortuis lec nem reſponſione, ac inde excito ad Eremum Brunone ſunt dicta, ſive quæ tum de bita Brunonis ad collegas & diſcipulos oratione addita, ſive etiam de eadem orati amplificata, deque facta Pariſiis & alibi in officio mortuorum mutatione, ſive poſtre quæ de ſtatu Pariſienſis Academiæ & Religioſis ad denuncti feretrum pſallentibus adſ diligenter adtendamus, hæc tandem omnia & ſingulo in rumorem regerentur incerti qui ducentis & amplius poſt conditum Ordinem Carthuſienſium annis in vulgus eſt ſp ſus, ſed qui, uti jam viſum eſt, levi preſſus tactu ſumum exhalat, atque in vagum tiſcit pulverem. *Poſtremo* nonnullos ob ignoratam veræ traditionis notionem de vera ditione mereri peſſime, utpote cui hoc in negotio tribuunt, quæ tribuenda fuerunt nime, imo, quæ veræ traditionis robore proſternuntur. Nec vero ſufficit, ut qui, d ſe ſemper habuiſſe perſuaſum, quod avitæ traditionis authoritati multum deoceatur, c ea de re nullus dubitet, ſed inſuper opus eſt, ut idoneos traditionis adhibeat teſtes at legitimos adſertionis ſuæ Sponſores Hoc enim ſi ſemel negligat, & pro libidine ſua lum traditionis nomen obtendat, ſæpius quod reipſa traditum eſt, & contra quod tr tum non eſt, reipſa traditum adfirmabit; ſicque nulla popemodum erit veritas, non adpingatur ſpecies mendacii, ac nullum ferme mendacium, cui color veritatis adficietur.

Succedit Caput tertium, in quo Launojus examinat momenta rationum, qu narrationem hanc confirmare ſtuduit Andreas Sauſſajus in Epiſtola, quam vocavi daſcalicam. *Primum* occupat locum avitæ traditionis authoritas. Launojus præter quæ paulo ante obſervavit, hic porro reponit, non quamcunque alicujus opinionis greſſionem ævi authoritate ſe tueri, ſed eam tantummodo, quæ, quod ab initio rei ſtæ poſteris eſt traditum, conſervat, atque conſervatum deinceps probe demonſtra Hæc autem narratio, uti jam fuit obſervatum, poſt ducentos demum ab inſtituto C thuſienſium Ordine annos & amplius habuit initium. Quare hanc Epocham non e dunt Majores illi, de quibus agit ſcriptor didaſcalicus, qui narrationem hanc poſt ad nos uſque pro re certa ac indubia narraverunt. Atque cum hæc ita ſint, ficta poſt annos narratio, ſi cum hoc tempore componatur, utcunque vetuſta dici poteſt; ſe cum veteri & prima Converſionis S. Brunonis traditione, quæ labis expers eſt, co ratur, nova eſt eritque ſemper, nec ullam adquiret vetuſtatem, præterquam erro Cæterum, quod ſcriptor hic ait, ante annos circiter triginta (videlicet eos numeranc tempore quo ſcripſit) vix ullam fuiſſe Pariſiis dubitationem de hac converſionis S. Br nis occaſione, quam neglectis Hiſtoriæ legibus vocat primordialem, abhorret à v Etenim Papyrius Maſſonus, qui multorum inſtar poteſt eſſe, vixit Lutetiæ, ac a ſeculi antecedentis ſeptuageſimo & octavo Annales Francorum edidit, atque h Converſionis occaſionem confixit. *Secundum* occupat locum figuræ & imag hoc ſpectaculum repræſentantes in libellis precationum & Breviariis, uti & Miſſalibus. Sed, ita reſpondet Launojus, vidimus quoque multos ejuſmodi libr in quibus nihil tale comparuit. Cur autem in quibuſdam Eccleſiæ Pariſienſis & aliar Diœceſeon libris hæ imagines & figuræ pingerentur, in aliis vero non, conjiciat volet. Verum, hæ imagines & figuræ, ad quos Author didaſcalicus provocat, cui eti haberur fides, nullius ſunt momenti, cum iis tantum faleiantur authoribus, qui ſu nec fidei cauſa, ſunt rejecti. Eas tamen imagines, ſi quæ eſſent tempore Brunonis pictæ, tanquam Veritatis teſtes amplecteremur, ut Author agnoſcat, nos non om quæſitum ex imaginibus & picturis argumentum repudiare. Quin autem adoleſcent ut Didaſcalus fatetur de ſeipſo, & vulgus imperitum hujuſmodi picturarum adſpectu ſtupuerint aliquando, & adhuc obſtupeſcant, neque negamus, neque etiam imp mus. *Tertium* occupat locum relatio Magiſtrorum in Scholis. Verum, ſic Laun

reſp

reſpondet, hæc omnia Magiſtri, quorum meminit hic Author, referre potuerunt ex anonymo Vitæ S. Brunonis Scriptore, de quo actum eſt capite ſecundo, non ex antiquiore, cui fides poſſit adhiberi. Itaque horum documenta inter novitias Apologorum narrationes amandamus. De cætero, ut obſervetur deſcrimen, quod inter Romanum & Pariſienſe officium de mortuis in lectione quarta intercedit, non multa opus eſt ratiocinatione, quæ argumentum rei, certe, uti contendimus, fabuloſum ſupponat, ſed potius indagatione ſedula, quæ, quod in officio utroque ante annum ſeculi poſt Chriſtum undecimi octogeſimum & ſextum, quo in Eremum abiit Bruno, fuit traditum, demonſtret fuiſſe poſtea immutatum. Quid vero, ſi tunc in vigiliis mortuorum nullæ lectiones è Scriptura, ſed Pſalmi tantum recitarentur, quod non obſcure ſignificat Johannes Epiſcopus Atrincenſis in libro, quem de officiis Eccleſiaſticis ea ætate conſcripſit? Quid etiam, ſi tunc primi & ſecundi nocturni lectiones ſumerentur ex Euangelio, quod paulo poſt Brunonis exceſſum reperitur factum in Dagoberti Regis Anniverſario, quod Adamus San. Dionyſianus Abbas præcripſit, habeturque nunc in calce veteris Martyrologii? Quid porro, ſi tunc lectiones in vigiliis mortuorum neque ex libro Jobi recitarentur, quod fieri potuiſſe docet Johannes Belethus Pariſienſis Theologus in opere de officiis Divinis, ac ejuſdem capite poſt centeſimum & ſexageſimum primo, atque confirmant Durandus Minatenſis Epiſcopus libro de officiis Divinis ſeptimo quarto, & Petrus Cirvelus Complutenſis Theologus in expoſitione Miſſalis, ac eius capite poſt centeſimum & decimum quinto, qui etiam non obſervarunt, in quibuſdam Eccleſiis Lectionem octavam vel nonam nunc ex Apocalypſi Johannis, nunc ex Pauli Epiſtolis recitari? Quæ cum ita ſint, nonne ridiculum foret, qui contenderet, has Lectiones ex Apocalypſi Johannis & Pauli Epiſtolis in locum earum, quæ in Eccleſia Pariſienſi & aliis ex libro Jobi hodieque ſumuntur, olim ſuffectas fuiſſe, quod in illis Eccleſiis mortuus aliquis inter exequias ſolemnes adparuerit, qui ſe ex utero Matris eductum conqueſtus eſſet, aut qui carnibus conſumtis pellem ſuam oſſibus adhærescentem exhibuiſſet aliquando? Sic etiam otio atque literis eſt abuſus, qui, quod ſæpe jam fuit relatum, ex incerto rumore conjecit in Commentarios. Quid inſuper, ſi quibuſdam in Eccleſiis, Romana nimirum vel Pariſienſi, lectiones primum ex libro Sapientiæ, vel ex Auguſtino depromtæ, dein hiſce ſublatis aliæ ex libro Jobi fuerint ſuffectæ; quam mutationem, & quidem arcte fieri potuiſſe, quis iret inficias? Quid præterea, ſi Lectiones ex libro Jobi non omnes quidem deſumtæ ſint ex iiſdem capitibus, ex quibus nunc vulgo ſumuntur; & ſi quibuſdam in Eccleſiis illa lectio, quæ in officio Pariſienſi nunc quarta eſt, dicatur tertia? Quid denique, ſi plures reperiantur Eccleſiæ, quæ eandem cum Pariſienſi recitent lectionem? *Quartum* occupat locum pictura in Monaſterii Patrum Carthuſianorum clauſtro Eccleſiæ propinquiori. At, ita reponit Launoius, pictura hæc nihil plus habet authoritatis, quam libri, ex quibus trahit originem; deſignatum namque hinc argumento tempus non excedit, ſed longo poſt intervallo ſequitur. Quippe ad annum ſeculi ſuperioris triceſimum & ſecundum fuit delineata, uti ſcriptum nuper ſupra portam viſebatur, qua à minori ad majus itur clauſtrum; nuper, inquam, cum vertente anno ſuperiori illa celebris pictura partim ſit deleta, partim novis, quæ parietinis adhærent, ſubſtructionibus, iiſque tum lapideis, tum ligneis arenatim diſpoſitis occultetur. Deinde, recentem fuiſſe hanc figuram, omnino teſtabatur forma pilei, quo tectus Bruno ſuos auditores hinc inde docebat; hoc enim capitis operimentum, quod in veteribus Academiæ libris Birretum rotundum vocabatur & erat, ad annum ſeculi antecedentis viceſimum aliter cœpit deformari, atque in quadrum deſinere cornutum, cujuſmodi pileus ſeu Birretum erat inſigne Magiſterii, quo, uti dictum, caput Brunonis tegebatur. Cæterum, qui pinxit prodigium hoc, & qui illud curarunt pingi, credideruntopinor, illud ſic eveniſſe, uti pingebatur; ſed decepti fuerunt ab iis, qui pingendæ rei falſæ dederunt argumentum. Et quia Didaſcalus addit, ſe non modo in adoleſcentia

ſcentia, ſed Viros etiam graves atque doctos in picturam hanc ſuos obtutus defixiſſe, ſpondet Launojus, dubitari non poſſe, quin adoleſcentuli, qui verum à falſo diſc nere nondum didicerunt, hujus picturæ intuitus fuiſſe territos; at Viros graves & do non ſtupere, ſed vel ignorantiam ſeculi, vel audaciam in falſitate depingenda mi vel etiam deridere. Dum vero idem ſubjunxit loci Sanctitatem & univerſitatis huic M naſterio vicinæ authoritatem, quæ vix ad hanc picturam, ſi fundamento niteretur m daci, tanto tempore ſiluiſſet, Launojus reponit, non graudævi hominis, ſed adc ſcentis hæc argumenta eſſe. Etenim, inquit, maturioris & eruditioris ætatis homo vit, Gregorium Pontificem hujus nominis primum in officiis & Miniſteriis ſacris q dam ſuſtuliſſe reprehendenda, quod idem in Concilio Romano ſecundo, & poſtn dum Agobardus in Tractatu de veteri ritu canendi Pſalmos confirmarunt. Itaque, ſi te Gregorium non-nulla in Sacrorum rituum miniſterium digna reprehenſione irrep runt, quidni & in Carthuſienſium clauſtris aliquid fabuloſum depingeretur? His & ſi libus incommodis occurrit quondam Auguſtinus libri contra Donatiſtas ſexti capite p viceſimum quinto, ubi ſermonem habet de precibus, quæ contra Fidem Catholic plura continerent, ſcribens: *Multorum preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fue recitatæ.* Quod autem Pariſienſes è Sorbona Theologos in picturatæ rationis defen nem oppignorat Didaſcalus, juvenilis eſt exercitatio, quam quid proficere poſſit, r ſatis conſtat. Quid enim juris habent Sorboniſtæ in Carthuſienſes & eorum parietin quidve authoritatis, ut, ſi quid in opere picturato diſpliciat, continuo jubeant dele Deinde, unde habet, nullos unquam fuiſſe Doctores, qui hanc mendacem pictur improbarint? Annon plures improbare potuerunt, & tamen nihil conſequi à Cart ſienſibus. Verum enim vero, quidquid eſt in hac exercitatione roboris, id enarrat A thor Epiſtolæ, robuſtior jam factus, porro ſcribens, Lutetiam conſenſu ſummo figmentum rejicere quod reprobus ille fuerit Doctor aut Canonicus Pariſienſis. Non nim rejiceret, niſi picturam adſpicientibus objiceretur. Ad quem igitur modum pictu quæ tam diu figmentum hoc exhibuit, integra remanſit, quamvis illud ſummo, c nullus eſt major, conſenſu Lutetia rejiceret; ſic & picturam ſuper-eſſe integram ſapi tiſſimi Doctores ſunt paſſi, licet conſenſu ſummo memoratam in ea converſioni Brunonis occaſionem repudiarent. Cæterum, quibus hac in parte rationibus & Capi lo & Academiæ Pariſienſi gratificatur Didaſcalus, iis plane configitur tota, quanta narratio. Scribit enim, nullum apud Authores, qui hanc narrationem referunt ad ratius, ullum extare apicem de hujus reprobi Canonicatu, de Doctoratu quoque e nullum in Açademiæ Monumentis inveniri veſtigium. Nam ſic pariter dici poteſt, ap Authores, qui converſionem Brunonis & Carthuſienſium inſtitutionem referunt ad ratius, nullum extare apicem de prodigio hoc Pariſienſi, quod illa repræſentat pictu Adcurati autem illius rei Scriptores alii non ſunt, præterquam Bruno ejuſve æquales ſuppares, qui tamen nihil de tali prodigio memoriæ prodiderunt. Verum, gratifica hæc tam ſecura non eſt, quin communibus Authoris ſui locis interturbetur facile; qu poſſet accidere, ſi quis exinde argumentetur, eos, qui decantatam toties narratione referunt adcuratius, non negare, quod alii de Doctore & Canonico Pariſienſi referu ſed ſilere duntaxat. His addatur, rationem cur in Academiæ Commentariis de rediv hujus Magiſterio nihil extet, non admodum urgere; quia reſpondet Didaſcalus, tempore, etſi in Theologia eſſent Magiſtri, nondum uſurpatas fuiſſe Doctoratus f mulas atque inſignia, quæ poſt Sorbonæ excitationem in uſu demum eſſe cœperi Quaſi vero, ſi, cujuſmodi poſtea fuerunt Doctoratus formulæ atque inſignia, tunc fuiſſent in uſu, funeſtam novi Doctoris damnationem repræſentaſſent. Nempe, D ctoratus formulæ ſunt verba quædam ſolemnia, quibus à Cancellario novi Doctores augurantur; Inſignia autem ejus ſunt Literæ, Birretum & ſpeciale quoddam genus ſtimentorum, quibus induuntur. Hæc vero omnia quid ad rem ipſam conferant, fa

Digitized by Google

eſt prævidere. *Quintum* denique locum occupat authoritas Cæſarii Heiſterbacenſis ex ordine Ciſtercienſium, libri illuſtrium Miraculorum & Hiſtoriarum memorabilium undecimi capite poſt quadrageſimum nono. Atqui, ſic iterum reſpondet Launojus, prodigium, quod Cæſarius recenſet, diverſum eſt ab illo Pariſienſi, quod Antoninus & alii referunt, & quidem adcuratius judicio Didaſcali, de quo mutua teſtatur contentio. Primo enim Cæſarius non deſignat certum tempus, quo prodigium hoc evenerit, dum è contrario Antoninus certum deſignat annum. Secundo, Cæſarius non definit certum in Regno Franciæ locum, quod factum ab Antonino. Tertio, Cæſarius de Clerico quodam nobili ac divite habet ſermonem, Antoninus vero quendam eximium Doctorem deſcribit. Quarto, Cæſarius indicat, Clericum nobilitate ac divitiis in hominem ſuperbum evaſiſſe; Antoninus vero cum deſignat Doctorem, qui magna & ſcientiæ & probitatis exiſtimatione floreret. Quinto, Cæſarius Academiam Pariſienſem hic ne verbo quidem adtingit, Antoninus vero illam prædicat; & tamen Cæſarius alibi pluribus in locis & Academiæ Pariſienſis & rerum in ea geſtarum meminit. Sexto, Cæſarius aperte ſignificat, Clericum uno eodemque tempore dixiſſe, ſe judicatum, condemnatum & traditum eſſe; Antoninus vero adſerit diſerte, Doctorem id tribus diſtinctis diebus elocutum eſſe. Septimo, Cæſarius non ſcribit, Clericum hæc dixiſſe, quando ſtatutum ab Eccleſia pro mortuis officium celebraretur, quod Antoninus habet. Octavo, Cæſarius itidem non ſignificat, quod Clericus Sepultura Eccleſiaſtica fuerit privatus, Antonino id cum circumſtantiis deſcribente. Nono, nec dicit Cæſarius, Brunonem Religionis Carthuſianæ authorem huic interfuiſſe Spectaculo, quod Antoninus iterum dicit. Decimo, neque id adfirmat Cæſarius, quod Bruno ex hoc Spectaculo ſumſerit occaſionem religionis inſtituendæ, quod tamen adfirmat Antoninus. Undecimo, quæ obſervatio cum ſecunda & quinta convenit, Cæſarius quoque non tradit, Prodigium hoc Pariſiis contigiſſe, quod Antoninus aperte tradit; cum Cæſarius ſæpe mentionem faciat rerum memorabilium, quæ Lutetiæ Pariſiorum acciderint. Duodecimo & denique, nihil habet Cæſarius de toto illo Lectionis quartæ vigiliarum pro mortuis negotio, quod demum poſt tempus Antonini ab anonymo Vitæ Brunonis Scriptore tractatum eſt, atque à cæteris, ſed abſque teſtibus antiquis retractatum. Ex his autem omnibus diſcriminum generibus liquet palam, Cæſarium non meminiſſe rei, quæ vel ad converſionem Brunonis, vel ad initium Religionis Carthuſianæ pertineret; deinde, nihil admodum eſſe, quo Didaſcalus ſuum ſibi inventum veluti Palamedis gratuletur, exiſtimans, primum ſe hanc Cæſarii authoritatem obſervaſſe, obſervatam nempe ab eo, qui Antiquitates Pariſienſes publici fecit juris, uti & ab eo, qui eaſdem Lutetiæ Anno hujus Seculi quadrageſimo recenſuit, quæ ſunt præ manibus omnium. Cæterum, de authoritate Cæſarii perinde hactenus fuit diſputatum, quaſi conſtaret apud omnes, eum eſſe Scriptorem adcuratum. At Nicolaus Cœffeteus, Theologus Pariſienſis, & Epiſcopus poſtmodum Maſſilienſis, in Reſponſione ad Myſterium Iniquitatis adſerit, hunc Authorem plenos fabulis Dialogos edidiſſe, quod etiam judicio Geſneri confirmat.

Nunc ſequentes ex capite hoc tertio Launojus exhibet obſervationes minime prætermittendas. *Prima* eſt, Cum apud omnes ingentis omnino ponderis ſit vera traditio, Didaſcalum veræ traditionis abuti patrocinio, ut in eo, quod religionis Carthuſianæ facit initium, plebi imperitæ blandiatur, ejuſque conſenſum aucupetur in ſuam opinionem. Vulgus enim, quod traditionem veram à falſa non diſtinguit, ubi nomen traditionis audit de re, quæ proponitur, ambigere ducit Religioni. Sed artibus hiſce ac terriculis dedecoratur authoritas traditionis, & innatæ, qua lucet, pulchritudinis inſignia devenuſtantur; dum unica ſuis legibus quærenda & adſerenda eſt Veritas. *Secunda*, ex picturis & imaginibus non ante ſolidum duci argumentum poſſe, quam, quo tempore fuerint expreſſæ, certo definiatur; nam, qui hoc negligit, ſibi & aliis fucum facit. Pictores enim ad exemplar rerum, quæ vulgo creduntur ſuo tempore, vel geruntur, ſuas effor-

efformare ſolent imagines. Fingamus igitur imaginem, quæ centum aut ducente hinc annos ſit depicta; conſectarium erit, rem, quæ exhibetur, ac uti exhibetur tunc vulgo creditam vel geſtam eſſe. Vulgo dicimus, ut ait Poëta, Pictoribus atque tis &c. Itaque, cum Didaſcalus ſuis imaginibus atque picturis non adſeruit certum pus quoddam, nec iis fidem, nec ſibi rationem adſeruit. *Tertia*, circa lectionem tam officii de mortuis tam multa eſſe diſputata, quæ futilitatem argumenti demonſt ut miſari ſubeat, cur Author continuo receperit in ſe, quod de rejectis ex illa du vocabulis puer à ſuis Magiſtellulis audierat; & cur, quod diverſis Eccleſiarum ri fuit dandum, capto ex portenti, neſcio cujus, eventu dederit conſilio? Neque gendum fuit Romam, ut in quarta Romanæ & Pariſienſis Eccleſiæ lectione notetu crimen, quod in conjunctiſſimis notari potuit Eccleſiis. Eccleſia enim Carnotenſis ſentit cum Pariſienſi in exordio lectionis illius quartæ, & utraque diſſentit à Ron. Meldenſis vero & Sylvanectenſis conſentiunt cum Romana, & diſſentiunt à Carno & Pariſienſi. Sed quid inde? Celebratum fortaſſis in puerorum Scholis prodigiu Pariſienſi & Carnotenſi id obtinuit, quod in Meldenſi & Sylvanectenſi obtinere no tuit. Nugæ! *Quarta*, Authori longe ſatius fuiſſe, rationem diſquirere, cur uſus riſienſis ita tulerit, quam, quod nugarum inſtitores ipſi tradiderant, explicare in Ep la. Igitur, nihil eſt admodum, cur Eccleſia mortuum, pro quo recitat vigilias, quatur; ſed contra neceſſum eſt, ut DEUM pro mortuo ab iis, quæ tolerat, commodis eximendo precetur. (NB. Pertinet hoc ad ea Romanæ Superſtitionis ca quæ Evangelici tanquam Analogiæ Fidei in Verbo DEI revelatæ contraria repudi Hoc autem cum ita ſit, Eccleſia Rothomagenſis & Sagienſis, utraque in Manuali, potuiſſent vel debuiſſent ſeſe aliarum Eccleſiarum ritui accommodare, ſed antiq ſuarum uſum pie ac laudabiliter retinere, quanquam in hac etiam mutatione nil mali. *Quinta*, Authorem nihil prorſus adferre, quo probet, hoc unus prodigii, ſi tetiæ vel alio in loco contigiſſet, juſtam fuiſſe cauſam, cur duo Scripturæ verba e ctione quarta, quæ dicitur in vigiliis mortuorum, tollerentur. Adde, quod, cum cleſia Pariſienſis ſemper habuerit Antiſtites ſapientiſſimos, uti Didaſcalus ſcribit, ne nunquam permiſiſſent, ut cum hac lectione, quæ tota ex Sacris deſumta eſt literis ageretur; in odium namque vel gratiam hominis damnati quis exordium lectionis ſ amputaret? *Sexta*, Didaſcalum pro ingenii ſolertia ſcribendique peritia viam aperu qua in numerum Pontificum Romanorum Johanna cognomento Papiſſa recipiatur in eo retineatur; quo enim modo quartam expoſuit rationem confirmavitque, eo etiam exponi confirmarique poteſt ea, quæ pro adſertione hujus Papiſſæ ex inferiori te laquearis Eccleſiæ Senenſis depromitur. Nam oſtenditur ibi celebris illa Imagi ſeu Statuarum ſeries, quæ à Petro ad Pium uſque ſecundum ſingulos repræſentat tifices, ac inter eos Johannam, quæ Leoni quarto ſuccedit, & Benedictum antec tertium. Deinde, qui Senam incolunt vel tranſeunt Viri graves & docti, in illas Im nes, & præſertim in eam, quæ Johannam exhibet, defigunt oculos. Tum, in e quem volueris, animum cadere non poterit, mendacium (de quo infra) tam pudenc in loco tam ſancto ſedem potuiſſe invenire. Poſtremo, non putabit, paſſuros tan fuiſſe ſapientiſſimos Academiæ Senenſis Doctores, qui inſitæ Pietatis adfectu in cele rimum Urbis hujus Templum crebro concurrunt, illamque ſtatuam vel imaginem piſſæ intuentur, ita ſibi, Scholaſticis ac toti clero & populo imponi commento atroci, ſed monituros fuiſſe Religioſiſſimos Eccleſiæ hujus celeberrimæ Sacerdotes perniciosæ fictionis obducendæ. Hæc certe ratio ex verbis Didaſcali fere omnibus d cta par in utroque negotio habet robur. Sed in negotio picturæ, quæ Carthuſiano Pariſienſium clauſtrum occupat, aut nuper occupabat, cum robur habeat nullum, lum quoque habet in negotio imaginis, quæ in Eccleſiæ Senenſis laqueari Johan inter Pontifices repræſentat, quod tamen paulo poſt in peculiari Diſſertatione erit di

Digitized by Google

tiendum. *Septima*, teſtimonium Cæſarii perperam eſſe detortum in Antonini & aliorum opinionem, quæ veram Brunonis è ſeculo fugam inſpergit commentis. Hoc autem fieri non potuit, præterquam ab eo, cujus animus illa opinione præventus omnia ſibi concinere uti vehementer deſideravit, ita & firmiter credidit. Neque ad Veritatem adſerendam valet hic illa ratio diſputandi, qua, ut ex teſtimonio Cæſarii nonnihil lucretur, narratum ab illo prodigium in duas diſtribuit partes, videlicet in ſubſtantiam rei & ejus circumſtantias. Subſtantiam rei in eo conſiſtere ſcribit, quod Cæſarius prodigium hoc in Regno Franciæ referat evenisse; circumſtantias autem adpellat certi temporis & loci in Galliæ ſpecialis definitionem. Sed diſtinctio hæc merus eſt Cypariſſi fructus, inquit Launojus. *Octava*, Didaſcalum, quidquid apud Antoninum & alios de Doctore & Canonico Pariſienſi refertur, atque in picturis & imaginibus repræſentatur, uti fabuloſum rejeciſſe. Certum eſt autem, id, quod rejecit, venire in partem ſcriptæ vel picturatæ narrationis ſplendidiorem, quam de Brunone ac primordiis Carthuſienſium inſtituerunt. Itaque, ſi ſplendidior narrationis & picturæ pars, eaque conficiendis tetriculamentis aptior tollatur, reſidua narratio & pictura à quibus quæſo ſuſtentabitur? Non certe ab Antonino & eum ſequentibus, qui judicio Didaſcali conjunctiſſimam unius ejuſdemque rei rationem tot inſignibus commentis adſperſerunt; Niſi forſitan, quod apud Authores illos vult eſſe verum, ſit verum, & quod falſum, ſit quoque falſum. Nec etiam à Cæſario, quem ab hac cauſa longe lateque removimus. Ergo, quærat alios, qui rem hanc ſine fabulis ſcripſerint vel pinxerint. *Nona*, eundem Didaſcalum ſuis de lectione quarta vigiliarum pro mortuis in Eccleſia Pariſienſi conjectationibus eam, quam adſerit, authoritatem detrahere, dum horrendum illius damnati Spectaculum in Canonico Pariſienſi negat contigiſſe. Qui enim tempore Brunonis ab Eccleſia Pariſienſi factam in ea lectione mutationem invexerunt, ideo id fecerunt, quia eum pro Canonico Pariſienſi habuerunt, de quo teſtatur publicus rumor, quem Didaſcalus cum Cicerone oraculi inſtar ducere ſe profitetur. Quia etiam ex eo alia manavit fabula, qua huic damnato Capellam in Eccleſia Pariſienſi vulgus imperitum adſignavit, quæ digito hodienum monſtratur. Sed puerilis hæc etiam eſt fabula & ignorantiæ plena, quia grande illud & auguſtum Eccleſiæ Pariſienſis ædificium longo poſt Brunonem tempore conſtrui cœpit, uti teſtatur Robertus de Monte in Adpendice Sigeberti ad Annum Seculi poſt Chriſtum duodecimi ſeptuageſimum & ſeptimum, item Cæſarius libri Memorabilium ſecundi capite poſt triceſimum quarto. Nos autem, ſcribit Launojus, qui conſequenter loqui ſtatuimus, conjecturas de lectione quarta, & damnationem Canonici Pariſienſis, qui cauſa fuerit Brunoni in eremum ſecedendi, uti & hanc damnati Capellam, & quidquid demum his tribus inædificatur, inter anicularum deliramenta collocamus. Sed audio patronos fabulæ, qui dicunt, veterem damnati Capellam ſeu ædiculam in novo ædificio retentam & conſervatam fuiſſe. Scilicet, ad memoriam tantæ rei ſempiternam, ut nomen illius, cui Sepulturæ honor fuerat denegatus, tali cohoneſtaretur Baſilina; tantum abeſt, ut, quem clerus Pariſienſis Morboniam abire juſſerat, perpetua potius inobſcuraret oblivio. In has nimirum, velint, nolint, compelluntur anguſtias, qui verum à falſo non diſcernunt, rumoreſque ἀδιαφόρους & fabuloſas narrationes inſtar oraculorum habent. *Decima*, inter Didaſcalum & Rainandum intercedere diſcrimen tam latum, quam quod eſt latiſſimum. Ille enim nec Canonicum Pariſienſem nec Doctorem fuiſſe vult hunc damnatum, hic autem agnoſcit Doctorem, quamvis non Canonicum. Sic DEO permittente fieri non potuit, ut, quod falſum eſt, ab iis, qui vel maxime cuperent, adſeratur ut verum. In hoc autem diſcrimine Didaſcalus nobiſcum pugnat adverſus Rainandum, quamvis, quibus pugnat armis, ipſe in cæteris adſertionibus expugnetur. Cæterum, quibus conjecturis infitialibus, quæ Didaſcalus & Rainandus rejiciunt, merito etiam poſſunt rejici, quæ non rejiciunt, uſque adeo ſolerter & ingenioſe diſputant. Nempe, Rainandus contendit, illum Doctorem, qui Bru-

nonem pepuliſſe dicitur in Eremum, minime Canonicum fuiſſe. Cur quæſo, niſi, Scriptores Brunonis æquales vel tempore proximi de tali ſilent Canonico? Recenti quidem Hiſtorici de eo teſtantur, ſed qui judice Rainando ſplendide mentiuntur. etiam quoque contendo, Doctorem eum non fuiſſe, quia Scriptores Brunonis æqu vel tempore proximi ſilent de eo; recentioribus quidem de eo teſtimonium ferenti ſed qui eo ipſo mentiuntur egregie. Ita Didaſcalus eum & Doctorem & Canonicum jicit, nec oppido poteſt non rejicere, quia antiquiores Hiſtorici ſilent, etſi ex recer ribus multi de eo teſtentur. Verum, ſic ego etiam, ſcribit Launojus, ferales dam hominis exequias, quibus Ordinem Carthuſienſium inædificat, cenſeo rejiciendas quia de tali Ordinis Carthuſiani initio Scriptores antiqui ſilent univerſi. Recentiores dem de eo loquuntur, ſed non minus de eo, quam de damnato Doctore & Cano loquuntur perperam, atque figmentum eſt, judice Didaſcalo, quod narrant. Sic bo viribus & animis pares totum fabulæ corpus exſcindunt, exciſis videlicet partibus, totum componunt corpus. Ad tales non rediguntur anguſtias, qui remotis partium diis ſcribunt, nec ita ſecum pugnant, vel in propriam armantur perniciem, ſed, jaciunt in Commentarios, ſuis ponderant momentis, atque ad inveniendi adſerend veri leges expendunt. *Undecima*, Didaſcalum longum iter & viam aperire inept qua abſurdiſſimæ etiam fabulæ poterunt defendi, atque pro veris haberi narration Nam ut excuſet ſilentium illius temporis, quo id factum eſſe narratur, putat, non fuiſſe, ut literis mandaretur, cum omnibus notum fuerit. Hic nimirum, inquit nojus, eſt locus non tam communis, quam futilis & ridiculus, quo Papa Cyria Urſulæ & undecim mille Virginum Socius & Johanna Papiſſa Hiſtoriæ Eccleſiaſt velis, nolis, inferrentur & cunctis ſpectantibus, nec quidquam obſiſtere valentibu truderentur. Nam ſi quis, ut Papam Cyriacum è numero Pontificum Romanoru greget, taciturnitatem tot ſeculorum, quibus in Eccleſia fuit incognitus, objiciat daſcalus reſpondebit, narrationem de Papa Cyriaco longe lateque poſitam, & omn qui tunc vixerunt, fuiſſe cognitam, ideoque Scriptores temporis illius, ut à ſe mandaretur, operæ pretium non judicaſſe. Ita, ſi quis contendat, Johannam Papi eſſe fabuloſam, quia illius non meminerunt authores tempori, quo vixit, æq vel ſuppares, Didaſcalus adcurret, adfirmabitque, Johannam Papiſſam longe lat poſitam & omnibus tum viventibus fuiſſe notam, ideoque authores tempori huic a les vel ſuppares operæ pretium non judicaſſe, ut illam literis mandarent. (N B. de hoc argumento ſit ſtatuendum, infra docebitur.) Hoc nempe ſpecimen eſt fa rum egregie tuendarum, quod fuit oſtendendum, ut omnes agnoſcant, fabulam nullam, quæ non loco hoc, non tam communi, quam futili vindicetur. *decima*, & denique, Cæſarium duo narrare, quæ initium Carthuſianorun le fingendi cauſam hominibus otioſis præbuerunt. Unum eſt libri Miracul ſecundi capite poſt decimum quinto, alterum quod ſupra ex undecimo fuit cita Nunc intereſt, ut examini ſubjiciatur, an hæc prodigia contigerint reipſa, quæ non contigerint, perinde ac ſi contigiſſent, Cæſarius ita expoſuerit, ut pec res terrefaceret, atque ad veram Contritionem & Pœnitentiam incitaret? N Miracula hæc ſi contigerunt, in Gallia contigerunt. Et certe tunc mirum eſſet, tantiſque Scriptoribus, quibus abundabat tunc Gallia, illa neminem notaſſe, qu mo degens in Germania notaſſet. Præterea, ſi ejuſmodi Miracula initium dediſſen thuſianis, id Cæſarius narrationi ſuæ oblitus non eſſet adtexere, imo vel cupidiſſi lud commemoraſſet. Hoc ſcilicet inſtitutum, hicque ſcopus fuit operis, ut Mir & Hiſtoriæ memorabiles per libros duodecim deſcriberentur. Quidquid autem ſit i ſa, temporis progreſſu ex illis duobus prodigiis homines otioſi conflarunt unum modo non uno. Nam unuſquiſque addidit de ſuo, quod viſum eſt ſpectaculum ef horribilius atque ad incutiendum terrorem aptius. Hoc adſequetur facile, qui, qu

Digitized by Google

ſarius refert, cum omnibus ſingillatim conferret, quæ Gerſon & alii ſupra citati retulerunt, inter ſe eatenus convenientes, ut faciant illud, quod Cæſarius non fecit, nempe, ut prodigium, quod ſuo quiſque modo adornavit, inſtituendi Carthuſianorum Ordinis cauſam fuiſſe præcipuam adſirment, ac illius initia faciant anguſtiora. Sed huic conſilio anteponendum eſt, quod Auguſtinus in de vera religione libri capite poſt quinquageſimum quinto ſcripſit: *Non diligamus ſpectacula viſibilia, ne ab ipſa Veritate aberrando, & umbras amando in tenebras projiciamur. Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris. Melius enim eſt qualecunque, quam omne, quidquid pro arbitrio poteſt fingi. Melior eſt vera ſtipula. quam lux inani cogitatione pro voluntate ſuſpicantis formata.* Nempe Guibertus Abbas, Brunoni æqualis & fidiſſimus author veram inſtituendi Ordinis Carthuſianorum ſuggeſſit cauſam, in qua ſiſtendum & adquieſcendum eſt.

Caput nunc adcedit quartum, in quo recentiores quidam Hiſtorici, trecentis abhinc annis viventes indicantur, quorum alii probe cognitam de narratione Antonini & ſequacium opinionem ſuo contemſerunt ſilentio, alii vero cum ſuis libratam ponderibus abjecerunt. Sunt autem illi Henricus Knygthon, Canonicus Luceſtrenſis, libro de Eventibus Angliæ undecimo, Aventinus libro Annalium quinto, Platina in Urbano Pontifice hujus nominis ſecundo, Magnum Chronicon Belgicum, Wernerus Rolewinckius, Carthuſianus Colonienſis in Faſciculo Temporum ex editione Piſtorii, Philippus Bergomenſis in Supplemento Chronicorum, Robertus Gaguinus libri Hiſtoricæ Francorum ſexto, Paulus Æmilius libro de rebus geſtis Francorum quinto, Johannes Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, Jacobus Wimphelingius in Epitome rerum Germanicarum, Criſtianus Maſſæus libro Chronicorum mundi poſt decimum ſexto, Michael Buchingerus Colmarienſis in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſub Pontificatu Victoris tertii, Sebaſtianus Brandus in Carmine Sapphico de Brunonis & Carthuſienſis Inſtituti laudibus apud eundem Buchingerum, Johannes Tillius in Chronico de rebus geſtis Francorum, Papyrius Maſſonus libro Annalium Francorum tertio, Franciſcus Belleforetus tomo Coſmographiæ primo, Guilielmus Paradinus libro Chronici Sabaudiæ ſecundo, Severinus Binius Tomo Conciliorum tertio in vita Urbani Pontificis hoc nomine ſecundi, Baronius quoque in Annalibus Eccleſiaſticis, item Franciſcus Modius in Ordinibus Eccleſiaſticis, Arnoldus Boſtius in opuſculo de præcipuis familiæ Carthuſianæ Patribus, Jacobus Gualterius in Tabula Geographica, Antonius Poſſevinus in Adparatu ſacro, Dionyſius tandem Petavius in Rationario temporum. Ex hiſce Launojus obſervat primo, firmiſſimum eſſe argumentum, quod ex tot illuſtribus gentium diverſarum Scriptoribus deducitur, ſiquidem illi rem hiſtoricam ex munere tractarunt, nec ut plures coætanei, qui Gerſonem & Antoninum ſecuti ſunt, habendis ad populum concionibus vacarunt. Non tamen inficior, aliquos extitiſſe Hiſtoricos, qui inexploratis Antonini & recentiorum narrationibus ſe addixerunt, quibus vero laudati authoritate, doctrina & judicii acrimonia præpollent. Secundo, quod adtinet diverſas Faſciculi temporum editiones, quarum una hanc narrationem habet, altera autem omittit, id planum facere, quanta cum diligentia ſint authores evolvendi, & ii maxime, qui libros Chronicorum ediderunt, cum in his longe facilius, quam in aliis quædam à deſcriptoribus interſerantur, & quam ridiculum ſit, figmentum illud, quod homines dediti fabulis huic Faſciculo temporum inſeruerunt, quaſi plures ſint Ordines Religioſorum, qui ad tempus illud ſuam referant originem, & quidem ex occaſione Pariſienſis hujus prodigii. Tertio, Paulum quidem Æmilium in ſua narratione de Brunone nullos authores laudare, à quibus eam acceperit, quod objicit Didaſcalus, ſed potuiſſe eum omnes laudare, qui primo capite ſunt adducti, dum è contrario Antoninus ſuæ narrationis nullos laudare potuit Sponſores, qui æquales vel ſuppares fuerint Brunoni. Nec Didaſcalus ullum adtulit ex vetuſtioribus, in quem, quæ Antoninus de prodigio hoc Pariſienſi ſcripſit, uti in vadem legitimum poſſint transferri. Ergo Hiſtoricus ab ea re pluri-

bus seculis remotus, quæ ab ipso, uti gesta narratur, si vetustiorem suæ narrati testem habet nullum, contemnitur, & narratio illius in album fabularum fertur.

Capite tandem quinto agitur non modo adversus Rainandum, sed etiam contra q dam *Polycarpum de la Riviere* Carthusianum, quorum uterque plures nominavit auth hujus narrationis testes, de quibus observat Launojus, quod aliqui mala laudentur aliqui vero bona. Inter illos dicit partim editos, partim ineditos esse. Ineditis primc scribit loco eum, qui scripsit chartam fundationis Carthusiæ majoris, in qua, inq ne unus quidem apex est de Doctore vel Canonico Parisiensi, sed sola exprimitur i ab Hugone illius loci donatio, in quo ædificatum est Monasterium, quod ingenue fessus est Ludovico Nubleo, Causidico Parisienti Prior generalis. Heu prisca fides! si quis Codex fundationis in Carthusia reperiretur qui narrationem illam continēret sine dubio manu & charactere recenti scriptus esset interpolatusque. Sed hoc Veri quæ mendacio prior est, nihil officeret apud æquos rerum æstimatores; & certe po: tatem Francisci de Puteo, qui Carthusiam rexit ad annum seculi antecedentis vicesim in eo Codice factam fuisse fraudem non vana esset conjectura. Hic enim Carthusiæ P generalis in ea, quam confecit, Brunonis historia nihil habet de tali Codice, qui adparet, in potiorem illius historiæ partem venire debuit; imo, cum Codice illo, q Rainandus & Polycarpus de la Riviere laudant, non consentit in anno fundationis. Author iste, cui Carthusiæ foruli patebant omnes, ignorasset aut reticuisset illud m mentum, quod summam Historiæ huic authoritatem conciliasset. Quorsum namq recentioribus, incertis & credulis Scriptoribus accepisset eam de Doctore hoc narra nem, quam ab æqualibus, fidelissimis & publicis rei gestæ testibus potuisset accip Quorsum itidem non expressisset nomen Doctoris, quod expressum in codice funda nis jactant Polycarpus & Rainandus? Quorsum non adpellasset Doctorem hunc I mundum, qui in hoc codice sic adpellatur? ***Deinde*** occurrit Chronicon Grandim tense, ubi diverso charactere manuque recenti ad annum seculi post Christum duod mi decimum & quintum, quo pagina vacabat, in loco non suo exhibetur hæc narra quam ab aliquo fabulatore insertam quoque fasciculo temporum esse constat. Ha causa malum Polycarpi fidem conquerimur, qui codicis antiquissimi nomine lecto in fraudem conatus est inducere. Est quidem hic codex antiquissimus, & quæ in e ordine Grandimontensi & aliis quibusdam scribuntur, scripta sunt manu antiquissi hæc autem recentissima, quæ dictam exhibent narrationem. Heu fides prisca. ***Inter tos*** autem, qui mala laudantur fide, objiciunt sese Scriptor anonymus Vitæ S. Step ni Abbatis, Vincentius Bellovacensis, Humbertus Magister Generalis Prædicator Chronicon Magnum Belgicum, Matthæus Parisiensis, Philippus Bergomensis, Jacc Wimphelingus, Antonius Sabellicus, Severinus Binius, Franciscus Modius, Arnol Bostius, & Franciscus Menenius seu Mennejus, qui omnes fide priori non potuer citari. Nam inprimis parvam affingit Historiam Matthæo Parisienti, inter cujus op tamen non comparet; deinde in genuinis ejusdem operibus de initio Carthusiensium de Brunonis Conversione nihil omnino habetur. In S. Stephani Abbatis vita, quam I go Menardus in Martyrologio Benedictino edidit, nihil etiam de Brunonis historia ditur. Apud Vincentium Bellovacensem quoque nulla est prodigii Parisiensis men Humbertus itidem neque in Sermone, quem ad Carthusienses, neque in aliis, quo diversos hominum status habuit, de ficto hoc prodigio quidquam detestatur. Sic & gnum silet Chronicon has Polycarpi fabulas. Philippus insuper Bergomensis à nostris partibus adversus Polycarpum & socios. Atque sic cæteri, Jacobus nempe Wimphe gus de Doctore hoc Parisiensi commemorat nihil, Antonius item Sabellius ne quid adtingit exordia Carthusiensium, Binius tacendo mendacibus obloquitur, & Bos silentio rejicit, quod illi Polycarpus obtrusit, Mennejus tandem de hisce omnibus n

q

Digitized by Google

quidquam tradit. Heu priſca fides! His adcedit Wernerus Rolewink, cui tribuit Polycarpus, quæ ille non ſcripſit, aut ſi ſcripſiſſe tergiverſetur, tergiverſantis conſilio inutilia & ἀνεφέλκυστα ſcripſiſſe comdertum erit. Tum libri, qui inſcribuntur, Thomæ Morimundi Chronica, Fragmentum Hiſtoriæ Anglicanæ authoris incerti, & Chronicon Albanum, an ſint in rerum natura, nec ne, vel ſi ſint, quid contineant, hactenus comperire non potui, ſcribit Launojus. Sed cum, qui libros hujuſmodi citat, homo ſit fidei profligatæ, commentitios eſſe eos, aut certe, ſi non ſint commentitii, quod ad rem hanc præſentem ſpectet, nihil continere eſt credibile. Quod vero nunc pertinet ad eorum authoritatem, qui *bona laudantur fide*, id, cum res ſit hiſtorica, ex ætate Scriptorum, atque ex ſcribendi forma petendum eſt, quod capite ſecundo jam fuit expenſum. Nunc reſtat obſervandum, pleroſque ex iis, qui tam bona fide citantur, ab anno milleſimo & quingenteſimo vixiſſe, & illam narrationem potius recitaſſe, quam expendiſſe, quod adparet tum ex Bellarmino, tum ex aliis authoribus, qui conciones ad populum habuerunt; atque iis profecto facit injuriam, qui ſentit aliter. Qui vero aliter ab eo tempore non ſcripſerunt, certe poſt defixam duobus primis capitibus Epocham ſcripſerunt; ſed adſerendæ ſuis legibus veritati nihil admodum incommodant. Illi ſunt præcipue Henricus Kalkarienſis & Johannes de Indagine, quorum libros tamen videre non licuit, ſive quia forſitan adhuc ſunt inediti, ſive quia ad nos nondum pervenerunt, tametſi in iis diſquirendis nonnihil operæ & diligentiæ poſuerimus. Henricum aliquid habere de hac fabula non facile crederem, habere tamen poſſe, niſi ſcripſerit adcurate, docent ea, quæ ad Gerſonem capite ſecundo ſunt obſervata. Secundum hæc omnia quid fiet Rainando, qui fidei Polycarpi ſe commiſit, qui citatos ab illo teſtes tam cupide numeravit, qui chartam fundationis Carthuſiæ majoris ut Achillem oppoſuit, qui Chronicon Grandimontenſe ut oraculum oſtentavit arictinum, qui nomen ipſum Doctoris deſignatum in ipſo Codice inſtitutionis Carthuſienſium tanquam caput Gorgoneum objecit adverſariis, qui opus manu Polycarpi exaſciatum, bella videlicet mendaciorum artifice, ſua perpolivit dolabra, qui prælucente familiæ Carthuſienſis ſole noſtras illuſtravit tenebras, qui tandem architecti ſcientiſſimi peritia ſuum adverſus fortia ingenia Antemurale conſtruxit, & tam affabre, tamque antiquo conſtruxit artificio, ut invictum ab expugnatione crederent, qui adprobarunt? Quibus autem & qualibus ſannis ac maledictis Rainandus perſtringeret eum, qui modo pari par Hiſtoriæ negotium tractaſſet, illius judicio permittimus, ſcripſit ante pluſ-quam viginti annos Launojus, interea & Rainando & Launojo, ad plures ſecedentibus. Sed cujuſmodi futurum ſit Rainani judicium, monet porro Launojus, facile colligent, qui in ipſum ejus Antemurale penetrabunt, è quo ſi convitia, lædoriæ, ſannæ & ſarcaſmi tollerentur, nihil Authori ferme præter aliquot particulas, chartam peſtiferam & atramentum tartareum relinqueretur. Quare in quibuſdam parcus charitatis, quo tamen nomine alios indigitat, in aliis autem parcus fidei merito poteſt æſtimari quemadmodum ex hoc conſtat capite.

Ex eo nunc inſuper obſervat Launojus *Primo*, vix ullum eſſe Scriptorem, qui ſive audacia, ſive imprudentia Polycarpum hunc antecedat. Audacia in falſis teſtimoniis, quæ & chartæ fundationis Carthuſiæ majoris & Chronico Grandimontenſi, totque aliis Authoribus editis omni pudore depoſito adfinxit; imprudentia autem in eo maxime, quod hæc omparatæ in perniciem veritatis fraudes cum nullo diluantur negotio, omnibus continuo ſcriptis ſuis abrogat authoritatem. Et certe, ſeu iſto, ſeu alio ſcelere, hoc jam conſecutus eſt, ut apud ordinis ſui Generalem fidei nullius æſtimetur, quod ab ore ipſius Ludovicus Nubleus, qui tum verſabatur Gratianapoli, accepit, acceptumque mihi ſignificavit. Cæterum, quæ de Polycarpo hoc dicuntur, ſi vera ſint, in eo, quam incomprehenſibilia ſint judicia DEI, profundiſſima animi demiſſione miramur atque ſuſpicimus. Et quoniam à Rainando vocatus eſt clariſſimum Ordinis Carthuſienſium ſidus, num eum adfatus exclamare

qui$_5$

quis poſſet his Scripturæ verbis : Quomodo cecidiſti Lucifer &c. *Secundo*, centum ab hinc annis confictum eſſe nomen Doctoris, cumque Raimundum eſſe adpellatum. Sic creſcunt fabulæ, neque dubito, quin etiam aliquando hujus Raimundi parentes atque patria propriis deſignentur nominibus, ac inde aliquis ſumat argumentum confirmandæ narrationis, quod Antemurali reſtaurando addatur. *Tertio*, Bartholdum Nihuſium in Epiſtola, quæ fronti operis Didaſcalici eſt præfixa, fabulas ac dolos Polycarpi novo cumulaſſe mendacio, Theodoricum quendam Abbatem S. Teudonis pro teſte adducendo, qui viderit Doctorem nunc caput è feretro erigentem. Sed, ita Launojus cenſet, Theodoricus hic adducitur in teſtem, quemadmodum charta fundationis Carthuſiæ majoris, Humbertus, Vincentius, Chronicon magnum Belgicum, Philippus Bergomenſis & alii, quos adornavit Polycarpus. Porro, ſufficit his magnæ fidei viris aliquid dixiſſe, ut abſque teſte credatur; nec enim opus eſt, ut nobis ſignificent, quo in opere, & quo in operis loco Theodoricus teſtetur, ſe illud prodigium vidiſſe, quod cum Nihuſius cum ſuis vidiſſe commemorat. Audio quidem, Nihuſium eſſe hominem doctum, ſed credulum, quique in ſtudia Critices nullum inſumſerit laborem; &, quæ adfirmate reperit ſcripta ea pene omnia habeat pro veris. Quidquid autem ſit, mea non intereſt. Ego, ſcribit Launojus porro, uti verum amplector, à quocunque dicatur, ſic & falſum rejicio, à quocunque dicatur, & quidem tum in aliis, tum in religione etiam Chriſtiana, quæ non indiget patrocinio falſitatis, ſicut nec Veritas ſubſidio dicacitatis. Porro, Nihuſius hic ſuam prodit oſcitantiam, ſcribens, Lectiones de hoc prodigio juſſu Urbani Pontificis hoc nomine octavi è Breviario Romano deletas eſſe; cum lectiones ipſæ non fuerint deletæ, verum id è lectionibus tantummodo fuerit deletum, quidquid ad illud ſpectabat prodigium. Deinde, parum veriſimile eſt aliud, quod in eadem tradit Epiſtola Nihuſius, ſibi nimirum quærenti à Congregatione ſacra, quæ ritibus dirigendis præeſt, cur illud prodigium fuerit deletum, reſponſum eſſe. Nequaquam illud remotum eſſe è Breviario, quod indicaretur eſſe fabuloſum, ſed alia de cauſa; ſiquidem nulla potior regulis præſcribitur Eccleſiaſticis, præterquam falſitas deprehenſa, qualis in lectionibus Vigiliarum S. Brunonis potuit deprehendi à correctoribus Romanis, qui ſacris præſunt ritibus Eccleſiæ. Loquor nunc de hac correctione ſingulari, in qua ſtatutas à Magiſtris antiquioribus obliterandæ falſitatis & Veritatis retinendæ leges commode adhibitas fuiſſe obſervatum eſt; videlicet, ne quæ adverſarii ex retento Brunonis Magiſterio Pariſienſi, vel ex aliis quibuſdam Breviarii Romani dilectionibus opponent. Etenim, Breviarium hoc pluries correctum eſſe, ideoque non ſemel (adhuc dum) corrigi poſſe docet multiplex correctio, quæ à Paulo hujus nominis quarto uſque ad Urbanum ſupra dictum eſt comparata; atque ſic majores poſteris, quod corrigerent, ſemper aliquid reliquerunt. Hoc de induſtria notamus propter adverſarios, ſcribit Launojus, qui ut ita dicam, rimantur occultum foramen in quodam angulo, quo ſe ſubducant, non autem ſtudioſe, quod par eſſet, quærunt idoneam luci excipiendæ feneſtram. Sed ut aliena non adtingam, Pariſienſe Brunonis Magiſterium adhuc corrigi poſſe ſuadent, quæ ea de re dicta ſunt capite primo. Non, quod Bruno Magiſter in Theologia non fuerit, ſed, quod ad annum, quo ſeceſſit, nondum profecto Lutetiæ, uti jam fuit obſervatum, vel ſi Lutetiæ, quia ſic jubes, alibi tamen, quam Lutetiæ, puta Remis, Lauduni, in Monaſterio Beccenſi apud Normannos Theologia doceretur. Qui vero docebant Theologicam, & qui eam profitebantur in Eccleſiis & Monaſteriis, audiebant Magiſtri; atque ſic nulli tunc, vel certe non omnes in Theologia Magiſtri vocabantur Magiſtri Pariſienſes. *Quarto*, Chronicon Grandimontenſe Polycarpi & Rainandi cauſam juvare nihil, quam narratio eidem inſerta concederetur manu & charactere veteri exarata; quid enim hoc prodigium Carthuſienſe eum adtinet Ordinem, qui pluribus annis ante fuerat inſtitutus. Deinde, cum ibi nulla fiat mentio Carthuſianorum, prodigium hoc æque ad Grandimontenſes vel Ciſtercienſes, atque ad Carthuſianos poteſt referri.

Digitized by Google

ferri. Tum demum Polycarpus & ejus ſectator dicant, quæ religiones ad annum ſeculi poſt Chriſtum duodecimum & quintum ſint exortæ, ut teſtimonio huic in alia ſaltem re ſua conſtet veritas. *Quinto*, Rainandum non tam ſuis adverſariis, quos tamen & innocentes adpellat acerbiſſime, quam de ſemet ipſo male meritum eſſe in Antemurali, quod adverſus ſortia præſtruxit ingenia. Vel enim, quæ de tota hac re ſcripſit, ſerio, vel joco ſcripſit. Si joco, nobis quidem non officit, modo jocus deprehendatur, ſed rem graviſſimam parum liberaliter tractavit; ſi ſerio, fide aliena ſuam in ſcribendo fidem amiſit funditus. Cæterum, rem ipſam quod adtinet, duo ſunt, quibus adduci poſſum facile, ut credam, Virum ſine dubio eruditum joco ſcripſiſſe librum ſeu præfationem, cui nomen dedit Antemuralis. Unum eſt illa Diſſertatio, quæ inſcribitur, error popularis de communione pro mortuis. Deinde, Guſtus operis, cui titulus eſt, Heteroclita Spiritualia & Anomala Pietatis. Tum Hipparchus de Mercatore religioſo. Utpote, ex quibus operibus non operoſum eſt diſpicere, an vulgi & aliquot Sodalium opinionibus adſtipuletur. Alterum eſt ſtudium retinendæ pacis cum pleriſque ſodalium, quos fabulæ populares delectant; quod Viri graves & boni qui ejuſmodi hominum arcana norunt certiſſime confirmant. Equidem ſervandæ vel redintegrandæ Pacis cum ſodalibus conſilium vehementer probo, verum id non probo, quod in excidium veritatis ſelegit illos. His autem lucubrationibus nuper adjecit de immunitate Cyriacorum, id eſt, Dominicanorum, à Cenſuris Diatribas decem, id eſt, totidem libellos famoſos, & Syntagma de propriis operibus, opus mendaciis, ſycophantiis & contumeliis refertum. In his habitat cloacis, & voratrinam exercet cruentiſſimam vir octogenario major, in his Mortem meditatur adſidue, atque fatales exitus expectat vere Commodianus ipſe Hercules, & DEO rationum ſuarum rationem reddere conſtituit, altera manu tenens regulam, altera has regulæ purulentas corruptrices. *Sexto* tandem, Polycarpum & Rainandum in optimam adſerendæ Veritatis, quæ in facto conſiſtit, methodum peccaſſe graviſſime, ut id, quod falſum eſt, verum eſſe probarent. Itaque viri Religioſi (ſi tamen aliter adhuc eſt religioſus, adfirmant, habere ſe firmas origines ab iis, quorum res eſt, in iiſque exprimi diſerte totam narrationem. Producunt Chronicon Grandimontenſe, non multo poſt mortem Brunonis exaratum, item aliud Chronicon Thomæ Morimundi, cujus Authoris obitus conſignatur anno ſeculi poſt Chriſtum duodecimi quinquageſimo. Producunt Matthæum Pariſienſem, Vincentium Bellovacenſem, Humbertum & alios intra idem vel proximum Brunoni ſeculum Scriptores, qui huic narrationi præbeant teſtimonium. Sagaces quippe viri indicarunt, hanc de Doctoris anaſtaſi narrationem ſapienter credi non poſſe, quam obruiſſet perpetuum ac generale duorum à Brunone Seculorum ſilentium. At enim vero obruiſſe, illoſque Authores falſo productos fuiſſe, oſtenſum eſt ſupra, atque ſic, ut hoc genus artificii ultima impoſturæ linea jure poſſit putari. Nunc vero ſecundum iſta quinam quæſo adpellationem fortium ingeniorum juxta phraſin Rainandianam merentur? Illinc, qui ad quærendam commentitiæ narrationi fidem teſtes ſubornant; an illi qui fraudes in perniciem Veritatis intextas diſcindunt, & recepta apud cordatos, ſed ab adverſariis non ſincere uſurpata differendi methodo rem hiſtoricam confirmant? Quam igitur in vindicanda hac narratione methodum ſecuti ſunt Polycarpus & Rainandus, eandem nos amplectimur, inquit Launojus, ut unciæ, quam colimus Veritati adſerendæ & refigendo in contrarium mendacio peridoneam; ſed narrationem illi methodo ſubſtratam, quia male ſubſtrata eſt, rejicimus; atque in fabularum numero collocamus, non tantum, quia placet, uti Rainandus ait, ſed quia diſputandi leges, quas ſequimur, ita jubent, ſcilicet, quia Bruno de ſua vocatione ad Radulphum ſcribens perſuadet, Guibertus Abba, veram ſeceſſus S. Brunonis cauſam exponit, & adverſus ſortia ingenia, quibus arridet mendacium, præſcribit, porro veterrimus Statutorum Carthuſienſium codex & Petrus venerabilis in deſcriptione Ordinis non admittunt, atque quod non admittunt, nulli ſupplent Authores Brunoni vel ſuip-

pares vel æquales, insuper tot illustrium Scriptorum, qui de Brunone ac Ordine Carthusienti post Annos ab ejus initio ducentos scripserunt, generale silentium vindicatæ narrationis vanitatem eloquentissime coarguit, & hominum id genus commenta depereuntium fauces elidit, denique memoratæ narrationis antiquitas solis fraudibus & impostoris vindicatur. Tandem ubi breviter repetiit Launojus, quæ in hisce capitibus quinque contra narrationem ab aliis opere tanto commendatam prolixissime deduxit, sequentem subjunxit clausulam, in qua testatus est, se hæc omnia adduxisse pro defendenda Breviarii Romani correctione, ac multa adtulisse, eaque exquisita Ordinis Carthusiensium Elogia, & nullam ei factam esse injuriam. Nempe, nihil aliud in tota hac Dissertatione actum, quam quod agi Concilia perpetuo jusserint. Testari hoc Concilium Africanum, in quo statuatur, ut in Ecclesia non cantetur, nisi quod à prudentioribus in Synodo fuerit adprobatum. Testari Concilium Romanum sub Gregorio Pontifice hujus nominis primo celebratum, utpote qui in eo aliqua in Ecclesiæ Ministeriis reprehendenda correxerit. Testari Synodum Trullanam, quæ confictas ab hostibus Veritatis Martyrum historias damnaverit. Testari Concilium Francofordiense, quod itidem falsas Martyrum historias & inexploratas in officiis Sacris additiones rejecerit. Testari Concilium Senonense, quod sanxerit, ut Breviaria & Missalia emendarentur : Concilium item Colonience, imo, Tridentinum quoque, & post illud Rothomagense & Rhemense, quod utrumque à Pontifice Romano adprobatum statuerit, ne quid veris Sanctorum historiis contrarium Breviaria continerent.

Observatio nona de Scapularis Carmelitici Privilegiis & Sodalitate.

HUic etiam argumento Dissertationes aliquot Launojus consecravit, ac vice tertia cum augmentis sub uno tractatu & titulo edidit, adscribens eas Franisco Barberino Cardinali, præfixa insuper adversus quosdam antagonistas galeata, uti ad incitationem Hieronymi vocavit, præfatione, in qua prolixe rationes Instituti Lectoribus curiosis exposuit. Videtur autem hoc quoque argumentum non esse indignum, de quo Veritatis Evangelico-Catholicæ sectatores aliquem habeant prægustum, ut sciant atque cognoscant, inter ipsosmet Papatus Romani cultores non defuisse, quibus suspecta videbantur ea, quæ de singularibus Scapularis Carmelitici privilegiis ab Ordinis hujus Sociis tam supercilioſe solent jactari. Observabitur vero in his etiam Excerptis ordo, quem Author tenuit, ne quid notatu dignum atque ad rem ipsam pertinens prætermittatur, suo quodvis loco sistendum. Duplex autem commendatur privilegium huic Scapulari Carmelitico proprium, quod utrumque nullitatis adcusat Launojus, nec illud absque sufficienti causa & ratione. Prius nititur jactata quadam Visione alicujus, qui sextus dicitur fuisse Generalis hujus Carmelitici ordinis, nomine Simon de Anglia, vulgo Stochius, cui pro singulari quodam ordinis sui privilegio Virginem Deiparam invocanti Maria dicitur adparuisse ac promisisse, eos, qui hoc in habitu moriantur, ab æterna damnatione præservatum iri. Hujus narrationis quatuor producit Authores & testes, videlicet, Petrum quendam Swaingtonum, ordinis hujus Socium, natione Anglum, authorem vitæ Simonis hujus Stochii, quæ in tablino Monasterii Burdegalensis dicitur adservari; deinde, Johannem quendam Grossum, itidem Carmelitam, natione Tholosanum, in secunda Viridarii clave, quæ agit de Sanctis hujus ordinis; porro, Anonymum quendam Scriptorem vitæ ejusdem Stochii, in Bibliotheca Vatiana extantem; denique, Johannem Paleonidorum, & hunc Carmelitam, natione Batavum, in libri tertii Antiquitatum ordinis sui capite septimo. At, huic quadrigæ testium Launojus opponit alios hujus ordinis plures, qui de hoc agentes argumento illud

Digitized by Google

illud damnarunt ſilentio, nempe, Philippum Ribotum, Provincialem hujus Ordinis Catauloniæ in libris decem de inſtitutione & geſtis Carmelitarum peculiaribus; Johannem Chimetenſem, in Theologia Magiſtrum, libri duplicis authorem, quorum unus inſcribitur, Speculum hiſtoriale declarativum ſtatus Fratrum ordinis B. Mariæ Genitricis DEI de Monte Carmeli, alter vero, Speculum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli; Authorem anonymum opuſculi ſeu Tractatus de tribus articulis, nimirum, de Succeſſione, intitulatione & confirmatione Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, alium quendem anonymum Authorem Compendii Hiſtoriæ & Jurium pro defenſione inſtitutionis & confirmatione Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli; Guilielmum Samucenſem, authorem Chronici ſub titulo & inſcriptione, Multiplicatio religionis Carmelitarum per Provincias Syriæ & Europæ, ac de perditione Monaſteriorum Terræ ſanctæ; Thomam Waldenſem, Theologum Pariſienſem, & Carmelitarum in Anglia Provincialem, Johanni Groſſo cætaneum, in operis Sacramentalium titulo nono, ac ejus capite poſt nonageſimum ſecundo, ac tituli viceſimi capite poſt nonageſimum tertio, ubi egit de veſtibus religioſorum, ac de meritorum & ſuffragiorum participatione; Johannem Baptiſtam Mantuanum, Carmelitarum Priorem-Generalem atque Magiſtrum, in Apologia pro Carmelitis; præterea ex aliorum plurium Authorum numero Matthæum Weſtmonaſterienſem in floribus Hiſtoricarum, multa paſſim Miracula diverſis in locis patrata, quin & augmenta Ordinis Carmelitici in Anglia recenſentem; Henricum Cnigthonum, Canonicum Luceſtrenſem, in Chronicis memorabiles Angliæ eventus, ac inter eos mutationem capparum Ordinis Carmelitici narrantem; Johannem Trithemium, Mantuano æqualem, in libro de laudibus Ordinis Carmelitici, in quo ejus initia, regulas, confirmationem, adprobationem & varias in Eccleſia utilitates fuit executus. Ex hiſce Launojus colligit primo, vel ea omnia, quæ ad Stochii viſionem & donum Scapularis pertinent quam maxime, illius hiſtoriæ, quam Swaingtonus eidem æqualis confecit, adſuta eſſe ab iis, qui poſt tempus Thomæ Waldenſis eandem deſcripſerunt, vel ſi primum à Swaingtono ſunt indita hiſtoriæ, eos Authores, ex quorum ſilentio hic diſputatur, & viſionem ipſam & donum Scapularis prætermiſiſſe, velut obſcura, & ſibi indigenis utplurimum Authoribus incognita; ſecundo, graviſſimis rationibus ductum fuiſſe Paulum hujus nominis Pontificem quintum, qui dum Sodalitium Carmelitarum confirmavit, & quid de hujus Suffragiis poſſet confratribus adnuntiari, præſcripſit, eorum, quæ quatuor viri ſupra citati cum aliis tradunt, nullam omnino fecerit mentionem. Poſtquam vero inſuper Launojus non modo quatuor viros hoſce inter ac ſecum ipſis, ſed etiam cum iis Authoribus commiſit, qui eorum teſtimoniis nituntur, oſtendens pugnam & varietatem narrationis quoad pleraſque circumſtantias, inprimis de Codice Vaticano & authoritate Johannis Groſſi ſuum expoſuit judicium. De Codice Vaticano cenſet, ſive is ab aliquo Carmelita, ſive ab alio quodam poſitus ſit in Bibliothecam Vaticanam, eum inde majorem non ſortiri fidem. Nam, inquit, codices manuſcripti non ex locis, in quibus aſſervantur, ſed à ſeipſis authoritatem ſibi adſciſcunt; unde vel probæ, vel non probæ ſolent ab Antiquariis vocari notæ. Adpoſite omnino hac de re ac prudenter ſcripſit Baronius ad Annum Seculi poſt Chriſtum ſexti quartum, agens de Codice quodam Bibliothecæ Vaticanæ: *Quaſi non omnis Bibliotheca referat ſimilitudinem Sagenæ miſſæ in Mare ex omni genere piſcium congregantis, bonos & malos continens libros, probatos & improbatos, utiles & inanes ſimul amplexans, illos ut ſequatur, iſtos vero rejiciat.* Vaticanus ergo Codex ille, vitam exhibens Stochii, fidem non mereretur majorem, quam ſi alio in loco reperiretur; præſertim, cum Stochius ille ab Eccleſia Romana in numerum Sanctorum non ſit relatus. Nec enim ullus poteſt diffiteri, quin, ſi relatus fuiſſet in numerum Sanctorum, editus vel exaratus manu codex vitæ Stochii, quam viri prudentes & eruditi, uti ſolet fieri, examinaſſent, pondus authoritatis haberet quam plurimum. Sed, cum neque examinatus ſit Codex ille, nec Stochius in Ordinem Beato-

rum ſit adſcriptus, quicunque de Codice hoc ferre poteſt judicium. Equidem in hiſtoriæ fragmento, quod Swaingtono adſcribitur, Stochius pluries vocatur beatus. Verum, ut beatus ab æquali vocaretur, illius temporis conſuetudo non permiſit; Eccleſiæ enim authoritate prius in Ordinem Sanctorum tunc referendus erat aliquis, quam Beatus vel Sanctus adpellaretur. Thomas quippe Prædicator in ſuis, qui ante Johannem viceſimum & ſecundum tranſcripti, vel in aliorum libris, qui ante hunc Pontificem ſunt editi, non ſanctus aut beatus, ſed ſimpliciter tantum Frater Thomas adpellatur. Vel ergo Swaingtonus non ſcripſit hiſtoriam Stochii, quæ proponitur, vel ſi ſcripſit, ab aliquo recentiore pro arbitrio fuit interpolata. De Groſſo judicat Launojus, eum non eſſe Authorem adcuratum, ſcribentem inprimis in Ordinis ſui Chronico, eum in Occidente antiquiorem fuiſſe, quam ex Authoribus rerum geſtarum æqualibus vel ſupparibus poſſit demonſtrari. Adcedit Jacobus Vitriacus Stochio coævus, cujus tum Occidentalis, tum Orientalis hiſtoria, ſi recte perpendatur, iſtud mirum in modum confirmat. Et quidem in priori omnium Inſtitutionum religioſarum, quæ illo tempore apud Occidentales extabant, initia vel progreſſus diligenter adnotavit, verum de Ordine Carmelitarum nullam injecit mentionem; in poſteriori autem varias itidem ſectas Religioſorum Orientalium executus eſt, atque ſimul Ordinem Carmelitarum aliqua ex parte adtigit. At vero, ſi, ut in Oriente, ita etiam in Occidente nactus eſſet Carmelitas, cur, quæſo, eorum non æque in Occidentali, atque in Orientali meminiſſet hiſtoria? Et quamvis nihil ſit omnino, quare in Orientali, quam Occidentali hiſtoria debuerit eſſe indiligentior, eſt tamen aliquid, quare potuerit. Scilicet, in Occidente diutius, quam in Oriente vixit, quippe ex Argentolii Pariſiorum vici Curione factus Arouenſis in Palæſtina Epiſcopus & Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus. Itaque, cum aliquos in Oriente, nullos autem in Occidente agnovit Carmelitas, evidens eſt indicium, eo tempore, quo ſcripſit, in Occidente nullos extitiſſe. Unde contingit, ut Groſſus centum & quinquaginta annis Vitriaco poſterior non potuerit non decipi, quando ante Stochium quinque Carmelitarum generales in Occidente poſuit, ac multa proinde eorum Examina Carmelitarum ſuppoſuit; quæ res ſi congruiſſet Veritati, utpote lippis etiam atque tonſoribus nota, Vitriacum quoque non fugiſſet. Poſt perſonalia quædam interpoſita provocat porro Launojus ad duplex teſtimonium Baronii, Tomi Annalium primi numero poſt decimum ſecundo ſic ſcribentis: *Quod ab Authore Recentiore de Rebus adeo antiquis ſine alicujus vetuſtioris authoritate profertur, contemnitur*, Et Tomi eorundem octavi ad Annum Seculi poſt Chriſtum ſeptimi quartum numero quadrageſimo: *Adcidere interdum ſolet, ut aliquid vulgo adlatum, ſi quis certos vel examinare teſtes, an verum ſit, neminem id ſerio teſtantem inveniat, fiatque, ut, quod ab omnibus dici jactatur, adſeratur à nemine, rumorque ille evaneſcat in auras.* Adducat inſuper è Codice canonum Eccleſiæ Africanæ Decretum numero & Ordine octogeſimum & tertium, quod ita habet: *Omnino nulla Martyrum memoria probabiliter accipietur, niſi, ubi corpus aut aliquæ ſunt reliquiæ, aut origo alicujus habitationis vel poſſeſſionis origine traditum fidiliſſima. Nam, quæ per Somnia & per inanes quaſi Revelationes quorumlibet hominum ubicunque conſtituuntur Altaria, omnino improbentur.* Subjungit præterea ejuſdem fere tenoris teſtimonia Auguſtini ex libri de Unitate Eccleſiæ capite decimo & nono, Gerſonis Cancellarii Pariſienſis è Tractatu, quem vocavit Declarationem Veritatum, quæ credendæ ſunt de neceſſitate Salutis; Mantuani è libro, in quo natam ſuo tempore ex viſione quadam de loco conceptionis Chriſti opinionem expoſuit, & una cum aliis refutavit; Fratrum Ordinis Prædicatorum apud Johannem Majorem in libri ſecundi Sententiarum Quæſtionem triceſimam, ubi de Miraculis pro Feſto Conceptionis Divæ Virginis ſuam exponunt mentem; Facultatis itidem Theologicæ Pariſienſis è Reſponſione ad Judices quoſdam ſuper reditu animarum poſt mortem, Melchioris quoque Cani è libri de Locis Theologicis undecimi capite ſexto, tandem Bellarmini, in libri quinti de Verbo DEI

capite

Digitized by Google

capite nono ſcribentis: *Non novis revelationibus regitur Eccleſia, ſed in ea permanet, quæ tradiderunt illi, qui Miniſtri fuerunt Sermonis.* Obſignat denique primi hujus privilegii examen verbis Cyrilli Alexandrini è theſauri Adſertione viceſima deſumtis, quæ hic habent: *Oportet eum, qui ad inveſtigationem ſacrarum Scripturarum accedit, tempus obſervare, quo dicitur aliquid, & perſonam, à qua dicitur, & propter, & de qua dicitur. Ita enim qui recte volunt ſentire, citra illum errorem, quæ ſcripta ſunt, intelligent.* Quomodo autem hæc inſtituto præſenti poſſint adplicari, nemo qualicunque præditus judicio non videt.

Poſterius nunc ſequitur privilegium Scapularis Carmelitici, quod loco fundamenti habet Bullam Johannis Papæ hoc nomine viceſimi & ſecundi, quæ vulgo dicitur Sabbatina, hanc ob cauſam, quia in eadem recenſetur viſio ſingularis Mariæ Virginis, huic Johanni Papæ adparentis, & Ordinis Carmelitici confirmationem ei mandantis, inſuperque promittentis, quod omnes & ſingulos in hoc habitu morientes proximo poſt obitum Sabbatho velit è Purgatorio liberare. Authores, qui hanc Bullam repræſentent, Launojus adducit maxime duos, videlicet, Gregorium quendam Nazianzenum à S. Baſilio in opere quodam Gallico de Adoptione filiorum Virginis in Ordine & Confraternitate Virginis Mariæ de Monte Carmelo, & Marcum Antoninum de Caſanate in libro de Carmelitici Decoris Paradiſo. Contendit autem Launojus, hanc Bullam eſſe ſuppoſititiam ob varias rationes. Earum *prima* deſumitur ex duobus &c &c. ſub initium hujus Bullæ extantibus, iiſque veri ſenſus expertibus. Nam, inquit Launojus, evolvant hujus Bullæ defenſores Bullarium Cherubini Tomo triplici comprehenſum, & Bullæ cujuſdam par initium in cauſa pari demonſtrent. In libro quidem, cui titulus eſt, Compendium hiſtoriæ & jurium pro defenſione Inſtitutionis & confirmatione Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli, reperitur collectio Bullarum nonaginta trium, quæ ad varia Carmelitarum negotia pertinent; ſed earum ne una eſt, cujus initium cum uno vel duobus &c. &c. repræſentetur. Si quid autem, quo hæc infirmetur ratio, fuit quærendum, ex hac profecto Bullarum collectione fuit quærendum, ubi ſex Johannis Papæ hujus viceſimi & ſecundi Bullæ deſcribuntur. *Secunda* deſumitur ex annorum Bullæ apud Authores hoſce duos diſcrepantia, *tertia* itidem ex diverſitate annorum factæ Johanni Papæ adparitionis apud eoſdem, *quarta* ex uſu ſcribendi Johannis, dum Author hujus Bullæ à communi Johannis ſtylo aberrat; *quinta* ex varia revelationis narratione, quæ apud hos Authores occurrit; *ſexta* ex locis itidem diverſis, ubi Bulla hæc ſit invenienda, nimirum, an Genuæ, Meſſanæ, Barcinone, Valentiæ & aliis Urbibus Hiſpaniæ, num Avenione, ubi dicitur conſcripta, aut in cæteris Galliæ oppidis vicinioribus, ubi condita ſunt Monaſteria Carmelitarum. *Septima* deſumitur ex deceptо à Virgine Papa. Id Launojus ita planum facit, obſervans, Deiparam in hac Bulla Johanni promittere, ſe eum erepturam ab Adverſario, ſi efficeret, quod illa volebat. Effecit autem id Johannes, ſcribit Launojus, diſputans ad hominem, uti liquet ex ipſa hac Bulla. Sed Deipara non effecit, quod Johanni promiſit, uti docet temporis illius hiſtoria, eum ab Adverſariis non eripiens. Ludovicus certe Bavarus perpetuas non modo cum Johanne, ſed etiam cum ſucceſſoribus exercuit inimicitias, quibus pleni ſunt omnes illius temporis Hiſtoriarum libri. *Octava* deſumitur ex inepta Virginis locutione, quæ in hac Bulla occurrit, & cum illo tempore, quo hæc dixiſſe refertur, minime conveniunt. Pontifici nempe promittit, ſe cum Adverſario erepturam, ut ſolus ſit Papa, cum illo tempore jam ſolus rerum potiebatur. *Nona* deſumitur à ſilentio Bullæ tum temporis. Si enim hæc bullata Revelatio Deiparæ contigiſſet vere, nulla eſt dubitatio, quin ipſe Pontifex Johannes, & qui pro eo ſcribebant, eandem produxiſſent contra Ludovicum Imperatorem, contra Pſeudo-Pontificem, contra Michaelem Cæſenatem, contra Guilielmum Occamum, contra Marſilium Patavinum & alios, qui Ludovici partes ſcriptis & armis defendebant. Efficacius quippe nihil adferri pro Johan-

ne potuiſſet vel validius, quam quod Ludovicus Imperator vel Antipapa judicatus fuiſſet à Virgine Johannis adverſarius, ac Virgo Johannem adlocuta fuiſſet uti legitimum Chriſti Vicarium, & quod eadem Virgo eum feciſſet Papam; quodque conceſſa Divinitus privilegia Carmelitis confirmaſſet in terris, jubente cumprimis Deipara, quæ confirmationem hanc poſtulaverat, atque confirmatorem inſigni ſtipulatione ſibi obligaverat. At hujus Revelationis vel eorum, quæ in ea continentur, neque meminit ipſe Papa Johannes in Anathematiſmis, quos contra Bavarum & Antipapam edidit, nec Auguſtinus Triumphus, nec Alvarus Pelagius, nec alii, qui cauſam Johannis contra memoratos ejuſdem adverſarios ſunt tutati. Huc adcedit, quod neque vetus author ille, qui Pontificum Romanorum Avenione ſedentium vitas ſcripſit, neque Platina, neque Dominicus Tempeſta Romanus, neque Bzovius, neque Spondanus in Annalibus Eccleſiæ bullatæ hujus Revelationis ullam fecerunt mentionem, cum tamen illa nihil fuiſſet memorabilius. Hic certe poſteriores Hiſtorici ſpreverunt potius, quam non viderunt, quidquid de Bulla hac Sabbatina jactatur. Cæterum, hoc temporibus, perſonis ac rebus immerſum ac multiplex abnutivum rem hanc conficere videtur. Et quanquam commemoratis in hac ratione Scriptoribus propoſitum non fuit, omnia ab hoc Papa Johanne privilegia, vel ſingulas ejuſdem Bullas in ſua referre Commentaria, tamen debuit illis eſſe propoſitum, cum de hoc Papa Johanne ac ejus adſumtione ad Pontificatum loquerentur, ejus rei meminiſſe, quæ ad eum pertineret vel maxime, ejuſmodi inprimis fuit privilegium hoc Sabbatinum & recenſita in eo Virginis adparitio. *Decima* ſumitur ex opinione Johannis Papæ circa beatitudinem æternam. Si enim Virgo, uti hæc Bulla refert, promiſit, ſe in habitu Scapularis Carmelitici morientes è Purgatorio in Montem ſanctum vitæ æternæ ducturam, atque hoc idem ſonat, ſe eos in cœlum æterna beatitudine fruituros ducturam, quæ in conſpectu DEI conſiſtit, cur Pontifex Johannes tandiu hæſitavit, num animæ defunctorum, quæ poſt mortem nihil habent purgandum, ſtatim abeuntes in cælum contemplentur DEUM; curque certam non adhibuit fidem Deiparæ, quæ omnem circa hæc hæſitationem poterat removere hujus revelationis authoritate & privilegii conceſſione? *Undecima* ſumitur à Religioſorum in conſervandis privilegiorum exemplaribus diligentia. Scilicet primis temporibus Bulla hæc Sabbatina non fuit celebrata, quia ex Auctorum manibus nondum exierat; noſtris vero temporibus prædicatur, quia furtivo partu edita per nonnullas Pontificum recentiorum Bullas veluti natalibus ſuis demum fuit reſtituta. *Duodecima* ſumitur ex alienis abuſu Johannis Papæ vocibus, quæ cum ratione quinta coincidit. *Decima & tertia* deſumitur ex ſilentio præcipuorum Ordinis Carmelitici Hiſtoricorum, videlicet ſupra laudatorum Philippi Riboti, Johannis Chimetenſis & aliorum, quin & ipſius Johannis Groſſi, qui tamen viſionis Stochianæ meminit. *Decima & quarta* deſumitur ex Compendio Hiſtoriæ & Jurium Ordinis, iterum ſupra laudato, in quo, uti jam fuit obſervatum, reperiuntur Bullæ nonaginta tres, è quarum numero, ſi collector hanc Sabbatinam habuiſſet pro vera, non excluſiſſet. Cæteræ ratiopes potiſſimum reſpiciunt eorum tractandi methodum, qui Bullam hanc defendunt. Quia vero Alexander Pontifex hoc nomine quintus Bullam hanc Johannis viceſimi & ſecundi alta quadam Bulla dicitur confirmaſſe; hinc Launojus porro hanc quoque confirmatricem Bullam ſuppoſitionis arguit, variis itidem de cauſis, videlicet primo ob diverſitatem Alexandrorum, à quibus data dicitur hæc Bulla confirmatrix, dum aliqui eam tribuunt Alexandro ordine tertio, alii autem quarto, iterum alii quinto. Secundo ob diverſitatem urbium, ubi Bulla hæc confirmatrix dicitur ſcripta, dum aliqui nominant Romam, alii Avenionem, alii Lugdunum. Tertio ob diverſitatem temporis & diei, quæ prolixiſſime deducitur. Quarto ob ipſius Alexandri teſtimonium, qui ſuam ab Urbe Roma, ubi tamen Bulla hæc confirmatrix in præcipuis exemplaribus ſcripta legitur, abſentiam in aliis pluribus Epiſtolis teſtatur. Quinto iterum ob temporis & diei deſignationem Alexandro in aliis Epiſtolis inuſitatam, quod ſupra

Digitized by Google

pra etiam circa Bullam Johannis fuit animadverſum. Sexto ob defectum hujus Bullæ confirmatricis in Regeſto Epiſtolarum Alexandri, quod in duos diſtributum libros habet Bibliotheca Vaticana, in quo plures pro miſſoribus adſervantur Bullæ. Et ſane in Curia Romana falſitatis indicium vix datur certius, quam cum in Pontificis alicujus Regeſto diploma aut privilegium non invenitur, quod perquiritur. Hæc certe ratio una poteſt ſufficere, tametſi reliquæ deeſſent. Hoc autem cum Carmelitæ cognoverunt, effecerunt apud hujus Regeſti cuſtodes, ut cupientibus illud videre non oſtendatur, aut vix, ne, quod amicorum Lucæ Holſtenii & Lucæ Wadingi oculis vidi & obſervavi, alii quoque videant & obſervent. Septimo ob ſilentium Thomæ Waldenſis ſupra itidem laudati, qui Alexandro huic quinto coætaneus opera ſua Martino Pontifici hujus nominis quinto dicavit, ac in libri Sacramentalium titulo nono, & ejuſdem capite poſt octogeſimum quarto & nono antiquitatem & prærogativas propoſuit, deinde ejuſdem tituli capite poſt nonageſimum ſecundo de veſtibus Religioſorum, quas in ordinem Sacramentalium redegit, item tituli decimi capite poſt nonageſimum tertio de meritorum & ſuffragiorum communicatione differuit ex profeſſo, at Bullæ hujus Alexandri non meminit, quæ tamen ſi extabat in natura rerum, nota debuit eſſe tum aliis ex Ordine Carmelitarum, tum maxime Waldenſi, qui in Anglia Provincialem Ordinis ſui agebat. Octavo ob ſilentium Baptiſtæ Mantuani, cujus quoque jam facta eſt mentio, qui quamvis Carmelitarum Generalis-Prior in Apologia quam pro Ordine hoc ſcripſit, ne verbo quidem adtigit hujus Alexandri Bullam, qua tamen nihil in hac Apologia vel ad Ordinis dignitatem auguſtius, vel ad commendationem illuſtrius potuiſſet adferri. Nono ob ſilentium Johannis Trithemii, qui duos juſtæ magnitudinis libros, unum ſub Ordinis Carmelitici Encomio, alterum ſub titulo Apologiæ ſcripſit, in quibus vero de hac Alexandri Bulla ne unum habet verbum, quin autem faciendi occaſionem habuerit & ampliſſimam, & maxime neceſſariam, dubitari merito non poteſt, quod tum res ipſa, quam tractat, tum rei argumentum, quod in Ordinis laude & defenſione fuit poſitum, abunde teſtantur. Et tamen extabat jam Bulla, quia illius meminit Paleonidorus Trithemio æqualis, nec multum ab eo remotus, Trithemio tamen eam ut apocryphum prætermittente, aut forſitan ea è falſariorum arculis nondum egreſſa, in quibus nata recens eo uſque fovebatur, quoad difficilioris ad detegendum erroris maturitatem adipiſceretur. Decimo ob defectum hujus Bullæ in laudato hactenus non ſemel Compendio hiſtoriæ & jurium pro defenſione Inſtitutionis & confirmatione Ordinis Carmelitarum, ubi in collectione Bullarum nonaginta trium à variis Pontificibus conceſſarum hæc Alexandri Bulla deſideratur, deſiderari vero nec poſſet nec deberet, ſi diligentiſſimus, uti adparet, collector eam habuiſſet pro vera, vel inſtrumentum fide dignum Carmelitarum indicaſſet. Undecimo tandem ob contumelioſum ſcribendi modum eorum, qui hanc Bullam omni modo ſatagunt defendere, quorum duplex inſtrumentum, quod Genuæ apud Carmelitas adſervari jactant, Examini iterum ſatis prolixo ſubjicitur, ac utriuſque nullitas oſtenditur. Accedit Bulla Clementis ſeptimi, qui antecedentes duorum Pontificum Bullas alia quadam dicitur confirmaſſe, de qua tamen Launojus obſervat, quod quæcunque in ea recenſentur ex antecedentibus Bullis de Ordinis Carmelitici privilegiis, Clemens non exquiſita rei veritate, ſed ſtylo Curiæ duntaxat confirmaverit, addens, deeſſe in hac Clementis Bulla id ipſum, propter quod Bullis Pontificum antecedentium Privilegii Sabbatini nomen ſit datum, ac partem tantummodo aliquam earundem exhiberi, quod ſit contra morem Bullarum, per quas aliæ antecedentes ſolent confirmari, imo ex hac Clementis Bulla novam fieri adceſſionem ad rationes, quibus antecedentium adulteria poſſint convinci. Unde ſatis adparet, uti quidem ſcribit Launojus, Clementem ſeptimum eatenus Anteceſſorum privilegia comprobaſſe, quatenus ipſi proponerentur tanquam ab iiſdem conceſſa. Quamobrem ſi Johannes & Alexander memorata non conceſſerunt privilegia, ut tamen dicantur conceſſiſſe, Clemens, & qui eum ſecutus

Digitized by Google

cutus eſt Gregorius poſt decimum tertius authoritate ſua nunquam efficient. Illa ergo non minus frequens, quam glorioſa Diplomatis Clementini oſtentatio valebit quidem ad faciendum imperitæ plebi fucum, ſed ad adſerendam Bullæ ipſius Sabbatinæ veritatem valebit nunquam. Præter id curioſe animadvertendum eſt, in iis, quæ apud Clementem ex Johanne & Alexandro referuntur, nullam fieri mentionem Sabbathi, quo præ cæteris diebus B. Virgo confratres poſt eorum obitum ſuis ſit adjutura ſuffragiis, ſed quo die ſit adjutura, non dicitur; tantum abeſt, ut dicatur Sabbatho poſt migrationem proximo in Purgatorium deſcenſura, atque eos omnes exinde liberatos in Cœlum reductura. Nec minus curioſe notandum, nullam quoque injici mentionem adparitionis, qua Virgo Johanni fuerit viſa in figuram habitumque Carmelitarum formata, præceperitque, ut Carmelitis ampliſſima concederet privilegia. Atque ſic, quæ in Bulla Johannis leguntur, neque à Clemente exprimuntur, intelligi debent ſuppreſſa, ſive quia ſcelus ſcelere nondum fuit cumulatum, ſcilicet iis, quæ Johanni jam erant adſcripta', reliqua nondum fuerant addita, vel certe inventa nondum; ſive quia Pontifex Clemens talium rerum fraudem ſubolfaciens procul abjecit eam Bullæ Johannis partem, in qua fundamentum confraternitatis Carmelitanæ collocant ejuſdem Patroni. Hinc obſervat porro Launojus, quia non ſucceſſit hac, eos alia rem adgreſſos via novam ſub Clementis nomine Bullam finxiſſe, biennio ea antiquiorem, de qua modo dictum, ſupplentem defectus, qui in poſteriori occurrunt; quæ vero nec in ullo Bullarum Pontificalium Regeſto, nec in Bullario Cherubini locum habeat. Subjungit denique Launojus Decretum Pauli hoc nomine quinti, in quo varios animi ſcrupulos & abuſus, quos nonnullorum Carmelitarum conciones, vel confratrum & ſororum credulitas pepererat, tollere laboravit, certum quendam concionandi de hoc negotio modum præſcribens, quod Decretum Pauli conferens Launojus cum Bulla Clementis tria animadvertit diſcrimina, ac inſuper alia quædam, quæ non plane nullius operæ pretium facere poſſe viderentur, niſi finis Excerptorum eſſet faciendus, atque adducta Lectori Veritatis ſtudioſo poſſint ſufficere, hoc uno tantum addito, quod Paulus in hoc Decreto prohibuit imagines fieri vel depingi hac de re, ſcilicet cum deſcenſione B. Virginis ad Animas ex Purgatorio liberandas. Verum ſic infert Launojus, ſi vera eſſet Johannis viceſimi ſecundi & Alexandri quinti Bulla, nullam interdicendi habuiſſet rationem. Hinc Paulus ſuo hoc interdicto fecit, ut Bullam horum Pontificum Sabbatinam repudiaſſe non immerito exiſtimetur.

Obſervatio decima & ultima de Johanna Papiſſa.

HUic peculiarem deſtinavit Epiſtolam Launojus, quæ ultimum in parte quarta occupat locum, in qua etſi vult videri certa quædam, eaque nova rationum momenta, uti in lemmate præſcripſit, ex Anaſtaſio Bibliothecario eruiſſe, quibus hæc fabula in lucem publicam prodatur, alibi etiam non ſemel, nominatim in Diſſertatione de Brunonis ſeceſſu, ejus tanquam fabulæ injiciens mentionem; ſi tamen hæc ejus tractatio conferatur cum aliis, evadet manifeſtum, non vanam eſſe ſuſpicionem, ſi quis dicat, cum huic argumento non ſerio incubuiſſe, ſed de eo egiſſe in gratiam ejus vel eorum, quibus gratum aliquod officium in re hac Hiſtoria voluit exhibere. Ne vana, ut dixi, videatur hæc ſuſpicio, ponderemus argumenta ejus, viſuri, annon hinc inde ſparſi ſint Veritatis radii, ex quibus patebit, Hiſtoriæ quam fabulæ propiorem eſſe hanc traditionem, quam à tot Scriptoribus fide dignis commemoratam accepimus. Caput quæſtionis & ſtatus controverſiæ potiſſimum verſatur in eo, num inter Leonem quartum & Benedictum tertium loco quaſi medio Sedem occuparit Pontificiam Johanna, uti à tot Seculis fuit creditum? Launojus ut omne hoc trahat in compendium, quod à pluribus ab aliquo tempore adverſus hanc narrationem fuit obſervatum, atque rem totam breviter

Digitized by Google

ter conficiat, ſolius Anaſtaſii nititur authoritate, ex qua putat demonſtrare ſe poſſe, pertinere hanc Papiſſam inter non-entia & inter Pontifices, ut ita dicam, chimæricos qui, nunquam fuerint in rerum natura, quorumve nomina à credulitate ſimplicium dependeant. Ut autem hæc authoritas Anaſtaſii eo majoris videatur æſtimii, poſtquam ejus verba de Leonis morte & Benedicti electione adduxit prolixiſſime, in genere id diligenter monuit obſervandum, hunc Anaſtaſium, ſive tunc fuerit jam Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarius, ſive non, electioni tamen interfuiſſe Benedicti, unde putat omnino indubium eſſe, quod non-niſi perſpecta & animadverſa literis mandaverit. Hinc in ſpecie obſervat *primo*, dum hic Anaſtaſius in vita Benedicti commemorat, cum varios ſub variis Epiſcopis Eccleſiæ gradus & honores ſuſcepiſſe, non obſcure Sedis Apoſtolicæ conſuetudinem oſtendiſſe, qua quis evadat in Pontificem Romanum. Conſuetudo hæc, ſcribit Launojus, ſi bene capitur, hanc mulierem ab Eccleſiæ gubernaculis longe ac late propulſat; nemo enim ad Petrum uſque factus eſt Antiſtes Romanus, quia Civitatis Romanæ Clero fuerit adſcriptus, & Subdiaconi vel Diaconi aut Presbyteri munus geſſerit laudabiliter, quod deſideratur in fœmina, quæ ſexum mentita obtinuiſſe dicitur Pontificatum, quo ex capite hæc fabula configitur. Hunc in finem ubi Platinæ verba huc pertinentia adſcripſit Launojus, ex eorum tenore ſic porro judicat atque argumentatur. Mentita ſexum fœmina nec urbis Romanæ Clero adcenſetur, nec ullo vel Subdiaconi, vel Diaconi vel Presbyteri officio, uti par erat, defungitur, & tamen in Leonis mortui locum ſufficitur conſenſu omnium. Athenis namque Romam venit, & quaſi generis eſſet fungini, una veluti nocte exoritur, uti adparet. Poſtmodum moritur Leo, ac ei ſubrogatur, etiamſi nullum in Eccleſia gradum obtineret, aut nullus eſſet in ea Diaconus vel Presbyter idoneus, qui Leoni poſſet ſubrogari; quod quantum à veritate & Eccleſiæ Romanæ moribus abhorreat, verba Anaſtaſii ſatis ſuperque demonſtrant. *Secundo*, obſervat ex eodem Anaſtaſio, quod Leone quarto vita defuncto mox Clerus, Senatus populuſque Romanus ad eligendum Pontificem ſe adcinxerit, atque omnium conſenſu Benedictus fuerit electus. At, inquit Launojus, ſi Benedictus fuit electus, electa non eſt Mulier, quæ vocaretur Johanna. Quid manifeſtius atque ab omni mora & tergiverſatione remotius? *Tertio*. Benedictum à ſe electionem eſſe deprecatum, atque oblatum recuſaſſe Pontificatum, ſed, ut cum ſuſciperet, coactum fuiſſe, atque ad Patriarchium Lateranenſe deductum, urbemque palam exultaſſe lætitia, & Eccleſiam gaudio triumphaſſe. Ubinam hic Johanna, ſcribit, Launojus, quæ Leoni ſucceſſura deducatur ad Patriarchium Lateranenſe? *Quarto*, Clerum & Proceres cunctos decretum de electo Pontifice Benedicto confeciſſe, atque ab omnibus ſubſignatum ad Imperatores Lotharium & Ludovicum pertuliſſe, uti conſuetudo priſca poſcebat. Ubinam, ſic iterum Launojus infert, de electa Antiſtite Johanna Decretum, quod à Clero & Proceribus univerſis obſignatum ad dictos Imperatores fuerit perlatum? Quis tale vidit unquam? Priſcane conſuetudo in gratiam Johannæ eſt interrupta? Quis præs aut ſponſor hujus erit? Quaſi vero Imperatores laudati de ſuo jure non-nihil remiſerint, ut adoptatæ contra Canones Divinos & Eccleſiaſticos Mulieri gratificarentur! Quis, in quam, tale vidit Decretum, etiam ex iis omnibus, qui extruendam Mulieri Sedem Romæ ſibi ſumſerunt? Quis nominat eos, qui illud Decretum detulerint Imperatores? Anaſtaſius nominat Nicolaum Anagninum antiſtitem & Mercurium militum Magiſtrum à quibus Decretum de Benedicto Pontifice electo ad Imperatores fuerit delatum. Sed aſſertores Pontificatus fœminæ non nominant eos, à quibus decretum de electa Pontifice Johanna ad Imperatores fuerit delatum. Hic fabulatores nullo conſtringuntur negotio, hic fabula diſſipatur. *Quinto*, quod de electo Pontifice Benedicto Decretum ad Imperatorem inprimis Lotharium legitur delatum, neque delatum eſſet, neque deferri potuiſſet, ſi poſt Leonem quartum ſediſſet Mulier annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor, uti fabulæ hujus opifices illam ſediſſe volunt; quia Lotharius Imperium diviſit

filiis, atque in Cœnobio Prumiensi factus est Monachus anno seculi post Christum noni quinquagesimo & quinto, qui hujus Mulieris esset primus. Quoniam vero Scriptor oculatus & rerum in electione Benedicti particeps abscisse scripsit, Decretum de electo Pontifice Benedicto perlatum esse ad Imperatorem Lotharium, quia ad eum fuerit petlatum, dubitari non potest; atque sic etiam dubitari non potest, quin Pontificatus Mulieris inter Leonem & Benedictum medius fictis adscribi debeat fabulis. En, ratio pertinens ad ingenus, quod Græce nominatur μέσωσις. *Sexto*, statim atque facta est electio Benedicti, Schisma in Ecclesia Romana esse conflatum; occurrisse enim Anastasium quendam Presbyterum Cardinalem, quem Leo quartus abdicaverat in Synodo, & fidelium communione privaverat. Hic enim, cum restitui se non melius posse animadverteret, quam si Romanus crearetur Pontifex, à non-nullis in Pontificem adoptatus est, quam maxime id curante Arsenio, Eugubii Episcopo, quod genus Schismatis in vita Benedicti describitur adcurate. Sed tandem post graves & multas altercationes admittitur Benedictus & pellitur Anastasius. At, sive dum audet schisma, sive dum extinguitur, quis Pontificatui mulieris dabitur locus? Res hæc per seipsa loquitur, atque Authoribus mulierem in Sedem Romanam intrudentibus imponit silentium, eosque arguit mendacii. *Septimo* tandem, Anastasium expresbyterum, cum injuste depositum se excommunicatumque crederet, de modo, quo in pristinum restitueretur honorem, adsidue cogitasse, ac tempus actioni huic opportunum perpetuo inquisivisse; nullam vero opportunitatem ad hoc magis idoneam fuisse, quam si hoc confestim tentaret post mortem Leonis & ante, quam alter Pontifex novus digeretur. Hinc, ita Launojus pergit, simul atque doctus fuit, quæ glorioſissima & manifestissima erat pristini honoris restitutio, atque urbem intravit, nihil habuit prius, quam ut Synodus illa, in qua nudatus fuerat Sacerdotio, super januas Sanctuarii jussu Leonis depicta inducerctur atque omnino deleretur. Quis, quæso, sibi persuaderet unquam, voluisse Anastasium eousque expectare, dum Leonis Successor alius Pontificatu dufunctus esset, ut totum hoc negotium perageret? Scribatne, Pontificatum Successoris ad ut rerum sacrum prudenter satageret, velle debuit proxime Leoni succedere, & quia succedere non potuit, non Johannes vel Johanna, sed Benedictus successit. De hisce septem momentis rationum ex Anastasio Bibliothecario depromtis censet lectorique persuasum vult Launojus, eorum quodvis apud homines cordatos sufficere ad hujus fabulosæ, uti putat, narrationis excidium. Quid si, inquit, jungantur omnia? Sic nimirum Author æqualis unus qui malæ fidei non potest accusari, cæteris, qui deinceps vel invexerunt fabulam, vel invectam narrarunt, uti murus aheneus pro Veritate conservanda opponitur.

His tria subjungit Launojus merito advertenda, ne ullus improperandæ dissimulationi relinquatur locus. *Primum* est, quod non-nulli sint Codices Anastasii manu exarati, in quibus Johannæ Historia referatur, sed recenti manu scripti, eo nimirum tempore, quo fabula hæc omnium pene mentes occupaverat. Tunc enim, inquit, librarii semidocti librum Anastasii describendo supplebant, quod ab illo prætermissum esse suspicabantur, nec ulterius advertebant, illud supplementum cum iis, quæ ex Anastasio de vita Benedicti sunt relata, stare non posse; quæ repugnantia sufficit, ut, quæ præpostera librariorum sedulitate Anastasii libro succreverant, succrevisse dignoscantur. Huc accedit, quod manuscriptus ante annos quinquagentos codex Anastasii, in quo de Johanna fiat sermo, hactenus non sit inventus; sed profecto fatendum est ingenue, recentiores extare codices, in quibus fabula hæc legatur. Hoc, inquit Launojus, maxime dico propter eos, qui abscisse negant, scilicet, tales extare Codices. Addit, vidi exemplar, sed recenter scriptum, nempe, circa tempus illud, quo habita est Synodus Constantiensis, quod Pontifices Anastasio posteriores usque ad Martinum hujus nominis quintum continebat. *Secundum* est, quod secula fuerint duo vel tria, in quibus de fœminæ hujus Pontificatu nec Romæ, nec fortassis uspiam dubitaretur. Certe, inquit, Synodi Constant ien-

ſtantienſis tempore non fuit dubitatum, cum illud certas quaſdam Johannis Huſſi propoſitiones cenſoria gravitate (rectius pravitate) confixit. Delecti enim Judices ad legendum ejus de Eccleſia librum, atque ad propoſitiones inde excerpendas, ſe Theologi, ſeu Epiſcopi (quaſi vero Epiſcopi non ſimul ex officii debito eſſe poſſent Theologi) tangere non ſunt auſi, quæ Author de Fœmina Pontifice ſemel atque iterum notavit, quia ab annis pluribus ea de re non ambigebatur. Inſuper, quo tempore Pius hoc nomine ſecundus Romanam adminiſtravit Eccleſiam, Baſilica Senenſis major laquearibus fuit ornata, in quorum parte inferiori Pontificum Romanorum, qui ſibi invicem ſucceſſerunt uſque ad Pium, ſtatuæ umbilicotenus eminentes adſpectantur, ubi etiam Johannes ſeu Johanna inter Leonem & Benedictum collocatur, quod certum [illegible] veteratæ perſuaſionis indicium; ita ut Æneas Silvius, vir acrioris cæteroquin ingenii, auſus non fuerit ab illa perſuaſione omnino recedere in Epiſtola poſt centeſimam tricesima, quam ſcripſit ad Johannem Cervajal, Cardinalem, atque continet Dialogum contra Bohemos & Taboritas de Communione ſub una, uti in Editione Baſilienſi poſtrema exhibetur. Platina, licet non minus emunctæ naris in erroribus notandis, Æneam tamen imitatus eſt. His etiam è medio ſublatis, vetus ſine ulla hæſitatione perſeveraverit opinio, uti docent Scriptores Germani duo, quorum unus eſt anonymus in Compilatione Chronologica, alter Wernerus Rolewinck, ex Ordine Carthuſianorum in Faſciculo temporum, qui non ſolus obſervavit, Fœminam hanc omitti in catalogo Pontificum, ſed idem quoque factum à Gothofredo Viterbienſi Chronicis, uti & pluribus aliis. Ex his autem omnibus, ſcribit Launojus, manifeſtum eſt, neminem vel certe perpaucos dubitaſſe, quia Fœmina Sedem occupavit Romanam. *Tertium* eſt, quod, quamvis res ita ſe habeat, non tamen conſequens ſit, id reipſa fuiſſe, quod non fuit. Nam inveterata perſuaſio non veritatem, ſed imbecillitatem hominum demonſtrat. Fabula eſt primum in vulgus ſparſa, quæ inter annorum vices, detrimenta temporum, & labentium ſeculorum inſolentiam obtinuit, cum, quid Romæ poſt Leonis quarti mortem fuerit geſtum, plane neſciretur, vel, quod tamen vix credibile, nefarie diſſimularetur; nam poſt annos ab obitu Leonis ducentos & eo amplius ſpargi cœpit in vulgus. Nec vero iſtud obſervatum eſt valde neceſſarium. Non enim tantum de tempore poſteriori hoc præſcribo contra narrationem fabuloſam, inquit Launojus, ſed de ejuſdem inſulſitate ipſa, quæ non ante per ſeipſam tota revolvitur ac perpenditur, quam in ſuas conjuncta partes diſſolvatur, atque in vagum pulverem fatiſcat. Juſtus certe Lipſius, vir gravis, dixit alias, fabellam eſſe haud procul ab audacia & ineptiis Poetarum; & quidem recte dixit, niſi forte nulla ſit audacia Poetarum, nullæ eorum ineptiæ, quas fabella hæc omnium auribus & animis abſona rerum complexione non ſuperet, ad dignius, quam par ſit, excipiatur, ſi Poetarum audaciæ & ineptiis comparetur. Hæ enim adferunt aliquam oblectationem, fabella autem hæc tam male conſuta eſt, ut adcerſat indignationem. Exinde factum eſt, ut mirer, ſcribit Launojus porro, cur Æneas Silvius & Platina tam cito manus dederint vulgo, atque ad argutias Dialectiorum perinde confugerint, quaſi res ipſa penitus conſtaret. Æneas quidem cum ait, certam non eſſe hiſtoriam, gratis omnino id fecit, quia non continuo ſimul docuit, cur incerta ſit hiſtoria. Platina vero ſe torquet multum, ut & viæ, qua itur ad Eccleſiam Lateranenſem ſupplicationis gratia, & ſedi perforatæ, cui novus Pontifex imponitur, honeſtum atque à fabulatorum propoſito diverſum adtribuat finem. Sed, quis neſcit, eum, qui finxit fabulam, aut fictæ jam fabulæ adſertores non protinus finxiſſe, quæ fidem aliquam fabulæ conciliarent? Nonne Philoſophorum axioma vulgare eſt, eum, qui dat eſſe, dare etiam conſequentia ad eſſe? Ipſam everte fabulam, ſtatim uno etiam ictu evertes, quæ ejus conſequuntur ædificium. Et quamvis ea, quæ non contemnendus Author excogitavit, ſatis adpoſita ſint, huc nihilo tamen minus recipit ſe, ut dicat: *Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam adpareat, quæ dixi, ex his eſſe, quæ fieri poſſe credun-*

tur. Quasi vero, subjungit Launojus, commenta non debeant refelli, quia sunt ex iis nonnulla, quæ fieri posse creduntur. Atque hæc in Epistola, in Dissertatione autem de Brunonis Secessu adversus *Andream du Saussay* semel atque iterum hujus meminit narrationis, quam putat esse fabulosam. Semel in observatione sexta ad Caput tertium, ubi sequentia leguntur: In Ecclesia Senensi ostenditur celebris illa Imaginum seu Statuarum series, quæ à Petro ad Pium usque secundum singulos repræsentat Pontifices, ac inter eos Johannam, quæ Leoni quarto succedit, atque tertium antecedit Benedictum; & qui Senam incolunt vel transeunt Viri graves & docti, in illas Imagines, eam præsertim, quæ Johannam exhibet, defigunt oculos. Hinc in cujus animum cadere poterit cogitatio, in loc[illegible]cce sancto sedem potuisse mendacium tam pudendum invenire, qui putet insuper, passuros tamdiu fuisse sapientissimos Academiæ Senensis Doctores, qui insitæ pietatis adfectu in celeberrimum hujus Urbis Templum crebro concurrunt, illamque Johannæ Statuam vel Imaginem intuentur, ita sibi, Scholasticis ac toti Clero & populo imponi commento tam atroci, nec monituros fuisse religiosissimos Ecclesiæ celeberrimæ Sacerdotes tam pernitiosæ fictionis obducendæ. Iterum in observatione undecima, ubi itidem pro hujus narrationis veritate tanquam absurdissime argumentantem introducit: Johannam Papissam longe lateque positam, & omnibus notam fuisse, ideoque Authores vel suppares vel æquales, ut illam literis mandarent, non judicasse alicujus operæ pretium fore. Utrumque hoc argumentum, quod instantiæ loco adduxit, adeo nihil æstimat Launojus, ut exinde quam maxime putat totius narrationis falsitatem constare. An sincere ita censuerit, num, quod supra non sine causa sum suspicatus, in gratiam Amici, judicabit Lector cordatus. Instituti autem præsentis ratio id nunc requirit, ut, quem hactenus cum singulari delectatione habuimus Veritatis Evangelico-Catholicæ in pluribus Fidei Controversiis strenuum contra Religionis suæ socios Confessorem & Testem, addo insuper Vindicem & defensorem, in hac quæstione historica sub amicum & modestum vocemus examen, visuri & expensuri vim & efficaciam rationum, quas post omnes alios in medium producere ex unius Anastasii authoritate visum est ei.

Equidem à quo tempore narratio hæc de Johanna cœpit in dubium vocari, maximis animorum motibus utrinque fuit res acta, pluribus hinc inde Scriptoribus hoc argumentum tractantibus. A parte adversaria tandem Mare hoc exhausisse voluerunt videri *Leo Allatius* Scripto peculiari, quod *Nibusius* Apostata edidit Coloniæ, quodque non ita pridem Historiæ Pontificum Romanorum à *Ciacconio* quondam cœptæ, postmodum à *Victorello* continuatæ, & tandem ab *Oldoino* & ad hæc tempora deductæ fuit insertum; & *Philippus l'Abbe* in Cenotaphio, quod in Dissertatione ad Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis extruxit, atque ut in ultima Conciliorum collectione ad perpetuam rei memoriam extaret cum *Virgidemia Maresiana*, curavit. Præsentis Instituti ratio neque permittit, neque requirit, ut prolixiores lineæ super hoc argumento nunc ducantur, cum minime sit dubitandum, fore, ut suo tempore oriatur ex ossibus Maresianis ultor, qui structuras & animadversiones L'abbeanas (quia integrum opus Maresii nondum est refutatum) antistricturis & debitis correctionibus repellat, atque Papissam Sedi suæ, quam semel quocunque etiam titulo occupavit, ex fide historica restituat. Actum est hac de re non ita pridem adversus Lojolitam Ottonem in *Roma non gloriosa*, addita quadam observatione notatu dignissima, quam Launojus noster suppeditavit. Non igitur restat aliud, quam ut expendatur, quid virium habeant ea rationum momenta, quibus ex Anastasii authoritate uti visum est Launojo: In antecessum ac generatim non immerito videri potest mirum, cur solus hic obtineat Anastasius, ita ut juxta ejus narrationem fideles huic traditioni vel adscribenda sit vel omnino deneganda. Launojus quidem aperte satis indicavit causam, & videlicet ideo factum, quia Anastasius interfuerit actioni, qua Benedictus post Leonem successor electus scribitur, nulla mentione facta intercedentis Johan-

Digitized by Google

hannæ, quin imo iis insuper circumstantiis occurrentibus, quæ hanc intercessionem Johannæ nullitatis videntur convincere. Atqui ut largiamur, Anastasium interfuisse huic actioni, adeoque non nisi perspecta atque à seipso animadversa literis mandasse, eæ, quas observari jubet Launojus, circumstantiæ, minime tollunt id, quod Historici posteriores de Johanna intercedente suis inseruerunt Annalibus, quodque Anastasius, ut ut sibi perspectissimum, quia Sedi Romanæ dedecorosum quam maxime, atque hinc si fieri posset æterna oblivione sepeliendum, sua manu posteris commendare ob facti turpitudinem neglexit, id unice habens in votis, ne unquam posthac in lucem reproducatur publicam, quod semel omine infausto in hominum oculos incurrit. Minime in vanum hoc conjici, quivis Lector prudens observabit, considerans, tantam tamque detestandam fuisse hanc labem & maculam, ut pudenda Martis tegere & obvelare suarum duxerit partium Anastasius, tanquam filius Ecclesiæ non degener. Si eodem respectu sequentes Historici hoc facinus dignum tenebris involvissent silentio, hæretici, quod elogium hodie obtinent Evangelici à parte adversaria, nunquam fuissent ausi id pro vero venditare ac Romanensibus objicere. Et unde illud, quæso, eis innotuisset? Dum vero per tot secula non ex vano quodam rumore, sed fama satis constante Scriptores Historiarum id cum certis quibusdam circumstantiis, utut aliqua ex parte diversis, quod in aliis etiam rebus facti solet evenire, recensuerunt, & quidem homines non privati, quidvis ex trivio ac sine omni judicio colligentes, sed plerique Ordinis Sacri, interque eos Romæ ad tempus aliquod versati, quibusque in aliis pluribus, quæ pro temporum suorum statu satis candide commemorarunt, fides sine omni exceptione adhibetur, nescio, an tuto in hoc puncto ea possit eis denegari; cum esse videatur indubium, eos ipsosmet, utpote veritatis historicæ Sectatores, neque fidem adhibituros fuisse huic traditioni, neque, & quidem multo minus, posteritati futuræ tradituros, si ulla ratione ipsis visa fuisset suspecta. Quamvis enim plerique eorum hanc rem ita descripserint, ut aliorum relationi innitantur, neque hoc tamen potest eam facere suspectam, utpote quod ab iis factum credi debet eum in finem, ne quis putat, se ex proprio id finxisse cerebro, omissuri lubentius ex pietate erga Matrem, nisi vis Veritatis id eis expressisset. Quo magis excusari merentur hæretici supra laudati, qui rem à tot Historicis fide dignis ac Ecclesiæ filiis per tot secula traditam inter fabulas recensere hactenus ducunt inconsultum, nullam ejus unquam facturi mentionem, nisi eam ab aliis accepissent, dictam, quæ objiceretur iis, qui indebitam Sedi Romanæ gloriam more thrasonico adscribere consueverunt, ac insuper talem, quæ per circumstantias ab Anastasio in vita Benedicti recensitas videri nullatenus debet impossibilis. Ut enim nunc recta ad examen rationum Launoji, quas collegit ex Anastasio, fiat progressus, *prima* certe, qua Onuphrius etiam Panvinius pridem usus est, tanti non est, ut ob eam veniat in numerum fabellarum hæc traditio. Utut enim Anastasius immediatum Leonis Successorem facit Benedictum, quod ab ipso fieri potuit non aliter, si semel in animum induxit, Pontificatum Johannæ omnino dissimulare, ac insuper Benedictum ita descripsit, quomodo per varios honorum & officiorum gradus ad summum Pontificatus apicem adscenderit, atque id, uti Launojus suspicatur, ex consuetudine Sedis Apostolicæ quam vero antrorsum & retrorsum per omnes & singulos, qui nunquam hoc honore sunt gavisi, demonstrare res esset non modo difficillima, sed forte etiam omnino impossibilis, pluribus in ordine Pontificum extantibus, quorum adscensio per gradus laudatos non adeo est liquida; quis ob silentium ejus, quod Scriptores vitæ ac electionis Johannæ ad alia memoratu digniora respicientes prætermiserunt, id factum vel observatum non fuisse prudenter dixerit, præsertim, quæ aliæ occurrunt circumstantiæ, quæ hujus rei adtento Lectori non obscurum facere possunt indicium? Sit autem ita, nec in persona hujus Johannæ, ac ejus ad Pontificatum electione habitus sit aliquis graduum ordinarie observatorum respectus, id forte posset exinde ad laudem Sedis Romanæ ac Electorum referri, quod iis non ad-

tentis Eruditionem tanto dignam fastigio æstimarunt, alias non semper tanti habitam; sæpiusque factum legitur, ut in electionibus etiam politicis præter & contra ordinem solitum is fuerit prælatus aliis, qui nullam earum conditionum implevit, quæ ab aliis requirebantur candidatis. Nec majoris videri debet momenti *secunda* Ratio Launoji, exinde desumta, quod Anastasius post obitum Leonis à Clero, Senatu populoque Romano Benedictum unanimi consensu scripsit electum, quia jam fuit observatum, id ab Anastasio aliter fieri non potuisse, cum semel proposuit, Johannam intercedentem in gratiam Matris Ecclesiæ omnimodo involvere silentio. Id vero meretur notari; quia Launojus ex Anastasio in electione Benedicti meminit expresse non tantum Cleri, sed etiam Senatus populique Romani, quorum consensus in hoc negotio requirebatur, an, sicut in Ratione prima occurrit adscensio per gradus certos, tanquam conditio sine qua non patuit aditus ad Summitatem, ita in hâc Ratione secunda consensus non modo Cleri, sed Senatus etiam populique Romani ad consuetudinem Apostolicam referri debeat, ut absque eo nec ante, nec post illud tempus quisquam Pontifex Romanus legitime possit dici electus? Quidquid hic respondebunt Papomanitæ, dictum quoque putent ad enervationem Rationis primæ, quam utpote invictam Launojus posuit in acie. Ejusdem cum secunda tenoris est Ratio *tertia* de Benedicti ad Lateranense Patriarchium deductione, quam Anastasius Johannæ non potuit, adscribere, quia vitam ejus omnino describere ob causas jam adlegatas nec insufficientes prætermisit. Quod vero cæteri etiam Scriptores, qui eam inter Leonem & Benedictum in numero Pontificum posuerunt, hujus ad Patriarchium Latranense deductionis nullam fecerunt mentionem, ideo factum credi debet, quia, quod ad primam Rationem quoque fuit notatum, alia habuerunt circa ejus personam, quæ majorem merebantur observationem, nec hactenus occurrebant unquam, deductio autem ad Patriarchium Lateranense ad ea pertinebat, quæ in quorumvis novorum Pontificum electione tum erat in usu. Atque sic idem debet dici de eo, quod exhibet *quarta* Launoji Ratio, scilicet Decretum Cleri & Procerum Romanorum de Benedicto in Pontificem electo ad Imperatores ex consuetudine prisca, quod in Johanna putat desiderari. Verum, an in omnium Pontificum vitis Decreta de eorum electione ad Imperatores Romanos commemorantur? An ergo ii non erunt veri Pontifices? Nimirum, hæc etiam circumstantia referri debet inter eas, quas Historici, utpote sæpius occurrentes, ne tædiosam lectoribus crearent, prudenter omiserunt, iis contenti, quæ magis ad rem ipsam faciebant, præsertim, si rationes quædam præ manibus essent, quibus potior debebatur locus. *Quinta* ex judicio Launoji argumentum exhibet ἐπιδιασκευαστον, mallem scripsisset ἀναδιασκευαστον, utpote quod fortius solet stringere. Id pertinet ad Chronologiam, atque putat, si Johanna inter Leonem & Benedictum intercessisset, Decretum in quarta ratione commendatum non potuisse ad Imperatorem Lotharium dirigi, qui tum non amplius fuerit Imperator, sed post Imperii divisionem inter filios jam Monachus in Cœnobio Prumiensi. At, Scrupulus hic pertinet ad Anastasium, qui, si redivivus orbi sisteretur, rationes reddere teneretur hujus suæ narrationis. De cætero, si Launojus, natione Germanus, Germanorum, inprimis eorum, qui vestigia Lutheri premunt, Scripta evolvere dignatus fuisset, *Pellem* inprimis *ovinam*, quam Theologus antehac Lubecensis, *Nicolaus Hunnius*, de Ecclesia & Orthodoxia Evangelicorum meritissimus, Scripto peculiari & irrefutabili detraxit Phacisuismo Romanensium, atque adnexam ei Tabellam ordine tertiam, quæ fistit Chronologiam Pontificum irreformabilem, certus sum, qua fuit alias ingenuitate, ubirrem egit serio, eum minime ἐπιδιασκευαστον, multo minus ἀναδιασκευαστον huic Rationi adscripturum, quia ex judicio laudatæ hujus Tabellæ, quæ ex recentioribus Historicis plurimum potest augeri, si alicujus operæ videbitur pretium, ad oculum cuivis adparet, nisi quis ultro cæcus esse velit, nihil in Historia Pontificum magis intricatum esse, quam temporis rationem, quo quivis eorum dicitur Sedem occupasse, adeo ut si quis illud in Ordinem velit redigere, labyrinthum ingredia-

tur

tur vere Dædaleum & inextricabilem, nullum habiturus filum, cujus ſubſidio pateat regreſſus. *Sexta & Septima*, quæ ultimum occupant locum, rationes Launoji, ad idem recurrunt, adeoque, ne entia multiplicentur extra & præter neceſſitatem, ex eadem poſſunt dealbari, vel potius denigrari fidelia. Nempe, provocat Launojus ad Schiſma poſt electionem Benedicti conflatum per Anaſtaſium quendam à Leone excommunicatum in Synodo, quod non tempore Benedicti demum putat fuiſſe conflandum, ſed Johannæ ſtatim, ſi ea Leoni proxime & immediate ſucceſſiſſet. Sed, annon potuit huic Anaſtaſio per Leonem ſynodaliter excommunicato poſt ejus obitum ac tempore hujus Johannæ occaſio ad conflandum Schiſma, ac vires ad hoc opus ſuſcipiendum pertinentes, nominatim clientes neceſſarii defuiſſe, ob quem defectum id, quod animo meditabatur, ad tempus commodum coactus fuit differre? Atque hinc quid obeſt, quo minus dicatur, inter id temporis Johannam occupáſſe Sedem, quod Anaſtaſio ſuppeditavit media, ut conciliare ſibi potuerit, eos, quorum opera poſtmodum legitur uſus, ut ad breve tempus eſſet Pontifex, ac memoriam Excommunicationis in loco Sanctuarii depictam poſſet obliterare? Certe, talia hæc ſunt, quæ nihil omnino inferunt abſurdi, quidquid etiam videatur iis, qui, ut unam rem abſurdam declinent, vanas ſibimet ipſis fingunt abſurditates. Et ſi nunc omnia rationum Launoji contra Papiſſam momenta colligantur in unum, uti nulla earum tanti eſt ponderis, quæ ſola poſſet obtinere, ſi rigido Examini ſubjiciatur, ita junctim quoque non efficiunt apud prudentes, ut, quod per tot Secula ex teſtimonio Authorum fide dignorum pro vero indubitanter fuit habitum, inter fabulas in gratiam adulatorum recenſeatur, quia alias in re Hiſtorica non adeo multa manerent certa atque indubitata, ſi poſteris licitum eſſet ea quæ communi conſenſu per Seculum non unum vel alterum, ſed plura, & ſerie quidem continua habebantur pro veris, in aliquam trahere ſuſpicionem.

Pergentibus vero nobis nunc ad ea, quæ Launojus priſtini candoris memor ulterius circa hanc traditionem Hiſtoricam merito jubet animadverti, non parum ſubſidii Sententiæ adcedit adfirmanti. *Primum* eſt, quod agnoſcere vi Veritatis fuit coactus, eſſe Codices Anaſtaſii manuſcriptos, qui Hiſtoriam Papiſſæ exhibeant, utut videantur hi manu recentiori exarati, quod eſſe putat judicium ſuſpectæ intruſionis. At, quod in *Roma non Gloriosa* fuit obſervatum, collatio Codicum Manuſcriptorum hic & ibi extantium forte contrarium poſſet docere, præſertim ſi adcedat, quod ibidem quoque de Codicibus Manuſcriptis antehac Heidelbergenſibus, nunc Romano Vaticanis, ac Editione ex iiſdem per Lojolitas Moguntinos varie procurata è *Boecleri* commemoratione Lectoribus fuit commendatum, hic cum nauſea non repetendum, niſi quod Adnotatio huc pertinens de truncatione Codicum manuſcriptorum eo magis videri poſſit atque debeat probabilis; quo majori audacia & protervitate idem tentari videmus hodienum circa Codices non manuſcriptos tantum, ſed etiam impreſſos ac omnium eruditorum oculis expoſitos. Exemplum recens exhibet Roma in noviſſima Editione Hiſtoriæ Pontificum Romanorum ab *Alphonſo Ciacconio* Romæ itidem ſub initium hujus Seculi cum adprobatione viventis tum Clementis octavi publicatæ, ad quam poſt alios, nominatim vero *Eliam Eingerum*, Bibliothecæ Auguſtanæ antehac Præfectum & Gymnaſii Rectorem ac Profeſſorem meritiſſimum, (cujus in utroque officio me Succeſſorem ad tempus aliquod fuiſſe nondum poteſt pœnitere) qui in Miſcellaneis Hiſtorico-Theologicis Hiſtoriam Alexandri Pontificis hoc nomine tertii collum Friderici, Barbaroſſæ Imperatoris laudatiſſimi pedibus ad exemplum non Chriſti qui diſcipulorum pedes in ſignum humilitatis lavit, verbis Scripturæ in turpem abuſum tractis, ſupercilioſe & Anti-chriſtiano more calcantis recenſens authoritate etiam hujus Launoji fuit uſus, ego etiam provocavi in *Romam non gloriosam* proxime citata, idem tractans argumentum, *cum dixi* nimirum & inſpector illius Exemplaris, quod adhuc dum in laudata exeat Bibliotheca, non neſcius quidem, prodiiſſe inter id novam hujus operis Ciacconii Editionem, ſed quia tum ejus non-

nondum fieri compos poteram, dubius & in ſuſpenſo relictus, an eandem exhibeat hiſtoriam, cujus ab aliquo tempore cœpit pudere eos inter Sedis Romanæ adſeclas, qui non plane omnem videri voluerunt amiſiſſe Ruborem, inter quos etiam *Chriſtophorus Otto*, meus per quatuor fere luſtra Antimachus, ſuum quoque voluit extare nomen, in majorem vero, quam antehac, conjectus & penna vindice confuſionem. Commodum vero adcidit interea, ut novum hoc opus poſt *Andream Victorellum*, qui ſecundas eidem impendit ſuis cum additionibus curas, ab *Auguſtino Oldoino*, qui paucis ante Annis Necrologium Pontificum & pſeudo-Pontificum Romanorum cum Notis & obſervationibus ibidem publicaverat longe auctius & auguſtius editum, Amici cujuſdam officioſiſſimi ſtudio & labore tandem poſt longam expectationem in meas quoque devenerit manus, in cujus prima evolutione id negotii mihi incumbere credidi, ut ante omnia in hujus Hiſtoriæ veritatem ſollicite inquirerem. Quid Editio ſecunda Victorelli exhibeat, meum dicere non eſt, quia eam oculis nunquam uſurpavi. At tertia hæc Oldoini, quæ meis nunc verſatur in manibus, omiſit omne id, quod de calcatione capitis ac nefando abuſu verborum Scripturæ prima luculenter exhibuit. En fidem Romanam! Non miror jam Indices, quos vocant, Expurgatorios ſive Romanos, ſive Hiſpanicos, qui uno Volumine nunc comprehenduntur, & Apocalypſin Myſterii Iniquitatis apertiſſime produnt, quod inter Apocrypha detinere conſultius fuiſſet, ſi ullus amor veri atque honeſti apud hanc gentem antichriſtianam ſuper adhuc eſſet. Videlicet, Roma alias incorrigibilis, id nunc corrigit, & tanquam falſum diſſimulat, quod ante Annos non ita multos agnovit eſſe verum. Eant nunc Anaſii curiales, & provocent poſthæc ad authoritatem Codicum ſive manuſcriptorum ſive typis impreſſorum, ac luci publicæ datorum, omniumque oculis expolitorum, atque conentur perſuadere hæreticis, quos pro fungis & caudicibus habent, ipſi non quidem ſimpliciſſimi, ſed ad fraudes impias verſutiſſimi, hanc vel illam narrationem hiſtoricam deſiderari apud Authores, quorum libros in ſuis ſe manibus habere putant ac poteſtate ſua, pro lubitu eos recudendi, atque in iis omittendi, quidquid fuerit viſum. Hoc certe Exemplum receus, ſi unicum eſſet, ſufficere poteſt, ut oſtendatur, quam exigua fides etiam hiſtorica ſit ſuper apud eos, qui ſalvificam amiſerunt. Verum, ut redeamus in Semitam priorem, *Secundum* nunc venit conſiderandum, quod Launojus circa hanc Hiſtoriam vult animadverti. Poſtquam enim teſtatus eſt, vidiſſe ſe Exemplar Anaſtaſii, ſed recenti manu ſcriptum, ut ipſe putat, quod tamen eſt Codice antiquo & probato potuit eſſe deſcriptum, videlicet, circa tempus illud, quo habita eſt Synodus Conſtantienſis, obſervat porro ac agnoſcit ingenue, duo vel tria fuiſſe Secula, in quibus de Fœminæ hujus Pontificatu nec Romæ, nec fortaſſis uſpiam dubitaretur. Habent Evangelici, cujus rei cauſa debitas agant grates Sorboniſtæ eruditiſſimo, quem vero mallem in determinatione temporis, quo hæc traditio extra ſuſpicionem falſi fuit, aliquanto liberaliorem ſe exhibuiſſe, atque Secula duo vel tria non ſejunctive, ſed conjunctive duo & tria propoſuiſſe, utpote quod ultimum veritati hiſtoricæ propius congruit. Ut vero ad ſpecialia deveniatur, quemadmodum Roma in veritate doctrinali omnimodam ſibi adrogare ſolet infallibilitatem, ita par erat atque juſtum, ut neque in Veritate hiſtorica erroribus eſſet obnoxia; ea præſertim, quæ ad Sedis Sanctæ gloriam pertinet quam maxime, ipſam ſcilicet Succeſſionem, quam omni tempore interruptam fuiſſe ſimplicibus volunt perſuaſum. Si igitur per Secula duo vel tria, rectius, duo & tria Romæ pro vero & certo fuit creditum, Papiſſam antehac occupaſſe Sedem ſanctam, adcedente conſenſu totius Eccleſiæ, apud quam nulla tum ratio extitit dubitandi; an hodie Evangelici pro ſtupidis erunt habendi, qui veſtigiis inſiſtunt fidelium, quorum in aliis Exemplum ad imitationem commendatur? Addo, ſi Synodus Conſtantienſis, univerſalem repræſentans Eccleſiam, eo præſertim tempore, quo Johannis Huſſi errores condemnabant, earum authorem Vulcano conſecrantes, pro errore, non habuit, quod pius hic Confeſſor Veritatis ſemel atque iterum in libro de Ecele-

cleſia exhibuit; errorne erit hodiernum, quia Cenſores quidam critici id in dubium vocare cœperunt? Pergo, ſi Baſilica Senenſis in loco non privato, ſed publico cæteros inter Pontifices hujus etiam Johannæ poſuit effigiem, nec Æneas Sylvius, Pontifex poſtmodum auſus non eſt ab hac perſuaſione omnino recedere, Vir acrioris cæteroquin ingenii, quod Elogium ipſe Launojus, nec immerito eidem adſcribit; quid, quæſo, de iis ſtatuendum, qui ad hanc Judicii acrimoniam non pervenerunt, & tamen præcipitato id negant judicio, quod tantis nititur antecedentium præjudiciis? Ut alios nunc ſilentio prætermittam Scriptores privatos, Platinam, Authorem anonymum Compilationis Chronologicæ, Wernerum Rolewinckum, Gothofredum Viterbienſem & plures alios, è quorum teſtimoniis junctim conſideratis manifeſtum eſſe ſcribit Launojus, neminem, vel certe perpaucos, Seculis nimirum antecedentibus, de veritate hujus traditionis dubitaſſe. Ergo, quod olim piaculi loco habitum non fuit, id credere tanquam verum, Evangelicos non facere poterit hæreticos, ſi ad exemplum tot aliorum id pro veritate agnoſcant hiſtorica. *Tertium* ſuper adhuc eſt, quod ad mentem Launoji venit animadvertendum, in quo autem non obſcure videtur deſtruere, quod in utraque antecedenti obſervatione aliquatenus adſtruxit, eis, in quorum gratiam ſcripſit hanc Epiſtolam, obtrudens palpum. Nihil videlicet obſtare putat, quæcunque de Codicibus Anaſtaſii manuſcriptis, conſenſu totius Eccleſiæ, inprimis Romanæ per ſecula duo vel tria, aut potius duo & tria, adſenſu Synodi Conſtantienſis, ipſius etiam Æneæ Silvii Pontificis, aliorumque plurium Scriptorum ante Lutheri tempora celebrium prolixe recenſuit, ac Veritatis hiſtoricæ ſectatoribus ſuggeſſit, quo minus habeatur pro fabula, quod traditur de Papiſſa. At, quod iterato venit notandum, ſi ita licet agere, actum erit de omni Veritate hiſtorica. *Lipſii* authoritas hic parum, vel nihil omnino juvat. Notum eſt dicterium de Eo non multum abludens à vero, ſcilicet, Eum ſcripſiſſe quidem de Conſtantia libellum valde elegantem, ipſum vero fuiſſe inconſtantiſſimum. Sit ita, fuerit Vir gravis, quoad Philoſophiam, quam Scriptis profeſſus eſt Stoicam; at, fuiſſe eum ſimul levem & lubricum valde in negotio Religionis, ut alia taceam omnia, liber civilis doctrinæ non uno in loco teſtatur. Dixerit, hanc de Papiſſa traditionem eſſe fabellam haud procul ab audacia & ineptiis Poetarum; ſed, non tam in Evangelicorum, quam eorum id ignominiam vergit, qui per tot ſecula unanimi conſenſu & abſque omni contradictione in Eccleſia etiam Romana fidem ei adhibuerunt, quos omnium ſtupidiſſimos judicio Launoji oportet fuiſſe, quod ejus inſulſitatem minime ſunt ſubodorati, quæ omnes Poetarum fabulas abſona rerum complexione ex ejuſdem cenſura ſuperat, paſſi jam oculis omnium in publico Templi loco exhiberi, nec erroribus adſcribentes ejus, quem tanquam hæreticum Igne purgatorio illuſtrem orbi ſtiterunt. Lipſio autem, Viro meritis in re literaria æſtimatiſſimo, hac in quæſtione hiſtorica opponimus *Matthiam Berneggerum*, Academiæ Argentoratenſis quondam Decus, maximum Lipſii admiratorem, ſed ſimul etiam acerrimum Veritatis vindicem, qui in re hiſtorica, quam diurna nocturnaque manu tractabat, non ita facile ſibi à quoquam, cujuſcunque etiam in ſeculo authoritatis paſſus eſt imponi, nec quævis arripuit pro veris, quæ apud promiſcuos legit Scriptores, reſervata ſemper judicandi libertate. Hanc vero de Papiſſa traditionem, prævio examine adcuratiſſimo, atque ſufficienter perpenſis rei totius apud Scriptores diverſos circumſtantiis, adeo inter fabulas recenſere ſalva non potuit conſcientia; ut potius eam ex Veritate hiſtorica defenderet in Idoli, quod Virgini Deiparæ exſtructum eſt Laureti, omnimoda deſtructione, everſis omnibus argumentis, quæ poſt Cardinalem Baronium, Caniſius, Turrianus, Turſellinus in gratiam ejus congeſſerunt, ut iterum alios taceam, qui numero fere innumero hoc Saxum volverunt, ac veritatem hujus traditionis contra novitios quoſdam Veteratores ſufficientibus Authorum fide in aliis probatorum teſtimoniis confirmarunt. Cæterum, doleo vices Launoji, diſputatoris alias adcurati, quod peſſimam hanc cauſam hoc etiam Canone Philoſophico voluit ſufulcire, ac optimam è

Digitized by Google

contrario ſubruere, ſcribens: *Qui dat eſſe, dat etiam conſequentia ad eſſe*, dum, ſi ſenſum ejus adcurate perpendiſſet, facili opera potuiſſet percipere, hoc Axioma adfirmantibus magis inſervire, utpote qui ex tot Teſtium omni exceptione majorum unanimi conſenſu ipſam Hiſtoriæ eſſentiam amplexi, de circumſtantiis conſequentibus prima facie diverſis non admodum fuere ſolliciti, probe gnari, quod pleræque deſcriptiones hiſtoricæ, ſi à pluribus non uno tempore vel loco fiant, etiam Sacræ & Canonicæ, his videantur laborare difficultatibus, quæ tamen apud prudentes rerumque peritos ipſam rei eſſentiam non tollunt, ſed potius mentem excitant ad Scrutinium adcuratius, an & qua ratione hæc diverſitas circumſtantiarum ſine jactura Veritatis ad liquidum poſſit deduci. Hoc in negotio præſenti factum eſt à pluribus, & quidem optato cum ſucceſſu, oſtenſumque liquido, nullam in tota hac narratione quamvis apud Authores diverſos occurrere circumſtantiam, quæ aliquod præjudicium poſſit creare ipſi totius narrationis eſſentiæ. Utut autem Evangelici tam ſimplices non ſint, ut omnia credant eſſe vera, quæ ab aliis narrantur, ideo, quia ſunt ex eorum numero, quæ fieri poſſe creduntur, non tamen omnino hanc obſervationem in examine hiſtorico, & ubi de rebus facti diſputatur, negligendam eſſe dudum prudentiores judicarunt, præſertim quando inſulſitas alicui facto adſcribitur, idque abſurditatis adcuſatur, quod à Launojo ex aliorum mente hic quoque factum, quaſi nimirum res hæc cum aliis illo tempore geſtis plane non conveniat, quod vero fruſtra objici jam manifeſtum eſt; quamvis ſimul ultro largiantur Evangelici, ipſum hoc factum tam eſſe inſulſum & abſurdum, ut nulla Poetarum fabula videatur ei par eſſe, quæque non ab hoc longe ſuperetur. Atque ut adhuc ſemel teſtimonium Eccleſiæ vel Templi Senenſis, ubi Johanna hæc Papiſſa inter cæteros Pontifices oculis omnium exhibetur, expendamus, cujus ipſe Launojus meminit iterato in Tractatu *de Brunonis Seceſſu*, certum eſt atque indubium, permiſſuros minime antehac illius Eccleſiæ Antiſtites, ut Pictores vel Statuarii pro libertate ſua, quam ſibi communiter ſolent adtribuere, Papiſſam hanc ordini Pontificum adponerent, vel poſtquam ſemel per errorem fuerat adpoſita, in eodem permaneret, ſed potius tanquam Sedis Romanæ ſummum dedecus omni ſtudio abolituros, ſi in mentem veniſſet, vel prudenter credere potuiſſent, purum putum eſſe figmentum, uti hodie Sedis Romanæ amaſii ac Aulæ paraſiti contendunt, quorum numero Launojum, juratum alias eorum hoſtem, ſe hoc in negotio adſociaſſe non immerito videtur mirum; qui inſuper ejus etiam argumenti vim & efficaciam non videtur ſatis adtendiſſe, quo ſilentium Authorum illo tempore viventium & ſcribentium ſolet excuſari, quod nempe rem hanc omnibus cognitam noluerint literis mandare, præſertim ſi ipſius facti turpitudo adcedat, quam juxta obſervationem ſupra indigitatam, utpote nimis dedecoroſam in gratiam Matris velo æternæ oblivionis maluerunt tectam & omnino ſepultam, quod tamen à poſteris Scriptoribus, qui potiorem Veritatis hiſtoricæ rationem habuerunt, impetrari non potuit, Myſterium hoc Iniquitatis, prout à fide dignis Patribus acceperunt, poſteritati pandentibus, à quibus Evangelici acceperunt, nullatenus adcuſandi, quod id habeant pro vero, de quo per tot ſecula nec Romæ nec uſpiam fortaſſis fuit dubitatum, quod Launojus pro ſolita ingenuitate agnovit, ac eo metipſo tanquam forti clypeo Evangelicorum credulam ſimplicitatem, cujus à parte adverſaria arguuntur, egregie munivit.

Mantiſſa prior de Papa Cyriaco & Urſula atque undecim mille Virginibus.

HOc argumentum tractat Launojus in eadem Epiſtola, in qua Hiſtoriam Papiſſæ examinavit, eum in finem, ut exemplo hoc doceret, non omnibus promiſcue fidem adhibendam eſſe, quæ à pluribus traduntur Hiſtoricis. Equidem poſſet hic paralleliſmus

Digitized by Google

liſimus aliquem habere locum, ſi exempla hæc eſſent paria uniuſque generis vel ſpeciei, atque hic de ſimilibus idem ferri poſſet judicium. At, nemo prudens non videt manibuſque palpat inſigne diſcrimen illud, quod inter utramque Hiſtoriam intercedit. Papiſſa videlicet ideo prætermiſſa fuit à Scriptoribus coætaneis, quia ſine maximo Eccleſiæ Matris dedecore non potuit revelari, ſequentibus vero torrenti famæ communioris obſiſtere non audentibus, ne ſilentio Veritatem pleriſque cognitam videantur prodidiſſe. Verum, Pontificis Cyriaci Reſignatio & ſequens cum nobili hoc Virginum choro Martyrium illo tempore, quo Romæ majus fuit Sanguinis pro Chriſti nomine effuſi, quam Purpuræ æſtimium, ornamento fuiſſet Eccleſiæ, nullatenus à Martyrologis prætermittenda, ſi in notitiam eorum veniſſent, quibus aliorum hinc inde Martyria non fuerunt incognita. Scriptoribus poſt plura ab hoc facto ſecula ex vano quodam rumore cum aliis ſimilibus ea ſuis Annalibus per non plane nullam inconſiderationem in farcientibus, quos Launojus ordine recenſet, nimirum, Roberto Antiſſiodorenſi Monacho in Chronico, Alberico Monaſterii trium fontium Abbate itidem in Chronico, Martino Polono, Vincentio Bellovacenſi, Thoma Cantipratano, Jacobo Genuenſi, Auguſtino de Ancona, Alberico de Roſate Bergomenſi, Johanne Andrea, Dominico à S. Geminiano, Antonino Archiepiſcopo Florentino, Johanne de Turrecremata Cardinali, Petro Equilenſi, Authore anonymo Compilationis Chronologicæ, Jacobo Philippo Bergomenſi, Johanne Nauclero, Johanne Thurozio Hungaro, Antonino Bonfinio, Martyrologio Colonienſi, Johanne Capgravio, Silveſtro Prierate, libro Decretalium ſexto, Breviario Romano, Antonio Cuccho, Bartholomæo Fumo, Lælio Zecchio, Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſi, Hermanno tandem *Scombacho* (rectius *Crumbachio*) in libro de Urſula vindicata. Quamvis enim Evangelici, ſi huic de Papa Cyriaco & Urſula narrationi fidem adhiberent, à parte adverſaria non poſſent tanquam nimii fabellarum quarumvis admiratores adcuſari, nempe veſtigiis inſiſtentes eorum, qui in Eccleſia Romana antehac maximi æſtimabantur; non diſplicet tamen diligentia Launoji, ea hic quoque obſervantis, quæ narrationem hanc prudentibus rerum æſtimatoribus non parum facere poteſt ſuſpectam, provocantis præſertim ad ſilentium Euſebii, Optati Milevitani, Auguſtini, Proſperi Aquitanici ex antiquioribus, è ſequentibus vero & recentioribus Anaſtaſii Bibliothecarii, Reginonis, Hermanni Contracti, Mariani Scoti, Gotfridi Viterbienſis, inprimis autem Werneri Rolewinckii & Gobelini Perſonæ mentionem facientis, qui duo hanc de Cyriaco & Urſula narrationem aperte fabulis adcenſuerunt. Addit tandem Launojus: Præcipitans cum ingenti Authorum recentium numero fabula pervenit ad ætatem Baronii, qui impetum illis reprimere ac ſiſtere voluit oppoſitis molibus & repagulis, quæ cum ex aliis, tum maxime ex pertinaci ſeculorum plurium ſilentio comparantur. *Stephanus* vero, (rectius, ut ſupra, Hermannus) *Crumbachius* ante annos non ita multos diſturbare moles oppoſitas, & defixa refigere repagula, adflictam & jacentem Pontificis ſuppoſititii fabulam exigere ac inſtaurare adgreſſus eſt, ſed miſero & infelici conatu. Nam illuſtri docuit exemplo, verum eſſe, quod, uti nulla eſt ſine amatore fœditas, ſic nulla ſit quoque ſine Patrono fatuitas. In relatis enim Authoribus, qui ficto perinde ac vero Pontifici dederunt teſtimonium, imbecillitas humana poteſt adtendi debetque, quæ propter temporum miſeriam & negligentiam habet aliquid excuſationis; ſed in Crumbachio nihil adtendendum præter audaciam & craſſam adfectatamque inveniendi adferendique veri ignorantiam, quæ magno crimini eſt vertenda. Quæ porro ſubjungit Launojus in ſequentibus, conjungens hanc fabulam cum narratione hiſtorica de Papiſſa, prætermittuntur, quia imparitas utriuſque jam eſt oſtenſa. Id tantum additur, in Bibliotheca Societatis Lojolæ, cujus membrum fuit, vel adhuc fortaſſis eſt hic Crumbachius, quam poſt Ribadenciram & Alegambium ante annos non adeo multos auctiorem Romæ edidit Nathanael Soltvellus, meptionem fieri alicujus Auctarii Urſulæ contra quoſdam impugnatores vindicatæ, quam Crumbachius hic Coloniæ tertio poſt editam Launoji Epiſtolam anno ediderit, in

quo autem Auctario num hanc quoque Epiſtolam una impugnarit, non conſtat, quia nondum licuit videre, multo minus evolvere.

Mantiſſa poſterior de Synoride.

EA non ita pridem obtinuit locum in Martyrologio primum Galeſinii & poſtmodum ipſius Baronii ad diem nonum ante Calendas Februarii, tanquam Antiochena Martyr, addita hac obſervatione, quod de ea egerit Chryſoſtomus Homilia quarta de Lazaro, uti & Hieronymus Epiſtola octava ad Demetriadem. Launojus Sorboniſta non ſemel, ſed ſæpius hinc inde in Tractatibus ſuis ſpuriam hanc Martyrem perſtrinxit, nominatim in Judicio de Controverſia ſuper exſcribendo Eccleſiæ Pariſienſis Martyrologio exorta, unde non pauca in prima obſervatione hiſtorica de adſumptione Virginis fuerunt excerpta. In ejuſdem Præfatione Baronium graviter hic lapſum monuit, quia *Synoris* apud Chryſoſtomum quidem ſit par Martyrum, ſcilicet Juventini & Maximini, qui ſub Juliano paſſi ſint Antiochiæ; apud Hieronymum autem denotet Aviam & Matrem Demetriadis, nempe Probam & Julianam. Dicit, rationem lapſus in eo conſiſtere, quod Galeſinius, atque poſt eum Baronius ex nomine adpellativo fecerit proprium, ex proprio autem hanc Martyrem Antiochenam, videlicet *Synoridem*. Addit, Baronium ab Amicis, nimirum Petro Pithæo, Nicolao Fabro, Frontone Ducæo monitum, & Textum Martyrologii à Pontifice de Cathedra non alia, quam ſua adprobati, & ſimul Notas ſuſtuliſſe, ac ſuum errorem agnoviſſe. Bene laudabiliterque factum, quod illuſtris hic conditor Annalium Eccleſiæ & Martyrologii editor purpuratus corrigi ſe paſſus fuit, nec erubuit in luce publica fateri, ſe ab alio ſeductum graviter lapſum eſſe. Potuiſſet autem hic helluo librorum & ambulans Bibliotheca facile ab errore hoc ſibi cavere, ſi aliorum ante ſe obſervationes hac ipſa de re adtendiſſet. Eraſmus certe, talium adcuratiſſimus Cenſor, in citata Chryſoſtomi Homilia hanc *Synoridem*, prout eum Textus exhibet Græcus, non interpretatus eſt, quaſi non tantum intelligi deberet Martyr vel Martyriſſa, ſed ex ipſo contextu vidit, intelligendam eſſe Bigam (quæ propria hujus vocis apud Scriptores Græcos eſt interpretatio) ſanctorum Martyrum, quam Verſionem laudatus modo Ducæus in Editione operum Chryſoſtomi noviſſima ſervavit ac adprobando ſuam fecit. Ita Marianus Victorius in Scholiis ad citatam Hieronymi Epiſtolam, & quidem ad verba, quæ *Synoridis* ſanctæ faciunt mentionem, notavit, Exemplar Mediceum habere, à ſanctis Fœminis, nomine earum intelligens Matrem Aviamque Demetriadis. Hæc, inquam, ſi advertiſſet Baronius, nec Galeſinii authoritatem majoris, quam Eraſini & Victorii æſtimaſſet, tam graviter, addo, & turpiter lapſus non fuiſſet. Unde, qui nuper vetuſtius Martyrologium ſub Hieronymi nomine edidit Franciſcus Maria Florentinus, dum inter Admonitiones prævias numero & ordine decimam ſcripſit de dubiis Sanctorum nominibus fraude vel incuria ſuperadditis, in ſpecie Martyrologium hocce ſuum ideo etiam præ cæteris commendavit, quod Xinorides, recte & proprie *Synoris* in eodem non memoretur; quo ipſomet quin Martyrologio Galeſinii & Baronii dicam ſcripſerit, extra dubium eſt.

ROMA

IN-

INDEX CAPITUM

Juxta seriem Bellarmini.

PRimum ex libri de Pontifice Romano primi capite decimo, de Epistola Athanasii ad Felicem Papam, in qua Petrus dicitur fundamentum, qua nituntur Episcopi. 1

Additio de authoritate Epistolarum vel à Pontificibus primis, vel ad ipsos scriptarum, 3

Secundum ex eodem de loco Matth. 16. an omnes doceant Patres, Ecclesiam super Petrum esse ædificatam? conf. c. 15. 5

Vindicia pro sententia Launoji adversus Immanuelem à Schelstrate, Doctorem Antverpianum, 6

Tertium ex ejusdem libri capite duodecimo, de loco eodem, an claves Ecclesiæ soli Petro sint datæ, 50

Appendix ex Launojo contra epistolam Alexandri Pontificis hoc nomine septimi, ad Henricum Andegavensem Episcopum scribentis, ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere, Controversias Fidei & Morum Ecclesiæ universalis definire, 12

Vindiciæ ejusdem adversus Christianum Lupum, Theologum Lovaniensem. 17

Quartum ex eodem capite de sententia Leonis Magni super eodem loco, ubi simul etiam mens Augustini & aliorum indicatur, 23

Vindicia Launoji adversus eundem Lupum, in quibus de Tertulliani quoque & Optati egitur sententia, 27

Continuatio earundem adversus Immanuelem à Schelstrate, 33

Quintum è capite ejusdem libri decimo & quarto, de loco Joh. 21. an Patres præcipui senserint, soli Petro pascendas oves à Christo fuisse commendatas, cum Appendice ex eodem Launojo, docente & testimoniis ipsorummet Pontificum antiquorum confirmante, Ecclesiam esse regendam Canone, non motu proprio &c. conf. infra c. 16. 34

Sextum ex ejusdem libri capite vicesimo & quinto &c. de testimoniis quibusdam Cyrilli Alexandrini è Thomæ Aquinatis opusculo contra Græcos citatis, iterum cum Appendice ex eodem de aliis quibusdam testimoniis è Synodis Constantinopolitana & Calchedonensi, Chrysostomo item & aliis Patribus Græcis in eodem opusculo laudatis, 41

Appendix Appendicis adversus Vincentium Barenem exhibens Vindicias, ubi etiam simul contra eundem de sententia Cajetani disputatur, 52

Septimum (a) ex libri de eodem secundi capite post decimum tertio, de Canone sexto Synodi Nicenæ, ubi subjungitur sententia Edmundi Richerii, Doctoris itidem antehac Sorbonici, ex Historia Conciliorum generalium, & adcedunt Vindiciæ adversus Immanuelem à Schelstrate & Natalem Alexandrum, 59

(b) Ex ejusdem libri capite post decimum quinto, an Chrysostomus ad Innocentium Pontificem, tanquam ad summum Judicem provocaverit, cum Vindiciis contra Lupum Lovaniensem, ac Additione de sententia Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis &c. 88, 98

Octavum, è capite libri ejusdem post decimum septimo, an Papa Zacharias juste Childericum Regem Francorum deposuerit? 109

Appendix de Gratiani testimonio circa hoc factum ex eodem Launojo, cum Additione è Johanne de Bussiers, novissimo scriptore rerum Francicarum de facto eodem. 115

Nonum è capite vicesimo & primo, de Marcionis excommunicati Itine e Romano, cum Vindiciis adversus Schelstratensem, 119, 121

Decimum ex libri ejusdem capite post vicesimum quarto, de Epistola Papæ Siricii vel Damasi ad Theophilum & Anysium, quæ inter Epistolas Ambrosii legitur, cum brevibus contra Lupum Lovaniensem Vindiciis, 125

Digitized by Google

Index Capitum

Digreſſio ex Hiſtoria Conciliorum generalium Edmundi Richerii, Doctoris Sorbonici, ad Canones Concilii Sardicenſis de Appellationibus, contra eundem Bellarminum, capite ſequenti de iis agentem, uti & Authorem Præfationum hiſtoricarum in Editione Conciliorum generalium Romana, 132

Appendix ejuſdem à Petro de Marca &c. cum Vindiciis adverſus Lupum, uti etiam Additione duplici è Francisco Macedone & Guilielmo Macedone Bevereggio, 148

Undecimum è capite poſt triceſimum primo, quo ſenſu Papa dicatur Chriſti Vicarius, 155

Duodecimum ex eodem, qua ſignificatione idem Papa vocetur Epiſcopus univerſalis, cum brevibus Vindiciis *adverſus Lupum,* 161

Appendix ex eodem Launojo de Dictatu vel Dictatibus Gregorii Pontificis hoc nomine ſeptimi, 166

Decimum & tertium ex libri de eodem quarti capite ſecundo, de judicio Papæ fallibili, an infallibili? cum Additione Pontificiorum teſtimonia exhibente. 169

Appendix ex eodem de ſententia Theologorum Lovanienſium, 180

Decimum & quartum ex ejuſdem libri capite ſequenti tertio de loco Luc. 22. de oratione Chriſti pro Petro, quando Patres eum intellexerint, uti & ipſimet Pontifices Romani, 185

Decimum & quintum ex eodem capite, iterum de loco Matth. 16. an Eccleſia ſit ſuper Petrum ædificata? ubi teſtimonia Patrum porro adverſus Bellarminum vindicantur, conf. ſupra cap. 2. 199

Decimum & ſextum itidem ex eodem, ac iterum quoque de loco Joh. 21. quo ſenſu Chriſtus Petro commendaverit paſcendas oves, conf cap. 5. 206

Additio ex Launojo de ſententia Auguſtini quoad tria hæc Scripturæ dicta, 208

Decimum & ſeptimum adhuc ex eodem capite, an Pontifices Romani damnaverint hæreſes ſine Concilio generali? 211

Decimum & octavum ex ejuſdem libri capite quinto & ſexto; an Pontifex de Cathedra loquens poſſit errare? 212

Additio prior ex eodem Launojo, contra Decretum Inquiſitionis Romanæ oppoſitum Cenſuræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis in propoſitiones aliquas Amadæi Guimenii, cum Appendice *adverſus Andream Eudæmon-Johannem, ac ejuſdem* Vindiciis *contra Schelſtratenſem, quoad Controverſiam Paſchalem ſeculo poſt Chriſtum ſecundo ortam inter Victorem Romanum & Polycratem Epheſinum, ſubjuncta etiam Natalis Alexandri ſententia de eadem,* 216

Additio poſterior de ſententia Hadriani Pontificis hoc nomine ſexti circa Papæ Romani fallibilitatem, cum Vindiciis *adverſus Cardinalem Pallavicinum,* 235

Additionis hujus continuatio de authoritate Verſionis vulgatæ, uti & Appendix ejuſdem de ea ex Johannis Cabaſſutii Notitia Conciliorum, & nova Richardi Simonis Critica, 240

Decimum & nonum è capite ejuſdem libri ſeptimo de ſententia Cypriani contra Baptiſmum hæreticorum, ubi ſimul etiam contra Albertum Pygium & Martinum Becanum circa hanc Quæſtionem diſputatur, 244. *& ſeq.*

Immanuelis à Schelſtrate Diſſertatio adverſus Launojum, cum hujus Vindiciis adverſus illum, 261, 268

Additio ex Tribus Diſſertationum Authoris anonymi in gratiam Launoji, & Baluzii Notis ad Vincentium Lirinenſem, 279

Vindiciæ ejuſdem Launoji adverſus Natalem Alexandrum, 281

Appendix de Concilio apud Auguſtinum plenario, cum Vindiciis contra Lupum, 282, *& ſeq.*

Viceſimum è capite nono libri ejuſdem, an Pontifex Liberius hæreſi Ariana fuerit infectus? 292

Vi-

Index Capitum.

Vicesimum & primum ex eodem capite de Felice Papa, an fuerit is etiam Arianus? 295

Vicesimum & secundum è capite undecimo de Honorio Pontifice, num fuerit Monothelita? 298

Additio summa Conciliorum Bailii de sententia Francisci Joverii & Francisci Combefisii, 409.

Usi & ex Notitia Conciliorum Johannis Cabassutii, quin etiam Notis Christiani Lupi, 308 & seq.

Continuatio ejusdem è Scrutinio Historiæ Monothelitarum Johannis Baptistæ Tamagnini, 314

Ejusdem prosecutio ex Historia Conciliorum generalium Edmundi Richerii, 328

Vindiciæ Launoji & cæterorum adversus ultimum Francisci Marchesii conatum pro Honorio, 336

Vicesimum & tertium ex ejusdem libri capite duodecimo, de sententia Gregorii Pontificis hoc nomine secundi vel tertii, circa solutionem Matrimonii propter impotentiam conjugalem, an fuerit legitima? 353

Appendix è Launojo de simonia adversus Azorium & alios, 354

Ejusdem additio de Annatis è Petro de Marca, 365

Continuatio utriusque è Johanne Sinnichio & Johanne Baptista Goneto, 377

Vicesimum & quartum ex libri quinti capite septimo, de potestate Pontificis in temporalibus indirecta, 382

Additio ex Launojo de Regia in Matrimonium potestate, cum Vindiciis adversus Dominicum Galesium, 394. & seq.

Vicesimum & quintum è capite libri ejusdem octavo, de Ambrosii exemplo Imperatorem Theodosium excommunicantis. 408

Vicesimum & sextum ex eodem capite, de privilegio sancti Medardi quod Gregorio Magno adscribitur, 411

Vicesimum & septimum adhuc ex eodem, de facto Gregorii Pontificis hoc nomine secundi contra Leonem Iconomachum, 422

Cum additione de facto eodem è Petro de Marca & Johanne Cabassutio, 425

Vicesimum & octavum è libri de Conciliis *primi capite quinto & post decimum septimo, de numero Conciliorum generalium,* 427

Digressio ex Historia Conciliorum generalium Edmundi Richerii de Synodo Antiochena, adversus Bellarminum, 431

Appendix ejusdem de eadem ex antiquitate illustrata Immanuelis à Schelstrate, adprobata à Cabassutio, 433

Utriusque Mantissa à Natalis Alexandri Dissertationibus Ecclesiastico-Historicis, 436

Mantissæ Coronis ex opere Petri de Marca &c. 438

Vicesimum & nonum ex ejusdem libri capite nono & decimo, de utilitate & necessitate Conciliorum generalium, 440

Appendix prior ex eodem Launojo de Contritione & Attritione, ad mentem Synodi Tridentinæ, 443

Cum brevi ejusdem censura & correctione, 458

Posterior de mente Synodi Tridentinæ circa satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ, 462

Itidem cum censura brevi ac ejusdem correctione, 467

Additio prima de Sacramento Unctionis Infirmorum, adversus Bellarminum & Coninckium, 478

Secunda de veteri ciborum delectu in Jejuniis Christianorum, & maxime in Quadragesima, 478

Cum Appendice è Natalis Alexandri Dissertationibus, in gratiam Johannis Dallæi, 484

Ter

Index Capitum.

Tertia, de cura Ecclesiæ pro Sanctis, eorumque reliquiis & officiis &c. 490
Tricesimum, ex ejusdem libri capite duodecimo de causa efficiente Conciliorum generalium, 492
Et primum ex eodem, de tribus Leonis M. super ea re testimoniis, 494
Secundum de syllogismo quodam Bellarmini circa auctoritatem Pontificis confirmandam, 496
Tertium, an sine consensu Pontificis nulla celebrari possint vel debeant Concilia? ibid.
Quartum de Pelagii Pontificis hoc nomine secundi testimonio quodam super hac re, 500
Quintum de alio quodam testimonio Sixti Pontificis hoc nomine tertii, 501
Sextum de testimonio quodam Imperatoris Valentiniani apud Sozeminum. 503
Septimum è capite ejusdem libri post decimum tertio, de convocatione Synodi Nicenæ ibid.
Additio ex Historia Conciliorum Edmundi Richerii, cum brevibus adversus Natalem Alexandrum Vindiciis, 509, 511
Octavum, de convocatione Synodi Constantinopolitanæ generalis primæ. 512
Additio ex Edmundo Richerio, Natali Alexandro & Christiano Lupo, 515
Digressio ex eadem Historia Richerii de Synodo Carthaginensi sexta, 523
Ubi etiam agitur de Concilio Sardicensi ac ejusdem Canonibus, 534
Nonum de Convocatione Synodi Ephesinæ, cum brevi Additione ex Historia Conciliorum Richerii, 536, 539
Quadragesimum de convocatione Synodi Calchedonensis, itidem cum brevi Additione ex Richerio, 541, 544
Appendix prior ex Launojo de Convocatione sequentium quatuor Synodorum generalium, 549
Posterior ex Richerio de testimonio quodam Athanasii adversus Bellarminum, 552
Quod attinet Indictionem Conciliorum &c. 553
Quadragesimum & primum ex ejusdem libri capite post decimum nono de Præside Synodi Nicenæ, 553
Additio de subscriptionibus in hac Synodo ex Lupo Lovaniensi, 561
Appendix ex Launojo de Concilio Sardicensi, 562
Prosecutio disputationis de Præside Synodi Nicenæ ex Historia Edmundi Richerii, 564
Vindiciæ Launoji adversus Natalem Alexandrum, 566
Consensus utriusque circa Convocationem & præsidentiam Concilii Sardicensis, 568
Quadragesimum & secundum de Præside Synodi Constantinopolitanæ generalis secundæ, cum Additione è Natali Alexandro, 571, 574
Tertium ex eodem de Præside Synodi Ephesinæ, cum Additione ex Edmundi Richerii, Historia Conciliorum, 575, 583
Adpendix è Launojo de Synodo Ephesina posteriori, 590
Quartum de Præside Synodi Calchedonensis, cum Additione ex Historia Richerii, contra Baronium, 592, 524
Quintum itidem de Præside Synodi generalis quintæ inter Constantinopolitanas secundæ cum Additione è Richerio, 608
Sextum, de Præside Synodi generalis sextæ inter Constantinopolitanas tertiæ cum Additione ejusdem, 615, 616
Septimum, itidem de Præside Synodi generalis septimæ in Urbe Nicea congregatæ, cum Additione &c. 621
Appendix ex Auctore anonymo trium Dissertationum Parisiis nuper editarum, de Conciliorum quorumvis definitionibus ad examen revocandis, 624

Octa-

Index Capitum.

Octavum de Præside Synodi generalis octavæ inter Constantinopolitanas quartæ, cum additione Richerii, 625, 626

Nonum è libri de Conciliis secundi capite secundo, de confirmatione Conciliorum à Pontificibus Romanis, 529

Quinquagesimum ex ejusdem libri capite decimo, de Conciliis particularibus & eorum authoritate, 631

Et primum è capite post decimum tertio & sequenti, de Authoritate Papæ supra Concilium, 635

Vindiciæ Launoji adversus Christianum Lupum, 644

Secundum è capite post decimum septimo, de authoritate ejusdem supra Ecclesiam, 646

Tertium ex eodem, de testimonio quodam Synodi Suessanæ sub Marcellino, & Romanæ sub Silvestro, 654

Vindiciæ Launoji adversus Immanuelem à Schelstrate, 658

Appendix è Natali Alexandro adversus Baronium & Bellarminum, 663

Quartum, de testimonio quodam è Synodo Calchedonensi, 664

Quintum, adhuc ex eodem, de testimonio ex libro Eunodii, quem Synodus Romana sub Symmacho adprobavit, 665 cum brevibus Vindiciis adversus Lupum Lovaniensem, 670

Additio ex Launojo adversus Cajetanum de Canone quodam Synodi octavæ generalis, 671

Iterum cum brevibus Launoji Vindiciis adversus Lupum, 647

Sextum, de testimonio Concilii Lateranensis sub Leone decimo, quod prolixe examinatur, 676

Septimum, de diversis Pontificum Romanorum testimoniis, 684

Octavum de Adpellationibus ad Papam, cum Additione de Adpellationibus ad Concilium contra Pium secundum, 691, 697. Et Vindiciis Launoji adversus Lupum, 700

Nonum, de approbatione & reprobatione Conciliorum per Pontificem Romanum, 703

Vindiciæ ejusdem contra eundem. 716

Sexagesimum è capite post decimum nono, de Actionibus Synodorum Constantiensis & Basileensis, 723

Et primum è libri de Ecclesia tertii capite tertio, de definitione Ecclesiæ, 728

Appendix contra Cajetanum, num Ecclesia dici debeat vel possit serva? 733

Vindiciæ ejusdem contra Lupum, 742

Additio contra anonymos de comparatione Regiminis Ecclesiastici cum Polytico, 744

Observationes quædam Historicæ coronidis loco subjunctæ.

Prima de Adsumtione Virginis Mariæ, cum brevibus Vindiciis, adversus Petrum Lambecium, 747

Secunda de Dionysio Areopagita & scriptis ejus, cum Additione Philippi Labbei, ac brevibus Vindiciis adversus Natalem Alexandrum, aliosque &c. 765

Tertia de Apostolatu Lazari, Marthæ & Mariæ (vulgo) Magdalenæ, Vindiciæ ejusdem adversus eundem, 777

Quarta de Epistola Cypriani post sexagesimam septimam ad Stephanum Pontificem scripta, cum brevi Adnotatione adversus eundem, 795

Quinta de Epistola quadam Zosimi Pontificis suspecta, 803

Sexta de libello Episcoporum Provinciæ Leoni Papæ secundum communem sententiam oblato, itidem, cum brevi Adnotatione adversus eundem, 808

Septima de Authore vero Professionis Fidei, quæ Pelagio Hieronymo & Augustino solet tribui, 813

Octava de circa Viene Breviarii Romani circa Historiam Brunonis Carthusiensium Patriarchæ, adversus Andream Saussaii Epistolam Didascalicam, 823

Index Capitum

Nona de Scapularis Carmelitici Privilegiis & Sodalitate, 844
Decima & ultima de Johanna Papissa, cum brevi Censura & correctione, 850

Mantissa duplex.

PRior *de Papa Cyriaco & Ursula ac undecim mille Virginibus,* 860
Posterior de Synoride adversus Baronium &c. 862



Digitized by Google

Digitized by Google



ogle